
8
5
10





FRANCISCI GEORGII VENETI MINORITANÆ FAMILIÆ,

de harmonia Mundi totius Cantica tria. Cum indice eorum, quæ inter legendum adnotatu digna visa fuere, nunc recens addito.

Talia probarint, spiritus quibus spirat.



Cum priuilegio

PARISIIS

Apud Andream Berthelin, via ad diuum Iacobum, in domo Gulielmi Rolandi sub insigni aureæ coronę: & in vico Longobardorum in domo eiusdem G. Rolandi.

1545.

PROOEMIVM.

FRANCISCI GEORGII VENETI MINORITANAE FAMILIAE IN OPUS DE HARMONIA MUNDI, TRIFARIAM DISTINCTUM, AD CLEMENTEM SEPTIMUM PONTIFICEM MAXIMUM



PRÆFATIO.



NON EQVIDEM PATER BEATISSIME fastu vllo, neque secundum carnem, & sanguinem, sed bono genio, imò & meliori spiritu ducor, vt pro minus collustratis hanc qualemcunque accendere coner faculam, non certè noui luminis, sed eam, quæ à luce illa omnes illuminante subrutilat, Et vt de messe Domini opulentissima in Dominicum horreum pro pauperculis cibandis afferam, saltem vel paruulos mergites, ab aliis messoribus, forsitan iubente Domino, posteris derelictos: ex quibus triticum excussimus, non certè nouum, sed antiquum noua quadam forma conductum, nouóque modo subactum, aqua proculdubio non cisternarum dissipatarum, sed melioris, & salutaris sapientiæ: ex qua bibenti fit fons aquæ salientis in vitam æternam: Quam aquā haurientes ij, qui primi Euangelicæ doctrinę iecere fundamenta verè filij Dei effecti, stultitiā existimarunt sapientiā huius mundi, quæ viribus propriis, & ab humana industria excogitatis innititur, nulli veritati cedens, nisi quam syllogisticis rationibus sese ostendere posse confidunt, qui eam sectantur. Sed eæ deductiones compositæ & in ipsis sensibus radicitus fundatæ solitariam illam, atque intellectualem opificis naturam (vt Proculus docet) attingere nequeunt: Sed neque inferioris naturæ effectus, proprietates, aut passiones (vt aiunt) docere possunt: cum harum causæ, ex quibus ipsas con iicere suis argumentationibus opinantur, sint (omnium eorum consensu) mor talibus penitus ignotæ: Insuper ex sensibus procedentes, qui fallaces sunt (sicuti multis rationibus probat Pyrrho Heliates) nullam nobis synceram præbere possunt veritatem: Hinc cum de diuinis agitur, quæ oraculis (vt ait Plato) comparari debent, relinquendæ sunt huiusmodi compositæ, & ex fallacibus sensibus deductæ rationes his, qui circa sensibilia versantur, & qui ea, quæ in agendo subijciuntur motui, extrema confinia suæ doctrinę statuerunt, & qui omnia combinare, & concludere opinantur per quædam axiomata, quæ refellere impossibile existimant: Sed hi ab ipsis occultata diuina irrident, quæ tanto magis exaltantur, quanto ad altius cor homo ascendere præsumit, cum sacra hæc solo diuino lumine ostendantur, contentionem oderint, silentium desiderent, superbos, & sapientes mundi respuant, paruulos, & humiles corde amplectentur, & [illegible], syllogismos, & humanas deductiones penitus irrideant: cum nullum [illegible] diuinitatis principium, nihilque eam antecedat, per quod aliud probari possit: Hinc tantum ad diuina, teste Areopagita, conscendere fas est, quantum seipsum diuinorum eloquiorum radius insinuauerit, qui expurgatis mentibus sese percipiendum tantummodo offert: Ideo si externi, vt vel minimam scintillam diuinarum rerum perciperent, omni cura, quæ animum offuscant, ammouere studuerunt, quanto magis ij, quibus diuina eloquia, & altissimarum rerum sacramenta credita sunt, animi purificationem omni studio perquirere debent? Brachmanæ enim nullum ad ipsorum admittebant sapientiam, nisi abstinentes à vino, & carnibus, sed [illegible] super omnia, vt Deum ipsum, quem intelligere cupiebant, diuina con-

Proculus. Pyrrho. Plato. Areop. Brach.

Pharao. Philost. Lysides. uersatione æmularentur. Itidem apud Indos inferiores docebat Pharaotes, si Philostrato credimus. Lysides quoque Pythagoreus scribens ad Hyparchum docet minimè pium esse mysteria veræ philosophiæ, quæ videlicet diuina redolet, eis communia facere, qui nec somniare quidem purificationem animi potuere: neque Hierocl. enim potest lippus, & immundus oculus (vt Hierocles de antiquorum, qui has semitas sequuti sunt, promptuariis deprompsit) res nimium lucentes intueri: Nec poterit quis sacris de nouo addictus non bene initiatus statim percipere collustrationes illas diuinas: quia experrectus à somno nequit statim lucida contemplari. Assuefaciendus est igitur animus ad studia pulchra, & pedetentim expurgandus, Plotinus quousque Diuina lux subrutilet, & noster in nobis (vt Plotinus ait) emineat intellectus: qui animum patri, & veræ luci applicet: illumque in opificis intellectionibus Proculus impermixtè collocet: Lumen quoque (inquit Proculus) coniungat lumini, non quale illud, quod scientiarum esse perhibetur, sed pulchrius quoddam, & vnitum magis. Hinc congregati sunt cum Deo Abraham, principes electæ familiæ, & doctores veræ sapientiæ, qui Dij effecti vehementer eleuati sunt ad lumen illud suscipiendum: quod à mortalibus remotissimum tenebrosi Iudæi scandalū, & impij Gentiles stultitiam existimarunt, collustratis autem oculis visum est fulgor pulcherrimus, & verum omnium thesaurorum, ac integerrimæ sapientię promptuarium. Hinc magna constantia etiam vitę discrimine toto animo ipsum defen Paulus. dere conati sunt: Ad quos thesauros etiam (vt Paulus docet) non per philosophiam, hanc videlicet traditam ab hominibus, & inanem fallaciam peruenitur: sed luce illa percipitur, per quam à claritate in claritatem conscendentes denique transformamur in eādem imaginem illius, qui est splendor patris, & vera eius imago. Sed cum breuissimus sit collustratorum numerus, qui possint rutilans lumen illud suscipere, hinc eos, qui huiusmodi initiari cupiunt, per eas semitas deducendos existimo, per quas ad illud supremum lumen percipiendum facilius disponi possint: Eæ autem semitę proculdubio sunt per hęc visibilia ad inuisibilia Dei ex harmonica cognatione, quam consonantissimam habent ad inuicem. De mū di itaque vtriusque, & archetypi consonantia, deque statu vniuersarum rerum, omniumque eorum, quę vterque ipse mundus (prout ab archetypo suscipit) harmonia maxima complectitur, pro huiusmodi faciliori ducatu, opportunè existimauimus pertractare: Quod facere cupientibus per multas semitas iter nobis accipiendum est, eo quòd cunctis disciplinarum artificialibus sit remediis occurrendū, Physicis, Arithmeticis, Astronomicis, Geometricis, Musicis, atque Diuinis. Si rerum itaque, quę sensibus subiiciuntur, tractatio erit, cum Peripatetici cum sensibili doctrina suffragabuntur: Si cœlestia indagabimus, Astronomorum demonstrationibus innitemur: Si rerum naturalium concordiam perscrutabimur, ad secretiores philosophos dirigemus iter: Si de syderum varietate, & de eo, qui est ex diuersis aspectibus, motibus, sonisque concentu tractatus habebitur, musicis continuò rationibus absoluetur: Si supremas intelligentias, & arcana supercœlestia vtcunque explicare tentabimus, semotis his omnibus, ac in vestibulo relictis, prophetas, & sanctos, quibus peculiari dono datum est nosse secreta Dei viuentis, adibimus, aut lucem illam, quæ omnes illuminat, & in huiusmodi optimè instruit, implorabimus. Si tamen aliqua ratione ex visibilibus istis ad penetralia cœlestia, & supramundana subleuari cupiemus, illud erit nobis (errore posthabito) vnicū iter per numeros, quibus hæc inferiora cum superioribus connexa ex harmonica ipsorum proportione se præbent contemplantibus suauissima, & ex mutua correspondentia, atque vi sibi insita operantibus facillimam viam præstant: Numeris enim omnia disposita sunt, & inde adeò domestici omnibus, vt eis nihil obstet: nam cognati superis ad cœlestia familiariter conscendunt; rursusque cum

ſenſibilibus domeſticè agunt: & inde diuerſas naturas, diuerſosque modos induunt: Numerus enim qui(vt Proculus ait) ſemper idem exiſtit, alius tamen eſt in voce, alius in rerum proportione, alius in anima & ratione, & alius in diuinis, & qui in rebus creatis ligatus eſt, Deo familiaris abſolutiſsimus reperitur. De inferioribus autem loquentes Themiſtius, & Boëtius adeò numerum præferunt, vt neminem exiſtiment abſque ipſo rectè philoſophari poſſe. Pythagorici verò omnes ſimul, & academici, ſed præ aliis ſecretiores theologi vbique numeros celebrant, & venerantur: nec immerito, quia vt perhibet Auenzoar Babylonius, ille omnia ritè nouit, qui bene ſcit numerare: Cui Plato adſtipulatur dicens in Epimonide: Si quis ab hominum natura numerum auferre velit, nullatenus prudentes eos, aut ſcientificos relinquit: Nam anima nihil percipiet ſine ratione: Nec rationem de rebus reddere quiſpiam poterit, qui numerum ignorat. Artes quoque ſublato numero penitus euaneſcunt: & quod maximum eſt, bonorum quidem omnium, mali autem nullius numerum eſſe cauſam aſſeuerat: Hinc, qui beatus futurus eſt, qui cœleſtia & diuina rimari cupit, numerumq́ ignorare non debet. Neceſſariò igitur per numerorum ſemitas, & harmonicum ordinem nobis procedendum eſt, ſi ritè, accommodateque per hæc inferiora ad ſuperna, ſupremumq́ue conſcendere voluerimus: Omnia enim ſibi inuicem, & primo mutuis concentibus correſpondent, aliis tamen, & aliis numeris: Quod Orpheus cecinit, poſtque eũ Pythagoras docuit, nec non Stoici confitentur, dum dicunt mundum factũ adhibita artè quadam concinnatrice. Proponit Plato, Porphyrius id multis rationibus aſſeuerat, declarat Iamblicus, Chalcidius, Proculus, & eius præceptor Syrianus, & quotquot de Pythagorica, atque academica familia ſunt pro virili ſua interpretantur, & affirmant exiſtimantes naturam nihil tam in rebus productis, quàm producendis habuiſſe antiquius, & accommodatius harmonia: qua partes omnes machinæ huius concinnæ redderentur. Verũ diuini vates inferioribus numeris procul relictis ad diuinosque, ac ſecretiora penetralia introducti multa non pandenda contemplati ſunt, quorum meliora abſcõdentes in corde ſuo, ne delinquerent, quædam, & pauca nobis, quantum eis permiſsum erat, præbuerunt contemplanda: Ex quibus Iſaias ait: Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum, ſuper totam videlicet hanc mundanam domum, cuius cœlum ſedes eius eſt, & hanc plenam eius opificis gloria: quæ in diſtributorum graduum ſerie cum diuinis ipſius opificis exemplaribus concinna refulget: Vndè inter artificem & fabricã concordia, & mutuus amor decantatus per duos ſeraphinos alternis vocibus ad alterutrum acclamãtes Sãctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Zeuaot, Plena eſt omnis terra gloria eius, vnicuique concinna proportione per cognatos numeros, quibus omnia diſpoſita ſunt, communicata. His itaque modulis, conſonantiſsimisq́ue concentibus abſorpti cœleſtes vates numeros vocales, & eorum rationes in veſtibulis relinquentes philoſophati ſunt in melioribus, & diuinis numeris, in naturæ ſpeciebus, & formis, imò in exemplaribus ipſis per omnia idearum genera ordine quodam eis tantummodo, qui viderũt, cognita progrediẽtes. Huc & Ezechiel Iſaiæ collega applicuit, quando diuinum tribunal, quod Hebræi Mercaua nuncupant, ex diuinis miniſtris, Seraphinis, Ophaninis, animalibusq́ue ſanctitatis, in omnium rerum conſonantiam deducendam confectum intuitus eſt, totum negotium concludẽdo dixit: Et aſpectus eorum veluti הואפן בתוך הואפן haophan betoc haophan, id eſt rota in medio rotæ, vt pro nunc ſequamur traductionẽ noſtram, quia mundana hæc domus ſphærica eſt in medio rotæ, & ſphæræ illius intelligibilis, & ſupremæ, id eſt in verbo, quod in illa ſupramundana ro-

Proculus

Themi. Boëtius. Pythag. Academ. Theolo. Auenzo. Plato.

Orpheus Pythag. Stoici. Plato. Porphy. Iãblicus. Chalci. Proculus Syria.

Iſaias.

Ezechiel Hebræi.

ta medium posſidet, dicente Ioanne: Quod factum eſt,in ipſo vita erat, In ipſo
Ioannes. in quam verbo, quo Pater portat, & ſuſtentat omnia, & quod Ioannes verus va
tes vidit in bicipiti Parnaſo, CHRISTI videlicet pectore, in quo bina diui-
Moſes. næ ſcilicet & humanæ naturæ faſtigia eminent,idipſum Moſes horum ſacramen-
torum primus reſerator vidit in bicipiti Sina,à quo Arabia illa uerè fœlicis non di
cam nomen, ſed rem aſſequuta eſt: Vndè faciei diuinæ, coràm, quàm ſæpius lo
quebatur, & poſteriorum effectuum eſt cacumina contemplatus: Sed hæc occul-
tiſsinis ænigmatibus incluſit in ſua mundanæ fabricæ grauida, & fœcundiſsima
deſcriptione indignum reputãs rude, & imperitum vulgus vtriuſque mundi arca-
nis: Neque enim proponendum erat lumen ſublimiſsimũ hebetioribus oculis po
puli adeò imbecillis, vt non poſſent intendere in faciem Moſi ex diuino conſor-
tio lumine illo rutilantem, niſi obducto velamine ſplendorem ipſum (prout illi
conniuentes oculi exigebant) cõprimeret. Tradidit igitur rudi populo ſub inuolu
cris enarratæ hiſtoriæ ſacramenta altiſsima relinquens in ſeceſſu ſapientibus locũ,
vt ad intimæ ſapientiæ ſupremæque doctrinæ penetralia deducta cortina, & re-
uelata facie accederent, vt aliquando palàm promptuarium illud contemplaren-
tur, & aliquãdo ex infirmis, & viſibilibus ad inuiſibilia procederẽt per eos cogna-
tos numeros, & proportiones harmonicas, ex quibus tam à ſapientioribus He-
bræis, quàm à noſtris adinuenta ſunt moralia, allegorica, atque anagogica ſen-
ſa: Vndè etiam à ſuperis mouentur hæc inferiora tanto maiori efficacia, quanto
Pythag. naturalia, & diuina excellentiora ſunt iis, quæ ab arte comparantur. Hac enim
Cicero. muſica arte conducta Pythagoras (Cicerone, & Boëtio referentibus) iuuenem
Boëtius. furentem mutatis modulis cohibuit. Terpander, & Arion Methymneus Leſ-
Terpan. Arion. bios, & Iones, necnon Iſmenias Thebanus quamplurimos grauiſsimis morbis
Iſmeni. vexatos concentibus curarunt: Militum quoque animos atque equorum tubarum
Dion. & lituorum cantus accendit. De Alexandro quoque Macedone Dion tradit non-
nunquam vſque adeò eum incitatum Timothei modulis fuiſſe, vt veluti furens ad
arma proſiliret. Ad ſacra quoque conſcendentis Saulis regis furor ſic Dauidis ci-
thara temperabatur, vt ad priſtinam reduceretur quietem fugato malo dæmone,
qui ab harmonia illa collapſus concentum aliquem verum, veluti ipſi inimicum,
ſuſtinere nequit: Hinc cantus, & harmonicos ſonos in ſacris inductos fuiſſe opi
nor ab ipſo regio propheta ſacrorum vero reſtauratore, & ab eis patribus, qui
hæc Dei, & naturæ ſacramenta perceperunt. Quæ igitur vis, & quæ oblectatio
exiſtimanda eſt ineſſe rerum naturalium, atque diuinarum concentui? Hinc ve-
ritas, quæ eſt conuenientia rerum,etiã in rebus inferioribus explicata efficaciſsi-
ma eſt, atque delectationem affert eam percipientibus mira iucunditate refer-
tam: Sed in diuinis adeò animum exhilarat, & mouet, vt in alium penitus immu
tare videatur, maximè in Dauidicis hymnis, qui toties repetiti nunquam animis
bene compoſitis ſunt moleſti, oblectantes autem, & fauentes quamplurimum:
In ipſis enim quaſi in quadam legis totius ſuccentione decantantur vtriuſque mũ
di cum archetypo modulamina, & ea, quæ eſt rebus omnibus à Meſsiah reſtitu-
ta conſonantia, & quo ſuaui greſſu in opificem redeat perfectiſsimum opus ipſius:
Neque tantummodo regius hic vates, ſed quotquot ſymbolum dederunt ſacræ
paginæ, hi fuere, vt in ipſis & veræ harmoniæ, atque diuinitatis amplam cogni-
tionem, & reliquarum doctrinarum profundum ſtudium admirari poſsimus:
Quis enim prophetas omnes veram poëſim inſtructos non videat? Quis in Mo-
ſe, Ezechiele, & Ioanne geometricas non agnoſcat exactiſsimas menſuras? Rur-
ſumque in Moſe, Ezechiele, Daniele, & Ioanne numerorum proportiones, &

in Dauidicis hymnis, & Salomonis epithalamio, atque in tota vtriusque testamenti descriptione, tanquam in pleno epithalamio, dulcissimum consummatæ musicæ concentum? Musicæ inquam sublimioris, quàm illa Orphei, Amphionis, & huiusmodi: vbique autem, & passim ab eis veræ philosophiæ vtriusque haustus imbibes, dummodo bene philosophari didiceres. Ii sunt igitur à nobis sequendi duces: Ii doctores imitandi, ad horum quoque mensurã quæcunque molimur formanda. Verumenimuero Pater Beatissime, quod à plerisque memoriæ proditum est, non aliunde Mercurium, Aglaophemum, Orpheum, Hesiodum, Pythagoram, Architam, Platonem, Parmenidẽ, Charũdã Zamolsim, Lycurgum, & quotquot demum istos sequuti præclarè philosophati sunt, aut leges dederunt, sumpsisse, quod traderent: Hos etiam (vt omnes, quantum fas est, conuenire faciamus) eatenus admittendos duximus, quatenus harmoniæ nostræ, quam moliri statuimus concordes videbuntur: sicubi verò dissonabunt, non aliter, quàm inutiles chordas renuendos. Illos itaque antiquos patres è vestigio sequentes inter alia rerum nomina, sed potissimè ipsius opificis, Latinis nostris prout ipsi tradiderunt, reddere conabimur, vel saltem quoad fieri poterit propinquiora: vt & clarius exprimamus eorum profunda sensa, & sacramenta, quæ latent in suis illis characteribus descriptis, adeò, vt Origenes existimet ea in aliud idioma traducta propriam vim minimè retinere: Idcirco non leuis, aut curiosus nouitatis author censeri debeo, si verbis ipsis primigeniis, aut his admodum proximis vtemur. Nec superfluum iudicetur, & inutile, si aliqua sæpius repetere videamur, quia eadem cum diuersis coaptanda toties necessariò repetuntur, quoties coaptantur: Sunt enim diuersa cum diuersis, & eadem cum multis componenda, vt omnia concinna adinuicem demonstrentur: & ex omni parte omnium operum Domini suauissimus hauriatur cõsensus flante (vt precamur) diuino spiritu, & omnium rerum artifice: quem concentum omnimodum tribus canticis diapasonis complecti posse iudicauimus: hinc quodlibet canticum octo tonis, diapason videlicet perfecto, consummabitur: In primo itaque cantico vtriusque mundi adinuicem, & amborum cum archetypo consonantiam personabimus: In secundo de conuenientia rerum omnium cum Mesiah capite, & de eo, qui per ipsum Christum omnibus rebus ex peccato confractis, ac dissonis est restitutus concentus: In tertio de homine rerum omnium vinculo consonantissimo ad harmoniam reuocando cum omnibus, quæ in eo vinciuntur, & cum opifice, cui conuenire, imò vniri inditum est: In quibus (ni fallor) totum vtriusque mundi negotium, & disciplinarum multarum summa continetur. Verum Pater sancte, & si iuxta cómune adagium omnia noua placent, tamen ipsa noua plerunque æmulationem excitant: conniuentes etiam oculos nouo lumini non assuetos offendunt: vndè in odium conuersi sæpe oppugnare incipiunt, quod nondum bene perceperunt: Hinc me nasutis multis, & facilè obtrectantibus tam ex nouo procedendi modo, quàm ex aliquibus scintillis, iandiu sub cinere latentibus, seu ex silice nouiter excusis expositum non ignoro: Ideo Pater Beatissime hoc qualecunque opus, & omnia alia, quæ Dei auxilio noua molimur, cũcta etiã quæ in me sunt, censuræ tuæ, ac patrũ sacratissimi collegij tui summittenda duximus, & omnium qui obscuro lumine derelicto ad supremam, & splendidissimam lucem (quantum fas est) aciẽ direxerunt: Nec existimauerim Pater Sancte & Clementissime Clemens hoc nostrum qualecunque opus

Origen.

verè concinnum, nisi tua virtute, & authoritate omnibus membris ecclesiastici corporis reddatur suaue, & innocuus cibus sumentibus. Tibi igitur ipsum dicaui, qui Christi, in quo omnia, & per quem omnia in corpore hoc catholico vicem geris: vt sicut à Christo Dei verbo vitam & pulchritudinem suscipiunt omnia, sic opus istud, quod de omnibus tractat, per te fœlicius viuat, & pulchrum sit, & cunctis securum iucundumque epulum. Vale Pater Sanctissime, diuque.

INDEX HARMONICI VOLVMINIS TRIPARTITI SECVNDVM ordinem ipsius digestus.

INDEX TONORVM PRIMI CANTICI.

V I S *sit mundi progenitor, & qua harmonia superexcelsæ unitatis gaudeat.* Tonus *primus.*

Qua concordia rerum principia, & descriptores eorum conueniant, aut dissentiant. Ton. II.

Quo cōsonanti numero summus opifex in creata omnia descendat. Ton. III.

Quibus mutuis concentibus prima rerum genera conueniant ad inuicem, & cum archetypo. Ton. IIII.

Qua consonantia interualla eorum repleantur. Ton. V.

Qua concordia contineantur omnia in homine, tanquam in paruo instrumento. Ton. VI.

Qua sonoritate omnia etiā particularia in hoc feculento mūdo existentia cum archetypo conueniant. Ton. VII.

Quid sit ultimum, in quod omnia diapasonica consonātia reducuntur. Ton. VIII.

PRIMI TONI INDEX.

Vòd à *sanctis uiris diuino lumine collustratis de Deo discere possumus, quæ tractamus.* Cap. *primum.*

Quòd absque huiusmodi luce errarunt omnes de Deo loquentes per deuia quamplurima. Cap. II.

Etsi quid sit Deus intelligere non possumus, tamen Deum esse & oraculis, & ratione, & consensu omnium edocemur. Cap. III.

Quomodo per creatarum rerum uestigium, aut imaginem, & eorum consonantiam cum archetypo deuenire possumus in cognitionem eius fœcunditatis. Cap. IIII.

Quòd Deus sit omnium rerum, & numerorum fœcunditate plenus, ut possit omnia cōsonantissimè producere. Cap. V.

Quòd Deus sit unus. Cap. VI.

Quòd fœcundissima mēs illa prima, quæ Deus dicitur, ad intrà extráque produxerit. Cap. VII.

Quòd Deus mundum fabricauerit. Cap. VIII.
Mundi conditio nõ dat philosophis, ut concludant contra eius genituram. Cap. IX.
Neque motus idem præstat. Cap. X.
Minus itidem tribuunt gubernatores eius. Cap. XI.
Neque ab opifice procedendo probant, quod intendunt. Cap. XII.
Cur aberrarunt philosophi à catholica ueritate. Cap. XIII.
Rationes pro mundi nouitate. Cap. XIIII.
Cur ante, aut postquam Moses narrat, Deus mũdum non fecerit. Cap. XV.
Deficiunt philosophi, dum probare nituntur Deum necessariò agere ad extrà. Cap. XVI.
Progressus pro contingentia in diuino opificio. Cap. XVII.
Deus cognoscit particularia. Cap. XVIII

SECVNDI TONI INDEX.



Vanta dissonantia absoni reperiantur mundi sapientes in suis dogmatibus. Cap. primum.
Quòd catholici scriptores conueniant. Cap. II.
Quanta dissonantia mundi sapientes eius iecerint fundamenta. Cap. III.
Dissonant philosophi etiam in negotio animæ. Cap. IIII.
Quòd nec minus dissentiant in describendo eum finem quem omnia appetunt. Cap. V.
Vndè nostri consonantiam, & illi dissonantiam traxerint. Cap. VI.
Qui doctores, in diuino, & mundano instrumento circa penetralia personauerint concordes. Cap. VII.
Cur antiqui studuerint abscondere dogmata, quæ tradebant sub metaphoris, & ænigmatibus. Cap. VIII.
Quomodo possent dissonantes concordari. Cap. IX.
Conuentus sapientum in geniture mundi spatio. Cap. X.
Cur numerus senarius fabricæ, & septimus dies requiei addictus sit. Cap. XI.
Concordia antiquorum in rerum unitate. Cap. XII.
De prima rerum productione consensus. Cap. XIII.

TERTII TONI INDEX.

Vomodo unus per uiginti septem distendatur. Cap. primum.
Q Quanto ordine à Deo trino per ternarium fiat in fabricata omnia progressus. Cap. II.
Quomodo angeli per primum nouenarium simplici ternario correspondentem distribuantur. Cap. III.

Sicut Deus descendit in nos per tripartitum angelorum ordinem, ita per eos in Deum conscendere possumus. Cap. IIII.
De intelligentiarum authore. Cap. V.
Quomõ secũdo quadrato ternarij opifex cœlos fabricauerit. Cap. VI.
Quomodo planetæ, aut stellæ operentur in inferiora bonum, uel malum. Cap. VII.
Vndè proueniant mala, an ex influẽtis malitia, an mala dispositione recipientis. Cap. VIII.
Rationibus comprobantur, quæ sapientum sententiis iam decreta sunt. Cap. IX.
Quòd nec Saturnus, neque Mars, neque quodcunque aliud sydus sit malum, ut præferebatur. Cap. X.
An stellæ agant in nos, necne, & si agunt, utrum cogendo, aut disponendo. Cap. XI.
Qualiter tertio quadrato ternario elemẽtaria omnia produxerit omnium artifex. Cap. XII.
Cur quarternario numero elementa sint distributa. Cap. XIII.
Quòd elementa reperiantur in omnibus mundanis membris. Cap. XIIII.
De alia partitione rerum elementatarum, per quã tolluntur instantiæ, quæ possent fieri circa prædicta. Cap. XV.
Quòd elementa reperiantur non tantum in hoc terrestri mũdo, sed cœlesti, supracœlesti, & archetypo. Cap. XVI.
De figura elementorum secundum Pythagoreos, & Platonicos. Cap. XVII.

QVARTI TONI INDEX.



Vomodo angeli primi ordinis conueniant cum primo cœlo, quod primum mobile dicitur. Cap. primum.
Qua concordia Cherubini stellato cœlo respõdeant. Cap. II.
Confirmat hæc mirandum Ezechielis oraculum. Cap. III.
Thronorum quinque proprietates. Cap. IIII.
Qua consonãtia eisdem proprietatibus Saturnus coæquetur. Cap. V.
Dominationum decem proprietates. Cap. VI.
Quo concentu easdem omnes Iuppiter imitetur. Cap. VII.
De tribus coæquationibus Mauortis ignis cum uirtutibus. Cap. VIII.
Quomodo conueniant adhuc in aliis sex conditionibus. Cap. IX.
Magna melodia Sol in octo cum potestatibus cõueniens quasi diapason reddit. Cap. X.
In quinque participant principatus cum Venere. Cap. XI.
Qua cantilena Mercurius cum archangelis concinat. Cap. XII.

Quomodo denique luna coaptetur cum angelis. Cap. XIII.
Conuenit iterum terra cum luna. Cap. XIIII.
Aqua cum Mercurio, & Saturno intersonat. Cap. XV.
Aër cum Ioue, Veneréque reboat. Cap. XVI.
Ignis cum Sole, & Marte feruet. Cap. XVII.
Lapides cum cœlis succentant. Cap. XVIII.
Metalla idem faciunt, cum Marte potißimè. Cap. XIX.
Viuaciori sono respondent herbæ cœlis, maximè Ioui. Cap. XX.
Occentant zoophyta cum Saturno. Cap. XXI.
Intercinunt animalia cum stellato cœlo, & primo mobili. Cap. XXII.
Succentant eadem potißimè cum supercœlesti mundo. Cap. XXIII.
Quæ in particulari cum Saturno conueniant. Cap. XXIIII.
Quæ harmonizent cum Ioue. Cap. XXV.
Quæ robur à Marte suscipiant. Cap. XXVI.
Quæ cum Sole aut Phœbo concinant. Cap. XXVII.
Quæ cum Venere delicientur. Cap. XXVIII.
Quæ cum Mercurio intersonent. Cap. XXIX.
Qualiter omnia ista cum luna consummatã harmoniæ cõsonantiam deducant. Cap. XXX.
Quæ in particulari cum quibusdam particularibus stellis resonent. Cap. XXXI.
Quam bellè omnia hæc depicta sint in arca, quam cœlesti oraculo fabricauit Moses. Cap. XXXII.
Quanto mysterio omnes enneades in suo decimo cõueniãt. Cap. XXXIII.

QVINTI TONI INDEX.

CVR uicesimo septimo numero à Platone fiat illa prima descriptio. Cap. primum.
Quæ interualla eiusdem numeri repleri possit, & quæ non. Cap. II.
Cur ad maiores numeros reducatur hæc ordinatio. Cap. III.
Cur iterum ad maximos numeros reducatur. Cap. IIII.
Cur in huiusmodi descriptione Plato usus sit magis diatonico genere, quàm chromatico, & enharmonico. Cap. V.
Quo mirabili artificio in prima omnium creaturarũ, quã Hebræi ממטרון *dicunt, contineantur illi tres nouenarij qui.27.cubum uidelicet eorum complent.* Cap. VI.
Quòd idẽ numerus, & eodem ordine in superioribus uirtute quadam superexcellenti contineatur. Cap. VII.

Quòd ex unitate primi resultet in omnibus consonantia. Cap. VIII.
Qua nota heptachordum exaratum animæ conueniat. Cap. IX.
Quomodo tres illi nouenarij reperiantur in homine. Cap. X.
Quid sibi uelint illæ tres proportiones musica, geometrica, & arithmetica, quibus anima, & totus mundus disponitur. Cap. XI.
Cur septem limitibus mundi & animæ negotium complectantur Pythagorici, & Academici. Cap. XII.
Quomodo in mundo omnia, more Platonico loquendo, limitum eorum interualla repleantur. Cap. XIII.
Quòd ea, quæ de existentibus in sphæris dicta sunt, scripturæ sacræ conuenire uideantur. Cap. XIIII.
Quid poßit dici de complemẽtis interuallorum trium enneadum. Cap. XV.
Quomodo omnia suo numero, pondere, & mensura constituta sint. Cap. XVI.
Quibus causis interuenientibus hæc multiplicia genera cõducantur. Cap. XVII.
Quomodo omnes isti tres nouenarij adhuc cõtineantur in supremo nomine Dei & ab ipso emanent. Cap. XVIII.

SEXTI TONI INDEX.

DE modo procedendi, & concordia generali hominis cum mũdo maiori, & archetypo. Cap. primum.
Quòd homo imitetur mũdũ in figura circulari. Cap. II.
De proportione mensurarum in homine. Cap. III.
Consonantia membrorum, & liniamentorum eius adinuicem. Cap. IIII.
Quòd omnia includantur in homine sermo generalis. Cap. V.
Quanta elegantia elementa in hoc homine reperiantur. Cap. VI.
Quæ in ipso homine elementis respondeant. Cap. VII.
Ex compositis cum quibus lapides conueniant. Cap. VIII.
Quibus respondeant metalla. Cap. IX.
Quibus concinant quædam mixta mineralia mirando artificio. Cap. X.
Cum quibus planetæ uirescant & uegetent. Cap. XI.
Animales conditiones in homine uiuere omnibus patet. Cap. XII.
Quid de trãsmigratione animæ humanæ in bestias senserint antiqui, & quæ sit rei ueritas. Cap. XIII.
Quid de particularibus transmutationibus mira consonantia cum nostris deposuerint externi. Cap. XIIII.
Omnia contineri in homine sacro artificio describit Moses in

arca Noë. Cap. XV.
Cur animalia immunda bina ex utroque sexu, munda autem septena in arcam dicantur introducta. Cap. XVI.
Quòd omnes quoque cœli in homine contineantur. Cap. XVII.
Vndè unumquodque signorum zodiaci habeat denominationem, & quid agant illa animalia, à quibus denominãtur, cum sole. Cap. XVIII.
Cur illa signa, & præcipui articuli in homine sint duodenario numero distributi. Cap. XIX.
Correspondentia qualitatum cum planetis, & octauo cœlo. Cap. XX.
Quòd intellectus conueniat cum orbe signorum. Cap. XXI.
Rapit primum mobile cum corde, aut libertate animi ibi residentis. Cap. XXII.
Quæ constipentur, & solidentur cum Saturno. Cap. XXIII.
Quæ æquentur cum Ioue. Cap. XXIIII.
Quæ ferueant cum Marte. Cap. XXV.
Quæ uiuificentur, & clarescant cum Sole. Cap. XXVI.
Quæ mollescant cum Venere. Cap. XXVII.
Quæ acuantur, & penetrent cum Mercurio. Cap. XXVIII.
Quæ agitentur à Luna. Cap. XXIX.
Quòd ex proportione motuum planetarum ad inuicem, & cum octauo cœlo innuatur proportio uirium nostrarum. Cap. XXX.
De concordia admirabili rerum inordinatarum, & secum utriusque mundi. Cap. XXXI.
Quòd homo concinat cum angelis eos continens. Cap. XXXII.
Modulatur homo cum Deo ipsius templum, & imago existens. Cap. XXXIII.
De consonantia membrorum Dei & hominis. Cap. XXXIIII

SEPTIMI TONI INDEX.



Vthoritatibus, & rationibus probantur omnia habere in archetypo aliquid, cui respondeant. Cap. primum.
Cui maiestati materia prima succentet. Cap. II.
Cum quo stabiliatur terra. Cap. III.
Cum quibus cætera elementa in eodem resonent. Cap. IIII.
Quid inibi notent lapides. Cap. V.
Quam sedem illic habeant metalla. Cap. VI.
Quem locum ibidem plantæ. Cap. VII.
Cum quibus nostra hæc æquetur planities. Cap. VIII.

Quibus eleuentur montes. Cap. IX.
Quid desertum, & arida. Cap. X.
Quid frugifera terra. Cap. XI.
Quid mare & aquæ. Cap. XII.
Quid fontes. Cap. XIII.
Quid flumina, & canales. Cap. XIIII.
Quid piscinæ, lacus, & stagna. Cap. XV.
Quid mare rubrum. Cap. XVI.
Quid nubes, & pluuia. Cap. XVII.
Quid ros, & pruina. Cap. XVIII.
Quid grando, & nix. Cap. XIX.
Quid glaties, & crystallus. Cap. XX.
Quid paradisus uoluptatis. Cap. XXI.
Quid Gion, Physon Tigris, & Euphrates ex ipso paradiso fluentes. Cap. XXII.
Quid Iordanis, & Ieor fluuius Ægypti. Cap. XXIII.
Quid uinum, lac, butyrum, & mel. Cap. XXIIII.
Quid terra fluens lacte & melle. Cap. XXV.
Quid oleum. Cap. XXVI.
Quid palma, cedrus, lignum setim, & byssopus, atque salix. Cap. XXVII.
Quid uitis, & uinea. Cap. XXVIII.
Quid animalia sanctitatis. Cap. XXIX.
Quid capreæ, cerui, & hinnuli. Cap. XXX.
Quid oues, & pastores ouium. Cap. XXXI.
Quid aĩalia, pisces, aues, & plantæ mũdæ, & immundæ. Cap. XXXII.
Quid Ierusalem, Sion, & templum. Cap. XXXIII.
Quid Ægyptus, Babylon, & Damascus. Cap. XXXIIII.
Quid Arabia, mons Sina, & Mesopotamia Syriæ. Cap. XXXV.
Quid Amalech, Moab, Ammon, & Philistiim. Cap. XXXVI.

OCTAVI TONI INDEX.



DEVS omnia complet flatu, & uita suauissima. Cap. primum.
Quis sit iste, qui omnia complet, & quid de ipso cognoscere possumus. Cap. II.
Omnia uere tendunt in Deum. Cap. III.
Quo appetitu in eundem pergant. Cap. IIII.
Quo curriculo uehantur. Cap. V.

A quibus trahatur iste currus. Cap. VI.
Quid operētur angelici Dei ministri in isto attractu; comprobatur à scriptura sacra. Cap. VII.
Quomodo omnia per senarium à Deo egrediantur. Cap. VIII.
Qualiter per senarium in eundem redeant, & in Christum maximè, qui est uera quies, & uerum sabbatum. Cap. IX.
Qualiter per senarium ætatum reducatur genus humanum in ipsum Deum. Cap. X.
Quomodo homo particularis regulatè uiuēs deuenit in Christum sabbatum per sex ætates significatas per sex illos dies. Cap. XI.
Christus est uera requies, & uerum sabbatum. Cap. XII.
Cur completis operibus quinque dierum dictum sit, Vidit Deus quod bonum, sed completo opere sexti dictum sit, & erant ualdè bona. Cap. XIII.
Consummatur perfectum diapason in octonario. Cap. XIIII.
Qui cœli in sua reuolutione diapason perfectè conducant. Cap. XV.
De concētu cœlorum tam ex distantia, quàm ex consonantia motuum. Cap. XVI.
De consonāti fœcunditate in septenario numero planetarum. Cap. XVII.
De harmonica conuenientia septenarij planetarum cum duodenis signis. Cap. XVIII.
De uera cœlorum harmonia, quam aliqui non intelligētes falsò negant. Cap. XIX.
De concordia cœlorum cum supernis mentibus. Cap. XX.
Omnia in eundem deducunt, quia ab eodem suscipiunt, undè influant, quamuis influxus uideatur diuersus. Cap. XXI.

Procœmium secundi Cantici.

INDEX TONORVM SECVNDI CANTICI.



HRISTVS, & Mesiah est Dei sapientia, & uerbum omnia ratione ideali continens, & homo existens omnia inferiora actu complectens. Tonus primus.
Christus est uita, & sustentaculum omnium, cuncta uiuificans, & omnia ad se trahens. Ton. II.
Christus est uerus sacerdos, uerus panis, hostia, & sacrificium omnia purgās, & omnia pacificans. Ton. III.
Christus est summa ueritas, & lux omnes docens, & omnia collustrans. Ton. IIII.
Christus Pater omnium per ueram regenerationem effectus, & caput corporis mystici in omnia membra influit. Ton. V.

Christus est finis, & complementum omnium operum omnibus dans, ut operentur. Ton. VI.
Christus est rex regum, & summus Imperator omnia regẽs, & moderans. Ton. VII.
Christus est mediator, per quem omnibus datur transitus, ut in finem suum deueniant. Ton. VIII.

PRIMI TONI INDEX.



Esiæ deitas rationibus comprobatur. Cap. primum.
Idem comprobatur uaticiniis. Cap. II.
Quomodo sit in ipso Christo deitas, & uerbum, Cap. III.
In uerbo diuino continebantur omnia. Cap. IIII.
Ibidem omnia sunt numero, pondere, & mensura. Cap. V.
Cognitiones exemplares in mente summi artificis ideæ dicuntur, & sunt. Cap. VI.
Qui has ideas admiserint. Cap. VII.
Qui ideas respuerint, & quibus rationibus. Cap. VIII.
Errores sunt, & nõ rationes, quæ contra eas facere uidẽtur. Cap. IX.
Quid habeamus ex ideis. Cap. X.
Quòd omnis harmonia à uerbo procedit. Cap. XI.
Quomodo istæ ideæ intelligantur à nobis. Cap. XII.
Rerum necessitas, & omne esse ab ideis dependet. Cap. XIII.
Ibidem sunt etiam ideæ uirtutum, & regulæ, quibus conformiter uiuere debemus. Cap. XIIII.
Ibi sunt rationes moderantes honestas, & turpes actiones. Cap. XV.
Christus est uerus homo diuinitate plenus. Cap. XVI.
Sicut Christus in eo, quòd deus, continet omnia uirtute: sic in eo, quòd homo, continet eadem omnia in eundem excellentissima nota collecta. Cap. XVII.

SECVNDI TONI INDEX.

M Vltiplex, & unica est uita omnium. Cap. primum.
Vndè omnia sortiantur uitam. Cap. II.
Quid sit arbor uitæ. Cap. III.
Vbi plantata sit hæc arbor. Cap. IIII.
Qualiter sit formata ipsa arbor. Cap. V.
Quibus, & quomodo communicata. Cap. VI.
Quando, & cur uetita sit arbor. Cap. VII.

Quomodo omnia in ea arbore, & consequenter in Christo uiuant. Cap. VIII.
Christus est sustentaculum omnium. Cap. IX.
Cur non omnes sustententur ab eo. Cap. X.
Quomodo à terra fuerit exaltatus. Cap. XI.
Qualiter exaltatus omnia traxerit ad seipsum. Cap. XII.
Quomodo uirtutes & numina in plura uidebantur diffusa. Cap. XIII.
Christus liberans ab hac calamitate humanum genus deiecit tricipitem illam bestiam. Cap. XIIII.
Quomodo aduocauerit ad se omnia alia numina. Cap. XV.
Hoc dominium obtentum, & attractio omnium numinum ad se probantur euidenti facto. Cap. XVI.
Eadem comprobantur uaticiniis. Cap. XVII.
Quomodo distrahentia omnia tandem ammouebit, ut ad se unum omnia complete trahat. Cap. XVIII.
Quòd tandem trahet omnes attrahendos. Cap. XIX.

TERTII TONI INDEX.

Quid sit sacerdos, & eius officium. Cap. primum.
Quòd Christus fuerit uerus sacerdos, & omnibus refertus, quæ ad uerum sacerdotē, & summum pontificem spectant. Cap. II.
Christo tanquam uerò sacerdoti omnia sacerdotalia debentur. Cap. III.
Sacerdotis uestimenta quæ sint. Cap. IIII.
Quid hæc uestimenta ad sacerdotes, atque ad antistitem maximum conferebant. Cap. V.
Quid ad sacerdotes Christi pertineāt hæc figuratiua indumenta. Cap. VI.
Quid omnia illa uestimenta cum Christo, quem potissimè figurabant. Cap. VII.
Christus est sacerdos in æternum. Cap. VIII.
Cur Christus fuerit sacerdos iureiurando. Cap. IX.
Quomodo Christus fuerit sacerdos secundum ordinem Melchizedec. Cap. X.
Quanto maior, & melior sacerdos fuerit Christus, quàm Aaron, & omnes sacerdotes legales. Cap. XI.
Christus fuit uera hostia, & omnigenum sacrificium, & oblatio. Cap. XII.
Quomodo Christus fuerit uerus agnus. Cap. XIII.
De uirga Mosi, & cruce. Cap. XIIII.

Ad quid sacrificia, & cur hirci sorte delecti pro peccato offerri iussi sint. Cap. XV.
Cur par turturum, aut duo pulli collumbarum offerri iussi sint in purificatione partus & mulieris parientis. Cap. XVI.
Cur aues duæ offerebantur pro leproso mundando. Cap. XVII.
Cur simul cũ hirco uitulus siue bos pro peccato offerebatur. Cap. XVIII
Quid ouis, & agnus. Cap. XIX.
Quid de panibus propositionis, placenta azyma, lagana, panibus similæ, & huiusmodi oleo delinitis. Cap. XX.
Quid suffumerium, siue thuribulum, thus, & thurificatio. Cap. XXI.

QVARTI TONI INDEX.



Vid sit ueritas. Cap. primum.
Christus est ueritas. Cap. II.
Christus est legis ueritas. Cap. III.
Quomodo iota unum, aut unus apes legis non præteribit non completus, & non uerificatus in Christo. Cap. IIII.
Christus legem perfecit. Cap. V.
Quid sibi uelit uitula rubea, & eius cinis in sacris, & in expiatione coinquinatorum. Cap. VI.
Qualiter doctrina Christi sit summè uera. Cap. VII.
Quid cum ueritate legis ea, quæ Christus docuit. Cap. VIII.
Qua ueritatis rectitudine Christus Deus regat mundum. Cap. IX.
Quæ in ueritate de credendis Christus docuerit. Cap. X.
Quòd sola fides, quæ est pura credulitas, minimè sufficiat ad salutem. Cap. XI.
Eliminatio illorum fundamentorum. Cap. XII.
Quomodo intelligantur autboritates, quæ fidei tantũ tribuere uidentur. Cap. XIII.
Solutio magnæ difficultatis, quam afferũt dicta Pauli in epistola ad Romanos. Cap. XIIII

QVINTI TONI INDEX.

Q Vomodo Deus sit Pater omnium Cap. primum.
Quomodo Christus in natura humana iterum nos regenerans effectus sit uerus pater. Cap. II.
Cur in hac regeneratione exigatur à nobis fides. Cap. III.
Vndè generetur masculus, fœmina, uel androgynus. Cap. IIII.

Vndè similitudo perficiens imaginem generantis in genito. Cap. V.
Quomodo Christus omnes, quos generat, pascat, Cap. VI.
Quomodo, ut nauseam tolleret, hos cibos decoxerit. Cap. VII.
Hic qui genuit, & pascit, etiã ueluti bonus pater nos instruit. Cap. VIII.
Quam doctrinam nos docuerit. Cap. IX.
Breuis epilogus eorum, quæ docuit Christus de negotio hominis. Cap. X.
In quo gymnasio, & qua cathedra nos instruxerit. Cap. XI.
Quibus thesauris, ueluti bonus pater, ditet nos Christus. Cap. XII.
Quo peculio ditauerit filias. Cap. XIII.
Quod tandem legatum fecerit. Cap. XIIII
Quibus, & quanta legauerit. Cap. XV.
Quanta solẽnitate hoc testamentum celebrauerit. Cap. XVI.
Quomodo testamentum confirmatum sit. Cap. XVII.
Quomodo Christus non tantum pater, sed caput omnium effectus sit. Cap. XVIII
Qualiter Christus tanq̃ uerũ caput influat in omnia mẽbra. Cap. XIX.
Quam curam habeat Christus parẽs noster de nobis filiis, quos genuit, in subministratione rerum temporalium. Cap. XX.

SEXTI TONI INDEX.



CHRISTVS est author, & finis fidei. Cap. primum.
Christus non tantum fidei, sed cunctarum rerum causa omnia sua diuinitate replet. Cap. II.
Christus non est pars, neque totum, est tamen totum & pars. Cap. III.
Ex sacris eloquiis habemus Christum esse omnia. Cap. IIII.
Quòd adhuc ex scriptura sacra habeamus ipsum Christum multorum artificialium nomina sibi uendicasse. Cap. V.
Quòd etiam absque rapina Christus IESVS uendicauerit sibi omnia diuina nomina. Cap. VI.
Quomodo in nomine IESV omnia tam producta, quàm diuina nomina includantur. Cap. VII.
Cur solũ IESV nomẽ hodie inuocetur à ueris Dei cultoribus. Cap. VIII.
Qualiter ex scriptura sacra præfiguratum habeamus Christum esse fontem totius meriti, gratiæ, & gloriæ. Cap. IX.
Idem comprobatur uaticiniis. Cap. X.
Quam clarè Isaias hæc omnia unico reserauerit oraculo. Cap. XI.
Ex omnibus antedictis concluditur IESVS fuisse complementum non tantum operum Dei, sed nostrarum quoque operationum, atque meritorum, & cõsequenter dans, undè operemur. Cap. XII.

SEPTIMI TONI INDEX.

HRISTVM esse uerum Dominum uaticiniis Mosaicis prænuntiatum est. Cap. primum.
Idem comprobatur aliis uaticiniis. Cap. II.
Cur Christus non dicitur regnare in domo Abrahæ, cum ipsi fuerit de eo primo facta repromissio. Cap. III.
Cur nec in domo Izahac regnat, cui secundo repromissio facta est. Cap. IIII.
Cur angelico oraculo dictum sit, regnabit IESVS in domo Iahacob in æternum. Cap. V.
De fructibus huius domus, in qua Christus regnat. Cap. VI.
Quæ sit hæc domus, secundum allegoriam. Cap. VII.
Quanta consonantia tribus illæ apostolicæ distributæ sint iuxta partitionem figuratiuæ, & signa stelliferi cœli. Cap. VIII.
Qua distributione, & quo mysterio pro cœlorum aspectibus castra locauerint singulæ familiæ & tribus. Cap. IX.
In quot trigonos cœli distincti sint, cuique trigono, aut signo unaquæque regio sit subiecta. Cap. X.
In quibus prouinciis, & quibus signis subiectis prædicauerit unusquisque Apostolus. Cap. XI.
De conuenientia Apostolorum cum signis cœlestibus. Cap. XII.
Conueniunt etiam tribus cum imaginibus, ad quorum aspectus castrametabantur. Cap. XIII.
De concordia benedictionum, quas dedit Iahacob ad filios suos duodecim cum duodenis populis, quibus prædicarunt duodecim Apostoli secundũ ordinẽ signorum, quibus respondent. Cap. XIIII
Digressio, cur ordo primarius non seruabitur. Cap. XV.
Prosecutio concordiæ benedictionum Issacar, & Zabulon cum populis eorum. Cap. XVI.
De concordia benedictionis datæ Iehuda cum populo directo à signo ipsi correspondente. Cap. XVII.
De aliarum duarum benedictionũ tribuum huius trigoni concordia, cum signis, & populis ipsis conuenientibus. Cap. XVIII
De concordia benedictionum trium familiarum, quæ castra locarunt contra tertium trigonum, cum populis ab ipso directis. Cap. XIX.
De concordia benedictionum reliquarum tribuum, quæ castrametatæ sunt contra quartum trigonum, cum populis ab ipso directis. Cap. XX.
Digressio quare Paulo celeberrimo apostolo nulla fuerit assignata particularis tribus, aut regio. Cap. XXI.

Quid sibi uelit in castrametatione circa tabernaculum fœderis illa interiecta trinaria turma. Cap. XXII.
Quid innuãt septuaginta duo discipuli, quos princeps noster IESVS in Euãgelio elegisse dicitur. Cap. XXIII.
Quòd Christus regit, & gubernat totum corpus mysticũ & mundanum. Cap. XXIIII.
Explicatur id per oraculum. Cap. XXV.

OCTAVI TONI INDEX.



Hristus in sanctißima trinitate est persona media. Cap. primum.
Christus est uera arbor, in medio paradisi collocata. Cap. II.
Quid hæc diuina persona media cum natura humana, quã assumpsit. Cap. III.
Quomodo ex illa arbore inductum sit peccatum, & malũ in mundum. Cap. IIII.
Christus in hac uita semper oblectatus est medio. Cap. V.
Christus fuit optimus mediator. Cap. VI.
Per christum hominem conscendimus in Deum & Patrẽ. Cap. VII.
Quomodo secundum Apostoli sententiam Christus noui testamenti mediator sit. Cap. VIII.
Digreßio de bello indicto antiquis Patribus contra illos populos. Cap. IX.
An indigeamus medio, ut in hunc Christum redẽptorẽ deueniamus. Cap. X.

Procœmium in tertium & nouißimum canticum.

INDEX TONORVM CANTICI TERTII.



E animæ, & corporis, atque uirtutum concordia multiplici. Tonus primus.
De animæ cõsonãtia p rerũ intelligentias. Ton. II.
De hominis conuenientia cum intelligentiis, cœlis, & sacris. Ton. III.
De conuenientia omnium rerum cum homine bene chordato, ut poßit in cunctis operari, & omnibus imperare. Ton. IIII.
De cõsonãtia animæ cũ pprio spũ, & oĩbus aliis spiritibus. Ton. V.
De concentu suauißimo, quem faciunt homines bene chordati cum Deo. Ton. VI.
De corporis, & animæ harmonia mutata in melius per re-

surrectionem. Ton. VII.
De suauißimis cõcentibus, & pausa illa æterna in adepta beatitudine. Ton. VIII.

PRIMI TONI INDEX.



De ea, q̃ est in corpore cõueniẽtia, & symmetria. Cap. primum.
De ea cõsonãtia, quæ est inter corpus & animã. Cap. II.
Vndè in corpore dissonantia oriatur. Cap. III.
Vndè, & quæ inter corpus & animam consonãtia, uel dissonantia. Cap. IIII.
De temperando corpore, & dispositione tẽtorij per naturales medelas. Cap. V.
Quantum in huiusmodi temperamentis conducendis conferat prudentia, atque debitum regimen. Cap. VI.
Quãtum ad hæc cõducẽda ualeat unicuiq; sui uera cognitio. Cap. VII.
Temperatur, corroboraturq́ue corpus & consequenter totus homo cœlesti fauore. Cap. VIII.
Qua breui uia à cœlo, angelis & Deo fauorem hauri re possimus. Cap. IX.
Quomodo ualeat homo paruus mundus ab omnibus membris maioris mundi (cui simillimus est) fomentum suscipere. Cap. X.
De consensu animæ cum seipsa. Cap. XI.
De uirtutum concentu conducendo, ut poßit ex eis anima sanari, & oblectari. Cap. XII.
De consonantia uirtutum cum anima. Cap. XIII.

SECVNDI TONI INDEX.



Quid sit anima. Cap. primũ.
An omnes animas æquales creauerit opifex. Cap. II.
Cur in primæua distributione hac inæqualitate usus sit æquißimus iudex. Cap. III.
An ex hoc q̃ inæqualibus gradibus distribuerit à principio, & uariis donis & præmiis prosequatur mortales, censeatur opifex acceptator personarum. Cap. IIII.
Solutio aliquarum difficultatum. Cap. V.
Quomodo anima à principio nuda sit, aut appareat. Cap. VI.
Ad quem gradum intelligentiæ pertingere poßit anima. Cap. VII.
An semper intellectus ad id perueniat, ad quod peruenire posset. Cap. VIII.
Quibus mediis cognitionis gradum nobis præparatum attingere possimus. Cap. IX.
An per sensus exteriores procedendum sit, ut ad ipsum deue-

niamus terminum. Cap. X.
Quòd ueri & necessarij sint sensus interiores, quibus plura & certius percipi possunt, quàm per exteriores. Cap. XI.
An semper homo utatur his sensibus interioribus. Cap. XII.

TERTII TONI INDEX.



Vod symbolum, & quam conuenientiam habeat homo cum angelis. Cap. primum
An homo sit excelsior angelis, uel econtrario. Cap. II.
Quæ inuidia fuerit, & sit inter angelos, & homines. Cap. III.
An homines cum angelis conueniant in numero. Cap. IIII.
Qua æquissima lance eos, qui ex ipsis præuaricati sunt, dimiserit in nos hostes. Cap. V.
Quid possit homo à cœlis suscipere, ut melior fiat. Cap. VI.
Vndè cœli suscipiant fauorem, quem harmonicum influunt. Cap. VII.
Quid habeat homo cum sacramentis. Cap. VIII.
Quid habeat homo cum sacrificiis. Cap. IX.

QVARTI TONI INDEX.



E conuenientia quadam occulta rerum inter se, undè altera in alteram mirabiliter operatur. Cap. primum
Quæ conueniunt inter se, multo fœlicius congrediuntur in homine, qui est perfectissimum omnium uinculum, & præ omnibus diuinitate suffultus. Cap. II.
Quòd uates efficiatur homo bene chordatus aliquando multiplici suffragio inferiorum. Cap. III.
Quis, & undè efficiatur uerus uates. Cap. IIII.
Apologeticum pro uaticinio. Cap. V.
Omnia ad se deducunt homines bene chordati. Cap. VI.
Homines suo loco positi, & concini facilè rebus omnibus dominantur. Cap. VII.
Vnde sit hæc uis dominandi, quomodo perdita, & quomodo restituta. Cap. VIII.
Varia, & mira operandi, atque dominandi conditio. Cap. IX.
Quæ sint naturalia opera, quæ falsa, & quæ uera miracula, & quæ legitima dominandi uis. Cap. X.
Homo bene chordatus exauditur ad uota de quacũque re pe-

tierit. Cap. XI.
Solus homo bene chordatus cum Deo uiuit lætus. Cap. XII.

QVINTI TONI INDEX.



Vid sit spiritus. Cap. primum.
Quotuplex sit spiritus. Cap. II.
Quid agat spiritus in homine ultra animam. Cap. III.
Quam conuentionem habeat homo cum spiritu Dei. Cap. IIII.
Quod commercium habeat homo cum spiritu angelico. Cap. V.
Quid habeat homo cum spiritu diabolico. Cap. VI.
Quō intelligatur spiritus unius intrare in corpus alterius. Cap. VII.
Quæ consonantia deducatur inter spiritum & animam. Cap. VIII.

SEXTI TONI INDEX.



Omo Deum natura æmulatur. Cap. primum.
Homo effigiat archetypum in figura. Cap. II.
Corpus non minus conuenit Deo uestito, quàm ipsi nudo, & simplicissimo pura & expoliata materia (ut diximus) respondeat. Cap. III.
Cum in homine sint infimum & summum, atque intermedia, omnia facilè per ipsum hominem cum Deo conciliantur. Cap. IIII.
Cur anima in corpore, tāquam in fusorio uase purganda collocata sit. Cap. V.
Cur Deus hic collocauerit animam, & mentem uertibilem. Cap. VI.
Quomodo homo à Deo peccato dissideat. Cap. VII.
Sicut homo per peccatum à Deo deficit & dissidet, sic per pænitentiam reducitur & temperatur. Cap. VIII.
Sacramentis homo redditur perfectior in seipso, & cum Deo magis sonorus. Cap. IX.
Sacrificiis expiatur. Cap. X.
Eleemosynis abluitur. Cap. XI.
Personat uirtutibus. Cap. XII.
Lectione imbibit, undè modulari possit. Cap. XIII.
Meditatione præludit. Cap. XIIII.
Oratione modulatur. Cap. XV.
Contemplatione introducitur. Cap. XVI.
Amore unitur. Cap. XVII.
Extasi, & excessu transmutatur. Cap. XVIII.

SEPTIMI TONI INDEX.



N resurrectio sit poßibilis. Cap. primum.
An fuerit, & futuráne sit. Cap. II.
An resurrectio futura poßit probari rationibus. Cap. III
Quis primo dederit aditum resurrectioni, & quàm conuenienter. Cap. IIII.
Quæ de resurrectione habeamus à sacris eloquiis reserata. Cap. V.
Si aliqua cõiectura poßit dignosci quãdo hæc resurrectio futura sit. Cap. VI.
Cuius uirtute resurrectio conducatur. Cap. VII.
Quid sit uox angelica & Dei tuba. Cap. VIII.
Quæ mutatio corporum sit futura. Cap. IX.
Qui sint immutandi, & qui non, & cur. Cap. X.
Qua carne, & quo corpore suscitandi sint dormientes. Cap. XI.
Quis capillus non sit periturus. Cap. XII.
Quibus membris gauisuri simus. Cap. XIII.
Quo igne conflandi sint boni. Cap. XIIII.
Quo particulari igne cremandi sint mali. Cap. XV.
Quomodo mali cruciandi sint. Cap. XVI.
Resolutio difficultatis de hoc igne. Cap. XVII.

INDEX MODVLORVM ET CONCENTVVM OCTAVI TONI.

Modulus primus. Materia.



V R dicatur ciuitas illa ædificata ex auro. Con. primus.
Cur parietes ex iaspide. Con. II.
Quid sibi uelint duodecĩ lapides ĩ fundamẽto. Con. III.
Digreßio undè lapides habeant uim. Con. IIII.
Quæ sit uera materia supernæ ciuitatis. Con. V.

Modulus. II. Dispositio.

De generali partitione Ezechielis & Ioannis. Con. primus.
Cur in quadro posita sit hæc ciuitas. Con. II.
De portis eiusdem ciuitatis. Con. III.
Quæ Plateæ ibi sint. Con. IIII.

Modulus. III. Mensuræ.

De mensura particulari secundum Ezechielem. Con. primus.
De mensura primitiarum, aut decimarum. Con. II.
De mensura ciuitatis secundum Ioannem. Con. III.

Modulus IIII. Structura.

Quis eam struxerit. Con. *primus.*
Quomodo,& quo glutino compacta & unita sit. Con. II.
Cur nomina Apostolorum, & tribuum in fundamento, & in portis nomina angelorum cælata sint. Con. III.

Modulus. V. Ornatus.

Typica ornatus descriptio secundum Ezechielem. Con. *primus.*
Cur Ioannes non exprimat ornatum,sicut Ezechiel. Con. II.

Modulus. VI. Lux.

Quid sit lux in genere. Con. *primus.*
Quæ sit lux genita. Con. II.
Quomodo à luce omnia creata proueniant. Con. III.
Quomodo illustret lux. Con. IIII.
Quomodo ipsa lux accendat,& excitet. Con. V.
Quomodo ista lux amplificet,& dilatet. Con. VI.
Quomodo hæc lux lætificet,& beatificet. Con. VII.

Modulus. VII. Partitio.

Quod partita sit domus,& familia ista cœlestis. Con. *primus.*
De particularibus mansionibus, & sedilibus beatorum. Con. II.
De Mercaua,siue tribunali Dei secundum Hebræos. Con. III.

Modulus. VIII. Hospites.

Quot sint hospites illius ciuitatis. Con. *primus.*
De hospitibus angelicis. Con. II.
De hospitibus humanis. Con. III.
De hospitibus diuinis. Cap. IIII.

Modulus. IX. Sponsalitia.

Quõ,& quãdo initiatũ fuerit matrimoniũ ĩter Deũ,& aĩam Con. *primus.*
Quomodo fuerit contractum. Con. II.
Qualiter ratificatum. Con. III.
Quomodo consummatum. Con. IIII.

Modulus. X. Victus.

Quis panis paratus sit in hoc conuiuio. Con. *primus.*
Quod uinum. Con. II.
Quis panis,& quæ caro. Cap. III.
Qui fructus huius conuiuij. Con. IIII.
Quæ copia,& suauitas ciborum. Con. V.

Modulus. XI. Instrumenta.

De primo instrumento,quod est cœlorum globus. Con. *primus.*
De secundo instrumento,quod est humana lingua. Cap. II.
De tertio instrumento,quod est corpus nostrum. Con. III.

De quarto instrumento, scilicet lingua angelica. Con. IIII.
De mentibus angelicis, & beatorum, quæ & ipsæ instrumenta sunt resonantia. Con. V.
De flatu præstante sonum omnibus istis instrumentis, qui Spiritus sanctus, & uerbum diuinum est. Con. VI.
Quid sibi uelint illa istrumenta quæ commemorantur in Dauidicis hymnis. Con. VII.

Modulus. XII. Epithalamia.

Quis epithalamia cantet. Con. primus.
Epithalamium in sponsam. Con. II.
Epithalamium in sponsum. Con. III.
Epithalamium in cōnubium. Con. IIII.

Modulus. XIII. Triumphus.

Quæ sit iusta pugna. Con. primus.
De āplissima uictoria habita à Xp̄o p̄ se, & p̄ militibus suis. Con. II.
Triumphi Gloria Imperatoris, & militum. Con. III.
De triumpho diuersorum ducum post Christi recessum. Con. IIII.

Modulus. XIIII. Præmium.

Quàm magnum, & pretiosum sit pugnantium præmium. Con. primus.
Quòd illud præmium sit iucundum, & æternum. Con. II.

Modulus. XV. Imperium.

De amplo principis imperio. Con. primus.
Quàm sit iustum eius principis imperium. Con. II.
De regno commilitonum. Con. III.

Modulus. XVI. Pax.

Quid sit pax. Con. primus.
A quo detur pax. Con. II.
Quàm suauis, & concinna sit ipsa pax. Con. III.

Modulus XVII. Vnio.

De beatorum unione cum Deo. Con. Vnicus.

Modulus. XVIII. Fœlicitas.

Quis sit fœlix, & beatus. Con. primus.
In quo consistat fœlicitas. Con. II.
Quibus fœlicitas perfecta detur. Con. III.

Modulus. XIX. Omne bonum.

Quid sit bonum, quod dicitur uerum, & summum bonum. Con. Vnicus.

Modulus. XX. Silentium.

De pausa, quiete, & silentio, ad quod deuenitur adepto iam bono, in quod tendimus. Con. primus.
Hymnus soluendus in silentio soli Deo pura & eleuata mēte. Con. II.

INDEX MAXIME NECESSARIVS EO-rum, quæ ex totius operis sylua colligi potuerunt, antehac nunquam æditus. In quo quidem numerus primo loco positus, folium indicat. Alter verò caput in quo summarium continetur, ostendit.

A


Aron sacrificandi peritiã signat in lege. 243.18
Aaron quidem de uirtutibus lapillorũ scripsit. folio 80. *caput* .28
Abadon *quõ interpretatur.* 309.12
Ab arte ergo quẽadmodũ non ꝓcedimus ad naturã, ita nec à natura ad Deum procedendum argumentando. 11.9
Ab *arte ad naturam non argumentandum sic, Ars præexigit cõpositum, aurum, faber ærarius æs & metallum, ergo & naturale agens compositum præexquirit, Nam ars naturam imitatur, nõ contrà, Vndè sic errant philosophi, putantes Deum præexigere subiectũ, ut naturale agẽs facit.* 11.9
ab Au*stro uenire, est cum lumine ueritatis, & cum gratia, & misericordia* 133.8
abraham pater fidei gerit magni patris imaginẽ quomodo intelligẽdũ. 299.3
abrahã quomodo interpretatur. 299.3
abraham cur asinos equitauerit. 419.3
abrahã ubi Astronomiã didicit. 318.20
abraham quid docuit Ægyptios 2.1
abraham iustificatus, quòd non in propriis meritis, nec in seipso, nec in operibus legis 263.14
abraham prius abrã dicebatur. 429.3
abraham domesticum habuit angelum Zadchiel 363.1
Abraham *in fornacem proiectus est à* Chaldæis 7.6
Abraham *in lib. de formatione quid de decem* 191.5
Abraham *à* Chaldæis *multa passus. folio* 173.10
Abraham librum de formatione edidit. folio 50.12
Abrahã primus ĩ sacris literis Hebræus *dictus est, & dicitur ab habar quod est transire.* 447.2
Asclepiades medicamentis omnibus abiectis, quinque res communium auxiliorum professus est. 340.8
Absorpta mors in uictoria, pulchra expositio 404.4
Abstinentia multorum uirorum prudentium qualis 340.6
Academici alias mansiones, quàm in hoc seculo pro bene uel malè merentibus fatentur 273.10
Academici multa de Mosaicis *in suam philosophiam traduxerunt* 3.1
Academici ultra peripateticos in hominis rationem quoddam diuinum addunt 272.10
Academici (maximè Proculus*) sanctissimè unionẽ omniũ rerũ docẽt.* 190.5
Academici dæmones corporeos dicunt. folio 412.16
Academici diuini 57.2
Acade. aĩam mũdi cõfitẽtur oẽs. 264.6
Academicorũ cũ peripa. de cœlorum uolubilium concentu concordia. 180.19

academicorum princeps Plato 35.11
academicorum de lapidibus sententia. folio 420.4
academicorum & catholicorum magna fermè ubique concordia 57.2
accepta per diuina oracula, mente pura læta, & festiua suscipiuntur consonantia 9.8
acceptor personarum quis 352.4
accidentia omnia substantiæ innituntur. folio 167.3
achesuaros rex persarum 315.18
acria dulcedinem mistam habentia Soli dicata 79.27
actiones suppositorum & singularium sunt 189.3
actiua exemplaria quid 56.1
actiuo & passiuo omnia generantur. folio 90.9
adæ præuaricatio, peccatum quasi in spiritum sanctum 185.1
adad lingua Assyria solũ signat. 74.17
adam tribus literis apud Hebræos scribitur prima aleph, quæ diuinitatẽ: secũda daleth, quæ cœlestem naturam: tertia mem, quæ corporeum corruptibile. 103.5
Adam lapsus, Abrahã perfectus. 429.3
Adam uestitus ex pelle post peccatũ magno mysterio 136.1
Adam familiaris cum angelo Raziele. folio 363.1
Adamas in pretio est, apud diuites mundi, sed à uiris diuinis repudiatur. folio 418.3
A Deo optimo egreditur bonum & malum 143.18
Adonai Elohim hominẽ puluerẽ de terra formauit 97.17
Adonai Zebaaoth quid 182.21
Adonai Vexillifer dictus quare. 333.9.
Adonai Christo competit 455.3.
Aër non connumeratur (Abrahamo authore in libro de formatione) inter elementa 129.4
Aër ab Hebræis, spiritus continens & copulans cætera elementa 204.6
Aër cum Ioue & Venere reboat. 73.16
Aër non elementũ, sed elementorum uelut medium, glutinum & compago. folio 129.4
Aër non tanquã materia, sed ueluti glutinum & spiritus cætera tria elemẽta connectens. 129.4
Aër subtilem Dei spiritũ signat 68.11
Aër tantũ uitæ habet ut ne momẽto quidem temporis animaliũ aliquod uiuere possit sine eo: ideo Hebræi eũ spiritũ sæpius uocãt, quia uiuacissimus est 204.6
Aëris figura ex octo basibus, & sex angulis solidis, & uigintiquatuor planis folio 54.17
Aegyptij à quo medicinam 18.14
Aegyptij auro & argẽto opulẽti. 75.19
Aegyptij ab Assyriis literas edocti. 2.1
Aegyptij Io Deam colunt 2.1
Aegyptij statuas Deorum tales construxerunt ut loquerentur 379.9
Aegyptus, Babylon, & Damascus, quid folio 159.34
Aegyptus δέλτα figuram retinet Nilo inclusa 149.22
Aegyptus irrigua quid significet. folio 137.11
Aemilius quid de Ioannis euangelio. folio 190.4
Aerariam fabricam alij Chalybas, alij Cyclopas inuenisse dicunt 19.14
Aesculus in astronomia peritus 21.16

Aetites fœtum ad se trahit 370.1
Aetates hominum describuntur 125.11
Aetatum temporum descriptio, & quibus rebus floruerint 17.4.10
Aeterna esse non possunt quæ successiua sint 19.15
Aeternum successionem nõ habet. 19.15
Aethiopes undè 315.18
Aethiopes non planè nigri undè sint, qui sint, & quomodo uiuant Cingani nuncupati 315.18
Afflictio multa uiris bonis in hac uita, non tamen citò dominũ consequũtur, quod in Iabacob est notandũ. 300.4
Affirmãtibus duobus plus creditur, quã mille negantibus 20.16
Agam quid sit 140.15
Agareni undè uictitabant 315.18
Agens naturale determinatum, ac motui, temporique, & successioni subiectum, ab eo qui omnibus naturæ legibus est solutus, deficit 12.9
Agens naturale formam inducit substantialem, & præsupponit materiam à Deo effectam 12.9
Aggregatio ecclesiæ, aut relatiuũ illud minus potest concipere, & generare homines, neq; secundum carnem, neq; secundum spiritum. 266.2
Agni typici mysterium 244.19
Agni & lactucarũ mysteriũ. 244.19
Agnus & ouis quid 243.19
Agros non omnino demetendos agrario præcepto sancitum est 48.11
Alaazel uel spica Venerea in gradu 15 Libræ. folio 82.31
Alabastrites undè 75.18
Ala Corui sinistra in 12 gradu Libræ. folio 82.31
Ala Corui dextera in 7 gradu Libræ. folio 82.31
Alacritas, & mores amici sanguinẽ indicant 102.4
Albertus magnus caput æneũ ita excudit, ut caput illud loqueretur. 379.9
Alchameth in 17 gradu Lib. fol. 82.31
Alcinous in lib. de doctrina Platonis ideas ponit 192.7
Alcinous Platonicus quid de orbis creatione 9.8
Aldebara in 25. gradu Arietis 82.31
Aleph quid significet 167.3
Aleph quam mysteriosum sit 89.6
Aleph principium literarũ, unitatẽ significat principium numerorũ. 98.18
Aleph, daleth, mem, in nomine Adam, in homine tria inesse signant 103.5
Aleph, mem, sin tria, quibus omnia constant, innuunt elementa 96.17
Alexander Milesius cũ Gregorio Nazianzeno qd de mũdi harmonia. 163.1
Alexander Aristotelis assecla animam mortalem facit 26.1
Alexander Milesius quid de Deo omnia complente 166.2
Alexander & Eupolemõ quid de Noë deponant 2.1
Alexander Peripateticus opinatus uirtutẽ lapidũ ab ipsis elementis aut qualitatibus prouenire, quod ostenditur esse falsum 420.4
Alexander natus, asiæ pernicies prædictus à magis 372.3
Algazel Saracenorũ splendor. 14.12
algazel pro mundi nouitate dimicat & quiete 14.12
algazel soluit propositionẽ, Instans est præte. fi. & fut. principium. 13.10
algazel quid de hominis creatione sentiat 99.1

algendum quare est nobis 355.6
alienum esse ab officio boni uiri arcana diuina propalare Mercurius asserit. folio 467.1.
aliud est quærere unum, & tendere in unum, quàm effici unum 461.1
Alleluia laudate Iab significat. 83.32
alleluia quare tempore pœnitentiæ non dicitur, quod interpretatū est, laudate Iab 333.9
alleluia quando Dauid cantauerit, quādo non 333 9
alleluia quid 290.8.
Alpharabius in libro de entibus mutatis, Ioannis sapiētiā ponderat, & multi facit 190.4
Alpetragius ideas à substantia cœli esse putat 190.4
alteritas in particularibus dominatur. folio 92.11
alteritas productarum rerum arithmetica proportionē declaratur 91.11
altitudo murorum, alia ciuitatis 426.3
Amalech, Moab, Amon, & Philistini, quid signent mysticè 161.36
amalech principium gentium. 161.36
Amalech diabolum typicè significat. folio 162.36
amare non possumus nisi præcognitum. folio 115.22
ambitus terræ cum magnitudine ciuitatis Dei non est cōparandus. 422.2
ambrosia suauissimus hominis spiritualis cibus 443.1
Ambrosio Mediolanensi episcopo quid contigerit infanti 169.6
Ametystus fœcundat steriles, & ebrietatem extinguit 419.3.
Ammon non ab harena, sed ab ammo, id est mammona dictus 75.19
Amor & timor ad omne rectè factum ducunt 154.28
Amor & timor adducit ad omne peccatum 154.28
Amor reciprocus quando declaratur. folio 452.1
Amor secundum Dionysium quid sit. folio 461.1
Amoris naturalis sedes humida calida. folio 48.10
Amoris effecta 73.16
Anauchitides imagines deorum euocat. folio 420.4
Anagogicus sensus & diuinus quis. folio 397.13
Anaxagoras qui ab Anaximene disciplinam accepit, quid sentiat 4.2
Anaxagoras cœli cōtemplator. 204.6
An per sensus exteriores procedendum sit, ut ad ipsum deueniamus terminū. folio 359.10
Anaxagoras quid per unumquodque in quolibet intellexerit. 39.1
Anaxagorei quam de ideis habeant sententiam 190.4
Anaximander Lacedæmoniis terremotum imminentem indicauit 372.3
Anaximander natiuos esse Deos, & innumerabiles mundos esse dicebat. folio 4.2
Anaximenes aërea Deum statuit. 4.2
Anchoram Tyrrheni inuenerunt primi 19.14
Ancha à Galeno os sacrum dicitur. folio 119.27
Anessama quomodo interpretatur. folio 450.7
Anima soluta à corpore an statim pertingat ad metā, an si adhuc proficiat uaria est opinio 464.3

Angeli administratorij spiritus non tantum Dei, sed etiam hominum. 363.2
angeli dicuntur spiritus 385.5
Angeli & homines in muneribus conueniunt 351.1
angeli Seraphini qui 437.3
angeli Dei ministri quid operētur in isto tractu. 170.7
Angeli hominum negotia disponunt. folio 72.13
angeli syrenes dicti secundum Platonem folio 446.1
angeli diuini silentij enunciatiui 466.1
Angeli linguam habent 448.4
Angeli septē, sphæris septem præsunt. folio 438.2
angeli qui quibus planetis præficiuntur. folio 44.6
Angeli clientulis suis fauent 343.9
Angeli quare intelligentiæ dicuntur. folio 356.7
Angeli singuli hominibus singulis custodes assistunt 439.2
angeli minutissimis subministrāt. 439.2
Angeli creatricis ueritatis participes. folio 448.4
angeli uocem sensibilem emisisse dicuntur 449.4
Angeli sanctorum patrum duces extitere 170.7
Angeli sacerdotes dicuntur 429.3
Angeli Ophanini qui 437.3
Angeli inferiores à superioribus illuminantur 57.2
Angeli opera manuum Dei 364.2
Angeli qui quibus fuerint familiares. folio 71.13
angeli officium 429.3
angeli distributi quomodo 429.3
angeli septem principes 429.3
Angeli mouentur à patre 181.20
angeli quibus incrementa uitæ & fomēta dederunt 343.8
angeli non magis rerum creatores, quam agricolæ fructuum 43.5
angeli omnium infimi quinque modis inferiora procurant 71.13
angeli in nouem ordines diuisi 439.2
angelis uirtutibus uocatis cōmissum est bellum in immundos spiritus 64.8
angelis Deus mandauit de te, non tantū in Christo, sed in quocunque homine locum habet 386.5
angelorum quintus ordo uirtus appellatur 64.8
angelorum ordines & Dionysius & Iāblicus, & nouitiores theologi asserunt 41.3
angelorum officium quod 171.7
angelorum primi ordinis cum primo cœlo consonantia 55.1
angelorum motus qualis 350.1
angelorum quilibet ordo quibus præsideat, ad finem capitis 5. fo. 61.5
angelorum ordines omnes cū thronis cōiunguntur 61.5
angelicæ mentes bipartitæ 438.2
angelus proprius sequendus 343.9
angelum lapsum docet Ægyptiorū splēdor Trismegistus 46.9
angelos habere corpora 411.16
angelos esse nō solū sacræ literæ, sed & philosophi naturales docent. 123.32
angelos præesse rebus omnibus inferioribus etiam insensatis ex Origenis sententia 171.7
angelus nulla ignorantia, nec fragilitate carnis obuolutus propria malitia peccauit peccato ī spiritū sanctū. 146.21
Angelus minor quàm homo 185.1

Anima in corpore tanquam in fusorio uase collãda cur sit collocata. 391.5

Anima in corpore inclusa forsitã & pficitur & simul perficit 391.5

Anima est in corpore ueluti forma perficiens ipsum corpus, inquiũt Peripatetici, & theologi 391.5

Anima animalis in sanguine eius, inquit Moses 105.9

Animalia à principio non fuisse producta uenenosa, & inimica humano generi, nisi post peccatum 377.7

Anima quid possit in unoque membro. folio 94.15

Anima quamuis tota operetur, non tamen secundum se totam, & si nõ sit diuisibilis 49.15

Anima à corpore semota uult, intelligit, secundum locũ mouetur 94.9

Anima in corpore collocata perficiendi & expurgandi gratia 392.6

Anima est quodammodo omnia 350.1

Anima in securitate quiescet quandoque 453.1.

Anima à carne uicta grauitatem corporis induet 412.16

Anima omnium rerum in se gerit imaginem 103.5

Anima omnium rerũ similitudo. 303.5.

Anima secundum Peripateticos à principio est tabula rasa 355.6

Anima quam naturam induat descendens in hominem 168.5

Anima quoniam à Deo immediatè, immortalis 13.10

Anima nostra gaudet lumine 435.7

Anima suprema, intellectus, mens, lux, portio superior dicitur 384.1

Anima quid sit 349.1

Anima forma est corporis, & subiectũ uirtutum 349.1

Anima in corpore inclusa, dissonantiam patitur 395.12

Anima & spiritus diuersa in homine, iuxta Hebræorum & Platonicorum sententiam sunt 385.3

Anima ad quem gradum intelligentiæ pertingere possit 356.7

Anima donis non differt 351.2

Anima in minori mundo triplici differentia disposita est 336.2

Anima quomodo sit numerus 90.9

Anima & spiritus idem à Peripateticis censetur 385.3

Anima diuersis coloribus 430.1

Anima est immortalis 403.3

Anima immortalis, ut Deo sempiterno frui perpetuò possit 403.3

Anima per ueram philosophiam curanda 346.11

Anima uiuificat corpus 324.24.

Anima mundi quid 166.2

Anima uaria in effectibus, una in se. folio. 94.15

Anima quid sit non compertum, sed adhuc certant, & sub iudice lis est. folio 29.4

Anima est immortalis, inquit Pythagoras, cũ illud undè auulsa est, immortale sit 272.10

Anima Auroræ comparatur 452.1.

Anima omniũ domina quomodo 452.1

Anima aquea quid 148.22

Anima à centro in quo semel defixa, nõ potest diuelli 107.13

Anima uniuersalis aliarum omnium rationes habet 93.13

Anima moriens mundo, soli deo uiuit. folio 452.1

Anima unica & multiplex 90.9

Anima unitatem habet in ipso intellectu, & multitudinem ad inferiora tendens 90.9
Anima unica, ad inferiora tendens diuiditur 90.9
Anima quid sit uariè à uariis definitur philosophis 28.4
Anima rationalis mediũ quoddam inter animale inferius, & diuinum superius. 384.1
Anima quomodo corporea sit. 384.1
Anima forma ĩmediata corporis. 384.1
Anima est harmonia superior 350.1
Anima principium intelligendi, sentiendi & secundum locum mouendi 118.26
Anima bibit de gurgite lethe quando. folio 355.6
Anima ignis tormentum non pateretur, nisi aliquo modo esset corporea. folio 385.4
Anima in principio quomodo nuda sit aut appareat. 355.6
Anima harmoniæ quadrifariam particeps 92.12
Anima ut Deum laudet primam puritatem habere debet 450.7
Anima nõ tristatur, neq; gaudet. 388.1
Anima partibilis & impartibilis. 90.9
Animal dissolutoriæ naturæ hõ 386.8
Animalem uim inferiora à sole excipiũt folio 76.20
Animales conditiones in homine uiuere folio 106.12
Animalis homo, aut sapientia mundi non percipit quæ sunt Dei 165.2
Animalium genus uirosum in pœnam hominis rebellantis 377.7
Animalium aliud frigi. aliud cal. &c. folio 53.15
Animalium finis immediatus quis. 13.11
Animalium ultimus finis quis 13.11
Animalia cuncta hominẽ timere. 378.8
Animalia quæ pro quibus offerantur in lege 243.19
Animalia sanctitatis quæ sint 155.29
Animalia esse in Deo 155.29
Animalia ab Ezechiele uisa q̃d. 155.29
Animalia cum stellato cœlo & primo mobili intercinere 77.22
Animalia immunda bina, munda autem septena cur in arcam introducta. folio 110.16
Animalia omnia calore nutriuntur. folio 410.14
Animalia quæ ex putrefactione fauore Saturni generari 76.21
Animalia quæ Phœbea dicãtur. 79.27
Animalia quæ Lunaria 81.30
Animalia prophetis demõstrata. 438.3
Animalia sanctitatis quatuor, & quid significent 437.3
Animalia quæ à Mercurio regantur. folio 80.29
Animam esse circulum, uel numerum nõ secundum materialem mathematicã. folio 36.12
Animam numerum esse quomodo intellexerunt 350.1
Animam nostram supremam, Aristoteles intellectum agentem uocat. 93.13
Animam humanam impossibile non amare aliquid 110.15
Animam passibilem reddit corpus peccatis obnoxium 408.10
Animam tristari, uel gaudere qui dixerit, hanc texere, uel retexere dixerit 388.1
Animam hominis esse templum Dei Xistus Pythagoricus dicebat. 123.33
Animarum transformationes 107.13

Animam in corpore uertibilem, & mentem mutabilem cur Deus collocauerit 391.5
Animas, angelos, dæmones, à terreo corpore separatas, ætherea habere corpora aliqui dicunt 412.16
animas humanas in bestias transmigrent necne 107.13
animas inesse lapidibus ex priscorū sententia 104.8
animas differre dicēt theologi Parisienses 350.2
animas nostras in sphæris collocari. folio 94.14
animas omnes æquales an crearit opifex folio 350.2
animæ corruptibiles, ac mortales ex communi consensu Peripateticorum, de gremio materiæ egrediuntur folio 195.10
animæ autem intellectiuæ an sint mortales, uel immortales, nec undè ueniant determinarūt, sed Ari. eorū princeps dubius de ea loquitur aīa 195.10
animæ cur tanta inæqualitate distributæ sint 351.3
animæ & corporis quatenus naturalia dissidium nullum est. 338.4
animæ facilius curantur curatis corporibus 339.5
animæ potentiæ tres 387.1
animæ regressus uaria opinio 337.2
animæ naturā in difficilimorum numero ponit Aristoteles 28.4
animæ numeri sunt congenij 350.1
animæ sedes primaria cor 118.26
animæ consensus cum seipsa 345.11
animæ pretium quod 273.10
animæ primaria sedes cor 60.4
animæ temperametum quid sit 393.8
animæ definitio ab Aristotele 349.1
animæ notitia difficilima secundum Aristotelem 349.1
animæ substantia est totum habens partes 90.9
animæ consideratio cur cadit sub physicam determinationem 350.1
animæ diffinitio 90.9
animæ partitio ab efficiēte causa. 90.9
animæ reditus in Deum quibus & quot rebus efficitur 69.12
animæ definitio Aristol. effectum potius quàm essentiam & originē describit. folio 28.4
animæ potentia triplex 91.1
animæ nostræ superiorum participant. folio 93.13
animæ distantia ab alia 351.2
animæ reditus in Deum triplex. 69.12
animæ quam habeat opinionem Trismegistus 93.13
animi sordes non emanant à superioribus fontibus 46.8
animos alij immortales, alij mortales, alij reuolui in bestias, alij nequaquam. folio 30.6
animus omnis inordinatus iussu Domini sibi pœna est. 412.16
Animus nisi diuinus factus Deum uidere non potest 465.3
anni ut sunt dies 365. ita corporis humani totidem articuli 171.8
annis septingentis sexdecim exactis (à libro authoris ædito) iudicium futurū. folio 406.6
annorum numerus, à creatione mūdi ad Christum 326.25
Annorum terminus contractus quando, & quare 326.25
antè aliud quàm partem temporis signi-

ficat apud nostros, & etiam externos in arte dicendi pertissimos. 13.10
Antè interdum æternitatẽ, interdum anteriorem partem loci, interdum superiorem 13.10
Antè, post, fuit, erit, malè ad diuinã substantiam transferuntur 19.15
Antè & pòst assignari non possunt seclusa mundi machina 19.15
Antè, peripatetici angustant ad partem temporis significandum, quod nõ semper facit 13.10
Antemnas Dedalus inuenit 19.14
Antichristo quæ potestas, & quando committetur 455.3
Antichristus qualis & quomodo regnare debeat 214.10
Antichristus ab Italia uenturus prædicitur 214.16
Antichristus quo exitio periturus. folio 214.16
Antichristus & Antideus quomodo interpretantur. 298.1
Antichristus hæresiarcha ex qua tribu orietur 319.20
Antiquorum theologorũ de anima sententia 355.6
Antisthenes populares Deos multos, naturalem unum esse dicit 4.2
Appelinem pro Apollinem cur antiqui dixerint 90.9
Apes quomodo renouentur & renascantur 401.1
Appetitu quonam in Deum omnes tendant 167.4
Appetitus in rebus duplex 167.4
Apologeticon pro uaticinio 375.5
Apolló supramũdanus quis 346.11
Apollo & Æsculapius medicinam ampliarunt 18.14
Apollonius ductus ad Brachmanas elephantibus pharaotis regis Bactrianorum 378.8
Apollonius quid Damo indiuiduo comiti dixerit de elephante à puero ducto 378.8
Apostoli quare linguæ dicti 448.4
Apoplexiæ causæ. 116.23
Apostoli angeli officio fungẽtes. 429.3
Apostoli ecclesiã in duodecim mũdi partibus fundauerunt. 429.3
Apostoli duodecim præcipui fructus arboris uitæ sunt 445.4
Apostoli principes dicti sunt 456.4
Apostoli duodecim sedilia sortiuntur in domo cœlesti 437.2
Apostoli quibus regionibus prædicarunt folio 305.8
Apostoli cum imperatore summo consequentes quare 456.4
Apostolicæ tribus quanta consonantia distributæ sunt, iuxta partitionem figuratiuæ familiæ, & signa stelliferi cœli 305.8
Apostolis utriusque hominis sanandi potestas credita est 339.5
Apostolorum & interpretationes nominum 308.12
Apostolorum cõuenientia cum signis cœlestibus 308.12
Apuleius dum conaretur fieri auis, factus est asinus 380.9
Apuleius Madaurensis quid de Deo omnium rectore, 202.2
Apuleius quid de harmonia mũdi. 163.1
Aqua uiua Deus filius est 130.6
Aqua cum Saturno & Mercurio conuenit 272.15
Aqua rerum seminarium 59.3
Aqua Sapientia Dei, petra pater. 129.5

aqua cur terram non obruat 52.14
aqua quali nos renasci oporteat. 266.2
aqua qua renascimur est filius Dei. folio 266.2
aqua Dei clementiam pietatémque significat 68.11
aqua elementaris in baptismo illius supramundanæ aquæ uiuæ est signum. folio 128.3.
aqua uiuit, cui animalium germen attributum est. 204.6
aqua cum Dei filio conuenit 128.4
aqua maiori ex parte constare elementa 52.14
aquam ab aqua pro regione, situ, & aëre, in bonitate & pondere differre. folio 53.15
aquam Neptunũ uocant poëtæ. 48.10
aquam omnium principium existimauit Thales Milesius 26.1
aquario cum Saturno quæ regiones sint subiectæ 396.10
Ibidem cætera signa & regiones subiectas inuenies.
aquæ supercœlestes nisi obstaret cœlum, fœcundiores has inferiores redderẽt folio 137.12
aquis quibus renascimur 138.12
aquæ deficiunt læsi carmine fontis. folio 380.9
aquæ tanquã pedissequæ Lunam sequũtur. 72.14
aquæ figura ex uiginti basibus, & angulis duodecim 54.17
aquæ supercœlestes sunt angeli. 139.12
aquæ figura icosaëdra 83.32
aquæ in sublimioribus quæ 447.2
arabes in sua theologia quid de angelis 366.4
arabes quibus præditi dotibus. 78.25.
arabia thura præbet 320.20
arabia, mons Sina, & Mesopotamia Syriæ quid signent 160.35
arabia triplex 315.18
arabia quomodo diuiditur 319.20
arabiam propter opulentiam Alexãder Macedo uehemẽter amauit. 319.20
arabs auidus diuinos sapientes mordere 194.9
arabs maledictus, interdum impius uocatur 193.9
arachiba non firmamentum, ut habet traductio nostra, sed globus & massa cœlorum omnium est 39.1
aratus & Pythagoras quid de homine. folio 189.3
aratus sub nomĩe Iouis quid de Deo sentiat 166.2
aratro boues primus omnium iunxit Biges Atheniensis 19.14
arbitrium liberum in corde.
arbor uitæ quid 203.3
arbor uitæ quibus & quomodo communicata 204.6
arbor inuersa homo 106.11
arbor uitæ homini uetita, ut inde Dominum recognosceret 99.1
arbor uitæ ubi plantata 203.4
arbores aliæ uegetabiles, sunt & arbores humanæ, sunt etiam arbores angelicæ, est & arbor illa suprema singularis 132.7
arbor uitæ Hebraicè ezbaïm, id est arbor uitarum & non uitæ 205.8
arbor uitæ quare à principio prohibita fuit. 328.2
arbor uitæ quando, & cur sit uetita. folio 204.6
arbor uitæ qualiter formata 203.5
arbor ciuitatis supernæ quæ, & quos

fructus proferat 445.4
Arboris uitæ folia quæ sint 445.4
Arca à Mose fabricata quid typô significet 82 32
Arca Noë non sine mysterio cubitis mēsurata 427.3
Arcades Pana adorabant, eum solem esse existimantes 6.5
Arcana summi regis non propalanda. folio 397.13
Arcana diuina non ex auditu uocali pcipiuntur 467
Arcam Noë de lignis gopher, id est cupreßi 109.15
Archangeli regibus præsunt & sacris intersunt 439.2
Archangelus uocem terribilem emittet quando 449.4
Archangelorum cum Mercurio conuenientia 68.11
Archesillas nouæ academiæ institutor Homero quantum tribuit 48.10
Archita Tarentinus columbam igneam fecit, per aëra uolitantem 379.9
Architecti quatuor angulis confirmant ædificia 51.13
Arcum & sagittam Scythes Iouis filius inuenit 19.14
Arescere homines quid 143.18
Argentū quid in sacris significat. 431.1
Argentum Erichthonius reperit, ut alij Cacus 19.14
Argentum quomodo & quibus producatur 52.14
Argentum uiuum facilè in aliud metallum transmutatur 75.19
Argumentum uerorum non apparentium 348.13
Arguere ab effectu 359.10
Argumentum ab autoritate negatiuè nil ualet 48.11
arietem bellicum, qui olim equus, Epeus ad Troiam reperit 19.14
aries uires habet in corpore 111.18
aries sex mēses hibernales lateri sinistro incumbit, sed ab æquinoctio uerno, dextro 111.18
aries sicut est caput & dux ouium, ita est caput signorum 111.18
aries caput signorum, & dux mensium, undè coniectare possumus Martium primum anni mensem fuisse. 111.18.
aries capiti præest 111.17
aristotelē carpi nemo dedignari debet, quòd ipse iniustè eximios momorderit 22.17
aristotelem mordicus tueri in demonstrationibus facinus horrendum 22.17
aristotelem Græci cacodæmonē uocāt.
aristotelem confutare in iis quæ ueritatis sunt Christianæ parum, imò nihili facimus 22.17
aristoteles legem demonstrationum quā docuit, non obseruauit in naturalium tractatu 11.9
aristoteles ideas refellens, arguit, inquit Simplicius, potius ad uerba, quàm sensa 194.9
aristoteles in Parmenidem de uno quomodo disputarit 461.1
aristoteles unum & uiginti annos Platonem audiuit 26.1
aristoteles in lib. de physico auditu quid. folio 5.3
aristoteles & Plotinus animā neque tristari, neque gaudere dicunt 388.1
aristoteles solis inflammationē ratus errauit 49.11.
aristoteles noluit inuidiâ admittere ideas, aut quia suo progressui à sensibili-

bus facto non erat consonũ, aut quia illi cacodæmoni Aristolico Plato non explicauerat 194.9
Aristoteles demonstratione non utitur in suo progressu naturali 22.17
Aristoteles in lib. physicis omnia probat ex præacceptis & præsuppositis ab eo factis 22.17
Aristoteles sensibilibus tantum mouebatur, ut bruta auena & fœno præsentibus, aut saltem proximis 194.9
Aristoteles sẽtẽtiã Simonidis celebrat, qua Deum solum metaphysicum asserebat 11.8
Aristoteles minus à religione aberat, q̃ Auerrhoës 15.12
Aristoteles religionem humanæ naturæ insitam fatetur 15.12
Aristoteles Deum huius machinæ principem & moderatorem constituit. folio 15.12
Aristoteles machinæ orbis Deum opificem in lib. de mundo profitetur: deinde per rationes sensatas procedens id negat. 15.12
Aristoteles qua uia motus multiplices, qualitates quadrifarias, tria rerum principia, causas quatuor 38.14
Aristoteles ab infimis suprema petit, contrà uerò Plato 38.14
Aristoteles cocodæmon uocatur. 194.9
Aristoteles quid de quinta essentia dixerit 421.5
Aristoteles Zenonis discipulus, formam Dei intelligi non posse arbitratur. folio 4.2
Aristoles præceptorem Platonem accusat inscitiæ (ipse ignarus) quòd mundi fabricam consonantissimã credat solus, & generet 9.8
aristoteles Platonis ideas monstra esse mentitur 12.9
aristoteles oculos habebat uespertilionis, quippe qui ideas, in natura manifestissimas, non cernebant 12.9
aristoteles animam definit à posterioribus & effectis 28.4
aristoteles sagacissimus aliorum doctor dogmatum, & diligens collector. folio 22.17
aristoteles uersutus priscorum criminator 22.17
aristoteles omnium ingratissimus priscorum sententias non impugnat, sed cõtra uerba potius, quàm sensa disputat 22.17
aristoteles quid de Dei potentia doceat. folio 106.3
aristoteles Deum omnium opificem negat 282.1
aristoteles multos præclaros uiros iniustè criminatus est 22.17
aristoteles eos criminatur, à quibus omnia didicit 22.17
aristoteles sibi ueritate coactus, solũ elẽchos uendicat 22.17
aristoteles omnia ab antiquis collegit. folio 22.17
aristoteles dolet quòd oculus humanus ad diuina caliget, & quòd sermo de diuina substantia sit in nobis per paucus: & tamen credere recusat quibus Deus reuelauit 194.9
aristoteles diuina non cognouit, aut cognoscere noluit 195.10
aristoteles à magistro dissentiens, nunc menti diuinitatem tribuit, nunc mundum esse Deum ait, nunc alium quendam præficit mundo, nunc cœlum, nũc cœli ardorem 4.2

Aristoteles Deum ista particularia non intelligere, & in sermone de bona & mala fortuna fortunatum à Deo diri gi credit 18.14
Aristoteles contradictione manifesta multa reliquit scripta 18.14
Aristoteles inuidia præceptorem falsò, atque impiè, inquit Franciscus theologus, insectatur 194.9
arist. fuit pessimus metaphysicus. 194.9
Aristoteles in physicis nullius rei (ipsomet in elenchis authore) inuentor, sed à maioribus omniũ cõpilator. 194.9.
Aristoteles ueritate coactus tantum elẽchos sibi arrogat 194.9
Aristoteles à diuino symposio recessit, uersatus in arguendi regulis, & sensibilibus 194.9
Arist. ingratissimus in doctissimũ & sanctissimũ præceptorẽ Platonẽ. 22.17
Aristoteles aliquid nouum cõminisci uoluit uideri ut ait Adrastus. 88.5
Aristo. persuasus est epistolio Plato. nauigare in Iudæã & Aegyptũ. 3.1.
Arist. impiè & iniustè magistrũ suũ, ue luti ingratus discipul. irridet. 193.8
Arist. Parmenidẽ, Melissum Dæmocritũ, Pythagorã, & suũ diuinũ præceptorẽ Platonẽ, criminatus est. 22.17
Aristoteles Platonẽ irridet qui mundũ genitum passim fatetur, & in lib. de mundo Deum mundi opificem asserit & principem uniuersi 18.14
Aristo. rixator nugacissimus falsò Parmenidẽ de errore calũniatus. 190.5
Aristoteles Peripateticorum princeps, ut singularis & celebrior haberetur à Platone dissensit. 38.14
Aristoteles dubitat an Deus sit animãs, necne 4.2
Aristoteles Simonidis & Homeri testimonio grauissima philosophiæ loca confirmat 48.10
Aristo. quid de fortuitis dicat. 375.5.
Arist. de animalium natura. 24.18
Arist. uerbis & si ab ideis desciscit, re tamen uelit nolit consentit 192.7
Aristoteles in libro de cœlo & mundo fabricatum ab opifice orbem confitetur, quod in physicis negat. 192. ca. 7.
Aristoteles quòd irriserit ideas, meritò à Themistio & Simplicio eius interpretibus refellitur 194.9
Aristoteles semper conatus, inquit Themistius, est contradicere ad apparens. folio 194.9
Aristoteles contigentiam probat. 17.14
Aristo. de Dei cognitione in prima philosophia Chaldæos patres ueneratur eis cedens, quòd ab oraculis acceperint quæ tradiderunt 194.9
Arist. & Auerrhois nihil intellexerunt de mundi fabrica 197.12
Aristote. priscorum sententias reprehendit, ut solus sapiens uideatur. 22.17.
Aristoteles in politiis quid de fœlicitate dixerit 462.2
Aristoteles multis in locis physiognomiã describit 102.4
Aristoteles undè anima, differere nõ potuit 273.10
Arist. Alexãd. Aueroi, Epicuro & similibus aliqua doctrinæ facula lucentibus non credendum 10.8
ari. de orbis æternitate nõ credẽdũ. 9.8
Arist. ratio cur mũdus ipsi sit æternus. folio 13.11
Aristotelis error de orbis æternitate in æquiuocatione, arguendo ab immediato ad ultimum finem. 13.11

Aristotelis errores, & peripateticorũ de ideis errores 193.8
Aristotelis disputatio de anima est in æquiuoco 350.1
Aristotelis philosophia quare à nonnullis mendosa iudicetur 313.16
Aristotelis hæresis, & irrisio nugacissima de ideis, minoris est authoritatis quàm tantorũ & grauium philosophorum ideas asserentium. 192.7
aristotelis ludicra sunt quæ affert de orbis æternitate 9.8
Aristotelis fallaces rationes de ideis cõfutat author. 194.9
Ariopagum prius concilium erat nouem solum uirorum 20.16.
Ariopagum postea factum est quinquaginta uirorũ & ex qbus uide. 20. 16
Arithmeticam docuit Christus. 275.11
Arithmeti. medietas ad ciuitates. 92.11
Arma quibus hostis debellatus est quæ. folio 455.3
Armenos, Scythas, deinde Italos, Noë quid docuerit 2.1
Ars naturã superare non potest. 446.1.
Ars à natura distinguitur 12.9
Ars quædam numerorum diuinorum. folio 364.2
Arsenicum sublimatũ omnia metalla dẽpto auro corrodit & cõsumit. 416.1
Articuli fidei omnes de Christo relationem habent 282.1
Artificium uiuit in mente artificis. 7.5.
Artifex formam inducit artificialẽ & præsupponit naturalem: agens uerò naturale formam substantialem & præsupponit materiam Dei effectum ex nihilo 12.9
Artifex in operibus suis delectatur. folio 299.3
Aruspices uel extipices qui uisis extis uentura prædicebant. 372.3.
Ascensus ad superna difficilis 460.2.
Asciam reperit Dedalus 19.14
Asiatici & Aphricani adhærẽtes spurcissimo Mahumeto malè diuiserunt spolia 318.19
Asina hominem animalem in sacris præfigurat 171.7.
Asina interdum uulgarem populum significat 171.7
Asinus quidam homo factus nostro sæculo in Cheroneso Illyrici insula multorũ testimonio comprobatur. 330.9
Aspectus signorum ad regiones terrenas analogicè ad cœlos supramundanos refertur 307.11
Asser Hebraicè, relatiuũ quid significat folio 97.18
Asser quomodo interpretatur. 303.6.
Assuerus hester in coniugem accepit. folio 439.1
Assur quid 148.22
Aßyrij post Apostolos & ꝓphetas clarissimi. 319.20
Asſyrij literarum primi inuentores. 2.1
Assyrij solem Adad uocant. 74.17.
Astra sæpe præsagiunt uariis modis. folio 371.1
Astrologiam optimam docuit Christus. folio 275.11
Astrologiam Chaldæi & Ægyptij adinuenerunt 18.14
Astronomi per astra diuinabant. folio 372.3
Astrorum influxus optimos esse. 46.8.
Athenarum prima bibliotheca ubi fuit erecta. folio 313.16
Atheniẽses publicis consiliis Mantes diuinos adhibuerunt 372.3

Athenienſium clari qui fuerunt. 2.1
Atomos rerum principium Dæmocritus & Empedocles fecerũt indiuiſibiles. folio 37.13
Attractio multiplex 208.12
Attributa quid uocent theologi ſcholaſtici. folio 8.6
Auarus ſanguinem pauperum ſugit, ut hirudo 410.13
Audiens ſapiens, malè interpretatus. folio 116.23
Audiendum eſt quid in nobis loquatur Deus 343.9
Auditus officium ac obiectum 345.10
Auditus plus cæteris intellectui ſeruit. folio 345.10
Auerrhoës in leges Dei ſanctiſſimas blaſphemus. 14.12
Auerrhoës quæ diuinitate ſunt plena criminatur erroris 14.12
Auerrhoës quid in Ariſtotele interpretetur ſolum de cœlo dici 16.13
Auerrhoës præaccipit, quæ omnes Sapientes negarent 14.12
Auerrhoës perfidus canis non Ariſtotelẽ interpretatur, ſed corrũpit. 16.13
Auerrhoës blaſphemus, alios etiam blaſphemare facit 16.13
Auerrhoës Deum mentitur dare nõ potuiſſe permanentiam niſi in ſemine. folio 16.13
Auerrhoës quid de ideis 190.4
Auerrhoës negat Deum mundi opificẽ, & in libro de cœlo Deũ fatetur creatorem 18.14
Auerrhoës Arabs blaſphemus mundum aliam habere diſpoſitionem non poſſe arbitratur 12.10
Auerrhoës impius cœlũ ſempiternum illud quod cætera cuncta æmulari contendant 16.13
Auerrhoes Algazelem in philoſophos omnes bellum direxiſſe ait. 14.12.
Auerrhoes à ſuo interprete fido damnatur, fatuusq; appellatur 14.12
Auerrhois anima maleuola in quã Dei ſapientia intrare cõtẽpſit. 14.12
Auerrhois argumenta puerilia, aniliáque ſunt figmenta 14.12
Auerrhois de intellectu opinio oppugnata. folio 357.7
Auerrhois doctrina prima fronte incõcuſſa, ueriſimilis & utilis, ſed uerius falſa, impia 14.12
Aues quæ Mercurij ſunt, muſicæ & ſonoræ 80.29
Aues multæ diuerſarum ſpecierum cur muſicè ſimul cantillent 30.6
Aues quæ ſolares ſint 79.27.
Augures per aues futura annuntiabãt. folio 372.3
Auguſt. quid de ſenſatis ſentiat. 12.10
Auguſt. contra quinq; hæreſes. 274.10
Auguſtinus quid de hominis uoluntate libera 168.5
Auguſtinus cum Baſilio in anagogico cãtu ad ſuprema euolat perſonanda. folio 33.9
Auguſtinus meditationi intentus ſe cõſulentem non animaduertit mulierem. folio 374.4
Auguſtinus in Italia agẽs audiuit mulieres quaſdã malignis artibus adeò imbutas, ut dato caſu homines in iumenta mutarent 380.9.
Auguſt. Amb. Euſeb. Pãphi. & Cyrillus quid de Pythagora, Platone. 3.1
Auguſt. theologorũ facilè princeps, tanti ideas facit, ut ſine earũ cognitione neminẽ poſſe ſapiẽtẽ eſſe putet. 195.10

Augustinus Latinorum theologorũ pater 43.5

Augustinus de rerum artificialium exẽplaribus quid 350.1

August. ioco interrogãtibus quid Deus antè mundi creationem faceret, respondet 19.15

Augustinus quid de mũdi cõcẽtu. 163.1.

Augustini sententia de anima 350.1

Augustini sententia qua asserũtur opera trinitatis ad extrà indiuisa, ut sit intelligenda 03.12

Auicennas quid de seminis parte spumosa. folio 265.1

Auicennas Arabs & Algazel Saracenus omnium rerũ opificem & patrẽ esse Deum consentiunt 9.8

Auicennas & Charũdas undè, & quæ eorum schola. 313.16

Auicẽnæ interrogãti quomodo ante mũdum præcesserit respondet Augustinus. folio 13.10

Auis supra faciem cœlorũ producta, & non sub cœlo, ut habet traductio nostra. folio 77.22

Auis in scripturis quid 444.3.

Auium quæ Veneri sacræ 80.28

Aureo Denario centum uiginti quatuor bracteæ quaternorum utrinque digitorum nostris temporibus batuendo deducuntur 416.1

Auri metalla & conflaturã Cadmus Phœnix ad Pangæum montem, alij Thoanta & eadem in Panchaia reperisse putant, alij Solem Oceani filium. 19.14

Auri natura & ꝓprietas q̃ sit. 416.1.

Auri beneficia quæ sunt 416.1

Auris Memoriæ sacra, sed alij Phœbo dicatam tradunt 120.29

Aurum ab ἀόριον inuentore dictum existimat Hippocrates 416.1

Aurum in sacris uita est diuina, siue spiritalis 416.1

Aurum charitas in sacris 416.1

Aurum omnium metallorum pretiosissimum. folio. 416. concentus. 1.

Aurũ undè dicatur 416.1

Aurum nullus deterit usus 416.1

Aurum obrizum quod sæpius igne purgatum fuit 416.1

Aurum supernæ ciuitatis simile uitro mũdo. folio 416.1

Aurum quomodo & ex quibus gignatur 52.14

Aurum, argentum & cætera metalla cõtinuè effodiuntur, nulla tamen maior copia nunc, quàm multis antè sæculis 282.20

Aurum in sacris quid significet 431.1

Authores qui de lapidibus tractarũt folio 420.4

Authores qui de metallis conscripserunt folio 52.14

Authores qui ideas admiserint. 192.7

Authoritates sacræ scripturæ quæ resurrectionem probant 404.5

Azazel princeps quis 239.15.

Azymi panes quid significent 244.19

B

Babylonia studiis mathematicis floruit 318.20

Bacchus Bœotüs uaticinatus est. 374.4

Bactriana regio ubi, quæ dromedariis & elephantibus fœcunda. 319.20

Bala quomodo interpretatur 302.5

Balagij uirtus quæ 370.1

Balistam reperit Aeneas 19.14

Baptisma coniugiũ indissolubile. 441.2

Baptisma triplex. 355.5

Barba robur significat 242.18
Barba non radenda 226.6
Barba quæ radenda in homine. 243.18
Baruch in Hebræorum canone non reperitur 188.2
Basilius & Anaxagoras plurimi fecerunt Homerum, poësimque eius admirantur & colunt 48.16
Basilius, Gregorius Nazianzenus & antiqui doctores dæmones habere corpora dicunt 412.16
Bassan quomodo interpretatur 319.20
Beari mentes illæ nō poßunt in continua motione, quòd omnes motus ad quietem tendant 13.11
Beati qui lauant stolas suas in sanguine agni 141.15
Beati pauperes spiritu quomodò intelligendum 462.1
Beatitudo quid secundum theologos nostros 461.1
Beatitudo in uisione & fruitione consistit 362.12
Beatitudo quid 6.5.
Beatorum statum & profectum esse opinantes non habeant pro inconuenienti & quare 465.3
Beatus secundum Platonem quis. 462.1
Beatus quis 6.5
Behemot Hebraicè, quid Latinè significet 345.10
Bellum Marsicum præmonstratum & præuentum sudore & sanguine simulachrorum 371.1
Bellum indictum antiquis patribus contra Amalech & cæteros 333.9
Bellum contra Amalechitas & alios reges quid significat 333.9
Bellum indictum hosti quomodo. folio 453.1
Benè esse in uniuerso non potest, nisi partes sint rectè dispositæ, ita natura est comparatum 325.24
Benedictio Beniamin à patre Iabacob qualis 318.19
Benedictionum trium familiarum concordia, quæ castra locarunt contra tertium trigonum, cum populis ab ipso directis 316.19
Benedictionum duarum aliarum tribuum huius trigoni concordia cum signis & populis ipsi conuenientibus. folio 315.18
Beniamin ad superna eleuatus. 321.21
Beniamin duplici nomine uocatus. folio 320.21
Beniamin quomodo interpretatur. folio 304.6
Beraca apud Hebræos benedictionē & piscinam significat 140.15
Berosus Chaldæus, Mainetus Ægyptius, Hieronymus Phœnix, Darius rex, Ptholemæus Mendesius, Menāder Ephesius, Nicolaüs Damascenus, Abydenus historicus, Estieüs, Theodorus, Chorilus, Ezechielus poëta, Demetrius historicus, Hecateüs Abderita philosophus, & alij multi benè de Mosi miraculis senserunt. 9.8
Beryllus quâ sit uirtute in se gestāti. folio 80.28
Beryllus lapis ingenium bonum præstat. folio 419.3
Beryllum ex aqua genitum 52.14
Bethlehem quomō interpretatur. 304.6
Bigas prima iunxit natio Phrygū. 19.14
Bilbam seu Balabā quid de futuro Messiah 186.2
Bilbam seu Balabam propter quid no-

luerit maledicere populo Dei. 187.2
Binarius numerus infaustus & malus. folio 110.16
Binarius malus, & ad materiam pertinens quae est omnium malorum fons & origo 110.16
Binarius à Pythagoreis, numerus nõ dicitur 90.9
Binarius infaustus semper numerus. folio 383.1.
Binarius materiam significat 383.1
Bina quomodo interpretantur 328.1
Binarius infaustus 91.11
Biremem Damasthenes Erythraeos fecisse testatur 19.14
Bizantij euersionem terraemotus indicauit 371.1
Blasphemia Sodomitas, Gomorrhaeanos absorpsit 171.7
Blasphemia Assyriorum octogintaquinque milia de exercitu deleuit. 171.7
Blasphemia quot milia, quas gentes deleuerit 171.7
Blasphemia Ægyptios aquis obruit. folio 171.7
Bœotius quid de spiritu rebus infuso cãtet 166.2
Bœotius genus primum musicae formalis; mundanum appellat 163.1
Bombyces uermes qui sint 401.1
Bona terrena in causa fuerunt, ut Petri successores à Christo degenerarent. folio 379.8
Bona omnia corporea à luce solis suscipimus 432.1
Bona à Deo praeparata 453.1
Bona terrena Petri successoribus collata bona cœlestia, id est potestatem super omnem uirtutem inimici ademerunt. 379.8
Boni in iudicio quo igne conflandi sint. folio 410.14
Bonitas uera quae est 466.1
Bonum sua natura communicatiuum. folio 15.12
Bonum distribuens partitur quomodo, & quando uult 15.12
Bonum natura fertur in bonum communicandum 15.12
Bonum quod cuncta desiderant. 466.1
Bonum est tam amplum, quam existentia rerum omnium 465.1
Bonum in meliore semper melius est. folio 16.13
Bonũ uno dũtaxat modo contingit. 65.9
Bonũ unumquodq; dicitur, quia de summo bono participat quomodo intelligendum. 457.2
Bonum uerũ & summũ quid sit. 465.1
Bonum omne gubernatu facilè. 377.6
Bonum supra omne ens 393.7
Bonum principium & finis malorũ omnium est 329.4
Bor quid significet 140.15
Bos Aegyptius quid 187.2
Byssinum iustificationes sanctorũ sunt. folio 389.3
Brachia Ioui magno sacramento supponunt 117.24
Brachium Dei, eius uirtus qua mirabilia patrauit 389.2
Brachmanae & Academici diuinam doctrinam olfacientens quid senserint de hac patria 273.10
Brachmanae apud Indos (qui & Iudaei uocantur)ante Graecos philosophati folio 3.1
Britannicum mare margaritas profert. folio 52.15
Brauiũ qd in scripturis significet. 456.1

Brutorũ in uita cautio. 339. & 340. 6

C

CAatitæ qui, & quomodo interpretã tur. 333. 22
Caballistarum mos 386. 8
Calamus quantus 425. 1
Calanus Indus Alexãdro mortem prædixit 372. 3
Calculi potiſsimũ in Martialibus gignũ tur in renibus 117. 25
Callisthenes qd miraculi cõtigerit Thebis in templo Herculis 169. 6
Calix paßionis quõ bibendus. 444. 2
Calor aquis immiſtus 410. 14
Caloris natura uitalẽ in ſe uim habet. folio 410. 4
Calotechnus. i. bonus artifex. 427. 1
Camelus duplicia genua habet, cætera animalia non 23. 17
Camelus grauida menſes duodecim gerit 113. 19
Cancer porta deſcẽſus ſtelliferi. 367. 7
Cancer Lunæ domicilium & tanquam pectus cœli 112. 18
Cancer in pectus dominatur. 111. 17
Cancri cauſæ 116. 23
Canis maior in 6. uel 7. gradu Cancri. folio 82. 31
Canis minor in 17. gradu Cãcri. 82. 31
Canonici regulati qui, & undè. 323. 22
Canum diuerſa natura 81. 30
Cantica in tria genera diuidi ſenſuale, intell. & diuinum 178. 16
Canticum Zachariæ de redemptione quod 458. 2
Capilli, inquit Origenes, ſunt animi uirtutes 409. 12
Capilli Nazareorum qui 409. 12
Capilli cogitationes & opera hominum ſignificant in ſacris 409. 13
Capilli qui non peribunt 115. 21
Capillus quis non periturus ſit. 408. 12
Capreæ, cerui, & hinnuli quid 155. 30.
Capricornus eſt porta aſcenſus ſtelliferi præcipua 367. 7
Capricorni cauda in 16. gradu Aquarij. folio 82. 31
Capricornus Saturni domiciliũ. 180. 18
Capricornus utraq; genua regit. 111. 17
Captiui liberati in morte Chriſti qui. folio 455. 3
Carbunculus in tenebris lucet 420. 4
Carbunculi materia 118. 25
Carbunculus Græcis anthrax. 59. 3
Cardinales alij à pontifice deſtinantur, alij ſemper adſiſtunt 439. 2
Carmina Manilij quibus una quæque pars corporis humani alicui ſigno ſubiicitur 111. 17
Carmine læſa ceres &c. id genus decantat Ouidius 380. 9
Carne qua, & corpore quo ſuſcitandi dormientes 408. 11
Carne & corpore ſuſcitabimur quod ex eo quod moritur, pullulat meliore ſorte 408. 11
Carnes ante diluuium non erant in uſu, ſed ad quid Cain factus erat uenator, & eius interfector Lamech? folio 76. 20
Carnis reſurrectionẽ, aliqui addiderũt, carnis eius 407. 11
Caro & ſanguis Dei regnum poſſidere non poſſunt 407. 9
Caro præparata in cœleſtibus nuptiis quæ. 444. 3
Caſpici crudeles ſunt 319. 20
Caſus & euentus fortuitus quid ſit. folio 375. 5
Catapultam Syri Phœnices repererunt

folio 19.14
Caterua quæque hospitum cœlestium habet suas mansiones 440.3
Cato mente præsaga dicebat de Cæsare, cauete à puero male præcincto. folio 372.3
Catuli leonum, inimici nostri interpretantur 239.15
Causa secunda uim à re ammonere potest quam præstitit 6.5
Causa prima uim à re non remouet. folio 6.5
Causa secunda quicquid agit, in uirtutu primæ agit 6.5
Causa prima in omne producēdum extenditur, & id sibi unit ad libitum. folio 399.17
Causa prima est agens, secundum ab ipsamet determinatam uirtutem, & nō secundū omnimodā uirtutem. 399.17
Causa prima non culpanda, secundaria. folio 46.9
Causas in uiribus tantum & qualitatibus corporum inferiorum aliqui philosophi scrutati 49.11
Causæ secundariæ angelicæ 94.14
Causæ omnium rerum quatuor 96.17
Celocem Rhodij inuenerunt 19.14
Censorinus, ouúmne an auis prior fuerit ad Quintum Metellum quærit. folio 17.14
Censorinus, Plinius, Eratosthenes distantias cœlorū assignātes, colligunt terræ circuitū esse 252000 stadiorum 178.16
Centaurus femoribus medetur. 111.17.
Centurio exterus de fide commendatur. folio 35.5
Ceres terræ feracis, & planæ Dea. folio 380.13
Ceruæ & capreæ in scripturis quid. folio 430.1
Cete grandia in bibliis hatanimim aliqui interpretati sunt dracones, ut illud psalmi ultimi: Dracones & omnes abyssi 172.9
Chalcidius, & Macrobius tradunt in 7 quoq; anno mutationes fieri in homine. folio 175.10
Chaldæi hominem esse dissolutoriæ naturæ animal 386.8
Chalcidij solutio de mundi uita. 202.1.
Chalcidius moriens quid filio referat. folio 166.3
Cham, calorem significat 190.15
Cham non maledictus à Noë, sed Chanaban 154.28
Chamæleontis iecur summis tegulis exustū, imbres & tonitrua excitat. 370.1
Charitas si perfecta est foras expellit timorem 129.4
Charitas & aurum in multis conueniūt. folio 416.1
Charitas fidei præfertur 260.12
Charitas fundamentum & radix uirtutum in quo conuenire debent. 347.12
Charitas est uirium & uirtutum decor. folio 416.1
Charitatem Saluator præcipuè commēdauit 347.12.
Charitatis officium 321,21
Chasluhim filius Mizraim, qui dictus est Aegyptus 162,36
Chedem Hebraicè patrem significat. folio 106.11
Chermel quis uermis 409.12.
Capilli, cogitationes hominum. 409.12.
Chermel uermis est undè fit purpura. folio 388.2
Chiromantici qui ex lineis manuū quæ-

cunque illis sunt uentura prognosticantur 373.3
Cherub, opus phrygium aut fictum dicitur 56.2
Cherub, ut placet Abrahæ à Benazra est pictura, uel imago cuiusq; formæ separatæ 56.2
Cherubicis mentibus species idearum inesse pictas 57.2
Cherubini tanquam causæ secundariæ. folio 57.2
Cherubini formas & ideas suscipiunt. folio 439.2
Cherbini octaui cœli ministri. 57.2
Cherubini cum stellato cœlo symbolum habent 56.1
Cherubinus sciẽtia idealis dici põt. 58.3
Cherubinus increatus 58.3
Charomãtiã probat uir iustißimus Iob. folio 102.4
Chiron herbaria medicamenta inuenit. folio 18.14
Chiron Saturni & Phileræ filius. 18.14
Chordam quintam musicis inuenit Chorebus rex Lyddorum 96.16
Chordã sextã Hyagnis Phryx. 96.16.
Chordam septimã Terpander Lesbius excogitauit 96.16
Chordam octauam Lycaon addidit. folio 96.16
Chordam nonã Prophrastus Periotes ad concentum 9. spherarum. 96. 16
Chordam decimam Esthiacus Colophonius 96.16
Chordam undecimam Timotheus Milesius 96.16
Chordas uerò semitoniorũ cæteri à Timotheo usque ad decimam quintam protraxerunt 96.16
Chorus in scripturis quid 450.7
Chrisma: quo prophetæ ungebãtur quid folio 358.9
Christi figura in Iona uaticiniis cõprobatur 292.10
Christi doctrina quid cũ ueritate legis. folio 255.8
Christi uirtus iustificans non minor fuit quàm peccatum Adæ coinquinans. folio 355.5
Christi corpus unum efficitur ex multis membris credentibus 443.1
Christi oblatio, atque oratio efficacißima & sufficientißima pro omnium salute 259.12
Christi filiæ quæ sint 277.13
Christi dominium aliis quàm Mosi uaticiniis comprobatum 298.1
Christi in dextera charitas, pietas, amor, misericordia, benignitas, &c. id genus 169.6
Christi in sinistra, timor, terror, comminatio, iustitiæ seueritas, punitio & similia 169.6
Christi boni officio functus quomodo. folio 466.1
Christiani cuiuslibet prima cura quæ debeat esse quorundam sententia. folio 258.11
Christiani oẽs facti Esauani, Idumæi, contentiosi super oẽs populos. 133.8.
Christiani omnes sacerdotes 245.20
Christiani ideo unguntur, quia omnes reges & sacerdotes à Christo sunt instituti 245.20
Christiani nomine tantum, cacodæmonis Aristotelis asseclæ, quomodo errent, etiam contra sui Dei Aristotelis sententiam 193.8
Christianis, gẽtilibus etiam angeli præfuerunt 170.7

Christiani temporis nostri Deum non cognoscunt 343.8
Christianis non conceditur. 441.2
Christianis solum nomen relictum, Christiana pietate abiecta. 133.8
Christianos iam Christus minime agnoscit, propter impietatem & infidelitatem 133.8
Christo soli competit nomen quadriliterum 298.2
Christo regimen uniuersi à patre commissum 325.24
Christo sacerdotalia cuncta debentur. folio 220.3
Christum subiectum totius theologiæ asserunt nonnulli. 282.1.
Christum qualiter habemus ex sacra scriptura præfiguratũ fontẽ. 291.9
Christum uestitum podêre quid significet 179.17
Christum primi Phœnices susceperunt. folio 314.17
Christum quare mundus non cognouit. folio 294.11
Christum esse uerũ dominum uaticiniis Mosaicis prænuntiatum 296.1
Christũ ascendisse in currum tractum à quatuor equis albis quid significat folio 455.3
Christus in hac uita semper oblectatus est in medio 330.25
Christus fuit optimus mediator. 331.6.
Christus tandem omnes trahendos trahet 215.19
Christus aqua diluens 355.5
Christus ecclesiæ caput 324.24
Christus omnia nouit etiam minutissima. folio 324.24
Christus est uera arbor in medio paradisi collocata 328.2
Christus sponsæ non uult coniungi nisi ipsa ornetur 430.1
Christus sapientia proficiebat non apparentia 465.3
Christus in passione sua maximè bellauit 455.3
Christus triumphare cœpit in resurrectione 455.3
Christus cur non dicatur regnare in domo Abrahæ cum ipsi facta fuerit repromissio 299.2
Christus ius hæreditarium sibi meritò uendicauit 458.2
Christus & Paulus ad quam mortẽ nos prouocent 464.1
Christus imperator noster iustam causam belli habuit 453.1
Christus quare à Samarite aquam petiit. 431.1
Christus de sola muliere natus. 326.25
Christus leoni comparatur 314.17
Christus in sanctissima trinitate est persona media 328.1
Christus sacerdos in æternum. 426.2.
Christus ante Mosem & cæteros prophetas erat, uirtute cuius sacrificia umbratica fiebant 293.10.
Christus Adæ debitum soluit. 441.1
Christus quomodo electos misit ad prædicandum 305.7
Christus ostium & aditus ad uisionem diuinam 462.1.
Christus Isahac filius legitimus dicitur folio 299.3
Christ. unxit nos oleo diuinitatis. 430.1
Christus sol dictus. 342.8
Christus uia qua conscendimus ad patrem Deum 331.7
Christus secundum Apostoli sententiam quomodo mediator noui testamenti

fuit.folio 332.8
Christus pontifex quid 322.22.
Christus uerum tabernaculum. 322.22
Christus quare non attigerit mille annos curriculũ humane uitæ. 327.25.
Christus ubi prima miracula fecit. folio 311.14
Christus repudiata synagoga ecclesiam sibi desponsauit 439.2
Christus tribus splenduit 459.3
Christus in qua regione natus, docuit, & passus est 322.22
Christus matri in nuptiis respondit, quid mihi & tibi, quare 443.2
Christus uera piscina quæ figuratur ꝑ illam quæ erat in Ierusalem 291.8
Christus in patria erit lux patentissima. folio 435.5
Christus quo in gymnasio nos instruxerit.folio 274.11
Christus quam bene functus sacerdotio folio 219.2
Christus orauit pro populo toto tempore uitæ suæ 219.2
Christus exauditus est pro sua reuerẽtia 219.2
Christus sacerdos in æternum 229.8
Christus æterna propitiatio 229.8
Christus fungitur æterno sacerdotio. folio 229.8
Christus omnia debita soluit sanguine suo. 229.8
Christus uita omnia uiuificans. 284.3
Christus hac uita inferiore non uiuit. folio 284.3
Christus & si exinanitus ita fuerit, fuit tamen semper supernaturale & supersubstãtiale quoddam. 284.3
Christus nouitas in natura fuit. 284.3
Christus ꝙ sit omnia sacræ testãtur literæ.folio 284.4
Christus artificialiũ nomina sibi multa uendicauit 285.5
Christus domus magna dictus 285.5
Christus ostium dicitur. eodem
Christus arcus fœderis. eodem
Christus panis subactus. eodem
Christus uinum eodem
Christus uestimentum eodem
Christus liber uitæ eodem
Christus uerus sacerdos 219.2
Christus electos fecit sacerdotes & reges 230.10
Christus quàm diues sit 277.12.
Christus quo peculio ditauerit filias. folio 277.13
Christus sustentaculum omnium. 206.9
Christus eos iudicabit qui se nomine, uita uerò & doctrina Aristotelem (cacodæmonem uocatum) æmulantur.folio 22.17
Christus uerum caput influit in omnia membra. 281.19
Christus quomodo à terra exaltatus. folio 207.11
Christus quomodo triplicem bestiã debellauit 210.14
Christus qui pascit nos instruit. 271.8.
Christus quomodo omnia nouit. 184
Christus neque pars, neque totum, & tamen est pars & totum. 284.3
Christus exaltatus qualiter omnia traxerit 207.12
Christus est granum 284.4
Christus est arbor 284.4
Christus est lapis 284.4
Christus est aurum eodem
Christus est argentum eodem
Christus est leo. eodem
Christus est uitulus eodem

Christus est agnus eodem
Christus est aquila eodem
Christus est sol 285.4
Christus Luna dicitur eodem
Christus oriens est eodem
Christus est omnis planeta eodem
Christus mons dicitur eodem
Christus dictus est angelus eodem
Christus dictus est ens eodem
Christus ὢν à Platone eodem
Christus ens supersubstantiale. eodem
Christus author & dator fidei. 283.1
Christus non solum fidei, sed cunctarum rerum causa, omnia diuinitate replet folio 283.2
Christus simul cum patre omnia replet. folio 293.2
Christus cur fuerit sacerdos iureiurando. 229.8
Christus populos subiecit, quod Moses facere nequiuit 455.3
Christus unctione sancti spiritus docebat suos 276.11
Christus uerus pharisæus 402.2
Christus omnia perfectè tracturus. folio 214.17
Christus quomodo omnia alia numina ad se traxit 211.15
Christus quòd tanta passus sit mala imputat patri 188.2
Christus Nazaræus & capillatus potius æmulandus, quàm ignominia Petro illata insectanda 226.6
Christus, arbor scientiæ boni & mali. folio 185.1
Christus lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo 141.15
Christus uera requies & uerum sabbatum 175.12
Christus omnes quos generat, pascit. folio 269.6
Christus rex iustitiæ 230.10
Christus Nomen, Verbum, Participiũ, Pronomen. Præpositionẽ, Aduerbiũ, Interiectiones docuit, & postremò Coniunctionem. 275.11
Christus altare dicitur 286.5
Christus hostia eodem
Christus uia pauita eodem
Christus scala dicitur eodem
Christus mana eodem
Christus tota lex eodem
Christus uirga Aaron eodem
Christus uerum candelabrum diuini luminis 286.5
Christus rapinam non arbitratus est, sibi uendicans omnia nomina diuina. folio 286.6
Christus quomodo fuerit sacerdos secũdum ordinem Melchisedech. 230.10
Christus cum Melchisedech in quinque conuenit 230.10
Christus finis & complementum omniũ operum 282.20
Christus author & finis fidei 282.1
Christus magno sacramẽto omnibus imitando obseruauit præceptum, Non tõdebitis comam in rotundum, nec radetis barbam 226.6
Christus retributionẽ nõ fidẽ habẽtibus, sed ex fide operãtibus facit. 260.12
Christus Deus qua ueritatis rectitudine mundum regat 256.9
Christus quibus donis dotauerit spõsam. folio 277.13
Christus quomodo iureiurando sacerdos fuerit institutus 229.9
Christus est summa ueritas, lux õnes illuminans & oĩa collustrans. 247.21
Christus sibi uendicat primitias. 220.3

Christus est ueritas 248.2
Christus est principium, medium, & finis 248.2
Christus legis ueritas 248.3.
Christus ecclesiæ fundamentum. 129. 5
Christus angularis lapis. 129.5
Christus lapis positus in caput anguli. folio 129.5
Christus petra quam percussit Moses in deserto, undè fluxerunt aquæ copiosæ 129.5
Christus anno tertio regni Herodis Ascalonitæ natus 297.1
Christus neminem baptizauit nisi Ioannem. 266.2
Christus quid docuerit de negotio hominis 272.10
Christus legem perfecit 251.5
Christus quibus locis præcinitur uenturus 249.3
Christus quomodo uerus agnus. 235.13.
Christus & si uobis condonauerit delicta, nihilominus uult nos bene operari 259.12
Christus uoluntariè onus iniquitatum nostrarum suscepit 294. 11
Christus discipulis Emaüs euntibus quid reserauit 458.1
Christus in dexteram nauigij rete mitti cur iusserit. 169.6
Christus melior sacerdos quam Aarō & sacerdotes legales 231.11
Christus regit, & gubernat totum corpus mysticū & mundanū. 324. 24.
Christus in eo quòd Deus, continet omnia uirtute: in eo ꝙ homo, cōtinet eadem omnia in eundem excellentissima nota. 199.17
Christus nos patrē orare docuit. 466.1
Christus aduocatus noster. 466.1
Christus uera hostia, & sacrificium & oblatio 233.12
Christus quæ ĩ ueritate docuerit de credendis 257.10
Christus nos regenerās, quomodo pater uerus sit ōniū nostrū effectus. 265.2
Christ. draconis caput cōtriuit. 280.18
Christus quam curam habeat de nobis. folio 281.20
Christus uerè sabbatum 176.12
Christus quibus thesauris nos ditet. folio 276.12
Christus docuit rhetoricen atque orationis uim 275.1
Christus nunc manus, nunc brachium æterni patris 199.16
Christus nos logicen docuit melius quā Aristoteles 275.11
Christus uerus homo diuinitate plenus. folio 197.13
Christus post resurrectionē de piscibus comedit 445.3
Chromaticum quibus constet. 88. 5
Chronicæ infirmitates quæ. 116.23
Chronicorum defluxuum causæ & materia 116.23
χρόνος ἀπὸ τοῦ κρόνου, id est Saturno deriuatur. 48.10
Chrysippi, Diogenis, & Antipatris quæstio de diuinatione 375.5
Chrysolithi uirtus. 80.28
Chrysippus qui Stoicorū somniorum ueterrimus interpres magnam ignotorum deorum turbam congregat. 4.2
Chrysopassus lapis rarus in India est. folio 419.3
Chus, id est Æthiops 173.10
Cibi quibus nos pascit Deus quomodo cocti. 270.7
Cibi non sufficerent nisi copiosi, nec bo-

ni nisi suaues 446.5
Ciborum non eadem lex bestiis & hominibus præscribitur 329.3
Cibum unicum pro homine animali, & unicum poculum Deus præparauit. folio 442.1.
Cibus cœlestis nobis datur ut in Christũ immutemur 443.1
Cicero Platonem criminatur quòd orbẽ à Deo fabricatum asserat 14.12
Cicero quid de diuinatione sentiat. folio 373.4
Cicero, Plinius, & Seneca elementa con cussa, turbatas hominum mentes, & plærosque interfectos uerbis uenesicis. folio 380.9
Cicero corruit dum beatam uitã in omnium rerum uacatione ponit. 462.2
Cicero ĩ primo de diuinatione, quid Lacdæmoniis acciderit 169.6
Cicero in lib. de diuiniatione q̃d de Dei cum homine commercio 371.2
Cicero quid de ueris bonis aiat. 281.20
Cicero de natura Deorum cœlorum cõcentum approbat 178.16
Cicorij flores & folia ad Septentrionẽ semper uergunt 82.31
Cinesius Cyrenensis quid de primis entibus 190.4
Circularis motus perpetuari potest. folio 12.10
Cinyphices ubi legitur, in Pharaonem de miraculis, pediculis, legendum ueritas exigit Hebraica 9.8
Circulares numeros quæ literæ apud Hebræos signent 167.3
Circuli definitio 167.3
Circuli supremi tardius, infimi uelocius mouentur. 56.1
Cithara secũdum Caßiodorum quid significet 450.7
Citharæ authot Tubalcain. 18.14
Ciuitas hæc cur in quadra posita dicatur. 423.3
Ciuitas superna cur ex auro constructa dicatur 416.1
Ciuitas parata in mente opificis. folio 427.1
Ciuitas fundata super duodecim Apostolis præcipuè & aliis plurimis. folio 418.3
Ciuitatem Ezechiel millenis calamis metitur. 422.2.
Ciuitatem quis extruxerit. 427.3
Ciuitatem supernam Ioannes comprehẽdere uidetur 422.2.
Ciuitatem Ezechiel metitur 422.2
Ciuitatis supernæ magnitudo. 422.2
Clades omnes insignes portẽtis & prodigiis aliquibus fuerunt præsignatæ. folio. 169.6
Clara Aßisias à cæna domini usque ad resurrectionis diem crucis mysteriũ contemplata, cum ad se rediit uisa est uix horam exegisse contemplando. folio 374.4
Clauso ostio orare quid sit 109.15
Cleantes Zenonis etiam discipulus nunc hoc, nunc illud Deũ esse uariat. 4.2
Clearchus Peripateticus quid sentiat de Mosaica doctrina. 3.1
Clemens Alexandrinus, Atticus, Platonicus, Eusebius, Aristobolus dicũt q̃ siqua Gẽtiles dogmata habuere egregia, à Iudæis hæc desumpserunt. 3.1.
Clima quintũ Mercu. ascribitur. 80.29
Clauem reperit Dedalus. 19.14
Cocodrilo mandibula superior mobilis, inferior immobilis, cæteris animantibus contrà. 22.17

Cæcus & claudus non intrabunt in regnum cœlorum, id est ignorãs & peccans 159.33
Cœlestia portenta naturalia esse asseuerant multi 375.5
Cœlestia numero nostro terminari nequeunt 427.3
Cœlestis concentus non sensu, sed intellectu percipitur 178.16
Cœli supramundani quatuor plagæ. folio 306.9
Cœli in quot trigonos destincti sint, cuiq; trigono, aut signo una quæque regio sit subiecta 306.10
Cœli ex materia aquea & ignea. 421.5
Cœli in homine continentur 110.17
Cœli ita cum homine conueniunt, ut & homines cœli uocentur 110.17
Cœli unde suscipiunt quod influunt. folio 367.7
Cœli & planetæ quòd Dei simulachrum gerant 68.11
Cœli aut à natura, aut ex arbitrio agũt. folio 47.9
Cœli nouem 40.2
Cœli mouentur in tẽpore, aut potius moti tempus generant 413.procem.
Cœli completi & omnis exercitus eorum, probat intelligentiis sphæras repletas 94.14
Cœli influántne tanquam causæ secundariæ, an ut instrumenta 47.9
Cœlorum concordia cum supernis mentibus 181.20
Cœlorum primum à nullo, sed ui sua, uel à Deo iubente mouetur 115.22
Cœlorum concentũ suauissimum Pythagorei omnes affirmant 178.16
Cœlorum officium 420.4
Cœlos qui dubitant uiuere non censentur philosophi 204.6
Cœlos igneos, aqueos, aërios, & terreos quare uocant Astronomi 421.5
Cœlos potissimum igneos dicunt philosophi & quare 421.5
Cœlos esse sonoros non tantum ex motu, sed etiam ex distantia. 178.16
Cœlum Dei sedes 82.32
Cœlum diuinitatis sedes 113.19
Cœlum materiam habet secundum theologos & multos philosophos. 421.5.
Cœlum habere materiã peripatetici dicunt, sed differre à materia inferiorum. 421.5
Cœlũ & terrã trãsire quid sit. 406.7
Cœlum octauum figuris semper uiuentibus depictum 57.2
Cœlum quod dicunt crystallinum, igneũ esse. 138.12
Cœlum hominis causa factũ, quod Aristoteles non admittit 345.10
Cœlum & terra transibunt, quomodo intelligatur. 403.3.
Cœlum octauum multis milibus ãnorum cursum perficit 56.1
Cœlum temperatum harmonicis proportionibus 446.1
Cœlum primum abibit 406.6
Cœlum partim nouũ, partim antiquũ aliqui sunt arbitrati 17.14
Cœlum quasi cithara canora secundum Orpheum 446.1
Cœlũ nouũ quãdo futurũ. 406.6
Cœlum quodlibet quotidie gradum mutat 178.15
Cœlũ nonum ab Astronomis primũ mobile, ab aliis crystallinum. 447.2
Cœlũ superius ordine elementari aereũ est, si nonum sit aqueum 447.2
Cœlum unde empyreum denominetur.

folio 447.2
Cognitio ueritatis non à sensibus uenit. folio 463.2
Cognitio sui quantum ad conducenda temperamenta animæ & corporis ualeat 340.7
Collectio aquarum duplex 137.12
Color quid secundum Orpheum & Plotinum 434.4
Color cæruleus & albus pituitam. folio 102.4
Color terreus qd in hoīe signet. 102.4
Colores in superficie indices humoris redundantis in corpore 102.4
Colores uestimentorū sacerdotaliū quid significent 222.5
Colorum compositio ab arte 99.1
Colloquia Dei domestica in sancto sanctorum habebant uiri sancti. 83.32.
Coma quibus non tondenda. 226.6
Completi sunt cœli & omnis exercitus eorum: & non, ut habet nostra traductio, omnis ornatus eorum. 89.7
Composita unam tantum habent faciē. folio 58.3
Composito omni quatuor inesse elementa. folio 52.14
Cōpositū omne dum resoluitur, in quatuor elementa resoluitur. 59.3
Concentus suauissimi & pausa æterna. folio 413. procemio.
Conceptus & partus in consummatione matrimonij intercedit 442.4.
Concentus cœlorum 178.16
Concionator Christus, exemplar optimum concionatoribus, semper traxit peccatores benignitate inenarrabili, & charitate, ut in adultera, publicano, telonario, & non terrendo. 169.6
Concionator & si interdum scelera populo detestari alta uoce debeat, nihilominus cum charitate admonendo ea proponere mandatur à Deo. folio 169.6
Concionator longè maiorem faciet prouentum in charitate & amore, quam in timore & tremore 169.6
Concionator diuinus potius suauibus charitatis uinculis, quàm horrendi terroris ad Deum peccatores allicere iubetur 169.6
Concionator diuinus magis blandiendo, quàm terrendo trahere debet auditores 169.6
Concionator charitate plenus, omnia potest in eo, qui eum confortat. folio 169.6
Concionator notet, rete non fuisse scissum, cum tanti & tot essent pisces quid signet 169.6.
Concionatoris uirtus & officium charitate exhibitum, Deo iuuante firmatur & roboratur. 169.6
Concordia benedictionum, quas dedit Iahacob ad filios suos duodecim cum duodenis populis, quibus prædicarunt duodecim Apostoli, secundum ordinem signorum, quibus respondent. folio 311.14
Concordia in supramundano thalamo beatitudinis causa secundum Augustinum. 499.5
Concordia mentis principi placet. folio 499.5
Concordia benedictionis datæ Iehuda cum populo directo à signo ipsi correspondente 314.17
Concupiscentia mundialis quo uino gentes potauerit 443.2

concordia duorum quid sit Origene authore 381.11
concordia trium quid eodem authore. folio eodem
concordiæ benedictionum Issacar, & Zabulon cum populis eorum prosecutio 313.16
concordia corporis cum anima unde. folio 460.2
concordia generalis hominis cum mundo maiori 99.1
concordia rerum inordinatarum & secum utriusque mundi 122.31
concupiscentia sedem habet in sanguine. folio 280.17
concupiscentia parit peccatum si conceperit 377.7
concupiscenti uirtuti bilis atra est contraria 48.10
concupiscentis uirtutis humida & calida sedes 48.10
Concupiscibilis in hepate & lumbis. folio. 110.16
confessio & pulchritudo in conspectu eius, melius, celebritas uel ornatus, & decor in conspectu 182.21
confessio & pulchritudo in conspectu eius 182.21
conflare & æs temperare Aristoteles Lydum Scytham, Theophrastus Delam Phrygem inuenisse putat. folio 19.14
coniugia antiquitus dissoluebantur. folio 44.12
coniuges hospites ciuitatis sunt. 440.3
conseruante non indigent, quæ non indiguerunt generante 18.14
consignati nomen agni scriptum habebant 428.2
Consonantia est parium, dispariumque uocum in unum redacta concordia. folio 98.18
consonātia est similium dissimiliumq; uocum in unum redacta concordia. folio 26.1
consonantia unde generatur 351.3
consonantiæ fundamentum unum esse docent musici 30.6
consonans fœcunditas septem planetarum 179.17
consonantia membrorum humani corporis inter se adinuicem 101.4
consonantia trium hospitiorum. 428.1
consonantia mystici corporis paucis cognita 351.3
consonantia quid sit 89.8
consonantia inter corpus & animam. folio 336.2
consonantia catholicorum 27.2
constātinus Aphricanus physiognomiæ egregium opus ædidit 102.4
contemplatio uera quæ sit 399.16
contingens quare indiuiduum. 17.14
continentia contentis celerius mouentur folio 93.13
contraria eiusdem generis sunt. 393.7
conuenientia & symmetria in corpore quæ 335.1
conuenientia inter se; in homine multo magis conueniunt 301.2
conuenientia quædam occulta rerum. folio 370.1
copia & suauitas ciborum. folio. 446. concentu. 5.
cor origo uitæ & caloris 118.26
Corpora iuuenum in hac uita ciborum præsidio perficiuntur, sed ubi natura ad proceritatem deduxerit utimur ut uiuamus: ita de anima sentiendum 464.3

Cor impij quasi mare feruens, quod nunquam quiescere potest 412.16
Cor soli comparatur, cerebrũ uerò Lunæ. 342.8
Cor præcipua animæ sedes 265.1
Corallus lætitiam affert homini. 370.1
Cornelio sacerdoti admiranda contigerunt 374.4
Cornu quid mysticè significet 6.5
Cornua altaris sanguine tincta quid. folio 234.12
Cor Pharaonis induratum 354.5
Corruptibile & incorruptibile. 352.9
Corruptibilis corporis forma, non eadẽ cum ea quæ resurget glorificanda. folio 408.11
Corruptibilium & incorruptibilium 9. genera 40.2
Corpori trimetro nil addi potest. 40.2.
Corporis duodecim præcipuæ iuncturæ folio 280.18
Corporis partibus quibus amica Venus præsit. 119.27
Corporis humani proportiones eædem quæ in arcæ Noë longitudine, latitudine, altitudine sunt 101.3
Corpora qualia futura in extremo iudicio 407.9
Corpora humana in lapides uersa. folio 428.2
corporis dissonãtia undè oriatur. 337.3
Corporis humani commensuratio. 335.1
Corporis humani singulorum membrorum proportio 100.2
Corporis temperantia, & dispositio tẽtorij per naturales medelas. 338.5
Corporis humani sectio 110.15
Corporis totius hominis ꝓportio ad trĩcum sesquioctaua 101.3
Corporum suscitãdorum quæ mutatio futura 407.9
Corpus glorificatum sine loci circũscriptione. 407.9
Corpus mysticum septuaginta duorum electorum corpori nostro comparatur. 323.23
Corpus templum animæ, ipsa autem sedes Dei 141.15
Corpus humanum in longitudine trecentorum, in latitudine quinquaginta, & triginta minutorum altitudine. 103.
Corpus glorificatum quale futurum sit. folio 408.10
Corpus temperatur corroboraturq́ue & consequenter totus homo cœlesti fauore 341.8
Corpus nostrum tertium instrumentum est harmoniæ 447.2
Corpus inter membra & diuina consonantiam habet 448.3
Corpus, si animæ naturam induerit, æternitatem consequetur 13.10
Corpus cœleste quod, Platonicis testibus folio 402.1
Corpus non minus conuenit Deo uestito quàm nudo 389.3
Correspondentia cum planetis & octauo cœlo 113.19.
Coruus egrediens egrediebatur & reuertebatur, & non ut habet æditio, & non reuertebatur 378.8
Coruus ab arca egressus magnum mysterium indicat 378.8
Coruus in scripturis quid 451.1
Cotta Ciceronis de Diis disserentes suggillat 3.2
crapula ciborum corporaliũ damnatur, spiritualium uerò laudatur. 446.5.
cratippus summis Peripateticis par quid de uatibus 372.3

Creata circuli gyrum quendam efficiunt. folio 100.1
Creatis omnibus recta lege seruata potiri possumus 329.3
Creatura omnis in nihilum fluit, & sustentatur à diuino uerbo 195.10
Creatura quæcunque quanto perfectior, tanto magis opificem æmulari cõtendit. 16.13
crescite & multiplicamini quomodo intelligendum 296.1
crocodili auulsis cordibus aliquandiu uiuunt. 29.4
crotoniates Alcmeo Soli & Lunæ, reliquisque sideribus animos & diuinitatem tribuit 4.2
Crucis mysterium non intellexerunt huius sæculi inquisitores, Scribæ, & doctores, neq; cæteri sapientes. 276.11
crucis mysterium huius sæculi principũ nemo cognouit 276.11
Crux sua cuique ferenda si saluari cupit. 264.14
crystallum ex aqua gigni 52.14
crystallus & beryllus quomodo & quibus producatur 52.15
cubitus sex palmes continet 83.32
cubitus sex palmos continet 43.6
cubitus quid est 427.3
culpa non est à Deo, sed à uoluntate malè eligentis 257.9
culpam à lege contrahimus, medicinam ab euangelio 255.8
culturam arborum Eumolpus Atheniensis reperit 19.14
Cuncta numero, põdere & mensura cõstat. 95.16
cuniculus duodecies ĩ anno parit. 113.19
cũcta Platoni numero, figuris & solidis. folio 95.16
cupido duplex 344.10
cur de duobus fratribus Iacob dilectus, Esau uerò odio habitus 353.5
cur non oẽs sustententur à Deo. 206.10
cur senarius fabricæ numerus & septimus requiei sit addictus 35.11.
curam quam habeat Christus de nobis. folio 281.20
currus quo reuehimur ad Deum, quibus ducitur 169.6
cymbam Phœnices repererunt. 19.14
cy lades insulæ ubi 313.16
cymbala quid 450.7

D

DAEmon malus, mendax est & obliquus folio 386.7.
Dæmones sunt animalia aëria & ignea folio 412.16
Dæmones interdum pro sanctis intelligentiis 93.13
Dæmones quæ fugent. 82.31
Dæmonia corpora habent 411.16
Dæmoniaca corpora quas à phantasia recipiunt formas in dormientes transmittunt quomodo intelligẽdũ. 448.4
Dæmonum casum describit Pherecydes Syrus 46.9
Damascenus quid de uerbi incarnatione folio 189.3
Damascenus cum Ambrosio graues figunt sententias & allegorica sensa. folio 33.9
Damascus sanguinem bibens dicitur. folio 159.34
Dan interpretatio 303.6
Daniel draconem interfecit 377.7
Danielis locus, Septuaginta. hebdomadæ determinatæ sunt super populum istum, pro quo habetur, abbreuiatæ. folio 196.10

Dátes Thuſcus acerrimi ingenij uir Maronẽ in philoſophia & naturali & morali cunctis præponit. 48.10
Daphnia comitialibus morbis utilis. folio 420.4
Dauid figuram & typum Chriſti & eccleſiæ gerebat 136.10
Dauid familia extincta 304.7
Dauid qua pœna punitur propter Vriæ Ethei homicidium 233.11
Dauid primus rex 457.1
Dauid & Salomõ plenilunium figurarunt, legis Moſaicæ & figuratiuæ. folio 235.13
Dauid Vates effectus 356.6
Dauid à Hieronymo nũc Pindarus, nũc Alceus, nũc Flaccus uocatus, eo quòd diuerſis metris procedat. 180.19
Dauid leones, urſos etiã inermis percuſſit. 377.7
Dauid multa perpeſſus typus fuit Chriſti patientis 235.13
Dauid harmonicam muſam non uoluptate, ſed fideli amore dilexit 446.1
Dauidica hæc authoritas: Conſtitues eos &c. ad quos refertur 311.14
Decem nulla natio ꝓgreſſa, niſi iterum reſumpta unitate 50.13
Decimæ qua ratione Deo offerantur. folio 84.33
Decimum cœlum non admittit author. folio 43.6
Decimum cœlum immobile nihil habet cõfine cum cæteris 43.6
Dedalus ita arte nexuit alas, ut uolauerit. 379.9
Deductio in æternis à poſſe ad eſſe, ualet, inquiunt Peripatetici 12.10
Dei cõditio ſegreganda à noſtra. 19.15
Dei ſecreta in ſacris eloquiis traduntur. folio 359.9
Dei præſentia ad quàm multa ſit neceſſaria 82.32
Dei ſedes cœlum 82.32
Dei ſimulacrum creata cuncta gerunt, ſed diuerſis modis 68.11
Dei intellectus ab obiecto producto non ſumit cognitionem 24.18
Dei imago ubi, aut in quo conſiſtat in homine, à nemine adhuc declaratum. folio 387.1
Dei intellectus ſimplex & perfectus ait Ariſtoteles 24.18
Dei ſolius eſt miracula facere. 379.9.
Dei opus perfectiſsimum homo. 97.17
Dei clementiæ nomina ſeptem 287.6
Dei membra uelut humana in ſacris expreſſa, multiplices Dei ſunt uirtutes. folio 388. & 389.2.
Dei ſimulacrũ inferiora omnia pro ſua uirili tenere conantur. 16.13
Dei nomina celebriora ferme omnia incipiuntur ab Aleph 98.18.
Dei imago humanis exprimi non poteſt. folio 388.2
Dei ſolius ſubiectum creare 9.8
Dei Hebræa nomina 286.6
Dei opus ultimum fuit homo. 364.2
Dei arcana intellectu tantum percipimus 344.10
Dei opus, in Deum credere. 258.11
Dei ſedes nil niſi terra, pontus, & aer, & cœlum & uirtus 37.12
Dei in cognitionem quomodo deuenire poſſumus 5.4
Deitas in Chriſto quomodo 189.3
Delectatio opus ꝑficit à uenere. 116.23.
Delectatio ſuauiſsima ex concordia colloquentium ſentitur 449.5
Delos inſula ubi 313.16

Delphini gregatim cursantes, ac crebris saltibus micantes, tempestatem prænuntiant 370.1
Dæmocritus de Deorum essentia quid sentiat 4.2
Dæmocritus negat quicquam esse sempiternum 4.2
Dæmocritus & Heraclitus quàm dispari ratione uixerint. 374.4
Demonstratio circularis ab Aristotele docetur, & damnatur 22.17
Demonstratio à principiis habet originem. folio 22.17
Demonstratio per quidditates fit. 22.17
Demonstrationes philosophorum apparentes 360.10
Denarij duplex natura 84.33
Denarius diurnus quid significet. 456.1
Denarius omnium numerorum idiomatum cunctarum gentium finis 84.33
Deo neque dextrũ neque sinistrum medium uel extremum 203.4
Deo omnia uiuunt, proinde ecclesia canit, Deus cui omnia uiuunt 94.15
Deo notissima particularia, eáque maximè curat 24.13
Deo seruitiũ & pctõ differẽtia. 237.13
Deo nemo colloquutus, neque Moses ipse. folio 89.6
Deo magnam iniuriam faciunt, qui eum per tempus & successionem opinantur. folio 33.10
Deo inest fœcunditas absque labore, ait Mercurius 17.13
Deo placere sine fide non possumus. folio 262.13
Deo mundi creationem, & fabricam tollunt Aristoteles & Auerrhoës. 16.13
Deo quæ procedunt, & à cœlo, bona sunt in se, sed nobis nec bona, nec mala nisi pro rore. 143.18
Deo fertur acceptũ, boni quidquid creatis inest. 16.13
Deo solo fulciente stamus, & non peccamus. 256.9
De pausa, quiete, & silentio, ad quod deuenitur adepto iam bono, in quod tendimus 466.1
Descensus Auerni facilimus 460.2
Deserta loca & arida in duplici differentia 135.10
Desertum malorum spirituum. 136.10.
Desertum & arida quid significent. folio 135.10
Determinatio rei particularis à materia, forma, & spiritu ꝑuenit. 74.17
Deuenitur ad unionem cum Deo secundũ Plotinũ & alios sapientes. 461.1
De uirtutum connexione qui longo sermone disputarint 346.12
Deucalionis historia, atque Phaëthontis figmentum undè 3.1.
Deum qui putant tempus exquirere in agendo ab Augustino ridetur. 33.10
Deum non operari infinita uirtute opinatur impius Arabs Auerrh. 33.10
Deum omnium opificem ex sensibilibus deprehendi potest 282.1
Deum unam tantum produxisse intelligentiam asserunt multi 42.5
Deum nemo nouit unquam 164.2
Deum esse nullus non fatetur 5.3
Deum necessariam habere cõnexionem cum inferioribus existimant philosophi. folio 21.16
Deum esse ueram sphæram quæ innuãt folio 167.3
Deum Patrem Hebræi coronam superiorem appellant 97.18
Deũ orationibus & sacrificijs uenerari

ingenitum hominibus, inquit, Auerrhoës 20.16

Deū, id est de Deo loqui sine lumine diuino illustrante non posse 4.2

Deum irasci, pœnitere, dolere concupiscere, & huiusmodi, quomodo intelligēda: nō enim irascitur Deus. 388.1.

Deum proferre sine lumine uetuit Pythagoras 74.17

Deum fabricasse mundum asserunt Hebræi, primo quidem in mente, in secundo explicauit in proprias formas. folio 98.18

Deus non esset simplicissimus si cum inferioribus necessariam haberet conexionem 21.16

Deus omnium rerum habet in se idolum folio 438.3

Deus siquid præexquireret in creando, priorem Deum præexigeret, & sic primo omniū aliquod prius, quod est absurdum 12.9

Deus æquissima lance eos qui sunt præuaricati dimisit in nos hostes. 366.5

Deus quo mysterio princeps exercituū dicatur. 89.7

Deus si, id est quia superioribus permanentiam dare potuit, ergo & inferioribus contra allatrantem canem Auerrhoëm. 16.13

Deus non impotens in inferioribus fuit, qui tam potens fuit in supremis. 16.13

Deus sese constituit exēplar rerum faciendarum, contra cacodæmonis Aristotelis sententiam. 194.9

Deus silentio laudandus, quomodo intelligi debeat 467.

Deus est, ex cuius ore non egredientur bona, neque mala 143.18.

Deus sensibus nostris non subiicitur. folio 344.10

Deus mare excelsum, & pelagus infinitæ substantiæ 138.12

Deus est omnia quæ sunt, & omnia quæ non sunt 366.2

Deus quid sit, & si intelligere non possimus, Deum tamē esse oraculis, ratione & consensu edocemur. 5.3

Deus conclusit omnia in incredulitate. folio 353.5

Deus omnia in ōnibus operatur. 460.2

Deus pater ueluti in generatione filij nō exegit matrem, ita nec filius in regeneratione hominum exigit matrem. folio 266.2

Deus ante mundi geniturā otio non torpebat 15.12

Deus solus metaphysicus 357.7

Deus impeccabilis & immutabilis est. folio 392.6

Deus hominem dotibus duabus donauit timore, & amore, quibus timeatur & ametur. 378.8

Deus quieuit in Christo 176.12

Deus quieuit, & Deus pater usque modo operatur, quomodo intelligatur. folio 176.12

Deus & natura quomodo intelligendū. folio 25.18

Deus unus 7.6

Deus interdū hospes, modò mons supremus, modo mons excelsus, modo mōs sublimis 134.9

Deus omnium fœcunditatum plenissimus, inquit Ter maximus 15.12.

Deus & si omnia per uerbū facta sunt, multa tamen per ministros. 58.3

Deus omnia Christo subiecit 296.1.

Deus cur omnia creauerit subiecta naturæ uertibili 256.9

Deus flagitia hominum per angelos malos punit. 171.7
Deus est sphæra cuius centrum est ubique. 40.2
Deus speculum est in quo refulgent omnia. 23.17
Deus primum agens & primus formarum dator 195.10
Deus omnium primus & optimus, cætera ipsi inferiora &, ministrantia. folio 16.13
Deus omnium rerum, & numerorum fœcunditate plenus 6 5
Deus cur Pan à poëtis dictus. 6.5.
Deus pater est causa à qua, filius, in qua spiritus sanctus, per quam. 406.7
Deus reddet unicuique secundum opera sua 263.14
Deus est absolutè p bonũ, participationẽ tamẽ aliquis bonus dicitur. 465.1.
Deus omnia complet flatu & uita suauissima 163.1
Deus hominem non solo iussu, sed propriis manibus plasmasse dicitur. 99.1
Deus filium duplici uocabulo interpellat. 450.7
Deus cum sit maximè unus, multis tamen nominbus uocatur, ut eius multæ proprietates exprimantur. 286.6
Deus quomodo reuerendus 5.3
Deus uerè abscõditus, & patẽs. 399.16
Deus solus extra producta. 126.1
Deus multa potest, quæ nos intelligere non ualemus 392.6
Deus uoluit Christum pati, quomodo intelligendum. 305.7
Deus instrumentis non eguit qui solo iussu peragit omnia 15.12
Deus est spiritus igneus intellectualis, non habens formam, sed transformans in se quæcunque uoluerit, & coæquans se uniuersis, & uniuersa sibi 411.14
Deus homini sese immiscens miraculum attulit, quod omnium miraculorum superat rationem 15.12
Deus est terra 284.4
Deus est aqua. 284.4
Deus est aer 284.4
Deus est ignis 284.4
Deus merces & obiectum nostrum delectabile 457.2
Deus in oblationibus tria requirebat. folio 431.1
Deus solus ueritatis fons 33.9
Deus uera unitas omnem numerum cõprehendit 7.5
Deus sibi in sacris uendicat dexteram, sinistram, pedes, &c. hominis membra. 388.2
Deus permisit omnes in peccatum labi, ut omnes sentirent misericordiam. folio 252.5
Deus hoc solo priuatur, quòd genita ingenita facere non potuerit.
Deus tãquam prima & uniuersalis causa influendo ad malũ licet conueniat, non cooperatur tamen 46.9
Deus secundum Paulum ignis est. 421.5
Deus secundum Plutarchum spiritus est folio 421.5
Deus non sine mysterio legem Mosi in rubo igneo tradidit 421.5
Deus summus moderator quàm occulta sapiẽtia multa mala pmittat. 256.9.
Deus contraria contrariis opposuit, ex quibus harmonia quædam suauissima resultat 256.9
Deus est qui facit bonum, & creat malum: qui facit lucem & creat tene-

bras 143.18
Deus in homine diuersitatem uoluit inesse 392.6
Deus nec definiri, nec diuidi, nec componi potest, id quod fuit in causa ut peripateticorum nemo nouerit Deum. folio 165.2
Deus, inquit Parmenides, ipse solus omnia existit 166.2
Deus est omnia eminenter 16.13
Deus pater omnium & caput 265.1.
Deus primo, postea Christus qualiter dictus sit pater omnium. 265.1
Deus fons est. 139.13
Deus liber à passionibus omnino. 388.1
Deus trinus & indiuisus operatur ad extrà 41.3
Deus formauit hominem de limo terræ, legẽdum, hominem puluerem. 239.15
Deus Abraham in scripturis cur dicatur 456.4
Deus sanguine animalium fuso uisus est delectari in ueteri lege 238.15.
Deus totus ubique non per partes diuisus 203.4
Deus loquutus sanctis patribus semper per angelos 380.9
Deus fœcunditate utriusque sexus munitus fons omnium fœcunditatum. 17.13
Deus semper ad intrà producit: ad extrà autem pro libito uolũtatis. 17.13.
Deus ignis uorans, comedens & consumens est 391.5
Deus accersiuit angelorum consortium cum crearet hominem 99.1
Deus semper iungitur nobis per relationes, creator, rector, gubernator, &c. 97.18
Deus ignis comedens est, & non consumens, ut habet mendosa traductio. folio 411.14
Deus necessariò nõ agit ad extrà. 20.16
Deus per angelum Mosi & cæteris patribus loquutus 89.6
Deus omnia unico actu intelligit. 388.1
Deus cur inæquales fecit animas quærere absurdum est 351.3
Deus circulus quidam 388.1
Deus ante mundum æternitate & ordine quodam, ut materia ante formam. folio 13.10
Deus omniũ finis, cuius gratia ut amati & desiderati mouentur omnia. 16.13
Deus fœlix sine aliquo bono exteriore. folio 17.14
Deus quid ante orbem creatum faceret. folio 19.15
Deus summus odoribus, & saporibus nõ delectatur, nec cibis pascitur. 238.15
Deus cœlum & terram implet 165.2
Deus unus est per identitatem, cæterorũ unumquodque per diuersitatem unũ dicunt 89.8
Deus simplicissimus nullã admittit unionem, & mixtionem. 399.17
Deus filius aqua uitæ, & sapientiæ. folio 130.6
Deus omnia iussu & uerbo produxit. folio 33.10
Deus omnium rerum pater, sed perfectiori ratione hominis 189.3
Dextra dextræ in matrimonio complicatur 441.2.
Dexteram Fidei consecrauit Numa Põpilius 120.29.
Diaboli nihil possunt assumere, nisi quãtum permiserit Deus 239.15
Diaboli escam quærere dicũtur à Deo. folio 239.15.
Diaboli quæ sint 239.15

Diaboli potissima sedes animal nostrũ. folio 239.15
Diabolo humani generis accusatori caprũ emitti mãdauerat Deus. 239.15
Diabolus, malus dæmõ, serpẽs antiquus, Azazel, uel Asmodeus, est dominus carnis & sanguinis 386.6.
Diabolus tanquam Numen apud Indos ueneratur 354.5
Diapason duo consideranda continet. folio 177.15
Diapason omnium consonantiarum consonantissimum 35.11
Diapason, bisdiapason, diapente, diatessaron, & diapason simul cum diapẽte unde resultent 50.13
Diapason qua proportione fiat. 86.3
Diapason Genesi & nuptiis accommodum asserit Pythagoras 35.11
Diapasonica, diapentica, diatessaronica, uel diatonica harmonia ex uariis uocibus consurgit 27.2
Diapente qua proportione fiat 86.3
Diatessaron qua proportione fiat. 86.3
Diatonicum quibus constet 88.5
Dice Themidis filia 92.11
Dicearchus Peripateticus quid de diuinatione 373.4
Didymus Brachmanarum rex inquit, Non sumus huius mundi incolæ, sed aduenæ 273.10
Dies tres qui præcesserunt diem quartũ in quo creatus creditur sol, quomodo intelligantur 33.10
Dies ab initio uniuscuiusque constituti. folio 326.25
Diesis quid sit 88.5
Differentia regis ueri & regis tyranni. folio 61.6
Differentia inter supremas & inferiores intelligentias 55.1
Differentiæ rerum propriæ nobis sunt occultæ 22.17
Digami quidem ad sacerdotiũ nõ admittuntur, nisi à pontifice Romano dispensati, Meretrices uerò & cinædi passim usque ad pontificium, à sacerdotibus admittuntur 226.6
Digiti sunt sub tutela Mineruæ. 120.29
Dij appellantur iudices in Exodo. 61.6
Dij quàm diuersi apud diuersas nationes. folio 208.13
Dij duo si essent, quæ acciderent. 8.6
Dimensio omnis solum triplex 85.1
Dimensio perfecta in corpore triplici augmento consũmatur, triplicique intersecatione, recto angulo 40.2
Diu Hebræi quid uocẽt 136.10
Diodorus Athenienses Asiã & Europã cur perlustrauit propè uniuersam diligenter 2.1
Diogenes Babylonius qd de Diis. 5.2
Diomedi Syracusano mira cõtigerunt. folio 374.4
Dionysii matri in utero gerenti quid uisum fuerit 169.6
Dionysio Areopagitæ arcana mysteria à quo credita 55.1
Dionysius ueneratus est Hierothei sententiam de IESV 284.8
Dion. in suo de diuinis noĩbus qd. 271.8
Dionysius in suo de mystica theologia libro quid. 271.8
Dionysius in libro de diuinis nominibus quid de Deo sentiat 191.5
Dionysius quid de ãgelis referat in suo de hierarchia libro. 170.7
Diony. 45. nomina Dei collegit. 286.6
Discipuli septuaginta duo quid innuant, quos princeps noster IESVS in

Euangelio elegisse dicitur. 323.23
Discipuli Christi aliqui obscurati. folio 357.8
Discipuli Christi cur potius à Spiritu sancto, quàm à Christo docendi erant. folio 385.4
Disciplina Christiana non humano usurpatur fastu 15.13
Disciplina Christi claritate perfusa est, & ab omni fastu humano abborret. folio 15.13
Disciplina Christi sapiẽtes huius orbis sibi & suis uiribus cõfidentes irridet. folio 15.13
Disciplina Christi doctores & sapiẽtes sibi ipsis, irridet 15.13.
Discretio boni & mali nõ fit per sensus exteriores 360.11
Disputandi latũ cãpũ posteris reliquit, & uiam strauit Petrus Lombardus. folio 33.9.
Differendi duplex progressus. 113.19.
Dißimiles uoces non dissonantiam, sed concentum faciunt. 27.2
Dissonantia philosophorum in anima. folio 28.4
Dissonum in homine nihil factum. 101.3.
Dissonãtia quæ uel consonãtia inter corpus & animam, & undè. 338.4
Diuersitatis sacramẽtum in homine paucis aperuit Deus 392.6.
Diuina potius sunt ex oraculis suscipienda, quàm ingenio inuestiganda. folio. 403.3
Diuina bona quæ 181.20
Diuina genera tota se totis priorum genera participare 93.13
Diuinam essentiam angeli omnes immediatè contemplantur 57.2
Diuinãdi genus quoddam artificiale & ab experientia 372.3
Diuinatio non est fatalium, ut aiunt aliqui 375.5.
Diuinatio fortuitarúmne, an fatalium sit rerum quæritur à multis. 375.5
Diuinationem quibus refellant argumentis, qui eam negant 375.5
Diuinationis Aristotelis sententia in lib. de bona & mala fortuna. 375.5
Diuinorum rationes occultißimæ longo uix tempore percipiuntur, imò solum à spiritu sancto afflatis 14.12
Diuinorum cognitionem ueram scientiã uocat Parmenides 195.10
Diuinum lumẽ Plato Solem, naturale uerò Lunam uocabat 30.6.
Diuinus numerus 27. folio 97.18.
Diuitiarum augmentum quæ faciant. folio 82.31
Diuitiæ dictæ ꝙ nos diuos, inquit Marcus Varro, faciant, nullóque egentes. folio 276.12
Docendi triplex uia apud peripateticos folio 165.2
Docti q cupiant effici & sapiẽtes, prius amatorij efficiantur necesse. 57.2
Doctores doctrinas pestiferas docentes cibus sunt mortis 158.32
Doctrina quam nos docuit Christus. folio 271.9
Doctrina Christi semper sapientibus huius mundi & prudentibus & potentibus denegata, Paruulis uerò & humilibus idiotis reuelata 272.9
Doctrina Christi summè uera. 254.7
Documentum primum ad gratias Deo persoluendas 398.15.
Documentum secundum quod. 398.15.
Documentum tertium quod 398.15.
Documẽtum quartum, applicatio & ad-

bæsio Dei 398.15
Documentum quintum unio cum Deo. folio 398.15
Dogmatizantes noui qui 259.12
Dolor fit ex rebus quas nolumus. 62.6
Dominandi conditio atque operandi uaria & mira 379.9
Dominādi uis quomodo perdita homini, & restituta 378.8
Dominandi quæ uis legitima. 381.10
Dominationes uelut architecti præcipiunt, folio 439.2
Dominationes, mentis libertatem interpretari. 61.5
Dominationum proprietates decē. 61.6
Dominationum & Iouis conuenientia. folio 61.6.
Dominium calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem uirtutē inimici tādiu in successoribus apostolorū, quandiu potuerunt dicere argētum & aurum non est mihi. 379.8
Dominium Christo à Patre datum & præfinitio temporis per oraculum explicantur 326.25.
Dominiū eiiciendi dæmones & reliqua noxia tādiu fuit in Christianis, quādiu permanserunt fideles ut discipuli. folio 379.8
Dominum perhibet Ezechiel se uidisse in speciem electri refulgentis supra renes, infra uerò ignis cādentis quid signet. 413.17
Dominus carnis & sanguinis & hominis mali Azazel uel Asmodeus. folio 386.6
Dominus, sacrificia odorabat quomodo intelligendum 240.15
Dominus multa esse dicitur. 413.17
Dominus omni laude maior 399.16
Dominus omne malum quod est in ciuitate, facit 256.9
Dominus ait, Ego sum creans malum. folio 256.9
Dominus tamen non creat pœnā. 256.9.
Dominus Deus optimus facit omne malum, quia fecit naturam uertibilem. folio 256.9
Domus Dei duplex 304.6
Domus & familia cœlestis partita est. folio 436.1
Domus Israelitica per allegoriam quæ sit. folio 304.7
Draconis & diaboli caput Christus: & non alius, neque alia 280.18
Draco teterrimus unde effectus. 299.3
Draco uictus triplicem contra nos aciē induxit. 454.1
Dorylaüs Pythagoreus quid mundum sentiat 163.1
Dulcia simul unctuosa sub Venere militant 80.28
Duodenarius mysticus ualde numerus. folio 113.19
Duodenarius Diis generibusq; his quæ ab eis procedunt, cōsecratus. 113.19
Duo in amātibus uigere solēt quæ. 452.1
Duratio æterna nihil à Deo distat. folio 17.14
Dyon Platonicus in lib. suo de regno, Nō est potestas nisi à Deo. 168.5

E

ECce q̄ bonū & q̄ iucundum ex psalmographo quō intelligēdū. 460.3
Echeneis. i. remora tātā uim habet occultam ut nauim sistat 370.1
Ecclesia potius consuetudine, quàm ratione, ne suboriatur contentio, permittenda uocari mater 266.2
Ecclesia prima coniux Christi, formata

ex costa dilectionis 266.2
Ecclesia in quo Simonem æmulata sit. folio 308.12
Ecclesia Romana ab omnibus laudata. folio 314.17
Ecclèsia militantium quæ 457.1
Ecclesia coniux formata de latere Christi dormientis in cruce 266.2
Ecclesia nihil est, nisi relatiuum quoddã aggregationis fidelium. 266.2
Ecclesia non potest esse mater, cum constet ex regenerantium aggregatione, qui cum renascantur filij sunt, & non mater. 266.2
Ecclesia, uiri in spiritu sancto congregati, nõ fabrica, non possessio beneficiorum, uel dominium temporalium. folio 144.18
Ecclesia Romana ad aduentũ Christi se eundum perdurabit 314.16
Ecclesiam Ro. Maronitæ obseruãt dẽpto solo idiomate. 314.17
Ecclesiæ corpus panis optimè figurat. folio 230.10
Ecclesiæ corpus non deficiet quomodo intelligendum 326.24
Ecclesiæ septem quibus dicata est Ioannis celeberrima uisio 313.16.
Ecclesiæ septem elector 439.2
Eclipsis Lunæ inaudita euersionem Ierosolymitanam prænuntiauit. 169.6
Effectus alij naturales, alij immediato Dei iussu eueniunt 375.5
Effectuum necessitas ab ordine primæ causæ dependet 21.16
Ego sum qui sum, melius ad literam sim qui sim, aut ero qui ero 287.6
Ego quasi fluuius Diorix, & non Dorix folio 140.14
Ego sum qui sum, legẽdum, Ero, qui ero. folio 62.6
Ego sum qui sum 183.21
Egredi ex Ægypto oportet, & mare rubrum pertransire quomodo intelligendum 453.1
El, aut Elohe Dei nomen quid significat. folio 287.6
Elchai, id est Deus uiuus 288.6
Eleemosynis homo abluitur 395.11
Elementa, Dei simulachrum gerunt. folio 68.11
Elementa quatuor ex quibus & in quæ omnia transmutantur 48.10.
Elementa mundi quatuor 51.13
Elementa etiam in cœlesti & supercœlesti mundo reperiri 53.17
Elementa quaternario distributa. 50.13
Elementa subtiliora crassioribus uelocius mouentur. 93.13
Elementa quatuor in membris omnibus mundanis reperiuntur 52.14.
Elementa qua nota conueniant cum archetypo 128.3
Elementa indistinctè mouet Mercurius. folio 80.29
Elementa in Deo quid 53.16
Elementa tria rerum omnium principia, aërem uerò, cæterorum uelut glutinum. 96.17
Elemẽta physices 4. uirtus, pullulatio naturalis, adulta forma, cõpositũ. 51.13
Elemẽta mathefeos signum siue punctũ lineæ, planum, solidum 51.13
Elementa in omnibus reperiri, sed in hoc mundo inferiori crassiora. 53.17
Elemẽta in cœlo nitida & pura. 53.16.
Elemẽta supra cœlos uiuẽtia quæ. 53.16.
Elementa quæ Lunæ ascribũtur. 81.30.
Elementa quotis gradibus se inuicem superent. 51.13

Elementa in cœlis reperiri. 421.5
Elemẽta ethices 4.iustitia,temperantia, fortitudo,prudentia 51.13
Elementa methaphysices 4.essentia,esse,uirtus,actio 51.13
Elementa quanta sonoritate in homine reperiãtur 103.6.
Elementa omnia in cœlis & angelis & Deo reperiri 128.3
Elementarium figurarum proportiones. folio 54.17
Elementis disponendis præsunt intellectuales uirtutes 58.3
Elementis omnibus suus calor immixtus est 410.14
Elementis quatuor omnia constant. folio 50.12
Elementis quæ respondeant in homine. folio 104.7
Elementorum harmonia 51.13
Elementorum contrarietas 51.13
Elementorum transmutatio medio quonam fiat 386.8
Elementorum figuræ secundum Pythagareos. 54.17
Elementum quodque in alio in compositis inesse 59.3
Elephas homini erranti in solitudine,uiam placidus & clemens monstrat. folio 378.8.
Elephas uestigio hominis uiso contremiscit & alia multa 378.8
Elephantiæ causa & materia 116.23
Elgibor quid 186.2
Elgiber quî interpretatur 298.2
Eliæ oraculum summe ueneratum. folio 406 6
Elias Maltiel angelum habuit familiarẽ folio 363 1
Elias translatus quomodo 462.1
Eliminatio eorum qui fide sola saluari sperant 259.12
Elisiphan quibus dux fuit 321.22
Eliseus excæcauit inimicos & in mediã Samariam eos duxit 381 10
Elohim, id est spiritussanctus inducitur à Mose uoluare super aquas. folio 93.12
Elohim gibor Dei nomen quid significet 287.6
Elohim zebaoth quid significet 182.21.
Elohim,opifex orbis introducitur à Mose in tota fabrica 163.1
Elohim tria significat 364.2
Elohim Spiritussancti nomen, licet nos Deum habeamus interpretatũ. 93.12
Elohim rerum opificem Moses inducit. folio 93 12
Elpheia in gradu Scorpionis quarto. folio 82.31
Emolumenta duo præcipua à luce habemus 434.4
Empedocles multa in Deum peccans, turpissimè in Deorum opinione labitur 4.2
Empedocles quatuor naturas, ex quibus omnia constare censet, diuinas uult esse 4.2
Enharmonicum quibus conflatur. folio 88.5
Enneades quanto mysterio in suo decimo conueniant 84.33.
Enoc quo lumine futura prædicere cœpit. 2.1
Entia prima simplicia 190.4
Entitas tertia 401.1
Ens omne à Deo, & quod à Deo aliquo modo unum, aliquo modo non unum, aliquo modo idem, aliquo modo non idem 195.9

Epicarmus Sphærus de ideis cum Timæo & aliis conuenit. 192.7
Epicurus cogitabat Deum humana forma circumamictum 4.2
Epilepsiæ causæ 116.23
Ephraim quomodo interpretatur. folio 318.19
Epimenides uir diuinus decennio prædixit Atheniensibus classem Persicā futuram 372.3
Epimenides Cois uates fuit 374.4
Epithalamium in connubium 452.1
Epithalamium sponsi quod 451.1
Epithalamium in sponsam 451.1
Epithalamium quis cantet 450.1
Epithalamium quid est 450.1
Epithalamia quædam ob excellentiam cantica canticorum dicta 450.1
Epithalamia quæ Salomō edidit ab Isaia probata, ideo tenenda. 450.1
Episcopus unde dictus 459.3.
Equo pugnare Thessali repererunt. folio 19.14
Equum & ascensorem inuoluit in mari: & non deiecit legendum. 142.16
Erisipelatis causa & materia 118.25
Eructabunt in psalmo melius traducitur quàm loquentur 446.5
Error quorundam asserentium Saul Messiam 296.1
Esau in suam damnationem non odio habitus 353.5
Esse nullum uerum, nisi illius qui ait, Ego sum 36.12
Esse à se habere non possunt quæ in alio perfici quærunt 18.14
Esse omne, & rerum necessitas ab ideis dependet 197.13
Essenæi uitam horridam ducebāt, quippe qui Venerem abdicarant, pecuniam nesciebant, palmis uictitabant, interiora Iudææ ad occidentem uersus habitantes 10.8
Essentia non generat, neque generatur. folio 208.13
Essentiam omnia habere à primo ente. folio. 6.5
Et ipsum conteret caput tuum: & non ipsa, ut mendosè habet traductio. folio 280.18
Et in terra pax hominibus bonæ uoluntatis in quibus locum habet 460.1.
Eāgelica lex de homine perficiēdo secundum spiritum tractat. 383.1
Euangelium Matthæi quale 308.12
Eunomia Themidis filia. 92.11
Euphrates quid sit, & Hebraicè, hu perat. 148.22
Euripides Deum, Iouem præcipit nominandum 7.6
Eusebij de utroq; lumine iudiciū. 357.8
Eusebius Cæsariēsis quæ portentat naret præcessisse cladem Hierosolymitanam 169.6
Eusebius Pamphilus in solutionibus theologicis quid de animali mūdo. 201.1
Eusebius philosophorum errores detegit. 10.8
Eusebius librum de triade & monade ædidit. 127.2
Ex lignis setbim, id est, quod nos laricem appellamus 83.32
Ex nihilo nihil non esse uerum. 12.9
Ex ore altissimi non egredientur bona, neque mala. 143.18.
Exemplaria rerum omnia in uerbo humanato abscondita. 58.3
Exercitia quæ sint Mercurio dicata. folio 81.29
Exercitus & militiæ cœlestes sunt intel-

ligentiæ 94.14
Exercitus ordinem, signi dationem, tessaras, uigilias Palamedes ĩ bello Troiano reperit 19.14
Exi de terra tua, Hebraicè habetur, Vade ad te 109.15
Expectare donec Socrates aliquid sciat. folio 359.9
Extra locum nihil est ad locum pertinẽs. folio 19.15
Extra tempus nihil est ad tempus spectans 19.15
Ezechiel & Ioannes ciuitatem supernam partiuntur 422.1
Ezechiel templum diuidit, Ioannes autẽ non 422.1
Ezechielis lectio uaria ubi ait, Aspectus ophaninorũ quasi uisio lapidis tharsis &c. 58.3
Ezechielis uisionis lectio authoris multum à uulgata differt 57.3
Ezechielis admirandum oraculum. 57.3
Ezob quod ob uicinitatem uocabuli byssopum sunt interpretati, libanotis re è est & non byssopus 153.27
Ezob Hebraicè rosmarinus & non byssopus interpretandus. 82.31

F

Fabrica ciuitatis quomodo & quo glutino compacta & unita sit. 428.2
Fabrica idealis in mente artificis. 7.5
Fabricam materiarum reperit Dedalus. folio 19.14
Facies quæ biliosorũ Martialiũ. 118.25
Facti ratio, facientis est potentia. 392.6
Facinus horrendum potius sequi Aristotelem, quam Paulum in demõstrationibus 22.17
Falluntur sæpius prognosticãtes. 341.8
Familia apostolica & Israëlitica numero duodenario distributa est. 305.7.
Familia humana biuiũ in Abel & Cain fecit 428.2
Familia reparata in Seth. 428.2
Farfalla quid sit 402.1
Fatalia præcaueri non possunt. 375.5
Fatalia illa dicuntur quæ cœlorum dispositione nobis accidere uidẽtur. 375.5
Fatalium & fortuitorũ esse diuinationem 375.5
Fatum dispositio. 439.2
Fatum dispositio septem intelligẽtiarũ. folio 192.7
Fatum quid sit 192.7
Fas, Græcè θέμις 92.11
Fauorem qua breui uia à cœlo, angelis, & Deo fauorem haurire possimus. folio 343.9
Febris quartanæ materia & causa. folio 116.23
Fermentum malitiam significat 236.13
Ferrum in Creta repererunt Dactyli Idæi 19.14.
Ferrum ferro acuitur 344.10
Fiat lux, mendosè legitur pro, Sit lux. folio 410.14
Fidem solam sufficere ad salutem nõ solum hac tempestate suos habuit authores, uerumetiam apud Hebræos antiquissimos asseruerunt, qui Rabbini sunt uocati 258.11
Fidem ad interiorem hominem pertinere neq; aliquid aliud: opera uerò ad exteriorem asserunt quidam, 259.11
Fidem non posse subsistere cum operibus quidam asserunt 258.11
Fidei author & finis Christus 282.1
Fidei & operum magna controuersia. folio 259.12
Fides nostra, est uictoria mundum uin-

cens. 268.4
Fides cur exigatur à nobis in regeneratione 266.3
Fides prima ianua, qua itur ad Christum. 169.5
Fides ex neruis lupi & agni factæ in consonantiam duci non posse experiẽtia comprobatum est 30.6
Fides sola quæ est sola credulitas, ad salutem non sufficiens 258.11
Fides præcedere, opera sequi debent. folio 263.14
Fides secum uniuersam habet salutem. folio 259.11
Fides sine operibus mortua 259.12
Fides principiũ & ostium salutis. 261.13
Fides semen bonorum operum & radix folio 261.13
Fides quid sit 267.3
Filia & uxor æterni regis est in ciuitate cœlesti 439.3
Filia Ierusalem in epithalamio quid. folio 451.1
Filij Israël uiso angelorum cibo admirati. folio 456.1
Filij Israël quo ordine castrametati sint. folio 305.8
Filij iræ eramus. 331.7
Filij Israël in faciem Mosi intendere nõ poterant quare 432.1
Filio Dei impositum nomen quanta celebritate fuit 429.3
Filium fortem qui uoluerit habere Cæsarem, Samsonem, Herculem, Alexãdrum magnum, siue eorum statuam: si philosophum Aristotelem, Platonẽ ob oculos habeat, & sic de reliquis.
Filius Dei illegitimus respectu naturalis intuitionis quis sit 299.3
Filius Dei per modum naturæ genitus, cætera omnia uoluntario coniugio facta 299.3
Filius spurius qui, & quare eiectus. folio 300.4
Filius Dei cum homine sine spiritu sancto non fuit counitus 385.4
Filius Dei Petra sæpe dicitur 129.5
Filius Dei idem cum patre in essentia, alter uerò in persona 91.11
Filius replet omnia ueritate 283.2
Finem conditionis humanæ alij alium posuere, ut fermè infinitæ infinitorum sint opiniones 29.5
Finis uitæ nostræ & conditionis opiniones ducentas octoginta octo meminit Augustinus collectas à M. Varrone. folio 29.5
Finis conditionis humanæ, alij uirtutes laboriosas, alij uirtutem animi, alij uoluptatem, alij speculationẽ, alij unionem cum summo bono existimãt. 29.5
Finis mediatus hominis, & ultimus qui. folio 13.11
Finis animaliũ mediatus & ultimus qui. folio 13.11
Finis intelligentiarum à Deo & à corruptibili materia separatarum immediatus & ultimus, qui 13.11
Finis initiis consimilis in rectè agentibus. folio 100.1
Finiti ad infinitum nulla est proportio. folio 399.17
Firmamentum non legendum illic ubi dicitur, Fiat firmamentum in medio aquarum, sed extensum uel expãsum. folio 39.1
Fistulam Pan reperit 18.14
Flagitium synagogæ grauius quàm scelus Gomorræ 431.1
Flatus præstat sonum omnibus istis in-

strumentis, qui Spiritus sanctus & uerbum Diuinum est 499.6.
Flores & herbæ heliotropiæ omnes solares 79.27
Flumina & canales quid 139.14
Flumina quatuor illa paradisi quid significent 147.22
Flumina rationales animæ 140.14
Flumina ortum habent à mari 139.14
Fluminum infernalium qualitates 53.16
Fluminum magna mysteria 140.14
Fluuij qui auriferi 149.22
Fluuius per mediam ciuitatem cœli fluẽs quid significat 445.4
Fœcunditatem ad extrà Deo tollunt Aristot. & multi alij 16 13
Fœcunditas omnibus rebus per planetas subministratur 179.17
Fœdera inuenit Theseus 19.14
Fœdus, pactum, testamentum idem in sacris 297.16
Fœlicitas non est in rebus exterioribus teste Aristotele 197.13
Fœlicitas perfecta quibus detur. 464.3
Fœlicitas uera quid sit 382.12
Fœlicitas in quo constet 462.1
Fœlicitas nisi in deo esse potest. 462.2.
Fœlicitas perfecta qbus detur & quãdo folio 465.3
Fœlicitas quid 462.1.
Fœlix & beatus quis sit 462.1
Fœlix antequam aliquis dicatur morte mori debet 462.1
Fœmina quando concipiatur 267.4
Fœmina est malum (ut dicebat Pythagoras) quia deficit à perfectione uiri. folio 393.7
Folia ficus nuditatem Adæ cõtegere nõ poterant & quare 445.4
Forcipem reperit Dedalus 19.14
Forma & species quæ sit eorũ qui præesse dicuntur 63.7
Formam & esse specificum ab ideis habemus 195.10
Formam educi de materia, nisi sententia Anaxagoræ sit uera, Quodlibet in quolibet esse, uix intelligi potest. folio 195.19
Formarum dator si Deus est, formas in eo esse necesse est. Formæ autem in Deo existentes sunt ideæ de quibus Plato 195 10
Fortuita & casus nulla Deo sũt. 375.5
Fortuita & euenta atque casus non ratione Dei, quorum causa est ipse, sed ratione eorũ quibus accidunt. 375.5.
Fortuita à casu uidẽtur hominibus, cum tamẽ à Diuino decreto summa ratione procedant 375.5
Fortuitorum nulla præsentio 375.5
Fons pater 139.13
Fons filius 139.13
Fons in medio paradisi quid signet. folio 147.22
Fontes quid 139.13
Fontes saluatoris qui sint 139.13
Fontes très sunt unus fons 202.2
Fontes Elim qui 320.21.
Fontes Apostoli dicti 321.20
Fundam reperit Æneas 19.14
Fundamenta utriusque familiæ prophetæ & Apostoli sibi inuicẽ correspondẽtes sunt in ciuitate excelsa. 439.3.
Fundamenta machinæ mũdialis quadrifaria 42?.3
Fundamenta omnia quaternaria iacienda. folio 50.13
Fundamẽtũ uniuersale Christus. 429.3
Fundamentum supernæ ciuitatis ex auro. folio 416.1

Fundamenta duodecim unico fundamento innituntur 445.4
Funus & eius ceremoniæ ad quid institutum 225.6
Furor quid sit 373.4
Fusum in lanificio Closter Arachnes filius tornauit 19.14
Futurorum præsentio ad Deos spectat. folio 372.3
Franciscus inter nouitiores Theologos insignis Aristotelem de ideis refellit. folio 194.9
Fructus qui Venerei 80.28
Fructus domus in qua Christus regnat. folio 303.6
Fructus plures ex actiua, quàm ex contemplatiua uita 303.6
Fructus omnes ab eadem arbore procedant quomodo 445.4
Fructus utrarumque arborum contracti sunt ex trangressione primi parentis folio 355.6
Fructus conuiuij cœlestis qui 445.4.
Fructus cur ultra pœnitentiam requirantur 259.12
Fructus boni sunt partus matrimonij. folio 442.4
Frugalitas nunquã contẽnenda. 197.13
Fruitio beatitudinis quid 362.12

G

Gabriel missus ad Mariam. 439.2
Gad quì interpretatur 303.6
Gad nomen duabus literis apud Hebræos scriptum
Gad fœlicitas & bona fortuna, undè sit. folio 315.18
Gad regiones opulentissimæ 315.18
Galeã Lacedæmonij repererunt. 19.14
Galeni, Haliabbatis sẽtẽtia de hepate. folio 117.24
Galenus per omnia Hippo. fidelissimus interpres medicinæ præcepta auget, & limitat non minus doctè atque sapienter 18.14
Galenus quid de seminis parte spumosa. folio 265.1
Galenus de mutationibus quæ fiunt septimo quoque animo 179.17
Galli gallinacei apud Thebaidam canẽdo totis noctibus, Bœotiis aduersus Lacedæmonios præsagiere uictoriã. folio 370.1
Galli si uincant aduersarios canunt, uicti uerò silent 370.1
Galli Roma iam adolescente uini usum didicerunt 18.14
Gallus alis apertis leonem fugat. 370.1
Ganges undè oriatur 149.22
Ganges, Physon, Tygris &c. nõ ab uno fonte oriuntur 149.22.
Garamantica regio ubi, & qui eam habitent 318.19
Gedeonis uellus nunc siccum, nunc irrigatum quid 144.18
Gelius mira de Cornellio quodam sacerdote scripsit 374.4
Gemmarum lapillorumque interpretationes incertæ tã Hebræis, quã Græcis & Latinis 58.3
Gemmæ quæ sint Lunæ imperio 81.30
Gemmæ quæ Mercuriales sint 80.29
Gemmæ Veneri quæ ascribãtur. 80.28
Gẽmæ quæ solis naturã habent 79.27
Gemini brachia regenda sortiuntur. folio 111.17
Gemini dicuntur quia cum ad eos peruenerit Sol, tunc geminat uires. 112.18.
Gemini sunt Castor & Pollux 111.18
Geminis quæ regiões subiectæ. 306.10.
Gemistus Plethon interpres Zoroastris.

folio 380.9
Genadius presbyter Maßiliensis præter collectos à D. Hierony. unum & nonaginta uiros illustres recensuit. folio 33.9
Genera hominũ uaria in humana repu. uoluit summus moderator, ita etiam brutorum 352.4
Generans & producens dicitur, qui formam deducit in actum 37.13
Generatio ad indiuiduum terminatur. folio 18.14
Generatio unius est corruptio alterius.
Generatio incredula & peruersa signũ quærit 332.7
Generationes & corruptiones rerũ succedunt ea reuolutione qua cœli uoluuntur 59.3
Genios duplices ostendunt Platonici. folio 344.9
Gens nulla, nullum tam barbarum genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem Dei aliquam. folio 5.3
Gẽtiles pro Diis adorabant hoĩes, quos credebant in cœlum euectos. 108.14
Genua Misericordiæ consecrarunt. folio 120.29
Genus humanũ quomodo in ipsum Deũ ducatur 173.10
Genus humanum bipartitũ semper fuit. folio 159.34
Genus humanum diuinum esse 349.1
Geometrica medietas ad substantiarum multitudinem spectat 91.11.
Geomantici quibus modis uaticinarentur. folio 372.3
Geometriam Christus docuit 275.11.
Gersonitæ qui, & quomodo interpretãtur. 323.22
Gessem pluuia interpretatur. 135.9
Gion quid 148.22.
Gion Nilus putatur esse 149.22
Glacies & crystallus quid 145.19
Glacies & crystallus aqua sunt congelata. 145.20
Glacies simulachrum tenet peccatoris. folio 145.20.
Gladium Lacedæmones inuenerunt. folio 19.14
Globus cœlorum primum instrumentum harmoniæ 446.1
Gloria beatorum est circa obiectum infinitum 426.3
Gloria & decor in contemplatione Dei est 432.2
Glutinum reperit Dedalus 19.14
Gradum cognitionis quibus mediis nobis præparatum attingere possumus. folio 358.9
Gradus occulti in unitate musica sunt. folio 351.2
Gradus cognitionum in hominibus distincti. folio 356.7
Græci ueluti simiæ Hebræos imitati sunt 285.4
Græci à Phœnicibus literas susceperũt. folio 2.1
Græci & Agareni reducti ad ecclesiã. folio 314.17
Græci maledicti ab Eugenio, & quare. folio 314.16
Græciæ sublimes & altisonæ speculationes ad Italos peruenerũt. 47.10.
Græciæ regiones, quibus uiguit literarum humanarum studium 318.20
Græcorum quatuor præcipui doctores, ut & Latinorum 35.9
Græcorum ueneranda sententia qua. folio 325.24

Græci literas à Cadmo paulò antè Troiæ excidium suscepere 18.14
Græcum idioma immediatè ab Hebræa. folio 209.13
Grando & nix quid significent. 144.18
Grando, nix, in thesauro Dei computantur. 144.18
Grati magis reperiũtur laudantes Deũ quàm indignè aliquid proferentes. folio 467.1
Gratia Dei mera factum est, ut filiũ suũ miserit 263.14.
Gratia & charismata diuina per IESVM impartita sunt nobis 130.6.
Gratiã bene operandi dedit nobis Christus 431.1
Gregorius & Nanzianzenus & literã & sensum sub corticè reclusum declarant. 33.9
Gubernatores mundi septem fabricauit Deus 438.2.
Gubernaculum inuenit Typhis primus. folio 19.14

H

Habitatores insularum orientalium non obligari legi mosaicæ, sed tantum domus Israël 354.5
Hadar quomodo interpretatur. 457.2.
Hæredes q à Christo instituti. 279.16
Hai uita dicitur Hebræis 383.1
Hain & linguam & oculum significat. folio 393.8
Hain fontem & oculum significat apud Hebræos 125.34.
Halamoth quomõ interpretatur. 252.1.
Harmonia õnis à uerbo pcedit. 196. 11.
Harmonia quæ hominem ad Deum reducat consonantem 395.12
Harmonia septem planetarum cũ duocim signis 179.18
Harmonia in compositione membrorum hominis 101.3
Harmonia quid est 351.3.
Harmonia hæc uocalis, figura est harmoniæ ratione perceptibilis 180.19
Harmonia cœlorum uera 180.19
Harmonia in corporibus sanandis quid conferat 346.12
Harmonia mundi est parium dispariũque generum, specierum, & indiuiduorum in unum reducta conuenientia. 98.18
Harmonia uocalis quid 346.12
Harmonica proportio undè resultet. folio 86.3
Harmoniæ tria genera 88.5
Harmoniæ præsidio qui sanati 346.12
Harmonij Clazomenij anima euagari à corpore reliquens corpus, sed non relicta à corpore 374.4
Harmoniæ uera ratio à ponderibus deprehenditur, quæ tamen in numeris fundatur, inquit Pythagoras. 196.10
Harmonicæ medietas iustitiæ similitudo est. folio. 92.11
Hastã Lacedæmones repererũt. 19.14
Hastas uelitares Tyrrhenus & Pilus cõfinxerunt 19.14
Hauilat terra quid 148.22
Heazephu quomõ interp̃tatur. 311.14.
Hebrææ linguæ & Latinæ & Grææ discrimen 209 13
Hebræi trifariam suas literas partiuntur, quarum tres tria elementa, 7. septem planetas, 12. duodecim signa. folio 115.21
Hebræi aërem non tanquam elementum sed ueluti glutinũ elementorũ. 115.21
Hebræi Phœnicibus literas communicauerunt. 2.1.

Hebræi falsò gloriantur, quòd solis ipsis à Deo data fuerit tutela angelorum. folio 170.7
Hebræi animæ & spiritus differentiam ponunt in homine 385.3
Hebræi doctores 72. nomina Dei collegerunt 286.6
Hebræi tria illa in homine quibus nominibus uocent 385.3
Hebræi quidam eruditi diuina lege nascentes 354.5
Hebraica scriptura habet de Abraham uade ad te, ubi habemus, exi de terra tua 109.15
Hebraicarũ literarum mysterium quòd omnia ab uno & in unum redeunt. folio 167.3
Hebræorum scriptorum ingens & numerosus catalogus 30.& 31.7
Hebræorum uaria de Christo opinio. folio 298.2
Hebræorum reges suos uates consulebant in rebus arduis 372.3
Hecubæ in utero Parida gerẽti quid acciderit 169.6
Helanicus, Philochorus, Castor, Thales, & Alexãd. Polyistor, & Diodorus insignia antiquissima, & de Mose præstantissimo duce prædicarunt. 2.1
Heliotropion lapis se gerentem conspici uetat. 420.4
Henoc quomodo trãslatus. 462.1
Hepar primũ sanguinis organũ. 117.24
Hepar quo sanguine alitur 117.24
Heptachordum Platonis qua nota exaratum. 90.9
Heraclides Ponticus modò mundũ, modo mẽtem Deum esse dicit, errantibusque stellis diuinitatẽ tribuit. 4.2
Heraclitus Põticus auditor Plat. 169.6
Heraclitus quid de sacrificiis. 394.16
Heraclitus cur non à philosophis intellectus, teste Hieronymo 36.12
Herba Lunaria 82.30
Herbæ quæ Venereæ 80.28
Herbarum cum cœlis maximè cum Ioue conuenientia 76.20
Herbæ quæ solem sequãtur. 79.27
Herbis & metallis non à primis qualitatibus uirtus inest 76.20
Hermes trismegistus quid de Ægyptiis dicat 5.2.
Hermes, Zoroastres, Charũdas, Ostanes, Zamolsis, Brachmanæ, Gymnosophistæ, astronomiam medicinæ utilem arbitrati sunt. 379.9
Hermes quorundam planetarum & lapidum & herbarum consonantiam scripsit 24.18
Hermippus Pythago. qd de Academ. 3.1
Hermõ quomodo interpretatur. 300.4
Hermon quid interpretatur. 394.9.
Hermõ quomodo interpretatur. 460.3.
Hermon quid 144.18
Hesbon Hebraicè cogitationem significat. folio 141.15
Hesbon quid 291.8
Hesiodus & Linus occasionem ab Hebræis sumpserunt poëma scribẽdi. 3.1
Hesiodus & Orpheus quid de mundi creatione 9.8
Hiarchas Brachmanarum princeps quid de Dei opere sentiat, & de hoc mundo. folio 33.10.
Hiarcas & Apollon. hoĩm transmutationes etiam in bestias asseuerabãt, 26.1.
Hicabru quomõ interpretatur. 311.14.
Hidekel. i. tigris quid 148.22.
Hierocles Pythagoræ interpres quaternario quantum tribuerit 51.13

Hierocles Pythagoræ interpres 9.8
Hieroclis de charitate sentẽtia. 347.12
Hieronymus liber de decem Dei nominibus ad Marcellam 286.6
Hieronymus leonem acerrimum hostem in propriũ cõduxit obsequiũ. 377.7
Hieronymus & Ruffinus Aquileiensis qd de hominũ resurrectione. 408.11.
Hieronymus dolet quòd traductio nostra habeat instaurare pro recapitulare, in epistolã ad Ephesios. 199.17
Hierotheus quid de IESV dicat. folio 283.2
Hierotheus arcana mysteria Dionysio Areopagitæ credidit & non Paulus. folio 55.1
Hierusalẽ quomõ interpretatur. 304.6.
Himanuel quid 186.2
Hippagium reperiunt Salaminij. 19.14
Hippocrates morbos, euasionem, & interitum ex Lunæ aspectibus cum cæteris planetis prognosticatur. 49.11
Hippocrates Thessalum filium docet hominis symmetriam 101.3
Hippocrates Cous, primus omniũ medicinam in præcepta redegit. 18.14
Hippocrates undè 313.16
Hirci barba non uacat à mysterio. folio 242.18
Hircus ꝓ peccato offerebatur. 242.18.
Hircus in 13. gradu geminorum. 82.31
Hispani dicti accincti uel expediti, dãt eloquia pulchritudinis 320.20
Hispania qua parte fructus tempestiuos producat 320.20
Hispania ubi sita est 319.20
Hoc est nomen meum, quomodo debeat intelligi 286.6
Holocaustum quando uerum 391.5
Holocaustum quid 233.12
Hædi typici mysterium 244.19
Hæma quomodo interpretatur. 328.1
Homerum quanti fecerit Anaxagoras & Basilius 48.10
Homerus & Hesiodus fuerunt, ut ait Cicero, cẽtesimo quinquagesimo post Troiam euersam 2.1
Homerus undè habuit ut caueret de septima luce 3.1
Homerus ait nõ esse bonam Deorũ multitudinem 7.6
Homicida non esse in usu Hebræorum ideo in Euangel. Ioannis legendum occisor & non homicida ab initio. folio 61.6.
Hominem Deo dilectum simplicia quæ faciant. 82.31
Hominẽ stabilem cur non fecerit Deus. folio 392.6
Hominẽ bifariam Plato asseruit. 360.11
Hom. qui transmutati uiui sint. 401.
Homines efficiuntur dij, secundum Aristotel. quomodo 348.13
Homines qui, cum angelis fuerint loquuti. folio 71.13
Homines qui in animalia transmutati. folio 108.14
Homines qui immutandi sint in iudicio. folio 407.10.
Homines à legibus corporeis absoluti aliquando ad locum quendam deducuntur. 463.2
Hoĩes qui rapti iudicia de futuris discernunt, uidẽt sphæras cœlorum. 463.2
Homines quando rationem Astrorum cognoscunt, & intelligunt rerum causas. folio 463.2
Homines aliqui reperiri qui commerciũ uenereum habeant cum cacodæmonibus. folio 386.6

Homines arbores dici 108.14
Homines bene compositi omnia ad se du çunt 376.6
Homines concinni facilè rebus omnibus dominantur 377.7
Hõ. cũ angelis conueniant néene.365.4
Homines in Deos transformari graues authores asseruerunt 108.14
Homini plurimi angeli dantur custodes. folio 386.5
Homini inesse mixta mineralia quædã. folio 105.10
Homini data uirtus continendi omnia. folio 122.32
Hominibus diuinum genus inest. 189.3
Hominibus malis contraria 82.31
Hominum obiecta distrahentia. 392.6
Hominum diuersæ uoces consonant, ꝙ unicum speciei fundamentum 30.6
Hominum conditio melior quàm angelorum 364.2
Hominis causa õnia facta esse. 345.10
Hominis caput sphæricum 100.2
Hominis diuersitas omne mundi arcanũ continet 392.6.
Hominis partitio 344.10
Hominis natura omnia continentur. folio 108.15
Hominis stabilitas non naturalis est, sed gratia Dei gratis eidem homini data. folio 392.6
Hominis corpus transmutandum, uelutisemen in uiuidam herbam. 403.5
Hominis spiritus in dæmonem, angelum, & Deum transmutatur 386.8
Hymnus in silẽtio soluendus soli Deo pura, & eleuata mente 467.
Hominis encomium. 99.1
Hominis in opificio omniaa inclusa.102.5
Hominis tres potẽtias tribus personis diuinis coaptare uoluerunt quidam, in memoria pater: in intellectu filius: in uoluntate Spiritus sanctus.123.33.
Hominis pars summa nunquam peccat. folio 385.3
Hominis triplex operatio naturalis, sensoria, & rationalis intellectiua & uoluntaria. 91.10
Hominis tota sapientia in hoc solum posita est, ut Deum cognoscat, & colat. folio 33.8
Hominis habitaculum numquam uacuum nam si abit Deus, statim subintrat diabolus 386.7
Hominis mediũ anima uel spiritus.385.3
Hominis infimũ animalis anima. 385.3
Hominis supremũ illud diuinũ est, quod nostri portionem superiorem uocant. folio 385.3
Hominis qui sensus elementis quibus respondeant. 104.7
Hominis corpus tornatile totum conspicitur. 100.2
Hominis finis mediatus quis 13.11
Hoĩs spiritus transmutabilis est.386.8.
Homines quibus membris gauisuri sint in die iudicij 409.13
Hominis causa omnia sunt facta. 41.3
Hominis membra quæ Saturno dicẽtur. folio 116.23
Homo cum omnibus cœlorum aspectibus conuenit 110,17
Homo omnium in se potestatem habet. folio 110.17
Homo circulus quidam 388.1
Homo æternitate æmulatur Deum, sed successione 388.1
Homo tam Deus congeneus ut aliquando sit futurus unus cum Deo. 388.1.
Hõ sacramẽtis redditur ꝑfectior. 393.9

Homo uates efficitur 372.3
Homo cum angelis quod symbolum & quam conuenientia habeat 363.1
Homo eleemosynis abluitur 395.11
Homo inter Deũ *& hunc mundum medium tenet* 100.2
Homo quid à Saturno *recipiat.* 111.17.
Homo quid à Ioue *recipiat* 111.17
Homo quid à Marte *suscipiat.* 111.17
Homo malè institutus ferocissimum animal.folio 46.8
Homo præditus à Deo *timore & amore quibus timeatur & reuereatur. folio* 378.8
Homo stigmatizatur charactere quare.folio 428.2
Homo aliquid diuinitatis plus quàm cætera animantia 189.3
*Hõ qua ætate fiat aptus ad generãdũ secũdũ carnẽ & secũdũ spiritũ.*175.11
Homo quid ab angelis suscipit. 123.32
Homo Dei *templum cum* Deo *modulatur.folio* 123.33
Homo per peccatũ sicut à Deo *deficit, ita per pœnitentiam ad* Deum *reducitur. folio* 393.8
Homo Deum *natura æmulatur.* 387.1
Homo cum imagine Dei *factus.* 387.1
Homo extasi & excessu transmutatur. folio 399.18
Homo simulacrum pfectissimũ mundi. *folio* 91.10
*Homo cõsummatissimũ*Dei *opus.*389.3
Homo solus inter animantia hoc honore gaudet ut cum omnibus agat 91.10
Homo quod cõmercium habeat cum spiritu angelico. 385.5
Homo personat uirtutibus 395.12
Homo naturæ dissolutoriæ animal. folio 386.8
Homo an semper utatur sensibus interioribus. 362.12
Homo õnia cognoscere potest, per quãdam successionem, & non sicut Deus *unico actu* 388.1
Homo quî planta dicatur 108.14
Hõ quomodo à peccato dissideat. 393.7
Homo malus diabolicus 386.6
Homo sacrificiis expiatur 394.10
Homo quoddam omne, & quoddam totum in omni 103.5
Homo particularis regulatè uiuẽs, quomodo in Deum *reuertitur.* 174.11
Homo non renascitur per aquam & uerbum sacerdotis, sed per aquam cœlestem. folio 268.4
Homo imitatur mundum in figura circulari. folio 100.2
Homo ultimum Dei *opus, qui primus erat in mente diuina & nobilior. folio* 364.2
Homo quando à Deo *ad perfectionem adducetur* 401.1
Homo omnium dominus constitutus à Deo.*folio* 103.6
Homo bene cordatus exauditur. 381.11
Homo quibus nutriatur modis. 246.21.
Homo Dei *opus pulcherrimum.* 97.17.
Homo cum spiritu Dei *quam cõuentionem habeat* 385.4
Homo apud Hebræos *in sacris* Adam, Enos & גבר *dicitur* 395.12.
Homo bis diuinus 395.12
Homo peccato subiectus purgatione indiget. 337.3
Homo omnibus uitæ gradibus uiuit. folio 102.5
Homo solus bene chordatus cum Deo *uiuit lætus* 382.12
Hõ inter animãtia solus cœlestis. 103.6

Homo minor mundus, maiore longè maior uirtute 99.1
Homo ad meliorem uitam trāsire nō potest, nisi moriatur hac uita animali. folio 236.13
Homo ignorantia & fragilitate deceptus. 146.21
Homo ut sit bene cōtemperatus quæ humorum alterius ad alterum proportio esse debeat 103.6
Homo ad Deum per orationem reuertitur 399.16
Homo cum Deo amore unitur. 399.17
Homo effigiat archetypum in figura. folio 388.1
Homo ad aliquod bonum opus non ualet sine diuino fauore 168.5
Homo cupiens diuinus fieri, quid agere debeat. 387.8
Homo omnium animantium perfectissimus folio 16.13
Homo ex Paripateticorū sententia ex corpore & anima tantum constat. folio 385.3
Homo bifaria incrementa suscipit. folio 345.10
Homo contemplatione introducitur. folio 399.16
Homo an sit excelsior angelis. 363.2
Homo undè modulari possit habet à lectione 396.12
Homo si bene sibi præest Deū in se habet, ut literæ etiam ethnicorum testantur. 371.2.
Homo cum angelis concinit 122.32
Homo quare à statu & rectitudine sua deiicitur 338.3.
Homo à gradu cognitionis quare deficiat 357.8
Homo animalis cupit cum spirituali henedici 301.4
Homo factus, potentia nobilior angelis. folio 364.2
Homo quî lapis dicatur 108.14
Homo quid à cœlis suscipere possit ut sit melior 367.6
Homo lucem à cœlo haurit 367.6
Homo à 7. planetis haurit multa. 367.6
Homo à cœlorum concentu uim magnam suscipit 367.6
Homo paruus mundus quomodo ualeat ab omnibus membris maioris mundi (cui simillimus est) fomentum suscipere. 344.10
Homo bene institutus, mās uetum animal euadere 46.8
Homo bifarius à Deo creatus. 300.4
Homo bifarium opus peragit mediante portione suprema 385.3
Homo impœnitens quando & quomodo fiat 385.3
Homo dissolutoriè animal nullam habēs imaginem, extrarias habet quam plurimas 108.14
Homo Deus atque dæmon geminus existit, quomodo intelligendum. 348.13
Hō habet quadruplices sensus. 360.11.
Homo meditatione præludit 397.14
Homo modulatur oratione 398.15.
Homo quare paruus mundus nuncupatur. folio 335.1.
Homo quod symbolum habeat cum spiritu diabolico 386.6
Homo aliquando identitatem habet cum diabolo 386.6
Homo quid habeat commune cū sacramentis 368.8
Homo quæ cum angelis communia habeat. 368.8
Homo terrenus Deus mortalis. Deus ne

rò cœlestis immortalis homo 123.32
Homo quibus, à singulis planetis donetur muneribus 111.17
Homo sphæram illam intellectualem & in anima, & in corpore imitatur. folio 100.2
Homo Dei simulacrum & imago continens omnia, quæ in Deo sunt. folio 123.33
Homo à dæmone possidetur, donec sacrificiis expurgetur 394.10
Homo uel cœlicolis est præstantior, uel saltem pari sortè potitur. 123.32
Homo ex bifario corpore perficitur. folio 92.12
Homo animalis quando benedicitur. folio 301.4
Homo quid habeat commune cum sacrificiis 369.9
Homo totus sphæricus 100.2
Homo omnis mendax 33.9
Homo quid habeat cum uerbis & orationibus 369.10
Homo quando masculus & fœmina efficiatur. 172.9
Honestatem quæ præbeant. 52.31.
Hortulanæ matri Claræ quid uisum fuerit ante partum 169.6
Horarum electio habenda 343.9
Hospites ciuitatis cœlestis 438.1
Hospites diuini ciuitatis cœlest. 444.4.
Hospites angelici 438.2
Hospites cœlestis domus diuisi sunt. folio 436.1
Hospites trigeni qui 438.1
Hospites humani 439.3
Hospitium supernum quod 460.2
Hospitium infimum 460.2
Hospitium medium quod 460.2
Hospitium triplex præparauit Deus à constitutione mundi 428.1
Hostia quid 233.12
Hostis debilis qui non uincit nisi uolentem. 366.5
Humana iustitia omnis, iniustitia esse conuincitur 127.1
Humana natura pfectior post lapsum, quàm antè 177.13
Humana bona quæ 281.20
Humanæ generationis labor sex milibus annorum completur, in septimo autem requiescet 405.6
Humanæ sordes qua aqua abluantur. folio 368.8
Humanum genus audacissimæ naturæ opus, fauente antiquo serpente multa aggressum est, quibus homo, Dei & naturæ æmulator apparuit. 379.9
Humanis operibus nullus iustificatur. folio 263.14
Humilitas & sui cognitio uera quæ. folio 466.1
Humores omnes potissimum salsi Lunæ subditi 81.30
Humores & si elementorum diuersam imitētur naturam, omnes tamē aquei sunt 104.8
Humorum uita 104.9
Hyacinthus lapis gratiam præstat. folio 419.3
Hyacinthus peragrantium optimus comes 370.1
Hydriæ sex in nuptiis quid 443.2
Hydromātici qui per aquā futura præcinebant 372.3
Hypate tonum graue facit 27.2
Hyssopus autem & libanotis, planta omnium excellentissima. 242.17.
Hyssopus in sacris rosmarinus est, aut quæpiam rosmarini species 254.6

I

IAcobus apostolus ubi fulgeat miraculis. folio 307.11
Iaculum cum amento adinuenit Ætolus Martis filius 19.14
Iabacob cognita Christi diuinitas quãdo 331.7
Iabacob nomen Israël accepit undè. folio 429.3
Iabacob nomen familiæ dedit, ita & Christus 301.5
Iabacob quibus usus in benedicendis filiis 316.19
Iabacob quare præposuerit minorẽ, & postposuerit maiorem filium. 316.19
Iabacob typum Christi patris nostri gessit. folio 311.14
Iabacob Israël interpretatur. 301.5.
Iam Suph, id est mare finitum, aut uerius palustre interpretatur 142.16
Iamblicus magnus Aegyptiorum sacerdos in uolumine de eorum mysteriis, quid de Pythagora, Democrito, Platone, Eudoxo 3.1
Iamblicus rerũ notitiã à Deo datã, humanis opinionibus confundi ait. 11.8.
Iaphet dilatatum & pulchrum signat. folio 109.15
Iaphit quomodo interpretatur. 457.2
Iaspis rubeus duplex 417.2
Iaspis sanguinem comprimit 370.1
Iaspidis uirtus 417.2
Iaspidis genera decem & septem. 417.2
Icterus niger undè gignatur 116.23.
Idea rerum faciendarum artificiũ in sapientia diuina. 193.7
Ideæ quid sint 191.6
Ideæ perfectius habẽt suum esse in Deo quam in suo genere 350.1
Ideæ à Platone & sacrarum literarum doctoribus celebratæ 21.16
Ideæ uirtutum in Deo 197.13
Ideæ multiplices 191.6
Ideæ relationes sunt ad ideata, ut Deus ad creaturas 194.9
Ideæ sunt entium perfectorum & motiones immutabiles 192.7
Ideæ ueras essentias rerum indicant. folio 464.3
Ideæ Platonis non esse monstra. 12.9.
Ideæ quid utilitatis nobis præstant. folio 195.10
Ideæ sunt sempiternæ 403.3
Ideæ à Syriano uiriliter defensæ. 21.16
Ideæ relatiuæ 193.8
Ideæ quomodò intelligantur ab authore. folio 196.12.
Ideæ nihil aliud quàm cognitiones rerũ. folio 24.18
Ideæ sunt exemplaria faciẽdorum in primo intellectu 24.18
Idearum tanta est uis, Augustino teste, ut nisi eis intellectis nemo sapiens esse possit 195.10
Idearum fautores ridiculum non proponunt, ut mentitur Aristoteles & eius sectatores 194.9
Idearum authores plures quam peripatetici 190.4
Idearum sigillum 420.4
Idearum nomen æquiuocum 191.6.
Ideas qui, & qua ratione respuerint. folio 193.8
Ideas negantium rationes quibus fulciantur 193.8
Ideas negantium non rationes sunt, sed errores certissimi. 193.9
Ideas negantium canes 193.9
Ideas quare irrisit Augustinus. 50.12
Ideas esse, non solum Platonici, uerũetiã

catholici & christiani omnes asserũt. folio 192.7
Ideis quomodo Deus utatur 195.9.
Identitas in uniuersalibus dominatur. folio 92.11.
Idiomate Hebræo loquẽtur cœlestes incolæ & quare 447.2
Identitas existentiam in opifice proportione musica declaratur 91.11
Idolũ de seipso facere qs faciat. 383.12
Iehuda nomine continentur omnes literæ nominis quadriliteri quomodo 458.
Iehuda quî interpretatur 303.6
Iehudæ sceptrum regium datum. 314.17
Ieiunia quæ assumenda sunt 338.4
Ieremias lamentationes tragico carmine perstringit 181.19.
Ieroboam aliqui dixerunt esse Meßiam quod est falsum 297.1
Ierosolymæ cladem præiuere gladij furentes in cœlo, strepitus portarũ templi, nullo mouente 371.1
Ierosolymitanã euersionem præmõstrauit fulgur, quod tanquam meridies tẽplum per mediam horam circundedit. folio 169.6
Ierosolymitanã subuersionẽ præuenerũt multa portenta ut narrat Iosephus. folio 169.6
Ierusalem uisionem pacis signat. 158.33.
Ierusalẽ, Sion, tẽplũ quid signent. 158.33
Ierusalem ubi 322.22
Ierusalem uisio pacis dicitur 428.2
I E S V nomine humana & diuina includuntur 288.6
I E S V nomen cur hodie inuocetur à ueris Dei cultoribus 289.8
Iesuani qui 428.2
I E S V S dicitur fuisse complementum operationum nostrarum 295.12
I E S V S regnabit in domo Iahacob in æternum, cur angelico oraculo dictũ. folio 301.5
I E S V S nomen quadriliterum quid significet 289.7
I E S V S principium, & primum, finis & ultimus 289.7
Ignea uirtus triplex in paruo mundo cor, in angelico seraphinus, in primo mobili rapiens 116.22.
Ignem poëtæ Iouem dixerunt 48.10.
Ignem è silice Pyrodes primus excußit qui fuit Silicis filius 19.14
Ignẽ multiplicem ut Cleantes longa oratione apud Cicer. disputat. 410.14.
Ignem esse corporeum omnes fere asserunt 412.17
Ignis secũdũ Pythagor. unicus. 411.14
Ignis ille paratus ab origine mundi an sit corporeus, Deus nouit. 413.17
Ignis difficultas resoluitur 412.17
Ignis ille inuisibilis uisibilia comburens. folio 413.17
Ignis corporeus & incorporeus. 412.17
Ignis figura pyramidalis quatuor bases, & totidem angulos. 54.17
Ignis Dei quis 270.7
Ignis quòd uiuat non est dubium, cum uita sit ignis quidam, & ab igne procedat. folio 204.6
Ignis cum sole & Marte conuenientia. folio 74.17
Ignis spiritus corda purgat. 129.4
Ignis cur funeri, & sacris omnibus adhibetur 74.17
Ignis dictus eò quòd nihil ab eo gignatur, à quibusdã putatur 74.17
Ignis fœcundißimus eò ꝗ omnia calore ignis gignantur 74.17
Ignis, dei robur & amorẽ indicat. 68.11

Ignorãs malus ut dicũt peripatet. 459.3
Ille qui percutit, ille sanat. 112.18
Ille homicida ab initio fuit, melius fortasse occisor, quia apud Hebræos nõ est in usu homicida 61.6
Illi irritauerunt, uerius rebellauerunt supra mare rubrum 142.16
Illustres scriptores Hieronymus 137. recenset 33.9
Imaginatio concipientis quantum faciat ad similitudinem generantis & generati 267.3
Imaginatio fortis immutat qualitates in alieno corpore 339.5
Imaginatiua uirtus in homine ad mouẽdum. folio 384.2
Imagines ꝓhibitæ, ne per idola, illa creaturæ uisibiles adorarentur. 388.2
Imaginis est repræsentare totum. 387.1
Imago Dei quomodo in homine 364.2
Imago hoc differt à uestigio, qa hoc partem, illa totum repræsentat 123.33
Imago ab imaginato distat. 388.1
Imago Dei quomodo in homine. 387.1
Impar formam significat philosophis. folio 37.13
Imperator cœlestis reges commilitones habet 459.3
Imperatoris Rom. officium quod, & ubi electio fiat 311.14
Imperium principis iustum 458.2
Imperium amplum principis 457.2
Impetus acutus & ignea uis choleram signat 102.4
Impietas quid 382.12
In angelis suis posuit mutationem, uariè interpretatur ab authoribus. 132.7.
In die qua creauit Adonai elohim terrã & cœlum, & non ut habet traductio nostra 96.17
In Iudæa uiget adhuc paruus nitatis igniculus, & quare
In mundi creatione simul facta sunt omnia. folio 35.10
In omnem terram exiuit linea eorũ, & in fines orbis terræ conciones eorum ut textus Hebræus 271.8
In sacris ubi de lacu fit mentio, bor, id est puteus inferni in Hebræo habetur. folio 141.15
In principio, id est in sapiẽtia uel uerbo creauit Deus cœlum & terrã. 191.5.
In protectione Dei cœli legitur. In umbra sadai, apud Hebræos 182.20
Incantationes à dæmonibus homines edoctos, potissimum mulieres. 379.9
Incredulitas fons õniũ peccatorũ. 252.5
Indiuidua distributa quomõ sunt 352.3
Inducias primus fecit Lycaon. 19.14
Indiuiduatio rei particularis, undè distinguitur 74.17
Indiuiduum generat non ratione essentiæ, sed uirtutis generatiuæ existentis in generante 208.13
Indumenta sacerdotalia ueteris legis, ad sacerdotes Christi in quo pertineãt. folio 224.6
Inedia nimia uitanda 240.6
Inferiora superiora æmulantur. 100.2
Inferiora sụpiorũ sunt imagines. 67.10.
Inferiores superiorum imperio angelorũ disponuntur. 57.2
Inferiorum omnium ultimus finis est seruire 13.11
Infinito adhærentes semper ab eo hauriunt undè decrescant 465.3
Infirmitates corporum undè 337.3
Initiũ fortis filiorũ Iebuda undè. 310.13
Initiũ salutis nostræ, at acquiescamus salutari inspirationi. 206.10

dies loci scripturæ qui iuxta li accipi non possunt 35.10
Instans illud quo habuit mundus exordium, principium sequentis, & non finis præteriti temporis fuit 13.10
Instās temporis nihil habet commune cū puncto lineæ. 13.10
Instans finis præteriti, & futuri principium 13.10
Instrumēta musica in scripturis Cassiodorus interpretatur 450.7
Instrumēta illa quid sibi uelint, quæ multa commemorātur in Dauidicis hymnis. folio 499.7
Insulæ literarū florentissimæ q. 313.16
Insularum Nili (quas plurimas facit) clarissima est Meroë 149.22
Intellectum absolutè, Ioannes lucē, Augustinus portionem superiorem, Moses spiraculum uitarum, licet nostra editio habeat uitæ 93.13.
Intellectum agentem quod uocat Aristoteles, Proculus intellectum absolutè. folio 93.13
Intellectus Dei ab obiecto producto nō sumit cognitionem, ut noster. 24.18
Intellectus noster ab obiecto producto sumit cognitionem 24.18
Intellectus Dei non mouetur ab obiecto, nec perficitur, nec mendicat, ut noster facit 24.18
Intellectus Dei tot particularia cogitando & speculando non deficit: neque fatigatur, ut noster, contra impiū Auerrhoem. 24.18
Intellectus capax omniū ueritatū. 165.2
Intellectus passibilis dicitur 165.2
Intellectus an semper perueniat ad id, ad quod peruenire posset. 357.8
Intellectus separati quid 14.3
Intellectus bonus & sanus in naturæ secreta potest, si assit diuinæ uirtutis influentia, inquit Aristoteles in secretioribus dogmatis 371.2
Intellectus unusquisque pro captu suo ordinatus 356.7
Intellectus quid & ubi sit 344.10
Intellectus omniū intelligibilium susceptiuus, & ueritatis cupidissimus. 165.2.
Intellectus in homine passibilis omnia suscipiens 91.10
Intellectus in homine agens, omnes producit conceptus 91.10
Intellectus uoluntati demonstrat semitas. 115.22.
Intellectus apprehendit, non autem semper comprehendit 357.7
Intellectus triplex 364.2
Intelligentia quid sit 328.1
Intelligentia saltem una unicuiquę orbi præest 94.14
Intelligentia Dei causatiua nil aliud, nisi uerbum Dei, per quod facta sunt omnia. folio 192.7
Intelligentiæ singulorum cum quibus loquuntur linguas exercent. 447.2
Intelligentiæ inferiores, lares à Marco Tullio uocatæ. 38.14
Intelligentiæ inferiores non tantum illuminari, purgari & perfici à superioribus, sed etiam, nos notum est. 41.4.
Intelligentiæ supremæ cum primo mobili conueniunt 55.1
Intelligentiæ diuinæ non mouentur dum mouent 25.18
Intelligentiarum officium 420.4
Intelligentiarum supremarum & inferiorum differentia 55.1
Intelligentias inferiores à superioribus illuminari & purgari 55.1

Intelligentias supremas à Deo tantum destinari. 55.1
Intelligentias sphæras mouentes fœlicitatem adipisci in perpetua cœlorum reuolutione putat Arist. 13.11
Intelligentias supremas uocat Ioannes spiritus in Apocalypsi. 386.5
Introitus unus ad uitam, & exitus similis. folio 355.6
Inuenit in ipso anno centuplum, pro quo ueritas Hebraica aliud habet. 457.2
Inuidia quid sit 364.3
Inuidia hominẽ traxit in mortẽ. 146.21
Inuidia quæ inter homines & angelos. folio 364.3
Ioannes & Mercurius uerbũ Dei prolem nominarunt. 8.7
Ioannes ab angelo denominatus. 429.3
Ioannes cur non exprimat ornatum sicut Ezechiel 431.12
Ioannes de uera sponsa non de figuratiua pertractat. 432.2
Ioannis de Asia triumphus 456.4
Iob elegantissimum dictum 341.7
Iob Deus ait, Quis cœlorum uoces enarrabit? & concentum cœli quis dormire faciet? 163.1
Iob uir sanctus & iustus chiromantiam asserit uerissimam 102.4
Iob prosa incipit, uersibus hexametris procedit 180.19
Iob totum opus hexametris cõscriptum, authori huius libri Romæ monstratum est. folio 180.19
Iob Deũ lucem uocat bis. 164. & 165.2
Iod denarium significat 98.18
Iod litera diuinitatis, principium significans & finem 383.1
Ionica secta à Thale Milesio orta. 128.4
Iona quomodo interpretatur 292.9
Ionas in omnibus Christum præfigurauit. folio 292.9
Ionæ interpretatio 138.12
Ior lucem signat 149.23
Ioram quàm malè successerit, quod bellũ susceperit propria uirtute fretus. folio 168.5
Iordanis quid sit 149.23
Ioseph Gabrielem archangelum familiarem habuit 363.1
Ioseph Rachelis filius quomodo interpretatur 303.6
Ioseph inferior quàm Abraham benedictione donatus quare 317.19
Ioseph extra fratres quid à patre recepit. folio 317.19
Ioseph cornibus unicornis comparatus quomodo intelligendum 317.19
Iosephus, Aristobolus, Tertullianus & Eusebius plus 40. sapientibus externis confirmant miracula à Mose producta, & mũdum à Deo procreatũ. folio 9.8
Iota unum aut apex unus legis non præteribit, non uerificatus in Christo. folio 250.4
Ioue quæ regantur 78.25
Iouẽ poëtæ ignem appellarunt 48.10.
Ioui quæ æquentur 117.2.
Iouiales quibus delectentur 114.20
Iouis significatio quæ 63.7
Iouis sub sidere nati qui 62.7
Iouis ad Martem sexcupla proportio. folio 121.30
Ira ubi non est, neque scientia, neque iudicia constãt, neque crimina compescuntur 48.10
Irascentia quid 344.10
Irascibilis in corde 110.16
Irene Themidis filia 92.11

Iris lapis reflectit pulcherrimos radios instar cœlestis iridis 420.4
Isaias de triumpho comparato uaticinatus est 455.3
Isaias in eos qui propria uirtute nituntur. folio 168.5
Isaias metrico quodam ordine procedit. folio 181.19
Ismaël onus & molestia 429.3
Isahac & Iahacob angelo Peliæ fuerũt familiares 363.1
Isahac non secundũ carnẽ natus. 439.1
Isahac librum de diffinitionibus ædidit. folio 178.16
Isahac benedictionis magnum mysteriũ. folio 144.18
Isahac secundus pater electæ familæ. folio 300.4
Israël qui Deum principem habet interpretatur 7.6
Isacar quomõ interpretatur 303.6
Issacar studio literarum uacauit. 313.16
Italia sanctitatis & omniũ artium bonarum laudabilis
Italos scriptura Chitimos appellat. 2.1.
Iudaicus populus filius uisionis dicitur, & quare 311.14
Iudaicus populus aquæ effusæ cur comparetur 311.14
Iudæi sunt Calani ex India, inquit Aristoteles apud Clearchum. 3.1
Iudæi quomodo Indi fuerint dicti 3.1
Iudæi à patre Iuda dicti: Israëlitæ à Iahacob: Hebræi à transitu 3.1
Iudæis cum Moabitis & Hammonitis inhibetur cõmixtio & pax. 162.36.
Iudæorum aliquorum error dicentium Nabucodonosor Siloh missum fuisse à Deo ad punienda eorum scelera. folio 296.1
Iudices appellantur Dij in Exodo. 61.6
Iudiciariæ potẽtiæ quatuor (inquit Hierocles) sunt, intellectus, disciplina, opinio, sensus 51.13
Iudicium extremum post quot annos futurum sit. 406.6
Iulius Firmicus Noë diuinũ appellat. 2.1
Iumentum interdum animalem hominem significat 171.7
Iuno ꝙ iuuet mortales 208.13
Iunonem aërem ferunt poëtæ 48.10.
Iuppiter cum sanguine suum habet concentum 114.20
Iuppiter æquans omnia, aurem sinistram uendicat 117.24.
Iuppiter est quodcunque uides, quocunque moueris 37.12
Iuppiter in duodecim annis cursum absoluit 121.30
Iuppiter partibus carnosis, calidis humidis gaudet 117.24
Iuppiter respicit naturalem in hepate uirtutem. 116.23
Iuppiter iustitiam dat 44.7.
Iuppiter duodecim annis cursum suum perficit 113.19
Iuppiter amorem incohat 117.24
Iuppiter quo concentu proprietates dominationum imitetur 62.6
Iuppiter amori fauens æquat iecur amoris sedem 117.24
Iuppiter hepati præest 117. 14
Iuppiter dominatiõibus coaptatur. 61.6
Iustificabatur nullus ex operibus legis. folio 263.14
Iustificari per opera qui quærunt (ut aiunt quidam) adorant Baal, & manum suam osculantur 258.11
Iustificari neminẽ ex operibus legis, nec iustificatum fuisse 263.14

Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem 232.11
Iustificatio hominum per Christum, & non ex operibus legis 232.11
Iustificatio hominum non ex sacrificiis legis. folio 232.11
Iustificatur nullus per legem. 252.5
Iustitia Dei per fidem IESV Christi. folio 232.11
Iustitia est sine qua nulla societas constare potest 281.20
Iustitiæ nostræ omnes ueluti pannus menstruatæ 127.1
Iuuenes hortãdi, ne præcipites de diuinis & mundi sacramentis pronuntient. folio 14.12
Iuuenes admonet Plato, ne de diuinis temerè pronuntient 30.6
Izabac, id est risus 173.10
Izabac à patre uocatus. 429.3

K

Karan dictio Hebræa splendens significat, Keren autem cornu. 432.1

L

LAbia in sacris quid 451.1
Labor qui requiem perpetuam expectat trifarius, naturæ, scripturæ & gratiæ 405.6
Lac extra propria conceptacula statim corrumpitur 150.24
Lacedæmonij regibus suis augurem assessorem dederunt 372.3
Lacedæmonij de rebus maioribus consultaturi oracula adibant 372.3
Lætitiam quæ præbeant 82.31
Læua eius sub capite quomodo intelligẽdum. folio 452.1
Lamech quomodo interfector Cain. folio 378.8.
Lamech solus ante diluuiũ dicitur duas habuisse uxores 378.8
Lanceas Aetolus repertor. 19.14
Lanam inficere Lydij sunt commenti. folio 19.14
Lapis quẽ erexit Iahacob Christus est. folio 331.7
Lapides duodecim in fundamento quid sibi uelint 417.3
Lapides patri filioque respõdent. 129.5
Lapides cum cœlis concinnunt 74.18
Lapides qui, quibus & planetis & animalibus conueniant 75.18
Lapides in domo quomodo connectuntur. folio 428.2
Lapides cum quibus conueniant. 104.8
Lapides poris carent ex Alberti sententia. folio 104.8
Lapides uiuunt 204.6
Lapides ita uiuũt in telluris corpore, ut ossa in corpore animalis 104.8
Lapides quid notent 129.5
Lapides pretiosi quam uim habeant. folio 420.4
Lapides uiuunt, crescunt 75.18
Lapides sola uita gaudent, ratione, sensu & motu priuati 75.18
Lapides pretiosi fricati paleam trahũt. folio 420.4
Lapides diuersæ sunt speciei 75.18
Lasciuia & fastus undè procedant. folio 243.18.
Latina lingua à Græca deducta est. folio 209.13.
Latona à latendo dicta 208 13
Laus præcipua iusto Messiæh. 467.1
Legata quibus & quanta fecerit Deus. folio 278.15
Legatum quod Christus fecit. 277.14
Lege aliqua non ligabantur homines, nisi ea quæ erat scripta in cordibus eo-

rum, donec publicatum fuit mandatum. folio 255.8
Lege cautũ est magna diligentia ne aliqua imago penitus fieret, neq; ipsius Dei, neque cœlestium 388.2
Lege omni resurrectio asseritur. 402.2
Legi non tenetur qui aliis legem imponit. folio 22.17
Legis opibus nemo iustificatur. 240.15.
Legio quid, & quibus constat. 424.4
Legio quid 438.1
Legiones nouẽ in quolibet choro. 438.1
Legis finis Christus 259.11
Legis & statuti præcepta in superficie obseruantur hodie tantummodo. folio 226.6
Legis & euangelij diuersitas 255.8
Lembum repererunt Cyrenenses. 19.14
Lemma quid 88.5
Lemma undè fundetur 93.13
Leonis primi pontificis factum egregiũ. folio 218.1
Lepra Martia infirmitas 80.28
Leproso mundando aues duæ offerebãtur. folio 241.17
Leprosorum mundandorum describitur mysterium 241.17
Lepus duodecies in anno generat. 113.19
Leui quomodo interpretatur. 303.6
Leui quare à Mose benedictus fuit, quẽ pater Iabacob benedicere noluerat. folio 312.15
Leuitici in 7. capite quædam de pane tã cõfusa ut nõ intelligãtur. 245.20.
Lex per angelos introducta 406.8
Lex sapientis fons uitæ 139.13
Lex diuina hortus consitus ex omni genere arborum 139.13
Lex iram Dei operatur 255.8
Lex mala non est, quia per legem malam cognoscimus 255.8
Lex non mala, sed amara est 225.3
Lex nos errare facit, id est per legẽ omnes errauimus sicut oues 255.8
Lex mortis, est lex scripta 361.11
Lex peccati uirtus 255.8
Lex naturalis quibus sufficiebat. 354.5
Lex ignea erat. 249.3
Libellam reperit Dedalus 19.14
Liber de formatione ab Abraham æditus. folio 95.16
Liber 32. semitarũ apud secretiores Hebræorum theologos 70.12
Libertatem contingentiæ cur Deo subripiant Aristoteles & alij multi. 16.13.
Libertas est non secundum naturam electio ad bonum, aut malum indifferẽs, ut aliqui rentur, sed ad bonũ pro suo arbitrio 16.13
Libertas in homine omnium perfectissimo degenerauit 16.13.
Libra regit clunes 111.17
Libra quia tunc sol dies noctibus partitur æquales 112.18
Libræ quæ regiones subiectæ sint. 306.1
Libri prophetarum priorum qui. 437.2.
Lien rarus, spõgiosus, mollis ut attrahat fecem illam terreã biliosam. 116.23.
Ligurus præstigiosa uelamina ab oculis aufert 370.1
Ligna in domo quõ cõnectuntur. 428.2.
Lignum uitæ ubi collocatũ erat. 424.4
Lignum aëre priuatum statim corrumpitur. folio 52.14
Lingua Hebræorum prima & ultima. folio 447.2.
Lingua humana secũdum instrumentum harmoniæ 446.2.
Ling. Hebræorũ à cœlo emanauit & ante cõfusionem Babylonicam. 447.2.

Lingua secundum Platonem & Aristotelem quare data. 448.4
Lingua Hebræa in Heber perstitit. folio 447.2.
Lingua angelica quartum instrumentum harmoniæ 448.4
Lingua Hebræorum mysteriosissima. folio 447.2
Lingua carnea nostra duplicem cibum administramus 448.4
Lingua in resurrectione corporibus restituetur 447.2
Lingua secundum Varronem quî interpretatur 448.4
Linguæ officium 345.10
Linguarum uarietas pœna grauissima erit 447.2
Linum Arachne reperit 19.14
Liparis suffitu omnes bestiæ euocantur. folio 420.4
Lite & amicitia omnia disponi ait Empedocles 37.13
Literalis sensus primus, moralis secũdus, tertius allegoricus, anagogicus ultimus sacræ paginæ 58.3
Literalis sensus qualis 397.13
Literam sacræ scripturæ aperiunt Hierony. & Chrysostomus 33.9
Literarum Hebraicarum per modũ qui dicitur sirupb mysterium 250.4
Literarum Hebraicarum rationes, & mysteria multa 250.4
Literarum studio comparandum quod Apostolis spiritus sanctus suggessit. folio 358.9
Libocolam reperit Dedalus 19.14.
Loci ratio obseruanda 343.9
Logicen quã docuerit Christus. 275.11
Longius ire, extra se ire est 109.15
Lucanus quid de Dei sede senserit. folio 37.12
Luce quomodo omnia creata proueniãt. folio 433.3
Luce ipsa ciues cœlestes gaudent ac rident 436.7
Lucem cætera animantia ab homine quã recipiant 434.4
Lucem non posse intueri Academici lipposum asserunt 434.4
Lucernarum & textilium Ægyptij repertores 18.14
Lucis anima effectus est, qui est multiplex 434.4
Lucis officia secũdum diuersa subiecta. folio 434.4
Lucis character in hominibus imprimitur. folio 434.4
Lucretius omnia philosophiæ præcepta carminibus pertractat 48.
Lucretius non solum à condiscipulis, sed etiam à seipso dissidet 26.1
Luctus ad animalem hominem spectat. folio 151.26
Ludus Dei cum orbe terrarum & cum filiis hominum qualis 15.12
Lumen solare & lunare 357.8
Luminare maius & minus quid significent 172.9
Luna omnibus humoribus dominatur qui in utroque mundo, & in arboribus, & animalibus ascendunt & descendunt. 120.29
Luna perpetuo attractu aquam deducit. folio 72.14
Luna quæ moueatur 120.29
Luna aquarum ductrix 114.26
Luna aliis, magis planeta 71.13
Luna quid cum aliis planetis habeat cõmune. 81.30
Luna alter Sol dicta 80.30

Luna inferior uelut mater 81.30
Luna quibus nominibus in sacris.182.21
Luna quod operatur in exteriori homine, idem angeli in utroque operantur homine 72.13.
Luna crescēs humores attollit, decrescēs depellit & in arboribus, & in corporibus humanis 72.14
Luna solis terræque particeps 72.14
Luna crescentem & decrescentem uirtutem gubernat 116.23
Luna quotidie duodecim gradus pcurrit. folio 113.19
Luna, quæ munera mortalibus impertiat folio 111.17
Luna in quæ dominetur 81.30
Luna moderatam temperantiam. 44.7
Luna inter sidera uarietate, terra inter elementa hac gaudet.
Luna omnium planetarum ueluti uxor. folio 81.30
Luna octo, uel nouem & uiginti diebus cursum absoluit 56.1
Lunæ quatuor tempora qualia. 81.30
Lunæ ad Mercurium distantia.178.16.
Lunæ & terræ concordia & symbolū. folio 72.14
Lunæ quàm uaria sit forma & statio. folio 72.14
Lunæ cum angelis concordia 70.13
Lunares, id est quibus dominatur Luna qui & quales 120.29
Lupus & agnus simul pascentur quando & quomodo intelligēdū. 446.5.
Lux in opacis quid 434.4
Lux quæ cernitur oculis quid est secundum Aristotelem 432.1
Lux quando emissa in mundum. 432.1.
Lux spiritualis & lux uisibilis quid. folio 432.1
Lux genita quæ sit 432.2
Lux genita à Mercurio uerbum lucens, à Paulo splendor, à Platone sol. folio 432.2
Lux unica primo genita est, sed multigena efficitur 433.3
Lux suprema in caligine Mosi loquebatur. folio 432.1
Lux quanto propinquior tāto intensior. folio 433.2
Lux opaca ad cētrum penetrat. 434.4
Lux in centro quid secundum Platonicos agat 434.4
Lux quomodo accēdat & excitet. 435.5
Lux & calor differunt 435.5
Lux sit super materiam, quæ formam rebus induxit 35.11
Lux in genere quid sit 432.1
Lux rationalis in mentes hominū demissa multiplex 434.4
Lux ista ad phantasiam descendit. folio 434.4.
Lux quomodo amplificet & dilatet. folio 435.6
Lux pertransiens uitra diuersorum colorum, discolores radios diffundit. folio 433.3
Lux quō lætificet & beatificet. 435.7.
Lux secundū Iamblicum, quomodo lumina sua transmittat 433.3
Lux qualiter illustret 433.4
Luz, os undè ueluti semine, repullulabit homo animalis 402.1
Lysandrus Lacedæmoniorum clarissimus. folio 169.6

M

MAcrobius in libro de somnio Scipionis quid 281.20
Magi sapientes apud Persas, occultarū rerum gnari 379.9.

Magi q primo dicti sunt studuerũt medicinæ. folio 379.9
Magi medici astronomiam medicinæ necessariam existimarunt 379.9
Magi Pharaonis aquam in sanguinem mutarunt 380.9
Magi Pharaonis uirgas in serpẽtes mutarunt, ranarum multitudinem aduocarunt, ad Mosi æmulationem. 380.9
Magi Memphitici pediculorum materiã producere, ut Moses in Pharaonem, non potuerunt 9.8
Magi Asiatici Alexandrum natum Asiæ perniciem prædixerunt 372.3
Magi qui, sapientes & ueri philosophi dicantur 380.9
Magi digitũ & uirtutẽ Dei inesse professi sunt quando produxit Moses pediculos 2.8
Magistratus qui sint lunares 81.30
Magna parens terra 104.8
Magnetis uis quæ 370.1
Magorum, aut mirabiliter operantium magna differentia 380.9
Mahumet in sua theologia de resurrectione quid scripserit 402.2
Mahumetica discißio diuina dispensatione, non sine mysterio permissa est. folio 298.1
Mahumeti adhærentibus lex utraque relicta 318.19
Mala an influentiũ malitia, an mala dispositione recipientis 45.8
Malefactores in membris quibus peccabant, puniebãtur, ut Galenus & Moses Cordubensis docent 117.24
Malefactorum ex antiquorum constitutis fuit talio 117.24
Mali quo igne cremandi. 411.15
Mali quomodo cruciandi 411.16.
Malum infra omne ens 393.7
Malum in natura defectus & priuatio ordinis naturalis 393.7
Malum Dedalus reperit 19.14
Malum non est existens 393.7.
Malum non est omnino nihil 393.7
Malum tractat Dionysius, quasi pertinens ad Deum 256.9
Malum multifariam contingit 65.9
Malum non est substantia 393.7.
Malum non est accidens eodem
Malum quid 330.24
Malum à fonte bonitatis prouenire non potest 46.9
Malum est inter ens & nihil medium. folio 393.7
Malum non est causa neque effectus. folio 330.4
Malum nullũ à Deo formaliter & propriè, sed illud quod mali causa uidetur 256.9
Malum nullum reperitur à Deo effectũ quod concupiscens homo &c. 256.9
Malus punica à quo primo in Cypro sata. folio 80.28
Mana cibus fortium secundum ueritatẽ literæ interpretatur 269.6
Manci in templum domini non ingrediebantur usque in decimam generationem. folio 162.36.
Mandatis duobus lex & prophetæ pendent. 448.3
Mane & uespere in mũdi creatione qd significent & quõ accipi debent. 35.10
Manhu quomodo interpretatur. 456.1.
Manilius Mathematicus 111.17
Manilius quid de mũdi aĩa cãtet. 202.1
Mãsiones uariæ quæ sint in cœlo. 94.14
Mansiones particulares, & sediles beatorum 436.2

Mantia furoris species quæ spiritum diuinum facit 373.4
Manto Mantuæ conditrix 373.4
Manus Dei est spiritus Dei 283.2.
Manus aureæ sponsi quid 451.1.
Marcus Tullius quid de Deo 5.3
mare quãdo agitabile sit futurũ. 406.6
Mare & aquæ quid 137.12
Mare collectio aquarum 137.12
Mare & pelagus infinitũ est ipse Deus. folio 140.14
Mare quibus fœcundum 137.12
Mare rubrum quid 142.16.
Margaritæ in mari Indico & Britannico in conchyliis gignuntur 52.15
Maria uẽtis agitata intepescũt. 410.14
Maria Magdalena in solitudine Massiliensi statis horis eleuabatur in sublime angelorum ministerio. 374.4
Mariæ nomen Hebræum quem numerum reddat. 89.6
Mariæ partus quam mysticus. 254.6
Maro à doctissimo Dante & in naturali & in morali philosophia præponitur alijs. 48.10
Marmorum genera sunt multa. 75 18
Mars robur constans confert 44.7
Mars igneus totus cum flaua bili habet commercium 114.20
Martem nõ esse malum, nec aliud quodcunque sidus 47.10
Marti quæ subiiciantur. 78. & 79.26
Marti quæ conueniant 117.24
Marte quæ roborentur 78.26
Martiales quibus oblectentur 114.20
Martij morbi 118.25
Martis ad Solem, Venerem & Mercurium dupla proportio 121.30
Martis mala promanantia 45.8
Martis sub sidere geniti quid agant. folio 48.10
Martis concordia cum intelligentiis quæ uirtutes appellantur 64.8
Martyres oẽs quo uino ĩebriati. 444.2
Marur apud Hebræos amaritudines significat, uel acrem saporem, & non lactucas agrestes 244.19
Masculus, fœmina, androgynos undè generẽtur 267.4
Masculus cur concipiatur 267.4
Marsias geminarum tibiarum repertor. folio 18.14
Matatron angelus 359 10
Mater filios si uoluerit habere formosos, præstanti & egregia forma habeat præ oculis imaginem 267.3
Materia prima semper patitur. 127.2
Materia cœli à nonnullis quinta essentia dicitur 421.5
Materia cœlorum ab alteratione aliena. folio 47.9
Materia cœli empirei omnibus purior. folio 421.5
Materia seipsam disponere non potest. folio 437.3
Materia unica in inferioribus 93.13.
Materia grossior & crassior nõ est ex materia hominis 402.1
Materia uera supernæ ciuitatis quæ sit. folio 420.5
Materia primo enti aduersa 127.2
Materia prima omnium specierum susceptrix. 127.2
Materia prima cui maiestati succentet. folio 127.2
Materiæ productio, & materia producta differt à productione aliarum rerum. folio 127.2
Materiam primam suum informem uocabat, matrem mundi, receptaculum,

subiectum, nutricem formarum &c. folio 127.2
Materiã cœli à materia terræ Moses distinguit 421.5
Materiam primam Pythagoras & Empedocles syluam appellarunt. 127.2
Materiam ante formam concesserunt esse philosophi quodam ordine, quamuis tempore non præcesserit. 13.10
Materiam primam nonnulli pandochem uocarunt 127.2
Matthæus Apostolus fuit, Lucas ex discipulis 439.3
Mathematicarum elementa quatuor, signum seu punctum, linea, planum, solidum 51.13
Mathematici ideas à sideribus. 190.4
Matrimoniũ qualiter ratificatũ. 442.3
Matrimonium omne fidem exigit. 266.3
Matrimoniũ fit ut prolem gignãt in Dei laudem 240.16.
Matrimonium quomodo fuerit contractum. folio 441.2.
Matrimoniũ per uerba de præsenti differt ab eo quod est per uerba de futuro. folio 441.2
Matrimonium initiatum per prophetas, & per uerba de præsenti cõtrahitur in baptismo 441.2
Matrimoniũ quõ & quando initiatũ fuerit inter Deum & animam. 440.1.
Matrimonium spirituale sacramentis cõfirmatur 442.3
Matrimonium cum difficultate maxima exercetur absque culpa 240.16
Matrimonium quomodo consummatum. folio 442.4
Matrimonium iureiurãdo comprobatur. folio 441.2
Matrimonij spiritualis quando uera coniunctio & unio erit 442.4
Matrimoniũ primis parentibus indictũ & quando 440.1
Media duo pro uoce & sono formando. folio 447.2
Media in duas partes diuiditur. 315.18
Media persona Christus medium est. folio 328.1
Mediator Christus Canali assimilatur. folio 331.6
Medicamenta quæ ex rore marino conficiantur 153.27
Medicamenta animæ quæ sunt, & eiusdem medici 338.5
Medicamina animæ uirtutes contemperata esse debent 346.12
Medici, agricolæ, & nautæ multa præsagiunt. 372.3
Medicina artificialis tẽperata esse debet. folio 346.12
Medicinæ primus author Mizrai filius Cham, nepotis magni Noë. 18.14
Medicinã auxit Auicena Arabs, uel, ut alij, Persa 18.14
Medicinam docuit Christus, & exercuit gratis 275.11
Medicinis contemperandis & proportionandis cura diligentissima Damasceno fuit 346.12
Medicorum celebratissimi qui 338.5
Medicus astronomiæ imperitus quid. folio 49.11
Medicus honorandus est 338.5
Medietas geometrica quæ sit 86.3
Medio an indigeamus, ut in hunc Christum mediatorẽ deueniamus. 334.10
Medulla tritici in sacris quid 431.1
Medulla ueluti alter sanguis ex decoctione mutatus 118.26
Medulla uelut cruenta animalibus no-

uellis 118.26
Medulla oßium uita 118.26
Megasthenes in tertio Iudaicarum rerũ uolumine, non tãtum Aristotelem, sed philosophos omnes Sapientiæ Hebraicæ dicit discipulos 3.1
Melchisedech Spiritui sancto conuenit quomodo. 431.1
Melchisedech regem iustum significat. folio 230.10
Melchised. maior quàm Abrahã. 231.10
Melchisedech quõ interpretatur. 426.2
Mẽbra quæ Merc. subiiciãtur. 120.28
membra hominis quæ conueniant Marti. folio 117.25
Mẽbra humani corporis ut magna distãtia differũt, ita & membra mystici. folio 351.2
membra humana Deo in sacris sæpe tributa, caput, oculi, nares, os, lingua, manus &c. 124.33
Membra hominis omnia Deo tribuuntur. folio 388.2
membra Dei in sacris eius sunt uirtutes. folio 388.2
Membra Lunæ subiecta 120.29.
membra singula quæ nobis sint futura in iudicio 409. & 410.13
Membra & nerui corporum suscitatorũ resultabunt in laudem Dei secundum Augustinum 448.3
membra quæ prius deformia in resurrectione restituentur 447.2
Membrorum Dei & hominis consonantia folio 124.34.
memoria à Deo receptiua ut Scotus eã non reposuerit inter actiuas. 116.23
Memoria uirtus tantum receptiua & suscipiens ut aiunt Scotistæ 116.23
memoria recordatio præteritorũ. 387.1
Memoriæ præest Saturnus 116.23
Mendacium breues habet pedes. 247.1
mens secundum Mercurium 438.2
Mens, quæ Deus dicitur, fœcundißima quæ produxerit ad intrà extràque. folio 8.7
mens quæ & ingeniũ ex facie, id est uultu iudicant multi 102.4
Mensura Dei terminari non põt. 426.3
mens. angeli & hominis eadem 426.3
Mensura omniũ fit per unum, & per denarium. 425.1
mens. ciuitatis per Ioannem 426.3
Mensura particularis ciuitatis supernæ per Ezechielem 424.1
mens. primitiarum & decimarũ. 425.2
Mensuras Theodorus Samius 19.14
Mentes septem quæ primi intellectus separati dicuntur 192.7
mentes angelicæ & beatæ instrumenta sunt resonantia 449.5
Mentes tam angelicæ quàm humanæ assimilãtur in donis suscipiẽdis. 94.14.
mentes humanæ imaginẽ Dei uiui præseferunt 15.12
Meraritæ qui, & quomodo interpretantur. folio 323.22
Merces copiosa quomodo 462.1
mercaua Dei siue tribunal secundum Hebræos 437.3
mercurij cum archangelis consonantia. folio 68.11
Mercurij columnæ inscriptæ omnigena doctrina 3.1
Mercurij præclara, de mente, ad filium sententia 463.2
Mercurij natura difficilima 72.15
Mercurij operatio non quasi propria, sed ueluti alterius (cui coniungitur) executor 72.15

Mercurio aſcriptus tractatus quidã de ſiderum ui. 82.3
Mercurio quæ ſubiiciãtur 119.27
Mercurius qd de Dei fœcũditate 17.13
Mercurius Hermes, id eſt interpres fœtuum dicitur 72.15
Mercurius cum unoquoque planetarum coniunctus quid agat 72.15
Mercurius quid de entibus filio ſuo conſideranda proponebat 345.10.
Mercurius ille triſmegiſtus quid de cognitione noſtri dixerit 341.7
Mercurius duplices habet uires. 119.28
Mercurius quid cum unoquoque planetarum coniunctus efficiat 69.12
Mercurius tractatum de communi edidit. folio 204.6
Mercurio præſidet Michaël archangelus. folio 69.12
Mercurius legis interpretator. 309.13.
Mercaturas pœni excogitarunt. 19.14.
Mercurius ter maximus ait omnes influxus aſtrorũ bonos imò optíos. 46.8
Mercurius cum ſubtiliori ſpiritu conuenit. folio 114.20
Mercurius quo ſenſu dixerit præcauendum à uiro, cui nec uxor, nec filius eſſet. folio 109.15.
Mercurius nulla mouet niſi cum alio ſidere iunctus 80.29
Mercurius Pymãdri diſcipulus, ait. Hactenus fili pulſus patria uixi, ſperabat enim aliam patriam poſt mortem. folio 273.10
Mercurius de cõmuni ait, nil in omni eſſe, quod non ſit ipſe Deus 166.2
Mercu. fidem præſtat. 44.7
Mercurius ut animum ſapiẽtiæ applicarit quid egerit 358.9
Mercurius mentem locutam quibus uerbis adducat 463.2
Mercurius ille triſmegiſtus mentem diuinam adeptus 463.2
Mercurius ad eloquẽtiam fauet. 419.3
Mercurius ter magnus dictus quomodo. folio 459.3
Mercurius natura aqueus 73.15
Mercurius à mercibus 73.15
Merc. quid hominibus largiatur. 111.17
Mercurius quid in ſuo Pymandro de mũdi opificio 9.8
Mercurius reſurrectionem ſperare uiſus eſt 273.10
Mercurius in Pymãdro rectiſsimè Deũ docet 192.7
Mercurius quibuſcum reſonet. 80.29.
Mercuriales graciles 119.28
Mercuriales quibus dotibus ditentur. folio 119.28.
Meſilat uiam tritam ſignat, pro quo habemus uiam ſtratam 141.15
Meſopotamia ubi ſita eſt 318.20
Meſsi quomodo interpretatur. 430.1
Meſsiah quare filius Dauid dictus. folio 186.2
Meſsiah multis uocatus nominib. 203.3.
Meſsiah effectus eſt per quẽ operamur omnia 295.12
Meſsiah oẽs à ſeruitute liberauit. 354.5
Meſsiah regnum Iehudæ non abſtulit. folio 314.17
metalla, quatuor cõſtare elemẽtis. 52.14
Metalla & ſi quatuor conſtent elementis potiſsimè tamen aqua 52.14
Metalla quam ſedem habeant in archetypo. 130.6
Metalla quibus reſpondeant 104.8
metalla cũ Marte ſymbolũ habẽt. 75.19
Metalla quæ quibus planetis conueniãt. folio 75.19

Metalla aquea sunt, & aquæ illi supremæ respondent 130.6
Metalla in homine 105.9
Metalla quomodo & quibus gignantur. folio 52.14
Metalla quibus constent. 53.15
Metalla quæ Veneri subiiciãtur. 80.28
Metalla quæ sint Mercurij 80.29.
Metallorum uita imperfecta 104.9
Metallorum generatio in terra quomodo fiat 104.9
Metallum à metallo etiam eiusdem speciei pondere differre. 53.15
Methaphysices elementa quatuor, essentia, esse, uirtus & actio 51.13
Michaël contra hostem humani generis pugnauit 453.1
Michaël pro corpore Mosi altercatus est folio 229.8
Michaël in subsidium Gabrielis missus. folio 439.2
milites strenuißimi in cœlesti patria sunt folio 440.3
Mille clypei pendent ex ea, quomodo interpretatur 410.13
Minerua inuita nihil agendum 343.9
Minim quomodo interpretatur. 450.7
Minor maiorem supplantat, & subiicit quid sit 300.4
Minoritæ chordigeri seu de familia Frãciscana qui in genere disputandi disseruerunt usque ad Pisanum, centum. folio 33.9
Minuisti eum aliquantulum, uel paulo minus à Deo: & non ab angelis, ut uerè exponũt omnes Hebræorum theologi. 364.2
Miracula quæ uera sint 381.10
Mitatron characteribus Hebræis reddit 999. magno mysterio. 88.6
Mithros uel mithras solem Persæ appellant. folio 21.16
Mizraim, id est Ægyptij 173.10
Moab & Hamon geniti à patre Lot cũ filiabus concumbente, carnis typum gerunt 162.36
Moabitæ & Hamonitæ nati ex patris & filiarum concubitu 162.36
Moabitis & Hamonitis in templum accessus in æternum prohibitus. 162.36
Mobile primum uno gyratu uoluitur. folio 43.6
Mobile primũ cũ corde consonat. 115.22
Mobile primum empyreo cœlo contiguũ. folio 56.1
Modi intelligendi duo qui sint. 359.10
Modulatio nulla sine symphonia. 395.12
Modus cognoscendi triplex apud quos. folio 359.10
Mollia quæ sint cum Venere 119.27
Monaulon Mercurius reperit 18.14
Mundus multo laudabilior ex harmonia quàm aliis rebus 163.1
Monstra in natura undè 21.17
Monstra quibus causis pducãtur. 22.17
Mõstra duabus causis pducũtur. 22.17
Montes sæculi, dæmones interpretatur Hieronymus 134.9
Montes exultauerunt, legendum saltauerunt ut arietes 134.9
Montes culmina uirtutum sunt. 156.30.
Montes quibus eleuentur 133.9
Mora periculum affert, ideo festinemus ingredi requiem, seu quia festiuè ab hoc sæculo abeundum 245.19
Moralia usu comparanda 11.8
Moralis uel allegoricus quid sit. 397.13
Morbi eorũ q sub sole nati sunt, 118.26.
Morbi qui à Merc. suboriãtur. 120.28.
Morbi qui ex bili flaua gignãtur. 118.25

Morbi qui Venerei 119.27.
Mortis quam sententiam habeant multi philosophi 167.3
Mos studẽtium diuinæ doctrinæ & etiã philosophicæ qui 359.9
Mos patriæ & familiæ Deo uacantiũ quis sit 301.5
Mosem præcesserunt nulli scriptores, nisi forte Abraham & Enoc. 2.1
Moses familiaris fuit angelo Mitatron. folio 363.1
Moses Theologorum pater, Philosophãtium magister quid de orbis genitura. folio 9.8
Moses ante Troiæ excidiũ trecentis decem annis floruit 2.1
Moses integerrimus philosophus 102.5
Moses imperium Dei subire recusat, sic decernente Deo: quia uires humanæ omnino inualidæ, nisi præeat Dei gratia. folio 82.32
Moses omnino sui diffidens, angelum ducem non uult suscipere, sed Deum ipsum præire ducem quærit, dicens, Nisi ueneris tu, non uadam 82.32
Moses hæc prædicta non sine magno mysterio protestatus est 82.32
Moses, recusatis omnibus aliis, effecit ut Deus in medio populi habitaret constructo tabernaculo 82.32
Moses ab aquis liberatur non casu aliquo, sed sic disponente Deo, ut & Ioseph liberatur, Saul in regẽ ungitur, sic omnia mea quidem sententia fiũt. folio 170.6
Moses sapientissimus philosophus. 7.5
Moses mandatus erat tantum ut loqueretur petræ: & non ut percuteret. folio 129.5
Moses in mundi fabrica binas semper productiones meminit 193.7
Moses Deum irritat, præceptum nõ adimplens in percussione petræ coram populo. 129.5
Moses à Strabone sacerdos Aegyptius dictus. 2.1
Moses Christi typum gessit 379.8
Moses Cordubensis 117.24
Moses scientiam legis indicat 243.18
Moses Inachi & Ogigis tẽporibus fuit. folio 2.1
Moses quibus locis, quæ de creato orbe disserit, confirmet 9.8
Moses, non Socrates, sapientiam euocauit à cœlo 73.15
Moses legigraphus cum de genitura hominis loqueretur bis Christi productionẽ exarauit 296.1
Moses infirmitati non subiectus quare. folio 338.3
Moses rerum naturam cognouit. 359.10
Moses faciem habebat splẽdentem: traductio nostra habet cornutã. 432.1
Moses & Iahacob facie ad faciem Deo loquuti 464.2
Moses miracula fecit 381.10
Moses & Aaron cum illis septuaginta numerati 324.23
Mosi doctrinæ testes locupletissimi Appio Alexandrinus, Porphyrius, Alexãder Polyhistor, Eupolemõ, Theophrastus, libri Sibyllini, oracula Apollinea, Clearchus Peripateticus, Megasthenes, Strabo, Iustinus, Cornelius Tacitus, Demetrius Phalaræus, Hecatæus Abderita, Orpheus, & Solinus 10.8
Mosi mandauerat Deus ut loqueretur petræ 129.5
Mosi, cum cẽtum uiginti annorum esset,

non ſunt diminuti dentes 175.11.
Moſi libri nihil ſacramẽtorum Meßiæh futuri prætermiſerunt 10.8
Motiones duæ in homine occurrunt ſecundum Plotinum 348.13
Motiua uirtus à capite oritur. 281.19
Motui & diſtantiæ ſolis à nobis, imputanda non eſt caloris cauſa 49.11
Motum rectum perpetuari nõ poſſe, friuolum & ineptum ad mundi creationem. folio 12.10
Motũ Peripatetici in eo quod mouetur, aut generatur, & cæte. 12.10
Motus tardus & ſolidus atram bilem ſignat 102.4
Motus quanto ſuperior, eò maior uirtute, minor uerò numero 56.1
Motus cœli ad alium mundi ſtatum, & ad quietem terminatur 12.10
Motus mundi & omnis eius reuolutio in quietem tendit æternam 14.12
Motus quò inferior eò minor uirtute, maior uerò numero 56.1
Motus duo Platoni 202.1
Motus cœlorum naturales & non liberi ſunt 47.9
Motus omnes ad quietem ueram tendũt. folio 13.11
Motus circularis perpetuus eſſe poteſt. folio 12.10
Motus tempus gignit 12.10
Motuum cœleſtium orbium tardißimus, eſt ille ſtelliferi cœli 116.22
Mouens primum non mouetur 15.13
mulier quædã ab authore uiſa, quæ ſumpto corpore myſtico in die cœnæ genibus innixa perſeuerauit uſque ad diẽ reſurrectionis 374.4
Mulieres aquis ſubmerſæ pronæ ferũtur ne inhoneſta naturæ detegantur. folio 119.27
Mulieres maius ſymbolũ cũ diabolo, quã homines habent 380.9
Mulieribus uirtus Venerea in umbilico. folio 119.27
Multi ſunt uocati, pauci uerò electi expoſitio: & dubij ſolutio 216.19
Multi uulgò uiſi ſunt facere miracula, quæ tamen naturalia erant. 379.9
Mundi fabricam numeris plenißimis diſpoſitam, obſcura ſenſuum iudicia latẽtem, mundi ſacramẽtorum nondum initiatis doctè occultauit Plato. 9.8
Mundi genitura an ſit, de nouóne fuerit, an libera quadam mentis diuinæ affluentia, folio & capite. eiſdem
Mundi genituræ uariam uarij opinionẽ ſequuti ſunt authores, fo. & ca. eiſdẽ
Mundi animã academicorum bona pars Deum eſſe exiſtimat 204.6.
Mundi fabricam qui negant, cœlum à cõtrariis ſemotum contemplantur, atq; protinus non corrumpendum, & ex conſequenti non genitum 11.9
Mundi machinam totam uno eodemque die fuiſſe innuit Moſes alio loco, atq; aſſerit 33.10
Mũdi fabricam qui negãt, quibus fulciãtur argumentis 11.9
Mundi anima quid 92.13
Mundi genituram qui negant, paralogizant 12.9
Mundi huius ſapientes quanta diſſonantia orbis iecerint fundamenta. 27.2.
Mundi in creatione, diuiſio illa dierum non ad tempus, ſed ad ordinem rerũ productarum refertur 34.10
Mundi ſapientes quàm diſſoni ſint 26.1
Mundi tres quibus conueniant 17.13.
Mundi nouitatis rationes 17.13

Mundi huius quisquis amicus fuerit, inimicus Dei erit 273.10
Mundi principia quæ quibus placuerint. folio 28.3
Mundi creationem à terra tanquam à cẽtro & matre omnium Deum auspicatum opinãtur physici 128.3
Mundi anima omnia uiuificantur. 93.13
Mundorum trium connexio 131.7
Mundos plures alij, alij unicum docuerunt. folio 30.6
Mundos tres Ioannes in euangelio meminit inquiens. In mundo erat & mundus per ipsum factus est &c. 100.1
Mundum qui increatũ putant omne productum præfuisse potentia in materia, folio 11.9.
Mundum æternum qui existimant nihil ex nihilo fieri credunt 11.9
Mundum fabricatum quibus probetur. folio 11.19
Mundum qui unum, alij ortum, alij initiatũ, alij interiturum, alij semper futurum, alij mente diuina, alij fortuito & casibus agi 30.6
Mundum ab initio imò ante initium nõn fuisse, pulcherrima à rerum inuentoribus argumentatio 18.14
Mundum esse animal ferè antiqui omnes sentiunt 33.10
Mundũ esse pulcherrimum Dei opificiũ Alcinoi sententia 9.8
Mundus cur antè uel post, quàm Moses narrat à Deo nõ factus fuerit. 19.15
Mundus fabricatus mẽse Septẽb. 235.13
Mundus quẽ habitamus Dei simulacbrũ continet, & homo mundi & archetypi. folio 100.1
Mũdus animal quorũdã sentẽtia. 23.17
Mundus resoluitur secundum partes, ut tenore perseueret meliore 13.10
Mũdus noster acerrimus ĩmicus. 273.10
Mundus animal Aristotele, Theophrasto, atque Auerrhoë testibus. 201.1
Mundus uiuebat in mente diuina, ut artificium in mente artificis 7.5
Mũd. aĩal quoddã Origene teste. 201.1
Mundus sex milibus annorum laborabit, in septimo autem millenario quiescet & finietur sæculum 405.6
Mundus spiritussancti opificium. 93.12
Muscæ acriori punctura pluuiam futuram denuntiant 370.1
Musicen Christus docuit 275.11
Musices alij Pythagoram, alij Amphionẽ tradunt authorem 18.14
Musici prisci quatuor tãtũ habuere chordas naturã imitati quæ 4. habet elementa 95.16
Musici totam musicam uiginti gradibus distingunt 414. procœmio
Musicorũ chordæ 4. hypate, terram, parhypate, aquam: nete, ignem: paranete aërẽ usq; ad Orph. tẽpora. 96.16
Mydas obliquã tibiã in Phrygia reperit.
Mysteria Christi clarè Isaias unico reserauit oraculo 293.11

N

NAbucdonosor iussu Dei in bouẽ mutatus annis septem. 380.9.
Nataph malè traductum in æditione. folio 247.21
Natura agens, quæ sit nondum exploratum habemus 24.18.
Natura cũ Deo omnia producens, nõ potest esse materia & forma. 25.18
Natura hominis ex opationibus. 102.4
Natura sensibilis quid 38.14
Natura duplex, altera sensibilis, altera incorrupta 38.14

Natura, id est materia & forma. 11.9.
Natura incorrupta quid 37.14
Natura incorrupta diuina scientia uocatur. 33.14
Natura sensibilis, dæmoniaca 38.14.
Natura supremum artificem eminus, & tam distantibus passibus æmulatur, quam ars naturam ipsam 12.9
Natura humana quare sancta uocetur. folio 322.22
Naturæ uis tota in homine, & sublimissimum numen collocatum fuit. 99.1
Naturæ opus non ad uniuersale, sed ad particulare terminatur. 21.16
Naturæ opus magis contingens quã necessarium
Naturale, quod accidit ĩ pluribus & frequenter, inquit Aristoteles 21.16
Naturali uirtuti solis ascribendum ꝙ calor gignatur. 49.11.
Naturalia opera quæ sint 381.10
Naturalibus nec laudamur, nec uituperamur 47.9
Naturalis agens, Dei effectum scilicet subiectum, uel materiam præexigit. folio 11.9
Naturalis trãsmutatio ex materia in materiam fit 12.9
Naturalium nodus robustissimus sententia. Ex nihilo nil fieri 12.9.
Naturalissimum operum uiuentibus est facere alterum 16.13
Nauẽ onerariã inuenit Hippius Tyrius.
Nauigando obseruare sidera primi docuerunt Phœnices. 19.14
Nazaræi, hoc est à turba separati; uel coronati corona sanctitatis 225.6.
Necessarium aliud absolutum, aliud uerò conditionatum 22.17
Necessarium alterũ Deo attributum siue tribuendum, alterum inferioribus. folio 22.17
Necessitatis melior conditio quàm cõtingentiæ 20.16
Necromantici, qui & magi dicti sunt, quibus modis futura prædicerent. 372.3
Nemo ex operibus legis iustificatur. folio 240.15
Nemo uires suas in pace nouit. 392.6
Nemo sibiipsi imponere potest legem, à qua non possit recedere 279.17
Neruos à cerebro uerè probat Galenus habere originem 120.28
Neruos à corde originem habere putat Aristoteles 119.28
Nezem quomodo interpretatur. 431.1.
Nigra sum, sed for. &c. theologi Hebræorum ad legem referunt, nostri uerò ad uirginem 62.7
Nihil ex nihilo fieri ambigua sententia. folio 12.9
Nihil ex nihilo, naturalium nodus robustissimus 12.9
Nihil nulli contrariatur 393.7.
Nihil fit ex contrariis 330.24
Nil in mundo stare potest 250.4
Nil in rerum natura, quod non aliquam præ se ferat diuinitatis imaginẽ. 5.4
Nilus undè habeat originem inuentum Neronis 149.22.
Nismat haiim quî interpretatur. 450.7
nix inter paleas cõseruata optima ad cõpescendum ardorem 145.19
Nix conseruata in aquam resoluta nocet temperamento 145.19
Nix & grando in thesaurum Dei reponuntur. 163.1
Nobilis quis uerè sit 63.7
Nobilitas animi sola est, atque unica uirtus. folio 63.7

Noë à poëtis ethnicis Ianus appellatur. folio 2.1
Noë, ut cabalistæ asserunt, quæ quos docuerit 2.1
Noë uxor in monumentis Scytharum, & Chaldæorũ Tythea magna & Aretia uocabatur 109.15
Noë iustus in generationibus suis quomodo intelligatur 173.10
Nomĩa Barbara nõ immutãda. 369.10.
Nõ pro eis tantũ rogo, in scripturis quomodo intelligendum 461.1.
Non uidere quædam, melius quàm uidere. folio 24.18
Nõnulli inter Christianos doctrina euãgelica instructi nascuntur 354.5
Normam reperit Dedalus 19.14
Nos quid à Patre, quid à filio, quid à spiritu sancto habeamus 283.2
Nostra planities terrea cum quibus æquætur 132.8
Notitia rerum philosophis cõtigit ex sensibus. folio 15.13
Notius illud est, in quod plures cõueniũt sensus 15.13
Nouem intelligentiarum ordines. 40.2.
Nouenarii tres quomodo in homine inueniantur 91.10
Nouum omne ad antiquum reducitur. folio 12.9
Nubes & pluuia quid denotẽt in sacris. folio 142.17
Nubes duo hominibus præstant beneficia. folio 142.17
Nubes pro sanctis in sacris interdum accipiuntur 187.2
Nullus apud Deum potest iustificari. folio 127.1
Nullus ex se stare, aut erigi potest. folio 132.7
Numenium, Philonem, Plotinum, Iamblicum & Proculum mysteria à Paulo, Dionysio, Hierotheo, & Ioanne, didicisse asserunt nonnulli. 3.1
Numenius quid de Deo sentiat. 204.6
Numenius in primo uolumine de bono quid sentiat de Iudæis 3.1
Numenius Pythag. multa ex Mosaica doctrina in suis lib. conscripsit. 3.1
Numenius Pythagoreus quid de Platone. folio 3.1
Numeri quadrati, quibus inter se conueniunt omnes 51.13
Numeri per quos exiuimus à Deo & iterum ad eum reuertimur 171.8.
Numeris Plato & multi alij de anima & mundo disserunt 39.1
Numeris nil familiarius sermoni de Deo folio 38.14
Numero ternario quantum tribuãt philosophi & mathematici. 40.2
Numero cubo nil addi potest 40.2
Numerorum sacramenta 38.14
Numerus duodenarius undè conficitur, & quomodo diuiditur 305.8
Numerus cum in longum, latum & profundum creuerit, ulterius extendi nequit. folio 97.18.
Numerus omnis trino augmento crescit, in longum latum, & profundum. folio 40.2
Numina duodecim à poëtis inuenta quæ præferunt duodecim signis 113.19
Numina quædam in Deo quæ nostri attributa dicunt 8.6
Nuptiæ Christi cũ anima initiata quando. folio 441.1

O

OBiectum adæquatũ quid uocẽt theologi scholastici 388.1

Oblatio Christi ĩ cruce semel facta fuit in remissionem omnium peccatorum plenissimam, licet recolere iusserit. folio 240.15
Oblationum differentiæ à lege institutæ. folio 369.9
Ocreas & cristas Cares excogitarunt. folio 19.14
Oculi Dei qui sunt 124.34
Oculi uulgares radios diuinitatis suffer re nequeunt 434.4
Oculi mores hominum indicant. 102.4
Odoratus quibusdam existimatur uiuacior & spiritalior cæteris sensibus. folio 246.21
Oleum in scriptura sancta quid 331.7
Oleum patri luminum in sacris conuenit. folio 431.1
Oleum in sacris quid 185.1
Oleum quid 151.25
Olgol Iouia quam habeat uirtutẽ. 82.31
Olgol Iouiæ quæ herbæ subsint. 82.31
Olgol Iouia in 18. gradu Tauri. 82.31
Omne quod uiuit, propter calorem inclusum uiuit 410.14
Omne quod est, maiorẽ uel minorẽ gradum habet essentiæ 37.13
Omne quod est, ipsum quoque uerum est. folio 223.5
Omne quod est, bonum est 223.5
Omne ideo est, quia unum numero est. folio 26.1
Omnes gentes plaudite manibus in quibus locum habet 455.3
Omnes immundi sumus 127.1
Omnes stultos fuisse factos Cicero ait. folio 14.12
Oẽs sua natura infœcundi sunt. 153.27.
Oĩa penè ad diuersos fines, sed ad unum ultimum tantum sunt ordinata. 13.11.
Omnia unum esse quid Plato intellexerit. folio 36.12
Omnia quomodo in Deo sint 43.8
Omnia immortalitatem appetunt. 16.13.
Omnia producta gyrum faciunt, & à Deo incipientia in ipsum (inquit Proculus) desinunt 13.10
Omnia tantum sunt quantum illius, qui uerè est, esse participant 36.12
Omnia quõ Deum laudent. 5. & 6.4
Omnia habent à Deo patre ut sint, à spiritu uitæ ut uiuant, à filio ut intelligant 185.1
Omnia ab una causa procedunt. 6.5
Omnia à Deo incipiunt & ad eundem conuertuntur 6.5
Omnia à Deo incipiunt & ad eundem conuertuntur 100.1
Omnia reducẽda in id ad quod est ipsorum causa 43.5
Omnia penè in sanguine mundantur. folio 244.19
Omnia aliquid habere quod archetypo respondeat 126.1
Omnia uerè tendunt in Deum 166.3
Omnia quomõ in arbore uitæ & Christo uiuant 205.8
Omnia quomodo per senariũ à Deo egrediantur 171.8
Omnia quomodo in Deũ redeãt. 172.9
Omnia uiuunt etiã metalla, lapides &c. folio 204.6
Omnia præter summum hoc bonum indigent. folio 466.1
Omnia, etiam minima iudicarunt antiqui à superioribus regi 121.29
Omnia fabricata præexistunt in artifice. folio 126.1
Omnis philosophantium notitia à sensu ortum habet 15.13

Omnis arbor est omne genus personarũ. folio 131.7
Opera tantum facienda, inquiunt quidã ut mortificetur homo rebellis. 259.12
Opera, quæcunque sint, non sufficiunt ad salutem. 263.14
Opera nostra quantumcunque iusta & sancta gratiam filiorum Dei non possunt acquirere nobis 263.14
Opera sine fide nihil conferre ad salutẽ, aiunt quidam 259.12
Opera sine fide Deo nulla placent. folio 261.13
Operandũ bene nõ solũ ut corpus subiiciatur spiritui, sed ut recipiamus mercedem nobis promissam pro bonis operibus 263.14
Operatio suppositi aut singularis est apud theologos & philosophos. 58.3
Operum Dei nulla ratio dari potest humana 1.8
Ophanini, id est conti uel canthi ferrei & non rotæ ut habet traductio nostra. 58.3
Ophanini ad tribunal summi Dei pertinent, ut Abraham in libro de formatione ait 58.3
Ophaninus unus cuilibet rei disponẽdæ præest. folio 58.3
Opifex summus omnium rerum archetypus. folio 100.2
Opifex summus egressus in creaturas producendas per senarium 171.8
Opificis uires duplices 92.12
Optimum perfectionem habet à se. 56.11
Opus naturæ non ad uniuersale, sed ad singulare terminatur 21.16
Opus Dei perfectißimũ absolutißimũq;. folio 103.6
Oracula ut intelligantur hominum industriam exigunt 376.5
Oracula omnia in Christi aduentu cessarunt. 212.16
Oraculũ illud, Nosce te ipsum, unde manauit 341.7
Oraculum de futuro iudicio. Duo milia inanes. Duo milia sub lege. Duo milia sub Meßiah 406.6
Orare proprium homini, inquit Plato, Porphyrius, Iamblicus, & Proculus. folio 20.16
Oratio omnibus necessaria 398.15
Oratio (inquit Damascenus) est eleuatio mentis in Deum. 225.6
Orationi seruire non posse & rei uxoriæ 224.6
Orbis tertius, siderum erraticorum primus. folio 59.4
Orbium cœlestium consonantia qualis. folio 163.1.
Organum quid in scripturis significat. folio 450.7
Ori præest suauis Venus 119.27
Origenes quid in Celsum de sacerdote à magno Alexandro uenerato. 221.3
Origenes quid de anima à corpore soluta sentiat 464.3
Origenes quid de asina interpretetur. folio 171.7
Origenes in Peri archon quid 251.4
Origenes omnium sacræ paginæ interpretum facilè princeps naturali sensu utitur 58.3
Origenes ab Ammonio, & sapientibus Hebræis sacras didicerat literas. folio 58.3
Origenes super numeris quid mysticè dicat 243.18
Orphei de Deo elegantißimum dictum. folio 324.24

Orpheus ex sacris literis suum opus ultra humanā extēdit facultatē. 48.19
Orpheus de arcanis diuinis cātat. 193.9
Orpheus Hebræorum doctrinam, unū́q; uerumq́ue & perfectum Deum multis celebrat carminibus 10.8
Orpheus poëta Deū duntaxat Abrahā cognitum canit 194.9
Orpheus de Deo quid cantet 166.2
Orpheus paulò prior Homero, Gedeonis tēpore annis circiter trecentis post Mosem, cum suis sacris floruit. 3.1
Orpheus à tabulis Mosaicis didicit quæ de Deo cantat 10.8
Orpheus sapientiam Palladem ex cerebro Iouis progenitam uocat. 196.11.
Orpheus, Aglaophemus, Empedocles, Parmenides, Heraclitus, Lucretius, scriptores sacræ paginæ imitatos in dicendi modo 181.19
Orpheus quid de orbis opifice 163.1
Os sacrum quibus nominibus diuersis dicatur 119.27
Osee Traham te in funiculis hominum, in uinculis charitatis, hominum ad humanitatem Messiah pertinet, charitatis funiculi ad diuinitatem. 169.6
Ostrea & conchylia cum luna crescunt, pariter & decrescunt 376.6
Oues & pastores quid mysticè signent. folio 156.31
Ouidius Sulmonensis sagacissimus, tempus à gyro cœlorum fluere non ignorabat & tamen dicit, Ante mare & terras & quod tetigit omnia cœlum, nec particula antè significat aliquod tempus ante cœli motum 13.10
Ouidius in metamorphosi sua, Pythagoræ arcana occultat 48.10
Ouidius semipythagoreus 189.3

P

PAcbad quid significet 378.8
Pabad timor Dei 41.4
Palladis peplo quid fuerit inscriptum. folio 37.12
Pallas quid significet 37.12
Palma, cedrus, lignum Setim, & hyssopus atq; salix quid significent. 151.27
Pan fistulam excogitauit. 18.14
Panætius & Carneades auguria irrident. 370.1
Panes facierum magnum sacramentum important, & mysterium. 245.20
Panes facierum quibus licitum comedere. folio 245.20
Panes propositionis, & cætera id genus quid 245.20
Panes sub diuersis figuris iussi offerri. folio 245.20
Panes propositionis Hebraicè facierum folio 245.20
Panis quis, & quæ caro in conuiuio cœlesti. 444.3
Panis qui de cœlo descendit. solis sacerdotibus datur 245.20
Panis est caro, in scripturis quomodo intelligendum 444.3
Panis Dei descriptio 6.5
Par philosophantibus maximè binarius materiam significat 37.13
Paracletus ille suggeret uobis ōnia, quo modo intelligendum. 357.7
Paradisus antè, quàm cœlum & terram faceret Deus, erat 147.21
Paradisus uoluptatis quid 146.21
Paradisus uoluptatis ubi 317.19
Paralipomenon quid 428.2
Paralogisant & Peripatetici ex parte temporis 12.10
Paralysis causæ 116.23

Parmenides nihil de inferioribus sciri asserebat, nisi quantum à supremo dependent 195.10
Parmenides Deum, quiddã coronæ simile confictum, quod Stephanem appellauit, statuit. 4.2
Parmenides falsò ab Aristotele de errore calumniatus 190.5
Parmenides omnia unum esse dixit quomodo intelligendum 461.1
Parmenides iniustè ab Aristotele carpitur. folio 166.2
Parmenides rectè creaturas omnes esse unum in fonte à quo fluunt. 190.5
Partes ante totum non productæ.
Pascha quid mysticè significet. 245.19
Passiones huius sæculi non condignæ ad futura in gloriam 264.14
Pastores magni & sanctissimi olim fuere. folio 156.31
Pastores ouium ueri qui sint 157.31
Pater cœlestis centrum sphæræ intellectualis 128.3
Pater cur filium plus diligat, quàm diligatur à filio 189.3
Pater, filius, & spiritus sanctus unũ sunt essentia. 283.2
Pater replet omnia unitate 283.2
Patrem & filium nullus potuit intelligere, nec etiam Moses 164.2
Patrem æternum, coronam superiorem Hebræi uocant 203.5
Patris & filij, & spiritus sancti connexio mira 258.10
Patres antiqui duas supremas mensuras quarum superiorem fontem, coronã, originem: alteram sapientiam, primogenitum uocabant, non esse mortalibus cognitas aiunt 164.2
Patres patrum qui patriarchæ dicuntur sunt in ciuitate suprema. 439.3
Pauca sunt quæ ab Euãgelistis sunt scripta si conferantur ad ea quæ Christus docuerit 271.9
Pauci uerum baptisma suscipiunt, id est spiritum sanctum ut tempore apostolorum 268.4
Pauli dicta obscura soluuntur 262.14
Paulus arcanorum Dei conscius sacramentum belli & uictoriæ Christi explicauit ubi 454.2
Paulus plus cæteris laborauit 456.4
Pauo duodecim oua ponit. 113.19
Pauor inertia, & remissum opus flegmatis indicium 102.4
Pax secundum aliquos est tranquilla animi libertas 460.1
Pax à quo detur 460.2
Pax perfecta & unio quãdo regnabit. folio 446.5
Pax cum Deo quàm suauis & concinna sit. folio 460.3
Pax uera quid est 460.3
Pax seruanda iure testamentario nobis relicta 460.1
Pax quid sit 459.1
Peccatarium, id est oblatio pro peccatis & sic legendum apud Paulum, Qui non nouit peccatum, peccatarium fecit. folio 234.12
Peccati cognitio fit per legem, & non iustificatio 232.11
Peccati cognitio fit per legem 255.8
Peccatum Christianorum sacerdotum, & doctorum maius quàm plebecularum 145.19
Peccatum mortuum sine lege, & ignotũ. folio 255.8
Peccatum tam in angelis, quàm in hominibus fuit & est quando &c. 256.8

Peccatum etiam cõmittimus minus bonũ eligendo 257.9
Peccatum quomodo ex arbore inductũ sit, & malum in mundum 329.4
Peccatũ multis modis cõmittitur. 257.9
Peccatum in spiritum sanctum, est omnimoda desperatio, aut proterua malitia, aut crimen læsæ maiestatis 185.1
Peccatum adeo uoluntarium est, ut non alio pacto sit peccatum 48.10
Pedes in canticis sanctis quid 451.1
Pedes in sacris literis quid significent. folio 427.3
Per hominem omnia facilè Deo reconciliantur 391.4
Percussi nos uento urente, aurigine, & grandine melius arefactione, siccitate folio 145.19
Peripatetici quid sit illa natura agens nõ determinant 195.10
Peripatetici cum suo deliro Aristotele falsò calumniãtur ideas inter nubes, aut in concauo Lunæ existere. 191.7
Peripatetici nostri sæculi opinãtur nihil stare, aut sciri nisi ex sensatis syllogisando ea probent demonstratione quam pinxit Aristoteles 11.9
Peripatetici contenti pro causa effectuum sensibiles qualitates assignare. folio 49.11
Peripatetici tot rentur intelligentias tantum, quot putant esse orbes 365.4
Peripatetici quomodo naturalia tradiderunt 168.4
Peripatetici quinque de homine tractant, quid, unde, ubi, quo, qua, eius sit homo. folio 272.10
Peripateticis anima & spiritus idẽ sunt. folio 385.3
Peripateticorum de intellectu oppugnatio. folio 356.7
Peripateticorũ dux Aristoteles. 190.4
Peripateticorum & Auerrhoistarum dogmata non omnia firma & solida. folio 18.14
Peripateticorum error in cõclusione motus genituræ mundi 12.10
Perpendiculum inuenit Dedalus. 19.14
Persæ & Chaldæi in suis lib. recondita habent sacra miracula 21.16
Persarum regis origo 315.18
Perseuerantia, uerarũ decimarum oblatio. folio 220.3
Perseus Zenonis auditor res utiles & salutares Deorũ uocabulis nuncupatas ait. folio 4.2
Personæ diuinæ anili doctrina dicuntur repræsentari tribus animæ potentiis. folio 387.1.
Petra nunc pro patre, nũc pro filio in sacris. folio 129.5.
Petri successores uirtutem & potestatẽ quam à Christo susceperant, amiserunt, susceptis bonis temporalibus. folio 379.8
Petrus familiariter adeò cum angelo egit ut mulieres dixerint, Angelus ipsius est 363.1
Petrus Lõbardus & Damascenus quid de diuini uerbi incarnatione sentiat. folio 100
Phærecides Pythagoræ magister. 372.3
Phalaridis matri quid in utero gestanti uisum fuerit 169.6
Pharisei cur Christum odio persequuti sunt 402.2
Pharaotis diligentia in suscipiendis aut recusandis pueris 102.4
Pherecides cum uidisset haustã aquam de iugi puteo terræmotum prædixit

uenturum. 372.3
Philisthæi non intrabant in templum, usque in tertiam generationem. 162.36
Philisthiim de genere Cham simul cum Aegyptiis commixto 162.36
Philisthiim nobis mundũ figurat. 162.36
Philon non minus doctrina quàm Græca facundia celeberrimus 9.8
Philosophandum de Deo quibus, quando, & quomodo, & quantũ opus fuerit. folio 32.8
Philosophi ethnici, Hebræis sapientibus cõparati & theologis Hebræis, friuola & caduca authore Eusebio dicũt. folio 10.8
Philosophi naturales adhuc dubitant, an hæc sit nostra patria 273.10
Philosophi qui unicum Deum adorandũ censent 7.6
Philosophi cur aberrarunt à catholica ueritate 15.13
Philosophia Peripatetica cum Hebræorum philosophia aliqui existimant stare non posse 3.1
Philosophia secretior quæ magna dicitur ubi. folio 313.16
Philosophiã & õnes artes docuit Christus. folio 275.11
Philosophorum quãta dissonantia. 26.1
Philosophorum antiquorum ubi fuit doctissima bibliotheca 313.16
Phinees benedictionem Leui à Mose datam quando confirmauit 312.15
Phœbus medicinæ author ab antiqs cur dictus 74.17
Phœnix quomodo reuiuiscat 401.1.
Phœnix Arabiæ singularis auis annos quingentos uiuit 401.1
Phthisis & hæmorrhoidũ causæ & materia. folio 116.23
Physicam numeris tractabat Pythagoras. folio 89.7
Physices elementa cum mathéseos principiis affinitatem habent 51.13
Physici quando pharmaca, flebothomiã, & sanguinis missionem uetẽt. 112.18
Physicorum naturæ seminaria quatuor uirtus, pullulatio naturalis, adulta forma, & compositum 51.13
Physiognomia de qua Christus. Nolite iudicare secundum faciem in operibus assumenda non autẽ in faciei lineis. folio 102.4
Physiognomi ex faciei signis diuinant. folio 373.3
Physiognomiæ scriptorum ingens catalogus. folio 102.4
Physiognomiæ philosophorum medicorũ ex colore 102.4
Physiognomiæ iudicium & chiromãtiæ non aspernandum 102.4
Physiognomiam probauit Pythagoras cum iuuenes inspecta facie recusaret, aut susciperet 102.4
Physiognomiã multi & graues uiri tractarunt 102.4
Phytonissa mulier aduocauit Samuelis animam ab inferis 389.9
Physon quid 147.22
Physon Ganges est 149.22.
Pictores naturæ simiæ, id est æmuli. folio 99.1
Pietatem fundamentum omnium uirtutum Plato asserit, Paulus uerò charitatem. 347.12
Piscatoribus copia fandi undè. 440.4
Pisces pedum iura sibi poscunt. 111.17
Pisces qui mundi 157.32
Pisces, aues, & plantæ mũdæ q̃. 157.32.
Piscinæ, lacus & stagna quid 140.15

Piscis in scripturis quid 444.3
Piscis quem comedit Christus post resurrectionem quid 445.3
Planeta quiuis domiciliũ habet in aliquo 12. signorum. 179.18
Planet. quot annis cursum absoluãt. 56.1
Planetæ cum 12. signis conueniunt qualitatiuis uirtutibus. 179.18
Planetæ quàm in nos sint potẽtes. 49.11
Planetæ cuiusque fauor, quomodo captãdus sit 81.30
Planetæ bonum & malum influũt in inferiora. 44.7
Planetæ oẽs ad hoĩem fouendũ. 116.23
Planetæ siue cœli mala nõ influunt in terram. folio 46.9
Planetarũ omnium quædam cum supernis consonantia 182.21
Planetarum uirtutes habentur 44.7
Planetarum uirtutes quæ 49.11
Planetarum motuum proportione innuitur proportio nostrarũ uiriũ. 121.30
Planetarum quatuor ad conseruandum indiuiduum, tres ad opus dirigẽdum. folio 116.23
Plantæ in archetypo quem locum teneãt. folio 131.7.
Plantæ quæ Mercuriales 80.29
Plantæ quæ sint solares 79.27
Plantæ cum quibus uirescant 106.11
Plãtarum aliæ calidæ, aliæ frigidæ, aliæ humidæ, aliæ siccæ in primo, 2.3. & 4. gradu. 53.15
Plateæ ciuitatis supernæ 424.4
Plato iuuenes admonebat ne temerè de diuinis & mundi sacramentis pronũtiarent 14.12
Plato à re publica exterminari iubet poëtas qui à puritate prisca desciuerunt folio 48.10
Pla. à sup̃mis ad inferna descẽdit. 38.14
Plato super omnes philosophos causas à diuina prouidentia assignasse dicitur à Theophrasto 192.7
Plato philosophãtium magister adeò cũ Mose consentit, ut Moses fuerit appellatus. 3.1
Plato ut D. Ioãnes à summo progenitore exorsus initium 38.14
Plato in Ione & Parmenide: Mercurius in Pymandro: Xistus Pythagoricus dicũt hominem Dei templum, & Deũ hospitem 371.1
Plato non solus mundum generat, ut ait insanus Aristoteles 9.8
Plato diuina semper ueneratur 194.9
Plato ait diuinam sapiẽtiam orationibus & oraculis impetrandam, naturalia ratione quærenda, & moralia usu cõparanda 11.8
Plato multa ignaris occultanda cur iudicauit 9.8
Plato & Pythagoras Græcè exposuerunt, quæ adinuenerunt Brachmanæ Ægyptij, atque Iudæi 3.1
Plato meliore collustratus à Deo lumine, quàm Aristoteles 9.8
Plato in sympo sio, quid de intellectu nostro. folio 175.11
Plato in Cratylo quid de diuinis nominibus. folio 386.6.
Plato in epistola ad Dionysium quid referat 7.6.
Plat. de Socrate mirãda narrat. 374.4
Plato cum frequenter in cõtẽplationibus tã uehemẽs esset mortuus est. 374.4
Plato in negocio animæ quorum doctrinam sequutus 349.1
Plato à rebus diuinis exorsus, descendit ad sensibilia, ultra quæ Aristoteles

(ueluti pecus ad præsepe) non est progressus 194.9
Plato quid rerum omnium catenam uocet. folio 81.30
Plato per magnum & paruum non tantũ materiam intellexit ut malignè cauillatur Aristoteles 37.13
Plato & Plotinus quæ immediatè à Deo creantur interire non putant ut anima. folio 13.10
Plato cũ Hermogene quid disserat. 4.2
Plato semimoses dictus 34.10
Plato & Socrates tria rerum principia posuerunt 127.2
Plato epistolium quoddam ex Aegypto, in laudem sapientum Israëlitarũ, ad Aristotelem conscripsit 3.1
Plato quid de Tymæico Chalcidio dicat folio 373.4
Plato quid de diuinis bonis 281.20
Plato ab eo qui inter entia dignitatem habet sumit exordium 22.17
Plato in lib. de republica de tribus hominis partibus 168.4
Plato prolem Dei patris filium appellauit. folio 8.7
Plato in Epimenide quid senserit de planetis. 46.8
Plato fabricam mundi describens, undè exorsus est. 38.14
Platonem Græci cum academici, tum Peripatetici diuinum appellarunt, Aristotelem uerò cacodæmonem. 38.14
Platonem falsò criminatur ingratus discipulus rixator ille Aristoteles. 9.8
Platoni quid cõtigerit in infantia. 169.6
Platonici longè præcellunt Peripateticos. folio 12.9
Platonici optimè, & cum Christianis cõuenienter ideas ponunt 12.9
Platonici nouitiores qui ideas approbant. 192.7
Platonici mundi animam id dicunt quod ait Ieremias, Ego cœlum & terrã impleo. folio 39.1
Platonici hominem ex anima & spiritu & corpore constare aiunt 385.3
Platonicorum de connexione animæ cũ corpore dictum 341.8
Platonicum dogma cõspersum Hebræorum theologorum doctrina 93.12
Platonicum dogma. Naturalia discenda, moralia usu comparanda, sed diuina ab oraculis cum reuerentia suscipienda. folio 196.12
Platonis epistola ad Hermiam, Erastũ, & Coriscum quàm bellè de Deo sentiat. folio 36.12
Platonis diuina sentẽtia de uita quã sperãt Christiani sempiternam. 273.10
Platonis doctrina Aristotelicam excedit. folio 22.17
Platonis & Aristotelis cõcordia. 38.14
Pleiades in 22. gradu Tauri 82.31.
Plinius & Cẽsorinus quid de mundi cõcentu. 163.1
Plinius socordiã existimat, Deos plures constituere 8.6
Ploti. de morte elegans sentẽtia. 464.2
Plotini paralogizatio circa finem. 10.13
Plotinus docet nos redire in Deum per musicam 180.19
Plotinus in homine tria ponit 385.3
Plotinus mundi futuram perennem permanentiam ponit 13.11
Plotinus quid de unione cum Deo tractarit 461.1
Plotinus intellectum à ui rationali distinctum putat 167.4
Plo. quid uocet in hoĩe rationẽ. 272.10

Plotinus quid de animalium generatione sentiat 108.14
Plotinus de cœlo & mundi anima quid sentiat 13.11
Plotinus multa supra hominē docuit, & tamen in mundi æternitate paralogizat. folio 13.10
Plotinus in libro de tribus substātiis quid dicat 196.11
Plotinus librum de triplici reditu animæ in Deum 57.2
Plotinus genitorem & genitum, atq; spiritum sanctum profitetur: licet ethnicus sit 196.11
Plotinus mundi æternitatem profitetur. folio 13.11
Plumbum primus omnium ex Caßiteride insula aßportauit Midacritus. 19.14
Pluto antitheos suas habet diuitias. folio 276.12
Plutarchus quomodo Deum describat. folio 411.14
Plutarchus in lib. de oraculis deficientibus, quid ad Cleombrotum. 212.16
Plutarchus de ideis 192.7
Pluuiæ, roris, glaciei genitura, ex solius Dei uoluntate 163.1
Podagræ causæ, & materia. 116.23
Podêre, id est Christo uestitus angelus quid. folio 58.3
Podêre. i. stola sancta uestitus 58.3
Poëtæ theologiam & arcana rerum sacramenta fabularum inuolucris occultabant 48.10
Poëtæ à sapiētibus illorū mysteria percipientibus celebrantur 48.10
Poëtæ aliud dicunt, aliud mysteriosè significant 47.10
Poetæ gentium theologi quid de nobis. folio 273.10
Poëtæ non irridendi, nec uituperandi. folio 47.10
Poëtæ Deum in nobis esse canunt. 371.2
Poëtæ Deum Patrem omnipotentem dixerunt 7.6
Poetæ nō puras cātaße fabellas. 47.10
Poëtæ theologi uerè dicti 47.10
Poëtæ Pana uocabant causam primam à philosophis uocatam 6.5
Poëtarum Simonidis & Homeri testimonio Aristoteles grauißima philosophiæ loca corroborat 48.10
Pondera inuenit Phidon Argiuus. 19.14
Pœnitentia uera, quæ sit 393.8
Pœnitentia non est pœnæ tenētia. 393.8
Pœnitentiā agite, quomodo intelligatur. folio 393.8.
Pœnitentia, ut habetur in codicibus Hebræis, ad Deum reuersionem significat 360.12
Pontifices Petri successores quando potuerunt dicere, Argentum & aurum mihi est, perdiderunt ius dicendi, Surge & ambula 379.8
Pontifices & sacerdotes Petri successores quando ceperūt poßidere terrena, simul etiam perdiderunt cœlestia. folio 379.8
Populi qui, auguria probarunt 370.1
Populus rudis & turba IESVM suscipiebat, quem legißperiti & pharisei & rabbini & principes sacerdotum, id est pontifices, leuitæ, archidiaconi, Decani, doctores, & cætera id genus farinæ contemnebant 171.7
Populus simplex Deo adhærens, uidet quæ malignus propheta & concionator, Doctor & magister non uidet folio 171.7
Porat uerbum Hebræum nō est. 317.19

Porphyrius Deum primo summum bonū, secūdo creatorem, tertio animam mūdi dicit. folio 204.6
Porphyrius & Iamblicus atque Proculus quos ī primo genere impietatis collocent. 5.3
Porphyrius in libro de abstinentia ab animatis, quid de Dei ueneratione sentiat. folio 394.10
Porphyrius in lib. de bonis & malis dæmonibus, quid de hominibus. 377.6
Porphyrius in libro de abstinentia, Hebræorum uates multis laudibus prosequitur, 10.8
Porphyrius de oraculis deficientibus, quid cantet 211.16
Porphyrius mira de Plotino scribit. folio 374.4
Porphyrius aduersus Christianos & religionem Christianam quid. 212.16.
Porphyrius quid de Iudæis Apollinis oraculum tradidisse dicat 4.1.
Portæ tres quibus patefit introitus in regnum cœleste 424.4
Portio suprema ab homine abiens, homo efficitur impœnitens, nec Deum intelligere potest 385.3
Potētia in milite utilis, utilior in duce, maximè uerò utilis in rege 16.13
Potētiæ tres animæ memoria, intellectus & uoluntas 387.1
Potestates omnes, extra Deum, ministras esse censet Orpheus 8.6
Potestates arcent ea quæ perturbant ordinem diuinæ distributionis 439.2
Potestates quæ nominentur. 41.3
Potestatum cū Venere concordia. 68.11
Præcepta à nobis impleri non posse arbitrantur nonnulli 259.11
Præda Beniamin quando diuisa. 318.19
Præmium de condigno reportaturi. folio 264.14
Præmium multis modis dictū, sed Abrahæ clarius declaratum 456.1
Præstigia quorundam 381.10.
Preces & orationes qui maximè sibi proposuerint & instituerint 398.15.
Primæ rerum productionis consensus. folio 37.13
primitiæ qua rōne Deo offerātur. 84.33
Primo die terra, cœlumque facta cum luce communi 173.10
Principia physica undè resultent. 37.13
Principia Peripatetica, materia, forma, & priuatio 37.13
Principia rerum assignata per numerū, hic numerus non est mathematicus. folio 194.9
Principia rerum infinitam materiam ex dissimilibus particulis, id est atomis contextam constituit Anaxagoras, Anaximenis discipulus. 26.1
Principia rerum infinita indicauit Anaximander Thalis auditor 26.1.
Principia & rerum omnium causas infinito aërei tribuit Anaximenes Anaximandri discipulus 26.1
Principia tria posuerunt Deum scilicet materiam, & Ideā, Socrates Sophronisci & Plato Aristonis filius Athenienses 28.3
Principia demonstrationis (si per quidditates & differentias rerum proprias nobis occultas demonstratio fit) conuincuntur ignota 22.17
Principia omnium fabricatorum duo, materia & forma 93.13
Principia duo secundū Manichæū quod est erroneum 330.24.
Principatus publica curant 439.2.

Principatuum ordines prouinciis & regnis Deus præposuit, archangelos autem regibus, & principibus, cuique uerò homini angelum unum delegauit Deus 41.3
Principibus terror & numen quoddã inest, ut populus tremens reuereatur. folio 221.3
Principium mundi Heraclitus Ephesius & Hipparchus ignem esse dicebant. folio 127.3
Principium subiectiuum quod qui posuerint. folio 28.3
Principium subiectiuum forma & quantitate caret suapte natura 28.3
Principium omnium aquam existimauit Thales 26.1.
Principium rerum, aërem diuinæ rationis compotem opinatus est Diogenes Anaximenis discipulus 26.1
Priuernatis agri labes, præcessit fremitus auditus de cœlo, & animaduersi globi, Lunæ tres & faces de nocte nisæ. folio 371.1
Proculi quinque documẽta ad laudes & hymnos Dei persoluendos 398.15
Proculi sententia de sacrificiis 394.10
Proculus de concentu cœlorum quid sentiat. folio 178.16
Proculus academicæ doctrinæ illustrator præcipuus 196.11
Proculus quid de sensatorum rationibus ad diuinorũ cognitionẽ sentiat. 12.10
Proculus in suis theorematibus theologicis. folio 190.5
Proculus librum de causis edidit 7.6
Proculus ex fontibus Porphyrianis quid dicat. 398.15
Proculus lumine singulari collustratus, quid & quantum patribus sanctis ueteris instrumenti tribuerit. 194.9
Proculus opificẽ à patre secernit. 93.12
Proculus in theorematibus theologicis quid 7.5
Proculus quos in tertio impietatis genere secundum Platonis sententiam collocet 21.17
Proculus in Parmenidem, Ioannis doctrinam ueneratur & si ethnicus. 190.4
Propheta nullus quem non fellerit opinio folio 254.7
Prophetæ qua morte moriebantur. folio 360.10
Prophetæ quo docendi modo Deum nouerunt 165.2
Prophetæ omnes defecerũt præter Christum. folio 186.2
Propinans sanguinem quis sit. 410.13
Proportio motus Saturni & Iouis in uelocitate sesqualtera 121.30.
Proportio musica quæ 352.3
Proportio arithmetica necessaria reip. gerendæ 352.3
Proportio quantitatis aut uirtutis, nulla exigitur in prima causa, qualis exquiritur in ipsis secundis 399.17.
Proportio mensurarũ in homine. 101.3
Proportio eadem corporis humani quæ & arcæ Noë 101.3.
Proportio intermedia correspondens. folio 423.3
Proportiones illæ tres: musica, arithmetica, & geometrica qd sibi uelĩt. 91.10
Proportiones partium corporis humani. folio 101.3
Proportiões Themidis esse filias. 91.11.
Propositionis nihil ex nihilo fieri dissolutio 12.9
Proselyti quibus ritibus obseruatis suscipiebãtur in lege Mosaica. 409.12.

Protagoras omnino negat se scire, quid de Deis loquatur 4.2
Pruina quos resignet mysticè 145.19
pruina partĩ noxia, partim utilis. 143.18
Psallere sapienter quid 499.5
Psalterium secundum Casiodorum quid significet 450.7
Psalterium & cithara quomodo differunt. folio 499.7
Ptolemæus, Hermes, Aratus cœli decimi non meminerunt 43.6
Ptolemæus consonantiam orbis celebrat. folio 163.1.
Ptolemæus in fructu quid de futurorum præscientia dicat 372.3
Ptolemæus quid de influxu cœlesti sentiat. folio 341.8
Puer in uentre matris quomodo nutritur. folio 452.1
Pugna triplex indicta quomodo intelligenda 454.2
Pulchritudo quid, & ex quibus 68.11
Pulchritudo humani generis in uarietate indiuiduorum 351.3
Pulchritudo õnis laudabilior in toto quã in parte 176.13
Pulchritu. corporis undè resultet. 27.2
Pullus in sacris & Asina quid 297.1
Pulmones ueluti flabellum cor ipsum temperant. 120.29
Puluis in terram reuertitur, spiritus ad Deum, qui fecit illum. 166.3
Puluis quis, de quo dicitur. Puluis panis eius. folio 239.15
Punctum ut se habet in continuis sic instans in successiuis 13.10
Purgatorio altero expurgantur animæ à sordibus 385.4
Purgatorio altero animæ purgatæ purificantur ut diuiniores fiant. 385.4
Purgatorium duplex 385.4
Pyromãtici qui per ignem præsentiebãt futura 372.3
Pythagoræ sophistæ librum, qui incipit. An Deus sit dubitare uidetur. cõbusserunt Athenienses 5.3.
Pythagoræ sententia de anima à corpore separata 106.12
Pythagorei per quaternarium iurabãt. folio 51.13
Pythagoras Samius quo tempore floruerit 2.1
Pythagoras philosophorum primus. 2.1
Pythagoras & eius interpres Hierocles omnium rerum Deum opificem profitentur 9.8
Pythagoras de Deo loqui sine lumine uetuit. folio 2.1
Pythagoras ab his qui sacra legerant edoctus 106.12
Pythagoras duo de anima profitetur, immortalem, & quòd à Deo emanauerit, quod nesciuit Aristotel. 273.10.
Pythagoras & Plato in lib. de republica influxus ex concentu cœlorum asserunt 567.6
Pythagoras semitheologus & semiphilosophus 108.14
Pythagoras unitatem Deũ esse ait. 7.6.
Pythagoras & Plato cum sua academia diuinum numen rebus omnibus infusum docent 166.2
Pythagoras Platone antiquior, quàm conuenientia euangelio dicat 282.20
Pythagoras cũ psalmographo primogenitum Dei Sapientiam uocat. 196.11.
Pythagoras Deum esse animum censuit, per naturas rerũ omnes intentũ. 4.2.
Pythagoras priorem in naturalibus non habuit, secundum non uidit. 40.2

Pythagoras decem annos latuit. 374.4
Pythagoras Diuinum genus hominibus inesse ait 273.10
Pythagoras philosophorum pater. 40.2
Pythagoras malleorum pōdere, chordarum & fistularum longitudine] consonantiam sub numerorum proportione collocauit 18.14
Pythago. quid de anima dixerit. 349.1
Pythagoras, & Stoici numine afflatos solum diuinare posse aiunt 372.3
Pythagoricorum & Academicorum in ideis diuersa opinio 191.15

Q

QVadrigas reperit Erichthonius. folio 19.14
Quadriremes Chartaginēses primi, (ut ait Aristotel.) quos alij Chalchedonios uocant, fecerunt 19.14
Quadriremum architectus apud Chartaginenses primus Vosperus 19.14
Quæ non uidentur æterna 413.17
Quæ generantur, nouum sibi locum acquirunt 11.9
Quæ uidentur temporalia sunt. 413.17
Quæ minima habentur in lege sacramentis plena sunt 272.9
Quæ à raptoribus & ueneficiis & incātationibus liberent 82.31
Quæ contrariantur, aliquid sunt. 393.7
Quæ mouentur ad nouum locum transmigrāt, aut circa aliquod stabile mouentur 11.9
Quæ cum Saturno solidentur 116.23
Quæ est ista quæ ascendit? quomodo intelligendum 453.1
Quales futuri in magno Dei die. 127.1
Quæstio de Christo, quæ uenustissima similitudine soluitur 325.24
Quaternario inest proportio dupla, tripla, quadrupla, sesquialtera. 50.13
Quaternario numero elementa distributa folio 50.13
Quaternarium Pythagorei iurabant. folio 51.13
Quaternariū omniū rerū opificē. 51.13.
Quaternarius omnem musicam consonantiam. folio 50.13
Quaternarius in trinitate concluditur, & trinitas in quaternario 423.4
Quaternarius tanquam radix & fundamentum omnis numeri 97.17
Quatuor in omnibus & disciplinis, & artificiis primatum habet 51.13.
Qui secum pugnant, cum aliis consentire nequeunt, & qui huic sententiæ adstipulantur. 346.11
Qui nō nouit peccatū peccatariū se fecit. & non peccatum legendum, ut mēdosi habent codices 234.12
Qui ponis nubem ascensum tuū, sed melius, tribunal tuū, ut habet ueritas Hebraica 143.17
Quibus Mars fauet ad omnia prompti. folio 65.9
Quidquid ab actu puro recedit, ad materiam necessariò declinat 41.3
Quicquid est in Deo æquale est. 427.3
Quid à patre, filio, & spiritu sancto habeamus 433.2
Quid per uirtutem iaspidis significetur. folio 417.2
Quid in ueteri testamento promissum. folio 332.8.
Quid habeamus ex ideis 195.10
Quidam ex his qui cardines Christianæ domus dicūtur, quid de uita. 201.1
Quidam tempestate authoris alis arte dispositis breue spatiū uolauit. 379.9
Quietem æternam oppugnantes. 14.12

Quilibet tanquam uerus sacerdos seipsum offerre debet 459.3
Quinqueremes Nesigiton Salaminius extruxit 19.14
Quinq; de homine instituta 272.10
Quis, quantus, qualis Deus: impossibile est inuestigare hominem 164.2
Quis in nubibus, id est sanctis 187.2
Quo curriculo uehantur homines ad cœlum. folio 168.5
Quod semel destructum est, amplius nõ posse redire, non est uerum 401.1
Quod est ante pedes nemo spectat, & cœli scrutantur arcana 19.15
Quod primum in intentione, est ultimum in executione 33.10

R

Rabbi Simeon, Beniochai & Elchana quid 250.4
Rabbi Bachaiæ authoris Hebræi interpretatio lapidis tharsis 58.3
Rabbi Samuel in cõmentariis lib. de formatione 190.4
Raphaël medicus, aut medicina Dei dicitur 74.17
Rapsacos missus à rege Assyriorũ profligatur, occisis 185 milibus ex militibus suis 141.15
Ratio seminaria nõ minuitur secũdũ subiectum, sed secũdũ affectus. 108.14
Ratio quid 109.15
Rõ unionis harmonica similitudo. 92.11.
Rationalis anima à phantastica concipit. folio 6.4
Rationale quid uocet in homine Plotinus folio 385.3
Rationalis pars hominis quæ sit, & ubi. folio 344.10
Rationalem animam particularem uocãt academici 93.13
Redemptiones primitiarum quàm uariæ. folio 232.11
Redemptor & expiator humani generis unicus 254.6
Redemptor uenit à meridie 133.8
Reges, ꝓphetæ, & sacerdotes uices Dei gerunt in terris 151.26
Regina Saba per ✠ scribitur undè intelligitur illam Arabiæ fuisse reginam. folio 161.35
Regiones quæ Lunæ subiiciuntur 81.30
Regiones Venereæ quæ 80.28
Regiones quæ ascribãtur Merc. 80.29
Regionis cœlestis sunt sui lapides, metalla, & fructus 132.8
Regis ueri & tyranni regis differentia. folio 61.6
Regis & tyranni dotes 61.6
Regnum cœlorum appropinquare, quid sit. folio 393.8.
Regni & sacerdotij coniunctio in sacris quomodo intelligenda 459.3
Regnum cœlorum quid sit 393.8
Regula summæ ueritatis 395.11
Regula quæ nunquam fallit 395.11
Reipublicæ aut dominij, terminum constituit Plato 1728. annorum disciplina si uigeat, & suum finem consequitur. folio 113.19
Relatio noua ex nouitate operis in Deũ mũdi opificem induci uidetur. 14.12
Relatio noua ex nouis quotidie productis aut ad Deum fabricantem, aut ad gubernan. &c. 14.12
Relationes quibus nobis Deus coniungitur, an reales, an ratiões sint disputatur à theologis 97.18
Religio Saturnia quæ sit 61.5
Remissio non fit, sine sanguinis effusione. folio 244.19

Renasci nō ex hac aqua elementari possumus, sed ex illa diuina, cuius hæc est signum 128.3
Renes Veneri tribuuntur 119.27
Renes natura sua calidi & sicci. 117.25
Remum Copæ reperiunt 19.14
Rerum creatarum numerus nouenarius. folio 97.18
Rerum omnium principium trinū. 383.1
Res Hebræis binarios centenarios significat. folio 383.1
Res omnes simulacbrū Dei habēt. 98.18
Respublica quando sensim in peius fatali lege decurrit 113.19
Respublica terrestris, simulacbrum cœlestis. 278.15
Restitutio rerum in triginta sex milibus annorum Plato docet 107.13
Resuba Hebraicè Latini pœnitentiam, sed melius reuersionem interpretarentur 146.21
Resurrectio quando futura sit, & quo tempore adimplenda cōiecturis nécne deprehendi possit 405.6.
Resurrectio cuius uirtute conducetur. folio 406.7
Resurrectio futura an possit probari rationibus 403.3
Resurrectio fuerit nécne 402.2
Resurrectionem negantibus, respondet. folio 408.11
Resurrectionem ex astris probari posse sunt qui arbitrētur inter astronomos. folio 403.3
Resurrectioni quis primo dederit aditū. folio 404.4
Resurrectionis quas authoritates habeamus in sacris 404.5
Resurrectionis futuræ tēpus, Eliæ oraculo declaratur 406.6
Retia Arachne reperit 19.14
Retributio quā Deus nobis promisit est ad iustitiam & proportionem, nō autem ad pondus 264.14
Reuben primogenitus thorum paternum maculauit 311.14
Reuben quî interpretatur 303.6
Rex Franciæ nomine Christi decoratus & quare 311.14
Rha barbarum quā uim habeat. 370.1
Rhea, quā Latini opem dixerunt, lapidosæ & montanæ terræ Dea. 208.13
Rhetoricam docuit Christus & uim orationis 275.11
Rhinoceros qualis 187.2
Ricardus in de arca mystica quid de cōtemplatione 399.16
Robur quàm multiplex 242.18.
Robur secūdū carnē qd signet. 243.18.
Rogerius Bachon multa se fecisse iactat pura magia, tonitrua, nubes, pluuias. folio 379.9
Roma scelerum omnium saburra, orbem uniuersum bis uindemiauit, primo q-dem, gladio imperiali, nunc uerò pontificio, & papali, ac spirituali: propter eam uindemiam Dominus illi opprobrium sempiternū parat in sæcula sæculorum amen 135.10.
Romæ desolatæ futuri habitatores quales & quā nefarij, & tetri. 135.10.
Romæ desolatæ futurorum habitatorū princeps Hazazel pro quo habet traductio emissarium in lib. Leu. 135.10
Romæ, alteri Babyloni quid dominus cōminetur sub nomine Bosra, id est uindemiatricis in Isaia 135.10
Romani in arduis rebus senatus decem uiros ad libros Sibyllinos ire iubebant. folio 372.3

Romanis strages multas prænũtiauit fluuius tinctus sanguine 371.1
Ros & pruina quid 143.18
Ros Hermon in scripturis quid significat 460.3
Ros in sacris quid 300.4
Rosmarinus singularis est, & non uulgaris. folio 82.31
Rosmarinus frequens nõ ab re in sacrificiis. folio. 82.31
Rosmarinus planta multum mystica. folio 153.27
Rosmarinus (pro quo passim scriptura habet hyssopus) nobilissima inter plãtas. folio 153.27
Roremarino fiebant aspersiones in lege ueteri, & non herba hyssopo, ut uerisimilius est sacerdotes usos fruticè ad spargendum populum quàm herba. folio 153.27
Roris & pruinæ differentia 143.18
Ruab mysterium maximum 383.1
Ruab Hebræi uocant quod nos spiritũ. folio 383.1
Rubit uirtus eximia omniumq́ue prætiosissimus à Plinio dicitur & aliis multis 59.3.

S

ש Hæbraica litera tribus ramusculis trinitatem significat. folio 97.18
Saba Hebraicè, Latinè Arabia 161.35
Saba per ש Arabiam significat 161.35
Saba per ס undè Sabæorum regio sic dicta. 161.35.
Sabat, id est uera requies 173.9
Sabbatai quid 60.5
Sabbatariũ spatiũ mille annorũ. 406.6
Sabbatum requiem significat 176.12
Sabbatum in hoc sæculo haberi non potest. folio 176.12.
Sacerdotes nostra tempestate adeò se uiles & turpes exhibuerũt, scelestis & non cœlestibus inseruientes, ut iam ludibrio sint Deo, angelis & hominibus. folio 221.3
Sacerdotes quales esse debeant 59.4
Sacerdotes nostri sæculi feces ignorantiæ, & cloacæ turpitudinis 219.1
Sacerdotes debent uocari ad honorem, & non sibi honorem assumere. 223.5
Sacerdoti septem necessaria 213.1
Sacerdoti in lege ueteri quid debebatur. folio 220.3
Sacerdoti insigne quoddam uirtutis inesse debet 221.3
Sacerdotis uestimenta quæ 221.3
Sacerdotis uestimenta mystica ad quid. folio 222.4
Sacerdotibus Christianis cur sit indicta denudatio capitis, cõtra id qđ Christus obseruare uoluit. 226.6
Sacerdotium Christi regale 231.10
Sacerdos doctor populi constituitur, non quidem uanæ doctrinæ, sed legis. folio 218.1
Sacerdos quibus pugnare armis debeat. folio 218.1.
Sacerdos angelus Domini 424.4.
Sacerdos Dei uicẽ gerit in terris. 221.3
Sacerdos Christianus quæ nomina habere debeat 224.6
Sacerdos & eius officium quid sit. 218.1
Sacerdos bonus & iustus, est quasi Deus uisibilis 218.1
Sacerdos quasi dans sacra 218.1.
Sacerdos quàm purus, quàm mundus, q̃ diuinus esse debeat 218.1
Sacerdos claritatem & illustrationem doctrinæ & spiritus habere debet. folio 224.6

Sacerdos multiplici doctrina præditus esse debet 59.4
Sachinam quid uocent Hebræi 128.3
Sachina Hebraicè quid apud nos significet. folio 125.34
Sacra eloquia magis intelligentibus, magis admiranda 143.18
Sacra suscepta religiosè & reuerenter mūdificant, irreligiosè uerò tractata inquinant 253.6
Sacra scriptura omnium theologorū mater & fons 389.3
Sacræ literæ ubi habent hyssopum legendum rosmarinus 82.31
Sacræ scripturæ intelligentia & cognitio, panis fortium dicitur 144.18
Sacræ paginæ quatuor sensus admittunt omnes 58.3
Sacramenta cur ordinata 394.9
Sacramēta an sint signa tantum, an etiā instrumēta disputatur à theologis seriosius 266.2
Sacramenta scripturæ secretiora inter commentatores nullus olfecit nisi Dionysius & Origenes 31.7
Sacramenta Dei & naturæ antiquorū studium fuit inuoluere 32.8
Sacramentorum uis tota à patre nos generante 266.2.
Sacramentum quid sit 394.9.
Sacrificare insitum naturæ ait Aristoteles. folio 20.16.
Sacrificare Deo, est à natura insitum inquit Aristoteles 369.9
Sacrificia ad quid missa 237.14
Sacrificia media inter Deum & homines folio 369.9
Sacrificia medelæ quædam animarum. folio 394.10.
Sacrificiorum & oblationum ueteris instrumēti ratio tam sublimis ut uix de ipsis fari aliquis uerè possit mysteriū intelligens 243.19
Sacrificium filiorum Israël primum mactatus agnus 235.13
Sacrificium Melchisedech & Christi in pane & uino 230.10
Sacrificium peccatarium, culpatariū, pacificorum cherbona, i. oblatio. 233.12
Sadai Dei nomen 288.6
Sahasuah, interpretatum habemus delitias, in prouerbiis, prius licentiosius interpretatū est ludens coram eo omni tempore 163.1
Salomō somnio unius noctis sapientia cōpletus 355.6.
Salomon typus fuit Christi resurgentis. folio 235.13
Salomon quid de mūdi consonātia. 163.1
Salomon quid de seipso asserat 463.2
Saluari q cupit eos qui saluant exorare debet. folio 398.15
Salus nō ex operibus legis, neq; ex aliis bonis, sed per Dei misericordiam. folio 263.14
Salus hominis in duobus solum mandatis consistit 259.12
Salutem nō capiunt omnes, etiam quibus salus parata est, donec eorum aduenerit tempus 214.17
Sancti different in gloria 407.9
Sancti uiri quæ magnalia fecerint. folio 378.7
Sanctimonia & magnificentia in sanctificatione eius, alia traductione aliud habemus 457.2
Sanguinē bibēs quis sit in sacris. 410.13
Sanguinem animæ sedem asserunt sacræ literæ 105.9
Sanguinem quæ sistant 82.31

Sanguinem ipsius animæ sedē aliqui opinati 104.9.
Sanguini uitam inesse nonnulli opinati sunt 104.9
Sanguis animalium peccatum expiare uidebatur 369.9
Sanitas animæ quid 346.12
Sapiens, scriba, inquisitores huius sæculi mysterium crucis nō intellexerunt. folio 276.11
Sapiētes qui futura prædixerūt. 372.3
Sapiētes ueri & philosophi qui. 381.10.
Sapientia uera in Christo abscondita. folio 459.3
Sapientia à Deo datur 168.5
Sapientia non acquiritur uiribus propriis. folio 168.5
Sapientia in ciue bona, melior in prætore, optima in principe 16.13
Sapientiæ definitio 63.7
Sapientiæ diuinæ sigillum ⊇ bet aut bait. folio 40.2
Sapientis non satis est dicere, sed & rationem assignare decet 22.17
Sapientum consensus communis multum habet authoritatis testibus Aristote. Proculo, & Porphyrio. 192.7.
Sardonicis color triplex 419.3.
Satanæ quid in causa fuerit quòd peccaret folio 256.9
Satani, id est aduersantes 136.10
Saturabuntur ligna Adonai: & non ligna campi legendū. 106.11 & 131.7
Saturnalia cur Saturno, & quot diebus fiebant 60.5
Saturni regno nullum patratum crimen, aut aliud quoduis leue malū. 47.10
Saturni & sabbati & requiei magnum symbolum 60.5
Saturni alia coaptatio cum 7. angelorū ordine. folio 61.5
Saturni quā habuerit antiquitas opinionem. folio 60.5
Saturni sæculo lōgeuæ oīm uitæ. 47.10
Saturni ad stelliferū millecupla proportio. folio 121.30
Saturnia religio quæ 61.5
Saturni ducatus in rebus deliberādis & aliis multis saluberrimus 47.10
Saturni mala profluentia 45.8
Saturnij quibus delectentur 114.20
Saturnij uiri solitarij, taciturni. 60.5
Saturnij homines solidi consilij, tenaces, auidè congregant 60.5
Saturnij ad profundam rerum scientiā & secreta naturæ rimāda apti. 60.5
Saturnij, iudices optimi & ad quæ apti. folio 60.5
Saturnini in quibus atra bilis præualet. folio 114.20
Saturniorū q̄ artes & exercitia. 117.23
Saturniorum morbi & signa in facie. folio 117.23
Saturno quidem omnes planetæ coniunguntur, ipse uerò nulli 61.5
Saturnum optimum antiqui philosophi cecinere 47.10
Saturnus cum atra bile conuenientiam habet 114.20
Saturnus 30. annis motum absoluit. folio 12.30. & 56.1
Saturnus partibus neruosis, frigidis, siccis prædominatur 117.24
Saturnus regit aures 116.23.
Saturnus quibus præsideat 77.24.
Satur. Saturnios deiformes facit. 60.5
Satur. firmam prudētiam tribuit. 44.7.
Saturnus uim receptiuam regit 116.23
Saturnus sua siccitate & frigiditate propagationi humanæ contrarius. 48.10

Saturni sub sidere nati quid facere debeant. 48.10
Saul qua sorte electus est in regẽ. 375.5
Sauromatæ qui sint 315.18
Scala Iabacob quæ sit 301.5
Scarabæi renascuntur ex equino cadauere. folio 401.1.
Scarabæus quomodo, & quando generet. folio 80.27
Scarabæus, qui & Cantharus dicitur, utriusque est generis 80.27.
Scarabæus spmate suo in stercus effuso pilam conficit 80.27.
Scorrbi causæ 116.23
Scelera horrida omnem fidẽ, omnẽ Deũ, omne iudicium deniq; à mentibus (inquit Hierocles) auferunt. 42.2.
Scientia nostra differt ab entis scientia. folio 24.18.
Scientia nostra causatur ab ente. 24.18
Scientia Dei est entis 24.18
Scientia Dei est causa entis 24.18
Scientia mentis quæ 358.9
Scire est per demonstrationem intelligere. folio 22.17
Scire est cognitio certa de quacũque re. folio 22.17
Sciri nihil dicitur, nisi quod demonstratione probatur 22.17
Scorpion scorpionis medicina 309.12
Scorpionem tormẽti genus inuenit Cretensis 19.14
Scorpionis cor in gradu Sagittarij tertio folio 82.31
Scorpius triplex terreus, cœlestis & supercœlestis 112.18
Scorpius inguini insidiatur 111.17
Scorp. etiã medio die hẽt uenenũ. 112.18
Scotus plus Aristo. concedit eius fortassis uerba interpretando, quàm ipse cõceperit 13.11
Scriptura tota adeò ad Christum refertur, ut nullum sit iota, aut apex qui non compleatur in ipso 249.3
Scriptura nunquam incongruè loquitur nisi translatoris uitio 465.3
Scripturam bipartitam faciunt quidam. folio 259.11
Sebet sceptrum interpretatur 297.1.
Secula absque etiam dierum noctiumq; numero ante creatum orbem, molitur comprobare Cicero negando initiũ habuisse. 14.12
Seculum quid significet 405.6
Seculum futurum quod 464.3.
Securim Pentesilea Amazonis inuenit. folio 19.14
Sedere super chœnicẽ quid sit. 282.20
Seharim quî interpretatur 457.2
Sehir quid significet 134.9
Sehir mons est & culmen prosperitatis mundanæ 135.9
Sem filius Noë familia cũ angelo Iophiele. folio 363.1
Semen ab omnibus totius corporis partibus manare dicunt multi 265.1
Semes Hebraicè sol dictus 74.17
Semes, proprium significat 74.17
Seminis maior pars uitalis à corde, cerebro & hepate 265.1
Seminis quam partem existimauit Hippocrates à cerebro manare, Aristoteles autem à corde 265.1
Senarij trigoni pulchra distributio, basis trium in trinitatem, duorum medij materiam, quæ in unum reducitur per formam 35.11
Senario dierum numero opera Deũ absoluisse magnum est mysterium, nõ tẽporis alicuius significatio 35.11

Senario numero elegantior nõ potuit inueniri, qui ex proportione dupla quã in se continet constat 35.11
Senarius primus numerus perfectus. folio 35.11
Senarius numerus à Pythagoreis Gamõ dictus 35.11
Senariũ ex dupla proportione quæ diapason facit 35.11
Sensatarum rerum ueritas syncera non est expectãda Augustino teste. 12.10
Sensatorũ speculatione aut ex rationibus in eisdem fundatis teste Proculo in diuinorum cognitionem non deuenimus. folio 12.10
Sensibilia an cum Deo uniuocam, an æquiuocã habeant proportionẽ. 15.13.
Sẽsilibus & motu Dei cognitio imaginari non potest nec cognosci 15.13
Sensibus qui nituntur in multos errores labi, & in religionis cõtemptũ. 14.12
Sensus tactus ad partes animales refertur. folio 345.10
Sensus si quid non percipiat, mente contemplatur 345.10
Sensus qui sint, & eorũ officiũ. 345.10
Sensus tres in aula regia capitis constituti quare 345.10
Sẽsus interiores sunt ueri & necessarij, quibus plura & certiora percipi possunt quàm per exteriores 360.11
Sensus exteriores Peripatetici tantũ considerarunt non interiores 360.11
Sensus exteriores quinque 91.10
Sensus interiores quatuor imaginatiuus, cogitatiuus, phantasticus, & communis. folio 91.10
Sensus sacræ scripturæ quatuor. 58.3
Sensus naturalis quintus potest addi sacris literis 58.3.
Sensus omnes in capite 281.19
Sensus interiores partim animales, partim intellectuales 91.10
Sensuum apud philosophos uaria opinio folio 390.11
Sensuum exteriorum officium 360.11
Septem numerus infaustus, & infelix. folio 179.17
Septem petitiones in oratione dominica. folio 110.16
Septem numerus infœcundus 179.17
Septenarius numerus est quo expurgationes tribuuntur 110.16
Septenarius multum mysticus 110.16
Septenarius uitæ dissolutionísque authori tribuitur 90.9
Septenarius numerus tractatur. 179.17
Septenarius numerus septuaginta milia numerat 426.2
Septimo quoque anno fiebant remissiones. folio 110.16
Seraph nomen officij non personæ. 55.1.
Seraph quid significet 55.1
Seraphini, primi mobilis ministerium obeunt. folio 56.1.
Seraphini igne diuino nos inflammant. folio 439.2
Sermo Dei uiuus, & efficax 272.9
Sermo Dei durus in exodo 353.5.
Serpens antiquus in Deum elatus quid sit. folio 453.1.
Serpentem exaltari, qui est hostis humani generis, cur uoluerit Deus. 207.11
Serram reperit Dedalus 19.14
Seruire Deo regnare est 459.3
Set quo lumine cœperit inuocare nomen Domini habito Enos. 2.1
Seueritas quid 61.6
Seueritas est æqua distributio &c. folio 61.6

Sexus uterque tam in arboribus & plã tis, quàm in animalibus 132.7
Sibylla Erythrea Troianis futura prædixit. folio 374.4
Siderũ obseruationes in nauigãdo Phœnices inuenerunt. 19.14
Siderum uirtus maior quã herbarũ &c. simplicium 82.31
Signa tria Zodiaci cuilibet elementorũ tributa 54.16
Signa nõ solum siderum situ, sed uera & uiua figura in cœlo uisa 56.1
Signa quæq; Zodiaci, quamlibet partem inferioris mundi regunt 57.2
Signa iudicij diem præcedentia. 405.6.
Signa 12. in quatuor ternarios partita. folio 115.21
Signũ Ionæ prophetæ prætulit Christus aliis signis 292.9
Silendũ his qui transformati sunt. 466.1
Silentium diuinum quod 466.1
Siloh ueniet, id est Messiah 250.4.
Siloh Messiah uerus est intelligendus. folio 296.1
Simeon nullo opere bono redemit facinus suum, ideo neq; à patre Iahacob, neque à Mose benedictus est. 312.15.
Simeon quomodo interpretatur. 303.6.
Simeon & Leui in Sichimitas & Ioseph ui robusta abusi sunt 312.15.
Simeon Beniochai quid de spiritibus immundis referat 439.2
Simeonitæ undè uictitabant 315.18
Simia quid Spartiatis portendit 370.1
Similitudo plusquàm ingeniosa uisionis Ezechielis cum 4. compositorum elementis 59.3.
Similitudo inter rationales creaturas. folio 428.1
Similitudo generantis & generati undè. folio 267.3
Similitudo filiorum cum parentibus undè & quibus modis 268.5.
Similitudo instantis corporis cum pũcto lineæ quomodo intelligẽda & in quo conueniant, & dissidant 13.10
Simonides quid à Hierone interrogante quid Deus esset, fecerit 5.3
Simia in deliciis habita à rege Molossorum quid fecerit 370.1
Simplicius Aristote. auditor dedignatur talem præceptorem 22.17
Sina mons in Arabia 319.20
Sina mons Arabiæ quomodo coniunctus Ierusalem 160.35
Sina mons dilectus à Deo 237.14
Sina perfusus eodem influxu quo Ierusalem. folio 160.35
Sion in psalmo speculũ significat. 460.3
Sion quàm amatus à Deo fuerit. 135.9.
Sion in meditullio mundi situs est. 135.9.
Siquis operari non potest, credat tantũ, & uolũtas bona satisfaciet. 263.14.
Sirenes quæ præsideant cœlis 367.7
Smaragdi uirtus 80.28
Socrates si nõ inflixisset sibi mortem ueneno spõte sumpto contra unius Dei, quem asserebat, edictum, poterat saluari. folio 7.6
Socrates & Plato à sanctis uiris & ꝓphetis edocti, dixerũt ideas seiunctas à materia in Dei penetralibus existere. folio 192.7
Socrates in Phædone de Anaxagora. folio 204.6
Socr. in tanto mentis excessu fuit, ut 24. horas sine cibo, sine motu, sine sẽsu, uni loco semp ĩtẽtus ꝑseuerauerit. 374.4
Socrates pro unius Dei asserẽdi opinione mortem sustinuit 7.6

Socrates mortẽ prædixit Critoni. 372.3
Sol inter omnia sidera imago summi prĩcipis. folio 67.10
Sol discerpens Dionysius aliquando, interdum Phœbus reuniens 112.18
Sol Dei imago perspicua 67.10
Sol conspicuus summi boni filius secundus à Platone 67.10
Sol Dei imago perspicua à Dionysio. folio 67.10
Sol omnium planetarum ornamentum.
Sol pater uitæ dictus 67.10
Sol feruentem charitatem donat. 44.7
Sol uita cum corde, luce cum oculis maxime dextro conuenit 118.26
Sol quæ uiuificet & clarificet. 118.26
Sol uno anno motum perficit 56.1
Sol uitalis uirtutis fons & origo. 116.23
Sol pater uitæ 118.26
Sol cum rubra bili, seu cholera conuenit. folio 114.20.
Sol tempore uerno dextrum hemisphærium ambit, reliquo sinistrum. 111.18
Sol uerus & cœlestis omnia decoquens. folio 74.17
Sol quare dictus Apollo 74.17
Sol à Deo accensus ad declarandum diuinam maiestatem 201.1
Sol nocte Dionysius, die uerò uniens Apollo. folio 90.9
Sol præsagit multifariam 371.1
Sol essentia patrem, splendore filium, calore spiritũ sanctũ significat. 67.10
Sol in medio planetarũ tanquã rex, uirtute omnium maximus 56.1
Sol quasi solus lucens 74.17.
Sol quid homini tribuat 111.17
Sol uiam fouet 342.8
Sol non uidetur nisi in lumine solis. folio 357.8
Sol principium lucis & uitæ 118.26
Sol per duodecim signa duodecim menses distinguit 445.4
Soli quæ prouinciæ subiiciantur. 80.27.
Soli quod membrum subiiciatur. 80.27
Soli & Phœbo quæ concinant. 79.27
Soli quæ subiiciantur 79.27
Soli subiiciũtur femora & lumbi. 118.26
Solinus mira de Essemæis cõscripsit. 10.8
Solis ad nos reditu omnia fœcundãtur. folio 189.3
Solis sub sidere nati quales 67.10.
Solis influxus quales & quibus faueãt. folio 67.10
Solis retrogradationem & aquarum illuuionem quasi toti orbi notam nõ tacuit Plato 21.16.
Solis & potestatum conuenientia. 66.10
Solon tyrannidem in republica Atheniẽsi orientem prædixit 372.3
Solon Atheniẽsis, Chilo Lacedæmonius, Pittacus Mitileneus post Thaletem floruerunt 2.1
Solutio aliquarum difficultatum. 353.5
Solutio in Peripateticos de intellectu. folio 356.7
Soni concentus duplex 346.12
Sophoclis sententia de unico Deo. 7.6
Species se habent ut numeri 350.2
Sphæra octaua motum diurnum ab oriẽte in occidẽtem supra polos mundi habet, ab occidente in orientẽ supra polos zodiaci cẽtũ ãnis grad. uno. 43.6
Sphæra octaua tribus uoluitur motibus. folio 43.6.
Sphæra 8. triplici motu uaga. 77.22
Sphæræ 8. motus trepidationis in causa quòd decimum causati sint cœlum astronomi. 43.6
Sphæræ intellectiuæ centrũ, inquit Her

mes, est ubique 12.9
Sphæras intelligētiis repletas 94.14
Spina dorsi quorum sit substentaculum. folio 119.27
Spina, Galeno authore, tanquam Carina uitæ necessaria 119.27
Spiraculum uitarum spirauit Deus in hominem 387.1
Spiraculū est in homine id diuinum quod nostri portionem superiorem uocant. folio 395.12
Spiritibus uitalibus mediantibus agit anima in corpore 384.2
Spiritu diuino omnia & cœlestia & terrena sustentantur 384.2
Spiritui respondet aër 129.4
Spiritui nostro submittendum, ut edoceamur ab eo 343.9
Spiritumsanctum rerum opificem innuit Dauid, & spiritu oris eius &c. folio 93.12
Spiritus nexus quidam est 383.1
Spiritus extremorum duorum sapit naturam 383.1
Spiritus dicitur interdum uitæ spiritus. folio 383.1
Spiritus hominis nexus quidā est 384.1
Spiritus corporeus est 384.1
Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus ab efficiente causa, ut læta dies, quia nos lætos facit. folio 176.12.
Spiritus diuini uirtus duplex. 251.4
Spiritus differt ab anima animali. folio 384.1
Spiritus hominis est anima rationalis. folio 384.1
Spiritus sanctus soli columbæ inter animalia uoluit similari 241.16
Spiritus diuinus maximum symbolum habet cum spiritu humano 385.4
Spiritus fructus, est pax, charitas, gaudium, patientia &c. 131.7
Spiritus sanctus magis domesticus hominibus, quàm Christus 385.4.
Spiritus Dei magis hominibus unibilis quàm uerbum. 385.4
Spiritus super aquas ferri quid significet & efficiat 37.13
Spiritus unius in alterius corpus subintrare quomodo intelligatur 386.7
Spiritus quid 383.1
Spiritus diuinus nullo modo corporeus. folio 384.2
Spiritus diuinus quid in nobis efficiat. folio 384.2
Spiritus in homine quid agat ultra animam. 385.3
Spiritus noster dum est in corpore, habet aliquid corporeitatis, unitus cū Deo nihil omnino habet 385.4
Spiritus noster, ex Platonicorum sententia, secum corpus æthereū ex quinta essentia confectum habet 385.4
Spiritus corpus ex quinta essentia, animæ uehiculum dicitur 385.4
Spiritus triplex operatio 383.1.
Spiritus cur interdum principalis, interdum rectus, interdum sanctus. folio 383.1
Spiritus uariè in scripturis sacris, & cū difficultate nō modica accipitur quid sit. folio 383.1.
Spiritus hominis transmutabilis. 386.8.
Spiritus sanctus nunc patris spiritus, nūc spiritus filij dicitur in sacris. 386.7.
Spiritus boni & animæ quæ consonantia. folio 386.8
Spiritussanctus replet omnia bonitate. folio 283.2

Spiritus mundi quid 166.2
Spiritus & anima à Peripateticis idem esse putãtur 385.3.
Spiritus iudicij ad filium pertinet. 430.1
Spiritus in specie ignis discipulis apparuit.
Spiritus corpus, quale 384.1
Spiritus ab anima suprema differt. folio 384.1
Spiritus multiplex in hoc mundano corpore inferiori 384.2
Spiritus cœlestis quis 384.2
Spiritus duplex datus homini cuilibet. folio 384.2
Spiritus bonus, aut malus quomodo commisceatur cum hominis spiritu. 384.2
Spiritus diuinus à sacris & ueris doctoribus dicitur nexus, ligans animã nostram cum Deo 384.2.
Spiritus sanctus super nullum quieuit nisi super IESVM 230.9
Spiritus sanctus præstat uirtutem eloquẽdi coram principibus, multo magis coram Deo 499.6
Spiritus immundi spiritibus mundis correspondent quomodo 439.2
Spiritus sanctus ruah dicitur, quod uentum & flatum significat 440.4
Spiritussanctus acceptus impositione manuum apostolorũ & sermone. 358.9
Spiritus sanctus magis habitat in nobis quàm filius 435.5.
Spiritus sanctus sine suauitate non haberi potest 499.6
Spiritus non solum mouendo orbes, sed ꝙ Dei fungentes officio, perfectionem rebus inferioribus subministrent beantur 13.11
Spiritus uitæ erat ĩ rotis quid sit. 129.4
Spiritus hominis solùm, quæ in ipso insunt homine scit. folio 165.2.
Spiritus Dei quæ Dei sunt cognoscit. folio 165.2
Spiritus huius mundi non acceptus ab iis qui spiritum, qui ex Deo est, habent. folio 165.2
Spiritus non tantum in homine reperitur. folio 384.2
Splen ridere facit, cogit amare iecur. folio 117.24.
Sponsa in scripturis quæ intelligatur. folio 451.1
Sponsa ecclesia nunquam repudiabitur. folio 441.2
Sponsa Christi quæ 277.13
Sponsa prior repudiata 442.2
Sponsa in baptismate facta 430.1
Sponsa anima est 440.1
Spõsus seuerus in lege iudicio desponsabat. folio 441.1.
Sponsus Messiah in misericordia desponsauit 441.1
Sponsus quos ad nuptias inuitauit, & quos reiecit 441.1
Sponsus in hortulo quærẽdus quid. 451.1
Sponsus electus ex milibus quid. 451.1
Sponsus Christus est 440.1
Sponsus & sponsa in unum conueniunt. folio 442.2
Stabilia & firma cum terra 128.3
Stadium Italicum quot pedes contineat. folio 178.16
Stadium Olympicum continet sexcentos pedes 178.16.
Stadium Pythicum pedum millenorum est. folio 178.16
Stadium quid 427.3
Stagna duobus modis fiunt 141.15
Stannum undè & quomodo gignatur. folio 52.14.

Status quare non sit in cœlo 17.14
Stella quæque totidem stadia continet quot terra 178.16
Stella regia Iouialis in 21.gradu Leonis folio 82.31
Stellæ an agant in nos 48.11
Stellæ cur eclipsim nō patiantur. 34.10.
Stephanus quo uino inebriatus. 444.2.
Stoici quid de ideis senserint 192.7
Stomacho præsidet Saturnus & Luna. folio 116.23
Stomachus & uterus eiusdē naturæ & temperamenti 116.23
Stomachus hepate calidior 116.23
Stomachus calidus 116.23
Stomachus frigidus siccus suapte natura folio 116.23
Strato omnem uim diuinam in natura sitam asserit 4.2
Stultitia miserius nihil esse potest. 14.12
Substantia quid 92.11
Successores Petri quando mentientes dixerunt, Argentum & aurum non est mihi, perdiderunt uires calcandi super serpentes &c. 379.8
Suffimentum, thuribulum, quid significet. folio 246.21
Sulamitis quomodo interpretatur. folio 452.1
Sulmonensis unde originem & fabricam decantauit 3.1
Summa hominum cum discipulis in acceptione spiritussancti 358.9
Super faciem firmamenti, & non sub firmamento legendum 172.9
Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, id est supra Christum, & non supra Petrum neq; supra cæteros apostolos 129.5
Supputandi modus apud Hebræos celeberrimus qui. 327.25
Suscitandorū corporū alia forma quàm erat prius 408.11
Syllogisticæ demonstrationes, atque sciētificæ à sanctis Chaldæorum & Hebræorum patribus pro nugis, & anilibus fabellis habitæ sunt 194.9
Syllogisticæ demonstrationes, atque sciētificæ incertæ sunt atque ambiguæ. folio 194.9
Syllogisticæ demonstrationes non procul ab irrationali existūt uita. 194.9
Syllogismi duo de mundi æternitate infirmi. folio 12.10
Sympathiam quid uocent philosophi. folio 398.15
Symphonia optima quæ 395.12
Symphonia est intelligentia & uirtutum concentus 395.12
Synagoga prior sponsa dicitur 430.1
Synagoga multis coloribus uestita fuit. folio 430.1
Synderesis quid sit 302.5
Syria, Ægyptia, Græcáque sapientia à Mercurio hausit originem. 3.1

T

ת Litera uitæ 383.1
ת Tabelliones testamenti Christi qui. 279.16
Tabernaculi ueri & typici differentia. folio 322.22
Thabas hyacinthus īterpretatur. 430.1
Talgon celeberrima interpretatio Chaldaica, habet, Et suscitabo Dauid Messiam iustum 186.2
Tarah pater Abraham ubi mortuus. folio 161.35
Tasiah quid significet 154.28
Tatius Trismegisti filius 111.17
Taurus in scripturis quid 444.3.

Temperamentum corporis quæ potissimum iuuant 339.5
Temperantia animi omnium uirtutū optima secundum Platonicos 346.11.
Templū domini, templū Domini, templū Domini dicebant uolentes iustificari absque fidei operibus 158.33
Tempus simul cum mundo principium sumpsit 19.15
Tempus quo corpus nostrum reformabitur quando erit 464.2
Tempus non fuit absque mundo nec mundus absque tempore 19.15
Tempus est mensura motus & quietis. folio 12.10
Tempus non conuenit cum æternitate, nec æternum esse potest. 19.15
Tēpus quo fiet unum ouile & unus pastor propinquissimum 248.3
Tenebræ cur sint malum 393.7
Tenebræ se habent ad lumen sicut frigus se habet ad calorem 434.4.
Tentoria filiorum Leui per tres familias tendi iubentur 321.22
Terebrum reperit Dedalus 19.14
Terra quòd singulis annis herbas nouas, imò rediuinas ꝑducat resurrectionē arguit hominum, quemadmodum fit herbarum 401.1
Terra mouetur motu generatiuo, & alteratiuo, ideo uiuit 204.6
Terra aquam attrahit 72.14.
Terra quot stadia continet, totidem & stella quælibet 178.16
Terra centrum uniuersi 128.3
Terra frugifera quid 136.1
Terra omnis arida suapte natura. folio 136.11
Terra nō ꝑduceret nisi uiueret. 204.6
Terra circa basspaltum irrigua sicut Paradisus ante Pentapolis subuersionē. folio 137.11
Terra inter elementa, uarietate gaudet, inter sidera Luna 72.14
Terra tantum fœcunda quantum à superioribus fontibus recipit 136.11
Terra, Dei essentiæ stabilitatem signat. folio 68.11
Terræ uaria forma, diuersumque ingenium 72.14
Terræ figura cubica & sex laterum. folio 54.17
Terræ & Lunæ distantia studiorum 126000. & faciunt toni interuallum 178.16
Terræmotus causam non adinuenerunt philosophi quoniam supernaturalis esset. 371.1
Terræmo. causa non est naturalis. 371.1
Terræmotus causam Aristo. Theophrastus, Albertus uentū, uel uaporē subterraneum esse putant. 371.1
Terræmotus causam Asclepiades casum uel ruinam esse censet 371.1.
Terræmotus causam Empedocles ignem asserit. folio 371.1
Terræmotus causam Anaxagoras æthere dicit 371.1
Terræmotuum maxima conflictatio sæpe præcessit bella, & perniciosas seditiones 371.1
Terram comedes omnibus diebus uitæ tuæ quomodo intelligatur. 239.15.
Terrā uocarunt plutonem poëtæ. 48.10
Ternario secundo quadrato quomodo Deus cœlos fabricauerit 43.6
Testamentum ubi est, necessarium mortē intercedere 279.17
Testamentum in mortuis confirmatur, alioqui non ualet, dum uiuit. 279.17

Testamentum Christi in cruce factum. folio 278.15
Testamentũ Christi qua solemnitate celebratum 279.16
Testamentum Christi quomodo confirmatum sit 279.17
Testamentum, omnium consensu, ratum & firmũ fit morte testatoris. 279.17
Testudines bellicas reperit Artemõ Clazomenus 19.14.
Textus Hebræus, delicias in uniuersi cõsonantia habet, & non ludens in orbe terrarum. undè sequitur & deliciæ meæ cum filiis hominum 163.1
Textus in Genesi pro paradiso habet gan habeden, id est hortus deliciarũ. folio 147.21
Textus in Genesi, ubi ait, contra orientem, mikedem. Hebraicè non orientẽ, sed principium significat 147.21
Testes testamenti à Christo facti qui. folio 279.16
Thalamum matris quomodo ingredi debeamus 452.1
Thales Milesius aquam principium rerũ existimauit 128.4
Thales omnia in ipsam aquã resolui, & eadem ab ipsa nutriri existimauit. folio 128.4
Thales Milesius aquam terræmotus causam assignat 371.1
Thales Milesius præsagiens ubertatem olei futuram, omnem oleam dum floresceret coëmit, ut quid posset philosophus ostenderet 372.3
Thales primus de natura rerum, teste Cicerone, disputauit 2.1
Thales floruit tempore quo Iudæis Ezechias, Numa Põpilius Romanis præerat 2.1
Thales Milesius sapientum primus apud Græcos, rerũ initium aquam dixit. folio 4.2
Thales quid de mundi æternitate. 9.8
Tharsis omne pelagus significat. 138.12.
Thebais ubi sita 319.20.
Θέμιδος filiæ tres quæ 92.11.
Themistius quid de ideis 190.4
Theodorus magnus dicebat, omnia orãt præter primum. 185.1
Theodosius imperator reueritus est Ambrosium increpantem 221.3
Theologi aquilonares quid 261.13
Theologi Hebræorum diligentiores in mysteriis scrutandis 235.13
Theologi secretiores ex fronte uitia & uirtutes prædicunt 373.3
Theologi gẽtiliũ quid de sapiẽtia. 265.1
Theologia peripateticorum nimis diminuta, & minus sufficiens ad diuina tractanda, quo fit ut puto, ut Aristotelici minus ad sacras literas sint apti folio 165.2
Theologia antiqua quos habeat authores. 90.9
Theophrastus modò menti diuinitatem, modò cœlo, sideribus modo, signísque diuinum principatum cæteris adẽptum confert inconstans 4.2
Theophrastus de plantarum natura disseruit 24.18
Theophrastus primus omnium Græcorum libros congregauit 313.16
Thesaurus Sapientiæ quis 276.12.
Thesaurus cœlestis quis sit 276.12
Thespiõ Gymnosophistarũ dux. 107.13
Thomas Aquinas sublimioribus intẽtus à terra cubiti altitudine eleuabatur simul cum corpore 374.4
Thus quoddam tam mysticè compositũ,

ut uetuerit Deus transferri in alios usus. 246.21.
Thymiama arte pigmentarij fiebat. folio 247.21
Throni nomen, quid 59.4
Thronorum quinque potestates. 59.4
Timæus Locrus Pythagoreus hominum transmutationes, ad terrorem scelerũ inductas putat 26.1
Timæus Locrus quid de orbis totius harmonia. 163.1
Timæus Locrus, fuit, erit, ante & post temporis cõditiones malè ad diuinam transferri substantiam credit. 19.15.
Timæus Locrus ideã ingenitã ait. 192.7
Tintinnabula quid signent in sacerdotali ueste. folio. 222.5
Tipheret Hebræorum quid significet. 97.17. & 125.34. 451.1. & 455.3
Titionis iecur uulturis rostro perpetuò foditur 117.24.
Tobu, chaos, uel rudis quædam massa, uel materia est 39.1.
Tonus quomodo diuiditur 351.2.
Topazius quam habeat uirtutem. folio. 80.29
Topazius lapis diuersas sanat infirmitates. folio 419.3
Tornum reperit Dedalus 19.14
Totum, quod est in mũdo, aut crescendo aut decrescendo mouetur 204.6
Totũ essentiale productum ante partes
Traductio nostra mendosa hîc, Qui ascẽdit, uel æquitat super planitiem, & nõ super occasum Dominus nomen illi. folio 132.8.
Traductio nostra sacrarum literarum, diminuta 96.17
Tranquillitas undè oriatur. 382.12
Transmutationes particulares. 108.14
Traxit nos Christus multipliciter. 169.6
Tres in uniuersum sectæ de Deo optimo Maximo. folio 402.2
Tribui Iehuda sceptrum designatum. folio 457.1
Tribuum Israël unaquæq; peculiare priuilegium habuit 458.1
Tribuum summa quota erat 306.9
Triginta duæ semitæ sapiẽtiæ in dictione cordis Hebraicè scriptæ inueniuntur. folio 356.7
Trina est & numerorum, & quantitatis continuæ productio. 40.2
Trinitas multiplex in rebus omnibus. folio 98.18
Trinitatem nemo ante Christum apertè expresserat 257.10
Triremes Amoclas Corinthus, ut ait Thucydides, primus extruxit. 19.14.
Trismegistus in libro, quòd Deus latẽs & patẽs est, quid sentiat de Dei potẽtia. folio 166.2
Trismegistus primus sapiẽtũ fuit qui Mosi tam diligenter doctrinam est sequutus, ut Moseus fuerit cognominatus. folio 3.1
Trismegistus assumptam à Deo humanitatem quantum admiretur. 15.12
Trismegistus Deum summum bonum esse asserit 465.1
Trismegistus philosophorum pater. folio 43.5
Tristitia est quæ nobis accidit ex rebus nolitis. 393.8
Tristitia summa quid sit 382 12
Trogloditica regio ubi, & incolarũ mores. folio 319.20
Tu autẽ idẽ es, idẽ nihil refert. 286.6.
Tuba Dei erit uox angelica 476.8.
Tuba instrumẽtum musicũ quid. 499.7

Tuba Dei & uox ãgelica q̃d sit. 406.8
Tubalcain pater canentium cithara. folio 18.14
Tubã Piseus Tyrrhenus reperit. 19.14
Tumim quid 59.4
Tunc cœptum est inuocari nomen Domini, pro quo mendosè habetur, tunc cœpit inuocare nomen 428.2
Turba beatorum numerari non potest. folio 430.1
Turbatio circa multa & collectio circa unum quomodo intelligi debet. folio 461.1
Turmæ quinque iuxta tabernaculũ quid significent 322.22
Turres primi extruxerunt Cyclopes, ut ait Arist. Phœnices, ut ait Theophrastus. 18.14
Turturum par, aut duo pulli columbarum cur offerrentur in purificationẽ partus 240.15
Tygris reliquis feris truculentior, homine uiso catulos transfert. 378.8
Tympanum quomodo fit, & quid significet. 499.7
Typica descriptio ornatus ciuitatis secundum Ezechielem 430.1
Tyranni & regis dotes 61.6
Tyranni & ueri principis dissimilitudo folio 61.6

V

Senarium denotans, uitã, qua omnia uiuunt, subindicat. folio 98.18
Vabohu quomodo intelligẽdũ in cœlorũ formatione 39.1
Vacca rubea mysticè beatam uirginem indicat 225.6
Vaccæ rubeæ mysterium celeberrimum. folio 252.6
Vau diuinitatis litera 383.1
Vau sex Hebræis significat 383.1
Vates diuersi erant generis 372.3
Vates tripliciter fit 373.4
Vates uerus quis & undè efficiatur. folio 373.4
Vaticinij clara uoce facta cur uox geminata 375.4
Vaticinium non ideo negandum est quia interpres ignorat 376.5
Vaticinium defenditur 375.5
Vaticinium etiã fit clara uoce, quod omnium certè est celeberrimum. 375.4
Vaticinium uoce clara factũ quibus sanctis uiris 375.4
Vehi equo Belorophoon reperit. 19.14
Vela Icarus contexit primus 19.14
Vena caua habet originem à gibba hepatis. folio 117.25
Venæ à caua hepatis ortum habent. folio 117.25
Venabula Piseus reperit 19.14
Venenum extremum undè, inde præsentissimum remedium. 112.18
Venerãdi quibus credidit Deus eloquia & arcana, quæ nos inuestigare non possumus 194.9
Venefices omnia possunt poëtarum testimonio 380.9
Veneficorũ quæ incantamenta. 381.10.
Venere quæ fruantur 80.28
Venere colligantur omnia 119.27
Veneres utræq; à quibus genitæ. 73.16.
Veneres duas faciunt academici. 73.16
Veneri honestæ quæ attribuũtur. 74.16
Veneris cũ potestatibus concordia. 68.1
Veneris æthereæ dotes 73.16
Veneris aëriæ qualitates 73.16
Ventorũ rationem primus inuenit Æolus Heleni filius 19.14

Venus spem largitur 44.7.
Venus unico anno circulū perāgit. 56.1
Venus quid homini tribuat 111.17
Venus à iecore Iouis originē ducens amorem ab eodem inceptum explicat. folio 117.24
Venus quare à Cypriis utroq; sexu depicta 73.16
Venus cur ab Aristophane ἀφρόδιτος & non ἀφρόδιτυς dicta 73.16
Venus cum aëreo calore & bulliēti cholera symbolum habet 114.20
Venus Iouis filia 119.27
Venus quæ & lucifer rorē fundit, somnum conciliat 114.20
Venus cur præsit partibus quibusdam. folio 119.27
Venus ori, quo dulcia offeruntur basia, præest 119.27
Venus dicta quòd ad oīa ueniat. 73.16
Venter in scripturis quid 451.1
Ventis malis quæ aduersentur, 82.31.
Verba prolata quam habeant energiam. folio 369.10
Verbo & filio Dei oīa plātata 146.21
Verbum Dei quare in Tyro & Sydone, magis quā in Corozaim & Bethsaida fuerit prædicatum. 326.24.
Verbum diuinum continet omnia. 189.4
Verbum diuinum insitum in nobis. 355.5
Vergiliæ eædē cum pleiadibus in 22. gradu Tauri 82.31.
Veritas quid sit 247.1
Veritas omnis per Christum explicata. folio 283.1
Veritas & arcanum summi Dei ingenio & uiribus humanis comprehendi non possunt. 11.8.
Veritas quid sit 394.9.
Veritatis encomium 247.1
Verum sacrificium est seipsum offerre, hostiam uiuam, immaculatam, sanctā, Deo placentem &c. 391.5
Vesta quòd terram uestiat herbis & aliis plantis 208.13
Vestigij est repræsentare non plenè. folio 387.1.
Vestimenta Christianismi duplicia. folio 225.6
Vestimenta illa ueteris sacerdotij quid cum Christo habeant 226.7
Vestimēta Dei quæ sint in sacris expressa. folio 389.3
Vestimēta Dei decem ab Hebræis Theologis expressa 389.3
Vestis inconsutilis Christi quid significet. folio 225.6
Via & progressus cognoscendi Deum. folio 165.2
Via fœlicitatis antiquis domestica, sed paucis nostri tēporis cognita, quomodo intelligendum 464.2
Via qua insistendum ut uitam æternā consequamur 274.10.
Viæ sunt nobis propositæ duæ 367.5.
Viator quis fuerit beatus 124.34
Victima quid 233.12
Victimæ & hostiæ differentia 233.12
Victoria sine certamine constare non potest. folio 392.6
Victoria larga habita à Christo pro se & militibus suis 454.2.
Victoriæ laus soli Deo ascribenda. folio 454.2
Viginti septem numerus diuinus. 97.18.
Victoriam quæ pariant 82.31
Vinea de Aegypto educta quid sit. folio 147.21
Vinū, lac, butyrū, & mel quid. 150.24.
Vinū quo ïebriati sint Apo. qđ. 444.2

Vinum ex aqua factũ in nuptiis à Christo quid significet 443.2
Vinũ cõuiuij spiritualis duplex. 444.2.
Vinum in uerum sanguinem Christi conuersum 444.2
Vinum amorum & mundanum unde nobis propinatum 443.2
Vinum quod in cœna propinauit nobis Christus 443.2
Virago uxor protoplastis quare sic dicta. folio 442.2
VirgaMosi quid mysticè signet. 337.14
Virga Mosi & crux 237.14
Virga Mosi quàm prodigiosa 237.14
Virgilius quid uocet mundi spiritum. folio 166.2.
Virgo deifera corde & animo Deo concinuit 499.5
Virgo ilia fouet 111.17
Virgo Maria plus quàm martyr fuit. folio 458.2
Virgo, quia tunc Sol sterilis, infœcunda esse uidetur 112.18
Virgo signum sterile 310.13
Viri si submergantur supini uehũtur, fœminæ contrà. folio 119.27
Viris uirtus Venerea in lumbis. 119.27
Virtus est operatio asimilans hominem Deo. folio 395.12.
Virtus nulla, ut ait Aristoteles, nisi per Deum 371.2
Virtus diuina fortißima 428.2.
Virtus finita & determinata tempus requirit in agendo 33.10
Virtus infinita non exigit tempus in agẽdo. folio 33.10
Virtus est animi habitus 395.12
Virtus affectio animi constans 395.12
Virtus est ferendorum fortis atque inuicta patientia 395.12
Virtus nostra seminaria undè 265.2
Virtus euangelica setis asininis infulciatur quomodo 419.3
Virtutes dispares quæ 346.12
Virtutes septem per septem planetas. folio 121.30.
Virtutes in inferioribus cum luceant, in superioribus coruscant 16.13
Virtutes undè dictæ 395.12.
Virtutes quæ spiritum corroborant. folio 396.12
Virtutes opera complẽt cœlos mouentes. folio 439.2
Virtutes ciuiles quæ 348.13.
Virtutes purgatiuæ & heroicæ quæ. folio 348.13
Virtutũ uia ardua & difficilis. 396.12.
Virtutum genus triplex 348.13
Virtutes purgatoriæ 374.4
Virtutum exemplarium definitio particulariter aßignata 348.13.
Virtutes exemplares duplices sunt. folio 348.13.
Virtutum consonãtia cũ anima. 347.13.
Vis naturæ fortior quàm artis. 428.2
Visio beatitudinis quid sit 362.12
Visio Dei beatitudo nostra 428.2
Visio Dei meridionalis, matutina, & uespertina dicitur 463.2
Visio uespertina secũdum Augustinum quid. folio 462.1
Vita æterna quid 674.10
Vita in sanguine consistit 280.17
Vita mundi unica 94.15
Vita animalium ignea 52.14
Vita omnium uiuentium una 201.1.
Vita multiplex 205.8
Vita omnium multiplex & unica. 201.1
Vitæ lapidis opus, augmẽtum, attractio expulsio 104.8

Vitæ ratio in omnibus 336.1
Vitam undè sortiantur omnia 202.2
Vitis & uinea quid 153.28
Vitis in sacris iustitiã diuinam significat folio 156.31
Vitium execrabile apud Christianos sapientes inoleuit de demonstratione. folio 22.17.
Vitruuius architecturæ princeps quid de ædium proportione dixerit.335.1.
Vitula rubea & eius cinis in sacris. folio 252.6
Vitulæ cinis coinquinatos mundabat, mũdos coinquinabat 253.6
Vitulæ sacra fuere extra castra celebrata.folio 254.6
Vituli marini corium ad quid ualeat. folio 79.27
Vitulus cur simul cum hirco pro peccato offerebatur. 242.17
Vitulus siue bos in sacrificio offerendus, quid significet 243.18
Viuere multum æquiuocè accipitur, ad spiritus, homines, plantas, ad metalla, & ad lapides 104.8
Vmbilicũ Ioui sunt qui tribuant.120.29
Vmbilicum Veneri tribuunt 120.29
Vnctionem à sancto qui habent, norunt omnia, neque indigent doctore ut doceantur. 276.11
Vnguentum in canticis quid significet. folio 460.3
Vnguentum descendit ad oram uestimenti quomodo intelligendum 460.3
Vniones in oceano gignuntur 81.30
Vnitas musica quomodo diuiditur.331.2
Vnitas in numero naturali diuiditur. folio 351.2
Vnitas perfectißima & faustißima. folio 91.11.
Vnitati si addatur numerus linearis fit, punctum in longum protractum fit linea.folio. 40.2
Vnitatis natura quomodo cum multitudine conueniat 39.1
Vnitatis controuersia Peripateticorum cum antiquis 36.12.
Vnitatis concordia antiquorum. 36.12
Vniuersale aut simplex est prima omnium creatorum antequam intelligentia aut cœlum, aut aliud particulare produceretur .21.16.
Vniuersale est esse quoddam simplex, quod nec natura, nec intelligentia producere potest 21.16
Vniuersalia sempiterna sunt 403.3
Vniuersalia immediatè & sine aliqua intercedente causa sunt producta. folio 403.3.
Vnum à quo omnia. 164.2.
Vnum, ens, & bonum idem sunt 283.2
Vnumquodque in alio, & quodlibet in quolibet 39.1.
Voluntas quando serua fit miserrima. folio 115.22
Volũtas domina aliarum uirium.115.22
Voluntas & cor ita in homine, sicut prima intelligẽtia in orbe primo.115.22
Vocis instrumenta quot & quæ sint. folio 446.2
Vocum multarum dissonantia tædium generat.folio 449.5
Vox uerbum & mentis conceptum exprimit.folio 6.5
Vox quæ prius dissona, consonantißima apparebit 447.2
Vr incendium significat 162.36.
Vrim & tumim portare Aaron à Deo iussus, id est ueritatẽ & doctrinam. folio 59.4

Vrim propriè est illustrationes licet aliter habeat nostra traductio 59.4.
Vrsæ maioris cauda in 19. gradu Virginis. folio 82.31
Vt malus quis scit quilibet sibi causa. folio 46.8
Vultur cadens, in 7. Capricorni gradu. folio 82.31

X

XEnocrates Platonis discipulus horã unamto tam singulis diebus abstrahebatur à corpore 374.4
Xenocrates Deos octo sibi cõstituit. 4.2
Xenophanes, mente adiũcta, omne quod esset, Deum esse uoluit 4.2
Xenophon Socratem refert disputantẽ formam Dei quærere non oportere. folio 4.2

Z

ZAbulon quem locum tenuit in plaga orientali: in occidentali uerò Carmelum montem 313.16
Zabulon quid 303.6
Zachariæ patris Ioannis Baptistæ quid antè quã haberet filiũ accidit. 170.6
Zadoc quî interpretatur 426.2
Zelpha quomodo interpretatur. 303.5
Zeno cum ueteri academia quid de diuinationibus 372.3.
Zeno duo rerum principia posuit Deum & materiam, quorum illum agendi causam, hanc dicebat patiendi. 127.2
Zeno antiquus philosophus deũ naturæ principem & dispositorem, & logum qui est intellig. &c. & ideã. 192.7
Zeno legem naturalem Deum esse censet. folio 4.2
Zipurim aues significat generatim & nõ passeres speciatim pro leprosis offerendas 241.17
Zodiaci unumquodque signum unde denominationem habeat 111.18
Zoophyta à Platonicis quæ dicantur. folio 77.21.
Zoophyta cum Satur. occinunt. 76.20
Zoroastres filius Chain, nepotis (ut Didymus ait) uel filij Noë (Beroso authore. folio 10.8
Zoroastres uiginti annos latuit. 374.4
Zoroastres in solitudine egit 20. annos. folio 103.5
Zoroastres omnia ex igne facta esse dicit. folio 410.14
Zoroastres magicæ artis inuẽtor. 380.9
Zopyrus Socratem Veneri deditum iudicauit uerè ex physionomia 120.4
Zuph carectum significat palustre. folio 142.16
Zur nomen Dei forte significat 133.9

FINIS.

Canticum Primum, quo DIVINA, HVMANA, COELESTIA, SVPERCOELESTIA, ATQVE INFERIORA OMNIA CONCINNA PROportione, & Harmonica ſuauitate diſtributa eſſe demonſtrantur.

PROOEMIVM PRIMI CANTICI.



ONCENTVRI *de mundi ſonoritate Pater Beatiſſime, æquum eſt, ut per eos concinnos gradus arripiamus iter, per quos ſummus ille Archimuſæus opus intrauit: Qui ſonoris numeris ſingula quæque, & totum ipſum mundum diſpoſuit: A quo nec manus abſoluit ipſe artifex, quouſque ad conſummatam conſonantiam per debitos numeros in ſeipſum cõduxerit opus, ut plena diapaſon ſymphonia conſummaretur: quæ tum demum completur, quando primum ſex tranſactis mediis ultimum, quod idem eſt, & non idem cum primo, ad ſeipſum reuocat. Hac quidem octaua fabrica mundi tota perficitur: hac diſponitur: hac denique cõſummatur. Perficitur enim quãdo opifex ſummus per ſex rerum gradus ſacramentorum plenos, recluſos à Moſe ſub uelamine ſex dierum, totam hanc fabricam diſpoſuit: & in ſeptimo requieuit. Qui ſi cum primo connumeretur, dum in ſeipſo exiſteret, octauus eſt: Et perfectum opus hac dierum concinna uiciſſitudine diſpoſitum perſeuerat: ut ſemper poſt ſeptimum in octauum, qui idem eſt cum primo & non idem, reuertatur. Sic tandem conſummabitur conſonantiſſimum Dei opus, quando in octaua perfecta (de qua ſuo loco diſſeremus) in idipſum omnia reſtituentur. Nos quoque Opificem è ueſtigio ſequentes per octauam iſtam harmonicum hoc opus conſummabimus ad idem redeuntes, à quo & principium ſumimus: ut utrunque extremum de Deo ſummo ſit. Primus nanque Tonus de ipſo erit, in quantum principium eſt: Vltimus de eodem inquantum eſt finis: Intermedij uerò de progreſſu primi in ultimum, in quibus (ni fallor) continentur elementa mundanæ & ſupramundanæ ſpeculationis.*

Vis sit mundi progenitor, & qua harmonia superexcelsę vnitatis gaudeat. Tonus. I.
Qua concordia rerum principia, & descriptores eorum cõueniant, aut dissentiant. To. II.
Quo consonanti numero summus opifex in creata omnia descendat. To. III.
Quibus mutuis concentibus prima rerum genera conueniant ad inuicem, & cum Archetypo. To. IIII.
Qua consonantia interualla eorum repleantur. To. V.
Qua concordia contineantur omnia in homine tanquam in paruo instrumẽto. To. VI.
Qua sonoritate omnia, etiam particularia in hoc feculento mundo existentia cũ Archetypo conueniant. To. VII.
Quid sit vltimũ, in qđ omnia diapason cõsonãtia reducũtur. To. VIII.

PRIMI TONI CAPITA.

Q Vod à sanctis viris diuino lumine collustratis de Deo discere possumus, quę tractamus. Cap. I.
Quod absque huiusmodi luce errarunt omnes de Deo loquentes per deuia quamplurima. Ca. II.
Et si quid sit Deus intelligere non possumus, tamẽ Deum esse & oraculis, & oratione, & consensu omnium edocemur. Ca. III.
Quomodo per creatarum rerum vestigium, aut imaginem, & eorum consonantiam cum Archetypo deuenire possumus in cognitionem eius foecunditatis. Ca. IIII.
Quod Deus sit omnium rerum, & numerorum foecunditate plenus: vt posit omnia consonantisime producere. Ca. V.
Quod Deus sit vnus. Ca. VI.
Quod foecundisima mens illa prima, quę Deus dicitur, ad intra extraque produxerit. Ca. VII.
Quod Deus mundum fabricauerit. Ca. VIII.
Mundi conditio non dat philosophis, vt concludant contra eius genituram. Ca. IX.
Neque motus idem pręstat. Ca. X.
Minus itidem tribuunt gubernatores eius. Ca. XI.
Neque ab opifice procedendo probant, quod intendunt. Ca. XII.
Cur aberrarunt philosophi à catholica veritate. Ca. XIII.
Rationes pro mundi nouitate. Ca. XIIII.
Cur ante, aut post, q̃ Moses narrat, Deus mũdũ nõ fecerit. Ca. XV.
Deficiunt philosophi, dum probare nituntur Deum necessario agere ad extra. Ca. XVI.
Progressus pro contingentia in diuino opificio. Ca. XVII.
Deus cognoscit particularia. Ca. XVIII.

QVOD A SANCTIS VIRIS DIVINO LVMINE COLLVSTRATIS DE DEO DISCERE POSSVMVS,

Quæ tractamus. Cap. I.



VPIENTIBVS *nobis iuxta quod exigit opus aßumptum, inuestigare, quis sit mundi huius progenitor, id proculdubio euenit, quod Plato quodam afflatus numine dicere solebat: Opificem, genitoremq; uniuersi tam inuenire difficile, quàm inuentum digne profari: cũ lumen inhabitet inaccessibile.* Hinc de illo loquentes per multa *deuia errarunt quamplurimi, omnes utique illi, quorum oculos ipse non collustrauerat.* Ideo iubet Pythagoras, *ut de diuinis nemo sine lumine loqui præsumat: sine illo inquam lumine, de quo* Psalmographus *canit:* In lumine tuo uidebimus lumen. *Qua luce protoplastes hominum perfusus* Deum *ipsum deambulantem ad meridiem uidit: uocem cognouit: & creatarum omniũ rerum naturas, ut singulis quibusque conueniens nomen imponeret, rite prospexit.* Hoc *lumine* Set *(habito* Enos*) cœpit inuocare nomen* Domini *adhuc occultum, &* Enoc *futura prædicere. & in* Deum *ipsum transferri.* Hoc *lumine* Noe, *ut nõ tantum* Hebræorum, *sed* Chaldeorum *&* Scytharum *monumenta (si* Beroso *credimus) tradunt, futuram inundationem prædixit: arcam fabricauit: hominum & iumentorum saluauit semen.* Postea Armenos *&* Scythas, *deinde* Italos, *quos scriptura* Chitimos *appellat, naturæ secreta,* Theologiam, *sacrósque ritus docuit: & cursus astrorum, Annósque ad motum solis, & mẽses pro* Lunæ *cursu distinxit:* Quem Poëtæ *sub nomine* Iani Decantant. Noë *siquidem* Ianus *(qui uitiferum signat) lingua* Aramea *dicitur.* Quod *lumen quanto posterius, tanto fulgidius* Abrahæ *mentem postea perfudit, ut ritus meliores docuerit: signum electæ familiæ dederit:* Deum *unicum in trinitate diffusum primus agnouerit: de nomine* Dei *recluso, déque sacramentis solitariæ suæ celsitudinis, & quomodo in alios seipsum per sacramentales uestes, aut canales diffundat, ante omnes (ut* Cabalistæ *asserunt) scripserit: uel docuerit, quæ alij scripserunt.* Pro *quo citati* Alexander, *&* Eupolemon *sic deponunt:* Abraham *sanctitate, & sapientiam omnium præstantißimus* Chaldeos *primum, deinde* Phœnices, *demum* Aegyptios *sacerdotes astrologiam, & diuina docuit.* Sed Iulius Firmicus *astronomus ipsum ob mirabilem sapientiam diuinum appellat:* Qui *unicum rerum opificem non sine uitæ discrimine testatus est, & omnia quæ ad sapientiam cultúmque diuinum spectant, seruauit, & docuit posteros:* Quæ Isaach *quasi hæreditario iure reliquit: & hic* Iahacob: *& ipse familiæ suæ istiusmodi tradidit monumẽta, ut ab eá familia sapientia omnis emanauerit:* Qua *super omnes perfusus fuit* Moses, *in*

Pytha.
Dauid
Bero.
Abrah.
Cabal.
Alexan.
Eupol.
Iul. firm.

quem omnium patrum eius doctrina confluxisse non dubitatur. Et hæc est sapientia Aegyptiorum, qua (Lucæ testimonio in actibus Apostolorum) instructus erat. Hanc enim Abraham Aegyptios docuerat: quam postea literis cõmendauere post suam Io. Inachi filiam, quam ueluti deam colunt Aegyptij: eo quòd ab eadem literas habuisse opinabantur: Sed falsò, quia Inachus Argiuis imperare cœpit, quo tempore iam Abrahæ nepotes lucem hanc capescebant.

Eupole. Sed Eupolemon scribit Mosem fuisse Inachi & Ogigis temporibus, & hunc sapientem, qui grammaticam suos Hebræos (quibus ab עבר, quod est transire nomen dedit) & omnem sapientiam docuit: Qui postea Phœnicibus eam ob uicinitatẽ largiti sunt: à quibus & Græci rationem characterum suscepere.

Plinius Vnde Plinius dixit literas primordiales fuisse Assyrias: & ex Phœnicia Cadmon in Græciam sexdecim transtulisse: à quibus Assyriis etiam Aegyptij didicerunt: quamuis de antiquitate glorientur: Nam Moses (ut diximus) eorũ

Strabo institutis initiatus eos meliora docuit: ut à Strabone Sacerdos Aegyptius dictus sit. Fuerunt etiam in conscribendis Atheniensium rebus clari Helanicus, Philochorus, Castor, Thales, & Alexander, Polyistor, & omnium historicorum facilè princeps Diodorus, qui Asiam, & Europam prope uniuersam diligenter suis oculis perlustrauit. Hi omnes uetustatum amplissima insignia, déque Mose præstantissimo duce, & rerum diuinarum Authore prædicarunt. Nec enim ante eum inuenitur, qui literis aliquid commendauerit: nisi forte Abraham (ut tetigimus) & Enoc: quorum doctrinam Moses, tanquam legitimus hæres plenissime in suis uoluminibus congessit addens, quæ ab ore Dei uiuentis quotidianis oraculis acceperat, uel in ipsis omnia complectens. Hinc magna

August. audacia Augustinus noster loquitur. Nulla gens, inquit, de antiquitate sapientiæ suæ super patriarchas, & prophetas nostros ulla se uanitate iniqua iactauerit: quando nec Aegyptus inuenitur (quæ solet falsò, & inaniter de suarum doctrinarum uetustate gloriari) qualicúnque doctrina sua patriarcharum nostrorum tempore præuenisse sapientiam. Nec eos aliquis philoso-

Pytha. phorum præiuit: cum philosophi nomen à Pythagora samio traxerit originem: qui eo tempore, quo Iudeorum captiuitas soluta est, florere cœpit. Nec adducantur Sapientes, qui longe præcesserunt philosophos: qui & ipsi post Abraham, Isahac, Iahacob, & Ioseph, imo post ipsum Mosem fuerũt: ut optime sup-

Augusti. Cicero putat Augustinus. Thales qui (Cicerone teste) primus de natura rerũ disputauit, floruit eo tẽpore, quo Ezechias Iudæis, & Numa Põpilius Romanis præsidebat. Et post eum sequuti Solon Atheniensis, Chilo Lacedæmonius, Pittacus Mitilenæus, & cæteri Vates, etiam uetustissimi Græcorum, prophetis Hebræis iuniores sunt: Moses enim ante Troiæ excidiũ trecẽtis annis supra decẽ

Au. Eus. scripsit: ut Augustinus, & Eusebius supputant. Homerus autem, & Hesiodus

Cicero (ut Cicero ait) centũ & quinquaginta annis Troiam sequuti sunt: quibus paulo

prior Orpheus cum suis sacris, tempore uidelicet Gedeonis, sed post Mosen annos circiter trecentos, precessit. Moses igitur primus fuit, qui publicis literis cõmendauit ea, quæ lumine & consortio diuino collustratus didicit sacramenta: quibus uel pro parte sui progenitores edocti fuere. Sed hæc historiis inuoluens ineruditæ plebi, cum qua agebat, se domesticum præbuit: Sapientioribus secretiora eloquia credens: Posteris autem sapientibus in recessu relinquens sub cortina lumen diuinarum, & naturalium rerum splendidißimum introspiciendũ, ueluti columba illa, quam Propheta commemorat facie simplicißimam, sed posteriora eius auri nitore fulgentia. Quo splendore Sapientum oculi, nec sensibilibus, nec aliis quibuscúnque inquinamentis fœdati, cum ipso introspexerunt Dei, & naturæ altißima sacraměta. Horum primus magnus Trismegistus fuit: qui intantũ Mosi sequutus est disciplinam: ut Moseus à Priscis illis sapiẽtibus appellaretur. Ostendit enim Artabanus, quæcũq; de Trismegisto dicuntur, hæc eadẽ in Mose fuisse: Plato quoq; philosophantiũ magister ut cum Cicerone, Augustino, Apuleio, Proculo, & multis sapientibus cõueniam (dicant alij quicquid uelint) adeo cum Mose consentit: ut Numenius Pythagoræus dicat Platonem nil aliud esse, nisi Mosen attica lingua loquẽtẽ. Pythagoras, à quo Academici didicere (teste Hermippo Pythagoræo) de Mosi doctrina multa in suam philosophiam transtulit: ut uerum sit, quod Iambicus magnus sacerdos Aegyptiorum in eo, quod de eorum mysteriis uolumine cõpilauit: inquit: Pythagoras, Democritus, Plato, Eudoxus, & multi alij ad sacerdotes ægyptios accesserũt: ubi ex colũnis Mercurij, quæ omnigena doctrina inscriptæ erant: sercetiorem philosophiam didicerunt: sed Mercurius (ut diximus) à Mose hausit. Hic ergo doctor, à quo tota syria, Aegyptia, Græcáque sapiẽtia emanauit. Testantur hoc & de nostris ultra Augustinum Ambrosius, Eusebius Pamphilus, & Cyrillus: quorũ ultimus ad uerbũ ait: Pythagoras & Plato cum in terra Aegypti operam disciplinis darent, multorũ uirorum illustriũ, & in primis Mosi doctrinam pro suo studio nõ ignorarunt: Erat enim id tẽporis apud Aegyptios nomẽ Mosi in non mediocri admiratione: unde rationem Dei, hoc est primæ causæ eos quidem accepisse nõ dubitamus: quos sequutus Numenius Pythagoræus multa ex Mosaica doctrina in suis libris cõscripsit: ut magnus Basilius testis est. Et ut ab his me expediam, probant Clemens Alexandrinus, Atticus Platonicus, Eusebius, & Aristobolus: quòd Gentiles (si qua habuerunt egregia dogmata & mysteria) à Iudæis usurparunt: & fabularum inuolucris implicuere: ut illud Deucalionis à diluuij historia, & Phaëthontis figmentum à retrogradatione solis: quæ fuit tempore Ezechiæ. Vnde etiam confingerent de gigantibus, qui montem monti imponerent, & in cœlum tendere tentarent, à turri Babylonica traxisse, nulli dubium est. Hinc Sulmonensis, unde originem & fabricam mundi decantaret, usurpauit. Homerus quoque, Hesiodus, & Linus, unde de septima luce sanctificanda canerent, hinc proculdubio acceperunt: Ait siquidem Homerus.

Artaba. Plato Cicero August. Apule. Procul. Nume. Plato Hermi. Iambli. Augu. Ambr. Eus. Pã. Cyrillus. Basilius Clemens Atticus Eu. Ari. Ouid.

Home. Septima lux aderat cuncta & perfecta fuerunt. Quem alij sequuti in idem cõueniunt: & ante eos Orpheus, unde authorem uniuersi summis laudibus extolleret, in suo de uerbo diuino sumpsit: nã (Artabano teste) Orpheus de doctrina Mosi multa didicit. Post quos Virgilius premere uentos sub æolo didicit ab arca Noë: in qua omnigena animalia ipsius Noë regebantur imperio. A fœlici quoque statu Adæ decantarunt, & oratione soluta scripserunt quamplurimi Saturnia regna aurea. Longum esset retexere quàm multigena arcana inferioris, & supramundanæ naturæ poëtæ didicerint inuoluere in fabularum, & ænigmatum uelaminibus ab his, qui sacris edocti oraculis occultabant sacramenta sibi credita: ne sancta exponerent porcis conculcanda. Sed quia aliquid non existimant posse stare philosophiam peripateticã cum Hebræa: immo hinc ridendi sumunt occasionem, dicant ubi inuenerint, immo cõfinxerint dictum fuisse à suo Aristotele de Mose: Iste homo multa bona dixit: sed nihil probauit?

Artiba.

Clear. Ideo & quantum peripateticorum princeps detulerit Hebræis Clearchus peripateticus citatus pro eo in libro de somno dicat. Ait enim quòd cum Aristoteles disceptaret cum Hyperochide, dixerit: Iudæus erat, qui ab altioribus Asiæ locis ad maritimas ciuitates descendẽs, & lingua, & animo Græcus fuit: Cũque accidisset, ut eo tempore nos quoque maritimis Asiæ locis uersaremur, philosophiæ amore ad nos sponte uenit: qui multo plura nobis attulit, quàm accepe rit: hæc Clearchus. Ad quæ loca idem Aristoteles nauigauit suasus Platonis epistolio, ex Aegypto in Israëlitarum sapientum commendationem conscripto:

Mega. ut in Hebræorũ monumentis repperimus. Megasthenes uerò in tertio Iudaïcarum rerum non tantum Aristotelem, sed philosophos omnes discipulos Hebraicæ sapientiæ declarat. Omnia, inquit, quæ de natura prisci Græci scripserunt, alij etiam ante ipsos tradiderunt: Nam Brachmanæ apud Indos (qui & Iudæi uocantur) multo prius philosophati sunt. Nec miretur quispiam Iudæos indos

Aristo. fuisse: cũ & Aristoteles apud Clearchũ dicat: Iudæi sunt Calani ex india. Sed à patre præcipuæ tribus Iudæi appellati sunt: Israelitici autẽ ab eorum diuino Principe, & progenitore Iahacob: Hebræi uerò à trãsitu, cui semper tanquam

Nume. peregrini addicti sunt. Cui adstipulatur Numenius in primo uolumine de bono. Plato, inquit, & Pythagoras Græce exposuerũt, quæ adinuenerant brachmanæ, Aegyptij, atque Iudæi. Sunt & qui asserunt. Numenij, Philonis, Plotini, Iãblici, & Proculi mysteria à Paulo, Dionysio, Hierotheo, & Ioanne accepta fuisse. Importunum quippe foret omnes citare, qui Iudæos, & patres nostros (à quibus & nos primordia sapientiæ accepimus) primos asserunt fuisse doctores sapientiæ, à quibus fontibus mortales omnes hauserint: Hoc enim non modo nostri credunt: sed historiographi præclarissimi philosophique insignes testantur: Quibus & gentilium oracula addamus: si adductis testibus non cre-

Porphy. dunt: Perhibet enim Porphyrius, Appollinis oraculum hæc de Iudæis tradidisse.

Dura uia illa nimis, æratis clausáque portis, Ap.ora.
Quæ uitam nobis aperit, donátque beatam.
Nec uerò uerbis facilè enarrarier ullis,
Exponique queat: illò quo semita ducit,
Quam primi ante omnes cœperunt tradere, pulchras
Qui nili epotant lymphas, phœnicibus inde,
Proximáque Aßyriis ea cura, sed inclyta longe
Gens hebrea illam nouit, notámque recepit.
Et iterum alio oraculo.
Chaldeis, quæ uera esse sapientia, tantum
Hebreísque ipsis conceßum agnoscere: pura
Aeternum qui mente colunt regémque, deúmque.

Ah huiusmodi igitur academia, quæ diuino lumine est edocta, & nō aliunde de Deo, déque rerum progenitore discere poßumus: Si tamen à philosophis, uel aliis externis aliquid acceperimus, id faciemus ea lege, quàm docet Augustinus; Augu. Vt accipiamus tanquam ab iniustis poßessoribus, sicut olim hebrei ab Aegyptiis uasa, & idola quæ in meliorem usum conuerterent, uendicarunt.

Quod absque huiusmodi lumine errarunt omnes de Deo loquētes per deuia quàm plurima. Cap. II.

QVam neceßarium sit hoc lumen iis, qui de Deo loqui uolunt, satis experientia comprobabit: si repetere uoluerimus qualia hi, qui sibi sapientū nomen uendicarunt, sine hoc ipso lumine deliramenta confinuerint: Vt bene colligit Eusebius, Augustinus, Laërtius, & nouitiores quamplurimi, sed potißimū Cicero. Eu. Aug. Lac. Cic. Thales enim milesius, qui inter sapientes primam tenuit exedram, aquam dixit esse rerum initium: Deum autē eam mentem, quæ ex aqua cūcta cō fingeret. Thales. Anaximander natiuos esse Deos aiebat, longis interuallis oriētis, occidentisq;, innumerabiles quoq; mundos. Anaxi. Postea Anaximenes aëra deū statuit: eumq; gigni, esseque immensum, & infinitum, & semper in motu, quasi aër sine ulla forma Deus esse posit. Anaxagoras, qui ab Anaximene disciplinā accepit, primus omniū rerum descriptionē, & modum mentis infinitæ ui ac ratione designari, & confici uoluit: nec ultrà inde progreditur: ut intelligatur, quæ sit hæc mens: & quomodo omnia confecerit. Anaxa. Crotoniates Alcmeo Soli, Lunæ, reliquisq; syderibus animos, & diuinitatē dedit. Croton. Pythagoras animū cēsuit esse per naturas rerum omnes intentū, & commeantē: & utinam tā bene in se quàm in aliis uidisset. Pythag. Xenophanes (mente adiuncta) omne quod esset, deum uoluit esse. Xenop. Parmenides cōmentitiū quiddam coronæ simile efficit, & Stephanē appellat: cōtinentē ardorem, & lucis orbē, qui cingit cœlum: & hunc deum appellat. Parme. Empedocles multa alia peccans in deorum opinione turpißime labitur: Quatuor enim naturas, ex quibus omnia constare censet, diuinas esse uult: quas & nasci, & extingui perspicuum est. Emped. Protagoras omnino sese negat, quid de Deis Protag.

Democ. loquatur, scire. Democritus imagines, earúmq; circuitus in deorum numero refert. Sed cum neget quicquã esse sempiternum (quia nihil suo statu semper maneat) nonne deũ omnino tollit, & nullam opinionẽ de eo relinquit? Epicurus qui Democriti fontibus hortulos suos irrigauit, cogitabat Deum forma humana circũamictum: eo quòd ea pulcherrima omnium sit, & sola rationi & menti conueniens: Quẽ Cicero longis disputationibus destruit: & pluribus facetiis sugillat. Aristoteles multa turbat à magistro uno Platone dissentiens: modo enim mẽti tribuit diuinitatem, modo mundum ipsum Deum esse dicit, modo alium quendam præficit mundo, eiq; eas partes tribuit, ut replicatione quadã mũdi modũ regat, & tueatur. Tum cœli ardorem Deum esse dicit non intelligens cœlũ mundi esse partem, quẽ alio loco designat Deum. Xenocrates deos octo esse dicit: quinque qui in stellis uagis nominantur: Vnũ qui ex aliis syderibus quasi ex dispersis membris, Septimũ Solem, Octauúmque Lunam. Theophrastus inconstantia quadam modo menti diuinum tribuit principatum, modo cœlo, tum autem signis, syderibúsque cœlestibus. Strato philosophicus omnem uim diuinã in natura sitã esse censet: quæ causas gignendi, augendi, minuẽdiq; habeat: sed careat omni sensu & figura. Zeno legem naturalẽ Deũ esse censet. eámque uim obtinere recta imperantem, prohibentémque contraria. Et alibi æthera Deũ dicit: Et aliis locis rationẽ quandã per omniũ naturam rerũ diffusam. Cuius discipulus Aristo formam Dei intelligi non posse ait dubitans omnino, an deus sit animãs, nec ne. Cleãtes Zenonis etiã auditor nunc mundum Deum dicit esse nunc mentem, & hoc ultimum, & altissimum undique circunfusum, & extremum omnia cingentem atq; cõplexũ ardorem (qui æther nominatur) certissimũ Deũ iudicat. Perseus alius eius auditor res utiles, & salutares deorum esse uocabulis nuncupatas. Plato Asomaton id, quale esse possit intelligi non potest. Xenophon quasi in idem ueniens Socratem retulit disputantem, formã dei quæri non oportere. Antisthenes populares deos multos, naturalem unum esse dicit. Plato quoq; cũ Hermogene disserens ait: per Iouem Hermogenes (si mente haberemus præcipuum rectitudinis modum) constitueremus nobiscum fateri, nihil nos de Diis cognoscere: neque de ipsis quidem, neque de ipsorum nominibus, quibus ipsi se uocant: constat enim illos quidem ueris se nominibus nuncupare. Opificem tamen ipsum fatetur cum suis academicis, genitorémque uniuersi: Et hi (ut Augustinus ait) nostris sapiẽtibus uiciniores, quorum fontibus non dedignati sunt irrigari. Sequũtur alij lõgioribus quidem passibus. Speusippus Platonem auunculum sequẽs uim quãdam deum dicit, qua omnia regantur, tanquam animalem. Ex eadem schola Heraclides ponticus puerilibus fabulis respersit libros, modo mũdum, modo mẽtem Deum esse dicens, errantibúsque stellis diuinitatem tribuit. Chrysippus, qui Stoicorum Somniorum ueterrimus habetur interpres, magnam turbam cõgregat ignotorũ deorum: conatúrq; in ij. lib. ubi de natura deorum agit, Orphei, Musæi, Hesiodi, Homerique fabellas accõmodare ad ea, quæ antea de immor-

Marginal notes: Epicurus; Cicero; Aristote.; Xenocr.; Theoph.; Strato; Zeno; Aristo; Cleantes; Perseus; Plato; Xenop.; Antisthe.; Plato; August.; Speusip.; Heracli.; Chrysip.; Diog. ba.

talibus diis dixerat. Quē sequens Diogenes Babylonius, de Minerua & partu Iouis, ortúque Virginis multa somniat. Ciceronis Cotta omnes de diis loquē- Cotta
tes redarguere, & suggillare uidetur: & ꝑ tot fluctus nauigat eius cymba, ut quasi mersus ad aridam omisso pelago, desperatóque portu, pene naufragatus contendat concludens deos naturas obscuras, difficiléśque explicatus habens. Omittā, quæ absurdiora poëtarum uocibus fusa, ipsa suauitate nocuerunt: qui & ira inflammatos, & libidine furentes induxerunt deos, fecerúntque ut eorū prælia, & uulnera uideremus: Odia præterea, dissidia, ortus, interitus, querelas, lamentationes effusas, in omni intemperantia libidines, adulteria, uincula, cū humano genere concubitus, iurgia, odia, & huiusmodi insanias multas. Sed & ad tantā insaniam deuenerunt multi: ut Deos quos adorarent, manibus propriis confingerēt: Vt de Aegyptiis Hermes Trismegistus ait. Sic fecere Assyrij, qui- Hermes Assyrii
bus statua Beli à filio Nino cōstructa (ut quibusdā placet) præbuit causam idolatrādi: Quē æmulati Moabitæ, Palestini, & populi multi, & ipsi suas ꝓ libito Moab. Palesti.
cōfingebāt statuas: & sibi aras erigebāt: suíq; idiomatis uocabulo nominabant.

Et si quid sit Deus intelligere non possumus, tamen Deum esse & oraculis, & ratione, & consensu omnium edocemur. Cap. III.

De Deo itaque loquentes illud Dionysii obseruandum censemus, quo ait: Tā- Diony.
tum uidelicet fas esse ad celsiora conscendere: quantum seipsum diuinorū eloquiorum radius insinuare dignabitur: Comparandásq; esse uires ad diuinos illos fulgores hauriendos: debere insuper à nobis innocue diuina, sobrie, pie, & caste uereri: ne si naturali indagatione procedere uoluerimus, in uarios incidamus errores: sicuti illi, quos supra memorauimus sapientes sæculi. Aut eue- Simon.
niat illud Simonidis, quem satis Aristoteles, & Cicero celebrat, qui ab Hiero- Aristo. Cicero
ne tyranno requisitus, quid esset Deus, unius diei spatium postulauit: Et sequen Hyero.
ti die rediens, cum interrogaretur, biduum Simonides petiit. Tum crebrius tyranno petente, semper Simonides dierum numerum duplicabat. Sed interroganti Hieroni cur hoc faceret, respondit: quia quanto diutius considero, tanto res uidetur obscurior: quia lucem inhabitat inaccessibilem humanis ingeniis. Hinc protestatur cœlestis doctor in Euangelio, cui titulus est secundum Matthæum, Christus
dicens: Nemo nouit filium nisi pater: neque patrem quis nouit, nisi filius: & cui Diony.
uoluerit filius reuelare. De hac igitur supersubstantiali, sacratissimáq; (ut Ariopagita prosequitur) neque dicere quicquam, neque cogitare præsumendum est aliter quàm sacra eloquia pie admodum, castéque tradiderunt. Ab his igitur sacratissimis sermonibus aliqua habemus: in quæ philosophorum nonnulli expeditis pedibus ueniunt. Aliqua uerò, quæ cū non attingere possint, aut non admittunt, aut ea subterfugiunt, aut tanquam dubia intacta relinquunt Quorum singula pertractantes, sic ea proponemus: ut pij æquis auribus admittant: Impij autem, & si non admittere, saltem respuere nequeant. Hi quippe in primo genere impietatis à Porphyrio Iamblico, & Proculo collocātur, qui negāt Deū Por. Ia. Procul.

esse. Quibus explosis potius quàm confutatis (qui confutatione digni nõ possunt à sapientibus haberi) procedemus. In primis (ut tradunt nobis diuina oracula) Deum esse præsupponamus: à quo nullus philosophorum dissentit, nec mortalium quispiam, nisi in eam sortem ueniat: de qua sapientissime canit Propheta. Dixit insipiens (inquit) in corde suo non est Deus: & perbelle insipientes dicuntur, qui negant ipsum Deum, cum omnis ratio dictet, omnéque lumen mortalibus tributum doceat Deum esse. Nam creata omnia, quorũ proprium est depẽdere ab alio, docent aliquid esse, à quo ipsa sint: & illud à nullo, ne in infinitũ fiat progressus. Et quæ mouentur concludunt unum esse, à quo omnia mouentur: qui nec ab alio moueatur: ut bene Aristoteles procedit in calce sui libri de Physico auditu. Et illud perfectum est, nullius indigẽs: quod est Deus, siue principium, siue fons & origo omnium, siue summũ, aut infinitum, siue illud quo maius excogitari non potest, siue primum mouens, siue prima causa, aut illud quod est à se, aut Archetypus, & omnia cõtinens, uel quouis alio dicatur nomine, ipse est Deus. Quẽ qui negat, nõ minus, teste Auicena, indiget ratione, quàm sensu indigeat, qui negat niuem esse albam. Nam ut Plato in suo de legibus ait: Terra, Sol, Sydera, ipsúmq; uniuersum, temporum quoque uarietas ornatissima, annis, mensibúsque distincta deum esse ostendunt. Græcorum præterea, Barbarorúmque omnium consensus in id conuenit: Quod percurrens Marcus Tul. ait: Quid enim potest esse tam apertum, atque conspicuũ, cum cœlũ suspexerimus, cœlestiáque contemplati simus, quàm esse aliquod numen præstanti acumine mẽtis, quo hæc regantur? Quæ enim gens est, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quandam dei, quam appellant prolepsim? Ex illo enim cœlesti Epicuri de regula, & iudicio, uolumine accepimus esse anteceptam animæ rationi quandam informationem, quam hic intelligimus: in quo omniũ natura consentit deum esse: & ipsum mundum regere: Quibus annectit præclarũ facinus Atheniẽsiũ, qui Pythagoræ sophistæ librũ, in cuius principio, an Deus sit dubitare uidetur, cõbusserunt, ipso de urbe atq; agro expulso. Sed Eusebius ulterius progrediens, dicit: De Deo dubitare nõ possumus, cũ natura, immo diuinitus omnibus insitum sit, Deum esse uerum omnium rerum creatorẽ.

Dauid | Aristo. | Auicena | Plato | Cicero | Epicuri | Pythag. | Eusebius

Quomodo per creatarum rerũ uestigiũ, aut imaginẽ: & eorũ cõsonantiã cũ Archetypo deuenire possumus in cognitionem eius fœcũditatis. Cap. IIII.

VT illam diuinissimam fœcunditatem, quæ umbratice in omni eius fabreficio inuenitur, ex his quæ præ manibus habemus domestica, apprehendere possimus, singula saltem adumbranda sunt: cum nihil in rerum natura sit (teste Mercurio) quod non aliquam præ se ferat diuinitatis imaginem. Omnia nãque uiuẽtia penes seipsa prolem suam gignunt: & concine producẽdo in propatulo, quod in penetralibus conceperunt, summi opificis laudes uoce quadam sua depromũt. Ad quos hymnos, & pueri in fornace Babylonica expurgati, & Dauid cum hymnis suis finem imponeret, omnia inuitat. Arbores enim & plantæ cum bro-

Mercu.

cos suos, aut gemmas producunt, semen quasi fœtum in eorum corpore generãt. Cum autem fructus reddunt, quasi quodam partu Deum sua uoce collaudant. Coagulantur grandines, & niues in aëre, præparantúrque pluuiæ in nubibus, & tunc fit eorum conceptus: cum autem in terram descendunt, quasi completa fœtura, & ipsa benedicunt opificem. Gignunt animalia meliorem fœturã. Sed cum in lucem producunt, & ipsa in Dei laudem prorumpunt. Sensitiua etiam uirtus in se simulachrum, & intentionem faciendorum concipit, postea membra mouendo in opus, quæ cõceperat parit. Qui Phantasiæ fœtus propinquior est animæ, quàm uegetatiuæ, quæ tantum in corpore fit: Ideo expreßius diuinæ mẽtis fœtum ostendit. Sic anima rationalis cum accipit à phantastica uim, quæ debita prudentia faciunda metitur omnia, prius in mẽte fabricando exemplar eorum, quasi fœtum in eadem mente producit: quem parit extrinsecus: Vbi quod est in mente excogitatum, in propriam figuram, aut formam conducit. Quæ excogitatio, tanquam uita operatrix exprimit (teste Augustino) creatricem uitam diuinam, in qua omnia præexistebant, antequam in formas proprias explicarẽtur. Opus autem fabricam opificis demonstrat: Quæ consonanti ordine conducta, in opificis ipsius cui in operando aßimilatur, laudem concinit. Alius est etiam rationalis uitæ fœtus huic cõsimilis, ratio uidelicet atq; discursus, qui formatus in mente ab ea re quam scimus, uerbum ab eodem Augustino nominatur. Qui fœtus uterque propinquior est animæ quàm phantasiæ, aut uegetatiuæ cõceptus, quia rationalis uis in intellectionem suam, & per illam in seipsam reflectitur. Quibus succedit amor sanctus, & liber: quod non efficit Phãtasia. Prolem autem hanc in propatulo parit: quando sonanti uerbo, quod conceperat, manifestat. Sed cum Angelicus status perfectior sit, quàm illorum qui adhuc in stadio pugnant, excellentiorem parit conceptum, nulla intercapedine mutatum: quem pariens prolatu quodam in dei laudes continue perseuerat. Ex quibus omnibus in opifice, cuius simulachrum tenent, omnia gradibus suis contemplamur: & uerbi: & creaturarum conceptum in ideali uita. Propalat autem uerbum essentiale, cum in sacra pagina manifestat: & uerbum ideale, quãdo quæ fabricauerat in mente, elucescere facit in opere. Quod est quoddã dicere, & manifestare, quæ concepta sunt. Hinc Moses, & Dauid, quorum alter arcana Dei scripsit, alter decantauit, omnia declarant uerbo producta.

Augu.; Idem; Moses Dauid

Quod deus sit omnium rerum, & numerorum fœcunditate plenus: ut poßit omnia consonantißime producere. Cap. V.

ELementa, principiáque naturæ, pulchrum quoque mundum totum emanasse affirmat Mercurius, ab eo qui est & omnium rerum, & utriúsque sexus fœcunditate plenißimus uim totam continens generandi absque alicuius extrarij adminiculo. Hinc à Poëtis Pan. (quod totum significat) dicitur: quem solem esse Archades existimantes adorabant. Est quippe uerus sol, non hic cœlestis, sed supramundanus, & diuinus. Et si licet prosequi, quæ de hoc Pane finxit

Merc.; Poetę

antiquitas: quæ diuina mysteria semper sub ænigmatibus tradebat, percurremus etiam eius typicam picturam. Cornua primo in capite locabant, denotantes regnũ, quod in superioribus, infernisque tenet: Cornu enim pro regno etiam apud eos, qui sacra nostra scripsere, acceptum Hieronymus in oratione Abacuc longa serie probat. Barba uerò prolixa radios lucis, aut diuinæ suæ uirtutis, usque ad ima protensa prætendebat. Pars inferior hispida propter arbores, uirgulta, montes, saxa, & feras: Superior uerò leuis: Vnde & super baranab, id est, planities equitare dicitur: quod traductio nostra habet occasum. Sonat fistula septem calamorum, id est septem planetarum harmonia in qua sunt septiformes soni, qui diapason consummatam uidelicet consonantiam complent. Virga in manibus est potestas, qua cuncta moderatur: ridentem eum fingebant, eius sempiternam fœlicitatem innuentes. Delitiarique asserebant in echo, quæ est uox emissa in concauis, uel obiectis dispositis quibunscunque resonans: Vox enim uerbũ, & mẽtis conceptũ exprimit: Ideo uoce uel dicto Deus mũdũ, & omnia eius mẽbra fabricauit, uocéque gubernat imperitando. Amorẽ etiam ergo nos pluribus clamoribus manifestat: Reciproco uerò amore (qui est resonans echo) delitiatur. Et hæ sunt delitiæ, quas habet cum filiis hominum. Nebridem stellatam in pectore gerebat: quia omnium stellarum concursum, atque uim unica pelle, unicóque actu, aut nutu continet. Sed quem Poëtæ Pan. id est, totum, omniáque continentem dicebant, Philosophi causam primam, & omniũ causarũ principiũ uocauere dans omnibus causis, ut influant: quia quicquid agit causa secunda, agit in uirtute primæ magis influentis quàm secunda, inquit Proculus. Et esto quòd causa secundaria etiam uniuersalis ammoueat à re uim, quam præstitit, prima minime remouet: & infra dicit: Omnia habere essentiam à primo ente, & prima causa, & uiuere à prima uita: immediatéq; à prima, & summa intelligentia: Quæ sit omnium fœcunda eorum, quæ alij præstãt, necesse est. Estq; in seipso summe fœlix, & beatus: Sed Beatitudo (ut diffinit Speusippus) est bonum ex bonis omnibus accumulatum. Beatus autem est, qui nullo indiget, & qui habet quicquid uult: si bene docet Augustinus, Boetius, & Plato. Nihil ergo deest illi qui omnia continet, tanquam uera omnium sphæra: ut dixit Hermes. Et cum nihil sit extra sphæram mundi: sic nihil extra diuinũ ambitum, qui omnia complectitur: cui est illud inexplicabile nomen, ubi literæ omnes numeros circulares continent, decem uidelicet, quinque, & sex, attestãtes singulæ uerissimam esse sphæram, quod nominant, omnia ambitu suo continentem. Quarum etiã literarum significata idem innuunt: Ioth enim scientia, uel principium interpretatur: ה He esse: ו Vau & ipsum: in quo omnia uidelicet quiescunt: ut sit ipse principium omniũ essentiarum præstans omnibus ut sint, esséque ipsum est prima rerum creatarum, ut Proculus docet. Ideo à prima causa emanat, cui soli dare ipsum esse attribuitur. Ideo alibi concludit aperto ore, omnia procedere ab una causa: Quæ omniũ primo ut grauida sit, necesse est: si uera est Pe-

Margin notes: Hiero. · Poëtę · Philo. · Procul. · Speusi. · August. · Boetius · Plato · Hermes · Procul. · Peripa.

ripateticorum sententia: Nemo dat quod non habet. Nec aliquid natura producitur, aut fabricatur arte, nisi illud prius in fabricante praeexistat. Generatur animal, aut homo ex seminaria uirtute, qua genitum cõtinebat: & ex semine generatur herba quae praeerat in semine potentia (ut dicunt Peripatetici) aut uirtute aliqua. Hinc sapientißimus philosophus Moses cum de plantis producendis ageret, inquit: Cuius uidelicet plantae semen sit in ea, id est, uirtus seminaria ad aliam plantam producendã. Extat & in artificis mente fabrica idealis, ex qua conducit extrariam: ut longo sermone disserit Augustinus interpretando illud Ioannis, quod factum est, in ipso uita erat, Vita utique creatrix, & idea omnium rerum faciendarum. Quia sicut artificium uiuit in artificis mente, antequam conducatur: sic uiuebat mundus in mente illa diuina, antequam deduceretur in opus. Continet insuper omnem numerum existens ipse uera unitas: quae principium, & radix omniũ est numerorũ, dans omnibus, ut numerentur. Omnis enim multitudo (ut idẽ Proculus ait in theorematibus theologicis) est ab uno. Nec aliquid esset unum, simul cum aliis multitudinem faciens (ut ibi prosequitur) nisi per unius participationem unitatem sibi cõpararet. Quod unũ, & antiquißimum nemo ambigit Deum esse, qui antequam peculiarem unitatem rebus inferioribus communicaret, in primum numerum se diffudit: Et hinc in denariũ (si Hebraeorum theologiam admittimus) tanquam in decem ideas, & mensuras omnium numerorum, & rerum omnium faciendarum: hac de causa ulterior numerus dari nequit, quamuis Aristoteles alias rationes multigenas aßignare conetur. Qui denarius coaceruatus in unum reddit, à quo exordium habuit: ut sit denarius numerorum finis, & complementum, & principium decadum. Quem numerorum seriem omnia tanquam uerum exemplar imitando, ad illud unum redire contendunt, unde processerunt: Vt aliquantulum progressus noster Proculus subinfert, dicens: quod omnis ordo ab unitate incipiens procedit in multitudinem unitati coelementalem: & ipsa ordinis multitudo tandem ad unitatem reducitur. Et omnia quae sub globo lunari sunt, per hominem tanquam per decimum genus eorum, quae sunt corruptioni subiecta: Et coeli nouem per decimum coelum: quod empyreum dicunt: & nouem Angelorum ordines per suam decadem in primariam unitatem restituuntur: Quae suo loco Latius disseremus.

Moses · August. · Ioan. · Procul. · Hebrei. · Aristote. · Procul.

Quod Deus sit unus. Cap. VI.

DEum unum esse, habemus legiferum diuino oraculo intonantem. Audi Israel, tu uidelicet qui Deum principem habes (sic enim Israel interpretatur) Dominus Deus tuus Deus unus est. Et iterũ introducit ipsum ad populum protestantem: Videte quòd ego sum solus: & non est alius praeter me. Cum quo eius, imo legis occentor conuenit, dicens: Non est Deus praeter Dominum, & non est Deus praeter Deũ nostrum. Cum qua ueritate conueniũt omnes sapientes. Abraham ob unius Dei confeßionem,

Moses · Dauid

in ur.id est,fornacem à Chaldeis proiectus est, & illæsus euasit: unde summo fauore prosequutus est eum Deus, pro cuius solius gloria non recusauit mortẽ subire. Pro hac ueritate asserenda Socrates & carceres, & mortem sustinuit:
Apule. Aug.Ge. ut Apuleius, & Aulus Gellius attestantur: nulla tamen sibi gratia cõparata, eo quòd sponte ueneno suscepto sibi mortem intulit cõtra edictum illius Dei, quem unicum profitebatur: qui uetat omnino & sibi, & aliis quempiam inferre
Pl. Tris. Auic. mortem. Probat Plato in Timæo Trismegistum æmulatus: quòd Deus mundi exemplar sit unus: eo quòd mundus unus est. Constanter asseuerat Auicena Impoßibile esse duo à se necessaria. Nec aliud habet à se, ut necessario sit, nisi Deus. Aristoteles Homeri sententiam celebrat: Non est bona multitudo numinum: Vnus ergo Princeps, & Deus. Ille enim Vlixem sic concionantem decantat. O Achiui non est bonus pluriũ principatus: Vnus ergo Rex sit. Hinc de humano ad diuinum principatum conscendens, per analogiam quandam concludit necessariam unitatem principis diuini sicut & terreni, qui diuini simulachrum
Hiero. gerit. Quomodo procedit Hieronymus cum rustico suo differens. In apibus (inquit) unus princeps. Grues omnes sequuntur unam ordine literario: Imperator unus, Vnus prouinciæ iudex: In naui gubernator unus: & in mundana fabrica unus Opifex, unus moderator. Vnde omnes sapientes contemplantes picturas, & formas uarias huius mundanæ domus, unam tantum eorum causam, & pri-
Nico. & Boetius. Pro.Pyt. Eusebius mam arbitrati sunt: ut Nicomachus, & post eum Boetius, & Proculus in eo, quem de causis scripsit, & in theorematibus docto, & compendioso sermone demonstrat. Pythagoras (ut Eusebius refert) unitatem Deum esse dicebat, & bonum, & intellectum: dualitatem uerò dæmonem, ac malum, in qua materialis
Plato est multitudo. Adstipulatur Plato in epistola ad Dionysium. Cum studio, & ex sententia (inquit) scribimus animi: Deus principium epistolæ præbet. Si secus autem, non Deus, sed Dij: concludens omnia bona ab uno, malum autem à mul-
Cicero titudine confusa. Nec potest (inquit Cicero) omnibus intercontinentibus mundi partibus esse perfectio ordinis: nisi ex uno, & diuino, & continuato spiritu cõtinerentur. Nec aliquis de sapientibus aliquando opinatus est adorandum esse nisi unicum Deum: qui est principium uitæ, & dator omnium bonorum: Cui soli
Procul. Por. Iãb. Pla.Pyt. Aristo. Christus hunc mundum regenti preces dirigendas docet Proculus, Porphyrius, Iamblicus, Plato, Pythagoras, Aristoteles & posteri omnes. Sed sacræ literæ super omnes hoc dogmate respersæ sunt. Sic Christus instruxit nos: ut orationẽ in pri
Moses. mum dirigemus, dicens: Cum oraueritis dicite Pater noster De quo & Moses: Nunquid non ipse pater tuus, possessor tuus? Qui à Poëtis quoq; Pater omnipotens dicitur, Primus fons, & origo omnium: A quo quædam numina sunt, & mi
Sopho. nistræ potestates eius, ut Sophocles distiche iambico canit.

In ueritate solus unus est Deus:
Qui cælum hoc, & terram capacem condidit.

Quem Euripides Iouem præcipit nominandum: Per cuius caput Orpheus ceci-

nit, uniuersa in lucem processisse. Cæteras autem potestates ministras esse censendas, quæ extra Deum sunt: & ab ipso separatæ. Hinc ipsi Dei ministri, intelligentiæ separatæ à philosophis, & à sapientibus Hebræis dicuntur. In Deo autem esse quædam numina non ambigimus, quæ nostri uocant attributa: sapiẽtiam quam antiqui Palladem nominarunt: Intelligentiam, aut solertem discursum, Mercurium: Sempiteruum, Saturnum: Formæ fœturam, Neptunũ: qui uirtus aquarum est, de quibus dicitur. Producant aquæ serpituram animæ uiuentis (ut uerba Hebraica sequamur) Naturam rerum secretam, Iunonem, Amorem, Venerem, Lucidam uitam, Solem, aut Apollinem, & cætera id genus: quæ uulgus opinabatur plures esse Deos: quod alienum fuisse ab omnibus sapientibus Cicero in libro, quem ædidit de natura Deorũ asserit: Plinius autẽ socordiam quandam dicit, innumeros existimare Deos: & opinari matrimonia inter eos contrahi, tantóque æuo ex his neminẽ nasci: & alios esse grandæuos, sempérque canos: alios iuuenes, atque pueros: atri coloris, aligeros, ouo æditos, puerilium fere deliramentorum est. Sed super omnem impudentiam, adulteria inter ipsos fingi, mox iurgia, & odia, atque etiam furtorum esse & scelerum numina: quæ bene utique confutat. Docet autem nõ nimus impie, quàm indocte de Deo: cum de ipso sine eius lumine rite effari non possimus. Quo lumine collustrati theologi nostri, confidentius de ipso loquuntur: & eius unitatem citra omnem solutionem comprobant: quia infinitum aliud secum stare minime patitur, nec mente, nec uelle, nec potentia, nec bonitate, nec essentia, quæ legenda relinquo ubi ab eis copiosissime tractata sunt. Addunt etiam de uirtute qua omnia potest: Vnde si essent duo, posset unus destruere, quæ alius fabricauit: & si non posset, non esset Deus: qui omnipotens est. Et progressi ratiocinantur, quoniam uterque utroque frueretur: cum essent summe fruibiles, & nolẽs frui peccaret: Fruẽs autem aliquid acciperet ab alio, tanquam imperfectus: & sic Deus perfectissimus esset imperfectus: & adhuc ultra. Si duo, uter illorum hanc machinam fabricauit? Et uter illorum ipsam moderatur? Et si qui fecit, ipse & regit, quid alter facit? Si uerò unus fecit, altérque gubernat, quomodo intrauit gubernator in domum non suam? Ex ordine igitur, & moderamine concludamus cum Dionysio, Platone, cum ueris philosophis, Astronomísque omnibus tantarũ rerum sibi inuicem conuenientium opificem eundem, & rectorem: qui est omniũ artifex, omnem habens uirtutem, omnia prospiciens.

[Margin: Cicero; Theol.; Dionys. Plato Philo. Astro.]

Quod fœcundissima mens illa prima, quæ Deus dicitur, ad intra extráq; produxerit. Cap. VII.



EX his conditis imaginibus manuducti ad diuinam mentem eminẽtissimam, omniúmque fæcundissimam, eius lumine collustrati uidebimus prolem sui simillimam, qui est uera imago Patris: quã in se primo generat unico, & nunquam interrupto actu: quo semper absque aliqua interiectione, aut uicissitudine se intelligit summum per essentiam bonũ.

Vnde resultat proles, quæ est plena intelligentia, plena sui imago, & plenum
Io. Mer. Plato Orph. mundi exemplar. Quam prolem Ioannes, & Mercurius uerbum nominarunt: Plato Dei Patris filium: Orpheus uerò palladem, id est sapientiam ex Iouis capite natam. Ex qua plena intelligentia suæ bonitatis summæ amor producitur ligans intelligentiam cum mente, & eò amplius, quanto immensa proportione sibi intimior est, quàm aliæ proles cum eorum parentibus. Hinc est exactissima parentis imago, quadam tamen resolutione, aut aliquo intrinseco absoluto, tanquam genita distincta à generante. Et nisi esset in Prototypo illo summo generatio, non esset in creatis generationis imago: Nec dedisset sterilis, & absque
Isaias fœtu suis rebus fœcunditatem: ut per Isaiam de incredulis quadam impatientia conqueritur dicens: Ego qui cæteris generationem tribuo, sterilis ero? Est ergo
Ricar. in summo opifice germen, atque fœcunditas: Quia & si extat (ait Ricardus) iucundissime fœlix, uoluit tamen ex insita bonitate, mens illa fœlicissima hanc suam prolem palam producere construendo fabricam eius imagine plenam: In qua ordinata graduum serie se diffundens aliquos suæ propagationis, & fœlicitatis capaces effecit: Quorum alios momentanea tãtum subiectione, alios autem prolixiori pugna statuit suæ fœlicitatis participes fieri, cuicunque debitas mansiones assignans. Sed quia illi debebant paulo post rerum creatorem impugnare, non assignauit eis peregrinationis hospitia, aut alium instantaneæ pugnæ campum quàm triumphi palatium. Mortalibus autem (quibus longum cum diuersis hostibus indixerat bellũ) dedit lat.. certaminis spatia, & hospitia opportuna. Et quia uniti cum alterabili & defectibili natura, de pabulis, & fomentis, quibus uitæ cursum ad debitum finem traherẽt, prouidere curauit. Quæ omnia opportuno tempore præparanda, elementis, & cœlis, tanquam obedientissimis ministris commisit, iubens & ad ipsius hospitis uoluptatem extendi campos, subsistere ualles, fronde tegi syluas, lapidosos surgere montes: Et cætera id genus: quæ potius ad decorem, & ornatum, quàm ad necessitatem ordinata cõspicimus: Vt ab his delectationibus, quas in huiusmodi seruitutis hospitiis sentiret hospes, ad excogitanda fercula illa exquisitissima, quæ in triumphali aula sunt præparata, conscenderet. Cognoscebat enim infœlicitatem huius corporei carceris: in quo bona illa absolutissima ab omni degenerante materia nõ possunt nisi per sensibilia excogitari, nisi particulari lumine reuelentur. Ideo summo artificio disposuit rerum illarum cælestium harmonicas imagines: ut per has facile abducto ignorantiæ, aut peccati uelamine ad cœlestia ipsa traheremur:
Orige. & ex pulchritudine operum, & decore creaturarum (ut Origenes in Periarchon scribit) parentem uniuersi intelligamus. Id maxime, cum proprior imaginis ratio in homine reperiatur: qui diuinæ mentis solus inter mortalia (ut dicunt
Platoni Platonici) habet simulacbrũ. Hominis autem simulacbrũ animal tenet: Animalis Zoophytum: Zoophyti autem planta: Plantæ uerò metalla: Metallorum lapides. Et quia inferiora ab homine imperfectam continent Dei imaginem, di-

cunt Catholici Sapiētes illa omnia tenere Dei uestigium, per quod imperfectius deiformem speciem repræsentant: Vnumquódque magis & minus secundum distributam ipsis perfectionem. Sunt enim elementorum, & mixtorum formæ tenuissima summi boni simulachra. Viuentia uerò, cæli, & sydera maximè Sol, ad secretiora cōtemplanda deducunt. Rationales uerò mentes tanquam supremus imaginum gradus, intima penetralia introeuntes, ad eum contēplationis gradum deueniunt, quo in thalamum præparatum aliquando intrent: imo seipsos habitaculum, & templum Dei constituant ubi uerum sympo sium omnibus musicalibus concentibus celebratur. Catholi.

Quòd Deus mundum fabricauerit. Cap. VIII.



Nter ea, quæ latent humana ingenia, & naturales transcendunt discursus, est mundi genitura: an sit, si de nouo fuerit, & si necessario, an libera quadam mentis diuinæ affluentia. Hinc sapientes sunt in uarias partes dissecti. Aristoteles cum ea turba, quæ non admittunt nisi quæ propriis uiribus, súoque ingenio inuestigare ualent: unde, & cur hæc genitura fuerit intelligere nequiens, ipsam aspernatur: Platonēque ingratus discipulus falsò criminatur, quòd ipse solus mundum generat. Sed Plato ipse cum cæteris sapientibus meliori lumine collustratis mundi fabricam profitetur: & hanc consonantissimam, numerísque plenissimis dispositam: sub quorum uelamine, & obscuris recedentium sensuum indiciis mundi sacramenta nondum bene initiatis occultauit. satius existimans doctè retexere, quæ per diuina oracula accepta sint: quàm frustra suo ingenio elaborare, ut ea apprehendat, quæ captum fugiunt rationalis discursus: & tantum mente pura, læta, & festiua consonantia suscipiuntur. Hinc Mercurius mentem complexus, hæc penetralia introducens mundi fabricam, & gubernatorum eius, & compositorum omnium, & ex elementis deorsum tendentibus purum naturæ artificium, unitum tamen opificis menti, paucis uerbis in suo Pymandro innuit. Quæ elementa præiacta docet sola Dei uoluntate in deteriorem notam, quàm in opifice præexistant. Empedocles autem Agrigentinus, & Heraclitus Ephesius non semel, sed continuè mundum generari, & corrumpi asserunt. Quod secundum partes, aut renouationem quandam non collustratis occlusam, posset in gremio ueritatis admitti. Democritus uerò mundum genitum docet: & interiturum semel: & nunquam ulterius reparatum iri. Hesiodus etiam & Orpheus mundum progenitum decantant. Thales ex septem sapientibus unus orbem hunc Dei facturam asserit. Pythagoras, & eius interpres Hierocles Deum opificem, & patrem rerum profitetur. Consentit Auicenna Arabs, Algazel Saracenus, Philon non minus doctrina quàm Græca facundia celeberrimus, Alcinous Platonicus, qui ait: Mūdū hunc uniuersum pulcherrimū opificiū Dei necesse est esse. Et multi posteri, quos lōgū esset retexere. Vnde nō solus Plato mūdū generat, sed ipse cū multis generatū testatur. Externis autē omissis deueniamus ad eos,

Aristo. Plato. Mercu. Emped. Heracli. Democ. Hesiod. Orph. Thales. Pythag. Hiero. Auicena Algazel Philo. Alcinous Plato

Moses. qui non ea, quæ imaginantur, sed quæ uiderunt, & quæ à diuinis oraculis acceperunt, docent. Moses enim Theologorum pater, & philosophantium magister præcipuus, In principio, inquit, creauit Deus cœlum, & terram, & cætera quæ sequuntur. Cui Deo plenissimo, sanctóque uegetato numine, qui multis locis probat ea, quæ dixit, magis credendum est quàm Aristoteli: qui nec rationibus, nec miraculis, nec oraculis sua huiusmodi ludicra confirmat. Loci autem, quibus Moses corroborat ea quæ docet, sunt: Miracula, portenta, oracula, uaticinia. Cõsensus partium totius dogmatis, grauis authoritas eorum, qui eius doctrinam confirmant, & interpretando approbant. Miracula in propatulo sunt. Virga in colubrum, & coluber iterum in uirgam transmutatur. Vertit aquas in sanguinem. Ranæ, Muscæ, & Cyniphices, aut Pediculi (ut apud Hebræos habetur) ad homines, & iumenta perurgenda aduocati ueniunt. In quo cessarunt Magi Memphitici: quia non potuerunt ipsi nec ab eis aduocati dæmones producere pediculorum materiam: quæ est humanus sudor, aut humor excalefactus: cum solius Dei sit subiectum creare. Ideo professi sunt, quòd digitus & uirtus Dei inibi erat de nouo producens: Quod uirga Aaron, & Mosi deuorans eorum baculos iam indicauerat, præstigia uidelicet inferiorum spirituum, & uirtutem deuorandam à uirtute Dei, quæ in Aaron Moséque operabatur. Locusta insuper & Brucus, & ignis cum grandine fluit: Vesica & tabe resoluuntur corpora: Primogenitum omne ab homine usque ad pecus magno sacramento interiit. Deducẽs autẽ suos israëliticos mare aperuit: Aquã de petra, coturnices de cœlo, fulgura, nebulam per diem, columnam ignis per noctem, caliginem, & ex ipsa Dei uiuentis uoce, quæ populum nunc terrebat, nunc consolabatur, deduxit. Clades Ægyptiis, strages subitas male merentibus, ignem arrogantibus, lepram murmuranti immittit: Numerosam turbam ab infirmitate, & eorum uestes à corrosione conseruat: Pascit insuper ipsam cibo cœlesti, & hostium eandem uictricem reddit. Hæc igitur & huiusmodi multa in sui, doctrinæque fauorem summus doctor, qui eum, & nos per ipsam docebat, præstitit. In uerbis etiam suis monstra placauit, clades cessarunt, uenenati curabantur. ut prodigiis huiusce modi lex, & sapientia uitæ, & disciplinæ, quam populum docebat, celebraretur. Oracula uerò non delphici Apollinis, Iouis, aut Palladis, uel fictæ sapientiæ, aut simulatæ diuinitatis, sed ore Dei uiui data sunt: cuius aliquando uoces innumerabilis illa turba præsensit. Et si non credat quis tantummodo Mosi huiuscemodi narrãti, aut plebeis eius referentibus, credant externis sapientibus: qui pro hac ueritate deponunt, Beroso uidelicet Chaldæo, Maineto Ægyptio, Hieronymo Phœnici, Dario regi, Ptolemæo Mendesio, Menandro Ephesio, Nicolao Damasceno, Abideno historico, Estieo, Theodoro, Chorilo, atque Ezechielo poëtis, Demetrio historico, Hecateo Abderitæ philosopho, & aliis multis ultra quadraginta sapientibus à Iosepho, Aristobolo, Tertullia-

Ber. mai. Hie. Da. Ptol. Me. Nic. Abi. Est. The. Ch. Eze. Dé. He. Iose. Ari.

ño, & Eusebio citatis: qui pro ueritate prædictorum mirabilium deponunt. Ter. Euſ.
Veniamus ultra progreſsi ad uaticinia: De quibus Ptolemæus in Fructu, Soli nu Ptolem.
mine afflati prædicunt particularia. Et Iſaias: Annunciate, quæ uentura ſunt, Iſaias
& dicemus, quòd dij eſtis uos. Vnde & ſi Moſes docens, & eius aſſeclæ prophetæ omnes tot particularia Memphitico regi, tribubus illis, principibus, & regibus multis, de ipſis, de ciuitatibus, déque populis eorum uaticinati ſunt, quis dubitet eos ſancto numine afflatos? Quis de falſitate eos criminabitur? Quis
ambiget de eorum doctrina? Legatur Moſi contextus, omnia uaticiniis, & futu Moſes
ris euentibus plena ſunt adeo, ut nihil prætermiſerit eorum, quæ ad ſacramenta philoſophicarum, & diuinarum rerum, futuri Meſsiæ, & omnium quæ ſucceſſura erant, ut ſcientibus legem, & oculis colluſtratis eſt manifeſtum: quæ ſub uelamine (ut ſacramenta illa exquirebant) retexit. Quis enim ſanus hæc poſthabens ad philoſophorum monumenta, nec rationibus, nec oraculis comprobata, nec diuinorum odore reſperſa recurrat? Ea tamen quæ ueri philoſophi docent, & à Moſaïcis inſtitutis non diſcrepant, admittimus. Quæ autem ſola authoritate, aut ſolo excogitatu, nullis rationibus, nulliſque locis munita, contra ea adducunt, quæ ſacris literis continentur, omnino reſpuimus. Si enim authoribus deferre uoluerimus: cui quæſo magis deferẽdũ cenſemus, Ariſtoteli, Alexandro, Auerroi, Epicuro, & ſimilibus, qui ſolum aliqua doctrinæ facula lucẽt, an Moſi, prophetis, Salomoni omnium ſapientiſsimo, Euangeliſtis, Apoſtolis, qui doctrina, ſapientia, moribus, uaticiniis, oraculis, prodigiis, & omnimoda ſanctitate, tanquam ardentiſsimæ faces coruſcant? Qui quod dicunt de diuinis, aſſeuerant, uitæ diſcrimine probant, prodigiiſque confirmant. De humanis uerò Ariſtó. Alexan. Auerrois Epicuro. Moſ. p Sal. Euãs
& inferioribus ſupra homines loquentes, omnia ſecreta ſancti numinis radio
penetrantes, illa poſteris clara luce patefaciunt: De quibus Euſebius ad uer- Euſebius
bum, Philoſophorum errores non à meipſo, ſed contradictione & pugna inter eos mirabili cognoſces, quos quando inter ipſos aut cum aliis comparo, non facilè negauerim illos claros fuiſſe uiros: Quando uerò Hebræorum philoſophis, atque theologis confero, & doctrinam doctrinæ illorum comparo, caduca & friuola omnia, quæ philoſophi excogitarunt, mihi uidentur. Nec mirum: illa diuinitus edita ſunt, hæc humanitus. Hinc qui ſapiẽtiæ delibamenta guſtare uoluerunt, ab eis edoceri (ut ſupra diximus) coacti ſunt. Poſſem etiam in teſtes Moſi Hebraicæqúe doctrinæ citare Apionem Alexandrinum, Porphyrium, Alexandrum polyiſtorem, Eupolemonem, Theophraſtum, libros Sibyllinos, Oracula Apollinæa, Clearchũ peripateticum, Megaſthenem, Strabonem, Iuſtinum, Cornelium tacitum, Demetrium Phalerium, Ecathæũ Abderitam, Orpheum & Solinum. Sed aliorum dicta ſuis locis relinquentes, Porphyrij tantum & Orphei, & Solini de multis pauluſcula adducamus. Porphyrius enim in libro de abſtinentia, Hebræorum religioſos aut uates multis proſequitur laudibus uocans eos philoſophos, & omnibus aliis uatibus & ſanctimoniam profitentibus Ap. Alex. Porph. Al. pol. Euſ. Th. Lib. ſib. Or. ap. Cle. perip. Mega. Str. Iu. Cor. ta. De. ph. Ec. Ab. Or. So. Porphy

Orph. *præponens. Orpheus autem in libro quem de uerbo sacro scripsit, sic (exclusis primo legum & diuinarum rerum contemptoribus) decantat.*

Vnus perfectus Deus est, qui cuncta creauit:
Cuncta fouens, atque ipse ferens super omnia se se,
Qui capitur mente tantum: qui mente uidetur:
Qui nullumque malum mortalibus inuehit unquam:
Quem præter non est alius: tu cuncta uideto
Hic ipsum in terris melius quo cernere possis.
Hic etenim uideo ipsius uestigia: fortem
Nícque manum uideo: uerum ipsum cernere, quis sit,
Nequaquam ualeo, nam nubibus insidet altis.
Nemo illum nisi Chaldæo de sanguine quidam
Progenitus uidit: quem cœlorum aurea sedes
Sublimisque tenet: cuius se dextera tendit
Oceani ad fines: quem de radicibus imis
Concussique tremunt montes: nec pondere quamuis
Immenso sint, ferre queunt: qui culmina cœli
Alta colens: terris nunquam tamen ille sit absens.
Ipse est principium, medium quoque, & exitus idem.
Priscorum nos hæc docuerunt omnia uoces:
Quæ binis tabulis deus olim tradidit illis.

Orpheus *Ecce quàm exerta uoce fatetur Orpheus à tabulis Mosaicis didicisse, quæ decantat de Deo cognito soli Mosi de sanguine Chaldæo progenito: quamuis aliqui opinentur Orpheum decantasse de Noë: Alij de Enoc, Platonici de Zoroaste, qui fuit filius Chan & nepos Noë, ut Didymus ait: uerum ipse Chan filius Noë, si Beroso creditur. Nec enim istis datæ sunt tabulæ, sed Mosi, de quo solo legitur, quòd facie ad faciem cum Deo locutus sit: Quem multi ab eius doctrina edocti æmulantes, sanctæ uitæ se addixerunt: ut prophetæ & qui sapientiam oculis collustratis suscipere affectabant: de quibus Solinus: Interiora Iudææ, quæ occidentem contuentur, Essenæi tenent: qui præditi memorabili disciplina à ritu gentium uniuersarum diuisa maiestatis diuinæ (ut reor) prouidentia ad hunc morem destinati. Nullæ ibi fœminæ: Venere penitus se abdicauerunt, pecuniam nesciunt, palmis uictitant. Nemo ibi nascitur: non tamen deficit hominum multitudo: Locus ipse addictus pudicitiæ est: Ad quẽ plurimi licet undique genitum properent: nullus admittitur, nisi quem castitatis fides, & innocentiæ meritum prosequatur: Nam qui reus est, uel leuis culpæ, quamuis summa ope adipisci ingressum uelit, diuinitus submouetur. De Mosi enim discipulis, & filiis prophetarum & prophetis ipsis loquitur: de quibus & noster Paulus cũ ipsis Hebræis disserẽs ait: Circuierũt in melotis & in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus:*

Margin notes: Didym. (beside "roaste"); Solinus (beside "sapientiam"); Paul. ep. (beside "quibus & noster Paulus")

In solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & cauernis terræ: Qui eo testimonio digni inuenti sunt, cui non immerito credendum censeatur. Sed supra modum admirandum occurrit consentanea cœlestis, diuiníque nuntij doctrina Iesu ueri messiæ, uncti diuinis charismatibus præ omnibus participibus suis: Qui Mosi dogma approbans & admittens, arcana multa à patre habita discipulis reserauit: quæ uulgo sub parabolis, ne daretur sanctum canibus, proposuit. Qui discipuli adeo repleuerunt orbem uniuersum: ut quotquot sapientum paßim sibi nomen uendicant, doctrinam illam amplexentur & uenerentur: in qua tantum numinis, tantúmque diuini luminis splendet, ut facilè omnia excogitata humana transcendat: Hanc, quia nulla sublimior adhuc mortalibus apparuit, nec etiam apparebit: suscipiamus omnes, quibus sapientiæ cura est: Nec expectemus (ut cum Firmiano loquar) donec Socrates aliquid sciat, aut Anaxagoras in tenebris lumen uideat, aut Democritus uirtutem de puteo abstrahat, aut Empedocles dilatet animi sui semitam, aut Archesilaus & Carneades aliquid sentiant, atque percipiant: aut Aristoteles ea probet, quæ sensum effugiunt: Mundi enim genitura non est cum physicis connumeranda speculationibus, ubi Deum habemus opificem, qui fabricando, aut motum præstando stabilis remanet. Sed quæcunque mouendo non mouentur (inquit uester Aristoteles) philosophicam considerationem transcendunt, & ad diuinam scientiam spectant: Quæ orationibus & oraculis impetranda est (inquit Plato) naturalia autem ratione quærenda, & moralia usu cõparanda: Et Salomon omnium sapientißimus, Reperi, inquit, quòd quanto quis magis hæc inuestigauerit, tanto minus inueniet: quia operum Dei nullam potest homo inuenire rationem. Ideo philosophi in huiusmodi conatu operas simul & industriam perdiderunt: quia ueritas & arcanum summi Dei qui fecit omnia (sequitur Firmianus) ingenio & uiribus comprehendi non potest: alioqui nihil inter Deum hominésque distaret, si consilia atque dispositiones maiestatis æternæ cogitatio assequeretur humana. Hinc & ipse Aristoteles Simonidis sententiam celebrat in eo, quòd ait: Solus Deus habet hunc honorem, ut sit metaphysicus: Nam ueritatis uia (ut alibi fatetur) etiam sapientibus est præclusa: ideóque à fonte ueritatis expectanda est. Sed (heu dolendum nimis) euenit multoties quod Iamblicus ait: Vt notitiæ rerum à Deo datæ longo tempore humanis opinionibus confundantur, exiguum diuinitatis & ueritatis retinentes: cum non assentiatur his quæ humanis illabuntur sensibus: qua ueritate recedente subcreuerũt tenebræ: quibus obuoluti, & obcæcati sibi nimis credentes cæcorum duces facti sunt: & in foueam cadentes multos secum falsis argumentationibus, & apparentibus rationibus deduxerunt: De quorum multis uel pauca perstringam: quibus cætera qua uia procedant, dignoscantur.

Lac. Fir. | Aristo. | Plato. | Salomon | Lac. Fir. | Aristo. | Si. poeta | Iambli.

Mundi conditio non dat philosophis, ut concludant contra eius genituram. Cap. IX.



Eripatetici, qui frequentes sunt his temporibus, à suis sensibus non recedentes opinantur nihil stare, aut sciri posse nisi ex sensatis syllogizando probent eadem demonstratione, quam pinxit Aristoteles, sed nusquã in progressu naturali seruauit: cũ omnes suæ deductiones ex præacceptis ab eo procedãt. Sed aliis omissis, ueniamus ad ea, quæ cõtra orbis genituram fortissima prætendunt robora quadrifaria. Sed quid possunt (ut cum Origene loquar) aduersus ueritatem ipsam adducere, quod nõ ineptũ, inualidum, & falsum coarguatur, cum deliramenta quædam proponant, nec ratione subnixa, nec prudenti saltem homine digna? Quæ utique sumus (iuuante Deo) tam facilè euersuri, quàm leuiter illi obiecerunt. Et ut friuola magis omittamus (quamuis omnia quæ adducunt lubrica sint) adducemus primo rationes, quas ex mundi ipsius natura deducunt contra mundi fabricam. Contemplabantur cœlum à contrariis penitus semotum: hinc concludebant nullatenus corrumpendum, ex consequenti nec genitum. Videbant insuper, quæ generantur nouum sibi comparare locum: cœlum autem, quia nequiuerit nouum locum sibi uendicare, ideo nec generari potuisse. Intuebantur adhuc omnia, quæ mouentur transmigrare ad nouum locum: aut moueri circa aliquod stabile, sicut sphæræ omnes circa centrum: ut omnis difformitas reduceretur ad aliquod uniforme. Pari modo putabant omnem nouum reduci ad antiquum: unde omnis generatio & corruptio fit circa materiam antiquam: & omnis motus regulatur cum stabili terra, aut immobile centro, cum quibus fundamentis non uidebant posse stare mundi nouitatem. Et quia generatio unius est corruptio alterius: & nihil potuit præcedere orbem, quod corrumperetur: Vnde ingenitum asserebant. Existimabant ultra progressi, omne productum præfuisse potentia in materia: adeo ut necesse existimarent materiam semper præfuisse. Adducunt etiam præcipuum robur, & ab omnibus admissum, ex nihilo nihil fieri: ideo inferebant mundum, cui nihil præfuit, fieri minime potuisse. Quæ omnia utrum concludant nécne, facilè demonstrabimus præsupponendo (ut ueritas est) tria operationum genera, & tres operantes. Est enim artifex: qui naturam præsupponit, materiam uidelicet, formam, & totum compositum. Est naturalis agens, qui Dei effectum præexigit, subiectum uidelicet, uel materiam. Est summus opifex Deus nullo exteriori indigens: cum sit perfectus omnigenam continens uirtutem. Qui opifices analogia quadam conueniunt, sed æquiuoco differunt: nec ex meta operandi unius concluditur uirtus alterius: Error enim esset procedendo ab arte ad naturam: ut si quis dicat: Ars præexigit compositum, aurifex aurũ, faber ærarius metallum, carpentarius lignum, & architectus lapides, & cementũ: ergo & naturale agẽs cõpositũ præexquirit. Sic errãt philosophãtes, dum opinantur summum fabrum exquirere in opificio suo subiectum, uel ma-


teriam, quam exquirit naturale agens: Nec quia hoc operatur de contrario in contrarium: ut etiam eadem uia summus opifex procedat. Vnde, quæso, didicerunt has illationes illi, qui docuerũt artem distingui à natura, & naturalia ad aliud genus doctrinæ pertinere, & ad aliud æterna & seiuncta à motu? Artifex enim inducit formam artificialem, & præsupponit naturalem. Agens uerò naturale inducit formam substantialem, & præsupponit materiã, quæ est effectus Dei: Et si Deus in operando aliquid præexigeret, præexquireret etiam priorem Deum, qui illud produxisset: & sic primo esset aliquod prius. Quæ sunt ergo hæc argumentorum portenta? Paralogizant etiam, dum ex possessione noui loci quam acquirit de nouo genitum, uolũt mundum à genitura excludere, quia nullum acquisiuerit locum. Sed dando, quòd sibi comparauerit locum, eundem dicam sibi acquisiuit, in quo nunc est. Est enim circa centrum aut terræ, aut mundi, aut sphæræ illius intellectiuæ, cuius centrum (ut Hermes ait) est ubique. Quòd autem perstringunt omne nouum reduci debere ad aliquod antiquum, ipsis damus. Et illud antiquum est diuina mens, qua omnia cõtinentur, antequam explicẽtur in proprias formas: & explicata moderatur, & conseruat. Quòd subiungunt omnem transmutationem naturalem ex materia in materiam fieri, admittimus: sed in primæua productione, & absoluta ab omnibus naturæ legibus, quibus princeps iure non tenetur, hoc non exquiritur. Omne autem productum præexistere primo potentia quadam damus: sed naturalia in materia: mundus autem ipse, & rerum species in ideis, uel in exemplaribus illis, in quibus Platonici simul cũ Ioanne nostro, longè supra peripateticos transcendentes conueniunt, qui ait: Quod factum est in ipso uita erat: ubi habebat esse in potentia. Nec monstra sunt ô Aristoteles ideæ Platonis: sed uespertilionis sunt oculi (ut ais) si non uident ea, quæ sunt manifestissima in natura, aut in naturæ authore. Et ut dissoluamus naturaliũ robustissimum nodum: quòd ex nihilo nihil fit: rogatos illos esse uelim, ut hanc suam sententiam exponant, cũ ambigua sit. Si enim eius sensus sit, ex nihilo per artem, aut naturã nihil fieri, quæ subiectum exigunt, in quo operantur: liberas manus præbemus. Sed quid ad artificem supremum, quem longis passibus natura æmulatur: sicut ars naturam ipsam, ut Aristoteles cum suo Auerroi consentiunt? Et sicut in esse, sic & in opere deficit naturale agens determinatum, ac motui, tempori, & successioni subiectum, ab eo qui est omnibus naturæ legibus absolutus. Si autem intelligant ex nihilo, id est post non esse nihil fieri, hoc reliquerunt posteris comprobandum: unde nobis latus relinquitur campus negandi, quod nec probatur, nec ex se ipso euidẽs est. Si autem uelint, ut illud nihil excludat omne genus causarum, etiam hoc damus: Sed in mundi genitura nos præsupponimus operatricẽ causam, & supremam: quæ materiam, subiectum, formas dandas, instrumenta, qualitates disponentes, & omnia quæ ad opus aliquod conducendum exquiruntur, sua interminata uirtute continet.

Hermes

Platonici
Ioan.

Aristo.
Auerrois

Neque motus idem præstat. Cap.X.



Ersistentes adhuc peripatetici in suis speculationibus rerum naturalium, & in prospectu habentes, motum esse in eo, quod mouetur, aut generatur, aut in subiecto transmutationis: & cum nullum subiectum illius antiquæ, & primæuæ productionis præfuerit, concludebant, ipsam minime fuisse: nec mirum est, si errabant: cum noluerint discedere à sensatis: A quibus (inquit Augustinus) non est expectanda syncera ueritas. Nec ex ipsis, aut ex rationibus in eisdem fundatis possumus (teste Proculo) deuenire in cognitionem diuinorum: quæ intellectiua sunt, semota à materia, motu, successione, & ab omnibus sensibus. Hinc oberrabant ab illis feculentis & deterioribus generationibus ad diuinum opificium, quod omnem uiã naturæ transcẽdit, arguentes. Annectunt nescio quid friuolum, & ineptum, motum uidelicet rectum perpetuari non posse: quia pertransiret spatium infinitum: quod natura minime sustinet. Circularis uerò motus, quòd non pertranseat aliquod infinitum, potest esse perpetuus: Sed in æternis (ut aiunt) à posse ad esse, ualet deductio: Hinc opinabantur conuincere mundi æternitatem. O pulchra deductio præsupponendo æternum, quod probare prætendunt. Addit blasphemus Arabs, impossibile fore mundum habere aliam dispositionem, quàm nunc habeat. Perfide canis quis hoc tibi reserauit? Qua mensura mensus es potentiam artificis? Qua authoritate terminare præsumis potentiam infiniti, ut non possit, & destruere, & fabricare pro libito? Exsibilanda est potius hæc bestia blasphema, cum de diuinis loqui præsumit, quàm audienda, aut satisfactione digna existimanda. Illi tamen respondet Albertus, cui cognomento magnus, profundiori philosophia refertus quàm Auerrois. Dicemus (inquit) motum cœli ad alium mundi statum, & ad quietem ipsam terminari, ad quam (ut docet Aristoteles) tẽdit omnis motus. Hinc cadit Auerrois ratio, & per se resoluitur eius figmentum. Sed quiã motus tempus gignit: & ipsum tempus est mensura motus & quietis: Hinc etiam ex parte temporis paralogizant: Si mundus (inquiunt) non erat antequam principium sumeret, cum illud ante, sit aliquid temporis, ergo tempus præcedebat motum, qui est ipsius causa & progenitor. Addunt etiã, quocunque instanti dato, illud est principium futuri, & finis præteriti temporis, ergo tempus præfuit ante illud primum instans, ex consequenti motus & mundus. Totus hic error ex mala uerborum intelligentia procedit, dum illud ante angustant ad aliquam partem temporis tantummodo significandam: Nam apud nostros, & etiam externos in genere dicendi peritissimos, uidemus illud ante, aliud quàm partem temporis significare: Aliquãdo enim æternitatem significat, ut illud in prouerbiis: Dominus possedit me in initio uiarum suarum, antequam quicquam faceret. Et in Ecclesiastico: Ab initio, & ante sæcula creata sum. Apud Sulmonensem quoque dicitur: Ante mare, & terras, & quod tegit omnia cœlum. Nec ignorabat ille sagacissimus, tempus à circuitu cœlorum

Augu. Procul. Auerrois Alb. ma. Auerrois Aristo. Prouer. Ecclesia. Ouid.

fluere: tamen dicit ante cœlum, quod tegit omnia. Significat etiam anteriorem partem loci: unde anteambulones, & antesto. Significat etiam superiorem gradum, à quo Antistes, qui est aliis superior. Et cum tot significata habeat illud ante: cur artare uolunt ad partem temporis tantummodo significandam? Nonne & illud concederent, materiam esse ante formam ordine quodam, quamuis tēpore nō præcesserit? Sic Deus fuit ante mundū æternitate, & ordine quodā: Quod autē adiungunt instans finem esse præteriti, & principium futuri, soluit Algazel dicens. Sicut se habet punctus in continuis, sic instans in successiuis: Pūctus uerò aliquando est finis partis lineæ, & principiū alterius patris: aliquādo est principiū totius lineæ, nec finis partis præcedentis: Sic illud instans, in quo mundus habuit exordium, fuit principium temporis sequentis, & non finis præteriti. Negat Arabs similitudinem: quia tempus transit, linea permanet. O ridicula solutio: cum similitudo non sit de transitu, & permanentia, in quo differunt: sed de parte indiuisa in qua conueniunt. Omnia enim quæ in aliquo cōueniunt, in alio differunt: ut etiam nouitiis in eorum dogmatibus triuiale est. Adiungunt nescio quid apparens: Quod fluit (inquiūt) habet aliquid ante se & post se. Sed (ut aliquid de promptuariis naturæ & Dei adducamus) plus dicimus: ꝙ uidelicet omne fluens reuertitur ad id, à quo & principiū habuit sui fluxus. Aqua enim ad mare, à quo traxit originē reuertitur, ut Salomō sapiētissimus docet: & experientia comprabat. Corpus ad terram, ex qua sumptum est. Spiritus, & omnia à Deo facta, in eundem à quo progenita sunt, reuertuntur. Gyrum (inquit Proculus) producta omnia efficiunt, à Deo incipiētia, & in ipsum desinentia Deum. Sic & tempus redit in eandem æternitatem, à qua fluxit: quæ remanebit cessante tempore, sicut & ante tempus præexistebat. Hinc ad Auicenam interrogantem, quomodo opifex præcesserit mundi fabricam, dicemus cum Augustino philosopho utique integerrimo: quòd præcessit duratione illa æterna. Plotinus quoque (quamuis supra hominem multa docuerit, prout hausit ex Ammonij fontibus, & ille ab his qui fuerunt edocti diuinis oraculis) in hac mundi duratione paralogizat, dum ait: Quod resoluitur in aliud, dissecatur: sed cum ultra mundum nihil sit, in quo possit dissolui, durabit perpetuo. Cui dicimus: Mundum resolui secundum partes, ut perseueret meliori nota: sed non de resolutione disputamus ad præsens, cum de eius genitura sit sermo: nec discrepat à religione nostra, ut perpetuo duret Dei fabrica, ut conueniamus cum Platone, & Plotino: qui nephas existimant interire, quæ immediate à Deo benedicto profecta sunt. Hinc & animam immortalem asserimus, quia à Deo producta, & inspirata. Corpus etiam æternitatem consequetur, si animæ naturam induerit: ut alibi differemus.

Algazel · Auerrois · Salomon · Procul. · Auicena · August. · Plotinus · Ammo. · Platō · Plotinus

Minus itidem tribuunt gubernatores eius. Cap. X I.



Pinabantur etiam mundi fautores, intelligentias sphæras mouentes fœlicitatem adipisci in perpetua cœlorũ reuolutione: ut uidetur in- Astro. *nuere Aristoteles in superiori philosophia, ubi altiora repetens, a-crius pro ista mundi æternitate decertat.* Cui plus concedit Ioan- Io. Sco. *nes Sco. melius forsitan eius interpretando uerba, quàm ipse conceperit: quoniam beãtur non solum mouendo orbes, sed dum (illa reuolutione mediante) fun gentes* Dei *officio, perfectionem rebus inferioribus communicant.* Adstipulan Platinus *tur quæ* Plotinus *de cœlo, & de mundi anima pertractando, ait:* Absurdũ *quippe est opinari animam, quæ ad tempus cœlum continuit; non etiam semper idẽ efficere, perinde ac si per uiolentiam continuerit.* Et *parum progressus inquit:* Quid *in causa esse potest, ut mundus aliquando desinat?* Non *enim elementa mundi uelut ligna, reliquáque huiusmodi conteruntur: & cum hæc semper permaneant, manet & uniuersum.* Hic *de futura permanentia loquens, præsupponit ipsum semper fuisse.* Hinc *subinfert semper duraturũ, quia non potest dissolui principatus animæ ipsius, nec eius natura labefactari:* Quod *&* Aristo- Aristo. *teles magnipendit: quia princeps huius mundanæ domus, cum sit sempiternus, uicißitudinem non recipiens, etiam domus eius sempiterna esse uidetur.* Et *cũ eius gubernatores non laborent, nec fatigentur uoluendo, sempiterno motui addicti nunquam quiescent.* Quæ *ut dissoluamus, errorem dicimus esse æquiuocationis, arguendo ab immediato ad ultimum finem.* Omnia *penè ad diuersos fines ordinata sunt, sed ad unum ultimum tantum.* Animalibus *finis immediatus est uictitare, & pasci, ultimus uerò homini seruire: qui (multorum sapientum sententia) finis est omnium inferiorum.* Hominis *autem finis immediatus est regere domum, rempublicam, familiam, mercari, studere, & id genus, sed ultimus deuenire ad* Deum, *uel ad fœlicitatem, siue per uirtutem stoicam, aut speculationem peripateticam, uel per purgationem academicam, siue per fidem, & gratiam, ut nostri catholici asserunt.* Intelligentiis *uerò separatis à* Deo, *& à corruptibili materia, finis immediatus est, cœlos, & homines regere, cæteráque ipsis commissa, ultimus uerò in speculatione primæ substantiæ, ubi beantur: ut* Idem *ipsemet* Aristoteles *in ethicis perhibet.* Esto *igitur, quòd à motu & ab inferiori fine quiescant, non tamen à beatitudine cessabũt: sicut nec homo minus erit fœlix, si rempublicã & inferiora non regat.* Mirandum *quippe est, ut quis opinetur mentes illas beari in continua motione: cum omnes motus (ut etiam ipsi docent) ad quietem tendant: & maior sapientiæ profectus fiat in exedris, & in subselliis quiescendo, quam in motu.* Nec *cessabunt, quia laborant: sed perfecto, & consummato opere, & præstito inferioribus eum quem debebant fauo-* Plotin. *rem.* Nec *desistet anima, de qua* Plotinus *loquitur, uitam præstare uniuerso à motu cessans.* Nec *eius elementorum, aut partium annihilationem asserimus, sed quietem à motu: ut reducatur tandem post multas reuolutiones in sabbatariam*

quietem, multis etiam sapientibus occlusam. Nec pœnitebit opificem cum perfecto opere cessabit: sicut (sacris literis attestantibus) quieuit ab omni opere quod creauerat, consummata mundi fabrica: ut uerum sit, quod ipsimet philosophi docent, motum omnem in quietem tendere. Nec labefactabitur princeps huius mũdani atrij regnans in quiete. Figant hic ergo pedes sapientes omnes mundanæ machinæ finem perpetuo inuestigãtes: ne post incessantẽ motum incessabili phãtastícatione currentes nunquã quiescant: nec suam quietem continuo cursu præpediti aliquo lumine uidere possint.

Neque ab opifice procedendo intentum probant. Cap. XII.


Vm iterum ex mũdi huius noua genitura uideatur induci in opificem noua relatio ex nouitate operis, ex consequenti mutatio quædam in natura, uel uoluntate, quod perfectissimo & immobili euenire non potest: nec ab intrinseco, quia nihil potest seipsum mouere, nec ab extrinseco, quia ab eo pateretur cum deturpatione perfectissimi, & infiniti. Multa huiusmodi adducuntur ab Aristotele, Auerroi, Mose Aegyptio, & sequentibus: quæ Cicero contra Platonem inuehens, suo diserto sermone in unum contexit: Quibus inquiens oculis animi intueri potuit uester Plato fabricam istam tanti operis, quam construi à Deo, & ædificari facit? Quæ molitio? Quæ ferramenta? Qui uectes? Quæ machinæ? Qui ministri tanti muneris fuerunt? Quomodo parere Architecto, aër, aqua, ignis & terra potuerunt? Vnde tot exortæ formæ aptæ cadentes ad animum efficiendum, pariẽdósque sensus? Et aliquantulum progressus ab istis sciscitor: cur mundi ædificatores extiterint per innumerabilia sæcula dormientes? Nam & si mũdus nullus erat, sæcla aliqua erant: etiam si non illa, quæ dierum, noctiúmque numero annuis cursibus cõficiuntur (nam fateor ea sine mundi conuersione effici non potuisse) fuit enim quædam ab infinito tempore æternitas, quam nulla circũscriptio temporum metiebatur: Spatio tamen quali ea fuerit, intelligi non potest: quod nec in cognitione quidem cadit, ut fuerit aliquod tempus, nullum cum tempus esset. Isto igitur tam immenso spatio cur pronoea cessauit? Laborem ne fugiebat? Quid autem erat, quòd concupisceret Deus mundum signis & luminibus tanquam ædilis ornare? Si ut Deus ipse melius habitaret: antea in tenebris tanquam in gurgustio habitabat: Si eum uarietate delectari putamus, quia cœlum & terrã exornasse uidemus: Quæ ista potest esse delectatio Dei, qua tãdiu carere potuisset? An hæc, ut fere dicatis, hominũ causa à Deo constituta sunt? Sapientúmne, an stultorum? Si sapientum, propter paucos igitur tanta rerũ facta est molitio: Si stultorum, at primũ causa non fuit: ut de improbis bene mereretur. Deinde quid est assecutus, cum omnes stulti facti sunt? Miserius stultitia quid dicere possumus? Hucusque Cicero. Addit Alcinous: Cũ nihil extra mundum supersit, quod uim inferat, non patietur morbum, neque dissolutionem aliquam: Et cum perpetuo durabit: ergo & perpetuus fuit. Addit Auicena: Agens in uirtute alterius nunc

Aristo. Auerrois Mo. egy. Cicero

Alcinous

Auicena

pducere potest, quod ante nō poterat: quia fauor coagētiū ipsi expectādus est: Primū autē propria uirtute operās, expectare nō debet: sed cōtinuo agere. Decertāt mūdi serui pro dignitate sui principis: ut cōtinuæ reuolutioni addicti nunquā ad quietē in qua fœlicitas uera est, perueniāt. Nos autē pro opifice summo, qui pax, & quies nostra est, tanquam legitimi milites decertabimus defendentes æternam eius quietem, in quam dirigitur omnis mundi reuolutio. Cōtra quā quietem, & contra ueritatis murū quàm debiles machinas erexerit, statim apparebit. Damus Aristoteli, quod adueniat noua relatio, sed rationis, ut putat Scotus uir. acerrimi iudicij. Plus autem dat Michaël Caßianus, ut sit reälis non quidem noua, sed æterna cum æterna eius uoluntate ad mundi fœturam, ad quam deuenit pro libito. Et miror de hac instantia nouæ relationis resurgentis, cum noua continuò producantur: ex quibus insurgit noua relatio, aut ad Deum fabricantem, uel gubernantem, siue saltem (ut ipsi dicunt) tanquam finē amatum & desyderatum. Cur ergo est contra Dei maiestatē relatio noui mundi, & non partium nouarum? Nec habet pro inconuenienti ille Saracenorū splēdor, Algazel qui & ipse pro mundi nouitate, & quiete dimicat, ut agens perfectißimū omnibus citatis conditionibus ad effectū producendum differat quousque uoluerit, & tunc producat, nulla ipsi accedente nouitate. Nec sua demonstratione probant Philosophi, ut illis dispositis consequatur effectus in Deo, qui libere agit, ut eius suffragiis muniti statim declarabimus. Insurgit tamen in eum frustra hic & alibi impius Arabs præaccipiens, quæ omnes sapientes negarēt: unde deliramenta quippe puerilia sunt illa figmenta arabica: ut eius fidus interpres ueritate coactus fatuum ipsum, & omnes eius rationes existimet. Præponit Auerrois Algazelem contra philosophos bellum direxisse, præpeditum morbo phrenetico, aut errore legum. O insanum atque uecordem, postquam tāto labore conaris soluere rationes, quas adducit lethargū patiens. Blasphemas insuper maledicte sanctißimas leges ore diuino æditas, & de errore criminari audes ea, quæ diuinitate plena sunt: Tu nunc uideris. Nec pro te exclamo, sed pro puberibus, & nondum initiatis, qui non percipientes diuinorum occultißimas rationes, quæ longo uix tempore exquisitißima diligentia, purgatáque mente (ut Plato & sapientes testantur) prospiciuntur, facilè oberrant in huiusmodi. Ideo cum Platone uos iuuenes hortamur, ne temerè de diuinis, mundíque sacramentis sententiam proferatis: quia in primo rerum obtutu nihil nisi sensibile offertur. Qui autem sensibus innituntur, obtenebratis mētibus altißima Dei, & naturæ arcana non percipientes religionem aut exsibilant, aut post tergum reiiciunt: & hi se summos uiros existimant, si Auerroistarum, aut Aristotelicorum, aut Epicureorum (& utinam falsò) sibi nomen uendicent, qui profundæ religionis sacramenta non etiam olfecerint: Auerrois potißimè, in cuius maliuolam animam, hæc sapientia habitare, atque intrare contempsit. Et aliqui ridiculi se magnos existimant cum Auerrois disciplina sint prorsus imbuti: Cuius do-

Scotus
Mic. Cas.
Algazel
Philoso.
Auerrois
Idem
Algazel
Plato
Idem

ctrina habet aliquid in fronte, quod alliciat: quod inconcussum, uerisimile, & utile uideatur. Sed ubi altius introspexeris, falsa, infida in magistrum, impia in omnem cultum omnia uidebis, paucis exceptis, in quibus à præceptore deuiare non potuit. Sed dimisso Auerroi, ad quem erroris cõmunio nos deduxit, ueniamus ad Aristotelem, qui minus à pietate elongatus religionem naturæ humanæ insitam fatetur: Deum huius machinæ principem asserit, & moderatorem, & etiam opificem in eo, quem de mundo ædidit, quamuis ubi per sensatas rationes procedit, neget illud, quod eisdem rationibus attingere nequit: Qui in hoc negotio aliqua pietate procedendo ait: Agens à proposito uel à natura si bonum est, bonũ operatur quoad potest: id maxime cum nullo obstaculo præpediatur, quia bonum (ut etiam Dionysius docet) est de sui natura communicatiuum. Quem non minus piè quàm acutè procedentem progressu debito prosequamur. Agẽs sua opera, & industria consequuturum bonum laborat pro uiribus, ut illud adipiscatur: Sed bonum distribuens, partitur quomodo, & quando uult, si uera docet Paulus, qui (cum de spiritu Dei dona sua impartienti cum Corinthiis ageret) ait: Diuidens singulis prout uult. Et si contendatur, ꝙ bonum natura fertur in bonum communicandum: hic altius quàm philosophia exquirat, conscendentes dicemus: Semper illud summum bonum se diffundit in prolem suam, & spiritum coæternum: in qua prole exemplaria continuè producit æterna illa mẽsura, quæ semper præsens est, & tota possessio simul. Nec ocio torpebat ante mundi genituram, qui attestante Filio, semper operatur opus, quod nemo nouit sicut nec operantẽ nisi Filius: & cui uoluerit Filius reuelare. Quæ non sunt reuelata Aristoteli, nec Auerroi, nec eis, qui tantũmodo Aristotelica, aut Ciceroniana face cõtenti sunt. Nec dormiebat Cicero (ut tecũ loquar) qui in seipso fœlicissimus erat, nec pro se, qui nulla re exteriori indiget, hanc mũdanam domum tanto ornatu fabricauit: sed pro Antistite homine non stulto, aut scelesto, sed iusto atque sapiente: uel saltem, ut in eadem domo sapientia, & bonitate instrueretur: ut dignus esset ciuis supramundani palatij. Hunc ludum cum orbe terrarum, & cum filiis hominũ habuit: Quem Cicero, aut Aristoteles non cognouit: Quia ut Trismegistus ait: Deus (quem naturam nominant) homini se se immiscens miraculum attulit, quod omnium miraculorum superat rationem. In quo effigiem propriam intuens, illi amore ingenti subrisit: & sibi tanquam filio congratulatus opera eius omnia usui suo concessit: ut omnia in se reduceret per eum, cui immixtus erat, sed ipsum in primis: dũmodo expurgatus, & genus suũ diuinum recognoscens dignus Deo efficeretur: Sed huic maximum affert impedimentũ corporeorum delectatio, & erroneus amor inferiorum: Quibus præpeditæ mentes nec se, nec etiam Deum, cuius imaginem præ se ferunt, agnoscũt. Nec instrumentis indiguit. Cicero, qui solo iussu omnia peragit. Nec adminiculo egebat ad formas producendas Archetypus ille, & omnium formarum dator existens (ut docet ille termaximus) omniúmque fœcunditatum plenissimus.

Aristot.

Diony.

Paulus

Trisme.

Nec mirum si elementa ei paruerint, quæ solo ipsius imperio iacta sunt. Nec in gurgustio babitabat, sed in amplissima æde illius immensæ sphæræ, cuius centrũ est ubique: Illic resedit per illa æterna sæcula, quæ nec tu nec mens aliqua citra ipsum apprehendere potest. Ideo nec mirum si tu & cæteri mortales dificitis in excogitando ea, quæ in archiuo summi architecti recondita iacent, paucissimis reserata. Et ut ad Alcinoum me uertam, non est aliquid extra mundum, in quod resoluatur, nec ipsum resoluendum dicimus: esto quòd habuerit suæ durationis principium. Et si resoluetur, nihil præexigit, in quod dissoluatur, sicut nec aliquid præexquisiuit, unde fabricaretur: cum eius fabrica, aut dissolutio à legibus generationis & dissolutionis naturalis absoluta sit. Nec coadiutores expectauit ô Auicena, qui propria uirtute & bleneplacito omnia peragit: ut statim declarabimus. Et nõ natura aut necessitate, ut opinãtur illi, quibus sempiterna Dei uirtus, & amor, quo mundum fabricauit occultus est.

Auicena

Cur aberrauerint Philosophi à catholica ueritate. Cap. XIII.



HÆc, & similia robora, atque machinas direxerunt philosophi frustra contra muros supernæ ueritatis, Cuius disciplina non est humano usurpata fastu, sed sancti numinis claritate pfusa: quæ eos, qui sibiipsis sapientes sunt, & alios contemnunt, irridet eos in tenebris suæ offuscatæ arrogantiæ relinquens, quos uerò collustrat, ad penetralia Dei, & naturæ clara luce speculanda inducit. Et ut eorum, qui sibi sapientiæ nomen arrogant, uecordiam uel in parte in propatulo exponam, hoc unum eos interrogare uelim: ut referent quomodo Deum benedictum agnoscant. Respondebunt utique: Ex motu, & sensibilibus istis: quibus manuducimur ad ea, quæ cognosci à nobis possunt: quia omnis nostra notitia habet ortum à sensu: & experimentum sermonum uerorum est (inquit Auerrois) ut concordent sensatis. Et illud notius est, in quod plures sensus conueniunt. Hæc sunt uulgatissima eorum dogmata: sed dicant quæso. Habéntne ista sensibilia cum Deo summo proportionem uniuocam, an æquiuocam? Non quidem uniuocam: ut sequantur eorũ instituta: quibus docent Deum, & creata non conuenire in aliqua ratione uniuoca substantiæ, aut entis. Hinc Porphyrius eorum dogma prosequens, ait: Si quis omnia entia uocet, æquiuocè (inquit scilicet Aristoteles) nuncupabit. Quẽ multi nouitiores sequuntur: quamuis aliqui tenentes conceptum uniuocum Dei, & creaturæ, substantiæ, & accidentis conentur mentem Aristotelis ad suum propositum interpretari: timentes forsitan tam magnifacto uiro absque necessitate contradicere. Si autem æquiuoca sunt: non ideo mirum, si per inferiora hæc procedendo oberrant in Dei cognitione. Quid enim possunt per suum motum, aut sensibilia ista imaginari de Deo, à sensibus. & motu penitus alieno? Remotus est enim (ait Aristoteles cum suo Auerroi in sermone de cœlo) penitus à modis creaturarum. Hinc quod sit primum mouens, quod non moueatur, tantummodo cognoscunt, omni alia cognitione de ipso per creaturas seclusa: cum eum

Auerrois

Porphy.

Aristo.

Aristote.

Auerrois

remoueant à modis creaturarum. Ideo nec mirum, si multa tanquam sibi occlusa, ab opifice summo auferre conentur. Quòd uidelicet mũdum creauerit, quòd libera generositate eum fabrefecerit, & quãdo uoluit eundem erexerit. Quid secundum naturam, Quid ue pro sibi innata benignitate producat: Quomodo omnia etiam minima prospiciat, Quid exquirat à fabrefactis suis, Cur machinam istam conduxerit, Quomodo se habuerit in eius fabrica. Et mirum quippe, cum ex una parte remoueant Deum penitus à modis creaturarũ, ex altera per ea, quæ in istis inferioribus prospiciunt, uelint Dei omnipotentiam, atque uirtutem coarctare. Audiant quæso quid magnus Dionysius, primo eorum imbutus disciplina, postea radiis sancti numinis collustratus de ipso dicat. Deus (inquit) est omnia eminenter. Quicquid enim boni in domesticis istis prospicimus, Deo sublimi, excellentiori modo quo possumus, dedicemus: quia omnia quæ in artificio pulchrescunt, in Artifice pulchrius uigere debent. Et quicquid in mediocribus cõmendatur, & infimis in optimo reperiri condecet. Bonũ enim in meliori semp melius est. Bona est sapiẽtia in Ciue, melior in Prætore, optima in Principe. Bona est potentia in Milite, melior in duce, optima in Rege. Simile habeatur de clementia, liberalitate, cæterísque uirtutibus, & ornamentis. Cũ autem fœcunditas, potentia, uigor, pietas, pulchritudo, munificentia, & cætera id genus, in inferioribus luceant: in diuina illa mente summo splendore uibrare debẽt. Nã in plebe ista mundana hæc omnia tanquam aduentitij colores animum pingunt: in Principe autem supramundano, radiis suæ interminatæ essentiæ (quæ omnia sibi tributa atque dicata unit) coruscat. Fatentur isti Deum primum, & optimum omnium, cætera autem ipsi inferiora, atque ministrantia. Et si in huiusmodi fœcunditatem, libertatem, generationem, & similia commendant: cur à Deo optimo negant, qui suis domesticis ait: Ego si cæteris generationem tribuo, sterilis ero? Dicent forsitan: Remouemus à Deo, non modo quod imperfectionem sapit: sed omne quod à perfectione deficit. Hinc fœcunditatem ad extra ab eo tollimus: ne aliquid noui, aut mutatio aliqua ascribatur illi æterno, & immobili. Libertatem quoque contingentiæ ab eo auferimus: ne tanquam imperfectus spe retributionis agere uideatur: nec libertatem negamus, quâ agit, secundum quod ei conueniens est. Arguta quippe sunt hæc, nec tamen angustant. Nónne ô sapientes gymnasia omnia docent: quòd inferiora hæc simulachrum Dei pro uirili sua tenere conantur? Hoc Platonici passim, hoc Catholici nimia consonantia resonãt. Sed & ipsi Peripatetici in idem conueniũt: sicut eorum magister in sermone secundo de Anima ad uerbum ait: Naturalissimum operum uiuentibus est: quæcunque perfecta, & non orbata, aut generationem spontaneam habẽt, facere alterum, quale ipsum est. Animal quidem, animal: Planta uerò, plantã: quatenus ipso semper diuino, & immortali esse participẽt, quoad possunt: Omnia enim illud appetunt, & illius causa agũt omnia, quæcunquæ agunt secundũ naturam: & non possunt ipsum imitari continuo, rationéque perpetua pro eo,

Diony.

Isaias

Platoni. Cathol. Aristo.

quod nihil contingit corruptibilium idem, & unum numero permanere, secundum quod potest participare unũquodq; sic cõmunicat: hoc quidẽ magis, illud uerò minus: huc úsque Aristoteles: quorum uerborum summa est: quòd unũquodque huius mundani corporis membrum, quanto pefectius, tanto magis contendit
Auerrois æmulari opificẽ: quis infidus Arabs de cœlo interpretetur. Quomodo enim cœlũ ô perfide est illud sempiternũ, quod omnia æmulãtur: cum hoc sempiternũ sit, cuius gratia elementa, & cœlum ipsum, & omnia agunt? Nónne ubique reso-
Aristo. nant Aristotelis dogmata, Deum esse omnium finem gratia cuius, ut amati, & desyderati mouentur omnia? Sed hæc minima sunt inter multa, quæ perfidus canis contra ueritatem latrans magistri sensa extorquet, & destruit: in quibus potius destructoris quàm cõmentatoris nomẽ ei ascribi posset. Nec miretur quispiam, si contra hunc maledicum excandesco: quia zelus Dei uiuẽtis urit me: quẽ iste miser blasphemare audet: & alios quamplurimos (heu dolendum) blasphemare facit. Audite quæso, quid iste canis de Deo optimo ibidem latret. Solicitudo, inquit, diuina, cum non potuerit hoc facere permanere, secundum indiuiduũ miserta est dando uirtutem, ut posśint permanere in specie. Obmutesce perfide canis, nec de Deo loqui præsumas lucifuga. Qua temeritate metiri audes potẽtiã omnipotẽtis? Cur nõ potuit dare homini, cæterísq; rebus inferioribus permanentiam: quã dedit Saturno, omnibúsq; Planetis, & syderibus, ut asseris? Quomodo factus est impotens in inferioribus: qui tam potens fuit in supremis? Quæ dignitas summi Dei, qui cum unum beneficium præstare non posset suis inferioribus, de alio prouidere curauit. Si uerò hanc solicitudinem cœlo attribuis: miror quippe, dum prouidentiam, & opus summi Principis ministris ascribis. Et si cœli hoc facere nequierunt: cur summus Princeps facere non potuit? Sed redeũdo, unde digreśsi sumus, fatentur isti omnia, diuinum esse, atque perfectionem æmulari, elementa in esse, plantæ in uita & fœcunditate, animalia in meliori uita, & sua qualicunque conditione. Homo uerò, qui peculiari dono libertatis gaudet, in eadem Deum æmulatur. Hinc etiam libertas in Deo comprobatur: quia omnia continet, quæ cæteris præstat. Nec deficit summa perfectio in depreśsis gradibus: nec destruitur in multis eius simplicitas: qua omnia infinita uirtute continet. Nec enim anima intellectualis degenerat: si sentiẽdi, uegetandi, & secundum locum mouendi, iuxta eorum dogmata, uirtutem exercet. Sentit enim Deus (ut ad altiora conscendamus) suis sensibus: quos ei sacræ literæ tribuunt. Mouet cætera omnia stabilis manens, uegetat, & pascitur suo cibo sapientiæ. Sed hæc omnia modo, & perfectione, uiq;, latent humana ingenia: nisi eius lumine collustrentur. Est nanque libertas non utique secundum naturam electio (ut aliqui opinantur) nec ad bonum, aut malum indifferens: sed ad bonum pro arbitrio suo. In perfectiśsimo autem animantium homine hæc libertas aliquantulum degenerauit. ut etiam in malum ferri posśit: sed in hoc Deum minimè æmulatur: in meliori autem sorte supra omnia ipsius gerit imaginem. Estque in ipso Deo

fœcunditas absque labore, ut Mercurius ait: Deus utriusque sexus fœcunditate munitus, fons est omnium sexuum, & fœcunditatum. Et cum otio non torpeat semper ad intra producit, ad extra autem pro libito uoluntatis: Quæ cũ sit prima regula contingentium, nec facultas nobis est, nec fas quærere ipsius primi principij causam: ad quod cum deuenimus, iubet etiam Aristoteles quiescere. Nec dispositione præuia, aut approximatione indiget, nec resistentiam timet, nec spatio præpeditur, qui iubendo omnia facit. Hæ autem inferiores causæ, & instrumenta ipsius subiectum ab ipso Deo fabricatum exquirunt dispositionem præuiam: & applicationem præexigunt: temporis successionem expectant: & huiusmodi adminiculis indigent, quæ exquiruntur in agente pro determinata uirtute. Ideo ratiocinantes ab huiusmodi opificibus conditionatis ad eum, qui ab omnibus istis absolutissimus est, in errores uarios incidunt. Si autem ex his, quæ in fabrica ista prospiciunt, in cognitionem Archetypi deuenire contendunt, ei hæc omnia attribuant sua conuenienti, & perfectissima nota. Quæ autem in operante debilitatem denotant, ammoueant: tuncque prospicient suprema archetypi cum inferioribus, & mediis suauissima sonoritate, & harmonia, quam proposuimus, correspondere. Neque enim eadem claue intrant in concentum cantores, succentores, & occentores quamuis in eandem consonantiam conueniant. Sic & tres mundi, quos concordare prætendimus, diuersa nota procedentes eundem concentum efficiunt: Sunt enim omnia in opifice, ueluti in simulachro quodam: quæ in istis inferioribus tanquam in imagine, uel uestigio contemplantur: Sed deficit imago, & multomagis uestigium ab eo, quod repræsentat. Ex his nihilominus per analogiam, & Symbolum quoddam deuenimus in cognitionem opificis: Quæ nec differenti ratione ueluti æquiuoca, nec eadem ad unguem sicut uniuoca, conueniunt: sed similitudine quadam repræsentando perfectissimam illam notam rerum superiorum, sua qualicunque deteriori, & feculentiori unumquodque pro gradu suo. Aristot.

Rationes pro mundi nouitate. Cap. XIIII.

QVam debiles fuerint philosophorũ machinæ contra mundi fabricam, & nouitatem, iam uidimus: reliquum est, ut ex aduerso dimicantes, succincti in aciem eorum iacula in ipsos retorqueamus arrepta, ubi opus fuerit, rõphea diuini uerbi. Inter alia tela, quæ philosophi direxerunt, fuit disconuenientia nouitatis cũ Deo æterno, non percipientes unde nouitas potuerit aduenire. Et (ut Censorinus ait) an oua, aues ne ante generatæ sint: cum & ouum sine aue, & auis sine ouo gigni non possit. Hinc existimauerunt orbem hunc sempiternum, & uniuscuiusque geniti initium idem & finem arbitrati sunt perpetua sua reuolutione. Sed à uobis ô Physici quæro, unde hæc nouitas, quam continuè uidemus? Dicit Arabs: quòd hoc ex nouis reuolutionibus procedet, quæ tamen antiquæ sunt ex sempiterna successione, & ibi status est, ubi antiquitas seruatur & nouitas. Hinc aliqui dixe-

Cẽso. ad Q. Metellum.

Auerrois

rũt, cœlũ partim nouum, partim antiquũ. Sed cum istæ reuolutiones fiant ab intelligentiis præsidentibus, non erit status in cœlo. Quæro unde illæ de nouo moueant, quæ ministræ dicuntur opificis, aut mouentis primi, ut dicitis? Mouent igitur de nouo, ut explicent ea, quæ de nouo fieri iubet primus motor: qui stabilis manens dat cuncta moueri. Non igitur à cœlo, nec ab intelligentia, sed à primo mouente est huius nouitatis principium: qui hæc innouari iubet pro libito: & ordine quodam apud se recondito, nulla necessitate coactus, ne uideatur connexionem habere cum inferioribus: in quod consentit Aristoteles: dum asserit ipsum fœlicem sine aliquo bono exteriori. Nec contingentia aliqua foret: si necessariò exiret in opus: Quam contingentiam probat Aristoteles in rebus ex eo quòd non expediret consiliari, aut negotiari, nisi contingentes forent euentus. Sed hæc contingentia non est iam re genita: quia tunc necessariò est. Hinc Aristoteles commendat Solonis, uel Agathonis dictum, quòd hoc solo priuatur Deus, genita ingenita facere. Si igitur præcessit hæc contingẽtia, ea erat in producente, non quidem secundariò: qui necessariò ordinem primi prosequitur, sed in ipso primo. Nec est indiuiduum contingens, tantummodo quia potest destrui: species autem æternæ, quæ non possunt dissolui: quia si potest destrui post factum, potuit tamen non fieri, antequam factum esset: quod & ipsi concedunt de indiuiduis, quamuis dicant species necessarias: Nam productio ad indiuiduum, uel suppositum, ex quibus resultat species, terminatur, sicut ipsi utrunque docent: ideo ipsi soluant. Qua insuper mensura uolunt mundi fautores suam hãc machinam mensurari? Si tempore, non erit æterna: Si æternitate, recordentur quòd ipsa est tota possessio simul (ut integerrimus philosophus Boëtius scribit) & ea semota à tempore, & motu. Quomodo igitur erit hic mundus æternus, qui coæuus est tempori, & penitus motibus mancipatus? Et si contendas æternum, dicas quæso: Durat ne illa æternitate, qua Deus Benedictus, an alia? Si alia, erunt & aliæ gubernatorum, & specierum æternitates: quæ infiniti naturã sapiunt: & sic plura infinita continebuntur in mundo isto tam paruo. Si eadem æternitate qua Deus, ridiculi profectò sunt: dum opinantur orbes, & eorum motores, mensurari Deo: cum nihil distet à Deo ipsa æterna duratio. Nec potest (inquit Albertus) mutabile secundum naturam, & operationem eadem mensura mensurari cum eo, qui penitus immutabilis est. Dicent: Æternitas mundi differt ab illa primi agentis: quia illa tota possessio simul, hæc autẽ successiua. Sed dicã, Si successiua, habet partes: partes huiusmodi autẽ infinitæ esse nequeunt. Habet etiam (ut cum Raymundo Iulio procedã) successiuũ principiũ & finem. Si ergo illis terminis clauditur, quomodo potest conuenire cum æterno, quod nullo fine concluditur? Quomodo insuper erit æternum illud, cui semper aliquid de nouo additur? Quomodo infinito addi potest? Non crescit, inquient, infinitum: Hoc eis damus: Quid ergo facient hæ nouæ reuolutiones? Coniunguntur ne cum illis primis: an incipiunt nouum infini-

Aristote. Idem Solon. Agathon Boetius Albertus Raymũ.

tum? Si primum, erunt igitur aliqua plura quàm infinita. Dicit Arabs: Non est *inconueniens hoc in successiuis, sicut nec in numeris: ubi infinitæ decades tantum redderent ex illa infinita repetitione: quantum infiniti centenarij:* Nec *maius augmentum faceret numerus additus istis, quàm illis.* O bone Deus, Quis, *quæso, potest talia æquis auribus audire?* Ex *hypothesi impossibili in numeris imaginata, nunquam uerò habita, soluere uult ea, quæ ex reuolutionibus, quas infinitas præcessisse asserit, inconuenientia sequuntur. Sed ne fiat contentio de successiuis, & numeris, dicant ingenuè isti mundi fautores:* Intelligentiæ *uoluentes cognoscunt has reuolutiones an non? Si non cognoscunt: magna ipsis quippe calumnia infertur, existimando illas ignorare suos motus, quos multi* Astronomi *norunt: Si uerò cognoscunt omnes, & infinitas: quomodo intellectu determinato infinita apprehendere possunt? Si uerò dicas:* Cognoscunt *partem illarum reuolutionum, partem quoque non:* Q*uæ erit, quæso, pars illa non intellecta ab intelligentiis, aut quæ erit oblita ab his, qui obliuionem non patiuntur? Insuper cum generatio ad indiuiduum terminetur, & ultima generatio equi ad ultimum equum, ad primum quæ generatio terminata est?* Di*cent:* Non *datur primus.* Et *quomodo quæso datur ultimus, & non primus?* Vbi *ordo, qui est primi ad ultimum?* Miror *quippe ualde, & admirari non desino de mũdi sapiẽtibus priscis, & de nouitioribus ipsis assentiẽtibus, cum asserant omnia moueri, & ordinata esse in* Deum, *tanquam in finem ultimum amatum, & desyderatum, sine ordinante:* Et *dicant* Deum *primum motorem, & non ordinatorem. Sed si ordinauit omnia, cognouit etiam eadem in particulari: cuius contrarium docent.* Ordinauit, *inquient, superiora: sed hæc infima secundariæ causæ.* Q*uibus dicam:* Q*uomodo respondent hæc infima supremis, diuersis ordinantibus?* Nõnne *dicit* Aristoteles: Q*uod unus solus est* Princeps, *ne res male disponantur? Si iterum dependent omnia ab illa finiente causa, ut gratia ipsius sese magnifaciant:* Q*uomodo igitur habent esse à se, quæ in alio perfici quærunt?* Cur *indigent conseruante, quæ non indiguerunt generante?* Filius *absque patre conseruatur: generatur autem nequaquam.* Cur *igitur dant tutorem membris uniuersi, à quibus parentes auferunt?* Q*uæ nugæ sunt istorum, qui alios nugaces criminãtur?* Ex *uno enim loco negãt. quod ex alia parte ueritate ipsa compulsi fatentur.* Negat Arabs *Deum mundi opificem: & interpretando sermonem de cœlo uocat ipsum creatorem.* Aristoteles *quoque ex sensibilibus procedens* Platonem *irridet: qui mũdum genitum passim fatetur: & in eo, qui ipsi ascribitur de mundo,* Deum *ipsius mundi opificem asserit:* Et *in superiori philosophia eundem* Principem *uniuersi docet.* Et *quomodo intrauit princeps in domum, quam nec fecit (ut dicunt) nec hæreditario iure acquisiuit, nec ære aliquo emit.* Dicunt *iterum:* Non *intelligit ista particularia, ne fatigetur, aut uilescat mens illa suprema.* Et *in sermone de bona, & mala fortuna bene fortunatum docent, qui dirigitur à* Deo. Sed *quomo-*

Auerrois · Astron. · Aristo. · Auerrois · Aristote. · Plato · Aristo.

do dirigit, quæ non intelligit? Quomodo condigna præmia reddit pro bene, aut male gestis (ut ibidem asseritur) qui singulas operationes non discutit? Et in Meteoris docent, q Deus supposuit ignem purum sub orbe Lunæ. Quomodo disposuit, & ordinauit, quod nec fecit, nec cognoscit? Importunũ quippe foret omnia adducere, quæ contradictione manifesta ex seipsis destructa corruunt. Sed de multis hæc pauca adduxerim: ut intelligant Peripatetici, & Auerroistæ nõ omnia incõcussa, & solida eorum dogmata. Sed ut propositum prosequamur, præponderandum existimo Augustini, Macrobij, & multorum sapientum iudiciũ, qui nõ existimant mundi æternitatem stare posse cum tam parua rerum gestarum memoria, & cum artium, & rerũ multarũ adinuẽtione celebrata ab Eusebio Pamphilo, Clemente Alexãdrino, Beroso Chaldæo, Aristotele, Auerroi, Theophrasto, Epigene, Critodemo, Philostephano, Suphano, Egesia, Archimacho, Damasthene, Aulo Gellio, & aliis quamplurimis diuersorum idiomatum, sed diffusissimè à Plinio in suo de naturali historia, ubi multa ex supradictis authoribus se collegisse fatetur. Quibus fauet authoritas sacrarũ literarum: quæ diuersarũ rerum inuentores declarat: Quamuis discrepet de inuẽtoribus, sicut & præfati authores inter se. Quod cõtingit aut uarietate idiomatũ, aut quia historici, maximè Græci, sibi uoluerunt non sua uendicare. Si igitur ab initio, imo ante initiũ fuit mũdus (ut Philosophi asserunt) cur per innumerabiliũ sæculorũ seriẽ nõ fuerat cultus, quo nunc utimur, inuẽtus? Nõ literarũ usus, quo solo memoria efficitur æterna: Nõ multarum rerum experiẽtia. Vitis cultum Noë tradidit, ut Moses narrat: qui Ianus fuit, si Beroso credimus: sed Bacchus, si à figmentis poëticis aliquid mutuari placet: per quem solarem uirtutem, qua uinum refertum est, ueri poëtæ intellexerunt. Sed Roma iam adolescente Galli uini cultum didicere. Frugum uerò culturam, & usum Ceres docuit. Græci literas à Cadmo paulo ante Troiæ excidium suscepere. Ægyptij (qui Mizraïmi Hebraicè dicuntur) à Mizrai filio Cam nepote magni Noë (Clemente Alexandrino teste) medicinam consecuti sunt: quam Apollo & Esculapius ampliarunt: Ordinauit Hippocrates cooites: Distendit Galenus pergamenus: Auxit Auicena Arabs, uel Persa, ut alij dicunt. Herbaria medicamenta Chiron Saturni, & Philerææ filius. Musices Pythagoram authorem aliqui tradunt: Alij Amphionem. Sed Tubal inuentor & pater canentium cithara fuit, ut in sacris literis habemus. Pythagoras autem malleorum pondere, chordarum, & fistularum longitudine cõsonamiam sub numerorum proportione collocauit. Marsias geminas tibias: obliquam tibiã Mydas in Phrygia: Pan fistulã: Monaulum Mercurius reperit. Chaldæi & Aegyptij astrologiam adinuenere, ut dicunt nonnulli. Sed ante illuuionem aquarum Enoc in ea peritissimus fuit: post quem Noë: quam post illuuionẽ Italos docuit: qui à Chitin abnepote Noë traxere originem: Sed à Thubal filio Iaphet (ut aliis placet) Hieronymo referente. Turres adinuenere Cyclopes, ut Aristoteles: Phœnices, ut Theophrastus: sed &

Augu. Macro. — Eusebio Pamphi. Cle. Ale. Beroso Chald. Aristo. Auerrois Theo. Epigene Crito. Phil. Suph. Egesia. Archi. Damast. Aulus Gellius. Plinius Pphilo. Diuersarum rerũ inuentores. Moses Berosus — Clemen. Alexan. — Gene. — Hiero.

Nembrot:ut sacræ literæ perhibent. Ægyptij item lucernas, & textilia: Inficere lanam Lydij: fusum in lanificio Closter filius arachnæ: Linum & Retia arachne: Fulloniam artē Nicias Megarensis: Aes conflare, & temperare Aristoteles: Lydū Scythæ. Theophrastus Delam Phrygē putat. Aerariā fabricā alij Chalybas, alij Cyclopas: Ferrū in Creta, eos qui uocati sunt Dactyli Idæi. Sed sacræ literæ Tubalchain, qui fuit malleator, & faber in cunctis operibus æris, & ferri ante aquarum illuuionem per multos annos. Argentum Erichthonius, ut alij Ceacus: Auri metalla, & cōflaturā: Cadmus Phœnix ad pangæum montē, ut alij Thoas & Eadis in Panchaia, aut Sol Oceani filius. Plumbū ex Cassiteride insula prius asportauit Midacritus. Fabricā materiarum Dædalus, & in ea serram, ascium, perpēdiculum, terebrum, glutinum, lithocollā, normam, & forcipem, & libellā, & tornū, & clauē. Theodorus samius mensuras, & pondera, Phidon argiuus, aut Palamedes, ut maluit Gellius. Ignem è silice Pyrodes Silicis filius: Mercaturas Pœni: Culturam arborum Eumolpus Atheniensis: Bouem, & aratrum Biges Atheniensis, ut alij Triptolemus. Loricam Midus Misſenius: galeam, gladium, hastam, Lacedæmonij: ocreas, & cristas Cares: arcum & sagittam Scythē Iouis filium, alij sagittas Persen Persei filiū inuenisse autumant. Lanceas Aetolos: Iaculū cum amento ferunt inuenisse Ætolum Martis filium. Hastas uelitares Tyrrhenū, & Pilū: Pētasileam amazonē securim: Pisēū Venabula: Et in tormentis scorpionem Cretēsem. Catapultā Syros phœnicas: Balistā, & fundā, Aeneā: Tubā Pisēū Tyrrhenū: Testudines, Artemonē Clazomenū: Equū, qui nunc aries appellatur, in muralibus machinis Epeum ad Troiam: Equo uehi Bellorophōtem: Frena, & strata equorū Pletroniū: Pugnare ex equo Thessalos, qui centauri appellati sunt. Bigas prima iunxit prhygū natio: Quadrigas Erichthonius: Ordinem exercitus, signi dationem, tessaras, uigilias Palamedes in bello Troiano: Specularem significationē eodem bello Sinō: Inducias Lyacō: Fœdera Theseus: Ventorum rationem Aeolus Heleni filius: Biremē Damasthenes Erythræos fecisse testatur: Triremes Thucydides Amoclem Corinthum: Quadriremem Aristoteles Carthaginenses, quos alij Charchedonios dicunt, cuius architectus Vosporus fuit. Quinqueremes Nesigiton Salaminius extruxit: Sex ordinum Zenagoras syracusius: Sed Alexander ad duodecim, Ptolemæus soter ad quindecim, Ptolemæus philadelphus ad triginta, Ptolemæus philopator, qui Triphon cognominatus est, ad quadraginta, Onerariam Hippius Tyrius inuenit, Lembum Cyrenenses, Cymbam Phœnices, Celocem Rhodij, Syderum obseruationem in nauigando Phœnices, Remum Copæ, Vela Icarus, Malum & antemnam Dædalus: Hippagium Salaminij, Ancboram Tyrrheni, Adminicula gubernandi, Typhis. Omitto innumerabilium aliarum rerū inuentores quos supra adducti authores describunt: Et ad uos: qui mundum æternum asseritis, loquar: Quid ante hæc breuissima tempora, quibus rerum inuentores assignantur faciebant illi mundi in co-

Aristo. Theop. Au. gell. Dama. Thucy. Aristot.

læ ſine Cerere,& Baccho,ſine terræ cultu, quos non mercatura,non literarum ſtudia,non diſciplinæ,non militia,non nauigatio,non fabricandi ars, non texendi,non ſuendi,non tela,non lanificium exercebat? Quibus ueſcebantur? Vbi habitabãt? Quibus ueſtiebantur? Quid agebant artium penitus ignari? Ridiculũ quippe eſt,ut iſti qui mundum æternum aſſerunt,artium, & uictus humani inuentores deſcribant:cum eadem ſimul ſtare non poſsint.

Cur ante,uel poſt, quàm Moſes narrat Deus mundum non fecerit. Cap. XV.



HIc offendit quãplurimos nedũ uulgares, ſed ſapientes,à ſenſibus, & domeſticis deducta imaginatio. Quid faciebat (inquiunt) Deus antequam mundum fabricaret? Quid illucúſque expectauit? Cur & aliquantíſper non diſtulit? Hæc,& ſimilia inuoluunt non ſegregantes Dei conditionem à noſtra. Sapienti ioco reſpondet Auguſtinus uulgaribus: dum interrogant, quid faciebat Deus ante mundi fabricam: In ſaltu (inquit) erat ligna incidens, ut temerarios, & curioſos combureret: qui uel quod heri fecerint,non recordantur:& quod Deus fecerit ante mũdi genituram inquirere præſumunt. Sed (ut cum ſapientibus loquar) dicant quæſo: Quid intelligunt per illud ante, de quo interrogant: Si fluxum temporis imaginantur,errant:cum tempus ſimul cum mundo principiũ ſumpſerit. Si uerò per illud ante, aliquid in æternitate opinantur, cum æternitas ſit tota poſſeſsio ſimul ſucceſsionem non habens,in illa non eſt ante,uel poſt:unde quæſtio nulla conuincitur: Fuit tamen ante ſuum opus impartibilis,atque tota ſimul æternitas:in qua & coæternum ſibi opus ſemper exercuit, ſuam uidelicet continuè producendo intelligentiam & prolem, ſuúmque amorem: Sicut ſemper produxiſſet Sol (ut inquit Auguſtinus) lucem & ſplendorem igniuomum: ſi ſemper fuiſſet. Nec terminat ſuum opus illa infinita uirtus: Quæ habens obiectum infinitum,infinita producit germina menſurata æternitate ab omni ſucceſsiua duratione ſeiuncta. Ideo quæ ſucceſsiua ſunt, æterna eſſe non poſſunt: ut ſomniant philoſophi: Nunc enim ſtans æternitatem ſignat: & nunc fluens tempus conſtituit: ut docet Boëtius philoſophus, & ipſe præſtantiſsimus. Non ergo tempus conuenit cum æternitate:nec æternum eſſe poteſt: Nec æternum ſucceſsionem habere: Vnde fatua eſt quæſtio, cur ante tempus temporaneum mundum Deus non fecerit, quaſi ſit aliqua ſucceſsiua duratio, antequam ſucceſsio cœperit: non enim tẽpus fuit ante mundũ. Nec aliud probat Ariſt. quãdo mundi æternitatẽ demõſtrare nititur (ut decernit uir grauiſsimi iudicij Ioãnes Scotus) niſi ꝙ nunꝗ fuit tẽpus abſq; mũdo,nec mũdus abſq; tẽpore, Quod cum loco,pari ambulare paſſu dicunt ſapientes: Ideo ſicut extra locũ nihil eſt,ad locum pertinẽs, ſic extra tẽpus nihil eſt ad tẽpus ſpectãs. Hinc ad eos, qui ſciſcitantur, cur poſterius opifex ſuum mundum non fecerit,loquar: Aſsignent mihi quæſo ſuum ante, & poſt,ſecluſa mundi machina: & ego aſsignabo cauſam, cur Deus in illo ante,

Auguſt. Idem Boetius Ariſto. Ioan. Scotus

uel post mundum non fecerit. Pudeat igitur quærere cur antè, & post Deus nõ fabricauerit, quasi absq; mundi successu fuerit ante, & post: nisi forte (ut aliqui dicũt) fuerit ante imaginatũ. Nec profectò necessarium erat, aut conueniẽs Deum fabricasse mũdũ in illo ante: quod tu nũc imaginaris. Quã optimè igitur Timæus Locrus huiusmodi uerba, fuit, erit, ante, & post, quæ sunt temporis conditiones, iudicat imprudenter transferri ad diuinam substantiã. Audiant quæso isti curiosi non ineptum Democriti iocum: Quod est ante pedes nemo spectat: & cœli scrutantur arcana, Deique secreta rimantur. Hinc etiam Sapiens: Difficile (inquit) existimamus, quæ in terra sunt cognoscere: & quæ in prospectu sunt, inuenimus cum labore: Quæ uerò in cœlis sunt quis inuestigabit: Et sensum Dei quis scire potuit, nisi ipse dederit sapientiam, & miserit spiritum suum de altissimis? Misit quippe aliquando, multifariam, multisq; modis loquens patribus in prophetis, nouissimè autem loquutus est nobis in filio, qui ea omnia, quæ audiuit à patre, nota fecit eis quos elegerat discipulis: Qui simul cum prophetis multo plura de Dei, naturæqúe sacramẽtis cognouerunt: quàm per scripturas reserauerint, memores illius prophetici sermonis: Abscondi in corde meo elo. quia tua, ut non peccem tibi. Sapientia enim Dei loquebantur inter perfectos: Quam si literis commendauerint, ea tamen lege scripserunt, ut introclusâ mysteria nemo intelligat, nisi qui eodem numine quo ipsi perfusi erant, ducantur.

Timæus
Democr.
Salomon

Deficiunt Philosophi, dum probare nituntur Deum necessariò agere ad extra. Cap. XVI.



Xpeditis à mũdi fabrica, aliud bellum cum Philosophis nobis dirimendum restat, antequam intremus in Dei, & naturæ penetralia: An Deus uidelicet necessitate quadam, an libera, & contingenti electione ducatur ad opus. Opinabantur philosophi meliorẽ necessitatis conditionẽ quã cõtingentiæ & hac de causa illã Deo attribuebãt: Quibus uidentur adstipulari rationes, ea potissimè, quia per propriã substãtiã agit & nõ per mendicatã uirtutẽ: Quia etiã effectus mundi uidentur necessarij, qui nullatenus à causa cõtingente prouenire uidẽtur: Ordo etiã rerũ inuariabilis apparens & necessarius, ne uniuersum confundi, aut disturbari possit. Nec existimare poterãt cõsentaneũ, ut diuinus intellectus necessariò, & uoluntas liberè ageret, cũ nõ minus perfecta sit quàm intellectus, & mẽs illa diuina. Possemus & nos aliquas sagittas ex pharetra rationalis discursus in philosophos dirigere, sed cũ huiuscemodi negotium ad Deũ pertineat, id nõ rationibus inuestigandũ, sed discẽdũ ab oraculis cũ Platone censemus. Intonat magnus legifer: Dixit Deus, & factum est, cum quo & eius succẽtor Dauid: Ipse dixit, & facta sunt. Quod autem uidetur sapientes illos perturbare nihil penitus est. Præsupponunt dispositionem necessariã perfectiorẽ contingenti, quod posteris reliquerunt probandum. Nonne magis commendamus Principẽ, qui omnia cõducit pro libito, quàm si naturæ aut alio quouis impulsus stimulo conduceret opus?


Moses.
Dauid

Quis libertatem damnet, quae non bene (ut uulgo dicitur) pro toto uenditur auro? Quod tanquam peculiare bonum hominibus cōcessum sapientes existimant. Quae perfectio quaeso, Quae laus in mentibus excaelsis, si semper cogerentur ad alteram partem? Quae dignitas in Principe, si omnia natura, & nihil animo generoso faceret? Postquam communi consensu fatemur Deum mundi Principem: Quae gloria de regimine, de sapientia, de iustitia, de clementia ei posset ascribi, si ad omnia sibi credita ineuitabili necessitate duceretur? Quas ei gratias, quémue cultum ei deberemus? Cur ô Aristoteles (ut ais) sacrificare naturae insitū est? Cur tenemur Auerrois (ut doces) magnificare Deum creatorē orationibus & sacrificiis? Si Deus necessario ait, ad quid sacrificia? Ad quid orationes? Ad quid diuinus cultus? Cur orare nobis proprium est (ut Plato, Porphyrius, Iamblicus, & Proculus docent) si Deus orationibus non flectitur? Ad quid Pythagoras & Socrates, oraculi testimonio, omnium sapientissimi orabant? Ad quid totum genus humanum omni tempore, omni loco, omníque natione diuinis praecibus deditum fuit? Vnde preces concluduntur proprias esse humani generis, cui cum praeces natura (ut docent) insitae sint, illis flectitur Deus: & non semper necessario operatur. Nec quia agit secundum propriam substantiam, necessario exit in opus, nisi intrinsecum: In extrarium uerò nullae externae causae compulerunt: Nec spes boni alicuius consequendi, quia seipso est foelix aliquo bono exteriori non indigens, ut profiteris tu Aristoteles cum nostro regio propheta. Nec effectus necessarij concludunt necessitatem in Principe, aut prima causa, cum eius imperio uel ordine secundariae causae (quas eius ministras Plato, & alij sapiētes uocāt) necessario agant: ut necessitas sit ab eius imperio, uel ordine, à quo eas pro libito absoluit. Hinc ignis non combussit pueros in fornace Chaldaica: Cessauit sol à cursu unius diei spatio ad Iosue imperium: Retrocessit Ezechiae tempore per decem lineas, aut decem horas: Defectum sustinuit in plenilunio, patiente Christo. Ridebunt peripatici, & sugillando dicent: Qui philosophorū, aut sapientum haec narrant? Somniant isti nugaces, qui leges sequuntur, ait ille impius Arabs: Sed quid nobis in hoc negotio cum Aristotele, aut Auerroi? Celebrata est sententia ab iis, qui peritiam iudicandi habent: plus creditur duobus affirmantibus, quàm mille negantibus. Quid mihi si Aristoteles, & mille philosophantes simul negent uerbis, quod multi testes, & ipsi sapientissimi, facto asserunt comprobasse? Attestantur hoc sacrae literae, quibus magis credimus, quàm Aristoteli. Attestatur & ille eximius philosophus Dionysius, cui nomen Ariopagita ab Ariopago: Quod concilium prius erat nouem uirorum, qui ex nouem primis magistratibus eligebantur: Postea ad quinquaginta usque creuerunt ex praecipuis tū doctrina, tum sanctimonia, & sapientia, tum etiam diuitiis, ne paupertate impulsi mentirentur: ut Androtio in secundo, & Philocorus in tertio rerum atticarum scribunt: Quibus sapientibus causae maiores delegabātur cognoscendae. Is ad Polycarpum scribens, Apolophanem sophisten, quia non admit-

Plato
Porphy.
Iab. Pro.
Pyt. So.
Aristote.
Dauid
Plato.
Auerrois
Dio. Ari.
Andro.
Philoc.

teret uariationem solis in Messiæ morte exhibitam, his uerbis redarguit: Nescio quo spiritu afflatus, ad diuinationem prorupisti Apolophanes, quando unà mecum aspiciens eclypsim contra naturæ ordinem, tempore Christi patiētis ad me conuersus dixisti: Hæ præclare Dionysi sunt uicissitudines rerum diuinarum: Ea si potes argue: Nempe tecum unà præsens fui, unáque aspexi, iudicaui omnia, dignáque sum admiratione prosequutus. Cui etiam integerrimo philosopho si non credis, audi quid Astronomi dicant. Æsculus in eo genere peritissimus, tunc temporis Solem in Ariete, & Lunam in Libra uolui Astronomico calculo decernit, quando defectum passus est Sol stante plenilunio: quo Iudæi de more Pascha suum celebrabant. Phlegro insuper Olympiadum egregius supputator lib. 13. in anno quarto ducentesimæ secundæ Olympiadis defectionem solis magnam fuisse perhibet super omnes, quæ ante fuerant: quo tempore Christus passus est. Retrogradationem solis simul & aquarum illuuionem tanquam toti orbi notissimam Plato minimè tacuit. Legantur Persarum & Chaldæorum monumenta, ubi hæc famosissima miracula recondita sunt. Hinc & sacerdotes Persæ memoriam triplicis mithri, id est, solis celebrant: ut Dionysius, & Strabo testantur: Mithros enim uel Mithras solem Persæ appellant: Qui tempore Ezechiæ uisus est triplicem peragere cursum, uel tres figere stationes, & consueto progressu ad occasum, & nouo recessu per decem horas ad orientem, & rursus denuo ad occasum tendens. Omitto alios testes, Philosophos, Gentiles, Chaldæos. Ægyptios, Phœnices, Græcos, Sibyllas, historiographos á Iosepho, Aristobolo, Tertulliano, Eusebio ad hæc citatos quāplurimos. Et si ualet arguēdi locus ab authoritate, ualeat & hic depositio tot sapiētum in facto, quod Aristoteles negat in uerbis. Prudentissimè Auicena motum illum neque necessariū, neque uiolentum existimat, sed medium inter utrunque, ut sit ad arbitriū principis. Sunt tamen adeo ligatæ causæ secundariæ cum prima, ut tantum operentur, quantum ipsa iubeat. Sed eadem (ut inquit Augustinus) res quas condidit, ita administrat, ut ipsas proprios motus agere sinat: Quod quia rarò contingit, & ordo à primæua institutione decretus, ut in pluribus & frequenter perseuerat, ideo Aristoteles iudicat naturale, atque necessarium. Naturale (ut ipse docet in de physico auditu) est, quod accidit ut in pluribus, & frequenter. Nec poterat ultra ex sensibilibus inuestigare. Operationes uerò Dei, & connexionem rerum inferiorum cum prima causa, non rationis discursu inuestigandæ, sed oraculis (ut diximus) ediscendæ sunt. Hinc progressus ex ea necessitate, quæ uidetur in effectibus ad necessitatem causæ, conuincitur nullus, cum effectuum necessitas ab ordine primæ causæ dependeat. Nec quippe necessarij sunt, cum particulares sint omnes: quia opus naturæ non ad uniuersale, sed ad singulare terminatur, quod magis cōtingens, quàm necessarium esse ipsimet perhibent. Sed quia contendunt species æternas, & necessariam cohærentiam subiecti ad prædicatum, in qua essentiale propriū, uel quidditas (ut aiunt) de sub-

Aescu. Phlegro Plato Persę Chaldęi Diony. Strabo Persæ Ioseph. Aristot. Tertul. Eusebius Aristo. Auicena Aristot.



iecto dicitur, alia est exquirenda necessitatis causa, quæ est (mi fallor) correspō-

Aristo. dentia ad illa exemplaria, uel ideas æternas ab Aristotele suis sensibus immer-

Plato. Syria. so derisas, à Platone & nostris sapientibus celebratas, à Syriano uiriliter defensatas. Quam correspondentiā meliori necessitate suffultam existimo: quàm si illud uniuersale ex multis (ut opinantur) particularibus pullularet: Quod (iudicio meo) stare nequit, cum illud uniuersale sit esse quoddam simplex, quod nec

Procul. Sapien. intelligentia, nec natura (teste Proculo & multis sapiētibus) producere potest: quia etiam uniuersale, aut simplex: est prima omnium rerum creatarum antequam intelligentia, aut cœlum, aut aliud particulare, quodcunque sit, produceretur. Et quamuis modus producendi Proculi ab aliquibus carpatur, in conclusione tamen conueniunt: Qua admissa modum arguendi ipsi enodent. Subsequitur igitur effectus (ut ad id redeamus: unde digressi sumus) immutabilem determinationem & ordinem supremæ causæ, nisi eadem ipsa aliter decreuerit. Quòd uerò addunt Dei uoluntatem coæquam perfectionem habere cum intellectu, qui necessariò agit, admittimus, dum in penetralibus operatur cum ipso intellectu conformis, sed effectus extrarios, quos intellectus ab æterno in uerbo depinxit, pro libito explicat. Miror quippe eos Philosophantes, qui Deum fatentur simplicissimū, & perfectum omni exteriori secluso, & statim sui dogmatis obliti, Deum necessariam connexionem cum inferioribus habere existimant, ac si nequiret sine ipsis aut stare, aut beatus esse. Quomodo simplicissimus, si necessariam habet cum aliis connexionem? Quomodo princeps omnium (ut aiunt) necessariò mancipatus seruitio inferiorum? Quæ dignitas, quæue conditio summi principis? Nec timeant, ut destruatur ordo cælestium, & uniuersi, si pro libito disponit, & uariat artifex, cum sciat ad ordinem reducere, quæ fabrefecit, & ordinauit. Nec quippe timenda est artificij destructio, quando artifex apponit manum, cuius contactu potius perficitur, quàm destruitur.

Progressus pro contingentia in diuino opificio. Cap. XVII.



HVcusque scutum pro ueritatis & diuinæ celsitudinis defensione sumpsimus: nunc autem ultra ea, quæ diuina docuerunt oracula, aliqua in hostes ueritatis dirigemus tela: qui Deum existimant necessariò agere. Et si potius contemnēdi, quàm confutandi, sunt

Procul. ij, quos Proculus de mente Platonis in tertio genere impietatis collocat, nec cum ipsis agendum, cum de diuinis loquimur, decernit: tamen ut ipsi propriis spiculis confodiantur aliqua percurremus. Et hos rogatos uelim, ut exponant: unde mōstra in natura eueniant. Dicent quippe: Quia defuit, aut superfuit materia: uel qualitates debita proportione non respondent: siue propter continentis malitiā: & huiusmodi, quæ in diuersa membra subdiuiduntur. Sed si causæ hæ necessariò agunt: cur non omnia debitè præparant, cum natura (ut aiunt) non deficiat in necessariis? Quomodo igitur necessario agunt, si deficiūt? Inferre uis, inquiēt, causas naturales operari contingenter. Et si dicerent: Quid sequeretur? Tamē

ut tollatur superflua altercatio, recordentur esse tritum in scholis, necessarium duplici modo se habere: alterum quippe absolutum, alterum uerò conditionatū. Alterum (nisi sacrarum literarum ueritas me fallat) soli Deo benedicto tribuē-dum est. Alterum uerò inferioribus, ut necessaria sint ex ordine ab opifice dato. Sed quia forsitan negarent philosophi, ueniamus ad opus istarum causarū. Nam si peccant, & monstra producunt, id est, quia deficit ordo, sibi à natura (ut dicunt) uel ab opifice summo decretus: ut ueritas est. Et si deficiunt ab ordine, ille non erat simpliciter necessarius, sed datus à prima causa: cui aliæ subordinatæ in eius uirtute agunt: à quibus si prima se subtrahit, non solum deficiunt, sed nihil operantur. Et si aliqua uidentur de necessitate conducere, id prouenit ex lege ipsis data, ut canit ille Deo plenus: Terminum posuisti, quem non transgredientur. Nec tamen legi tenetur, qui aliis legem imponit. Sed dicent: Scientia igitur erit de possibilibus aliter se habere: cuius oppositum docet Aristoteles? Quibus dicemus: Si Aristoteles uester intelligit ea, quæ sciūtur necessaria esse ex ordine uniuersi: sic erit de impossibilibus aliter se habere. Si autem intelligit necessaria absolutè, recordetur, quid in calce libri de physico auditu docuerit: quòd ad sapientem non sufficit dicere: nisi dicti rationem assignet. Nec adducant experientiam: quia inde facilè concludetur necessariū illud ex ordine prouenire: quo deficiente, illa deficiunt: Ergo non sunt simpliciter necessaria. Si dicant: ergo possunt aliter se habere: Quid ad me? Ipsi soluant: Potest enim ignis non comburere, ut de facto fuit: Potest & amoueri quicunque effectus ab ea causa, quæ eos produxit, remanente tamen inhærentia (ut diximus) prædicati ad subiectum, de quibus est eorū scientia. Sed ultra progressi à peripateticis uellem perdiscere: Vnde illa necessariò inhæreant. Dicent: Habent à natura, ut experientia comprobamus. Sed quid est hæc eorum natura? Nihil certè, nisi author uniuersi, qui est uera intelligentia non errans, postquam (ut docent) opus naturæ est opus intelligentiæ, non errantis: Cuius ordine omnia succedūt: quia ei seruiunt omnia, inquit Propheta. Nec dicāt, Quid ad nos de Prophetis, cum sciri non existimemus, nisi ea, quæ demonstratione probantur? Sed ubi, quæso, habet originem demonstratio? Nonne ex principiis, quibus notis terminis assentimus, uel experientia comprobamus? Sed si demonstratis credimus per principia & experimentata: ergo alia magis sciuntur quàm demōstrata. O execrabile uitium, quod inoleuit apud nostros, qui christiano funguntur nomine, ut non admittant pro certo, nisi probetur demonstratione: quam pinxit Aristoteles: Vtitur uerò minimè in suo progressu naturali: ubi semper ex præsuppositis ab eo factis procedit: ut quam credunt demonstrationem, sit deductio per locum ab authoritate, uel ex præacceptis ab ipso. Si catholici sunt, magis sacræ paginæ, q̄ Aristoteli credant: Si Academici, sciant per illustratiuos radios multa, maximè diuina cognosci, aut per conuenientiam dictorum cum intellectu ueritati affecto. Si Peripatetici sunt, audiant suum Aristotelem, alia quàm demonstra-

Dauid

Aristote.

Dauid

Aristo.

ta posse cum certitudine cognosci: Unde habet, quod scire sit per demonstrationem intelligere? Nonne ab Aristotele sic dicente? Et nos habemus dogmata nostra à
Prophe. Prophetis diuino oraculo edoctis: qui prodigiis, & uitæ discrimine probant, quæ docent. Et si diceremus, quòd scire est cognitio certa de quacunque re, peccaremus ne in spiritum sanctum, an in Aristotelem? Non quidem in spiritum sanctũ, & de Aristotele parum curo: quia nec meus dominus est, nec ad tribunal eius ueniam iudicandus, si ei nõ adhæsero. Sed dicent me temerarium, aut ignarum: quia discedere audeo ab Aristotelicis institutis, quæ tot præclara ingenia sequuntur. Hinc dolor, hinc lachrymæ (heu horrendum facinus) postquam magis timent negare Aristotelem, quàm Paulum, in cuius pectore Christus resònat: imo ipsum Christum, qui est Dei sapientia, & ueritas, qui omnes iudicabit, illos potissimè qui ipsum nomine, doctrina autem, & uita Aristotelem, quem cacodæmonem Græci uocant, aut insanum, & impium Auerroim sequuntur. Parum ducimus (ut cum Ioanne Scoto loquamur) negare Aristotelem, in his quæ
Io. Sco. sunt contra doctrinam ueritatis, quam defendimus: Qui & si sagacissimus fuit, & studiosus lector aliorum dogmatum, & diligens collector, uersutus tamen criminator fuit priscorum: quorum sententias male adductas nequaquam impu-
Simpli. gnat, procedens potius (ut Simplicius eius auditor ait) contra uerba quàm sensa, multáque occludens: ut solus uideatur sapiens. Quid ergo mirũ si iustissimè carpatur, qui tot præclaros uiros iniustè criminatus est? Parmenidẽ, Melissũ, Democritum, Pythagoram, & eius diuinum præceptorem Platonem: Cuius doctrina (non tantum meo sed multorum sapientum iudicio) tãto excedit Aristolicam,
Plato quanto diuina, quibus semper redolet Plato, simul cum Pythagora, eminent ter-
Aristo. Procul. restribus, quibus deprimitur Aristoteles: Qui (ut ait Proculus Academici, & Peripatetici dogmatis professor) simul cum Theophrasto, & aliis peripateticis, usque ad formas uniuersum mouentes suæ speculationis lumen accẽderũt.
Plato. Plato uerò ab eo, qui inter entia dignitatem habet, longe semota, & eo quidem digniora sumit exordia: unde & eius progressus sublimior. Alios quoque innumeros criminatur Aristoteles, quorum dicta, si ruminentur, non forte digna castigatione iudicabuntur: Ab his enim ipse didicit omnia, quæ scripsit. Nec sibi uendicat, coactus ueritate, nisi elenchos. Cætera uerò ab antiquioribus accipiẽs suis syllogisticis processibus innectit: ut potius artificiosam artem, & depressum modum procedendi tradiderit, quàm scientiam: ut ipsemet tacite fatetur, ubi de posterioribus analyticis tractat docens, quòd scientia sit per demonstrationem, & hæc per quidditates (ut aiunt) & proprias rerum differẽtias nobis occultas: Unde principia demonstrationis conuincuntur ignota, & nullam inde, uel paucissimam demonstrationem haberi posse. Damnat insuper demonstrationem circularem, & tamen docet demonstrationem fieri ex his, quæ sunt de omni per se, & secundum quod ipsum, ut eius more loquar: Quæ enuntiationes sunt conuertibiles, & ad inuicem se inferentes. Non datur (inquient) circulatio in demon-

ſtratione ex cauſis. Sed aduertant, quòd parum ſupra dixerat demonſtrationem circularem aliquando reperiri. His autem omiſsis, cum nihil doceat in doctrinis, quæ ab antiquis non acceperit: cur ei magis credendum eſt quàm antiquis, qui ante eum tradidere? Dicent: Suſcipimus librata Ariſtotelica trutina: Et utinam non deprauata in damnum religionis chriſtianæ, & ueritatis: Tamē petulantes aliqui, & in doctrina nouitij impudentiſsimis buccis dicere audent: Non allego tibi Geneſim, Ieremiam, aut Iſaiam: ſed Ariſtotelem adduco: quaſi Moſes, & prophetæ non fuerint ſapientes, & gnari literarum: cum tamen ille fuerit omni ſapiētia Aegyptiorum inſtructus: poſtea Dei oraculo ſubuectus ad ipſius Dei, & naturæ penetralia contemplanda: quæ neque Ariſtoteles, neque eius ſtudioſiſsimi aſſeclæ aliquando cogitarunt. Et Prophetæ diuino afflati lumine, quod lucifugæ, & obtenebrati uidere nequeunt, nedum uaticinati ſunt: ſed multa ex intimis promptuariis Dei, & rerum inferiorum (ſub ſuis tamen ænigmatibus) tradiderunt. Dicunt aliqui modeſtiores: Honoramus prophetas, & ſanctos uiros in diuinis: ſed in naturalibus hic eſt regula, quam ſequi debemus. Sed miror quippe, quomodo diuina, & ſuprema cognouerint: & inferiora, per quæ ad ſuprema deuenitur, ipſis fuerint occluſa. Et cum Deus ſit ſpeculum, in quo omnia lucent, quomodo ipſum cognouerunt, non cognitis imaginibus, quæ ſplendent in eo? Hinc non opinarentur illos archetypum cognouiſſe, nō cognitis quæ in eo continentur, ſi connexionē archetypi cum mundana hac machina, & humano mundo percepiſſent: Quorum quilibet alterius ſimulacbrum, & imaginem tenet: & ex unius cognitione alius facilè dignoſcitur. Hinc & à diuino oraculo, & à ſapientibus multis, Mercurio, Platone, Socratæ, Zoroaſte, & ab ipſo Ariſtotele, mirum in modum commēdatur propria cognitio: quia ex ea in Dei, & machinæ huius perfectiorem cognitionem, quam tradat ipſe Ariſtoteles, facilius peruenitur. Neceſſarium quippe erat uatibus illis diuina, & humana, & eorum correſpondentiam intueri: qui de diuinis ita loquebātur per ænigmata, & uelamina rerum inferiorum, ut Dei ſacramenta uulgaribus, & noctuinis oculis occultarentur. Sed ſi quis ſublato uelamine prophetas legerit, proſpiciet eos melius naturæ, & Dei arcana rimatos, quàm Ariſtoteles. Nec Sol culpandus eſt, ſi oculus non uidet. Quando (inquit Hieronymus) Ciceroni addictus eram: ſi propheta aliquis ſumebatur in manibus ſermo horrebat incultus: & putabam defectum eſſe nō luminis, ſed ſolis: Caſtigatus autem, & ſublato uelamine uidit in prophetis, quæ in gentilibus antè non legerat. Sed ut ad rerum contingentiam redeamus. Acrius hic arguit Algazel, ex eo, quod partes huius machinæ ſint eo modo diſpoſitæ: ut ſine aliqua contradictione potuerint aliter ſituari, unde cōtingentes: ſunt & nō neceſsitate, ſed pro libito diſpoſitæ. Reſpondet Arabs: Nos dicimus, quòd mundi partes non potuerunt aliter diſponi: eo quòd mundus ſit animal. Vnde per fide didiciſti à tuo Ariſtotele huiuſcemodi arguendi modum? Vis enim ut tua authoritas ſit pro principio demon-

Propheæ

Mercu.
Plato.
Socrates
Zoro.
Ariſtot.

Hiero.

Algazel

Auerrois

strationis. Unde insuper haec illatio? Somnias ne, an phrenesim pateris? Si mundus est animal: est ne sensibile an insensibile? Si sensu priuatus, ergo non animal: Si sensitiuus: uidet ne, audit, odorat, gustat, comedit? Si comedit: quis, quaeso, ei praeparat cibum? Unde illum sibi comparat? In mundo ipso, an extra? Si in mundo: comedit seipsum: Si extra mundum: est igitur alius mundus. Et dubium est, ne comedendo se inuicem, se destruant. Sed dimisso ioco in re tam graui, si detur quòd sit animal (ut Plato, Aristoteles, & multi sapientes innuere uidentur) utique non est animal contentum sub genere animalium: quia ea, quae sunt in machina ista, diuiduntur priori diuisione, antequã deueniatur ad animal. Sed esto quòd dicatur animal secundum analogiam & similitudine quadam: Cur dispositiones eius non potuerunt aliter ordinari? Unde repugnat homini, ut oculũ unũ tantummodo habeat in fronte, sicut de quibusdam dicitur? Cur non potuit in aliis animantibus mandibula superior mobilis fieri, inferiórque firma, sicut in cocodrilo cernimus? Cur non possent alia animalia duplicia habere genua, sicut Camelus? Quae repugnantia esset, si homo haberet quatuor brachia, & unam tantummodo auriculam? Haec sunt à summo moderatore sic coordinata, ut sine aliqua contradictione potuerint aliter disponi, nisi praesupposita conditione specificae naturae: quam ipsi idẽ opifex statuit. Sed ad mundanũ animal ueniamus. Qua necessitate dispositum est mare, & terra, ut oceanum intret per angustissima ora Abilae, & calpes promõtoria excelsa: quae columnas Herculeas uocauit antiquitas? Unde necessarium est: ut inde statim longè, latéque diffundatur: quod iterum in Thuscum mare (quod Tyrrhenũ uocant) distenditur: nunc in sinũ Adriaticũ angustatur: nunc dilatatur in Syriacum: nũc per Aegeum circũfluit: quod ex pulcherrima insularum interiacentiũ numerositate archipelagus dicitur: & inde per arctissima ora coarctatum Hellespontus fit: Propontúsq;, ubi expandit: & ubi iterum premitur Thracius Bosphorus: quãdo iterum effunditur, Pontus Euxinus, id est hospitalis (mollitis ferarum gentiũ moribus) efficitur: qui primo Axenus, id est, inhospitalis ex saeuo admodum incolentiũ ingenio dicebatur: Et iterũ cũ paludi Maeotidi admiscetur Cimerius Bosphorus nominatur? Quae etiã necessitas, ut Nilus p Aetiopas, & Arabes ad Ægyptũ perueniens, & Tanais per utrãque Scythiam discurrens, & in mediam ferè Maeotidem defluens tres mundi praecipuas partes distinguant? Quae etiam necessitas, ut terrae aliqua pars in ualle deprimatur: alia per cãpestria dilatetur: alia exurgat in colles, & excælsiores montes: atque ut flumina sempiterno lapsu, & torrentes suis temporibus decurrant? Qua necessitate sint aliae terrarum Glebae foecundae, aliae steriles, aridae aliae, & aliae paludosae? Nónne possemus totum terrae ambitũ sine aliqua repugnantia imaginari planũ, molle, atque frugiferũ? Et si Deus potest facere, quae cogitare nõ possumus, ut sapientiores quàm Auerrois affirmant, cur non potest facere quae imaginamur? Quod si efficere ualet: non ergo necessariò sunt res dispositae eo modo, quo cernimus.

Plato
Auerrois

Quod Deus cognoscit particularia. Cap. XVIII.



Vnc & alia contra physicos sua sunt retorquenda iacula ut in cõcussæ ueritatis scuto muniti ad alia pergamus. Opinabantur Deũ benedictum sublimiora tantum, & uniuersalia prospicere, particularibus aut paruipensis, aut secundis causis creditis: quasi dedignaretur, aut turpius ageret intellectus diuinus, si huiusmodi cõtueretur. Nõ uidere (inquit Aristoteles) quædam melius, & nobilius est quàm uidere: Quẽ interpretãdo Arabs, ait: Ignorare uilia melius est q̃ scire. Quæ sunt (quæso) illa uilia, quæ satius est si nesciuntur quàm si sciantur? Illa quæ nõ sunt, sciri non possunt: Illa quæ sunt, bona utique sunt: Si bona, quomodo uilia? Et si contendas uilia esse etiam quædã bona: quæ sunt quæso illa bona uilia? Si intelligis Angelũ: cur non cœlum? Et si cœlum: cur non hominem? Et si hominem: cur non elementa, ubi habitat homo? Cur non equos, & boues, uniuersáque homini ministrantia, & quæ in homine nota quædam includuntur? Vbi ponemus terminos eius intelligentiæ? In cœlo ne, an in terra, elementis, plantis, an in animantibus? Vbi quæso? Et (ut cum Cicerone loquar) si Deus consulit cœlo, & insulæ, quam nos orbẽ terrarũ uocamus, consulet & incolis ipsius, & partibus insulæ, Europæ, Asiæ, & Aphricæ, & habitatoribus earum: & magnos ut præferat (quia nemo magnus nisi diuino afflatus numine) & paruos ut sustentet: Nam pusillum, & magnum (ut sapiens ille ait) effecit. Quorum, & totius mundi, cum ipsi eum fateantur principem: quid faciet in principatu nisi regimen detur? Et si regit omnia: quomodo melius est, ut ignoret etiam infima, quæ gubernat, quàm si ea cognoscat? Quis adegit eum in ignorantiam Physicarum, Mathematicarum, atque aliarum rerum, etiam si minutißimæ sunt? Quis mensus est capacitatem eius? Aristoteles, an Auerrois? Commendat ille sententiam patrum Chaldæorum: qui de scientia Dei solerti ingenio perscrutati sunt: & tamen non consentit cum ipsis: q̃ Deus omnia intelligat. Nec uilescit (boni uiri) intellectus sapientis: si herbarũ, succorum, & lapidum gradus, qualitates, & uires etiam minutissimas cognoscit. Nec si cœlestium gradus, minuta, secundas, tertias, & centesimas partes minutorum cognoscat. Omnium uoce commendatur Salomon, cui cognomento sapiens: quia disputauit à cedro Libani usque ad hyssopum, quæ exit de pariete: & qui disseruit de iumẽtis, uolucribus, reptilibus, & piscibus: Viluit ne propter hoc intellectus, & sapientia ipsius? Viluerunt ne Aristoteles, & Theophrastus qui eum imitati, alter de animalium, alter de plantarum natura disputauit? Et si antiquiores repetere uoluerimus: nónne Hermes in sapientia maximus, syderũ quorũdam, lapidum, & herbarum singularem scripsit concordiam? Auus eius Esculapius (ut quibusdam placet) pro Deo habitus est simul cum Apolline: quia primi cognitis herbarum, & radicum proprietatibus ad sananda humana corpora ipsarum succos, folia, & pulueres applicauerunt. Quis, quæso, sapientiores, an rerum istarum ignari, an illi, qui tanto honore ob ipsarum cogni-

Aristo. Auerrois Cicero Sapien. Aristo. Chaldæi Salomon Aristot. Theoph. Hermes Aesculap. Apollo

tionem sapientum nomen sibi uendicarunt? sed dicent: Fuerũt sapientes, non quia singularia, sed quia rerum species, & naturam uniuersalem speculati sunt. Et quomodo rerum species indagarunt, nisi præhabita (ut docent) à particularibus experientia? Nec cognoscere potuerunt species absque singularibus: cum uniuersale nihil aliud sit (ut asserunt) nisi unum de multis. Quomodo istud unum intelligi potest, nisi & multa intelligãtur: à quibus illud unum per eos extrahitur: uel per rationes ideales, quas ipsi non sustinent? Et si species intelligere non repugnat sapienti: nec si omnes species intelligat, repugnabit. Cognoscere poterit igitur animalia, pisciculos, uermes, formicas, & plantas. Sed cur quæso hominem antistitẽ mundi ignorabit? Quomodo eũ tanquã princeps reget, prouidebit de necessariis, iudicabit, nisi indigentias eius omnes, benè maléque acta cognoscat? Intonat Dei sapientia, cui satius est credere quàm Aristoteli, aut Auerroi: Scit Pater uester quibus indigetis. Intonat & eius prophetica tuba: Nõ est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto: imperfectum meum uiderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur: ut accipiant pro bonis, uel pro male gestis condigna præmia. Aliud adducunt: quod fortissimum robur existimant. non posse uidelicet mentem illam supremam inferiora hæc intelligere: ne ab eis mota, aut perfecta à sua simplicitate cadat. Miror quippe, quomodo Dei summi cognitionem cum nostra æquiparent, cum dicat Aristoteles: quoniã intellectus Dei est simplex, & perfectus, & à se. Et sic, à se intelligit omnia quæ sunt in sæculo: Cuius uerba interpretando Auerrois, ponit differentiam, inter Dei scientiam & nostram: quia nostra causatur ab ente: illa autem est entis. Nec uult aperte dicere: quòd sit causa entis: ut catholici libere profitentur: ueritate tamen coactus tacere non potest. Nam superius per obscura uerba dixerat, quæ nescio an Barbarus barbaricè protulerit, an studiosè inuoluerit: quod inuitus fateri cogebatur. Audite, quæso, portenta uerborum: Veritas inquit est: primum quòd scit omnia: secundum, quòd scit se tantum scientia in esse, quod est causa eorum esse. Et ut Barbarum barbarico sermone prosequamur: Si in esse scientiam in rebus, est causa eorum quæ sunt: ergo intelligendo causat ea quæ sunt: Et si ea intelligit: nonne eorum intelligentia est in intellectu ipsius? Cur ergo tu, & præceptor tuus deridetis ideas: quæ nihil aliud sunt, nisi cognitiones rerum, & exẽplaria faciendorum in illo intellectu primo: qui omnia cognoscendo, & iubendo producit? Nec ab obiecto producto cognitionem sumit, aut mouetur, uel perficitur, mendicátq;, ut intelligat, aut excitetur: ut noster intellectus facit. Nec deficit ille intellectus summus tot particularia speculãdo: Potius deficeret ille unicus intellectus Auerrois tot indiuidua informando, uel dirigendo, aut illustrando. O stultitiam atque uecordiam. Robustiorem opinaris intellectum, quem fabricas, quàm sit Deus, qui omnia fabricauit? Cum Deus insuper sit finis omniũ: in quem & omnia diriguntur, tãquam in amatum, & desyderatum: à quo hæc omnia diriguntur? A natura inquient. Sed quæ est hæc natura? A nemine adhuc

Christus

Dauid

Aristote.

Auerrois

exploratum habeo, quæ sit natura illa: de qua loquuntur, an sit à Deo fabricata, an tanquam Dei cõiunx simul cũ eo mundum produxerit: tum dicant, Deus & natura nihil facit frustra, quasi simul mundi huius fœturã educant. Nec potest esse huiusmodi natura, materia, aut forma, quæ nihil agunt, nihil ordinant. Nec rationes, neque rerum gradus, quia nescio quid uniuersale innuunt per hanc suam naturam: quòd simul cum Deo agat. Sed quid illud sit nusquam explicuerunt. Profitentur tamen Deum simul cum ipsa agere: & omnia bene disposuisse: & alibi asserunt Deum nihil agere, nisi tanquam finem attrahentẽ. Et si causæ secundariæ, quibus coagit, sunt hæc natura: quis ordinauit eas? Quis statuit, ut simul cooperarẽtur? Est natura (inquiunt) principiũ motus, & quietis. Sed quid est hoc principium motionis, & status, nisi inclinatio insita mãcipatis ipsi motui ab aliquo agente? Et uelint uolint, in unum conueniendum ipsis est, à quo omnis motus, & ordo procedet, ut ipsi docent. Et nisi timerem me exponere peripateticis uelut temerariũ lacerandũ, interrogarẽ, quid est hæc natura, cui primo nota dicunt esse uniuersalia? Quis mutuus processus à natura ad nos, & econuerso? Quis in isto pilarum ludo respõdet nobis. Quæ est iterũ hæc natura, quæ accommodat nobis principia: per quæ conclusiones cognoscamus? Est ne aliquid generale agens? Aut quid aggregatum ex naturalibus? Aut ipsõrum ordo? Est ne aliquid rationis capax, aut elementum, lapis, cœlum, uel huiusmodi sensu carens? Si nõ sentit, nec intelligit: quomodo sunt ei nota principia? Si uerò intellectiuum: quid est hæc natura? Sumus nos, an intelligentiæ, an Deus ipse? Si nos: quomodo eadem erunt prius nobis nota: unde præaccipiamus notitiam? Si intelligentiæ sunt hæc natura: quomodo sunt extra naturalem, & Physicam speculationem (ut ipsi docent) quia non mouentur dum mouent? Et cur nõ dicunt: sunt nota intelligentiis separatis, uel coniunctis hæc principia? Si uero Deus est hæc natura: cur ipsam nominant tanquam aliquid ab eo seiunctum: dum dicunt Deus & natura? Est ne iterum hæc natura intellectus aliquis extra uniuersum, aut quinta, uel sexta essentia? Dicent forsitan Auerroistæ: Natura est intellectus unicus, perfectus, hæc omnia intelligẽs. Sed quomodo erit hic intellectus principiũ motus, & quietis, in eo quod est secũdũ quod est? Erit igitur hic intellectus in animantibus, pulicibus, & muscis, & plantulis minimis, & elementis, mouens ea propriis motibus. Non ergo tantummodo hominibus, sed etiã rebus omnibus erit hic unicus intellectus: cur ergo non omnia intelligent? Est ne hæc benedicta natura, quæ cælos, membra corporum, & organa omnia disposuit: de qua dicitis: quòd non deficit in necessariis, nec aliquid frustra agit? Quia nec membrum, nec cœlum, nec uilissimum puluisculum, nec motum aliquẽ admittit superfluum, cum omnia quamoptimè disposuerit. Sed quis est ordinans hæc omnia, nisi ille quem Deum profitemur? Cur ergo de natura loquentes innuitis aliquid ab ipso Deo separatum? Forsitan ne fateamini Deum mundum fecisse: quod impiè negastis: Concessistis tamen, quòd Deus cum natura si-

D

mul fecerit, quasi non potuerit Deus aliquid sine natura efficere. Quae est enim conditio naturae huius, ut suppleat in quibus Deus perfectissimus deficit? Est ne rursus haec natura à se, an à Deo producta? Si à se: erunt igitur duo habentia esse à seipsis, & duae primae causae, duo denique Dij. Si à Deo producta est: erit igitur Deus opifex naturae huius universalis: cur non & particularis? Quae somnia sunt ista? Dicent: In particularibus concurrit causa particularis simul cum universali. Si concurrit causa prima, & coagit, intelligitne quae facit? An deterioris conditionis est causis inferioribus? Si intelligit ea particularia in quibus naturae coagit, ineptè dicitis ipsum particularia non intelligere.



Qua consonãtia rerum principia, & eorum descriptores conueniant. Tonus II.

Quanta discordia perstrepent mundi sapientes in suis dogmatibus. Cap. I.

Quod catholici scriptores conueniant. Cap. II.

Quanta dissonantia mũdi sapientes eius iecerint fundamẽta. Cap. III.

Dissonant philosophi etiam in negotio animae. Cap. IIII.

Quod non minus dissentiant in scribendo eum finem, quem omnia appetunt. Cap. V.

Vnde nostri consonãtiam, & illi dissonantiam traxerint. Cap. VI.

Qui doctores in diuini & mundani instrumenti penetralibus personauerint cõcordes. Cap. VII.

Cur antiqui studuerint abscondere dogmata, quae tradebãt sub metaphoris, aut aenigmatibus. Cap. VIII.

Quomodo possent dissonantes concordari. Cap. IX.

Conuentus sapientum in geniturae mundi spatio. Cap. X.

Cur numerus senarius fabricae, & septimus dies requiei addictus sint. Cap. XI.

Concordia antiquorum in rerum unitate. Cap. XII.

De prima rerum productione consensus. Cap. XIII.

QVANTA DISSONANTIA ABSONI REPERIANTVR MVNDI SAPIENTES IN SVIS DOGMAtibus. Caput primum.



TANTA dissonantia, & pertractant, & agitant mundanũ hoc instrumentum illi, qui mundi sapientes dicuntur: ut eorum familiæ, nec doctrina, nec moribus, nec religione, nec fine, propter quem omnia operantur, conuenire poßint. Et tam horrido horrore perstrepunt, ut nullus poßit eos simul sonantes auscultare fracta penitus hormonia: Quæ (ut musici diffiniunt) est concentus neruorum, aut uocum in integros modos sine aliqua offensione consonantium. Isti autem in eadem familia enutriti, sub eodem præceptore edocti, penitus dissonant. Socratici discipuli Aristippus, & Ariston adeo dissentiunt in fine: ut alter in uoluptate, alter uerò in uirtutibus finem nostrum collocauerit. Aristotelis præcipui asseclæ Alexander, & Auerrois eius dogma scindentes biuium faciunt, maximè in negotio animæ: cum ille mortalem, hic autem unicum intellectum in omnibus asserat: qui non modo inter se, sed à ueritate dißident. Aristoteles autem auditor Platonis uno anno supra uiginti à doctrina, & moribus præceptoris adeo dissẽtit: ut eum criminetur, & falsis calumniis prosequatur. Saracenus Algazel contra omnes philosophos insurgit: Et in eũ Arabs Auerrois inuehi utitur: sed uelut coluber in ipso conatu frangitur. Lucretius Epicurus & à condiscipulis, & à seipso dissentit, nunc Deum cum mortalibus consortium habere decãtans, nunc habere denegans, sic in multis aliis dissonantia manifesta prosequitur. Pythagorei uerò circa animarum transmigrationem in plures partes penitus dissonantes secantur. Hiarcas Brachmana, & Apollonius Thieneus transmutationes fieri etiam bestias asseuerabant. Vnde sunt illæ metamorphoses celebratæ: quibus alium in lupum, Illam in Philomelam, aliam in Laurum, & huiusmodi mutatos decantant. Iamblicus, & Porphyrius transmigrationes huiusmodi in bestias penitus reprobarunt, non admittentes animam à centro suo, in quo semel defixa est, euelli posse. Sed & Proculus, Hermias, atque Syrianus horrendum existimabant facinus, cælestem animam in bestias præcipitari. Timæus Locrus Pythagoræus nobilißimus ad terrores hominum has transmutationes inductas asseuerat. Thales Millesius aquam opinatus est esse rerum omnium principium: Sed eius auditor Anaximander rerum principia credidit infinita: Subdiscipulus autem Anaximenes infinito aëri omnium causas tribuit: Cuius discipuli Anaxagoras, & Diogenes dissentiendo, Ille infinitam materiam ex dissimilibus particulis cõtextã generũ, & specierũ omniũ, pro sui cõditione principium fuisse sibi persuadebat: Hic uerò aërẽ (diuinæ tamen rationis compotem) rerum materiã opinatus est, Superfluũ, ineptúmq; esset omnia retexere, quibus

Aristip. Ariston Alexan. Auerrois Aristote. Algazel Auerrois Lucretl. Pythag. Hiarcas Apo. Thi. Iãblicus Porphy. Procul. Hemias Syrianus Timæus Thales Anaxim. Anaxi. Anaxa. Dioge.

ſapientes mundi diſcordantes horrendum ſtrepitum in auditorum aures incutiunt: Quod eis euenit: quia ab uno in quem omnes cõuenire debebant, diſceſſerunt, ſinguli in uiam, & figmentum ſpeculationum ſuarum abeuntes. Hinc corũ dogmata (quia abſq; ullo, quod præſtat omnibus ut ſint, & harmonicè cõueniãt) in multitudine cõfuſa fundata, diſſoluta ſunt: Omne enim ideo eſt (inquit Boëtius) quia unum numero eſt: & omnia etiam diuerſiſſima inſtrumenta cõſonant: quia eadem numerorum proportione cõueniunt uoces. Nã cõſonãtia (ut Muſici docent) eſt ſimiliũ, diſſimiliũq; uocum in unum redacta concordia. Nec diſſonãtes forent, ſi alius (ut Plato diuinus cũ ſuo Plotino numine quodam perfuſus) mẽtem eleuet: Si cum Pythagora Dei & naturæ ſacramenta numeris, & ænigmatibus inuoluat: Siue cum Ammonij ſuauitate ueritatem cum mente æquet: Vel iocoſa facundia cum Socrate animum delectet: Siue cum Heraclito acumine quodam, & obſtruſo ſermone auditorum uires incitet, & inflammet: Vel ſi cum Carneade ingenio, & uelociſſimo eloquio in ſtuporem inducat. Extant & alij uariis greſſibus incedentes. Ariſtoteles ordine animum recreat: manco uerò ſermone, & ambiguo perplexum relinquit. Simplicius dicendi copia mentem dilatat. Porphyrius dogmatum uarietate multiuagos animos depaſcit. Themiſtius compendioſo ſermone auditores lætos, & attentos reddit. Alexander Aphrodiſeus magna conſtantia philoſophiæ ſuccos exprimit. Proculus fertilitate Attica luxuriatur. Et ut ad Saracenos, Arabes, Ægyptios, Perſas & Bactrianos me uertã, Algazel Saracenus debita pietate edoctus ultra cõmunis philoſophiæ metas trãſcendit intrepdus. Auempace, & Alpharabius Arabes grauitate pedes conſolidant. Auerrois prima fronte incõcuſſus uidetur, ſed inteſtina omnia (multorum ſapientum iudicio) tabe ſoluuntur, ut nullum diuinæ harmoniæ, & mundanæ parum afferat concentum. Mercurius Triſmegiſtus Ægyptius (ut uulgò dicitur) ſed Madianita (ut aliis placet) cũ ſua mente unitus, ſemper diuina redolet: & diſcurſus tranſcendit humanos. Iamblicus numeris atque myſteriis addictus ſacramenta pythagoræa, & Aegyptiaca prodere conatur. Zoroaſtes, Orpheus, & Charondas Perſa ad naturæ ſecreta penetrantes ut mũdũ ſua magia maritent, dulcia Hymenæi naturalis epithalamia perſonant. Hebræorum uerò & Chaldæorum ſapientes diuinis inſtructi oraculis perfectiorẽ Hymenæum, machinæ huius uidelicet cum archetypo, & humano mũdo ſemper decantant. Omitto quamplurimos poſteros: qui illorum cuipiam adhærentes, & ipſi ſua cantica, ſuoſque ſonos ædidere: Qui omnes (quamuis diuerſis inſtrumentis) dummodo eiſdem numeris perſonent, ſuauem & ipſi harmoniam conducunt. Quando autem à debitis numeris, & ab illa ex unitate conſonantia, unde omnis concentus, recedunt tanquam diſſoni, & offendentes nerui, ab omni harmonica conſonantia ſunt penitus abiiciendi.

Boëtius

Muſici Diuerſi. Au. cõſonantia.

Quòd Catholici ſcriptores conueniant. Cap. II.



Vi autem unũ Deũ fatentur omnium opificem, & fontem a quo omnes aquæ ueræ ſapientiæ emanãt, uniſoni omnes effecti, Hebræi, Græci atq; Latini ſumma cõſonantia, & eundem Deũ collaudant, & mundanæ domus iaciunt fundamẽta. Moſes, Iob, Dauid, Salomon, Vatéſque omnes, cum quibus qui Euangelia ſcripſerunt, & Paulus cum toto Apoſtolico cœtu ſimul cum ſupercœleſtibus intelligentiis in Dei concionabulo ſuauiſsimam efficiunt harmoniam: diuerſis quidem uocibus, eodẽ tamen ſono: Nam diſsimiles uoces non diſſonantiam, ſed concentum efficiunt, dummodo in unum conueniant: Quæ enim conſonantia: ſi omnes citharæ nerui grauem, aut acutum red derent ſonum? Vel ſi (ut muſicæ principia tangamus) hypate, perhypate, lichanos, meſe, trameſe, & ſubſequentes omnes inſtrumentorum fides, ſic à muſicis denominatæ, hypatis tonũ grauiſsimum, quo Saturnum repreſentet, efficerent? Quæue planetarum cõſonãtia: ſi omnes Saturni grauitate incederent, aut Lunæ uelocitate currerent? Quæ etiã corporis pulchritudo: ſi omnia mẽbra oculi eſſent, aut aures? Sicut enim pulchritudo (ut Peripatetici docẽt) ex uariis mẽbris ad ſe inuicẽ cõſonãtibus reſultat: Sic ex uariis uocibus diapentica, diapaſonica, diateſſaronica, uel diatonica conſurgit harmonia: Quæ non in uariis uocibus fundatur, ſed in cõcordi ſono: qui ex illis diuerſis uocibus reſultat. Nõ ergo in diuina cithara diſſonantiam generant perſonantes: Si Ioannes & Auguſtinus eleuentur ad feruidos, & acutos ſeraphinos: Si Ambroſius, & Matthæus inter thronos graues ſententiarũ proferant uoces: Si Lucas, & Gregorius delectentur ſuauitate cherubica: Si Hierony. cum Marco robuſtiori poteſtatum, & uirtutum uoce diſſonos hæreticorum flatus comprimat, atque ſuffocet: Si Salomõ, & Bernardus epithalamia ſponſi & ſponſæ cœleſtiũ nuptiarũ cum Gabriële decantent: Et ad Græcos deueniendo, Baſilius cum Ezechiele diuina ſemper cum ſuperioribus mentibus depromit. Gregor. Nazianzenus cum Ieremia tragica uoce patienti ſpõſo, & ſpõſæ cõpatiens, ſtragem quoq; ad eorum nuptias inuitatorum deplorat. Iſaias, & Ioan. cui cognomẽto Chryſoſtomus cum Archangelis mirabili facundia reſonant. Daniel, & Ioan. ille Damaſcenus Dei ſacramenta clariori uoce pertractant: ſed hic inferiores & domeſticos influxus, ille uerò ſupercœleſtem fontẽ, unde hæc inferiora fluunt, deſcribit. Subſequuti ſunt & alij ſuccentores conſoni in hoc diuino inſtrumento. Correſpondet Scotus, & Franciſcus altiſono Auguſtino: ſed ille tardiori motu grauiorem, atque robuſtiorem ſonum facit: hic uerò celeriori curſu acutius reſonat. Albertus grauida ſententia, & ſecretorũ naturæ utriuſque ſolerti indagatione Ambroſium æmulatur. Thomas Angelicus uoce & doctrina, ineffabilíque ſuauitate Bernardum, amplitudine uerò Auguſtinũ proſequitur. Bonauẽtura cum Gregorio deuota magis quàm docta modulatione cõcinit. Ægidius & Petrus Aureolus romana quadam facundia cũ Hieronymo redolent. Hen-

Mira cõſo. doct. inter ſe.

ricus Gandauensis sublimitate doctrinæ cum Origene eleuatas mentes reficit. Omitto aliorum prophetarum, & doctorum quàmultiplicium tam de antiquis, quàm de nouitioribus mirabilem concordiam cum diuersis supremis mentibus: ut isti in suprema parte instrumenti, illi uerò in inferiori resonent consonantes, tanquam musicæ aues etiam diuersarum specierum. Illi autem, qui Philosophi & sapientes mundi dicuntur, nec uoce, nec doctrina magis conueniunt, quàm diuersorum generum animalia: Quorum aliqua mugitum, aliqua hinnitum, alia balatum, alia rugitum, alia latratum, uel ruditum ædentia tãta perstrepunt dissonãtia: ut impoßibilis uideatur eorũ concordia, nisi eodẽ spiritu repleantur: qui eos

Lactan. poßit ad unanimes mores, & sonos deducere. Nam, ut Firmianus ait, Eis dissonantia euenit, quia ab illo unico omnium ueritatum magistro, & consonantiæ datore (ut diximus) recesserunt, temerariè ea, quæ obstrusa potius quàm abdita Deus esse uoluit, scrutari propriis uiribus præsumentes, naturam uidelicet rerum cœlestium, & inferiorum: Quæ à nobis longè remota neque tangi manu, neque sensibus percipi possunt: & tamen de illorum omnium ratione sic disputant, ut ea quæ asserunt, comprobata, & cognita uideri uelint: Vnde nedũ ipsi in errorem ceciderunt, sed alios quamplurimos illis inhærentes secum cæci in foueam tenebrarum, & errorum conduxerunt: & (heu miserabile dictu) in dies alios atque alios conducunt.

Quanta dissonantia mundi sapientes eius fundamenta iecerint. Cap. III.



T ut comprobemus uera, quæ diximus, aliqua iterum ex eorũ fundamentis producamus: sed pauca: ne multa sua dissonantia lectores tædio afficiantur, eáque stomachentur: & ne uideamur congeriẽ fecisse ex iis, quibus alij quãplurimos libros cõpleuere. Et primo

Leucip. Democ. Diodo. Leucippi, & Democriti, & Didori flagitia effundamus: qui præfuisse corpuscula quædam leuia, alia aspera, alia rotunda, alia partim angulata, fastigiata quædã, adũca quædam, & ex his effectũ fuisse cœlũ, ac terram, nulla cogẽte na

Thales tura, cõcursu quodã fortuito. Thales Milesius, sui Apollinis testimonio sapiẽs declaratus, aquã opinabatur omniũ rerũ principiũ: cũ sibi uiderẽtur omnia mẽbra animalis aqua nutriri: Quæ quasi in meditullio residet: sicut in animaliũ corporis centro aqueus humor existens omnibus membris pabulũ præbet. Hanc aquã antiquiores Thetim uocabant, & fixã paludẽ: & eius uim fœmineã existabãt, sicut Neptuni masculeã: quæ stabilis existens perfectius susciperet omniũ stella-

Anaxi. Diog. rũ cõcursum. Anaximenes Epicureus, & Diogenes libertus in unicũ principiũ conueniebant: sed illud aërem opinabantur aqua priorem, & medium respirationis, qua suscipitur incrementũ. dicuntur enim spiritus & aër apud Hebræos

Hippa. Herac. mutuo cognomẽto. Hipparchus uerò Metapõtinus, & Heraclitus Ephesius illud unũ principiũ ignẽ esse dicebãt: quia subtilißimũ est omniũ corporum: & ex quo primo cœli cõpacti sunt: Qui lux quædam existentes lumen suũ omnia mouens, & cũ omnibus cõmiscibile demittũt: ut ab eo omnia (dißidio & amicitia inter-

ueniente) generentur. Empedocles Metaonis *filius ex* Sicilia, *ne erraret omnia quatuor elementa illud unum principium fuisse docuit: Quem sequuti* Poëtæ *dixerunt* Iouem *æthereum,* Plutonem *terreum,* Alman Iunonem Æreum, & Mestim *(quæ lacbrymis udis alit hominũ riuos) aqueũ principium fuisse. Prosequitur* Empedocles *terram esse materiam, & primũ subiectũ omniũ: quæ formas, & figuras rerum teneret: quod aqua, aër, ignis facere nequeunt.* Anaxagoras Clazomenius *omnia corpora homogenea, & partes homoëmorias continuæ diuisioni subiectas existimabat: & simul collectas facere principium subiectiuũ.* Pythagoras *altius quàm multi credant conscendens, numeros & eorum subiectum metras, id est accommodatas proportiones (quas harmonias, cõcentus, & cohærentias uocant) censuit esse rerum principia: non quidẽ numeros illos, quibus mercatores utuntur: sed formales, aut naturales: quorũ notitia apud eos recondita est: qui philosophari, & theologizari didicerunt per numeros: Quẽ* Pythagoras *sequutus est* Alcyneon Crotoniates, *qui unũ dixit principiũ effectiuũ, duo uerò aut infinibilem binarium, materiale, subiectiuum, & initiũ omnis multitudinis.* Anaximander *uerò* Milesius *ultra progressus infinitatem quandam (quam interminatam materiam dicunt) subiectiuum principium existimauit. Et quia suapte natura, & quantitate, & forma caret, opinabatur eundẽ esse substantiam perpetuæ generationis: ut infiniti mundi sint regeniti: & in infinitum regenerẽtur.* Epicurus Neocris *filius* Atheniensis Democriti *uestigia philosophando prosecutus principia rerum dixit corporea, solida, non creata, mente percepta: sempiterna: quæ nec corrumpi possunt, nec contundi, aut quouis modo immutari: Quibus principiis ultra formam, & magnitudinẽ, quæ ipsis dabant sui præceptores, etiam pondus illis attribuit.* Socrates Sophronici, & Plato Aristonis *filius ambo* Atheniẽses *tria posuere principia.* Deum, Materiam, & Ideã. Aristoteles Nicomachi Stagirites: *principia quidem endelechiam, siue speciẽ, materiam, & priuationem asserit: & inter principia priuationem connumerat: cõtra id quod alibi docuerat, æquiuoca uidelicet non annumerari.* Zeno Mnassei *filius* Citiensis *principia quidem* Deum, *& materiam collocat, ut ille sit agẽs, hæc autem sit patiens: & elementa quatuor intermedia.* Voluit ille Diodorus Siculus *altiora repetens hanc mundi genituram describere: sed postquam per multa circa suum osirim uagatus est, lectores magis confundit, quàm doceat. Hic equidem miror summopere, quòd à nullo ipsorum, qui materiam principium subiectiuum constituunt, habeamus: an sit fabricata à* Deo *benedicto, an simul cũ eo mundum fabricauerit illa natura factibilis, & omnium formarum pulchritudine orba, an omni effigie carens coæterna socia, & coniunx fuerit demogorgonis deorum patris (ut* Poëtæ *somniant) an excussa, ut* Pallas, *sit de cerebro* Iouis. *Non quiescit mens, dum speculamur naturam omni uirtute, omníque forma carentem sine eius opifice. Quis autem ipse fuerit à nemine eorum habemus.*

Emped. Poëtę Empedo. Anaxa. Pythag. Alcyn. Anaximà.ni. Epicur. Socrates Plato. Aristote. Zeno. Dio. sic.

Dissonant Philosophi etiam in negotio animæ. Cap. IIII.

VAgis autem dissenserunt in describenda animæ natura, & origi
Aristo. ne. Nec mirum: cum eius notitiam Aristoteles penitus difficilli-
Lucre. morũ esse cẽseat: cui astipulatur Lucretius decantans: Ignorant
Anaxi. multi, quæ sit natura animaï. Anaximander milesius ex terra ca
lefacta corpuscula, pisces, uel piscibus similia animalia facta, &
Thales. ex iis hominem concreuisse usq; ad pubertatem, qua se alere posset. Thales eius
conciuis ex terra opinabatur coisse materiam igni similem: & ex hac hominem.
Pythag. Dicear. Pythagoreorum alij minuta quæ sunt in aëre, alij autem ea mouens. Dicearchus
Anaxi. Xenop. animam esse corpus mouens ex seipso. Anaximenes aëra: Xenophanes ex terra
Parme. Boëtes & aqua: Parmenides, & Boëtes ex terra, & igne: Epicurus ex igne, & aëre,
Epicur. & spiritu mixtam pro atomorum similitudine prodeuntem: Quare uno cõmo-
to, omnem spiritum commoueri: unde quãdoq; audita niue, cãdorẽ, & frigus si-
mul homini recordari contingit. Vel cum quis comedit acerba: alij stupescunt:
Et alij cum oscitãtibus oscitant. In hoc secutus antiquissimos Maurasphes Ara-
bes: Qui huius spiritus ingressum in animam cõfitebantur: egressum uerò mini-
Diog. cy. Anaxim. mè, cum dicant in nihil resoluendum: ut in ipsorum theologia deponitur. Dioge-
Emped. Auëdac. nes Cynicus cum Anaximene aërem credit esse animam: Empedocles ex pluri-
Anaxa. bus elementis: Auẽdachus ex pluribus elemẽtis, amore, & uictoria: Anaxagoras
Cra. the. Democ. cœli cõtẽplator quid impassibile nõ recipiens passiones: Crates Thebanus nullã
Leucip. esse animã, sed corpora sic à natura moueri? Democritus, & eius collega Leu-
cippus calorẽ, aut igneam figuram rotundam, siue spiritum ex infinitis atomis
Circias tanta facilitate motũ, ut corpus omne illi sit præuium. Circias fusum cordis san
Maro Hippoc. guinem: quem Maro æmulatus decãtat. Multo uitam cũ sanguine fudit. Hippo-
Asclepia. Zeno crates Cous spiritum tenuem per corpus diffusum: Asclepiades carnem cũ quin
que sensuũ exercitio sibi consono: Zeno stoicorum Princeps ex adminiculo diui
Galenus ni ignis, id est, prouidẽtia genitam: Galenus Pergamenus cõplexionem corporis:
Hippar. Virgilius Hipparchus uigorem ignis, à quo Poëta: Igneus est olli uigor, & cœlestis origo.
Heracli. Ephesius Heraclitus Ephesius scintillã stellaris essentiæ: Heraclitus Põticus lucẽ: Crito
Hera. pö. Critola. laus Peripateticus ex quinta essentia genitam: Posidonius ideã: Chrysippus a-
Posido. Chrysip. nimam esse spiritum, quia una, eadémque respiramus, & uiuimus: spiramus aũt
Aegyptii spiritu: & uiuimus anima: Ægyptij quandã uim transmeãtem in omnia corpo-
Chaldæi Aristo. ra: Chaldæi uirtutem absq; determinata forma suscipientem tamen extrarias
omnes. Arist. post multa confutata, quæ antiqui dixerunt de anima, decernit ip
sam esse corporis naturalis organici potentia uitam habentis perfectionem, uel
principium intelligendi, sentiendi, & cuiuscunque motus: ubi (Iudicio meo) effe
ctum potius, quàm essentiam, aut originem animæ declarat: ueluti siquis decerne
re uellet, quid Pont. Max. aut Imperator sit: dicerétque, Ille est qui mouet
exercitum, regit equum suum, aut præcipit in regno. Circa uerò naturam eius,
& durationem adeo se se continuit, & inuoluit sententias: ut nullus adhuc, quid

De hijs distinctionibus philosophorum de anima in hoc cap. assignatis permulti [illegible] [illegible] resurrectionem negant [illegible] [illegible] Lippomanus in opusculo [illegible] de resurrectione [illegible] De erroribus autem damnatis [illegible] vide sacros theologos in 4 sent. d. 45 ubi post separationem animarum a corporibus perpetua illis [illegible] assignant et aliquibus purgatorium ad tempus.

sentiat, clarè diffiniat. Hinc biuium fecere eius præcipui sectatores Alexander, *&* Auerrois: *Et quàm uterque sit ab omni pietate, religione, & ueritate elongatus, iam in propatulo est.* Pythagoras *existimauit animam esse diuinũ quoddam genus hominibus inexistens, formis quidem plenum, sed demersum, & præpeditum corporea sylua: ut* Lethæum *fluuium, id est obliuionẽ imbibisse uideatur: Quem* Timæus Locrus, *&* Plato *cum cæteris* Academicis *imitantur. Huiusce autem animæ essentiam, & naturam tanquam diuina sacramenta de more occultare studuerunt: aut nõ expressere, quæ nec forsitan intellexerant: ut in 10. de leg.* Plato *testatur: Qualis (inquit) anima sit: & quam habeat uim omnes fermè ignorasse uidentur: Siquid tamen de ipsa tradiderũt, per numeros tã quam sibi magis cognitos processere: Quorum naturam quadrifariã, & quomodo ex uocali ad formalem, & inde ad rationalem ex quo ad diuinum numerum conscendatur non percipientes, aut deliramẽtum quoddam hunc progressum per numerum adiudicarunt: aut longioribus passibus, & deuiis, post* Pytha. *&* Plato. *gradientes, in uarios calles declinarunt.* Anaxander *dixit animã numerum esse:* Aristoxenus *numerum seipsum mouentem. Alij ex unitate tanquã ex indiuisibili: & dualitate, tãquam ex diuisibili animã esse existimabant.* Seuerus *geometricam essentiam habere autumat ex puncto & distantia illam componens: hac quidem diuisibili: illo uerò indiuisibili.* Plutar. *&* Atticus *dicunt p tibilem partem eius irrationalem: impartibilem, quæ diuina est: hac quidem diuina emanante cõponentèq;: illa uerò subiecti uicem optinẽte.* Addunt *quippe ingenitam esse animam secundum subiectum, genitam secundum formam.* Plotinus *magis physicè loquens inter intellectum, & sensum mediam collocat: huius quidem indiuiduam, illius uerò etiam per corpora diuisibilem.* Asmeus *&* Theodorus *altius conscendunt, trahentésque (teste* Porphyrio*) originẽ suæ opinionis ex perside, duos ponunt intellectus ante suam animam: alterum quidẽ uniuersalium ideam in se continentem: alterum particulariũ, & horum mediã animã.* Proculus *unicã, & multiplicem, Indiuiduam, & pro subiectorũ numero multiplicatã:* Nec Platonis *sententiam de ipsa explicauit eundem magistrum æmulatus, qui plærisque locis (maximè scribens* Dionysio*) protestatur* Dei *sacramenta non esse publicanda:* Nec *etiam ubi collocata sit anima, isti mundi sapientes aliqua consonantia deponũt.* Hippocrates *principalem animæ potestatem in capite sedem habere asserit:* Negat *Epicurus: eo quòd plura animalia capite secto uiuãt ad tempus, tanquam nullo damno allato uniuersitati: ut apes, & fuci.* Empedocles *præcipuam animæ uim in corde cõstituit: Sed & hoc negat* Epicurus: *quia crocodili auulsis cordibus aliquãdiu uiuunt: & uiolentiæ resistunt.* Stoici *in corde, nõ mediãte sanguine (ut dicebat* Empedocles*) sed spiritu, ut in spiritu potius q̃ in corde collocata sit: ut innuit* Chrysippus. *Alij in sanguine, qđ tractũ uidetur à* Mose: *Qui (diuino oraculo iubẽte) sanguinẽ interdicit uescẽdũ: eo ꝙ animalis anima in ipso sit. Litigãt in hoc negotio adhuc philosophi & medici sub iudice.*

Alexãd. Auerrois Pytha. Tim. lo. Plato Idem Anaxan. Aristo. Seuer. Plutar. Atticus Plotinus Asme. Theod. Prophy. Procul. Plato Hippo. Emped. Stoici Chrysi. Moses

Quod non minus dissentiant in describendo eum finem, quem omnia appetunt. Cap. V.



Augu$t. M. Varr. — Ongum nimis & tædiosum esset omnium afferre sententias multigenas de huiusce nostræ uitæ, & cõditionis fine. Octo supra ducẽtas & octoginta meminit Augu. collectas opiniones à M. Var. Sex quoque cõmemorantur à Plotino in suo de Beatitudine, quibus omissis, breuius percurremus eas: quæ frequentius in scholis, & in triuiis ꝑtractantur. Zeno Citiæus, Cleãtes, Poßidonius, Hecatõ, Dionysius Babylonius omnes Stoici, finem nostrũ laboriosas uirtutes existimabant: sed Antisthenes expreßit, quòd in uirtute animi. Epicurei uerò, maximè Aristippus, Eudoxus Gnidius, & Cyrenaici in uoluptatibus: quæ laboribus contrariãtur: Peripatetici in speculatione: Platonici diuina semper redolentes decreta satis affinia christianæ religioni dedere: Hi unionem cum summo bono finem hominis decernunt: ut Plotinus in calce uoluminis de uno & bono deponit: Ad quem deueniendum dicunt recuperatis alis duplicis philosophiæ: quibus euolatur ex hac tenebrosa sylua, & omnium malorum matre ad mentem per uirtutem: per sapientiam autẽ ad Deum. Hæ sunt de fine celebriores sectarũ opiniones, post quas sunt aliæ depreßiores. Pyrrhon Elliensis. Eurycholus, & Xenophanes omnem fœlicitatem tollunt: unde & ab omnibus irridẽtur. Periander Corinthius, & Lycophron, in bonore, & dignitate: Alij uerò in sanitate: unde orabat ille sapiens: ut esset mẽs sana in corpore sano. Herillus, Chalcedonius, & Socratici multi, in sciẽtia: Orpheus sub Narcißi fabula, in pulchritudine: Epicharmus & Sphæreus fœlicitatem existimabant ideam: Milo Crotoniẽsis. & Athletarũ pars plurima in fortitudine: Biõ & Boristhenes, in prudentia: Bias Prienæus in sapientia: Thales Milesius in congerie ex huiusmodi effecta: Pittacus Mitilenæus in bene agere. Omitto quæ uiliores sentiunt: quorum aliqui perinde ac Sardanapalus uiuunt, nulla electione habita: Alij uerò, ut acquirant quod nunquam poßident, continuo uento laborant. Sed ad eos qui sapientes habiti sunt redeamus, hi enim cum hominis terminum præclusum haberent, nec uiam docere potuerunt: si quid autem consentaneum religioni tradiderunt: id fecere Mosem tanquam simiæ æmulati, uariis figmentis asserentes, se ab oraculis didicisse: Ægyptiorum enim legislator Osiris à Mercurio: Zoroastes Bactrianis, & Persis ab Oromasi: Charondas Carthaginensibus à Saturno: Solon Atheniensibus à Minerua: Zautrastes apud Harimaspos à bono numine: Zamolysis Scythis à Vesta: Minos Cretensibus à Ioue: Lycurgus lacedæmoniis ab Apolline: Numa Pompilius Romanis à Nympha Egeria: Mahumetes Arabis ab Angelo Gabriẽle: In quibus nil consonum inuenies: nisi quod lex naturalis à Deo insita mẽtibus humanis suadet: Aut quod à communi doctore Mose furtim acceperunt. Sed ultimus partim à Mose, partim à christianis decerpens utrũque confundit. In his igitur elementis sapientiæ mundi sapientes tanto certamine pugnant: ut cui ex illis

Margin notes: Zeno, Cleantes, Posid., Dio. Ba., Stoici, Epicuri, Eu. Gni., Cirena., Plotinici; Pyr. Elli., Eurych., Periãder, Lycoph., Herillus, Orph., Epichar., Milo, Athlete, Bion, Boristh., Bias, Pittacus, Legis. vñ hauserit quę tradide.

palmam deferre debeas, ignores: quousq; (ut Firmianus ait) aliquis de cœlo descendat: qui sententiam de singulorum opinionibus ferat. Sed interim, cũ eos dissonantes sustinere nequeamus, illis omissis ad nostros reuertamur.

Vnde nostri consonantiam, & illi dissonantiam traxerint. Cap. VI.



Votquot musicæ instituta tradidere, docent fundamentum consonantiæ esse unum: in quod multa similia & dissimilia conueniant. Et harmonicum sonum, quem multi concinentes faciunt, Polymniã Poëtæ, & grammatici uocant; quasi multorum cantuum in unum conuentionem. Vnde concentum hunc ex instrumentis, fidibus, fistulis, aut uocibus conuenientibus procedere necessarium est: si in unum debeant conuenire soni, uel uoces harmonicæ. Nec enim rugitum Leonum: Boum mugitum: hinnitum Equi, aut ruditum Asini quis conuenire faciet. Nec ex Lupi, & Agni neruis factæ fides (ut experientia didicimus) in consonantiam aliquam deduci possunt: quia eorum dissona sunt fundamenta. Conueniunt nihilominus diuersorum idiomatum, & nationum hominum uoces facili conuentu: quia unicum secundũ speciem est ei fundamentum. Conueniunt & multæ Aues musicæ diuersarum specierum: quia unicum est eis propinquum genus, & à supernis Symbolum. Cõueniunt & artificialia instrumenta simul, & cum uocibus naturalibus, quia utrobique similitudo, aut uera, & expressa, aut per analogiam quandam. Conueniunt etiam doctores nostri, quibus sacrarum literarum figitur, & terminatur canon (inquit Augustinus) ut nulla ratione dissentiãt: Quia unico, & uero authore totius sapientiæ iecere fundamenta: super quæ innumerabiles doctores uariè dispositi, in diuersis climatibus successiuis temporibus, multigenis complexionibus, & multiplicibus idiomatibus, summa consonantia diuersa ædificia moliti sunt: Quod nullatenus fieri potuisset, nisi eiusdẽ diuini intellectus radiis collustrati (ut Platonici dicunt) aut (ut catholici asserunt) edocti fuissent ab eodẽ spiritu sancto, qui inhabitare facit unanimes in domo: Et qui facilè præstat omnibus cor unum, & animam unam. Hoc spiritu completi antiqui uates, Apostoli, & diuini instrumenti ueri sonantes, non in Scholis, aut Gymnasiis litigiosis disputationibus garrularũt: sed in agris, & in urbibus, & in frequenti multitudine, cum doctis, atque indoctis, cum principibus, & populis agentes, tanta constantia dogmata illa proponebant, ut uitæ sanctimonia, & splendore, prodigiis multis, & sanguine proprio illa ueridica confirmarent. Mundi autem non dicã concentores sed dissonatores (quia dissidebant in fundamento) facti sunt penitus absoni. Hi igitur sibiipsis sapientes effecti religionem, aut partim, aut penitus sustulerunt: oracula contempsere: propriis uiribus, & adinuentionibus innixi, unusquisque sua uoce reboans, adeo dissonarunt, ut alij unum, alij innumerabiles mundos asserant. Et eorum qui confitentur ipsum unum, alij ortum, alij initium non habere, alij interiturum, alij semper futurum, alij mente diuina, alij fortuito, & casibus agi, alij immortales animos, alij mortales, alij reuolui in bestias,

Augustin. Platoni.

alij nequaquã: Qui uerò mortalem, alij mox interire post corpus, alij etiã uiuere postea, uel paululum, uel diutius non tamen semper: Alij constituerunt in corpore finem boni, alij in animo, alij in utroq;. Has, *& alias pene innumerabiles dissensiones philosophorum inuenies: ut eos non harmonicam consonantiam, sed Babylonicam confusionem struxisse intucaris:* Cuius arcis ædificator Nembrot, *sub quo prima linguarum confusio facta est, altiora supra uires attentare uolens ipsam turrim usque ad æthera construere statuit: ut ab alteratione semotus cœlum, & supramundana circumamictus adbuc uelamine alterationi obnoxio, propriis uiribus specularetur. Quem secuti isti mundi sapientes, aut ciues* Babylonis, *& confusionis effecti sunt: aut altius quàm debebant uolantes cum*
Isaias Paulus Abdias *Icaro in aquis sunt obruti, sic proteståte opifice summo Isaiæ,* Pauli, *&* Abdiæ *oraculo, quo ait:* Perdam *sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum reprobabo.* Si *qua tamen uera, inter multa falsa quæ opinati sunt tradiderunt: ea sine ullo sapiẽtum dubio à diuinis uocibus didicere: quia summi* Dei *arcana no-*
Plato *stris uiribus apprebendi nequeunt. Ideo sæpius monet* Plato: *ne iuuenes, & nõ adbuc initiati temerè de diuinis sententiam proferant: sed credant legibus: donec maturescente ætate, per debitos disciplinarũ gradus, & p quandã animi sẽparationẽ reuelẽtur oculi: quos babent omnes, utuntur uerò ppauci:* Aut(*ut Plo-*
Platonus Procul. *tinus, &* Proculus *dicunt) subrutilet à* Deo *lumen magis sibi unitum, quàm naturale: quo ipsum* Deum *& patrem omnium cognoscimus: & eius primæuam*
Plato *facturã, & operationẽ immediatã, & occultã: Quod lumẽ* Plato *Solẽ, naturale uerò Lunam uocabat: Quo solari lumine perfusa magna nostrorum cõcentorum copia, aliqui præludio quodam præcesserunt, ut* Moses, Iob, Salomon, *Isaias, cæteríque prophetæ: Qui suauissimam præcẽtionem sub figura mundani instrumenti diuine personarunt tanta suauitate, ut expurgatæ aures nunquam offendantur, & nunquam fastidient.* Sed *expreßiorem sonum fecere* Apostoli, *&* Euangelistæ: *Quos secuti innumerabiles* Hebræi, *Cbaldæi*, Græci, atque Latini *libris consonantißimis compleuerunt orbem.*

Qui doctores in diuino, & mundano instrumento circa penetralia personauerint concordes. Cap. VII.

Heb. Au. varius p cedẽ. modus.

Lurimi succentores in bis cantionibus Hebræi *fuere: & bi geminum apprebenderunt iter. Alij declarantes, & exponentes scripturam, & legem, quatenus ad bunc mundum sensibilem, & inferiorem, & actiuam uitam attinet,* Talmudistæ *dicti sunt. Alij mũdanarum curam, iudicialia, & omnimodum usum tam* Reipublicæ, *quàm priuatarum rerum* Talmudistis *relinquentes, contemplationíq; uacantes, & uitæ supernæ, omnia quæ scripta sunt ad arcbetypum retulerũt: & in illo aut per numeros, aut per* Symbolicam *rationem, uel per* Anagogicum *sensum omnia interpretati sunt. Et ex istorũ utrísq; sunt, qui per utrámq; uiã procedunt.* Aliis *uerò tantũmodo corticè literæ cibari satis est, ut* Rabbi Salomoni, Dauid, Cbimbi,

Leui Bengarſon, Rebunachi: Inter hos & Moſes filius Maimoni dictus Aegyptius, quem Rambam appellant, & alij quamplurimi. Cabaliſtæ autem, qui à uero oraculo acceperunt (nam Cabala ore receptio dicitur) uel ab edoctis ab huiuſmodi didicerunt, ſecretiora legis ſenſa proſequentes, de multis qui ſcripſerunt, Ii ſunt: Primus Hanoc: de quo meminit Thadæus in epiſtola, & Origenes in Periarchon: Abraham patriarcha, de formatione compendioſum, & grauidum uolumen ædidit, quamuis aliqui exiſtiment eius authorem Rabbi Achiba, de mente tamen Abrahæ. Simeon beniochaï, qui in antro quatuor annos ſupra uiginti latens Zoar (quod luminare dicitur) ſcripſit: Quem ſequitur Elcana mirabili mentis eleuatione. Poſt hos. Abraham Alaphia, Ioſeph Garnitole, Abraham aben, Azra Amaï ben banina, Azariel Garonenſis, Haij Geon, Reubē hiſpanus, Aarō Mechubal, Rabbi Iahacob de amictu, uitta, uel Binda regia. Mair merur, Neburac, Bona dies de maſſa auri, Mair filius Theodori pater Moſi, Butriel, Sebadia, Moſes Gerundinenſis filius Nehemani: qui Rāban per n ſcribitur: Ioſeph Cicatiglia, Manahen Ricanati, Iehuda Nagid, qui ſanctus dicitur Rabbi Ioſeph Albo, Rabbi Moſes de Leone, Rabbi Ama, Rabbi Babaie. Et in librum Iezira commentaria ædiderunt Iahacob Coen: Rabbi Moſes, Rabbi Iſahac, Rabbi Tedacus leui, Rabbi Samuel non minus in Platonica, & Peripatetica, quàm Cabaliſtica diſciplina imbutus: Abraham de Holam aba: id eſt de ſæculo uēturo. Multáque alia uolumina uidimus, quorum certos authores nō habemus, ut Porta lucis, Porta iuſtitiæ, Liber ſecretorum, Liber ſabbati, Liber conſilij, De ordine uoluntatum, Cognitio inueniendi, De ciuitate gratioſa, Super errores, Lucerna Dei, Liber decennij, aut denarij, Theſaurus uitarum, Secretū fidei, Lumen oculorum, Corona nominis boni, Sepher Temunot, Mercaua Ezechielis, De ſecretis orationum, Imre ſepher, id eſt eloquia pulchritudinis. Et cōplures alij ſcripſere, quorum uolumina nō adhuc ad manus noſtras delata ſunt. Fuerunt quoq; quāplurimi: qui & ſi non ſcripſerint, tamen in ea doctrina peritiſſimi cum multo tempore perſeuerauerint, collegium illud celeberrimum ſeptuaginta ſapientum (quod Sinedrim uocabāt) promeruere: in quo (ut nōnulli aſſerunt) fuit noſter Paulus eruditus primo ad pedes Gamalielis: In hoc enim nō admittebantur, niſi qui in linguis, & rerum ſecretarum notitia pollebant: Inter quos (poſt ſeptuaginta illos, quibus Moſes Dei iuſſu de ſpiritu ſuo impartitus eſt, ut in libro numerorum legimus) fuerūt Prophetæ multi, & uiri inſignes. Sed ut Prophetas, & toti orbi notiſſimos omittanus, Ezra primus (ut fertur) hæc monumēta ſacratiſſima commiſit ſeptuaginta uoluminibus: quæ prius ore tantūmodo docebantur. Sed eorum, quæ ſcripſit, intelligentiam Simeoni iuſto ſacerdoti magno ſynagogæ præfecto credidit: A quo ſuſcepit Antigonus cum ſociis: Poſt quem Ioſeph filius Loëtze, & Ioſeph filius Iohana Ieroſolymitanus: Et ab his Ioſuha filius Parahiah, & Mithai Arbelenſis: A qbus Iehuda filius Tabai, & Simeon filius Sota, & ab his Semeia, & Abtalion: A quibus Hillel, &

Libri incertis authoribus.

Numeri Autho. Hebræi.

Samai, qui habuerunt multa millia discipulorum. Et ab istis succreuit turba quãplurima: Rabbã Iohana bensdachai, Eliezer filius Hircani, Iosue filius Ananiæ, Ioseph Cohem, Simeon filius Nataniel, & Eleazar filius Arac, & pene infiniti: quorum sententiæ partim in talmud, partim ab eis, qui cabalistice scripserunt celebratæ sunt. Ex his autem, qui uerum Meßiã secuti sunt, Paulus noster, & Ioannes magnifica illa sensa ubique prosequentes cæteris altius scripsere. Sed ex his, qui cõmentaria ædidere (ut uidere uideor) nullus secretiora illa sacramenta olfecit nisi Diony. & Origenes: Sed hic, aut qa studebat cũ Propheta abscõdere eloquia Dei sibi credita, ne peccaret: aut quia iuratus à pceptore Ammonio nõ est ausus palam producere ea, quæ bulliebant in mente: Ideo per corticẽ semper leuius decurrit, ea tamẽ lege, ut secretiorem medullam innuat expertis: quãuis ex quibusdã uerbis dictis cõtra Cælsum nõnulli asserant, ipsum ab huiusmodi Schola declinasse, & tãtummodo Platonica dogmata secutum penetrasse ad illa secretiora pabula. Sed (ni fallor) in multis eius doctrina, sicut & Platonica, redolet Hebraicam Theologiam. Ex externis autem, qui illas semitas secuti fuerint, Pythagoras præcipuus est. Post quem Plato cũ suis Academicis, Eudoxus, Archyta Tarẽtinus, Philolaus, Brachmanæ, à quibus Apollonius Thieneus, & quotquot Pythagoricam familiam secuti sunt: Qui aut immediate à Prophetis, aut ab eorũ auditoribus susceperũt. Sed ij omnes eorũ dogmata tradiderũt sub uelaminibus, & cortinis reclusa, adeo ut nemo nisi quem ipsimet uiua uoce docerent, intelligere posset: ut & mysteria, quæ tractabant, & eorum instituta exquirebant. Hinc posteri, sensa illa profundißima ad diuinitatem superexcælsam pertinentia non intelligentes, ad alia genera interprætandi descenderunt, Græci atque Latini, & Hebræorum quamplurimi.

Authores christiani.

Authores externi.

Cur antiqui studuerint abscondere dogmata, quæ tradebant sub metaphoris & ænigmatibus. Cap. VIII.



Semper antiquorum studium fuit sacramenta Dei, & naturæ inuoluere, & obtegere, & Dei eloquia sibi credita in corde suo abscondere: ne pecarent: Quã legẽ obseruarũt ex Indis Brachmanæ Aethiopes, Persæ, & Aegyptij. Hinc dicebat horum splendor Mercurius: Tractatum tota numinis maiestate plenißimum, irreligiosæ mentis est multorum conscientiæ publicare. Hoc Orpheus, & uates omnes antiqui, hoc Pythagoras, Socrates, Plato, Aristoxenus, Ammonius inuiolabili fide seruauere. Hinc Herennius, Plotinus, & Origenes (ut scribit Porphyrius in de educatione & disciplina Plotini) iurarunt, ne Ammonij dogmata æderẽt: Et quia Plotinus uiolato iureiurãdo ab Ammonio præstito sacramenta publicauit, in transgreßionis pœnam (ut nonnulli asserunt) horrendo pediculorum edulio consumptus est. Gloriatur & peripateticorũ dux, se Alexan. (Themistio referente) ea lege sua naturalia instituta tradidisse, ut nemo intelligeret, nisi ipso qui tradidit interpretante. Sed externis omißis, summus omnium doctor, & redemptor Iesus filius

Mercu.

Alexan. Themi.

Iesus.

Dei discipulos docet, ne dent sanctum canibus: nec margaritas exponant porcis conculcandas, Quae magistri monumenta, ut seruarent discipuli, aut non scripserunt, aut, quae solum ad miracula, mores componendos, & legis instituta pertinent, ab omnibus obseruanda tradiderũt. Sic fecere Apostoli, & Euangelistae omnes, Paulo, & Ioanne excepto: Nã hic tribus Euãgeliis iam uulgatis, multísque exactis annis, ad extirpandã haeresim Ebionitarũ, qui Christũ hominẽ, sed nõ Deum asseuerabant, de aeterna filij Dei generatione déq; per ipsum hominis unione cũ Deo, mortificato primo animali nostro aliqua paucis, & obscure pronunciauit. Apocalypsis uerò mysteria tot inuoluit aenigmatibus: ut nec Oedipus qui solus Spingis, nec Salomõ qui Sabae Reginae aenigmata soluebat, nec quispiã alius enodaret, nisi eo spiritu perfusus, quo plenus erat ille, qui scripsit. Sed Paulus cum iam praeteriisse senserit figuram huius mundi, aliquos uel paucos elegit discipulos: de quibus ait: Nos autẽ reuelata facie gloriã Domini speculantes, dolens se nõ habere bene initiatos quãplurimos: quibus haec sacramenta credere posset, & de Hebraeis peculiariter adhuc rudibus, & agrestibus conqueritur dicens: Est nobis grandis sermo, & interpretabilis ad dicendũ: quia imbecilles facti estis ad audiendũ, & cũ deberetis esse magistri propter tempus, indigetis, ut doceamini, quae sint elementa exordij sermonũ Dei: Et facti estis, quibus lacte opus est, nõ solido cibo. Perfectorũ aũt est solidus cibus, eorũ qui pro cõsuetudine exercitatos habẽt sensus ad discretionẽ boni & mali. Sed attẽde quod sequitur. Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonẽ, ad pfectiora feramur, nõ rursum iacientes fundamentum poenitentiae ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, Charismatum, doctrinae, impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorum, & iudicij aeterni. Et haec quidem faciemus, si permiserit Deus: Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donũ coeleste, & participes facti sunt spiritus sancti, gustauerũt quoq; bonũ Dei uerbum, uirtutésq; saeculi uẽturi, & prolapsi sunt, rursum renouari ad poenitentiã. In his enim uerbis duo attẽdenda sunt. Alterum, quod innuat Apostolus habere in scrinio pectoris ultra doctrinam de poenitentia, de baptismo, de resurrectione mortuorũ, iudicij, & huiusmodi, de quibus Theologi plenissimè scribunt. Alterum est, quis sit casus à quo iudicat impossibile per poenitẽtiã releuari, si ea quae abscondenda sunt reuelauerit indignis, aut si quis indignè suscipiẽs tanto sacramento iniuriã inferat. Secernit igitur Apostolus perfectiores discipulos: inter quos loquitur ea, quae ad superiorem sapientiã pertinent, factus ueri magistri discipulus: qui nomen Dei patris manifestauit eis tantummodo, quos ipse Pater dederat: & eos delegit quibus loquebatur mysterium regni Dei, ab eis, quos in parabolis docebat. Sic Ezrae (ut in eius uolumine quarto legimus) Deus huiusmodi uerbis indixit: Reuelans reuelatus sum super rubum, & loquutus sum Mosi, quando populus meus seruiebat in Aegypto: & adduxi eum super montem Sinai: & detinui eum apud me diebus multis: & enarraui ei mirabilia multa,

Paulus

Ezra.

& ostendi ei temporum secreta, & finem: & praecepi ei dicens: Haec in palam
Deus facies uerba: & haec abscondes. In palam enim fecit legis praecepta, Christi genealogiam, aliquas breuissimas priscorum patrum historias, recluso tamen earũ sacramento: Item sacrificia, caeremonias, arcae fabricã, bellum cum Amalechitis; & cum caeteris diuersarum nationum regibus: Et hanc sapientiores Hebraei legem scriptam uocant: in qua sublimiora sensa continentur quàm multi excogitẽt: Quorum sensuum notitiam praefati sapientes legem dicunt ore ad os: Quã iuxta praeceptum Dei uiuentis reserauit Moses ore septuaginta senioribus: quorũ successio durauit usq; ad captiuitatẽ factam à Nabucdonozor: quo tẽpore cessauit, aut diminuta fuit usq; ad Cyrum: tunc enim (diuino suggerente spiritu assignatis uasis templi quinq; millibus quadringentis, solutáq; captiuitate, & remissis familiis ad numerũ quadraginta duorum millium, trecentorum & septuaginta, exceptis seruis, & ancillis) sub manu Zorobabel, Neemiae, & Ezrae, reaedificari coeptum est templũ Domini: Quo resarcito, & restauratis sacris (iubẽte Domino) doctrinã illam in septuaginta uolumina, iuxta numerum seniorũ redegit, ne dispergerentur: hac tamen Dei uiuentis lege, ut rudibus nõ exponerentur. Nam prima (inquit) quae scripsisti, textum scilicet legis in palam pones, legãt digni, & indigni: Nouissimos autẽ septuaginta libros cõseruabis, ut tradas eos sapientibus de populo tuo: In his enim est uena intellectus, sapiẽtiae fons, & sciẽtiae flumẽ: quae diuino: & inexcogitabili artificio sunt occlusa sub cortice. Et ne
Diony. haec tanquam Apocrypha cõtemnãtur, uideamus qd Diony. in huius rei fauorẽ deponat: Decentissimũ (inquit) erat diuina, & incomprehẽsibilia per aenigmata occultari: & inuiam multis ponere sacrã, abditámq;, supramũdanorũ intellectuum ueritatem. Est enim non omnis sacer, neque omniũ (ut eloquia aiunt) scientia: & aliquantulũ progressus ait: O Timothee diuinus in diuina doctrina factus, secreto animi quae sancta sunt circũtegens ex immũda multitudine, tanquã uniformia haec custodi. Nõ enim fas est in porcos proiicere inuisibiliũ Margaritarũ inconfusum, & luciformẽ, beneficũmq; ornatum. Ab ista igitur altissimi Dei lege, tanta obseruantia à patribus ueteris, & noui testamenti, mundiq; sapientibus celebrata nõ recedentes, solidum sapientiae cibũ solidioribus animis ca grauitate & reuerentia proponemus: ut sumere possint digni: & brutales por
Nazian. ci, caeteriq; indigni non conculcent. Philosophabimur itáque de Deo (ut Naziãzenus docet) quibus, quando, quomodo, & quãtum opus fuerit, cõmittentes scripturae, quãtum permiserit Dominus: & iudicauerit propalatione dignum, reseruantes ea, quae inter sapientes sunt tantummodo ore communicanda.

Quomodo possent dissonantes concordari. Cap. IX.



T ne in nostra harmonia, quae est cõcẽtus omniũ neruorum in integros modos sine offensione cõsonãtiũ, aliquid horridum, & dissonum admittamus: ipsos philosophos mũdi cõcentores in eam introducemus cõsonantes: dummodo instrumenta sua, aut elementa-

res neruos coaptare uelint. Faciet quippe si Deū (ut natura docet, religio suadet, ratio comprobat) authorem, & opificem uniuersi fateri uelint: quia tota sapientia hominis in hoc solo posita est (inquit Firmianus) ut Deum cognoscat, & colat. Lactan. *Hunc igitur unicum suscipiamus omnium rerum uerum, & unicum principium, liberum opificem, & supremum fontem, à quo omnis ueritas emanat. Tunc facilè omnium dissimiliū uocum soni in eandem consonantiam uenient: quæ ex similibus dissimilibusque uocibus resultat: sicut tot mēbra diuersissima, unica colligata uita in eodem corpore sunt consonātia: sicut & mūdani corporis partes conueniunt concentu suauissimo: quia unica sunt uita perfusæ & colligatæ: Vnus est enim in eis uitæ spiritus, omnes consonantissimas reddens. Omnia insuper membra mystici & ecclesiastici corporis conueniunt melodia suauissima: quando uiuunt illa unica uita, quæ ait: Ego sum uia, ueritas, & uita: Cuius spiritu perfusi sunt primæui patres, factúmque est eis omnibus (inquit Lucas) cor* CHRISTVS. Lucas. *unū, & anima una. Et ij omnes diuersorum idiomatum, nō sine admiratione assistentiū unica Apostolorum uoce instruebantur. Quo etiam spiritu perfusi, & collustrati doctores nostri, quamuis diuersis instrumentis, & uariis cantilenis, tamē cōsonantissimè personarunt. Et ut à præcipuis exordiamur, Cecinerūt in Dei cōcionabulo quatuor Græci, & quatuor Latini tanquam bases, & fundamenta nostræ Theologiæ cū quatuor illis, qui Euangelica elemēta tradiderunt quatuor distinctis, tamen consonantibus cantilenis. Enodat enim Hieronymus,* Hierō. *& Chrysostomus literalem testam. Prosequitur uterque Gregorius Romanus,* Chryso. Gregor. *& Nazianzenus negotium animæ sub cortice reclusum. Figit Damascenus cum* Nazian. *Ambrosio graues sententias, & allegorica sensa. Euolat Augustinus cum Ba-* Basili⁹ *silio in Anagogico cantu ad suprema personanda: Eos autem, qui præcesserunt usque ad Hieronymi tempora, ipse in de illustribus uiris commemorat sibi notos* Hieron. *septem & triginta ultra centum: Quibus Genadius præsbyter Massiliensis unū* Genad. *supra nonaginta adiungit. Hos autem multi absque numero subsecuti sunt, usque ad Petri Lombardi tempora: qui Damascenum æmulatus theologicam doctri-* Petr. lōb. Mamasc. *nam in quatuor uolumina redigens, & distinguens, disputandi materiam posteris præbuit. In quo genere disputatiuo scripserunt de fratribus Minoribus usque ad Bartholomæum Pisanum, qui eos commemorat centum, & eo amplius. Sed diuersarum professionum, nationum, & idiomatum adeo succreuerunt concordia mirabili intersonantes: ut nec sono terminum, nec fidibus numerum assignare possimus: de quibus dicere liceat: Vidi turbam magnam: quam dinumerare nemo poterat nisi ille, qui numerat multitudinem stellarum. Omnes tamen mira consonantia conueniunt: quia collustrati à summo doctore, & suprema luce, à quo omnis lux, & ueritas emanat. Illi autem, qui propriis innituntur uiribus, sentiunt in seipsis comprobari illud propheticum: Omnis homo mendax: Deus enim solus fontem ueritatis continet, à quo haurire necesse est: si uera & concinna dogmata tradere prætendimus: cum nulla sit de substantiis separatis,*

de naturæ ſecretis, déque ipſius authore Deo ſcientia, niſi diuinitus reuelata. Diuina enim non tanguntur: & mundana quolibet momento ſenſum effugiunt: quo fit: ut quam ſapientiam, & ſcientiam certam uocant: ſiue de cœleſtibus, ſiue de naturalibus, is error ſit meraciſsimus, aut craſsior obſcuritas. Hinc Iſaias uero lumine colluſtratus, Chaldæis, & Philoſophis, mundíq; ſapientibus impro perat dicens: Sapientia tua & ſcientia tua ipſa decepit te: Saluent te aſtrologi, cœli, & aruſpices. Tantum igitur ſcimus, quantum intellectus poſitus in faſtigio humani animi purus, lucidus, & perſpicuus in æternitatis ſpeculo intuetur: Quo lumine fræti ad particularium dogmatum concordiam ueniamus, comprobantes quæ Auguſtinus ſuper Geneſim docet: quicquid Philoſophi de natura rerũ ueris documentis demonſtrare potuere literis noſtris non eſſe contrarium: Si quid autem falſum dixerint: ut iaceat eorum ſolertia neceſſe eſt. Ad hæc igitur particularia elementa deſcendamus.

Iſaias

Auguſt.

Conuentio ſapientum in geniture mundi ſpatio. Cap. X.



Ræſuppoſita mundi fabrica, quam ſupra probauimus: & hanc nouam confiteamur: ut & ſacræ literæ docent, & mathematici omnes confirmant, dum ex mundi ipſius Geneſi eos pronoſticantur, qui in eodem futuri ſunt, euentus: quanto igitur tempore facta ſit uideamus. Eſt ſapientis doctrina: quòd qui manet in æternum creauit omnia ſimul: Cui conſentit Auguſtinus, Albertus, Magiſter ſententiarum cum doctoribus Hebræis, & omnibus qui rectè ſentiunt: Nam finita, & determinata uirtus in agendo tempus exquirit, infinita uerò nequaquã, qualis eſt opificis ſummi non quidem bene menſurata à maledicto Arabe, & à cæteris qui dixerunt Deum non operari infinita uirtute: quia non eſt infinitum opus productum: Vſus nanque eſt ſua interminata uirtute in fabricando, quamuis eandem infinitam non explicauerit in opus: ſed illud clauſit eis, quibus uoluit terminis: quod & iubendo produxit. Cum igitur omnia iuſſu, & uerbo produxerit: dicente Propheta. Ipſe dixit, & facta ſunt: mandauit, & creata ſunt: Dicto enim uerbo, fiat lux, uel ſit firmamẽtum, aut globus cœlorum in medio aquarum, ſiue producat terra herbam uirentem: cur tanta mora facta eſt lux, donec diei ſpatium præteriret, & ueſpera fieret? Et cur uſque ad tertium diem dilata eſt terræ germinatio, & uſque ad quartum Solis, Lunæ, & Stellarum productio? Et cur in quinto tantummodo data eſt aquæ fœtura? Et cur in ſexto celebrata eſt hominis plaſmatio? Et ſeptimus cur ad quietem deputatus eſt? Dicant ſi quid habent. Ridet hos Auguſtinus merito ridendos: qui exiſtimant Deum tempus exquirere in agendo. Nec cum externis (qui dicunt mundum ingenitum, aut non uidentes ſuæ nouitatis cauſſam aſſerunt ipſum ab æterno, & totum ſimul productum) nobis agendum eſt: Sed cum noſtris qui ſcripturarum ſacramenta non percipientes, occidentem literaum ſaluare contendunt. Hinc aliquando (ut idem Auguſtinus ait) ad indignum facinus deue-

Idem
Albertus
Mag. ſen.

Dauid

Auguſt.

Auguſti.

ueniunt: si secundum uerba semper extrahatur sensus. Nec inter sensatos admit tit Origenes eos: qui diem primam, secundam, & tertiam, in quibus uespera & mane dicta sunt fieri sine Sole, Luna, & Stellis, & primam diẽ sine Cœlo fuisse existimant. Magnam quippe summo & æterno opifici, cui præsto sunt omnia, iniuriam inferũt: dum ipsum operari per tempus, & successionem opinantur: cu ius mensura est æternitas: & tota possessio simul. Nec debebant huius mundani animalis mẽbra (inquit Hiarchas Brachmanarũ princeps) seorsum produci, sed simul: Animal enim mundum esse omnes ferè antiqui cõsentiunt: & etiam Peripateticorũ nõnulli: nec Aug. negat. De huius itaq; fabrica tota simul confecta ipse Moses eam, quã per dies distinxisse uidebatur, repetens, simul productam uno, eodémque die asserit dicens: Istæ sunt generationes cœli & terræ: quando creatæ sunt in die, quo creauit Dominus Deus terram, & cœlum, & omne uirgultum agri antequã esset in terra, & omnem herbam agri antequam germinaret. Sed & ipse Deus cum Iob disserens, dum ait, Ecce behemot quem feci tecum, apertissimè innuit, angelum malũ, qui penè ab omnibus dicitur primo die cũ Angelis lucis productus, simul quoq; cum homine fabricatum fuisse. Damascenus autem ex Gregorij Nazianzeni officina plus asserit, Angelicas uidelicet uirtutes prius excogitatas q̃ corporea: quæ excogitatio (ut ait) opus eius est Cui adstipulatur id, quod in Iob subnectitur de eodem: Ipse est principium uiarum Dei: quibus uidelicet egressus est in creaturas producendas. Si autẽ prima creaturarũ est simul cum homine producta: qui est ultimum Dei opus: citra omnem utiq; cõtrouersiam omnia concluduntur simul fabrefacta. Sed quia membra principalia huius mundani corporis sigilatim propagata dicuntur, id fuisse intelligatur secundum eum ordinem, quo homo, propter quem facta sunt omnia, aptissimè inducitur postremum Dei opus, iuxta illud triuiale Peripateticorũ: Quod primum in intentione, est ultimum in executione. Intermedia uerò ordinem eundem prosequentia à primo usque ad ultimum succedunt. Hoc autem, quod multos conturbare uidetur, de septem dierum distinctione, ut in litera enarratur, quamuis multa confutatione non indigeat, quia ex seipso corruit, tamen ut perturbatæ mentes quiescant, aliqua, uel pauca dicemus præmittentes, quòd tres dies, qui deputati uidentur ad fabricam, & tres ad ornatum, & septimus, qui circulum dierum claudens ad requiem dicitur destinatus, non sunt dies, qui circuitu Solis distinguantur: Non enim existimandum est sapientissimum uirum Mosem, immo Deum ipsum per Mosem loquentem tanta hebetudine perculsum, ut diceret primos tres dies ex uespere manéque confectos præcessisse Solem quarto die fabricatum: à cuius motu uesper & mane causantur. Nec sunt illi delirantes audiendi: qui nubeculam quandam lucidam cœlo concreatam dicunt à qua dies diuidebantur, & horæ. Quomodo quæso illuminabat nubes, cuius proprium est offuscare, & obtegere? Quomodo nubecula erat: quæ cœlestem, & terrestrem illuminaret machinam? Vbi etiam collocare

Orige. Hiarh. Antiqui Peripate. August. Iob. Dama. Naziãz. Iob Peripa.

uoluerunt hãc suam nubeculam: cum nequaquã eam admittat regio ætherea ab omni peregrina impreßione aliena? Nec in aëre terræ *uicino potuisset parua nubecula totum hemisphærium illustrare:facit enim magnitudo* Solis, & *debita altitudo,ut totũ hemisphærium illuminetur*, & *umbra causetur pyramidalis in alio hemisphærio:quæ noctem,* & *tenebras causet in toto pyramidis spatio*. Et *quia pyramidalis umbra non transgreditur orbem* Lunæ, *ideo* Stellæ *non occupatæ ab umbra illa terræ nullam* Eclipsim *patiũtur:sed continuo lumen, quod in nos flectunt,suscipiunt.* Quomodo *insuper poterat hæc nubecula aërem illuminans diem ex uespere,manéque causare:cum aër adhuc non esset distinctus:nec esset firmamentum,aut cœlorũ globus,nec aquæ supercœlestes ab inferioribus essent diuisæ?Omnia siquidem in confuso fuisse,habetur in litera,usque ad secundum diem.Summo etiam opifici nõ mediocrem calumniam inferunt cum ista sua nubecula existimantes* Deum *fabricasse mundum imperfectum, accendisseq; lumen aduentitium, quousque proprium lumen accenderet:sicuti faciunt archite-cti nostri:qui aliquãdo turrim ligneam fabricant:ubi campanas collocent,quousque ex lateribus suam,quam intelligunt turrim,construant:* Quæ *omnia imperfectionem non modicam ascribunt* Artifici.Pari *modo explodendi sunt,qui somniant* Deum *fabricasse solem primo die imperfectum: postea quarta die ipsi lucis formam dedisse.Dicant quæso isti:Si sol prima die fuerat imperfectus, nec suo lumine donatus,quomodo mundum illuminando causabat diem,ac noctem,ut parum supra dixerant?Et si informis primo effectus fuit, sicut materia:cur non dixit* Moses,Sol *erat imperfectus,sicut de terra dixerat,* Terra *autem erat inanis* & *uacua?Postea de collata perfectione subiunxit:Producat terra herbam uirentem.*Aduertant *insuper* ꝙ *quarto die dixit* Deus:Fiant, *uel sint duo luminaria magna:*Nec *dixit,*Producant *duo luminaria lumen suum:sicut paulo ante terræ præceperat: ut produceret.* Imaginabantur *isti,* ꝙ Deus *pictorum more, primo figuram stylo adumbrasset,ut postea accõmodatis notis* & *coloribus pingeret.Absonum quippe est* Deo:*quod mortales ex imperfecta uirtute exquirũt.* Sed *quia de materia dicitur,*ꝙ *prius informis, postea propriis figuris depicta sit,intelligatur hoc,ordinem naturæ,* & *non temporis signare:ut non modo* Augustinus, & *antiqui* Theologi *consentiũt, sed* Philosophi *insignes,* & Poëtæ *peritiores conueniunt:*Trismegistus *enim* Alcinous Platonicus, & *alij sapientes dicunt:*Hesiodus *quoq;,* Euripides, & Ouidius *decantant cælum,* & *terram olim mixta fuisse,* & *chaos quoddam,postmodum separata generasse singula:arbores,uolatilia,feras,* & *mortalium genus:* Quod *à* Platone *semimoseo in* Timæo, & *à* Philone *in* Græca, Hebraicáque *lingua celeberrimo apertißimè demonstratur:* & *diuisionẽ illã dierum non ad tempus, sed ad ordinẽ productionis,* & *rerũ productarum referre docemur.* August. *autẽ ultra cõscendens per dies illos ordinatã,* & *perfectam cognitionem,quã de productis rebus habebãt mentes* Angelicæ *interpretandum existimauit: duplicem excogitãs in eis cogni-*

Augusti. Antiqui Theolo. Trisme. Alcinous Hesiod. Euripid. Ouid. Plato. Augusti.

tionem rerũ: alteram in uerbo, quam matutinam, alteram in genere proprio, quã uerspertinam uocat: ex quibus cõiunctis conficiebatur plena cognitio: sicut ex uespere, & mane perfectus fit dies: Sub quorum typo locutus est Moses agens cũ inerudita plebe, cum rusticis, operariis, coquis, fartoribus, macellariis, opilionibus, lutearis, & id genus, innuens sapiẽtibus mysteria maxima sub cortice reclusa. Refellunt tamen illi boni uiri Aug. quia non uidetur conuenire cum ipsorum sensu literali: Sed minus conueniunt eorũ deliramenta, figmentáq; meracissima: quæ cum falsa sint, & textui repugnantia, & á litera, & ab omni ueritate discrepant: Non enim potest semper, & ubiq; litera saluari: ut illud, Si oculus tuus scandalizat te, erue eum: & proiice à te. Et illud: Sunt eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cœlorum. Et in psalmo: Ascendit super Cherubin, & uolauit super pennas uentorum. Idem quoq; Propheta: Foderunt manus meas, & pedes meos. Nec enim Deus, qui ubiq; est, ascendit, & descendit: nec Cherubinis, aut uẽtorum pennis indiget, ut portetur: Nec fuerunt aliquando manus Dauid confossæ, aut terebrati pedes. Innumerabiles sunt loci scripturæ sacræ, qui non possunt secundum literam exponi: Nam totus penè prophetarum contextus metaphoricus est, & de uno loquens aliud innuit: ut suo loco, Deo fauente, saltẽ pro parte disseremus. Omnes igitur sapientes, qui mundi genituram admittunt: & quorum oculi æterna & unica luce collustrantur, in hoc conueniunt: quòd simul facta sint omnia. Sed cur illa distinctio fiat per senarios dies, & quanto mysterio aliqualiter percurremus.

David

Cur numerus senarius fabricæ, & septimus dies requiei addictus sit. Ca. XI.



T si omnia summi opificis opera magno mysterio, magnóque sacramento fabricata dicuntur, non minus est hoc de senario, quo tota fabrica partita enarratur: Nam senarius (ut Mathematici & Augustinus docent) est primus numerus perfectus: quia ex partibus aliquotis combinatis, uno uidelicet, duobus, & tribus ad unguem resultat, unde & Gamon à Pythagoreis dicitur: propterea quòd partes suæ iuxta se positæ ipsum gignant: Quælibet insuper duæ partes aliquotæ combinatæ senarium constituunt: ut sexies unum, ter duo, bis tria. Nec consonantior quippe numerus ad mundi fabricam poterat reperiri senario: qui constat ex proportione dupla, quam intra se proximè continet: Hæc autem est quaternarij ad binarium: qui numeri simul iuncti senarium reddunt: Quod in aliis numeris uix inuenias, nisi in eis qui naturam senarij seruant: ut duplus, triplus, quadruplus, aut quadratus eius, & similes. Est igitur senarius resultans ex dupla proportione, quæ diapason facit omnium cõsonantiarum consonantissimum. Ideo Pythagoras ipsum Genesi, nuptiísque prorsus accommodatum asserit: & per consequens mundi fabricæ, in qua sunt ueræ nuptiæ, & cõnubia rerum celebrata. Conuenit quoque senarius primo perfectus summo opifici Deo, aut fabricæ ipsius, cui nihil deest: sic nec senario per sua mẽbra digesto deest aliquid,

Mathe.
August.
Pythag.

nec superest, nec deficit, nec excedit quicquam, nec effluit, nec influit aliquid, nec alienis indiget adminiculis: sed æquale, temperatúmq; est, & suis partibus, uiribúsq; nititur: atq; consistit. Partes quoq; gignentes genitum similem genitori reddunt: Ideo cum Deus opus suum ad hūc numerum partiendo produxisset, dixit
Moses Moses: Perfecti sunt igitur cœli, & terra, & omnis exercitus eorum. Hinc & Orpheus iubet hymnos sexta generatione finiri: quia de rebus creatis non ultra
August. cani potest, cum inibi tota sit perfectio terminata. Docet itaq; Augu. Deum sex diebus perfecisse opera sua: quo numero potius mysterium, quàm temporis partes signari opinatur. Ideo etiam numeris indigemus, ad percipienda Dei & naturæ sacramēta non quidem mercatoris, sed suis numeris distincta. Vlterius ꝓgredientes dicamus: ꝙ ex figura trigona quāoptimè hic numerus fabricæ conuenit: huius enim basis est ternarius, summitas unum, intermedia duo, ut in obiecta patet figura .:. : Nam fabrica tota à tribus personis emanat, cū eorum opera ad extra sint indiuisa: Tendunt quoque in unum finem, in quem omnia diriguntur: Transitus autem est per binarium, materiam uidelicet: Nam primum huius egressus principium materia fuit, quæ binarium sapit: & in unum reduci tendit per formam, quæ ternarij gerit imaginem: sicut ex omni parte in præcedenti figura ternarius per binarium tendit in monadem: Ad quam reductis omnibus sequitur sabbataria quies diei septimi claudentis, & terminantis omnium dierū curriculū. Hoc igitur senario longe excælsiore illo, qui dierum successione numeratur, fabrica partita est. Si admittatur igitur Deus summus opifex suo perfecto ordine in opus processisse, facilis erit catholicorum sapientū cōcordia cū philosophis, maximè Academicis: Quorum Princeps in Timæo dixit, ꝙ Deus mun-
Plato. di propagator, producta gemina materia cœli, & terræ statim postea lucē, qua res distinguerentur, & distinctæ cognoscerentur, produxit: aut iussit rebus inesse: Ideo notanter dicitur (ut habet ueritas literæ) sit lux super materiā, uidelicet ipsam informans. Primo itaque materia cœli, & terræ fabricata dicitur simul & lux, per quam materia ipsa artificis imagine, aut simulachro pingeretur. Et hæc necessariò fuit: & dicitur prima egressio opificis in opus: & prima illustratio, aut lux uisa obtenebrata materia, ex qua simul cum luce facto composito apparuit primus dies ex uespere materiæ, & mane formæ confectus. Sed quia nequaquam conueniebat materiæ totus diuinitatis affluxus, ideo secunda die collocatum dixit Arachiah, cortinam uidelicet, uel Massam cœlorum inter superexcelsum fontem lucis & aquarum, & obtenebratam materiam, paucásq; bonitatis aquas, ne maior esset aquarum & bonitatis influxus quàm materiæ ipsi cōueniret: Sed hoc factum dicitur die secūdo infausto uidelicet. Hinc separationem istam Hebræi Gemebunde legunt suprapposito accentu., quem זַרְקָא Zarco dicunt, quasi dolentes de obstaculo constituto inter affluentem bonitatem, & susceptiuam materiam: Et hoc quo ad primæuam productionem. Sed nobis quoque gemendum est de hoc infausto die: quo interpositum

est etiam inter nos & Deum tribunal librans quantum gratiæ, quantúmq; diui ni affluxus unicuique admittendũ sit. Exuberantißimus est enim fons diuinæ bonitatis, undè magis quàm suscipientes mereantur, afflueret, nisi interiectũ fuisset obstaculũ probibens: prout ordinatiua iustitia exquirit. In die autem tertio secũ dum quippe numerum formalem rerum formæ explicantur, & segregari dicun tur ab interioribus, & terreis, ideo dicitur: Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum unum: id est, colligãtur uires generatiuæ insimul, & appareat ari da: quæ illarum uirium collectarum uirtute fœcundetur: ut subnectitur: Producat terra berbam uirentem: & lignum seminiferum, & ea quæ sequũtur. Productis igitur formis, & depicta terra, ut apparerent, & uiderentur picturæ il læ, quarto loco dictũ est: Sint duo luminaria magna in globo, aut massa cœlorũ: & diuidant, id est, discernere faciant inter obscurum, & lucidum: & uideantur ea, quæ collustrata sunt suis formis: & secernãtur ab his, quæ adhuc in suis tenebris, & figuris obscurioribus iacent. Quinto autẽ die uitali ex quinto cbaractere, scilicet ה uitam significante plena uitæ communio describitur, dum ait: Serpant, aut producant aquæ serpituram animæ uiuentis, & auẽ uolantem tã super terram, quàm super faciem cœlorum. Creauit quoq; Deus eodẽ die dracones magnos, aut cete grandia, ut babet nostra traductio: & omnem animã uiuentem reptantem super terrã: undè intelligatur Deus totius uitæ superioris, & inferioris authoꝛ. Magna sunt bic sacramenta: Primò, cur aquæ dicantur producere uiuentia, & animantia, sicut & semen eorum aqueum est: & cur primo producta illa animantia ab aqs dicantur, postea à Deo fabrefacta, prout aquæ serperãt & produxerant, & quid sit auis uolans super terram, & super faciẽ cœlorum. Sed nõ datur bic accessus ad tam intima penetralia: cum propositum nostrũ sit percurrere cur, & quomodo opera illa per dies quinq; dicantur distincta, & in sexto numero quippe perfecto, & uitali, ex litera ו sex & uitã significante, iterum bestiæ introducantur productæ in genere suo: & bomo in forma perfectißima, cum imagine, uidelicet & similitudine Dei. Septimus quoq; cur requiei dicatur ascriptus: ut conueniant uidelicet requies, & dies sabbati: sicut eorum nomina in mysteriosa lingua Hebraica consentiunt.

Concordia antiquorum in rerum unitate. Cap. XII.



Patens est cõtrouersia Peripateticorum cum antiquis, Parmenide. Melisso & sequentibus circa rerum unitatem: Quæ altercatio quippe uerbalis est: ut rectè sentit Simplicius, & alij sapientes: In quam concertationem intrarunt illi, qui aut non intelligunt, aut se intelligere dißimulant, ut disceptandi ansam nanściscantur: Quorũ litigia facilè explicantur si admittãt (ut debẽt) Deum rerũ authorẽ, sustentaculũ, & uinculum: De quo Plato ad Hermiã, Erastũ & Coriscũ loquẽs ait: Vos qui tres estis, banc epistolam legere oportet, uel saltem bini, & quanto frequentius fieri potest: ut cognoscatis Deũ omniũ rerum quæ fuerũt, quæ sunt, & quæ futura sunt,

Peripa. Parme. Simpli. Plato.

Principem: & principis, opificísq; causæ Patrem & Dominum: Quomodo phi losophãdo apertè fœlicis hominis naturã attingere poterimus: cognoscẽdo uidelicet rerũ causam finem, & sustentaculũ, aut cõtinuè diffusum in nos Deum: iuxta quod scribit sapiens ille Astronomus: Nãq; Canã tacitæ naturæ mentæ potẽtem, Infusumq; Deum cœlo, terræq; fretóq;. Sicuti per Ieremiã ait: Cælũ, & terram ego impleo. Quod nisi faciat: uiuificet & sustentet omnia facilè in nihilum resoluentur. Sic itaq; omnibus rebus est unum esse diffusum: in quo sunt, & conseruantur. Cuius rei exẽplum præbere possumus etiam in sensibilibus: Nam Sol, qui (teste Iamblico) est perspicua imago diuinæ intelligentiæ: aut perspicua statua in hoc mũdano templo (ut Diony. simul cũ Academicis docent) unicus est in essentia, & luce, multiplex tamen in radiis: sicuti ipsum primum esse unicũ est in se: & illud diuinum, æternũ, & immutabile, multiplex tamen in creaturis diffusum. Et sicuti Sole contrahente radios omnia tenebræ sunt, Pari modo auertente faciem suam diuino sole omnia turbantur: & in puluerem suum, aut nihilum reducuntur. Thales igitur hoc esse contemplans, in sua origine infinitum illud asserit. Parmenides autem illud in radiis cogitans finitum esse dicebat. Nec tanti uiri negarunt radiorum diuersitatem: ut ipsis impingebat Aristoteles: Nã sicut ipsemet fatetur. Parmenides posuit principia rerum contraria, ergo multa concessit: cum in eodem contrarietas esse nequeat. Et si principia concessit, effectus utique non negauit à principiis distinctos: alioqui nihil ab illis distarent principiis. Nec opinatus est Aristo. (ut existimo) Parmenidẽ, atq; Melissum uoluisse generationem, cuius assignabant principia fieri secundum apparentiam tãtummodo: sicut delirando dicit Auer. & nouitiores nõnulli suum uolentes defendere Aristot. qui inuehitur contra antiquorum uerba, & non sensa: ut inde nanciscatur occasionem disputandi, ut satis urbanè dicit Thomas: Reprobat Arist. uerba Platonis, & aliorum antiquorum non quidem ut refellat, quæ Plato scripsit: sed quod uerba prætendunt: ne qui ex uerbis metaphoricis Platonis, quibus occultabat profundum sensum, in errorem laberentur: ut puta cum audiunt animam dici circulum, aut numerum, credant hæc dicta fuisse secundum materialẽ mathematicam: similiter quando omnia unum dicuntur, opinentur illud unum esse aliquod cõpositum, aut rem particularem: Omnia siquidem unũ esse intelligantur: quia omnia ab uno habent, ut sint: sicuti omnes numeri habent suum esse ab unitate in ipsis diffusa. Nec multum ab istis distat Heraclitus: qui omnia propter sui mobilitatem, & instabilitatem conuenire dicebat in quodam uno permanente, & intrãsmutabili: quod esse nequit, nisi illud diuinum esse: à quo omnia scintillant: Sed obscurius loquens (ut Hierony. ait) à sudantibus Philosophis uix intelligitur. Cum istis quoq; Xenoph. consentit: si quis diligenter prospiciat ea, quæ ab Alexan. Græco recitãtur: qui primo Peripateticus fuit, postea Xenoph. familiæ addictus, eius dogma suscepit, & scripsit: Cuius rationes cõcludunt omnia esse unum in ratione primi, & præcipui esse, nõ in particulari ratione essen-

Manil. Ierem. Iamblico Diony. Acade. Thales Parme. Aristote. Idem Melissũ Auerrois Thomas Heracli. Hiero. Xenop. Alexan.

di: Cui consentiens Albertus ille magnus subnectit: Nullum est uerum esse, nisi illius, qui dixit: Qui est, misit me ad uos. Nam ille est à se, & per se: cætera autē nec à se, nec per se: sed tantum sunt, quantum de esse illius participant. In hunc sensum opinor finxisse Ægyptiorum antiquitatem: & inscriptum fuisse Palladis peplo: Pallas est quicquid erat, quicquid est, quicquid erit, & quicquid uides: cuius uelum nullus sapientum aliquando reuelare potuit: quia infinitum est illud esse suum diffusum, & inclusum in particularibus rebus, quibus tanquam uelaminibus quibusdam occultatur, ut capi nequeat: tum quia occultum, tum quia infinitum, & transcendens omnem captum præter suum: Pallas enim, quæ de cerebro Iouis nata dicitur, sapientiam illam significat: per quam, & in qua facta sunt omnia, iuxta propheticum illud: Omnia in sapientia fecisti. Qua etiam replentur omnia: ut sequitur idem propheta: Impleta est terra possessione tua. Sicut & per Ieremiam nuper dictum fuerat, & alij multi sapientes conueniunt: & Poëtæ decantant, inter quos Lucanus ait: Nilq; Dei sedes, nisi terra, & pōtus, & aër, Et cœlum, & uirtus, supos quid quærimus ultra? Iuppiter est quodcunq; uides: quocunq; moueris. Hic forsitan didicit ab Isaïa: in quo Deus loquitur dicens. Cœlum sedes mea, & terra scabellum pedū meorum. Sanè igitur intelligendo, quomodo omnia sint unum, dimißis Sophisticis altercationibus, quas Aristoteles adduxit: ut præberet iuuenibus latam disceptandi materiam, omnes sapientes facilè conuenient circa illud unum in quamplurima diffusum.

Albertus. DEVS. Aegypt. Dauid Ieremiā Lucanus Isaias

De prima rerum productione consensus. Cap. XIII.



Quantum autem ad fabricæ ordinem spectat omnes unanimes cōsentiunt: ꝙ erat, aut præintelligi debet subiectum quoddam informe omnium formarum receptitiū: quod Philosophi uocarūt materiam, aut Hylen, & aliqui Chaos: sed Moses תוהו ובוהו Tobu & Bohu, id est informe quoddam: & in quo omne formādum erat, potentia uidelicet. Et quia ab ipso primo subiecto educenda innumera erant: ideo dixit Anaxagoras ibi fuisse infinita, id est indeterminati numeri: & hæc deducta in actum per unicum illum intellectum, & mentem omnium fabricatricem: quam Arist. naturam uocat: quamuis aliquando uideatur hanc naturā distinguere à Deo: & eam ipsi associare: sæpius repetens, Deus & natura facit, uel non facit. Sed hæc natura disponens, uel distinguens nihil aliud est (ut alibi diximus) nisi ipse Deus. Vnde consentit Aristo. cum Anaxagora, ꝙ Deus de materia, aut massa illa omnia deduxit: In qua eductione, cū præsupponatur materia, in quā inducitur, aut ex qua deducitur (ut Peripateticis placet) & forma quæ inducitur; & potentia, uel aptitudo, aut dispositio materiæ. Hinc resultāt tria principia Peripatetica, materia, forma, & priuatio. Nec dissentit Pythagoras: qui astruit in hac fabrica intercedere par, & impar: Par enim secundum philosophātes per numeros materiam significat, maximè binarius: impar autem formā. Gradus quoq; formarum, & rerum compositarum per parem, & imparem nu-

Moses. Anaxa. Aristo. Aristo. Anaxa. Peripa. Pythag.

Pythag. Plato merum consonantissimè distribuuntur. Et quod Pythagoras per numeros, Plato per magnum, & paruum describit: cum omne quod est, maiorem, uel minorē gradum essentiæ, & perfectionis sortiatur, distinctum p pares, & impares numeros. Vel si de corporibus sit sermo: quodlibet ad literam habet magnam, uel paruam, siue mediocrem quantitatē: quæ etiam per numeros pares, & impares terminatur, & secernitur. Nō igitur per magnum, & paruum materiam tantummodo intelligit Plato: ut uidetur ipsi impingere Arist. Qui eius assiduus auditor (Idem Aristo.) bene noscere potuisset Platonem uocasse materiam sinum informē, potētiam matrem mundi, nutricem formarum, subiectum, receptaculum: & huiusmodi nulla quantitate, nulloq; gradu distinctum. Quam materiam, quia massa quædam est, ut docet Abraham in lib. de Formatione, Hinc Democritus dixit cōgregatam ex (Abrahā Democr. Empedo.) atomis aliquando densius, & aliquando rarius. Idcirco Empedoc. inter principia, densum, & rarum collocauit. Et quia continua, & solida condensari nequeunt, ipsos atomos indiuisibiles dixit Democritus esse materiale principium: (Democr.) Quæ materia inanis est, nisi cōstypata, aut dilatata disponatur in subiectum capax formæ producendæ: ideo indiguit agente, & dispositore aliquo. Sed cum nullus rerum dispositor intelligi possit ante mundi fabricā nisi Deus, & author uniuersi, igitur Democritum habemus consentientem aliis sapientibus: qui dicunt summum opificem ex materia omnia composita produxisse: à quo etiam formas omnes emanare necesse est: siue educantur de gremio materiæ: ut uoluit Peripatetici, siue ab ipso datore formarum immediatè emanent: ut aliis sapientibus placet: quia generans, & producens dicitur, qui formam deducit in actum, quomodocumq; id fiat. (Peripat.) Sed cum Democriti oculus non uideret: cur magis hæc pars, q̃ alia tertiæ cohæreat: aut cur potius forma illa in hoc, q̃ aliud subiectum induceretur, id casu fieri opinatus est: Quod tamen non est absq; causa: sed quia nobis incognita, si effectus expectatur, dicitur à fortuna: si uerò præter spem, aut nobis non opinantibus euenit, fortuitus nuncupatur. (Emped.) Empedocles uerò à sensibilibus elementis exorsus eorum progenitorem tacuit: uel quia eius perscrutationem cū Physica, de qua intendebat, minimè cōuenire pspiceret: uel quia noluit proponere, quod determinare nequiret: Nā (ut alibi diximus) nō esse de diuinis ulterius affirmandū docet Plato, nisi quantū diuinum pandit oraculum: (Plato) Vnde qui silet, nō ex hoc discedit à ueritate, neq; à Mosaicis institutis: qui (oraculo docēte) de elemētorū, & omniū rerum pgenitore præcipuo disseruit. Asserit quoq; p litē, & amicitiā omnia disponi, generari uidelicet p cōuentionem partium in cōpositum, & dissolui p dissidium partium à toto, in quo conueniebant. Et quia amore connectuntur omnia, ideo Moses inducit spiritum, qui amor est, & nexus rerum (Moses.) (ut suo loco Deo fauente explicabimus) incubantem, & cōfouentem aquas, illas uidelicet ex quibus omnia uiuentia generantur: Animalia enim ex aquis ab Artifice pduci iubētur: nec plantæ sine aqua producuntur, quāuis dictum sit: Producat terra herbam uirentem. Nam terra sine humore aqueo minime producit.

De concordia Peripateticorum in generali, aliorum quoque omnium in essentialibus. Cap. XIIII.

STatuimus ut Peripatetici, & alij quãplurimi in iucundam sapientum harmoniam conueniant: Quod profecto tanto uidebitur difficilius, quanto magis illorum princeps, ut singularis, & excellentior haberetur, ab aliis etiam nõ dissentiens dissentire uoluit, à Platone maximè, prosequens processum oppositum. Duplex est enim processus: sicut & duplex natura: ut ipse Plato meminit. Altera sensibilis: de qua est opinabilis ratio: quam scientiam uocant: Altera uerò incorrupta natura meliorum substantiarum, immutabilis, constans, continua, semper eadem, quæ non penetrabili cogitatione percipitur: uerum mentis acie uidetur. Hæc uocatur diuina scientia: quia de diuinis tractans, & diuinitus edocta est. Præcedens autem dæmoniaca nũcupatur: q̃a de terrenis est: & quia suggesta ab iis inferioribus intelligẽtiis: quas Marcus Tul. lares, Apuleius modo lares, modo genios, Alij uerò dæmones appellant: qui continentur infra lunarem orbem, circa rerum terrenarum intelligentiã uersãtes. Hinc Græci, tã Peripatetici, q̃ Platonici ipsum Platonẽ diuinũ, Aristot. uerò dæmonẽ uocauere: quia illi semp̃ cura fuit, & de diuinis tractare: & ab eis addiscere: qui à diuinis oraculis susceperant: Hic autem propriis uiribus innixus ea tantum admittere uoluit: quæ suis sensibus & rationibus probare iudicabat: Hac enim uia uenatus est motus multiplices, qualitates quadrifarias, tria rerum principia, causas quatuor, & huiusmodi: quæ facilè ex sensibus deprehenduntur. Nec ultra progreditur sensibilis doctor: nisi transgrediatur (ut ipse ait) metas suæ sensitiuæ: doctrinæ Quod & aliquãdo facit cõfitens Deũ rerum effectorem: quamuis infra sensitiuos limites contentus asserat mundum ingenitum, & tollat à Deo rerum facturam. Si tamen illum in conuentũ Platonicorum, & diuinorum sapiẽtum conducere uoluerimus, is unicus mihi uidetur modus. ut (quemadmodum à musicis aliquando fieri solet) obseruemus istum ab infimis suprema petentem: Platonem uerò cum Ioanne à summo progenitore ad ima descendentem: Hic enim à uerbo incipiens ait: In principio erat uerbum: & uerbum erat apud Deum: & Deus erat uerbum. Postea descendit per ideam, & lucem nobis præstitam, ad diuina cognoscenda usque ad carnem ab ipso uerbo assumptam: Qualem etiam binum progressum obseruatum demonstrabimus in conuentu pertractando rerum diuinarum cum elementaribus, & inferioribus: A Deo enim per ternarium deuenitur usq; ad cœlos: & illuc conscenditur ab elementis per quaternarium: ubi conuenientes, & conducti numeri per alterutrum duodenarium constituunt: quo numero partitum est cœlum, & multifarie decoratum: ut suo loco (Deo fauẽte) explicabimus: Quem progressum obseruãt ij duo præcipui philosophorum principes. Plato igitur Pythagoreorum. & antiquiorum sapientum uestigia prosequendo uolens describere mundi fabricam ab opifice per uiam numerorum exorsus est: De quo cum difficultate maxima (ut

Plato | Tul. Cic. Apule. | Aristo. | Idem | Plato. Ioan. | Plato

ipse fatetur) inuento hæc profert: Vnam in principio accepit ex uniuerso portionem: secundam autem primæ duplam: & cætera quæ sequuntur. Aristo. *Arist autē (maximè in libro de Physico auditu) à principiis inferioribus, & elemētaribus exorditur conscendens per motus uarios usque ad primū motorem Deum inuestigādum.* Plato. *Plato iterū ex oraculis, & ex iis, quæ ab antiquis uenari didicit, ex numeris iacit suæ doctrinæ fundamēta: cum numeri rebus diuinis, terrestribus, & humanis domestici sint. Patet igitur, si quis prudenter conduxerit illum per ternarium diuinorum, & hunc per quaternariū corporeum, & sensibilem ad duodenarium utrisq; cōmunem deueniens, illic eos conuenire faciet. Et (ut clarius loquamur) procedatur uia Peripatetica ab elemētis, & imis rerum principiis usq; ad cœlestem machinam, quæ uidetur: & tractatio erit de motu, generatione, corruptione, alteratione, augmēto, diminutione, & motu locali usq; ad ipsum primum motorem quoniam sit. Sed de eius arcanis, de mundi genitura, de intelligentiis, & huiusmodi conticescant isti uenantes ueritatem per sensus: & ea relinquant illis, qui expurgatis oculis ipsa uiderunt: aut eadē suscepere ab his, qui uiderant: aut per similitudinem, & sacramenta numerorum procedant: quibus nihil est familiarius diuinis rebus. Eodem modo conducant negotium animæ (quātum fas est) per suos sensus, relinquentes ea, quæ transgrediuntur Physicas metas, sapientibus diuinis. Et si aliqua inter eos uidetur dissonantia, à superioribus doctoribus remittantur fibræ: ab inferioribus autem contrahantur, & subleuetur sonus: sicut in instrumentis fieri solet: & inuenietur eorum cōcordia: Ad quā conducendam, operam, & industriam apponeremus: nisi negotium nimis nos à proposito nostro distraheret: quod est concordare non tantum sapientes, sed omnia quæ in machina ista continentur.*



V O consonanti numero summus opifex in creata omnia descendat. Tonus tertius.
Quomodo vnus per viginti septem distendatur. Cap. I.
Quanto ordine à Deo trino per ternarium fiat in fabricata omnia progressus. Cap. II.
Quomodo Angeli per primum nouenarium simplici ternario correspondentem distribuantur. Cap. III.
Sicut Deus descendit in nos per tripartitum Angelorum ordinem, ita per eos in Deum conscendere possumus. Cap. IIII.
De intelligentiarum Authore. Cap. V.
Quomodo secundo quadrato ternario Opifex cœlos fabricauerit. Cap. VI.
Quomodo Planetę, aut stellę operentur in inferiora bonum vel malum. Cap. VII.
Vnde proueniant mala, an ex influentis malitia, an ex mala dispositione recipientis. Cap. VIII.
Rationibus comprobantur, quę sapientum sententiis iam decreta sunt. Cap. IX.
Quòd nec Saturnus, neque Mars, neque quodcūque aliud sydus sit malū, vt pferebatur. Cap. X.
An stellę agant in nos necne: & si agunt, vtrum cogendo, aut disponendo. Cap. XI.
Qualiter tertio quadrato ternario elementaria omnia produxerit omnium Artifex. Cap. XII.
Cur quaternario numero, elementa sint distributa. Cap. XIII.
Quod elementa reperiantur in omnibus mundanis membris. Cap. XIIII.
De alia partitione rerum elementatarū, per quam tolluntur instantię multę, quę possent fieri circa prædicta. Cap. XV.
Quòd elementa reperiantur non tantum in hoc terrestri mundo, sed cœlesti, supracœlesti, & Archetypo. Cap. XVI.
De figura elementorum secundum Pythagoreos, & Platonicos. Cap. XVII.

QVOMODO VNVS PER VIGINTI *septem distendatur.* *Caput primum.*


ONADEM *in multitudinem diffusam omnibus sapientibus patet: Sed quomodo unitatis natura cum multitudine conueniat, & absq; discrepantia in ea cohabitet, hic nobis labor exanclandus est. Neque alio quoquomodo conuenire potest, nisi per unitatis harmoniam: quæ in multitudine comperitur.* Hinc Plato Timæum Locrum imitatus animæ, & mundi fabricam describit per acceptam monadem: & per duplatas, triplatas, & quadriplatas proportiones usq; ad uiginti & septem, cubũ uidelicet primi numeri deuenit, addens omnia interualla repleta fuisse. Quod ut faciant eius interpretes Proculus, Chalcidius, & posteri senarium primum perfectum numerum unitatis loco collocant: quem eodem ordine duplando, triplandóq;, usque ad. 162. deueniunt: Et tunc interualla replent diapentica, diatessaronica harmonia, tono etiam, semitonio, & lẽmate: ut tota anima, totusque mundus harmonicus sit: & omnem contineat diuinam harmoniam: Nam primus, & summus monas in primum numerum, ternarium uidelicet diffunditur: qui si quadretur nouenariũ cõplet: Quo numero intellectuum separatorum ordines, cœli, elementariáq; omnia summa harmonia distribuuntur: ut infra demonstrare prætendimus: Qui numerus si ad cubum reducatur, uiginti septem illos supra memoratos reddit: Sed antequam gradus isti harmonici rerum distribuantur, materia prima (quam poëtæ Chaos, Græci Hyle, & Hebræi הִיוּלִי id est Hiuili uel Tobu dicunt) præexigebatur: quæ cum numeratis non connumeraretur: sicut agens primum, & summus monas in aliorum numerum non uenit: quamuis per unitatem suam omnibus præstet, ut numerẽtur. Hinc sapiẽtissimè Moses ante rerũ fabricã ꝓductionẽ materiæ præmisit dicẽs: In principio creauit Deus cœlum, & terrã, materiã uidelicet utriusque: quæ postea formata sunt: Nam alteri formam tribuit secundo die, dum ait: Sit arachiba in medio aquarum, id est extensum uel expansum omnium cœlorum: Vnde sequitur & uocauit arachiba cœlos. Nec enim arachiba firmamentum est: ut habet traductio nostra: sed globus, & massa omnium cœlorum: Quod comprobatur in eo, quod sequitur: Fecit Deus duo luminaria magna, & stellas: & posuit ea in arachiba: Nec enim in firmamento, id est stellato cœlo posita sunt illa luminaria: sed unũ quodque in orbe suo: ex quo concluditur illud arachiba significare glomeratũ quid ex omnibus orbibus. Terræ autẽ formam tribuit tertio die, in eo quod ait: Congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt in locum unum: & appareat arida: quam aridam uocauit terrã: Quod ut clarius exprimeret, supra dixerat: Terra autem erat tobu, quod chaos, uel rudis quædam massa, uel materia exponitur. Sequitur וָבוֹהוּ uabohu, cuius significatum est, Et in quo ipsum scilicet formãdum inerat: Nam in materia omnia (ut triuia-

Plato
Procul. Chalcid.
Moses

le est)potentia praeexistunt antequam in formas proprias explicētur. Intermedia igitur genera uigesimo septimo numero complentur: inter quae genera multa sunt interualla, harmonicis secundorum generum, & specierum numeris, aut gradibus complenda: & in specierum latitudine singularia eodem ordine, suáq; harmonia collocātur: Habet enim latitudinem quandam species ipsa: quãuis numero cõparetur: qui nullam uidetur habere latitudinem: Si tamen diligentius introspiciatur: partitur unitas quando tonus, qui ex unitatis excessu, nouenarij uidelicet ad octonarium generatur in semitonium: & illud in lemma dimidium uidelicet semitonij diuiditur, mutatis numeris minoribus in maiores. octo scilicet in 16. & 32. 9. uerò in 18. & 36, quod apud musicos commune habetur. Diuiditur itaq; numerus naturalis, qui est rerũ proportio, quãuis uocalis nõ diuidatur, nisi in superiorẽ numerũ reductus. Tantum enim differt homo ab homine, & equus ab equo: canis quoq; à cane, ut necessarij sint gradus in ipsarum specierum latitudine. Viginti igitur & septem sunt prima rerum productarum genera in tres nouenarios distincta, supercœlestem uidelicet, cœlicum, & elementarẽ: Quorũ concordiam harmonicam à Deo summo infusam (ipso fauente) declarare praetẽdimus: Ex Archetypo enim ad Angelicũ orbem, hinc ad sphaeras, & inde ad terrestre uolumen unitas illa omnia reddens consonantissima descendit: ut quicquid in unoquoq; est, itidem in reliquis suauissima proportione respõdeat, uocibus utique uitae energia canoris: Quas uitae uoces spiritus uitae à primaeua institutione subministrauit. Hinc Moses ait: Et spiritus Elohim uolitabat super aquas, primordialia uidelicet rerũ semina, ea confouendo, uitamq; unicã praestando suauissimam. Deus enim (inquit Apostolus ex Arati sentẽtia) est in quo uiuimus: mouemur, & sumus, mediante illo spiritu, qui intus alit: & mente, quae agitat totã molem rerũ fabricatarum: ut antiqui dixerunt uates. Sed & ipse Deus per Ieremiam inquit: Cœlum, & terrã ego impleo. Quem spiritum, & quẽ Deũ infusum cœlo, terraeque, fretoq; Platonici animã mundi dixere: ut nõnulli eorũ clare profitentur: Qui mundi membra uiuificando, colligandóq; harmonica concordia, concentus mundani instrumenti redderet cõsonantissimos. Hoc uidit Pythagoras: cuius studium in numeris, & his cõsonãtibus inerat. Hoc innuit Anaxagoras: quando unũquodq; in alio, aut quodlibet in quolibet (ut irridendo dicunt Peripatetici) contemplabatur. Non quidem asinum in musca, aut elephantẽ in carduele, uel cœlum in pulice asserens: sed species uniuscuiusq; in alio mirabili affinitate repraesentatas, & eadem uniuersali uita uiuentes, & amica societate unitas: ut unius ad alterũ per corruptionẽ, & generationẽ propriarum formarũ facilis relinqueretur transitus, & Symbolũ, existente eadem materia, & uita omniũ: unde ad inuicem resultet proportionatus concentus: Sed non explicauit: quod nec clarè forsitan percepit. Pythagoraei autem, & Academici lumine diuino, & prophetico collustrati, quia ab eis fuerant edocti, qui illum spiritum à diuinis hauserant oraculis, id apertius tradiderũt. Ipsi autẽ diuini uates ad Sym-

Moses. Paulus Maro Ierem. Platonici Pytha. Anaxa. Pythag. Acade.

posium illud Deificum euecti, ubi formæ, & exemplaria rerum concinna suauitate, unico sono in eodem unico uerbo respondent, clarè perceperunt concentũ illum: Quẽ in tam uaria membra mũdani instrumẽti diffusum hac crassiori carne prægrauati sentire non possumus: nisi nunc unum, nunc alium modulum suscipiendo, omnes in mente colligamus: ubi harmonicum illum rerum creatarum ad inuicem, & cum artifice concentum aliquali suauitate percipiamus: unde ad cõsummatissimos hymnos cum matutinis astris subleuari possimus: & simul cũ ciuibus illis, plenis faucibus in opificis laudes resonare. Sola enim (inquit Plato) philosophi, aut ueri sapientis cogitatio alas per crassiorem corporis molẽ demissas recuperat: quibus ad supercœlestia uolando per mundana hæc, & cœlestia, eorum modulos aliqualiter percipit: donec ueniat quod perfectum est: cui cedat, quod ex parte est. Proponemus itaque trium Enneadum concordiam: ex quorum una ad aliam ordinatis gradibus conscendentes ad Archetypum totius consonantiæ fœcundum deueniamus. Plato.

Quanto ordine à trino Deo per ternarium fiat in fabricata omnia progressus. Cap. II.

PHilosophorum Pater, naturalisque ordinis, & concentus solertissimus indagator Pythagoras, qui priorem in naturalibus nõ habuit, secundum non uidit, disciplinam suam non tantum ex Chaldæis, & Assyriis hausit, sed ex Hebræorum sapientia occultiori imbutus, tãtum ternario numero attribuit (sicut ab eius sectatoribus habemus) ut omnem Deitatis rationem, & consequenter uniuersum ternario perfici asserat: Crescit enim numerus omnis trino augmento, in longum uidelicet, latum, atq; profundũ, ultra quod non datur progressus. Dimẽsio insuper perfecta in corpore, eodẽ triplici augmento consummatur, triplicíq; intersecatione, recto angulo. Nec enim plures recti anguli in aliqua figura possunt causari: quãuis obtusi & acuti q̃plurimi. Trina itaq; est productio numerorum, & quãtitatis cõtinuæ: Nam si unitati addatur numerus, linearis fit: Et si punctum in longum protrahitur: lineam cõstituit. Si uerò numerus crescit in latum, superficialis efficitur: & si lineæ addatur latitudo: in superficiem mutatur. Si iterum numerus in profundum deducatur: corporalis fit, solidus, & cubus. Et si latitudini profunditas adiungitur: corpus cõstituitur. Corpori autẽ trimetro, & numero cubo, nihil addi potest, ut Philosophi omnes Pythagorei, & Mathematici docent. Hinc Aristo. hunc numerũ in principio sermonum de cælo celebrat: Habemus, inquiens, ternarium numerũ à natura: & sustinemus ipsum quasi legem, secundum quam uidelicet omnia disponantur. Hinc secundum eundem numerum tenemur magnificare Deũ rerum omnium opificem, & creatorem. Tribus etiam omnia spiritualia, & corporalia constant, principio scilicet, medio, & fine: quã trinitatem hauriũt ab illo superexcelso ternario: à quo omnia, in quo omnia, & per quem omnia: ut docet Paulus. Tribus insuper (ut Trismegistus ait) perficitur mundus: bimarmene, necessi-

Pythag. Chaldæi Assyrii Pythag. Mathe. Aristo. Paulus Trismeg.

tate, & ordine: quæ sunt, causarum conuentio ad inuicem, executio uel fœtura,
Sapiens & fœturæ debita distributio: Tribus etiam (ut sapiens ait) Deus mundum dispo
suit, numero, pondere, & mensura: Quibus omnia superexcelsæ trinitatis ge-
rant uestigium: Numerum enim ab illa summa unitate, & fonte omnium nume-
rorum habet: Pondus ab illa sapientia, quæ omnia librat: Mensuram ab illo arti
Magi ficis spiritu, qui unicuíque conuenientem portionem tribuit. Hinc Magi tres prin
cipes super mũdum opinabantur, Oromasim, Mitrim, & Araminim, id est Deũ,
Plato Mentem, & Animam. Dei enim excelsi proprium est unitas: Mentis uel sapien-
tiæ ordo, uel pondus: Animæ autem, uel spiritus mensura, & motus. Quod Pla-
to per ænigmata ad Dionysium Regem percurrit, dum ait: Circa omnium Re-
gem cũcta sunt, ipsius gratia omnia, ipse pulchrorum omnium causa. Omnia nã-
que sunt circa Regem eius unitate connexa: & ipsius gratia omnia ponderata
sunt: & ad ipsum cuncta ordinata: & ipse omnia numerando, & proportionan
do pulchrorũ omniũ est causa tam efficiens, q̃ finalis, & regens, & sustentans,
Orph. principiũ uidelicet, mediũ, & finis omniũ: ut Orph. antea decãtauerat: & Plato
Plato. iterũ repetit in epistolis: Omnia, inquiens, ab ipso proficiscũtur: & illum repe-
tunt: atque in eo quiescunt: & sustentantur: A patre enim omnia tanquam à pri
mo fonte proficiscuntur: & in filio tanquam in domo per ideas resident: Cuius
The. He. filij, & sapientiæ diuinæ sigillum (ut habetur in Theologia Hebræorũ) est. ב,
bet, aut bait, quod domum significat: Omniáque per spiritum sanctum in formas
proprias explicata sunt: unde totum opificiũ ab אלהים elohim confectũ describi
tur: Quod nomẽ nõ est plurale (ut aliqui existimãt) sicut ipsius punctatura indi
cat, sed singularis existens in bina, id est intelligentia, quæ spiritui sancto attri-
Ecclesia. buitur. Hinc in Ecclesiastico dicitur: Et spiritu intelligentiæ replebit illũ. Quã
Hermes trinitatẽ etiã Hermes sub ænigmate sphæræ docet, dũ ait: Deus est sphæra: cu-
ius centrũ, id est, Pater est ubiq; ꝑ suã potentiã: circũferẽtia uerò .i. sapiẽtia, &
Filius Dei nusquã: quia capi nõ potest, & omnia circũplectitur: ut in eodem Ec-
Idem clesiastico legimus: Gyrũ cœli circuiui sola, & in profundũ abyssi penetraui.
Relatio uerò mutua utriusq; centri uidelicet, & circũferentiæ spiritum & a-
morem reciprocũ resignat. Hinc à trino Archetypo emanare nõ debuit fabrica,
Pytha. nisi trina, & triquetro ordine, & numero sonora: ut Pythagorei, Platonici, &
platonici Boëtius. Boëtius differunt. Non enim omnis numerus harmoniæ cõuenit, sed suis consonã
tibus ꝓportionibus coaptatus. Ternarius itaq; simplex Deo simplicissimo attri-
buitur: q summa unitas existẽs in tres tamẽ diffunditur hypostases, modo quidẽ
inexplicabili, quãuis multi explicare conẽtur. Ternario uerò quadrato, aut su-
ꝑficiali distribuuntur tres enneades: ut sint nouem intelligẽtiarum ordines, nouẽ
cœli, nouẽq; genera corruptibiliũ, & generabilium: Quæ omnia decimo nõ sine
mirabili sacramento (ut suo loco declarabimus) perficiuntur. Ternario autẽ cu-
bo, uel solido complentur omnes simul enneades: In quo omnes musicæ propor-
Plato. Procul. tiones concluduntur: ut innuit Plato: & Proculus longa serie differit.

Quomodo Angeli per nouenarium nostrum simplici ternario correspondentem distribuantur. Cap. III.



Ouem esse Angelorum ordines, siue gradus apud Dionysium, Iamblicum, & nouitiores Theologos exactissimum est: Et nouenario numero (non quidem simplici, sed aliquo modo composito) consummantur: Quia, & ipsi ab intellectu simplicissimo seiuncti (unde separati intellectus tam à philosophis, quàm à sapientibus Hebræis dicuntur) aliquam compositionem admittunt: quia in eis est essentia, & uirtus ipsos perficiens: uel materia (ut inquiunt) Metaphysica & forma. Nec enim recedentes ab actu puro sunt penitus, à materia expoliati: cum in latitudine rerum pateat, quòd quicquid ab actu puro recedit, ad materiam necessario declinat. Vndè Dionysius de Angelis doctor præcipuus asserit ipsos immixtos esse, materiæ uidelicet. Verum quia in ipsis gradus sunt perfectionis, Deo proximiores primo ternario distribuuntur, expreßiorem simplicis ternarij gerentes imaginem: Sequẽtes uerò duplato: Et ultimi tertiato ternario concluduntur. Primi itaque expreßiori imagine trini Dei gaudentes diffusionem illam summæ monadis, in trinitatem repræsentant: Deus enim & Pater omnium habens essentiam intellectui suo obiectam (quæ à Theologis memoria fœcunda dicitur) se ipsum intelligendo sapientiam, aut uerbum, uel cognitionem suiipsius gignit, quæ filius dicitur. Hinc ille patris sibi nomen comparat: Producta nanque sapientia, cum sit producenti simillima, & ab eo naturali progressu emanans, filij sortitur nomen. Amor autem pullulans ex utriusque cognitione: qui summum bonum sunt, spiritus, nexusque utriusque nominatur: Cui amori parentem cum prole connectenti ordo correspondet Seraphicus. Cherubicus uerò plenus sapientia, & decore, summæ sapientiæ respondet, & filio: qui patris est complacentia, & rerum omnium decor. Throni uerò ipsi Patri inseruiunt, in quibus sedens gloriatur continua uerbi, & spiritus productione: In quibus & mũdũ diiudicat, ut in psalmo legitur: Parauit in iudicio Thronũ suum. Ad quem etiam Filium aduocat, omnimodam iudicandi tribuens ei potestatem: ut in Apocal. ipsemet perhibet: Ego, inquiens, uici: & sedeo in Throno Patris mei. Sed cum summum bonum in alios facilè se diffundat: hinc & alium triplicem ordinem, quo ad creaturas producendas, nec non & gubernandas se haberet, produxit: Quibus ordinibus, & ministris, tanquam magnificus opifex, & princeps, operari & regere statuit. Sed unum hic præcauendum est: quòd Deus (ut in hoc Augustinus, & tota Theologorum schola conueniunt) semper trinus, & indiuisus operatur ad extra: ut nunquam aliqua personarum sine cæteris operetur: Quod & exẽplis cõprobatur: habemus (inquit Origenes) à patre, ut simus: A filio, uel uerbo, rationis uel ordinis communionem: Vitam uerò à spiritu uitæ, qui rotis incumbit mundanis, & supercælestibus. Quia igitur dat Deus Pater omnibus, ut sint, Dominus omnium merito dicitur: de quo in sacro eloquio legitur: Do-

Diony. Iambli. Theolo.

Diony.

Apocal.

minus uniuersorum tu es. Hinc ei dominationis ordo respondet. Et quia præest debito ordine & potestate, quam tribuit filio: qui ait: Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Potestates nominantur, qui exequuntur ea, quibus præsidere filio datum est. Et quia dat uitam, constantiam, & sanctimoniam omnibus rite dispositis per spiritum sanctitatis, & uitæ alius ordo exquirebatur, uirtutum uidelicet: per quas conducerentur omnia ad ueram uitam, & sanctimoniam. Et hoc est, quod Psalmographus canit: Spiritũ oris eius omnis uirtus eorum. Et quia trinus trina se communicat ratione, trinarióque ordine: ideo curauit producta omnia (maximè hominem, cuius causa facta sunt omnia, & in quo omnia continentur) trifario gradu regere. Distinxit nanque hominum genus per gradus superiores, & inferiores: partitusq; est, & distribuit regna, & prouincias: quibus iussit præferri aliquos in spirituali, alios uerò in ciuili regimine. Quibus prouinciis, & regnis principatuum ordinem præposuit: Archangelos autem principibus, & prælatis: Angelum uerò unicuique homini unum resignauit: ut rectè sentit Hieronymus super illud summi Principis: Angeli eorum semper uident faciem Patris mei, qui in cœlis est.

Matth. | Hieron.

Sicut Deus descendit in nos per tripartitum Angelorum ordinẽ, ita nos per eos in Deum conscendere possumus. Cap. IIII.

Diony.



Otissimum est apud Dionysium non modo intelligentias inferiores, sed etiam nos illuminari, purgari, & perfici à superioribus: Quibus si assentimus, facilè ad Angelorum gradum, & ordinem nobis proximiorem conscendimus: Ex quo rectè agendo, & expurgati aliis merito præferimur, & de nobis Archangeli, id est principes Angelici curã habent: Inter quos prælatos, & subiectos principatus intersunt, ut hos subiiciant, illos autem euehant ui quadam occulta: Quam & si neuter eorum percipit, sentit tamen subditus iugum quoddam præsidentis: à quo facilè se absoluere nequit: imo timet, & reueretur uim illam: quam prælatis principatus influunt: prout ipsi hauriunt à terrifica sede diuinæ maiestatis. quæ in aquilone sita, terrificis legibus & igneis omnes tam angelicas, quàm humanas mentes sub iugo seruitutis ligat: Quarum transgressio malum culpæ: & punitio malum est pœnæ: ut Ieremias spiritu diuino subuectus uaticinatur: Ab aquilone panditur omne malum. Vnde ille homicida, qui ab initio in ueritate non stetit, peruicaci arrogãtia prorupit dicens: Ponam sedem meam ad aquilonem: & ero similis altissimo, princeps uidelicet malæ, & confusæ syluæ: sicut ille principatur in regno pacis, & quietis: Inde mundi, id est rerum seiunctarũ à Deo princeps sæpius à uero principe nominatur: ut in Euangelio, cuius titulus est secundum Ioannem: Venit, inquit, princeps mundi huius: & in me non habet quicquam. Et iterum ait, cum de triumpho quem de ipso erat reportaturus dissereret: Nunc Princeps mundi huius eiicietur foras. Et ad eandẽ aquilonarẽ partem mortales, dũ legem transgrediuntur, se se conferunt ut inde reportent

Ieremias | Ioan.

suæ transgreßionis pœnam: ubi paucfacientes filij elohim, id est iusti iudicis Dei seuere diiudicant: & iudicium acerrimè exequuntur: ut dæmonibus, & hominibus timorem illum Dei incutiant: quem pahad פַּחַד *Hebræi dicunt: De quo Iahacob horum sacramentorum magister loquens cum socero Labam Arameo dixit: Nisi Deus patris mei Abraham, & timor patris mei Isahac affuisset mihi, forsitan nudum me dimisisses. Et iterum: Iurauit Iahacob per timorem patris sui Isahac: Cui nim Deus præstauerat ab illo tribunali roboris, & iustitiæ: sicut patri Abrahæ ab austro misericordiæ & pietatis: Quorum Symbolo decoratus Iahacob sedet in medio solio gloriæ. Ab aquilone igitur omne malum, & transgreßionis, & iustitiæ punientis procedit seueritate, & terrore quodam, quo inferiores in præsidentium timorem inducantur. Nónne princeps est homo cæteris hominibus similis? Quomodo eum timerent, & reuererentur cæteri: nisi terror Diuinus eum eueheret: & cæteris timorem incutiens eos deprimeret: ut ipsum tanquam principem reuererentur? Quod totum per principatus istos summus princeps exequitur. Præsidentia autem omnis deformis nimium habetur: nisi is aßistat ornatus, & decor in præsidente: quo merito aliorum princeps habeatur: Ideo & superiorum ministerium præsidenti necessarium est, quo excutiantur impedimenta, uitia uidelicet, & corporei mundi uoluptates: Et hoc uirtutum ordo efficit: Quorum fauore comparata constantia, & robore fortes contra uitia, & effœminantes uoluptates efficimur. Sed ut & contra has aëreas potestates inuidiæ, & maliciæ plenas præualeamus, etiam potestatum præsidium nobis necessarium est: ut cum Eliseo dicere poßimus: Plures sunt nobiscum, quàm contra nos. Ne etiam mundanis affectibus præpediamur, sed dominemur omnibus ipsis, aßistunt sua uirtute intelligentiæ: quæ dominationes dicuntur: Quorum fauore corpus in seruitutem redigere ualeamus: & terram submittere, iuxta Imperatorium decretum, quo dicitur: Replete terram: & submittite eam. Omnium itaque inferiorum obtento dominio, restat, ut ad Deum conuersi ipsi soli uacemus: Quod fieri potest, si memoria supercœlestium per thronorum subsidium retineamus, contemplemúrque eadē illustratione cherubica, & cognato, parentíque summo per ardorem seraphicum conflati uniamur: Vndè sicut per Angelicos gradus summus opifex in nos descendit sua uirtute, & illapsu: sic etiam per eosdem ad ipsum, à quo processimus, redeamus. Nec prætermittam ea, quæ Augustinus de hoc regressu in Deum eisdem gradibus pertractat. Et primo quatuor affectus, timorem uidelicet, dolorem, gaudium, & spem connumerat: Quos ab irascibili & concupiscibili procedere existimauit: quibus addit sensum, imaginationem, rationem, intellectum, & intelligentiam, quem nouenarium nouem Angelorum ordinibus coaptans, totum hominem in Deum deducere conatur: quamuis hoc prudenti lectori relinquat perficiendum: ut tamen ex eodem colligere possumus, sensus Angelis, qui nuntij dicuntur, resignat: sicut & ipsi sensus corporei nuntij*

Iahacob

Idem

Eliseus

ſunt uirtutum interiorum intellectus uidelicet, rationis, & ſenſuum animæ imaginationem, quæ pluſquam ſenſus percipit, Archangelis coaptat: Virtutibus timorem: Poteſtatibus dolorem: Qui enim metu uitiorum, confortatur interiori uirtute dolendo de peccatis, poteſt cum poteſtatibus demones effugare: & cum uirtutibus miracula facere: Principatibus rationem reſpondere facit: Quia ſicut illi præſunt ſpiritibus: ſic ratio ſenſibus, atque affectibus: Dominationibus amorem, ſiue gaudium: Rectè nanque aliis dominatur, qui omnes amat: & de eorum profectu gaudet. Thronis intellectum, qui ſedes Dei dicuntur: Et intelligentiam Cherubinis tribuit: qui tãto perfectiori ſcientia pleni ſunt: quanto Dei maieſtatem familiarius, luciduſque contẽplantur: Intelligentia nanque animæ uis eſt, quæ immediatè Deo ſupponitur. Seraphinis autem ſpem æquat: cum ipſi conducant in Deum: qui eſt ſpes omnium finium terræ.

De Intelligentiarum Authore. Cap. V.



Aulcena — Pportunum exiſtimaui, antequam progrediamur, inueſtigare quis fuerit ſeparatarum mentium progenitor, id maximè, cum grauiſſimæ authoritatis uiri Auicena, & alij aſſerere auſi ſunt, primum omnium parentem Deũ unam tantummodo produxiſſe intelligentiam, eo quòd idem ſemper eodem modo ſe habens, non poteſt (ut ratio naturalis indicat) producere diuerſa. Hinc ad unam tantummodo intelligentiam Dei facturam coartabant: Quæ à Deo producta ad primam mentem conuertebatur: undè ſecundam producebat intelligentiam: Et intelligendo ſeipſam, ſubſequentem adgenerabat, animam uidelicet primi orbis: Intelligendo uerò operationem ſuam, in ulteriorem producendã procedebat: Et ſic deinceps uariata cauſa in ſubſtantia, & operatione uarij producebantur effectus. Huic ſententiæ facilè manus dare poſſemus, ſi primus opifex ad unum tantum effectum producendum coartaretur: Quod uel imaginari de uniuerſi Progenitore abſurdiſſimum eſt: cum ei non particularis, ſed uniuerſalis correſpondeat effectus, mundus uidelicet unicus, & unicum eſſe omnium rerum: quia prima rerum productarum, eſt eſſe, inquit Proculus: ut rectè ſenſit Parmenides, & Meliſſus, & cum eis Plato in Parmenide, & Timæo: quamuis Ariſtoteles contra illorum ſapientum uerba, & non ſenſa, fruſtra laboret. Hoc igitur uniuerſum tanquam animal quoddam unicum quidem in ſe, in membris uerò diuerſum ab unico parente progenitum eſt, unicáque uita uniuerſali uiuit. Sapientes uerò catholici noſtri aliis telis contra huiuſmodi congrediuntur, aſſerentes artificem ſummum in opus exire nulla naturali lege ligatum, ſed liberum in quodcunque opus uoluerit omnigena uirtute, omnimodáque fœcunditate pleniſſimus: Nec is aliqua impulſus neceſſitate, ſed inſita beniuolentia exiuit in opus externum: quamuis etiam hi penè blaſphæmi rectè opinentur primam cauſam neceſſariò agere, & eandem ſemper eodem modo ſe habere: Non inde tamen ſequitur: quòd non poſſit producere niſi unicum effectũ: cũ ab eodem ſole, qui ſemper idem exiſtit,

Procul. Parmed Meliſſus Plato. Ariſto. Theolo.

& ab eadem terra quæ in æternum stat, nulla interueniente uarietate, nullóque excolente uarij producantur effectus, herbæ uidelicet, flores, & illa, quæ terra ipsa putrefacta solari uirtute producuntur. Et si dicent: Coagentibus aliis particularibus causis, conducuntur effectus uarij: hoc reliquerunt probandũ an uarietas hæc à diuersis causis, uel ab eodem sole multigena uirtute fœcundo procedat. Quãto magis: primus, & uerus Sol, de quo Trismegistus merito philosophorum pater his uerbis deponit. Deus meus existens utriusque sexus fœcunditate plenißimus, uita, & lux, uerbo suo mentem alteram opificem peperit, filium uidelicet omnibus ideis fœcundum, & exemplaribus rerum faciendarũ, quæ in ipso tanquam omnium uita præexistebant. Omnia nanque (ut Mercurius prosequitur) in Deo sunt: non utique ut in loco posita, sed in mente collocata: ex qua omnia producens omnium dicitur parens. Hic solus à naturæ legibus solutus, nullo præsupposito subiecto, nulláque materia, omnia, & etiam materiam ipsam sua plenißima fœcunditate produxit. Causa uerò subsecundaria, aut naturalis (ut aiunt) subiectum, & materiam à Deo productam exquirunt, in quam agant: Et in his locum habet, quod Peripateticorum princeps deponit: communi uidelicet acceptione animi cõsentaneum esse, ex nihilo nihil fieri. Hinc Augustinus Latinorum Theologorum merito pater cum tota huiusmodi familia aperta uoce asserit Angelos nullam omnino posse creare naturam: Et quòd non magis Angeli sint rerum creatores, quam agricolæ frugum: Quam sententiam munire studuerunt recentiores Theologi, Aegidius Romanus, Henricuss Gandeuensis, Ricardus, & acerrimè Ioannes Scotus, quæ omnia in suis libris legenda relinquo. Hic summa admiratione obstupeo, quoniam tanti uiri negẽt Deum omnium opificem: & quòd nihilominus secundariæ causæ ex nihilo producant contra eam philosophiam, quam profitentur: in qua celebriores asserũt: nec ab ipso summo opifice mundum, aut aliquid ex nihilo productũ fuisse: Qui autẽ ueritatis lumen suscepere, solum Deũ omnium authorẽ profitentur. Mũdi totius (inquit Alcinous Platonicus) deorum & dæmonum author est: atque id uniuersum uoluntatis diuinæ munere nunquam in posterum dissoluetur. Plato autem ipsum bonum summum causam esse substantiarum separatarum, & earũ durationis præsupponens sic ipsum introducit ad eas exorsum: Vos quidem non immortales, nec omnino dissolubiles estis: non tamen aliquando dissoluemini: Nã si omnia quæ constituta sunt, destrui possunt, atque dissolui: quæ rectè constituta sunt, & bene se habent dissoluere, atque destruere, praui animi est, & sibi repugnantis. Mercurius quoque cum de planetarum præsidentibus ageret, inquit: Deinde septem fabricauit gubernatores: & sic omnia enumerat à Deo producta. Nec opinandum est in tanta uniuersi consonantia plures fuisse progenitores, plurésque esse regentes, pluráque ex seipsis constare: Quia inde confusio, dissonantia, & ex consequenti facilis dissolutio esset in uniuerso.

Trisme.
Tercu.
Augusti.
Aeg. Ro.
He. Gã.
Ricardus
Ioã. Sco.
Alcinous
Plato.
Mercu.

Quomodo secundo quadrato ternario cœlos fabricauerit opifex. Cap. VI.



Odem numero, eisdem gradibus summus moderator cœlos distribuit, secundo uidelicet nouenario: ut antiquorum, & communis opinio censet: quamuis nouitiores nonnulli decimum asserant non percipientes quomodo saluetur in octaua sphæra motus, quem trepidationis dicunt sine decimo circulo: Nec eis uidetur consentaneum, ut ipsa octaua sphæra, quæ tribus motibus uoluitur, annexa sit primo mobili: quod uno tantum gyro conducitur: Habet enim ipsa motum diurnum ab oriente in occidētem supra polos mundi: Habet & ab occidente in orientem supra polos zodiaci, aut signorum, quibuslibet centum annis gradu uno, ut Ptolemæo placet: Sed in sexaginta, ut alij asserunt: Habet & illum assertum motum trepidationis: unde opinantur esse nonum cœlum: quod moueatur tantum duplici motu inter ipsam, & primum mobile: quod unico tantum motu reuoluitur: ut ordine debito reducantur omnia in primum mouentem: qui unico motu gyrando cætera omnia rapiat secum regulari, & ordinato circuitu: Et seruetur, quod docet Aristoteles in superiori philosophia, necesse uidelicet esse omnia debito ordine in illud reduci, quod ipsorum causa est. Verum cum octo conspiciantur orbes: & armilla, & aliis instrumentis cōprobentur distincti: & ultra hos nonum esse (quod primum mobile Astronomi, sed alij, nescio qua ratione, crystallinum uocant) ratio manifesta concludit. Hos admittimus: decimum uerò cum nihil habeat pro se, nisi ut motus ille trepidationis assertus saluetur, non admittimus: cum alio modo saluari possit. Saluantur quidem (ut instrumento prospexi, & experientia clarissima cōprobaui) omnes motus ipsius octauæ sphæræ sub illo nono circulo absque decimo. Nec latuisset hic decimus orbis Ptolemæum, Hermetem, Aratum, & alios antiquos solertissimos cœlorum, & motuum, & aspectuum eorum inquisitores: qui contenti sunt numero nouenario. Sed quia Theologi decimum asserunt, quod empyreum uocant, uitale, igneum, atque diuinum: ubi recipiuntur, qui diuiniorem duxerunt uitā: ut Plato, & sui Academici (Plotinus maximè in eo quem de mundo ædidit) cum nostris theologis consentiunt: Ideo dicimus: esto quòd decimus dicatur, tamen propriè cum istis nouem minimè numeratur: Quia isti mobiles, illud autem stabile: Isti ex una materia, illud ex alia: Quod à Mose omnium philosophorum, theologorū, & prophetarum facilè principe, imo ab ipso rerum Opifice discere possumus: Vbi à Mose rogatus ut secum inhabitaret: & continuis oraculis instrueret: quæ ad conducendum numerosissimum populum, & ad legem tradendā exquirebantur: Veniam, inquit, sed fac mihi arcā ligneā: quæ uidelicet mundi, in quo habito, typū gerat: Quā cubito cum dimidio consummabis, nouem uidelicet palmis: Cubitus enim sex palmos continet: dimidium uerò cubiti tres palmos: Quibus nouem cœlos repræsentaret. Decimum autem scilicet coopertorium, ex auro fieri iussit, materia quippe multum à ligno distante: Quod decimum cum illis nouem non plenè connu-

Ptolem. Aristo. Astron. Ptolem. Hermes Aratus Plato. plotinus Moses.

meratur: sed principium est alterius combinationis: Nam denarius, quamuis primos numeros compleat, est tamen denariorum principium: sicut centenarius denarios perficit: & est millenariorum exordium: Sic & cooperimentum illud (quod propitiatorium uocant) arcam terminans melioris rei principium præbebat: Nam super illud insidebant cherubini: unde propitiationes habebantur: Sed in arca lex, manna, & uirga profundo mysterio stabant recondita. Pari modo & empyreum cœlum, quamuis nouem cœlorum numerum compleat, est tamen rerum spiritualium, & diuinarum principium, Angelicam, diuinámque naturam redolens: ut sit proportionatum locatis illis: Sic & omnia decima, nescio quid diuinum habentia, à Deo tãquam propria exiguntur simul cum primitiis: ut principium numerorum, uel rerum primordia, & fines, uel decimæ illi reddantur: qui principium & finis est omnium rerum. Nos autem de naturis separatis, & his quæ connumerata adinuicem conueniunt tractare prætendentes, eas, quæ tanquam illarum perfectio cum perfectiori connexæ inferiora in illud perfectum conducunt, omittemus: De qua unione cuiuslibet enneadis in suũ decimum perfecta earum enneadum concordia (Deo fauente) differemus. Nouem itaque sunt cœli, Mobile primũ: per quod primus motor omnia mouet: Postea stellatum cœlum, per quod opifex in numerosa instrumenta rerum efficiendarum se diffundit: Et per septem ministros præcipuos exequitur: quibus insident septem illi præcipui spiritus, aut intelligentiæ: Qui ante thronum Dei existentes fruuntur præsentia: & in facie illa diuina, tanquam in speculo omnia complenda speculantes ad nutum principis eadem omnia exequuntur: Quorum nomina (si doctoribus Hebræis credimus) hæc sunt: Saturno præest Zaphchiel: Ioui Zadchiel: Marti Camael: Raphael Soli: Honiel Veneri: Michael Mercurio: & Lunæ Gabriel: Qui per cœlos, tanquam per instrumenta, coaceruatis omnium stellarum & signorum influentiis, operantur in hæc inferiora concurrendo ad metalla, lapides, plantas, & animalia producenda: Sed potißimè ad omnia quæ in homine sunt: & ad eundẽ spectant: siue bona, siue mala uideantur: Sed quomodo malum, uel bonum operentur, aliqualiter percurrẽdum cẽseo.

Quomodo planetæ, aut stellæ operentur in inferiora bonum, uel malum. Cap. VII.



Stellas influere bonum & malum, & Ptolemæus & omnes, qui astrologica pertractãt, asserunt: Datur per Saturnum firma, & inconcussa prudentia: A Ioue recta iustitia: A Matre constans robur, & fortitudo: A Sole feruens charitas, & amor: A Venere delibatiua, & suauißima spes: A Mercurio penetrans fides: A Luna, (quæ est in motu facillima, & in nullo pertinax) moderata temperantia. Nec planetæ isti, tanquam harum uirtutum fontes, aut domini supra enarrata influunt: sed corpus & eius uires disponendo, facilè ad prædictarum uirtutum incrementa cõducunt: dummodo animus uires illas moderando disponat ad consequenda Ptolem.

Circa illud 7 et sequentia duo capita nempe 8 et 9 not[illegible] fuisse tam multas hereses circa liberum arbitrium, ob id caute intelligenda sunt ut [illegible] incurrat[illegible] in dictas hereses olim damnatas in m[illegible] de libero arbitrio et de necessitate absoluta, quas [illegible] uidendo [illegible] Lippomanus in dicto opusculo de libero arbitrio et quest. [illegible] omnia ex necessitate absoluta [illegible]. Videnda quoque est bulla [illegible] Sixti Quinti in m[illegible] de Astrologia.

ea, quæ omniũ bonorum largitor per suos ministros, aut instrumẽta influere decernit. A Saturno iterum tanquam à grauiori, sublimiorique fautore ad secretiora trahimur uidelicet Theologica, atque diuina, secretiorem philosophiã, occulta utriusque naturæ: & ad cumulum omnium rerum cõgregandarum, temporalium uidelicet & diuinarum dispositione quadã conducimur: sine quibus nemo utique magnus est: Quid enim erit doctor, nisi sententias multas collegerit? Quid Imperator nisi aggregauerit pecunias, copias, amicitias, & uirtutes, quibus merito præfici debeat? Quid Sanctus, nisi meritis, & gratiis multiplicibus constipetur? Per Iouẽ debito temperamento conducti legem cõdimus, & seruamus: subministramus quod æquum est: subiectos pacifico ordine & tranquilla quiete debita prælatura gubernamus: nè deteriores simus apibus, gruibus, camelis, capris, & cæteris huiusmodi, quæ suum ducem cognoscunt. A Marte uim habemus, & impetum ad opus perficiendũ: ut fortunati simus in operibus: Nã fortunæ causa est naturæ impetus, si rectè sentit Arist. ubi de bona, & mala fortuna scripsit. Venus leporẽ, & festiuitatem præstat, & amorem: quo agitati quæcunque ardua cum delectatione perficiamus: quia delectatio opus perficit: Nec enim laborẽ in perscrutandis rebus naturalibus, atq; diuinis sustinere possemus, nisi adesset amor: Quo recreati supprimimus afflictionem, quã affert cogitatio assidua. Nec mercator in augendis pecuniis, aut qui præsidentiã ambiunt, sufferrent labores qui in huiusmodi perquirendis occurrunt: nisi rerum acquirendarũ amore consolarentur. Mercurius prõptos, acutos, & solertes ad omne opus reddit: sed ad ueritatem potissimè indagandam, acquirendámq; eloquentiam, musicam, & gloriam. Luna in his omnibus propinquiorem, & uariũ motum præstat, ut homini tanquã fini, & mundi cœlestis & supercœlestis typo omnia superiora membra respondere faciat. De Sole nihil particulare dicam: qui omnibus uelut gallus (cui moriens Plato se debere dixit) dat fœtum, operationem, & uitam sicut charitas, quam sibi accommodauimus, omnes uirtutes ueluti uita, & forma decorat: Malè autem dispositis omnia cedunt in malum. Hinc Trismegistus cũ de his ageret, quos diuinum illud (quodcunq; fuerit) abiens dereliquit, residuum uidelicet sensibile, & animale concedẽs dæmoni, His, inquit, irascendi, atq; appetendi uires in naturam abeunt ratione carentem: Et primæ dehinc zonæ crescẽdi, atq; decrescendi officiũ reliquit: Secundæ machinationẽm malorũ, ociosúmq; dolũ: Tertiæ ociosæ concupiscentiæ deceptionem: Quartæ imperiosam, atq; inexplebilem ambitionem: Quintæ prophanam arrogantiam: & audaciæ temeritatem: Sextæ occasiones diuitiarum prauas, & ociosas: Septimæ mẽdacium insitum: Et sic animus relictis inferioribus, aut animalibus conditionibus dæmoni, & malis influxibus, harmoniæque motione exutus, tanquã diuinum ad octauam naturam reuertitur uim propriam repetens, unáq; cum illis, qui illic sunt, patrẽ laudat: Quod & Salomon innuit dicens: Spiritus redit ad eum: qui dedit illum. Reliqua omnia uanitatibus subiecta relinquuntur, ex quibus satis reseratum ha-

Aristote.

Plato.

bemus, sphærarum influxus malè dispositis nocere: A quibus diuinum, quod ipsis inerat: abscessit. Sed illo stante influentiæ omnes cedunt in bonum: quæ adhuc clarius explicabimus.

Vndè proueniunt mala, an influentiũ malitia, an ex mala dispositione recipientis. Cap. VIII.



CVm summus opifex omnia, quæ fecerat uiderit ualde bona: nõ sine admiratione, & prosternatione animi audimus tot mala, quæ de syderibus Dei optimi ministris aliqui asserũt decernentes planetas (quos maliuolos dicũt) potius scelestos quàm cœlestes: quòd Saturnus uidelicet omnes deuoret filios, quatuor exceptis: quod aliquo infortunio molestatus sit uorax, tenax, difficilis, exilium, discrimina, dolum, nequitiam, proditiones inducens, uiolentiam insuper, captiuitatem, damnationem, perfidiã, pertinaciam, iram, omnísque boni odium, metum, angustiam, dolorem, funera, luctũ, orbitatem: Item maleficia, furta, uespillones, polinctorésque, & magos faciat. Et de Martis significatione Firmicus ille Maternus sua prõpta eloquẽtia hæc pbibet: quod est pditio, pugna, cædes, audacia, temeritas, elatio, seditio, cõtrouersia, prædæ, insidiæ, latrocinia, uulnera, captiuitates, fugæ, difficultates pfidiæ, obscœnitas, incautus amor, facilis offensio, uaria cogitatio, nullum consilium, uiolenti principes, feroces, inhumani, alienæ semper cædis appetentes, periuri, dolosi, inconstantes, maledici, incompositi, omnia contaminantes, omnia polluentes: Significat etiam deformẽ, inuerecundum, partubus perniciosum, aborsum puerorum: Et in quacunque cœli parte semper aliquid minatur mali: Si in ariete, facit fures, clamorosos, fraudulentos: In Tauro, audaces, temerarios, obloquutores, quibus fas & nefas iustum sit: dummodo suam expleant libidinem: In Geminis, malitiæ deditos, & occulta facinora uigili sagacitate perquirentes: Et sic de aliis signis prosequitur. Pari modo & de domibus: ut si fuerit in horoscopo facit callidos, audaces, furiosos, dissipatores patrimonij: Si in sequẽti domo, maxima adhuc decernit mala, magna infortunia, alienos à parentibus, & à domo sua semper peregrinos, uulnera, uincula: Et ubicunq; fuerit, semper eũ indefessò sermone calumniantur: Cui adstipulatur quod Ptolemæus antea dixerat: post quẽ Alcabitius, & Albumasar: Quorũ alter asserit: quòd etiam absq; mala irradiatione oppressiones maliuolas, effusionẽ sanguinis, & multa facinora perpetrat: Alter autẽ iis insequitur calũniis: quas paucis uerbis explicare nequit. Omittã, quæ de Mercurio, Ioue, Venere, & Luna asserũt Mathematici, & poëtæ: Quod Iuppiter uidelicet, & Mars uenereo turpíq; congrediantur accubitu: & multa nefanda perpetrent: In cõgressu maximè Martis cum Saturno, Phaëthonte, Stilbone, Phosphoro, uel Luna: cũ quorũ quolibet aliquid mali semp cõminatur, pcussiones uidelicet ferri cum primo, æris cum secundo, nummorum aureorum cũ tertio: Et sic de aliis prosequitur. O bone Deus quid fecisti? Quomodo sunt cũcta bona, quæ fabricasti? Cur tam malos præsides nobis præfecisti? Quis tutus

Firmicus

Ptolem.
Alcabi.
Albu.

erit à tot sceleribus? Quis immunis à ministris cœlestibus, imo potius scelestis? Nec mirum, si qui horum cognitionem profitētur, tot mala in mundo quotidie sequutura prædicunt: cum ad ea perpetrāda cœli, sydera, uel præsidentes Angeli nos conducere uideantur. Qui autem non scioli, sed ueræ sapientiæ dilectores
Augu**st**. *existunt: aliter penitus sentiunt: Ab auribus omnium (inquit August.) repellendæ sunt huiusmodi stultitiæ: non solum eorum qui ueram religionem tenent: sed etiam eorum, qui Deorum quorūcunque uolunt esse cultores: Hæc enim opinio quid agit aliud, nisi ut nullus colatur, aut adoretur Deus? Magnam quippe cœlo iniuriam faciunt: cum ibi, uelut in clarißimo senatu, & splendidißima curia*
Orige, *opinentur scelera facienda decerni. Citare quoque possem Origenē, Hierony.*
Hiero
Ambros. *Ambrosium, & quamplurimos ex nostris: qui cum August. consentiunt: Sed cū*
Augusti. *apud superstitiosos minus faciat christiani authoritas, ueniamus ad externos: imo ad eos, qui præcepta horum prognosticationū præcipui tradiderunt: & cōprobabimus ipsos dogmata sua aliter tradidisse, quàm uulgus & turba sciolorum*
Ptolem. *existimet. Legatur Ptolemæi contextus in principio Apotelesmatum: qui merito in huiusmodi, & aliis perfretur: & uidebitur quid astris, quid genituræ, quid parentū spermati, quid cibariis, q̄d loco, & quid moribus tribuat: Valde (inquit) imitatur genitus parentum semen, & sanguinem: ut triuiale est. Loco*
Parphy. *etiam multum tribuit: qui est principium generationis, ait Porphyrius, quemad-*
Ptolem. *modum & pater. Hinc Ioue, aut Venere significante (prosequitur Ptolemæus) non erit natus albus, qui nascitur in Æthiopia, regione, locóque obstante. Acce-*
Hali. *dunt mores, & cibaria: quia multoties (dicit Hali eius interpres) ad morum, ci-*
Virgilius *borúmque naturam trahuntur pati: Parum igitur relinquitur astris: Quod non latuit illum, qui dixit: Pauci quos, æquus amauit. Iuppiter, aut ardens euexit ad æthera uirtus. Diis geniti potuere. Quibus uerbis innuit non modo astra, sed genituram, & mores euehere homines ad sublimia: Vnde concludit ipse Astro-*
Ptolem. *nomorum princeps: Sicut Physicos laudamus, qui infirmitatis originem, & causas multigenas inquirunt, pari modo nos ludibrio haberi non debemus, si in iudicio nati de regione, natali, cibariis, moribus, & aliis occurrentibus petamus: Et in eo libro, qui Alarba dicitur, concludit ea accidentia multoties in genito occurrere, ut cœlestem influxum recipere nequeat: aliquando uerò parum, & aliquando multum, quod ignorant quamplurimi. Hinc in Apotelesmatum uolumine conqueritur de multis: qui non habentes omnimodam causam prognosticandi in astris, ab alia parte scilicet necromantia. & geomantia (ut eius interpres exponit) accipiunt, unde diuinent deducentes homines in sophisticationem & errorem, cum ea uelint prædicere, quæ mortalis percipere nequit: eo quòd nihil certi, sed opinio ex multis dissimilibus in hac arte colligi potest. Et cum aliquid certa scientia asserere uoluerint, abominabilem faciunt eam doctrinam: quæ bona, & utilis est. Hæc sparsim Astronomorum Dux. Sed plus dicam: quòd si omnia cœlo regente disponerentur: essent utique ualde bona à bonis causis moderata.*

Mercurius Termaximus dictus non modo in regno, sacerdotio, & doctrina: sed philosophia, Metaphysica, & Theologia supremus reliquit in colũnis Memphiticis (Iamblico longa seriè referente) omnes astrorũ influxus optimos esse: Si autem malum sequatur: illud subiecto indisposito, non syderibus iubet ascribi: exemplo lucis solaris demonstrans, quæ bona utique est: Si autem lipposum oculum offendit: id ꝓuenit ex mala dispositione recipientis: Cui Plato in Epimenide adstipulatur his uerbis: Deus lunam crescentem, atque decrescentem fecit: & menses ad annum constituit: omnémque horum numerum fœlici quadam fortuna cõferri ad numerum docuit. Hinc terra fœcundior facta concipit, fructúmque & alimentum animalium omnium parit, quum & suauiter uenti flant: & hymbres in terræ gremium fœliciter defluunt. At si quid mali in his accidit, non diuina, atque cælestis culpanda est natura: sed humana, quæ iniustè uitam suam distribuit: hucusque Plato. Exclamat etiam Hierocles Stoicus in carmina Pythagoræ dicens: Vt malus quisque sit, malitiæ suæ ipse sibi causa est. Nec à purißimis fontibus superioribus emanant iniqui animi sordes. Plato etiam in sexto de legibus: à quo Aristoteles decerpens itidem in politicis perhibet: Hominem uidelicet rectam disciplinam assequutum, in diuinißimum, mansuetißimũque animal euadere: Si uerò non satis, aut minus bene fuerit educatus, ferocißimum omnium, quæ in terris nascuntur, redditur animal. Et Chrysippus. Vt caderẽt sua, tribuit certè amentiæ causam, & rursum.

Mercu. | Iambli. | Plato | Hieroc. | Plato. | Crysip.

Quam falsò accusant superos, stultíque queruntur
Mortales: & enim nostrorum causa malorum
Ipsi nos sumus: & sua quemque uecordia lædit.

Rationibus comprobantur quæ sapientum sententiis iam decreta sunt. Cap. IX.



ET si sapiẽtibus attestantibus omnes influxus bonos minus aliqui credunt: quàm debeãt: nisi Helleboro digni sint, cedẽt rationibus quas inexplicabiles adducemus in mediũ. Dicant quæso, qui influxus malos asserunt, unde hæc malitia? Est ne à Deo iubente, an ab intelligentia mouente, an à cœlo gyrante? Non quidẽ à Deo: qui est prima regula omnium: Et malum, aut peccatum illud est: quod fit contra uoluntatem principis: aut declinando à suo libramine: Nec malum in natura à fonte bonitatis prouenire potest. Hinc contra eos, qui culpam in Deum proiiciunt, decantat psalmographus: Quoniam declinauerunt in te mala, cogitauerunt consilia, quæ non potuerunt stabilire, quia nimis fatuum, & absurdum est, uel excogitare, quòd à Deo optimo mala proueniant: & à summo moderatore transgreßio legis: cum uelle eius sit ipsius lex. Nec dicatur: Concurrit Deus semper ad motum: consequenter ad effectum inde prouenientem. Sed effectus multoties est malus, siue influẽti siue recipiẽtis causa, tandem concurrit Deus ad malum: Sed esto quòd tanquã prima, & uniuersalis causa influendo ad malum conueniat, non cooperatur ad

Psalm.

deformitatem, sed ad substratum actus : ut aiunt: in quod secundaria causa deformitatem inducens culpanda est: Commune enim habetur: quòd pluribus causis ad eundem effectum concurrentibus, effectus ipse semper debiliorem & deteriorem prosequitur causam: quæ si cum suprema conueniret, bonus semper sequeretur effectus: Vnde non prima, sed secundaria causa culpanda est. Sũt etiã qui intelligentiam præsidentem criminari præsumant: Sed dicant istiusmodi: facit ne hoc ipsa intelligentia ex mandato summi principis, quem unicum moderatorem uniuersi omnes fatentur, an contra mentem, & imperium eius? Si iussu ipsius aliquid expleant, non quidem malum est: quia non est malum, nisi quod contra summi moderatoris ordinem perpetratur : Si uerò principi aduersantes id faciunt: magna quippe est in summo regente confusio: si ministros tanta rebellione proteruos impunes abire sinat. Nec ad prælatos malos respiciant: qui uiatores sunt: & suo donati arbitrio, ut mereantur obsequentes imperium principis: & demereantur transgressores in breui reddituri uillicationis suæ rationem. Quod & in Angelis factum fuit, antequã stabilitati darentur. Vnde puniti plures à ministerio Dei expulsi sunt: ut non modò Theologia nostra diuinissima docet, sed etiam Assyriorum, Arabum, Ægyptiorum, atque Græcorum dogmata confirmant. Pherecydes Syrus casum dæmonum describit: & Ophin, id est serpentem dæmoniacum caput fuisse exercitus rebellantis. Ægyptiorum splendor Trismegistus eundem casum tetigit docens lapsum Angelum, & hominẽ (ut patet bene intuenti) à diapason diuinæ consonantiæ in harmoniam inferiorem, aut dissonantiam, & miserrimus seruus imo exodus effectus est. Homerus Græcorum præcipuus uates, & mysteriorum pictor casum primi rebellantis sub nomine Atarum suis decantat carminibus. Arabum quoque Theologia Hebræam æmulata idem asserit . Et ipsi quoque dæmones multoties casum suum inuiti fassi sunt. Illis igitur lapsis & exclusis, cæteri sunt tanta stabilitate muniti: ut cadere deinceps nequeant. Sed ut cum sapiẽtibus, & bene initiatis loquamur, non ne dicunt omnes illos motus inuariabiles & ab errore semotos in sua continua reuolutione? Si igitur tanta diligentia uoluuntur orbes illi , ut nullus aliquando accidat error: cur & in significationibus, & influxibus syderum nõ sunt fideles? Et si obsequentes, fidique sunt ministri, non influent malũ: neque malè disponent exequendo mandatum summi boni: Quomodo igitur ad trãsgressionem in regem inducunt ministri: qui ipsius regentis iussa nunquam transgrediuntur? Quomodo etiam ad defectum propellunt causæ illæ, quæ nunquam deficiunt? Si autem aliquis ipsos deficere contendat : cum nullum malum impunitum relinquat in uniuerso summus moderator, & sine coordinante pœna: quando punientur , cessabunt ne à motu, an ab errore corrigentur? Si cessabunt, quomodo erit (ut aiunt) ille motus perpetuus? Si uerò ab errore desistent correcti, cur cito non corrigũtur? Ad quid differtur correctio? Cur Deus tandiu non correctis , imo rebellibus ministris credit suæ domus administrationem perpetuam? Quomodo stabit

Pherecy.

Trisme.

Home.

perpetuitas cum errore, cum error sit prope nihil, & in nihilum tendat? His autem, qui cœlos ipsos de malitia culpare uolunt, postquam Deum, aut intelligentiam mouentem criminari non possunt, dicemus: Si cœli mali sunt, undè eorum malitia? Sunt ne producti mali: an malis moribus deprauati? An natura eorum deficiente in malum prolapsi sunt? Non quidem sunt producti mali ab opifice optimo: Nec deprauati sunt moribus: cum non sint libero arbitrio donati: quia eorũ motus & influxus naturales sunt: & non liberi: ut omnes asserũt. Sed dicent aliqui, animati sunt, & possunt eorũ animæ deprauari: Quæ sunt quæso eorum animæ? Nonne essent intelligentiæ mouentes? Sed cum nuper eas à culpa absoluerimus, ad cœlos redeamus. Influunt ne cœli tanquam causæ secundariæ, an tanquam instrumenta? Si tanquam instrumenta: cum ipsa non moueantur, nec operentur nisi pro arbitrio artificis deducentis, ergo in culpa relinqueretur Artifex, quod iam explosum est: Si autem tãquam causæ secundariæ: cum opus sit à uiuente, reducetur error in animas ipsorũ, aut intelligentias eos mouentes: quod etiam exclusum est. Hoc etiam addamus: quòd cœli agunt aut à natura, aut ex arbitrio: Si à natura: cum ordo ipsius naturæ sit à Deo, ideo merito celebratur illa Peripatetica sententia: In his quæ sunt à natura, nec laudamur, nec uituperamur: Cum laus sit ordinãtis: nec uituperium adesse potest in ordine summi boni. Si autem libere agunt: id faciunt ducti irascibili, aut concupiscibili: Si irascibili: cum aliquis planeta semper decernat (ut aiunt) impetuosos influxus, cur non consumitur ira sempiterna? Cur iterum magis dicatur accendi in una domo, quàm in alia? Quid nanciscitur in propria, aut in peregrina domo: quod ipsum ad malum decernendum accendat? Quomodo iterum accenditur, quod inalterabile asserunt? Si autem concupiscentia ducuntur cœli: quid commodi, aut utilitatis ex inferioribus sibi comparant? Nam ad huiusmodi tantummodo concupiscentia extenditur: Et qui malè concupiscit: id facit subuersus ex inebriante materia: Sed cum materia cœlorum sit ab alteratione semota, nõ inebriat, neque subuertit. Ex quo igitur loco cœlos criminantur? Sunt (inquient) natura mali: Vnde quæso malum in natura? Colligunt sapientes has rationes, & origines mali in natura: Aut quia causa non potest moderari superfluum materiæ, aut satisfacere si deficit, aut debitè disponere, & id genus: Quæ omnia ex debiliori uirtute causæ procedunt. Sed cum cœlorum faber sit infinitæ uirtutis: quomodo defecit in opificio suo? Nec alia deficiens causa concurrebat: cum ipse sine aliquo adminiculo cœlos fabricauerit. Si Mosi, imo ueritati creditur. Moses.
Quid iterum resistere poterat opifici: qui omnia in esse deducebat? Quis infinito resistebat: aut resistere potest? Hinc facundus uates Isaias ait: Dominus exercituum decreuit: quis potest infirmare? Et manus eius extenta: quis auertet eam? Isaias

Quod nec Saturnus, neque Mars, neque aliud quodcunque sidus sit maleuolum ut praeferebatur. Cap. X.



Ptolem. *Vdiant criminatores syderum quid primo de Saturno deponat Astronomici dogmatis princeps in tertio Apotelesmatum. Si Saturnus, inquit, fuerit solus in statu animae significator, & Dominus loci Mercurij, & Lunae, & ad mundi angulos bona irradiatione refertus, erit amator bonorum, magni, & firmi consilij, secretarum & diuinarum rerum perquisitor.* Iul. Fir. *Sed & Firmicus eum multis prosequendo laudibus dicit: quod eius ducatus in rebus deliberandis est, acerrimum ingenium: sermo certus, stabilis amicitia, longa prouidentia, regaléque consiliū: Altum quoque significat intellectum, & profundam rerum scientiam. Et de ipso iuniores deponunt: quod cū uita communis à Ioue decernatur, separatam atque diuinam Saturnus sibi uendicat. His autem, qui hanc uitam simulant, prae caeteris est infensior: Quos ab eis spretus Iuppiter dereliquit: nec Saturnus ut suos cognoscit: qui ueros solitarios, & diuinos diligit. Hinc finxere antiqui: quod Iuppiter sibi regnum usurpauit, fugato Saturno eis uidelicet qui bono Saturno inimicantur. Is autem in Italia latuit: quando Italorū ingenia subleuare coepit: E Graecia tamen uenisse dicitur: quia sublimes & profundae speculationes à Graecis ad Italos peruenere. Sed olim ab altioribus, longioribúsque plagis orientis, ubi secundum Arabes, & Persas, subtilißimi habitant daemones, longaeuae, Saturniaeq; uitae in regionibus, illis uidelicet Saturno subiectis: Sed (ut uerius dicamus) à diuinis oraculis sublimes speculationes edoctae sunt.* Albu. *Albumasar Arabes forsitā aemulatus, in regionibus Indiae Saturno suppositis longaeuos dicit esse homines: ac extremo senio ut plurimum, decedere: eo quod Saturnus domesticos minimè laedat. Antiqui* Ouid. *autem Philosophi, & uates Saturnum optimum decantarunt: & auream aetatē sub eodem percurrisse. Sulmonensis autem Pythagoreos & Platonicos imitatus haec carminibus cecidit.*

Aurea prima sata est aetas, quae uindice nullo
Sponte sua sine lege fidem, rectúmque colebat.

Multáque prosequitur bona sub Saturno cucurrisse: & ab eius patrocinio soluti mortales declinasse: undè de succedente curriculo prosequitur dicens:

Postquam, Saturno tenebrosa in tartara mißo,
Sub Ioue mundus erat: subiitque argentea proles
Auro deterior, fuluo pretiosior aere.

Virgilius *Cui adstipulatur alius uates decantans:*

Ante Iouem nulli subigebant arua coloni.

Et Pollioni tanquam quid magni auspicando ait.

Iam redit & uirgo, redeunt Saturnia regna.

Plato *Nec ridendi sunt uates: qui per poësim suam ad intima mentis, & naturae (Platone teste) penetrarunt: Nec puras decantabant fabellas, ut aliqui opinantur:*

quas nec anus pueris, atque puellis narraret. Theologi tamen dicti sunt profunda, & arcana inuolucris fabularum occludentes. Hinc celebrãtur à sapientibus qui ad illa mysteria penetrant. Arist. Simonidis, & Homeri testimonio grauissima loco philosophiæ corroborat: Achesillas nouæ academiæ inuentor tantum Homero tribuit: ut nunquam in lectum se reciperet: quin prius aliquid ex eo legeret: Sed & in lucem ad amasium ire dicebat: quo sibi magis legendi daretur copia. Anaxagoras, & Basilius noster egregiã uirtutis laudem in Homeri poësi admirantur. Thuscus ille uir omni scientia præditus, acerrimíque ingenij Maronem Homeri imitatorem in omni naturali, atque morali philosophia doctorem præponit. Sunt & qui totam eius fictionem ad Allegoriam deducãt. Lucretius omnia philosophiæ præcepta carminibus pertractat. Orpheus ultra quàm facultas extendatur, humana ex sacris literis (ut ipsemet fatetur) Theologiæ, & sacrorum decantat mysteria, Ouidius etiam Pythagoræ arcana in sua metamorphosi reclusit: Sed nimis lasciuienti progressu deprauans, à dignitate illa aliquãtulum cecidit, Declinauerunt & alij, adeo ut magis lenonum, quàm uatũ, & sapientum officio fungantur, contenti tantummodo uenena texere uerborum lepo ribus: Quos merito Plato à rep. exterminari iubet, etiam ꝙ heroum facta decantent: ne tenues mentes ipsorum heroum picta lasciuia deprauarentur: quas abluere ualidior ætas nõ posset. Ad priscos autem illos philosophicos, atq; Theo logicos uates redeuntes, illi Saturnum fœlicem, & beniuolum attestantur. Tempus quoque significare uoluerunt: quod Græci Chronum aspiratũ dicunt à Crono non aspirato, quod Saturnum significat: Per quod tempus omnes filios deuorat: quia omnia consumit, quatuor exceptis elementis: ex quibus, & in quæ cum omnia transmutentur, ipsa permanent. Quorum elementorum poëtæ Iouẽ ignem uocauerunt: Iunonem aërem: Neptunum aquam: & Plutonem terram. Ea autẽ mala, quæ Saturnum decernere nõnulli perhibet, proueniunt ab eius uirtute frigida, atque sicca: qua ad atram bilem fauere uidetur: Vnde suffocatur, & comprimitur concupiscens uirtus, & naturalis amor: cuius sedes est humidum, & calidum: Ideo ipsum segregant ab humana societate: ut sit non ipse planeta, sed natus, quem ille disposuit complexione ipsa partim ab influxu, partim à genitura, & cibariis, partim à moribus comparata, ab humana societate seiunctus: Id maximè, si fuerit Martis siccitate, aut Lunæ frigiditate suffultus: sed hic contẽplationi, studio, diuinísq; incũbat, ei, qui solitariam uitam ducit, amicis: & sentiet Saturnũ nõ malum, sed bono influxu sibi fauere. Si autem quis ex Saturnia cõplexione tristẽ se sentiat, audiat illum, qui dixit: Beati qui lugent. Si uerò cogitabundũ se nactus fuerit, audiat adhuc dicẽtem: Maria optimam partem elegit. Si autem cumulandi cupiditate laborauerit, congreget sibi thesauros in cœlo: Eisdem legibus se moderetur, si Martis inflammatione quis agitatus fuerit. Si enim colera Martialis te impetuosum, & iracundum facit: nõ ipsa in pauperes, & pusillos utare: sed ad uitia compescenda. quia (ut Chrysostomus ille aureus

Aristo. Arche. Anaxa. Basilius Dantes Lucre. Orph. Ouidius Plato. CHRISTVS. Idem Chryso.

ait) Vbi ira non est, scientia non proficit: iudicia non constãt: crimina nõ compescũtur. Pugnæ ergo, cædes, audacia, elatio, prædæ, captiuitates, fugæ, uiolentiæ, & si quæ huiusmodi sunt, exerceantur in hostes Domini: & non erit malus hic Mauors: sed cum Phinee Eleazeri filio de zelo cõmendato, & cũ Dauide bellante bella Domini inter sanctos & amicos Dei annumerabitur. Si autem dolus, periuria, fraudes, temeritates, furiæ, mala homicidia, furta, & huiusmodi subsequũtur: ea omnia inde ueniunt: quia curuatur rationis moderamẽ: qua porta data, ruunt uenti paßionũ, & perflant omnia turbine. Si uerò sub imperio Aeoli i. rationis debitè regẽtis, uel (ut in sacris literis habetur) si bestiæ introductæ in arcam, starent sub imperio Noë: impetus omnes qui ex Martia excãdescentia proueniunt, moderati, & boni utiq; essent. Non secus de Venere iudicandum est: quæ ad turpem concubitum inducere dicitur: Nam si debitè moderaremur cõcupiscentiã à Venere confotam, etiam Sole, Martéq; feruorem ministrantibus erit amor bonus, & feruidus in Deum ipsum, & proximum. Et sic cõprobabunt omnes: ꝙ falsò de natura sui, aut stellarũ influxu (ut ait Aug. cõqueruntur mortales: & ꝙ peccatũ adeo uolũtariũ est: quod si non uoluntariũ, non est peccatũ. Vndè autem obliquitas uoluntatis malè eligentis proueniat: & quid syderibus, quid materiæ, quid concupiscentiæ, quid malis moribus, aut malæ consuetudini ascribendum sit, alibi Deo fauente, declarandum duximus.

Augusti.

An stellæ agant in nos necne, & si agunt, utrum cognoscendo, an disponendo. Cap. X I.



Ontendunt aliqui, & asseuerãt nos nihil à sydereis afflatibus cõparare: Vndè hoc dogma de influxu syderum, tanquam absurdũ & à philosophia penitus alienum, explodunt. Subnectunt ꝙ grauißimi philosophi, quorum cura & diligentia fuit in perscrutandis rerũ causis, mutuãdo ueritatem (si qua sit) à medicina, à Mathematicis, ab omníq; arte, & scientia, & tamẽ nunquã utuntur astrologicis causis. Et ad hoc comprobandũ mittunt nos ad Fauorinũ Academicum, Panætium Stoicum, Carneadem, Poßidonium. Timæum, Pythagorã, Arist. Platonẽ, Plotinum, Auicenã, Aueroim. Mittant, quæso, & ad Galenũ, Hippocratem, Esculapium, & Apollinem: quia facilè eis respondebitur. Recordentur enim quoniam in fauorẽ dogmatum ab eis inuentorum meminerint de agrario præcepto: quo in Deuteronomio iubetur: ne quis totum demeteret agrum: sed intactã portionem pauperibus relinqueret: qui mergites, & manipulos ad famem tollendã sibi acciperẽt. Vndè si quis in uos inueheretur dicens, Augu. Amb. Hiero. Orig. Damasc. Rabbi Salomon, & uterq; Rabbi Moses, cæteríq; doctores Hebræi, Græci atq; Latini dilígentißimo labore perscrutati sunt sensa scripturæ: & quæ scribitis non tetigerunt: ergo non sunt uera, quæ dixistis. Quid concluderet contra uos? Nónne tritum habetur in scholis: quòd arguendo per locum ab authoritate negatiua nihil infertur. Non damnãt sapientes ea, quæ uos acerrimo uestro ingenio excogita-

Deuter.

stis optima, quamuis ab aliis non tacta: sic nec quis damnari debet: si altius perscrutetur causas quàm fecerint, quos connumerastis, philosophi. Vltrà progrediar. Si philosophi sunt, philosophiæ metas transcendere noluerunt: sed erant cõtenti perscrutari causas in uiribus, aut qualitatibus corporum inferiorũ: ut multi nostri temporis faciunt: apud quos declinata est nimis eorum theorica, & praxis. Conueniunt omnes, quos laudatis, secretiores philosophi, quòd inferiora, & quæ naturalia dicuntur, hauriunt fauorem à superioribus, & cœlestibus potius uno aspectu, quàm alio: quod pulchrum scire existimatur: quamuis Peripatetici suis sensibilibus depreßi contenti sint pro causa omniũ effectuum aßignare sensibiles qualitates. Siquis autem effectus uideatur, ad quem non poßit qualitas sensibilis, dicunt illud esse à causa nobis ignota. Et cum de superioribus loqui contigit: quid scirent satis patere potuit ex his, quæ eorum princeps in Meteoris docet de calore solis: Prouenit (inquit) ex duabus simul coniunctis causis, ex motu uidelicet, & situ: non ex motu solo, quia Iouis, Martis, atque Saturni uelocior est: sed quia distantes, eorum inflammatio in uelocißimo motu ad nos usq; non peruenit. Nec procedit à Luna, Venere, & Mercurio, quia & si propinquiores, tardi tamen in motu non adeo inflammantur. Miror quippe, quomodo tam celebris uir imaginatus sit inflammationem in his, in quibus non recipitur peregrina impreßio: Distantiæ enim & motui attribuere uoluit, quod naturali uirtuti ascribi debet. Nónne, quæso, alius debuit melius perscrutari causam, cur afflatus, aut radius solaris calorem inferat, & si Aristoteles solertißimus causarum naturalium inquisitor non indagauit? Quod forsitan neglexit: quia noluit transcendere metas sibimet aßignatas in inferiori sua philosophia: quam naturalem uocant: Sed in his, quæ scribit ad Alexandrum, aliquantulum conscendens docet: quòd in sumendis medicinis diligenter obseruetur cœlorũ aspectus, trigonus uidelicet aqueus, & distantia Lunæ à Saturno, & multa eiusdem generis, quæ ab Alchindo diligenter habentur exarata. Et quid ante eum Trismegistus doceat in sideribus obseruari, alibi explicabimus. Democritus (Hippocrate referente) astrologicam facultatem postposuit: non quia cœli non agant: sed quia difficillimum sit astrorum semper aspectus, & figuras inspicere. Nónne idem Hippocrates morbos, euasionem, & interitum prognosticatur ex Lunæ domicilio: & aspectibus cum aliis planetis? In cuius libelli principio dicit Hali de mente authoris, quòd medicus astronomiæ imperitus est tanquam cæcus baculo uiam examinans. Nónne Plotinus docet reditum fieri in Deum per Mercurium, Venerem, & Solem? Sed quomodo nos in Deum conducunt, si nihil operantur in nobis? Longum esset retexere, quæ Plato suo occulto progressu, & quæ multi Academici, & secretiores philosophi doceant à cœlis hauriri, & quomodo, & quando. Quid enim faciunt cœli suo motu continuo, si in nos non agunt? Influunt (dicent) in plantas, & elementa: Sed dicant quæso: Nónne corpora nostra calefiunt à sole: & alterantur à Luna

Aristote. Idem Alchin. Trisme. Democr. Hippoc. Idem Hali. Plotinus.

(nisi Biriæ ſimus)non perſuadebit nobis aſtutus Mercurius, quòd nõ alteremur à luminaribus:quod etiã uulgares ruſtici percipiunt. Operantur & alia ſidera effectus non minus cognitos ſapientibus, quàm effectus luminarium uulgaribus: ut ſapienter dixit Aſtronomorum Princeps in principio Apoteleſmatũ. Nec tamen ſiderum influxus plenos cõducunt effectus:cũ ad eoſdem concurrant cibaria, mores,genitura,locus, ſed potiſsimè animi libertas. Hinc idem Ptolemæus ibidem, & in fructu docet:quomodo corporea aliqua extremitate offenſa contemperari poſsint: & quomodo animi libertas influxum reprimat: ne ueluti pecudes ui trahamur à corporeis inclinationibus:Optimus(inquit) Aſtrologus multum malum probibere poterit à ſtellarum diſpoſitione profecturum, cum earũ naturam præſciuerit, præmuniendo ne occurrat: & ne malè diſpoſitum ſubiectum nocumentum ſuſcipiat,undè beneficium reportare debet: cum influxus cœleſtis omnis ſit bonus:ut diximus: Ideòque uitioſam triſtitiam, aut rigiditatem ſuperfluam non proiicias in Saturnum, nec ferocem temeritatem in Martem, nec fraudulentam malitiam in Mercurium,nec laſciuos amores in Venerem: nec inſtabilem progreſſum in Lunam: ſicut nec lippoſus calamitatem imputare debet luci,nec combuſtio templorum, aut ædium igni,nec percuſſura mala in lapidem, nec uincula, carceres, & cædes flagitioſorum in ſeueritatem iudicis inferantur, ſed in malè operantes: ſic nec mali effectus, qui ſequũtur ex indiſpoſitione ſubiecti recipientis attribui debent ſideribus. Et ut à ſublimioribus exempla petamus, Quid excellentius ſacramento ſacramentorum? Indignè tamen ſumentibus, & malè diſpoſitis fit in iudicium,& condemnationem. Et ſi ad particularia decreta ſiderum deuenire lubet (ſiqua ueritas ſubeſt opinioni mathematicorum)Saturnus diſponit intellectiuam uirtutem, uacat Saturnus prudentiæ, & ſpeculationi diuinarum, humanarumq́ue rerum, & penetrat uſque ad ſplendorem ueræ philoſophiæ. Si autem in malum dirigat profundum ingenium, & ut ſuam libidinem expleat, prorſus intendat fraudibus, dolis, ſimulationibus, renuente ſuperiore & diuino, quod ſyndereſim dicunt: tunc repletus atra bili ſentit anxietatem, & tædium: quibus adeo opprimitur: ut credat bona & proficua, quæ noxia ſunt: Cui ſic oppreſſo multa occurſitant deliramenta, mortuorum uidelicet ſpecies, lemures, laruæ, manes, ſepulchrorum terriculamenta, buſtorum expaueſcentia: Occurritq́ue interiori oculo ira Dei, dæmonum irritamenta, blaſphemiæ, deſperata & inuiſa ſalus. Cognoui aliquando uirum ab huiuſmodi agitatum, cui oranti occurſitacula erant capita mortuorum, nigræ & prolixæ barbæ, oculi horrendi, aſpectu terribiles: Ad quæ conduxerat miſerum non Saturnus, cum eſſet natura lepidus & feſtiuus, ſed bilis atra, quæ ex mala conſcientia comprimente, & malè actæ uitæ recordatione inſurgebat. Idem de Martiali dicendum eſt: qui ſi Martiam uim, & impetum non in zelum iuſtitiæ (ut debet) ſed in uoluptates inferiores explendas excitauerit: tunc prædæ, tunc rapinæ, tunc multa mala. Poſſent etiam

Ptolom.

Idem

in malum deduci influxus eorum planetarum; qui beniuoli dicuntur: Nam Iouis decretum ex calido & humido, aut benigna natura, ad clementiam deducens, posset tantum augeri; ut animus flexus ad plenißimam dissolutionem deduceretur. Sic Veneris mollis influxus benignum reddens, non moderatus effœminatũ facit: & libidini mancipatũ: undè sequuntur multoties, adulteria, incestus, stupra, sacrilegia, insuper mortes, incẽdia, prædæ, euersiones urbium, & odia perpetua. Sol etiam pater uitæ, & luminis dator; qui & Apollo dicitur, ad ueram sapientiam conducit, & regiam dignitatem. Si quis autem hoc animi splendore à Sole: imò à Deo per solem comparato abutitur, in superbiam malam: elationem, arrogantiam, & aliorum contemptum decurret: inde multa mala ex bono proueniunt, sicùt ex uino ingurgitato orietur cordis opprẽßio, deiectio uirtutis, & multa id genus; quod tamen moderatè sumptum cor lætificat, & uires corroborat. Aqua bonum est elementum ad multa perutile: suffocat tamen incautos: & ædificia non bene firmata deiicit. Boni sunt itaque influxus omnes: dummodo subiecta sint bene disposita: ut infrà particularius disseremus.

Qualiter tertio ternario quadrato elementaria omnia produxerit omnium artifex. Cap. XII.



Lexander (teste Laërtio) refert in succeßionibus philosophorũ, & in commentariis Pythagoreis adnotasse monadẽ esse principium omnium: Et ex monade indefinitam dualitatem, ueluti materiam authori, monadi subiecisse: & ex monade, ac dualitate numeros gigni, ex numeris puncta: ex pũctis lineas surgere, ex quibus planæ figuræ constant: ex planis autẽ solida corpora consistere: Quorum præcipua sunt quatuor elemẽta, ex quibus elementaria omnia emanant. Sed cũ de supercælesti, atq; cælesti fabrica & sua materia iam disseruerimus: restat, ut de elemẽtis, & ex ipsis cõpositis corruptioni obnoxiis referamus. Quatuor igitur sunt elementa, & primaria fundamenta rerum: ex quibus omnia componuntur: Quorũ formas superiores antiqui dixerũt afferre opem, Aquæ Neptunum. Aëri Iunonem: Igni Vulcanum: Hic admirantur aliqui Augustinum, & ante eum Plinium, has formas & earum assertores irrisisse: Irrisit quippe Augustinus eos, qui has formas, tanquã numina quædam mortalibus fauentia adoranda docuerũt: Nec negauit in archetypo rerum faciendarũ exemplaria: Sunt enim in cælis, & in supramundano mundo elemẽta meliori nota, & animalium imagines: Quarum primaria genera quaternario distributa uidit Ezechiel ante Dei tribunal, tanquam ad ipsum pertinentia: ut docetur in theologia Hebræorum. Extat ibi & alius quaternarius, cuius hoc quadruplex genus animaliũ stat pro uno angulo: cui adiungũtur alij tres, uidelicet Ophanini, Seraphini, & angeli seruitutis, qui simul cum illis animalibus sanctitatis (ut dicunt authore Abraham in libro de formatione) cõplent tribunal Dei: Qui & si gaudet ternario numero, diffunditur tamẽ in creata p quaternariũ: Ideo per elemẽta illa quadrifaria, suprema,

Alexan. Lucre.

August. Plinius

Ezechi. Thc. he.

inferiora, & media consonantißimo numero (ut statim differemus) distribuit diuidens machinam hanc in quatuor mundi partes: Eurũ, Zephyrũ, Austrũ, & Boream: & cœlum per illas triplicitates, igneam, aëream, aqueam, & terream A quo cœlo quatuor tempora, uer, æstas, autumnus, & hyems: Vndè fauor ad quadruplicem substantiam, corpoream, uegetabilem, sensitiuam, & rationalem: Quam subsequuntur quatuor corporeæ qualitates; calidum, frigidum, humidum, atque siccum: Item quadruplex quantitas, punctum, longitudo, latitudo, profunditas: Quadruplex etiam motus, ascensus, descensus, progressus, & circulus. Animus quoque noster quadrariam uim à supernis suscipit, illud, scilicet rationale, quod Augustinus portionem superiorem, & Plotinus intellectũ uocat, quod eodem Plotino authore sumus nos: & uim animalem, quam Hebræi nephes dicunt: quarto spiritum illa omnia connectentem: Suscepitque iste homo (ut stoici docent) splendorem quatuor uirtutum: Quatuor insuper subuehentes excessus (si Orpheiam Theologiam sequimur) Poesim à musis: Mysterium à Dionysio: Vaticinium ab Apolline: Amorem à Venere: Quæ intrant per quatuor portas: per sensum, imaginationem, phantasiam, & intelligentiam: Quæ omnia emanant ab opificè trino: cui tamen inest quaternionis idea: ut utrunque ex suo magno nomine tetragrãmo discere poßimus, quæ suo loco declaranda reseruabimus.

Augusti. Plotinus Stoici Orphe.

Cur quaternario numero elementa distributa sint. Cap. XIII.



VT aliqua de Pythagoreis, & secretiorum Theologorum promptuariis educamus, quaternario numero omnia fundamẽta iaciẽda sunt: cum ipse sit omnium numerorum radix & exordium: Coaceruatio enim à monade usque ad quatuor denarium reddit: Vltra quem numerum (ut meminit Aristoteles in problematibus: & Hierocles in carmina Pythagoræ) nulla regio, nullũq; idioma aliquãdo progressum est: Nã Hebræi, Græci, Latini, & Barbari omnes cum ad denarium peruenerint, iterũ monadẽ resumentes dicunt undecim, & sic deinceps imitantes naturã ducẽ, quæ denaria lege digitos in manibus, & pedibus partita est, imò opificẽ summũ: qui supercœlestem mundum, & archetypum (ut Theologia Hebræorum docet) illo numero distribuere uoluit: Qui numerus omnia numerandi genera cõtinet, par & impar, quadratum, quadrantalem, longum, planum, cubalem, pyramidalem primũ & compositũ: Quo etiam numero, scilicet denis proportionibus quatuor cubales numeri cõsummantur: sicut ipse quaternarius est radix denarij, & per denarium cẽtenarij: & per hos millenarij: nam unum duo, tria, & quatuor decadem complent: Pari modo per denarios ad centum, & per centenarios ad mille deuenitur. Continet insuper quaternarius omnem musicam consonantiam: cum in ipso sit proportio dupla, tripla, quadrupla, sesqualtera, sesquitertia: Vndè diapason, bisdiapason, diapente, diatessaron, & diapason simul cum diapen-


Aristote. Hierocl. Thie. he.


te resultat. Hinc Hierocles Pythagoræ interpres hunc numerum adeo extollit, ut eum opificem, & causam omnium asserat: quia nihil dici, aut fieri potest: nisi à quaternario numero tanquam à radice. & fundamento omnium proueniat. Hinc per ipsum, tanquam per quoddam sacrum iurabant Pythagorei alludentes (ut opinor) ad Tetragrammon Hebræorum, à quibus secretiora illa dogmata suscepere. Et Pythagoræ sectatores Iamblicus, Syrianus, & Proculus probare nituntur superum mundum eodem numero distributum esse. Sed ne ab elementari nostra ratione longius digrediamur, quàm deceat, ad elementa redeamus: quæ quatuor sunt in tota machina: Et quatuor etiam apud Metaphysicum elementa: essentia, esse, uirtus, & actio: Quatuor apud physicos seminaria naturæ: uirtus, pullulatio naturalis, adulta forma, & cōpositum. Quatuor apud Mathematicos elementa: signum, linea, planum, & solidum. Et quod est signum in mathematica, est seminaria uirtus in physicis, linea pullulatio naturalis, superficies adulta forma, profundum siue cubum ipsum cōpositum. Quatuor apud Ethicos seminaria uirtutum: iustitia, temperantia, fortitudo, prudentia: Quatuor (ut docet Hierocles) iudiciariæ potentiæ in rebus existentibus: intellectus, disciplina, opinio, sensus. Quatuor iussit summus moderator esse fundamenta perfectissimæ, æternæ, & inconcussæ legis, quatuor uidelicet euangelia: Quatuor etiam angulis artifices naturam imitantes consummant ædificia, ut firma sint. Quatuor igitur fundamēta totius mundanæ fabricæ meritò à principio iecit Opifex. Sed quia hunc numerum reducunt Pythagorei, & Academici ad quadratam figuram geometriæ, atque ad cubos, & pyramides, quomodo cum quadrata figura conueniant elementa uideamus: Quadrata enim tria assignantur, primum est solidum, secundum nequit à nobis commensurari circulo, tertium, quia diametrum, cum costa nulla sectione conueniet. Sic & elementa soliditate gaudent: ut sint firmum totius mundani ædificij fundamentum. Nec cum circulo diuinæ essentiæ coæquatio est nobis cognita: licet sit illi manifesta, qui omnia hæc consonantissimè disposuit: Nec diameter eius (quod ni fallor homo est) consectilis habetur alicui costæ: Nam homo, tanquā diameter in mundi collocatus meditullio, non conuenit cum aliqua determinata creatura: sed multiformis & dissolutoriæ naturæ animal (ut habetur in Theologia Chaldæorum) liberum transitum habet ad quancunque imaginem: Est tamen proportio mediata reducendo elementorum quadraturam infimam in quadratum meliorem: de quo alibi. Proportione itaque mirabili conueniunt hæc quadrifaria elementa, sicut & quadrati numeri: qui proprio numero concluduntur: & medio aliquo conueniunt utrique proportionato: Sunt enim 4, & 9, quadrati numeri, medius est senarius: à quo sicut ad 4, est proportio sesqualtera: Pari modo à 9, ad 6. Sic conueniunt 9, cum 16, alio quadrato, quorum medius est 12, A quo sicut ad 9 est proportio sesquitertia, & eadē est à 16, ad 12, Eodē ordine progrediuntur omnes quadrati numeri: Quos imi-


Hierocl. Pythag. Iambli. Syrian. Procul. Hierocl. Pythag. Academ. Th. Ch.

tantur elementa proportianata cũ suis cõbinatis qualitatibus: quarũ alterã sibi propriam unumquodq; retinet: in altera tanq̃ medio cũ sequenti conuenit elemento. Aqua est humida, atq; frigida: humidũ retinet tanquã propriũ, in frigido uerò cũ terra participat. Terra est frigida, atq; sicca: frigidum ei proprium est, quo cum aqua cõuenit: in sicco uerò igni coæquatur: Vndè sicut se habet terra in frigiditate cum aqua: pari modo in siccitate cum igne: & hic in caliditate cum aëre: qui in humido aquæ coaptatur. Aliam insuper conuenientiam adinuenere Academici in numero quaternario, usque ad quadruplam proportionem deuenientes, ad quam duntaxat musicæ rationes procedunt: ulterius enim progrediendo aures uidentur offendi: Nam ignis aëre duplo subtilior est, triplo mobilior aqua, duplo acutior: Itẽ aër aqua duplo acutior, triplo subtilior, quadruplo mobilior: Rursus aqua duplo terra acutior, triplo subtilior, quadruplo mobilior, ut ĩ obiecta figura conspicitur. Et hæc secundum Timœũ & alios Pythagoricos est elemẽtorum harmonia: in quibus q̃uis ignis sit acutus, subtilis, & mobilis: aër subtilis, mobilis, obtusus: aqua mobilis, obtusa, corporea: terra obtusa, corporea, immobilis: est tamẽ eadem omnium proportio: Nã inter ignem & terrã ea lege aër, & aqua interiecti sunt: ut quemadmodum se habet ignis ad aërẽ, sic aër ad aquam, & aqua ad terram. Et rursus sicut terra ad aquam: sic aqua ad aërem: & aër ad ignẽ in conueniẽtia, & consonanti contrarietate: ut quamoptime animaduertere possumus ĩ adiecta hac figura.

Academ.







Est igitur in elementis ex omni parte tanta consonantia: ut non sit mirum, si in compositis, & in locis suis magna suauitate quiescant. Hinc canit Boëtius, Pythagoreos imitatus.

Boëtius

Tu numeris elementa ligas: ut frigora flammis,
Arida conueniant liquidis: ne purior ignis
Euolet, aut mersas deducant pondere terras.

Nec alia ratio adduci potest elegantior: cur aqua terram non suffocet, cum superior ea sit: nisi quia non uult discedere à consonantia: qua eadem ligauit opifex in seipsis, & in compositis tanto perfectius, quanto cõpositum partibus suis perfectius est.

Quòd elemẽta reperiantur in omnibus mundanis membris. Cap. XIIII.



Vatuor itaque elementa consequuntur quatuor perfectorum cõpositorum genera: lapidum, metallorum, plantarum, & animalium. Quorum primum fundatum est super angulum terreum huius mũdanæ domus: Lapides *enim terram imitantur semper uersus centrum descendentes, nisi adusti sint: ut pumicei lapides spongiosi facti cum cauernis aëre plenis. In puluerem autem redacti propriam naturam lapideam resumentes descendunt. Et cum lapidibus numeratur crystallus, & beryllus: qui, quamuis ex aqua geniti, adeo congelati sunt, ut terrestres facti descendant: Quod non contingit gelu & niui. Calculi etiam in uesica generati terream naturam imitantes descendunt: quamuis ex aqueo humore sint geniti. Et hi omnes stipticitate quadam concreti sunt, ut liquefieri nequeant sicut metalla, quamuis descendant, sicut & lapides. Super secundum angulum aqueum metalla constructa sunt: quæ quamuis ex omnibus elementis (teste* Hermete*) conficiantur: potissimè tamen ex aqua conflata eius naturam sapiunt & liquefiunt: ut in hoc testes habemus* Timæum Locrũ, Platonem, Plotinum, Aristotelem, Auicenam, *& nouitiores eos sequentes. Nec discrepat* Democritus: *quem aliqui fingunt tradidisse metalla ex lixiuio & calce generari:* Arefieret *enim uelut cementum: nec liquefieri posset. Hoc negotium longo sermone prosequitur* Albertus *ille magnus: sed compendiosius* Abubacher. *Videmus (iste inquit) in mineris, ꝙ propter continuũ quorũdam montium calorem aquæ grossities in tantũ decoquitur: & inspissatur, ut per tempus fiat argentum uiuum. Et ex pinguedine terræ eadem decoctione, & calore generatur sulfur: continuatoq; calore generantur metalla. Aurum enim nullum habẽs defectum ex argento uiuo, & sulfure puro, fixo, claro, & rubeo gignitur. Argentum ex eodem argento mobili & sulfure fixo, puro, claro, & albo, cui deficit color, aliqua fixio & consequenter pondus. Stannum imperfectũ ex eisdem partibus imperfectis parca decotione, ac digestione interueniente. Plumbum ex eodem argento terrestri, & feculento, carente puritate, & fixione, & ex sulfure grosso aliquantulum rubeo, cui deficit fixio, puritas, & decoctio: Vnde fit imperfectum ualde. Cuprum adhuc ex eodem impuro, & non fixo, terrestri, adurenti, non claro, & ex huiusmodi sulfure combustibili, cui deest fixio, puritas, & pondus: Vndè imperfectum est & immundum. Ferrũ deniq; ex eodẽ impuro, fixo, ex parte terrestri adurente, albo, non claro, & ex sulfure minus fixo, terrestri, & comburente: undè imperfectum & immundum: à quo abest puritas: & deficit pondus. Quæ omnia cum ex argento uiuo sint, & illud aqueum: ideo aquæ naturam sapiunt. Huic adstipulatur*

Hermẽ. Timæ. Plato. Plotinus Aristo. Democ. Alber.m.

Auice. Gilgil. *Auicena, tam in physicis, quàm in epistola ad Hazem philosophum. Sed Gilgil Hispalensis opinabatur metalla ex cineribus gigni: eo quòd mergantur in aquis, & liquefiant, sicut uitrum, quod ex terrestri cinere, & lapide contuso extrahitur. Sed non concludit: quia mergitur metallum ex terreo, incorporato humido, clausis porositatibus aërem retinentibus. Nec uitrũ deducitur ex materia terrea, sed ex humido radicali ipsis cineribus, & lapidibus intrinseco: in omni enim composito sunt quatuor elementa. Super tertio angulo, aëreo uidelicet, plantæ constructæ sunt: quæ (nisi sub dio) non pullulant: neque coalescunt. Et quamuis interueniant ad compositionem ipsius plantæ, & aliorum omnium cætera elementa, aëream tamen naturam sapit. Planta enim sibi cognatum aërem semper petit: & aëre priuatum statim corrũpitur lignũ: & putrescit: nisi subueniat aqueus humor, qui cũ aëre participat. Sup quarto angulo huius quadrifarij ædificij, qui ignis est, fabricatur zoophytũ: siue animal, cuius uita (ut multi sapiẽtes docent, Plotinus potißimè) ignea est à cœlo igneo comparata: & à spiritu uitæ,* Ezechi. Virgilius *qui igneus est, uiuificans omnes mundanas rotas: ut Ezechiëlis oraculo edocemur, quo ait: Et spiritus uitæ erat in rotis. Cum quo Maro antiquorum uestigia imitans, aut furore poëtico arreptus decantat. Igneus est olli uigor, & cœlestis origo. Super quatuor igitur elementales bases fabricata sunt quinque genera præcipua compositorum: quæ enneadem complent, lapides, metalla, plantæ, zoophyta, atque animalia, quæ sunt in angulo igneo. Zoophytum autem, cum quoddam pexmixtum sit, & imperfectum: nõ habet determinatum angulum: sed in aliorum gremio suscipitur.*

De alia partitione rerum elementatarũ: per quam tollitur instantiæ multæ: quæ possent fieri circa prædicta. Cap. XV.



T si unicuique angulo, aut elemento huius quadrariæ domus aßignatum sit suum uniuersale genus, subdistinguntur tamen ab inuicem. Lapides enim quamuis terrei sint, omnes tamen ab alio elemento fortius interueniente denominantur aliquando. Conueniũt proculdubio omnia elementa ad lapides componendos, sed potißimè terra, & aqua: Vndè opaci lapides terrei dicuntur, perspicui uerò aquei. Liquefiunt aliqui fortißimo igne: ut in uitrum conuertantur. Aliqui ex pluuia guttatim cadente generantur in conchyliis: ut margaritæ in mari Indico, & Britãnico. Crystallus & Beryllus (ut Augustinus, & Aristoteles scribunt, & experientia docet) fiunt ex aqua congelata, euacuatis porositatibus: ut nec calorem suscipere, nec liquefieri poßint. Ignis etiam adest in lapidum compositione: qui etiam ex silice chalybe percusso, extrahitur: & in ipso aliquando resoluitur: nisi decipiatur Hermes: qui in arcanis docet lapidem à terra in cœlum, id est ignem cõscendere: & à cœlo iterum in terram eius nutricem reuerti: Ad quod cœlum (ut ait) portauit uentus in suo uentre reclusus. Metalla quoque, & si aqueæ sint, ipso-

Augusti. Aristote.

rum tamen aliqua igneam naturam sapiunt: ut aurum, & ferrum: quorum alterum solarem, alterum Martialem ignem imitatur. Stannũ uerò & cuprum aërea sunt: illud à Ioue, hoc à Venere aëream naturam suscipiens. Argentum autem terreum cum Luna: plumbum cum Saturno: & uiuum argentum in aqua cõuenit cum Mercurio: qui est (ut aiunt) arbiter undis. Omnia tamen aquea natura dotata sunt: ut liquefaciant, & pondere distent. Sicut enim aqua ab aqua differt in pondere: sic metallum à metallo, non tantum ratione specifica, sed indiuidua. Distat enim in põdere aurum barbaricum ab obrizo: Tharsense ab Indico, & Vngarico: & hoc ab Hispano: illud autem ab auro eiulat: Quod per Gion fluuium deueniens, cum fontis in horto deliciarum existẽtis uirtutem persentiat, omnium optimum est: sicut aqua quæ quanto fonti propinquior, & perfectior est, tanto leuior. Distant enim aquæ pro regione, & situ in bonitate, & põdere: à quo (ut Vitruuio placet) aëris bonitas dignoscitur: & ibi loca pro ædificiis construendis decernenda iubet. Plantæ quoque, quãuis aëreæ sint naturæ, tamen aliquarum radices, succus, folia, & flores dicuntur calidi, in primo, secũdo, tertio, uel quarto gradu: aliqua frigida, uel sicca, & huiusmodi: de quibus disputare præsens locus non patitur. Illa tamẽ diuersitas prouenit: quando planta aliqua magis, & minus naturam alicuius elementi se induit. Animalia quoque, quamuis ignea sint, aliqua tamen magis terrea in terra oblectantur: ut talpa, uermes, & communiter reptilia omnia: Pisces omnes aquei aqua nutriũtur: Chamæleon aëre: Salamandra igne, & ipsorum aliqua calore feruent: ut columbæ, leones: Aliqua humido deprimuntur, ut agnus: Aliqua sicco: ut lepus, damula: Omnia tamen ignea sunt distincta per gradus: undè nomina mutuant ab elementis: aut ab eorum qualitatibus. Vitruui.

Quòd elementa reperiantur non tantum in hoc terrestri mundo, sed cœlesti, supercœlesti, & archetypo. Cap. XVI.

Elementa in omnibus reperiri amplissimi testes sunt: Sed ea, quæ in mũdo hoc inferiori habentur, feculenta, & crassiora sunt: Quæ in cœlo: nitida, atq; pura: Quæ supra cœlos: uiuentia, & ex omni parte benefica, Et, ut ab inferioribus incipiamus, est terra hæc circa cẽtrum stabile firmamentum pedibus, omnium seminum matrix fœcundissima: Est in cœlo densitudo: quæ uideri potest in Sole potissimè, & Luna, & stellis: quæ (ut Plotino placet) radios solares repellunt. Est in angelis: ut firma sint Dei sedilia: & nobis fecundi, dantes tanquam ministri Dei terræ huic feculentæ fœcunditatem. Est in archetypo omnium firma, fœcũdissimáque natura: de qua dicitur: Aperiatur terra: & germinet saluatorem. Est aqua hæc leuis, & æquatissima, mundans, & lauans omnia. Est in cœlis suo afluxu terram irrigans: & cõmixtibilis uirtus (ut Basilius longo sermone disserit) Est in angelis docẽs, & mũdans: de qua, cum de cœlo agitur, in psalmis canitur: Qui tegis aquis superio- Plotinus. Isaias. Basilius Psalm.

ra eius. Est in Opifice: qua ablutionem peccatorum facit, & regenerat, mundificat, collustrat, & pascit. Sed uide harum aquarum differentiam: Humor hic uitæ calorem obruit, cœlestis irrigat, supercœlestis intelligit: diuinus mentes purgat, & pascit. Est aër hic elementaris, quo respiramus, uidemus, audimus, & odoramus. Est in cœlis translucens natura: ultra quam stellas fixas prospicimus: Est in cœlo superiori spatium: ubi resonant suauissimi beatorum concentus: ubi patet uisio illa, & corporis principis, & reginæ, & omnium militum. Est in angelis uitalis flatus, & aura tenuis. Est in Opifice summa, & perfectissima uita, & spiritus: quo spirans in omnes dat omnibus, ut uiuant, atque respirent: & quo tanquam sibilo auræ tenui Eliæ, & aliis domesticis loquitur. Est ignis elementaris apud nos calefaciens, coquens, & perficiens. Est in cœlo Sol lucens, & calefaciens inferiora, & Mars agitans, & dans robur. Est in angelis seraphicus, & feruidus amor: de quo Psalmographus canit: Qui facis angelos tuos spiritus: & ministros tuos ignem urentem. Est in archetypo (ut Heraclitus, Empedocles, & alij sapientes deponunt) Ignis idealis: & spirituale lumen, Sed (ut Zenoni placet) artificiosus ignis ad omnia producenda egrediens. Et de spiritu, & diuino igne habetur in libro sapientiæ: Omnium est artifex: omnem habens uirtutem. Fauet Cleãtes dicens, quòd ignis ille incorporeus, diuinus, uitalis, & salubris est: qui omnia gignit, conseruat, sustinet, alit, & auget: sicut hic inferior dissipat, & disturbat. Fauent & diuini testes Moses, & Paulus: quorum alter in repetitione legis, quæ Deuteronomium dicitur, & hic cũ Hebræis disserens ait: Deus ignis est. Et ne infima pars mundi secludatur ab hoc ædificio: uideamus quid Homerus de inferioribus elementis decantet in decimo Odysseæ.

Eliç.
Psalm.
Heracl.
Empedo.
Zeno.
Cleantes
Moses.
Paulus
Aome.

Sic ubi tartareas Acherontis uoluit in undas
Se phlegethon, stygioque simul deductus ab Alueo
Cocytus, gemino qua rupes scinditur amne.

Virgilius Quem & Virgilius imitatus canit.

Hinc uia tartarei, quæ fert Acherontis ad undas:
Turbidus hic cœno, uastaque uoragine gurges
Aestuat: atque omnem cocyto eructat arenam.

Quorum fluuiorum Phlegethõ igneus est: cocytus aëreus: Acheron terreus: styx uerò aqueus: quamuis hæc sit potius inferna palus, quàm fluuius. Alij uerò ex etymologia uocabuli hos fluuios elementis accommodant, Phlegethõtem igni, quasi ab exustione deductum: Cocytumque, qui clamorosos significat ululatus terræ, propter uarios concauitatum anfractus: Acheronta uerò fluentem fluidæ aquæ: Stygem autem aëri elementorum uinculo: Et de omnibus his scribit Proculus: Quæ in cœlo sunt elementa, summitates, & excellentiæ elementorum, sunt ea, quæ sub orbe Lunæ ex secundo ordine: Illa uerò, quæ infra terrã sunt: infimum quoddam ac ueluti fex elementorum: ubi mali cruciantur. Sed ad

Procul.

nostros ueniamus. Est ignis, de quo summus doctor comminatur impiis se dictu rum: Ite maledicti in ignem æternum. Est aër de quo Isaias: Percutiet te Dominus aëre corrupto: quod communiter de dãnatis exponitur, Est aqua (teste Iob qui ait) ad nimium calorem transibunt ab aquis niuium. Est denique infœlicissima terra in centro terræ huius, de qua iterum Iob: Dimitte me ergo: ut plangam paululum antequam uadam, & non reuertar, ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, terram miseriæ, & tenebrarũ. Sunt igitur elementa in Deo seminaria rerum, & producendorũ ideæ, & origines: In angelis distributæ potestates: In cœlo uirtutes quædam: In natura rerum semina: In mundo hoc inferiori crassiores formæ: Nisi enim essent elementares uirtutes in cœlo, quomodo ab eius influxu generarentur, & transmutarentur elementa hæc: ut quod nunc est aer in pluuiam conuertatur, A qua in aerem exhalet, Terra in lignum uertatur, Ex quo ignis, & ex illo aer, & cinis quæ terra est? Hinc astronomi signa, & planetas ab elementis denominant tria signa cuilibet elemento attribuẽtes: In Opifice uerò necesse est, ut sint omnia, quæ distribuit: ut celebrata est illa Peripatetica sententia: Nullus tribuit ea: quæ non habet. Sunt igitur fundamenta hæc omnium rerum quadrifaria à Deo, cui est nomen quatuor literarum: Quarum quælibet circularem numerum cõtinet: & hinc omnes numeros, qui circulares dicuntur, illæ literæ complectuntur: Vndè magno mysterio nobis innuitur: quòd omnis reuolutio generationis, & corruptionis, & uicissitudinis rerum reuerti tandem debet in illud, à quo processerunt: Quæ sacramenta forsitan Domino succurrente clarius alibi explicabimus.

CHRISTVS. Isaias Iob Idem Aristo.

De figura elementorum secundum Pythagoreos, & Platonicos. Cap. XVII.



Timæus Locrus ex officina Pythagorea, & post eum Plato istiusmodi figuras elementis ascripserunt: Terræ primum cubum octo angulorum, & sex laterum, in forma tesseræ: Et hoc ob eius stabilitatem, grauedinem, & motus difficultatem. Ignem autem in pyramidem quatuor basium, & quatuor angulorum formant: ut faciliorem habeat ascensum. Aerem in octaedrum, id est octonorum sessuum corpus conducũt: uidelicet ex octo basibus, & sex angulis solidis, uigintiquatuor uerò planis: Et hoc quia in ascẽsu ignem consequitur. Aquam denique figuram Icosaedram tenere dicunt: quæ habeat bases uiginti, & angulos duodecim: eo quòd aqua sua flexibili natura mobilis sit, atq; diuisioni perfacilis: Quæ omnes figuræ ex quaternario tractæ sunt: Nam terra ex duobus primis quadratis: Ignis ex quatuor basibus, & totidem angulis: Aër ex bis quatuor basibus: Duplicantur enim, ut ex utraque parte penetratiuus sit, & facilioris motus. Anguli uerò plani ex sex quaternariis: Aqua autem ex uiginti basibus, & duodecim angulis, quæ 32, conducunt: Qui numerus est ex duobus quadratis, quorum radix est quater-

Timæ. Plato.

narius. Sunt iterum bases ex quinque quaternariis, anguli uerò ex tribus: Et hæc omnia collocant uniuersi in figura duodecaëdra, id est in sessili per duodenos situs: quæ est ex duodecim basibus pentagonis, & uiginti solidis, planis antem sexaginta: Quæ omnia à quaternario oriuntur: duodecim ex tribus quaternariis: uiginti ex quinque: sexaginta ex quindecim. Eorum autem elementorum omnium consonantia ex illis basibus, & angulis colligitur plenissima. Aeris ad ignem est proportio dupla in basibus, in angulis solidis sesqualtera, in planis uerò dupla: undè resultat harmonia duplicis diapason, & diapente. Ignis uerò ad terram in basibus sesqualtera proportio: in angulis uerò dupla: ex quibus diapason iterum, & diapente. Terræ autem ad aquam in basibus est proportio tripla sesquitertia: in angulis sesqualtera: undè diapason, diapente, & diatessaron in basibus: in angulis uerò diapente resultat. Aquæ uerò ad aërē in basibus dupla sesqualtera: in angulis uerò dupla: undè diapason, & diapente in basibus: in angulis uerò, iterum diapason consurgit. Deficit tamen aliquantulum consonantia, & proportio ignis ad aquam: & aëris ad terram, quibus inest plena in qualitatibus contrarietas, ab ea proportione, quam habent elementa suo ordine collocata: & ubi duo semper conueniunt per intermedium: quod de utroque participat: ut supputare possunt experti.


Vibus mutuis concentibus prima rerum genera conueniant ad inuicem,& cum archetypo. Tonus Quartus.
Quomodo angeli primi ordinis conueniant cũ primo cœlo: quod primum mobile dicitur. Cap. Primum.
Qua cõcordia cherubini stellato cœlo respõdeãt. Cap. II.
Confirmat hæc mirandum Ezechielis oraculum. Cap. III.
Thronorum quinque proprietates. Cap. IIII.
Qua consonantia eisdem proprietatibus Saturnus coæquetur. Cap. V.
Dominationum decem proprietates. Cap. VI.
Quo concentu easdem omnes Iuppiter imitetur. Cap. VII.
De tribus coæquationibus Mauortis ignis cum virtutibus. Cap. VIII.
Quomodo conueniant adhuc in aliis sex conditionibus. Cap. IX.
Magnã melodiam Sol in octo cum potestatibus conueniens quasi diapason reddit. Cap. X.
In quinque participant principatus cum Venere. Cap. XI.
Qua cantilena Mercurius cum archangelis concinat. Cap. XII.
Quomodo denique Luna coaptetur cum angelis. Cap. XIII.
Conuenit iterum terra cum Luna. Cap. XIIII.
Aqua cum Mercurio & Saturno intersonant. Cap. XV.
Aër cum Ioue Venereque reboat. Cap. XVI.
Ignis cum Sole & Marte feruet. Cap. XVII.
Lapides cum cœlis succentat. Cap. XVIII.
Metalla sonoriori voce idem faciunt cum Marte potissimè. Cap. XIX.
Viuaciore sono herbæ correspondent cœlis, maximè Ioui. Cap. XX.
Occentant Zoophyta cum Saturno. Cap. XXI.
Intercinunt animalia cum stellato cœlo, & primo mobili. Cap. XXII.
Succentant eadem potissimè cum supercœlesti mundo. Cap. XXIII.
Quæ in particulari cum Saturno conueniant. Cap. XXIIII.
Quæ harmonizent cum Ioue. Cap. XXV.
Quæ Marti respondeant. Cap. XXVI.
Quæ cum Sole, aut Phębo concinant. Cap. XXVII.
Quę cum Venere delicientur. Cap. XXVIII.
Quę cum Mercurio intersonent. Cap. XXIX.
Qualiter omnia ista cum Luna consummatam harmonię consonantiam conducant. Cap. XXX.
Quę in particulari cum quibusdã praticularibus stellis resonent. Cap. XXXI.
Quam bellè omnia hęc depicta sint in arca, quam cœlesti oraculo fabricauit Moses Cap. XXXII.
Quanto mysterio omnes enneades in suo decimo conueniant. Cap. XXXIII.

QVOMODO ANGELI PRIMI *ordinis conueniant cum primo cœlo quod primum mobile dicitur. Caput primum.*



POSTQVAM *de trium enneadum genitura disserui-mus: ad ipsarum concordiam, unius uidelicet fabricæ cum alia particularem consonantiam deueniamus. Et à supremis spiritibus exordiêtes, ut solidum aliquod præsupponamus: accedemus ad* Ariopagitam *nostrum* Dionysium *ue-*
Diony. *rum arcanorũ speculatorem: Qui ea mysteria quæ ei Pau-*
Hierot. *lus (ut aliqui opinantur) sed* Hierotheus *(ut ipse fatetur) crediderat, depromês dicit: quòd omnes intelligentiæ inferiores à superioribus illuminantur, docentur, & purificantur, denique ad opera* Dei *exequenda mittuntur: Supremi autem à* Deo *tantummodo destinantur: & omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi. Sed differentia est: quia primi solum à* Deo *iubentur: sequentes autem à* Deo, *& superioribus destinantur, & impelluntur, iussu tamẽ* Dei.
Paulus Diony. Hic *conueniunt* Paulus *docens, quòd omnes mittuntur, &* Dionysius *dicens, ꝙ superiores non destinantur ab aliis, uidelicet intelligentiis: sed à* Deo *tantummodo: ut in cœlesti*
Isaias. *Isaiæ oraculo habemus: quo dicitur:* Vnus de Seraphinis, *id est supremis uolauit ad me, iussus uidelicet à* Deo *ad cuius throni, & maiestatis contuitũ subuectus erat: undè ille* Seraphinus *erat destinatus. Sed quia* Dio-
Diony. *nysius docet seraph esse nomen officij, non personæ: tunc aliqui decepti dixerunt illum non fuisse de supremis, sed functum superioris officio: Quod (ni fallor) non est ad mentem* Dionysij, *cum omnes* Seraphini *denominentur à* שרף, *id est saraph* Hebraicè, *quòd* Latinè *accendere dicitur: Et eorum officium sit succendere non modo se, sed inferiores: ad quos mittuntur: Nec inferior fungitur eorũ ministerio: nec superiorum sibi nomen uendicat. Cum igitur ille* Seraphinus, *ut* Isaiam *succenderet, & eius labia ignito calculo purificaret, aduenerit: officio, & nomine, ordinéque supremo* Seraphinus *fuit. Isti igitur supremi, qui à solo* Deo *destinantur, conueniunt cum primo mobili: quod à primo mouente tantummodo agitatur, & circunuoluitur: Qui motor primus est, aut prima intelligentiarum: quibus cœli crediti sunt: aut primus moderator omnium: Quod*
Procul. Platon. Trisme. Boëtius *Proculus, & alij* Platonici *pari modo cum* Trismegisto *conuenientes docent, ut* Boëtius *canit.*

Tu triplicis mediam naturæ cuncta mouentem
Connectens animam, per consona membra resoluis:
Quæ cum secta duos motus glomerauit in orbes.
In semet reditura meat: mentémque profundam
Circuit, atque simul conuertit imagine cœlum.

Alij autem cœli mouentur raptu quodã à primo mobili, imò à primo motore:

ab inferioribus uerò intelligentiis motu particulari, & proprio spatio: Et sicut primum unico mouetur impulsu: sic unicum influxũ recipit: Alij autẽ uarios pro uarietate mouentiũ, & motuum. Hinc Arabs, quamuis barbaricè, uerè tamen depromit dicens: Optimum habet suã perfectionẽ à se: Quod autẽ propinquum isti per paucã, uel unã operationẽ, & unũ motũ tantummodo: Quod uerò remotum est per multas: quanto enim quis superior est, tãto eius motus maior est uirtute, minor uerò numero: Et quanto quis inferior, tanto eius motus maior est numero: minor uerò uirtute, cæteris tamẽ paribus: Sol enim quãuis sit in medio planetarũ, uirtute tamen est maximus, & rex erraticorũ syderum: undè tanquam rex mediũ tenet. Patet etiã ille ordo in ciuili republica, & supercœlesti: In ciuili enim ministri agitantur, & turbantur circa multa: ut expleant iussa imperantis: Architriclini uerò iussi iubent, & ad pauca mouentur: Domini autẽ grauitate quadã penè immobiles imperant non recedentes à loco, nec à proposito. In republica etiã supercœlesti intelligentiæ inferiores Hebraicè מלאכים *Malachim, Græcè angeli, Latinè autẽ nuntij uel missi dicũtur, eo* ꝙ *frequẽtius ad nos destinati, supremi mãdata deferant. Superiores uerò intelligẽtiæ, quia raro destinantur, assistentes à Daniele dictæ sunt; Mittuntur tamẽ aliquando: si uerum deponit Paulus dicens,* ꝙ *omnes sunt administratorij spiritus missi in salutẽ eorũ, qui capaces sunt æternæ hæreditatis. Intermedij autẽ frequẽtius superioribus, & rarius inferioribus mittuntur: Sic & in cœlesti Republica superiores circuli tardius mouentur, infimi uelocius. Luna omniũ circulorũ infima in octo, uel nouẽ diebus supra uiginti cóplet motũ propriũ. Saturnus superior in triginta annis: Sol, & Venus intermedij in uno anno: Stelliferũ cœlũ supremũ omniũ sphærarũ quæ uidẽtur, in multis millibus annorũ reuolutionẽ suã perficit: quãuis omnes rapiantur a primo mobili: cuius motio est immediatè à primo mouente: undè unica est & simplex: Inferiorũ uerò circulorũ multiplices. Particulares autẽ cõuenientias, quas habet mobile illud primũ cũ supremo ordine intelligentiarũ: qui Seraphinorũ est, si percurrere lubet: uideamus quid de ipsis mentibus Seraphicis, ex officina præceptoris sui deponat magnus ille Dionysius: Hic etenim sexdecim ipsis attribuit dicens: Seraphinorũ cognomen est, mobile semper circa diuina, Incessabile calidũ, Acutũ superferuidũ, Inflexibilis semper motionis, Suppositorũ agminũ reductiuũ, Actiuum exemplar, Recalefaciens illa inferiora, Reducens in similem caliditatẽ cœlitus igneo illo uigore comparato, ea quæ tanquã holocausta summa ui incendij expurgat: Non circũuelatũ existens, sed lucidum, inextinguibile, semper illuminans, omnẽ tenebrosam obscuritatem expellens: Et quantum in huiusmodi cum Seraphinis mobile primum cõueniat, uideamus: Cum enim primum sit, quod mouetur, & ab ipso primo mouente immediatè meritò in reuolutione sua semper in ipsum primum fertur: ut eius iussa capessens expleat in aliis omnia ad libitum imperantis. Oportet secundo, ut incessabili calore uigeat: quo sine intercapedine moueatur, & tanta ui trahat secum*

Auerrois

Daniel

Paulus

Diony.

omnia:ut à tãta machina minimè impediatur. Acutum insuper ut sit, necesse est, in uirtute qua omnia penetret: & usq; ad ultimos globos uim suam diffundat: Et cum omnes rapiat, feruentius est super illos omnes: Ideo sicut dicit, superferuidum est scilicet genus Seraphinorum: si uidelicet debeant inferiores omnes mouere, & feruescẽtes & Deificos facere, sic superferuidũ esse debet illud, quod omnes feruescere facit ad motũ: Et cũ inferiora omnia ad eius nutũ moueãtur, ut semper expleant, quæ supremus iubet, coguntur ambo habere motũ inflexibilem: Et ne uideatur utriusq; uanus labor in mouendo sibi subiecta: sicut Seraphini ui sua ignea reducunt inferiores mentes in Deũ: sic istuc rapiẽs suo igneo impetu mouendo omnia ea disponit: ut in primum redeant: Et quia utrumque non modo impellit, sed præcedendo rapit secum, dicũtur actiua exẽplaria: Quorum Seraphini amoris incẽdio, & globus iste igneus celerrimo motu, & influxu omnia calefaciunt: reducuntque sic in id incendiũ, quo ipsi accensi sunt: Sed illi uim hauriunt à Deo, quo fruuntur: & hic à magni nominis reuolutionibus duodecim: quas hauaia dicũt Hebræi: Quarum quælibet uni signo præponitur: & totum nomen, quod Hebræi quatuor literarum, Græci tetragrammũ, Pythagorei tetractim dicũt, omnibus signis: Quorũ uirtus est in primo mobili: ut dicũt astronomi: quãuis imagines in stellato cœlo appareant nõ tantũ in situ siderũ: sed in ueris figuris: sicut cõprobarũt certis tẽporibus, & instrumẽtis uiri probatissimi: qui oculis propriis uiderunt Tauri, uel Arietis figurã in orbe signorum. Illius igitur sancti sanctorum, & sanctissimi nominis uirtute illi inflammando, & hic tanquam rota fullonum purgando, quos mouet, incendunt: ut tanquam holocausta ascendant ad supremũ. Et sicut Seraphini nihil cognoscunt superius, quo obtegantur, cũ sint primæ luci absq; medio addicti: sic iste circulus superiorẽ nõ habet circulum mobilem: cum sit contiguus empyreo globo, & Dei sedili: quod tãta diuina luce est prefusum: ut nihil obscuret, sed illustret indutus naturã superioris: sicut omnia denaria, de quibus suo loco disseretur: undè utrique semper lucidi sunt. Continent etiam inextinguibile lumen, & incendium: quo semper inflamment, & illustrent: ut illi perpetuo collustratiuo incẽdio, & hic raptu, & & ui sua ignea post multos circuitus, proiectis fecibus omnia purganda reddat opifici expurgata: adeo ut in eundem destinatum reditum faciant.

Hebræi. Græci. Pythag. Plato.

Qua concordia Cherubini stellato cœlo respondeant. Cap. II.



SVccedit ordo Cherubicus, qui quãtũ cõueniat cum stellifero cœlo, uideamus. Est cherub (si uerè sunt interpretationes Chaldaicæ iã triuiales) immaculata pictura: undè Cherub opus Phrygium, aut fictum dicitur: uel (ut Abrahæ à benazra placet) est pictura, uel imago cuiuscunque formæ separatæ: Sed quæ pulchrior pictura in tota mundi machina octauo cœlo? ubi sunt imagines complures non à Phrygiis Indis, uel ab Arachne Lydia: sed ab ipsa Pallade, & diuina sapientia: quæ cœlũ

illud figuris semper uiuentibus (ut quibusdam placet) & plenis uirtute pinxit: sicut & in Cherubicis mentibus species pinxerat idearum. Ideo alia interpretatione dicitur Cherub scientia multiplicata, siue scientiæ plenitudo, aut plures scientiæ, & ordines, uel multus ordo: à כָּרָה *cara, quod est, ordinauit, &* רב *rab, quod est multum: In ipsis enim est multiplicata scientia, & species rerũ multiplices, & in cœlo imagines multæ. Vtrobique autem pictura est sine macula, & indelebilis: quæ nulla inuidi temporis colluuione consumetur: nec peregrinã picturam, aut impressionem suscipiet, repletis utrisque plenus imaginibus à fonte idearum: ex quibus etiam, tanquam ex exemplaribus formis, terra hæc tanta florum, & herbarum uiuenti ornatu componitur. Sicut enim terra floribus, cœlum stellis, sic mens Cherubica uariis formis scientificis ornatur. Ideo dicitur scientia multiplicata, eius speculatione extenta ad diuersissima cognoscenda. Est pariter stellatum cœlum multiplicatum lumen ad diuersissima confouenda. Confouent etiam Cherubini per idem cœlum hæc inferiora, dante ipsis prima causa undè influant. Hinc psalmographus canit: Ascẽdit super Cherubinos, & uolauit: ad omnia uidelicet citissimè disponẽda per ipsorum omnigenam cognitionem, & uirtutem. Et hæc est illa prima operatrix uirtus (ut Dionysii uerbis utar) qua repleti Cherubini sunt ad inferiora coaptanda dispositi: ut Vgo, & Albertus in expositione sentiunt. Et quod facit per Cherubinos, tanquam per ministros & causas secundarias, summus opifex, idem cõducit per stelliferum orbẽ, tanquã per instrumẽtum: ut cum Academicis catholici multi conueniunt. Est insuper (inquit Dionysius) Cherubicus ordo repletus diuina pulchritudine, & sapientifica traditione, & communicatiuus ad secũda genera: Sic & octaua sphæra plena est pulcherrimis stellis & uirtutibus communicandis secũdo generi, erraticis uidelicet syderibus. Commune est apud astronomos, quãtã uim signia præstẽt planetis, quando eos in domiciliis suis recipiũt. Manifesta est etiã dispositio, quã inducũt in nascentis alicuius horoscopo, Neq; minus in aliis mundi inferioris rebus disponendis: ut moderari uideantur machinam hanc sub globo lunari, fauore tamen hausto à supremo parente, & sancto ipsius nomine: ut in Dauidico hymno canitur: Domine Dominus noster quàm admirabile est nomen tuum in uniuersa terra: quæ per sydereas illas figuras, & uirtutes imbibitas à sancto nomine uitam, pulchritudinẽ, & uirtutem haurit. Quibus intercedunt septem erratica sydera: quæ & ipsa à septem mensuris uel circulis fabricæ (ut Hebræorum theologia docet) per septẽ suas intelligentias regulantes suscipiunt, undè influant. Diuiditur ille stellifer circulus in duodecim imagines præcipuas: quarũ quælibet, & partem terræ sibi subiectam, & membrũ aliquod minoris mũdi disponit: Vndè uterque mũdus ab ipso cœlo regulatur; cuius circulus medius Mineruæ, aut Iustitiæ circus à Memphiticis dicitur, & ab Arabibus ductoria regis. Illo enim tanquam uirga quadã supremus rex inferiora moderatur p Cherubinos, tãquã per ministros:*

Dauid
Diony.
Vgo
Albertus
Diony.
Astron.
Dauid
The. he.
Aegyp.
Arabib.

in quibus unica illa regis cognitio multiplicatur: ut iteratis uicibus intelligāt ea, quæ supremus unico actu complectitur. Sic & cœlū iteratis reuolutionibus explicat, quæ opifex unico influxu tribuit. Et sicut stelliferū cælum gyratur à primo mobili: sic Cherubini excitantur à primo ordine angelorum, Seraphico uidelicet: ut locum etiam in ipsis habeat illud Academicorum, imò diuinorum hominum dogma, quo docetur: ꝙ qui cupiūt docti effici, & sapientes, primo amatorij efficiantur, ut per amorem pulchritudini rerum affecti, ad ipsas speculandas moueantur: de quo amplißimè Plato in symposio, & Plotinus in de triplici reditu animæ ad Deum conscribunt. Hinc ea quæ in Dionysio uidebantur contraria facilè conueniunt: Docet enim inferiones angelos à superioribus doceri: illuminari: purgari: & iterū dicit: Cherubinos suscipere immediate à Deo, quæ secundis communicant: Nam diuinam essentiam omnes sine medio speculantur: ut in solo fœlicitatis fonte beentur: A quocunque enim canali citra infinitū haurirent, possent facilè sentire influentis defectum simul & influxus, qui quidem defectus cum beatitudine stare nequit. Et illa diuinæ essentiæ uisio ab Augustino meridionalis, rerum autem in uerbo matutina, in genere proprio uespertina dicitur. In cognitionem igitur illam dexteræ excelsi, ubi sunt omnes delitiæ, quæ ad dexteram dicuntur esse archetypi, feruntur mentes omnes angelicæ, & beatorum, Deo dirigente: iuxta illud Dionysii: Gaudent omnes mouente patre. Ad inferiora autem peragenda disponuntur inferiores superiorum imperio: quibus illi parent, oculum tamen semper in Deum dirigendo: ut canit regius Propheta: Ponite corda uestra in uirtute eius: & distribuite domos eius. Est enim sermo principis angelicis ministris imperantis: quòd corda, & affectus semper in Deum dirigant per incendium Seraphicum: quo excitati distribuant domos eius, cœlestem uidelicet, & mundialem: In quo ministerio inflammātur ab igne Seraphico, imò à spiritu Dei igneo p Seraphinos: A quibus etiam illustrationis ad inferiora pertractanda incrementa suscipiunt. ut autem Deo perfruantur, lumine ipsius Dei perfusi collustrantur.

(Margin: Academ. — Plato — Plotiuus. — Diony. — Augusti. — Diony. — Psalmus)

Confirmat hæc mirandum Ezechielis oraculum. Cap. III.

(Margin: Ezechi.)



Ventis quamplurimis, quæ celeberrimo uati Ezechieli reserata sunt etiā negotium mūdanæ fabricæ interfuit: Cuius descriptionem Hebraicam ueritatē sequētes proponemus, quantū maximè ad Cherubicū mysteriū attinet. Extendit, inquit, Cherub manum de medio Cherubinorū ad ignem, qui erat inter Cherubinos: & leuauit, & dedit in manu eius, qui erat uestitus lineis, uel talaribus tunicis: & accepit, & egressus est. Et apparuit ad Cherubinos similitudo manus hominis sub alis eorū. Et uidi, & ecce quatuor Ophanini apud Cherubinos: & Ophaninus unus apud Cherubinum unum, & Ophaninus alter apud Cherubinum alterum. Et uisio Ophaninorum sicut aspectus lapidis tharsis. Et uisio eorum similitudo una ad quatuor, sicut si esset Ophaninus in medio Ophaninorū: Cumq;

ambularent, in quatuor partes gradiebantur: nec reuertebantur, dũ irent: ſed ad locũ, ad quem reſpiciebat primus, uel caput ſequentes eum ibant: nec reuertebantur, dum irent. Et omnis caro eorum, & dorſum eorũ, & manus, & alæ eorũ, & Ophanini pleni erant oculis in circuitu quatuor Ophaninorũ. Et Ophaninos ipſos uocauit rotas in auribus meis. Hic rogatos eſſe uelim ſapientes, ne me carpant: ſi à communi interpretatione locum iſtum noſtri Ezechielis ſegregauero. Admittunt omnes catholici quatuor ſenſus in ſacra pagina: Quibus ueritas literæ, animæ negotium, myſterium eccleſiæ, & arcanum cœleſtis gloriæ eluceſcit. Et horum primus literalis, ſequens moralis, tertius allegoricus, ultimus anagogicus ab omnibus dicitur. Sed ſi cum iſtis admittatur mundanæ fabricæ deſcriptio, non incongruè naturalis ſenſus ille uocabitur. Quo modo interpretandi ſæpius utitur omnium interpretum ſacrarum literarum apud noſtros facilè princeps Origenes, prout ab Ammonio, imò à ſapientibus Hebræis acceperat. Orige, Ammo.
Si autem noſtri hoc nouo interpretandi genere (quod tamen uetuſtiſsimum eſt) offenduntur, collocabimus ipſum in anagogico: poſtquam induximus Deum, in quo beari debemus, huius fabricæ opificem, moderatorem, & muſicum: Qui eã conſonantiſsimam adeo ex omni parte conduxit: ut quicquid de una dicitur, de alia quoque per ſymbolum, & analogiam intelligi poſsit. Ad quarũ rerũ phyſicarũ, & diuinarum concordiam accincti ſumus. Sed ad interpretationem accedẽtes uideamus quid loquatur noſter Ezechiel de Cherubicis mentibus diſponentibus fabricam: & de eorum ratione ad Deum, ad Seraphinos, & ad producta omnia. Extendit (inquit) Cherubinus manum de medio Cherubinorum: Vni aſcribit opus, cum ſuppoſiti, aut ſingularis ſit operatio: ut apud Ariſtotelẽ, & theologos noſtros triuiale eſt. Sed ne credatur hæc adminiſtratio uni tantummodo credita dicit, de medio Cherubinorũ: ut omniũ uirtute agat: Sicut Gabriel legationem uirgini attulit: & epithalamium celebrauit in uirtute, & nomine omnium angelorum: ſed Dei in primis, ſicut nonnulli accommodatiſsimè diſſeruerunt. Quam uirtutem extendit (inquit) ad ignem, id eſt ad uigorem ſeraphicũ: quia & ipſi ſeraphini interſunt, tanquã uis ignea, & excalefactoria uirtus ad opus perficiendũ. Hinc proſequitur, quòd ignis erat inter Cherubinos colligatos uidelicet glutino Seraphici, imò diuini amoris: quo excitãtur ad miniſteriũ. Sumpſit ergo ignem: & dedit illi, qui erat ueſtitus lineis, aut ſtola ſancta, uel podêre (ut ſeptuaginta interpretantur, & conſentit Hieronymus) id eſt Chriſto, de quo in Apocalypſi dicitur: Et uidi in medio ſeptem candelabrorũ aureorũ, id eſt ſeptem planetarum & angelorum ipſis præſidentium, ſimilem filio hominis ueſtitum podêre, aut ſtola ſancta uſque ad talos, quia totus ſanctus Nazaræus noſter à uertice uſq; ad uolas pedum: Cui data eſt omnis poteſtas in cœlo, & in terra, & per quẽ producta ſunt omnia. Nec cũ iniuria dicitur: ꝙ ignis acceptus à Seraphinis per Cherubicas manus datus ſit Chriſto: cũ ipſum ignẽ nõ dederit ei tanquã inferiori: ſed uelut miniſter attribuebat opifici: cuius imperio

Ezechiel. Ariſtote. Theolo. LXX. Hiero. Apocal.

sim chrysolitum interpretatur: quem Hebraicè dec, קַרִיאוֹלִיק *cariolic, Et hunc esse coloris cœlestis, aut maris elati, & eius uirtutum fauere ad digerendū, & impinguandū. Vndè de Asser (cui addictus erat hic lapis) in Iabacob præsagio dicitur: Asser pinguis panis eius: & præbebit delicias regibus. Et si uolumus omnes interpretationes accommodare: possumus quidem ex Symbolo omnium quæ uno nomine mysterioso sanctæ linguæ continentur, Si enim significatum eius est mare: cum aqua sit rerum seminarium simul cum terra, quid materiæ disponendæ aptius conuenit, quam uirtus aquea per Ophaninos subministrata? Si uerò per tharsim propheta carbunculum intelligit (qui anthrax Græcè dicitur, & alio nomine rubit, sed ille in nocte lucet: rubit uerò nequaquam: qui & omnibus lapidibus figuram imprimit, nec suscipit: & omnium dicitur prætiosissimus à Plinio, Calistrato, Aaron, Archelao, Aluredo, & Arnoldo) & hoc quidem accommodatissimum est: Nam ophanini materiam obtenebratam disponendo illustrant, & ad formam, figuramque suscipiendam disponunt: undè pretiosa est eorum operatio. Si autem per tharsim hyancinthus intelligi debet: & ipse aqueus est (ut Arnoldo placet) & cum mari & aqua conueniens sua frigiditate ardorem extinguit. Comparat etiam gratiam, & gloriam, ait Thethel, undè & ipse conueniens est, Ophaninis disponentibus materiam uirtute aquea, undè gratia, forma, & gloria in subiectum deducatur. Si uerò chrysolitum bene interpretantur: ut in communi usu habetur, est & ipse auro similis, cum aliquali colore marino, ut Plinius, Arnoldus, & Bochus scribunt: undè ad disponendum illa uirtus accommodatissima est ex aquea natura molliente, & aureo colore picturæ, maximè stellarum aptissimo. Si uerò Bachaie sequi uoluerimus: quòd sit lapis fauens digestioni, pinguedinique: & hoc accommodatissimum est: cum officium ophaninorum sit digerere, & pinguefacere materiam.* Ezechi.

Plinius, Calistr. Aaron, Archel. Alured. Arnol, Idem, Thethel, Plinius, Arnol. Bochus, Bacha.

Addit sacrorum interpres: quòd ophanini quatuor erant ad disponendam materiam suscepturam quatuor elementorum formas, antequam compositum conduceretur. Sed quia in compositis una tantum cernitur facies: ideo sequitur, quòd aspectus eorum erat similitudo una: quasi esset Ophaninus in medio Ophanini: quia in compositis unumquodque elementum est in alio: Et si coniunctum resoluitur, in quatuor illa elementa reuertitur. Ideo sequitur: Cumq; ambularent, ex amicitia uidelicet compositi ad seipsa in quatuor partes gradiebantur: & non reuertebantur, cum ambularent: quia ad resolutionem deuenientes elementa nō reuertuntur in compositum: nisi à superiori causa deducantur: undè subinfert: Ad locum, ad quem tendebat caput, siue dux eorum, sequebantur & ipsa elemēta superiori causæ obedientia. Quod autē caro, dorsum, manus, & alæ ophaninorum dicantur plenæ oculis, pulcherrimū est: cū in elementis disponendis tot oculi requirantur in disponentibus, quot sunt formæ in subiecta illa introducendæ. Nam formæ oculi sunt, & splendores rerum compositarum. Et quòd ophanini dicti sint rotæ in auribus natis consentaneum est: quia generationes,

& corruptiones rerum succedunt ea continua reuolutione, qua uoluuntur cœli imitantes sphæram illam supremam intelligibilem: quousque ipsa eadem omnium moderatrix circunuoluentibus rebus statum indixerit, eo tempore & momento, quod Pater Posuit in sua potestate.

Thronorum quinque proprietates. Cap. IIII.



Diony. Prople.

Vanta etiam sit concordia Thronis cũ tertio orbe, qui est primus erraticorum syderum, iudicare possumus ex iis, quæ Dionysius de Thronis, & Ptolemæus de suo Saturno tradit, unusquisque in doctrina sua facilè princeps: Habemus enim in antiqua traductione Dionysii de ipsis Dei subselliis hæc ad uerbum: Ipsi altissimarum, & cõpactarum sedium omni diligenter exaltati ignominia subiectionis, ad summũ supra mundanæ sursum ferens, & omni extremitate ineffabiliter in sublimissimũ: Et circa uerè excælsum totis uiribus incommunicabiliter, & stabiliter collocatum, & diuini super aduentus in omni passibilitate, & in materialitate acceptiuum, & Deiferum, & familiariter in diuinas susceptiones apertum: Hæc quidem nominum ipsorum (quantum ad nos attinet) declaratio. Hucusque Dionysius: sed pauloante dixerat: quòd Throni nomen dicitur effusio sapientiæ, & manifestatio Deiformium suarum habitudinum: Quibus uerbis ex denominatione, potiusquã ex quidditate, aut ratione tangit sanctarum Dei sedium proprietates. Prima est: quia licet sedilia sint, ab omni tamen sunt exaltati ignominia: quia sicut Deo seruire regnum quoddam est, sic esse subsellium ipsius Dei non est quidem ignominiosum, sed præhonorandum, & sublimè. Ideo præmittit, quòd altissima sunt. Deinde qua claritate sint illustrata ipsa sedilia innuitur, quia dicit compacta, id est iuncta consonanti ueritate (si bene Vgo eius fidus interpres exponit) quia in eis iudicans uerax est: imo ipsa ueritas. Iunctura enim in subselliis diuinis conuenientia est iudiciorum, cũ ipsa ueritate incontaminabili: Vel sunt compacti amore (ut Alberto placet) sicut cathedræ nostræ clauis, aut glutino. Bene quidem uterque interpretatur: quia in ipsis sedibus est nis seraphici amoris, & illustratio cherubica. Et hoc est, quod præcepit Dominus Aaron, cæterísque sacerdotibus: qui Deo ministrant: & eius uice iudicant: ut portarent in pectore urim, & tumim: quod nostra expositio habet doctrinam, & ueritatem. Sed uim uerborum interpretando, urim illustrationes significat: ab אור id est or, quod est lux: sed plurale multiplicem doctrinam, & collustrationem (qua refertus sacerdos esse debet) significat. Tumi uerò perfectiones, & remotiones ab inferiorum quacunque macula per Dei amorẽ designat. Perfecti enim debent esse sacerdotes: ut perfectissimi Dei officio merito fungi possint. Tertio loco, ut intelligatur rectus & fidelis eorum incessus in Principem super eos diiudicantem dicit: quòd sublati sunt ad supramũdanũ, & sublimissimum collocati totis uiribus in uerè excelso. Quartò, ut inde hauriant diuinos influxus sine aliquo grauamine repugnantis materiæ. Vltimo con-

Vgo

Alberto

cludit, quòd stante in eis omnimoda dispositione, & propinquitate, consuetudinéque, & immediato mysterio Dei Deiferi efficiũtur. Optima quippe descriptio qua sedilia Dei primò declarentur ab omni indignitate remota, & sublimissima: iuxta illud Ecclesiastici: Ego in altissimis habito: Postea quòd ueritate, & amore sint compaginatæ sedes: ubi sedere debet æquissimus iudex: & quòd semper in ipsum tendant, cui seruiunt: & à quo hauriunt: ut digna sint sedilia: Quæ adeo numen illud imbibunt: ut expurgatos in ipsum Deum deducant: Inquinatos autem terreant, & offendant. Hinc de huiusmodi diuinus Ioannes in patmotica uisione ait: A throno eius procedunt fulgura, & uoces, scilicet comminantes, & tonitrua perterrentia. Et de fauore ab illis nobis præstito sacramentorum inspector Paulus deponit: Adeamus, inquiens, cũ fiducia ad thronum Dei, consecuturi inde quod petimus. Nec aliquẽ offendat illud Psalmographi. Qui sedes super Cherubin, quia in Cherubinis, Seraphinis, & etiam animabus iustis, tanquam omnium Dominus sedet ad libitum. Scriptum est enim: Anima iusti sedes est sapientiæ. Potissimè autem dicitur sedere in Thronis: ut nomen indicat. Qui cum sint amore Seraphico compaginati, & illustrati splendore Cherubico: Ideo dicitur sedere in Cherubinis, & Seraphinis. Et cum totum cœlum sit glutino aureæ charitatis (teste Ioanne) compaginatum: Ideo per Isaiam dicit: Cœlum mihi sedes est: Et cum hæc inferior machina semper ei præsto sit, subinfert: Et terra scabellum pedum meorum. In qua omnia operatur, & distribuit, diuidens singulis, prout uult: sicut anima omnia membra corporis mouet ad libitum: Cui tamen primarium sedile est cor: sicut Dei sedes potior est cœlum, & in ipso Thronorum ordo.

Ecclesia. Ioannes Paulus Dauid Isaias

Quanta consonantia eisdem proprietatibus Saturnus coæquetur. Cap. V.



SI autem hic thronorum ordo cum Saturno conueniat, uideamus. Exaltari dicuntur Throni ab inferioribus: Vnde familiares Deo, qui per eos diiudicat omnia, quæ in suo opificio continentur. Est etiam Saturnus planetarum septimus in ascensu sedile quoddam: Vt non sine mysterio Deus dicatur quieuisse die ipsi dicato: iussitque populo suo eodem die quiescere: qui sabbatum, id est requies dicitur, denominatum à Saturno, qui Hebraicè שַׁבְּתַי *sabbatai, quod requies meæ, aut sedilia mea potest interpretari. Nec inde arguatur: quòd lex illa diuinissima Saturnia sit, aut à Saturno edocta: cum in ipsa iubeatur eius obseruatores non pertimescere sydera: & in eadem declarentur ipsimet sideribus non esse subiecti: quamuis à Deo per instrumenta cœlica, & per ministros ipsius quilibet fauorem sibi possit comparare. Sed si uolumus, ut ipsi quibus data est lex illa à Deo immediatè influxum susceperint, ut in plærisque locis eiusdem legis innuitur, non tamen Saturnus excluditur: cum ipsi dicant legem accepisse de loco, aut mensura diuinitatis: quæ bina dicitur: cui respondet Saturnus, & intelligentia præsidens ipsi. A quo loco affluit requies, peccatorum remissio, & exuberantia illa, quæ iubi-*

leus dicitur, post quadratum numeri septenarij: qui cum Saturno septimo planeta consentit. Dictum fuit secundo loco de Thronis, quòd sint compaginati ueritate, & amore. Et de Saturno Firmicus ille maternus, quòd est tenax: & facit Saturnios suos bene cōpaginatos: Vnde silentio, & solitudine (teste Alchabitio) delectantur. Et sunt firmi solidíque consilij, ut Ptolemæus testatur: Suntq́ue ex illa compagine tenacißimæ naturæ, ideo auidè congregant: & difficilè dispensant, segregatíque à societate, & in se collecti silentio, & eleuato ingenio arcana Dei, & naturæ acrius perscrutantur: ut cum Thronis fiant uiuæ Dei sedilia. Vndè prosequuntur supramemorati Astronomi: & cum eis Democritus, Plato, Aristoteles, & Auicena dicentes: Fauet Saturnus ad altum intellectum, & profundam rerum scientiam secretiorem Philosophiam, & Theologiam: cuiusmodi est illa Hebreorum: quæ supramundani Saturni sapit influxū: Et in hoc optimè thronis coæquatur: in quibus sedens iudex ingenio, legum cognitione, stabili sermone, longa prouidentia, regalíque consilio fulgere debet: Additur rectitudo, intemerata fides, & cum sedente Principe conuenientia. Et de Saturno dicitur, quòd si solus regit nullo impedimento molestatus dat fidißimam amicitiam. Deiferi insuper dicuntur Throni, ac sapientiam effundentes, Deiforméſque habitudines. Et Saturnus Deifer est diuinos suscipiens afflatus: quos in Saturnios suos diffundit. Non prætermittam quod perhibet antiquitas de Saturno: quòd Ianum docuerit sapientiam, & partem regni ei cesserit, in hoc innuens sapientiæ effluxum à Saturno prouenire: qua refertus maximam partem habet ad regnum obtinendum: diffuditque Deiformes habitudines in temporibus ipsi dicatis, Ideo fœlicißima prædicantur: & tunc auream fuisse ætatem, qua nec furtum, nec quicquam perperam committebatur: Non galea, non ensis erat, non militis usus: nec erat sub eo fas partiri limite campū: nec aliquem seruitio premi: nec tunc belli, aut famis iniuria quis molestus erat: Ideo ipsi dicata erant (ut refert Macrobius) solemnia, & sacrificia, quæ Saturnalia dicebantur: quæ septem diebus celebrabantur. In cuius rei fidem Nonius, & Mummius citantur: quamuis Masurius, & Mallius aliter senserint: Quorum prior unum tantum diem, alter tres ipsi consecrat: Fuit enim diurnum eius solennium: Sed à Cæsare primò, postea dictante Augusto propagatū fuit usque ad trium dierum ferias: Sigillariorum autem adiecta celebritas in septem dies discursum publicum, & lætitiam religionis extendit. Accommodatè quidem septenarius dicatur Saturno: qui septimus est planeta: qui requiem innuit: cui septimus dies ascribitur: qui millenarium septimum indicat: quo (Ioanne teste) malorum suggestore uinculis detento quiescent mortales, tranquillā uitā degentes: Quod per septenarium annum quietis, pérque annum magnum Iubilei, post quadratos septenarios in Leuitico satis præfiguratum est. Et cum Saturnus Saturnios suos Deiformes facere studeat: eos qui prauis moribus, factis magis, quàm uerbis influxum eius bonum calumniantur, indignabundus

Iul. Fir. Alchabi. Ptolem. Democr. Plato. Aristo. Auicena Ianus Versus Macro. Nouius Mūmi. Masuri. Mallius Cęsar August. Leuitico.

meritò deprimit, & castigat: ut in Hebræis pluries cõprobatum cernimus: Qui affluentias diuinißimas ueri Saturni, præ cæteris incomparabiliter susceperunt. Vnde exultans Propheta ait: Non fecit taliter omni nationi: & iudicia David
sua non manifestauit eis. Hinc & tanto grauius seruitute, captiuitate, & plagis multis preßi sunt, quanto Principis, & ueri Saturni dona maiora contempsẽrũt. Alia sequitur coaptatio Saturni cum septimo in ascensu Angelorum ordinę. Scribunt Messabala, & Alcabitius omnes planetas iungi cum eo: Illum Messa. Alcab.
autem quia supremus sit omnium, nulli coniungi: sic & Saturniæ religioni (quæ tamen supramundani Saturni est) omnes adhærent, uel secundum uerum adimplementum mysteriorum in lege illa diuina contentorum, uel imitando tanquam simiæ Mosem illius legislatorem: & iactitando se ab Apolline, Ioue, Mercurio, Minerua, Nympha Egeria, Vesta, & bono numine accepisse, quæ à Mose suffurati sunt. Ipsa uerò Lex nec alicui adhæret: nec ab aliquo quicquam accepit, nisi à Deo ipso: Et hæc grauida diuino partu Euangelij, effœta uidetur expulsa: cum tamen in summo honore habeatur ab his, qui rectè sentiunt: quia Euangelium legem ipsam non soluit: sed implet usque ad minimum iotam, & apicem. Sic omnes Angelorum ordines cum Thronis iunguntur ad iudicia Dei complenda: ipse autem nulli. Concurrit enim Seraphicus, amor, ueritatis & iustitiæ zelus: Interuenit etiam cherubica scientia: quæ in distributiua iustitia gradus disponat: & in iudicatiua retributiones, & flagella, pro meritis & flagitiis decernat. Adsint Dominationes, id est mentis libertas (sic enim à Dionysio declaratur dominatio) ut liberum ab affectu, & Diony.
paßione proferatur iudicium. Virtutes aßistunt iudicibus: ut sint uiriles, atque constantes in iudiciis proferendis. Præsto sunt Potestates: ut iudicium prolatum exequantur coërcentes (ut uerbis Dionysii utar) omnem tyrãnidem, Idem
& abutentes uiribus suæ potestatis, Conueniunt Principatus, Angeli & Archangeli præsidentes Principibus, hominibus particularibus, & prouinciis: ut approbent, & faueant iudicio, & distributioni delatæ à iudice. Nec alij ad sua officia explenda Thronos asciscunt: Non Seraphini ut ament: non Cherubini, ut intelligant: non Angeli, ut nuncient: nec alij, ut exequantur ea, ad quæ deputati sunt officia.

Dominationum proprietates decem. Cap. VI.



Vm Saturnum (quem maliuolum scioli appellant) cum sanctißimis Dei sedibus conuenire fecerimus: ubi nulla apparebat concordia: facilè Iouem Dominationibus coaptabimus, potißimè conuenientibus his, quæ de utrisq; à suis authoribus deponuntur. De Dominationibus hæc magnus Dionysius scribit, Sanctarum Dominationum manifestatiuam nominationem existimio declarare, Absolutam quandam, & omni pedestri, minoratione liberam anagogen: in nullámque tyrannicarũ Diony.

dißimilitudinem, ullo modo eam uniuersaliter inclinatã, Liberaliter seuerã Dominationem omni minuitiuæ seruituti superpositam superiorem omni subiectioni, & remotam ab omni dißimilitudine, & dominationis incessanter appetentẽ: & ad ipsiusmet naturaliter subsistentis uirtutem similitudinem, quantum poßibile est, & seipsam, & quæ post ipsam sunt optimè, & speciosè conformantem: ad nullum uanè uidentium, sed ad propriè On uniuersale conuersam: & Dominicæ semper Deiformitatis in participatione, secundum quod poßibile est ipsi factam. Hucusque Dionysius. Cuius mens est (ut ipse præmittit) Declarare nomina, aut denominationes sanctarum Dominationũ mysteriorũque plenas. Et horũ primum est, quòd habent absolutam quandam eleuationem, liberam ab omni cõculcante depressu: qui diminuit dominantis dignitatem. Et secũdo libera est eorum mens ab omni tyrãnica dißimilitudine: adeò ut nullam in ea sentiat inclinationem. Nec profectò, quid proprius ascribi potuit tyrannidi, quàm dißimilitudo à uerò principatu, cum hic iure, & tyrannus contra ius dominetur: Alter fauere & subleuare studet subiectos: Alter uerò deprimere & expillare: Alter ueritatem, pietatem, munificentiam, & iustitiam, & clementiam redolet: Alter mendaciis, dolis, impietate, auaritia, crudelitate omnia dißipat: Alter diuinam quandam per imaginem: Alter diabolicam. Dißimilis est ergo tyrannus legitimo Principi: multo magis autem Deo, cuius Dominationes locum tenent. Est tertio, liberalis cum seuera æquitate, & ab omni famulatu, & diminuente seruitute expedita uera Dominatio: Nec existimet quispiam seueritatem liberalitati repugnare: cum seueritas sit æqua distributio sine obliquante affectu: ut ueritati innixus iudex coërcere ualeat insolentiam: & debita munificentia magnifacere benemeritos. Quod facere nequit: nisi liberum habeat animũ ab auaritia, odio, commodo proprio, & huiusmodi: quæ deducunt animum in seruitutem diminuentem à recto libramine iustitiæ. Hinc toties summus omnium Princeps iudicibus, & sui uicem tenentibus exclamat, imperat, & protestatur, ut manus habeãt ab omni munere liberas, quia munera, erutis oculis mentis, in miserrimam deducunt seruitutem. Hinc quarto loco infertur, quòd dominãs superior sit omni subiectioni: quæ ex muneribus, sanguine, affinitate, clientela, patria, amicitia, consuetudine, ambitione, uel undecumque contrahatur. Additur quinto, ꝙ remota sit Dominatio ab omni dißimilitudine à summo Principe: qui est ipsa ueritas: Dissimilitudinem autem hanc peccatum inducit: quo discrepat quis à prima ueritate. Hinc de primo rebellante ait summus doctor. Ille homicida ab initio in ueritate non stetit. Sed existimo ꝙ aptius traduci posset occisor, quàm homicida: quia ille tunc non fuit hominis, sed suiipsius occisor. Nec apud Hebræos est in usu hoc uocabulum homicida: quo idiomate Ioannes suum scripsit Euangeliũ, ubi illa uerba recitantur. Sunt igitur, & esse debent tantum Deo conformes: ut Dij merito appellari possint: sicut de ipsis in Exodo dicitur: Diis non detrahes, id est, iudicibus. Et ibidem furem & periurum iubet appelli ad Deos, id est iudi-

CHRISTVS.

ces. Et Psalmographus cum de huiusmodi, aut de Apostolis praefectis duodecim tribubus Israël caneret, ait: Dij fortes terrae uehementer eleuati sunt. Sequitur sexto, quòd incessanter dominatum appetere debeant. Possent hic imbecilles offendi: quomodo illae sanctae intelligentiae ad dominum indefesso desyderio aspirare dicantur, cum in Ecclesia ista, cuius illa coelestis typus est, & exemplar, à summo hierarcha Christo damnentur: qui ad praesidentiam flagrant: ut in Euãgelio, cui titulus est secundum Lucam, ait: Reges gentium dominantur earum, & qui potestatem habent inter eos benefici uocantur, uos autem non sic: sed qui uoluerit inter uos esse maior, sit tanquam minister, & seruus. Quibus faciemus satis ueritatem notam sapientibus depromentes: Dominij enim & praesidẽtiae appetitus, cum naturae insitus sit, culpandus non uidetur: Nec possumus subiectionem & infimum gradum appetere immediatè, sicut nec possemus uoluntatem in dolorem extendere: cum dolor (teste Augustino) accidat ex rebus, quas nolumus: sic infima appetere est contra naturae instinctum: qui semper in maiora, & meliora fertur. Hinc magna appetens non superbus, sed magnanimus dici debet: si rectè docet Aristoteles in Ethicis. Et si in culpa esset praesidentiae appetitus, summus doctor Christus non proposuisset illam renuntiantibus terrena in praemium dicens: Sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israël. Et iterum in Apocalypsi, ut ad certamen, & uictoriam nos induceret, altum consessum promittit dicens: Qui uicerit, faciam eũ sedere in Throno meo: sicut & ego uici, & sedeo in Throno Patris mei. Criminãdus igitur non est appetitus, sed malum obiectum: quando uidelicet uolumus exaltari in his momentaneis rebus peregrinationis nostrae cum iactura coelestiũ: ad quae aspirare debemus. Criminandus est & modus, praesumendo obtinere propriis uiribus, quae à datore omnium bonorum recognosci debent. Hinc errauit ille, qui dixit: In coelum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum: Sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis: ascendam super altitudinem nubium: & ero similis altißimo. Tot peccata committit, quot uerba profert. Cõsessum sublimiorem sibi uendicat nullis existentibus meritis: Rursus solium eminentius scandere uolebat non uocatus, cum sedere debuisset in nouißimo loco: quousque sentiret Principem dicentem: Amice ascende superius: Sederéque decreuerat in monte testamenti, in latere aquilonari: unde lex data est: unde proterui puniuntur: unde casus, & multa delicta scatent iuxta illud Ieremiae: Ab aquilone pandetur omne malum. Hinc merito sententiam, & iudicium Dei persensit. cum se in loco iudicij (frustra tamen) collocare tentarit. Ambiebat iterum conscendere super altitudinem nubium supercoelestium: unde irrigantur omnia per canales Deiferos: Aßimiliarique Altißimo nefandè cogitauerat, cui nec dignus erat seruus. Hinc omnium infimus, & ab altißimo semotißimus effectus est. Si igitur sublimem gradum beatitudinis à summo dispẽsatore comparare uoluisset: obtinuisset utique (ut Anselmo, Bernardo & aliis sapientibus placet) de quo, Deo

[Margin notes: David; CHRISTVS.; Augusti.; Aristote.; CHRISTVS.; Apocal.; Ieremi.; Ansel. Bernar.]

fauẽte, alibi pertractabimus. Appetere igitur incessanter cum sanctis Dominationibus regnum nobis promissum, imò desyderare unionem illam cum Patre

Ioannes summo, pro qua orat Christus in Euangelio, cui titulus est secundum Ioannem dicens: Rogo Pater, ut sicut ego & tu unum sumus: ita & isti unum sint in te, non est peccatum, sed uirtus. quia bonus est gradus ille, & ad ipsum deuenitur

Leuiti. per sanctimoniam: ad quam nos hortatur summus Princeps, dum ait in Leuitico: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum. Hinc septimo loco subinfert, q̃ totis uisibus aspiceret ad similitudinem uirtutis naturaliter, & à seipsa subsi-

Boetius Plato stentiam habentis: quæ summi hierarchæ est. Rectè (ut Boëtius, Plato, & alij sapientes docent) æmulantur fabrefacta omnia opificem suum, quoad possunt, Sed cum sint sanctæ Dominationes charitatis uinculo colligatæ, non solum sibiipsis, sed cæteris omnibus pro rerum exigentia fauent: ideo octauo loco subinfertur: Quantum possibile est, & seipsas, & quæ post ipsas sunt, optimè, & pulcherrimè cum perfectissimo conformantes. Quod utinam seruarent omnes, qui præsidentiam appetunt: quia non superbiæ, non inuidiæ, non iniustitiæ, nõ criminis alicuius rei essent, si tantum prodesse anhelarent, quantũ præesse. Ad quod perficiendum duo exiguntur: quorum alterum subinfert Dionysius nono loco dicens: Ad nullam uanitatem aspiciendam cõuertantur: nec ad inferiora aliqua: sed ad propriè on, id est ad illum, qui uere est. Et hic solus dicitur uerè esse, qui Mosem docuit, ut interrogãtibus, quis eũ destinauerat, respõderet, אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה eihie, asser, eihie. Quod nos interpretatum habemus, Ego sum, qui sum. Aptius autem diceretur, Ero, qui ero, nam utrumque est uerbum futuri temporis: ut sit sensus: Ero uidelicet in oculis uestris, & Ægyptiorum: qui ero in prodigiis, & portentis: & qualem in eis me uidebitis, eũdem uos & illi reputare cogemini. Subticeo altissima arcana illorum uerborum, quomodo tres personas significent: & quomodo primum uerbum supra hocma, quæ sapiẽtia dicitur, & nos filium uocamus: Tertium supra bina, quæ est Spiritus sancti intelligentia, illud autem medium scribitur supra cheter: qui fons, origo & pater omnium est: In quem nedum principantes, sed omnes dirigere debẽt oculos.

IESVS Hinc summus Doctor instruit nos: ut orationes nostras in eum dirigamus præmittendo in exordio orationis: Pater noster, in quem uidelicet omnes tendunt. Secũdũ, quod exquiritur, est illud ultimo loco sanctis Dominationibus à Dionysio assignatum: quo ait: Laborant pro uirili sua suscipere dominicã Deiformitatem: ut efficiantur diuini, atque Deiformes diuinam illam pulchritudinem contemplantes: & ad eandem alios conducentes. Ad quorum exemplarium uitam si aspiramus, Primo necesse est, ut semper appetamus cœlestia: Nulli simus secundo loco tyrannicæ seruituti subiecti: Liberũ tertio habeamus dominium in nos ipsos, conculcando omnia à Deo abducentia. Liberi quarto simus mente, & affectu ab omni uili subiectione, Non admittẽtes quinto, in nobis quicquam, quo dissimiles Deo efficiamur: Nulli, sexto, seruiamus ex quadam ani-

mi generositate, nisi summo Principi: Cui, septimo, semper adhæreamus ipsi plenè conformati, Conantes, octauo, quoad possumus, omnes ad ipsam summã pulchritudinem, & Deiformitatem conducere. In ipsum, nono, tota mentis acie, & operibus intendamus, Vt decimo, ipsi non solum conformes, sed iidem facti eadem semper sua pulchritudine perfruamur.

Quo concentu easdem omnes proprietates Iuppiter imitetur. Cap. VII.



Vam concinnè Iuppiter hæc Dominationibus attributa consequatur, facilè erit diiudicare: si uera sunt, quæ de ipso Astronomi deponunt: Ait enim Iulius ille maternus ex Ptolemæi officina: Est Iouis significatio formæ dignitas, nobilitas animi, sana sapientia, & intellectus: Tum iura, leges, statuta, religio, Tum pietas, modestia, gratia, fides, & quicquid egregius bene instituti uiri potest animus cõcipere. Quæ omnia operatur, potissimè cum in Horoscopo fuerit: aut in domiciliis, aut in finibus, aut in altitudine, & signis, & locis, in quibus ex connaturali proprietate gaudens fauorem accipiat: ut disponat ad ea, quæ Dominationes ex iussu Principis influũt. Facit etiam in locis huiusmodi constitutus nobiles, præclaros, magnos, insignesque præsides, seu præfectos ciuitatum, & pro mensura genituræ bonos, modestos, beniuolos, lætos, & diuites. Et hæc omnia (ut Physicè loquamur) operatur ex natura calida, & humida reddens complexionem tractabilem ex humido: amicabilem ex sanguine: ad sapientiam dispositum ex calido proportionato: generosum ex abundanti influxu. Hinc in eo pietas, beniuolentia, fides, modestia, gratia, & quicquid ad iustum, rectumq́; pertinet: cõtẽperata enim complexio ad omnia bona facilè disponit. Sed si altius conscendere uolumus, trahitur hic influxus à Dominationibus, quæ animam disponunt, sydus autem tantummodo corpus: Deus uerò & influxum, & incrementum, tanquam primaria causa, omnibus præstat. Sed ad concordiam ueniamus. De Dominationibus dictũ est: quòd sunt ab omni pedestri uilitate liberæ: & de Ioue, quòd disponit ad formæ nobilitatem. Quis, quæso, sublimiorem conscendit locum, homo an bellua? Vir, an mulier? Angelus an homo? Ille nempe qui forma elegantior est, cæteris digne præponitur. Inter omnia enim animantia soli homini, qui forma est omnibus speciosior, dictum fuit: Dominare piscibus maris, uolucribus cœli, & bestiis terræ. Et de Principe omnium dicitur: Speciosus forma præ filiis hominum. Nec forma, quæ tantummodo corporeos oculos demulcet, in prædominantibus exquiritur: Sed illa, quã peroptabat Paulus in Thessalonicensibus, ut merito aliorũ duces & prĩcipes essẽt, dicẽs. Imitatores nostri facti, ita ut sitis forma oĩbus credẽtibus. De qua forma gloriabatur lex (ut exponũt Hebræi) aut Beata uirgo dicens, ut nostri asserunt: Nigra sum, quãtum uidelicet ad forinsecã apparentiã: sed formosa interiori pulchritudine: Si tamen utráque pulchritudo conueniat: magis digna imperio species resultabit. Dicitur secundo loco de illis, quòd nulli subiiciantur tyrannidi, iniustitiæ, uel rapinæ. Et de istis subinfertur: Nobilitas

Iul. Firm. Ptolem.

Genesis. Psalm.

Paulus

Cantic.

Iuuena. animi sola est atque unica uirtus, ut ait Satyricus. Non ergo qui sanguine, diuitiis, aut potestate splēdet: sed qui uirtute fulget nobilis merito dicitur: de qua nobilitate loquitur sapiens dum ait: Beata terra, cuius rex nobilis est. Sic Moses
Ecclesia. non minus in morali disciplina, quàm naturali & diuina instructus dixit in repetitione legis: Tuli de tribubus uestris sapiētes, & nobiles: & cōstitui eos Principes, tribunos, quinquagenarios, & decenos: Verum ubi in Deuteronomio habemus nobiles in Hebræo dicitur, ירועים, irdubim, id est cogniti, in uirtute uidelicet, & bonitate: quæ est uera nobilitas, & libertas ab omni tyrannide, & impietate semota. De mentibus illis dicitur tertio, quòd liberum habent dominum sui conculcantes omnia, quæ abducunt à Deo. Quid enim est hoc, nisi debita omnium rerum moderatio: quæ ad prudentiam sapientiámque spectat? Et de significatione huius sexti cœli dicitur: quòd est sana sapientia, & intellectus. Quis enim sanam habet sapientiā, & intellectū: nisi qui omnia faciūda bene modera-
Lactan. tur, admittitq; proficua, & noxia repellit? Hinc Firmianus diffiniens sapientiā ait: Sapientia est intelligentia in bonum: & abstinentia delictorum, improborūq;
Hieroc. omnium. Hierocles uerò Stoicus de prudētia, ac sapientia simul hæc protulit. Diuinorum, & omnium bonorum dux prudentia, atque sapientia recto hominis animo collocata suffragatur ei, ut de omnibus bene consulat. Quod facit, si sibiipsi rectè dominatur, & deuia omnia conculcat: ut sursum eleuetur ad eū, quem sublimem sortitus est finem. Sequitur quarto, ut sint liberæ dominationes affectu, & mente, à uili subiectione. Et de Phaëthonte dicitur: quòd in horoscopo facit genitos magnos, & præpositos ciuitatis. Et si magni sunt: mente & corde ut sint liberi, necesse est: Quam libertatem non solum in principibus, sed in
Paulus militibus omnibus summus Princeps exquirit. Hinc Paulus cum Galatis gloriatur: Non sumus filij ancillæ, sed liberæ: qua libertate Christus nos donauit eripiens à seruitute peccati, & diabolicæ tyrannidis. Adiungit quinto, ut nihil admittant præsides ipsi, quæ eos degeneres ab Hierarcha summo, dissimilesq; red
Iul. Fir. Alcabi. dat. Et de benigno nostro sydere dicit Firmicus, & Alcabitius: quòd ad leges, iura, statutaq; decernenda, atque obseruanda deducit. Sed & Hebræi Iouem, צדק Zedec dicunt, quod iustum significat: Iustus namq; est: qui leges ueritatis,
August. & regulas illas æternas: quibus (teste Augustino) omnia moderantur, rite obseruat. Subnectitur sexto, quòd ex quadā animi generositate nulli, nisi summo Principi seruiant. Et Iuppiter suos Phaëthonteos iustitia, & bonitate semper prosequens ad sublimia continuò eos prouehit. Hinc sequitur septimo, quòd sicut illi semper ad Deifica pro uirili sua pertingere laborant, sic Phaëthon iustitiæ influxu suos in Deum continuè inducit. Succedit octauo amor, & charitas in alios ut illos conducant, quo & ipsi tendunt. Itidem facit Iouialis pietas, & iustitia. Penultimo infertur: quòd pleni fide dominantes illi, semper mentis aciem in Deū dirigant. Et de hoc planeta dicunt: ꝙ fidem præstat in Deum, à quo diuinis charismatibus repleantur. Concluditur ultimo loco, ꝙ illæ mentes cum Hierarcha

unitæ idem sint, omni bonitate, & perfectione refertæ. Et de planeta dicitur: quòd conducit ad omnia, quæ bene instituti uiri potest animus concipere. Hinc Pythagoras Iouem asserebat esse uirtutem, & harmoniam, & animi temperamentũ, sanitatem, omneq; bonũ: & ideo eius fauore & iuuamẽto stare omnia. Pytha.

De tribus coæquationibus Mauortis ignis cum Virtutibus. Cap. VIII.



T quinti ordinis ipsarum enneadum concordiam pertractemus, libeat inspicere, quid noster Dionysius Deo plenus de sanctis uirtutibus doceat. Ipsam (inquit) sanctarum uirtutum fortem quandam, & incommutabilem uirilitatem in omnes secundum earum Deiformitatem operationes ad nullam susceptionem inditarum, ei diuinarũ illuminationum imbecilliter infirmatam, potenter in imitationem Dei reductam, non relinquentem suimet imbecillitate Deiformẽ motum, sed firmiter ferentẽ in superessentialem, & potentificam uirtutem, & ipsius imaginem uirtutis similem (iuxta quod licet) factam: & ad ipsam quidem, ut principalem uirtutẽ potenter conuersam: ad secundam uerò uirtutem dans Deiformiter prouenientẽ. Haec Dionysius: Et antequã progrediamur: cur quintus hic ordo peculiari nomine uirtutum nuncupetur, declarare conabimur, Licet omnes angeli ab eodẽ Dionysio uirtutes dicantur: & merito, cum omnis operatio uirtutem operatricem præexigat. Ideo cum nullus angelorum ordo, aut particularis intelligentia otio torpeat: sed omnes mandata principis exequantur: in quolibet eorum uirtus exigitur: qua uirtutes denominari possint. Ad hanc igitur tollendam difficultatem, recordabimur, quæ de Seraphinis, Cherubinis, & aliis ordinibus dicta sunt. Quamuis enim Seraphini intelligant: omnésque alij spiritus ament: ab amore tamen, quo maximè calent, Seraphini, id est incendentes dicuntur: Et esto iterum, quòd omnes intelligant: Cherubini tamen ex plenitudine scientiæ denominantur. Sic & à dono, quo maximè uiget, uocatur iste ordo uirtutum, quamuis omnes sua uirtute, suáq; fortitudine gaudeant. Placet & hic Alberti sententia: quòd cum superiores sint nobilioribus stemmatibus decorati, cedunt inferioribus in hac denominatione. Presbyteri enim quamuis diaconi gradum teneant, à digniori tamẽ nomẽ sibi uendicant Sacerdotis. Idẽ est de Episcopis, & Patriarchis, & huiusmodi. Virtutes ergo denominãtur à dono, quo maximè fulgent: Quo donum multiplici proprietate scribitur decoratum: septem uidelicet, quæ à summa uirtute suscipiunt: & duobus, quibus inferioribus se communicãt. Hoc enim proprium est omnium ministrorum Dei in hierarchia cõstitutorũ: ut inferioribus communicent, quæ à superioribus suscipiunt. Primum igitur donum est uirilitas, inconcussáq; fortitudo ad ea expugnãda, quæ summo principi inimicantur. Mirabile est hoc sacramentum, quomodo ille summus imperator fœlicissimus in regno pacis, ubi confregit potentias, arcum, scutum, gladium, & bellum: & existens ipse uera pax, & beatitudo omniũ adhuc decertet per suas uirtutes, & pugnet: & eum bellator ille, qui Domini prælia susceperat, in sui

Diony. Alberti. Dauid

fauorem deprecetur dicens: Expugna impugnantes me, uel contende cum contendentibus mecum: ut habet ueritas Hebraica: & apprehende arma, & scutum, & exurge in adiutorium meum. Si enim in pace est locus eius omnibus bellicis instrumentis confractis, quomodo dicitur ꝙ pugnetur? Et si pugnat, quomodo quiescit in pace? Si iterum omnipotens est: quid ei pugna: cum solo nutu omnia cõterere possit? Apiamus hic aliq̃d de secretis cœlestibus. Est Deus summus suprema uirtus, essentia ꝑfecta, nullius indigẽs, omnipotens, omnia sciẽs, ex seipso summè fœlix, nihil patiens, nullã suscipiens contagionẽ, nullã uim, nullã molestiã, nullámq; externã uoluptatẽ: quia bonorum nostrorũ nõ indiget: nec cõtrario aliquo offenditur. Est etiam ipse Deus in omnibus omnia operans, & omnia implens: ut lætari possit, pati, & pugnare in membris suis: ut ipsemet testatur di-
IESVS cẽs: Esuriui, sitiui, &c. quæ sequũtur. Fœlicissimus est ergo in seipso, & in corregnantibus membris: pro quibus non ultra sumit scutum, gladium, nec bellum: cũ pace perfecta gaudeant omnes in illa triumphanti curia. Est etiam pugnans & patiens in membris huius militantis ecclesiæ: Pugnauit nãq; in bonis angelis contra malos: Pugnauit in Mose, Iosue, Dauid, aliisque militibus: qui bellarunt bella ipsius: maximè contra Amalec: cõtra quem indictũ est bellum perpetuũ: ut in
Deuter. Exord. Deuteronomio iubetur, & fortius in Exodo: ubi dicitur: Quia manus super sedem Dei ad pugnandum pro Domino contra Amalec in generatione, & generationem. Hanc pugnam exercuit potissimè Christus Iesus, quousque penitus eũ
Nume. foras eiecerit. De qua pugna loquitur Moses in libro Numerorum dicens: Idcirco dicetur in libro bellorum Domini. Quod multi non aduertentes laborant in declarando, quis fuerit ille liber, in quo bella Domini scripta sint, & multa cõmemorant, quæ non sunt: cum de futuro loquatur Moses, & de libro euangelij:
Paulus ut interpretantur sane intelligentes: In ipso enim pertractantur bella principis gloriæ contra principem tenebrarũ. Quod clarius expressit Paulus scribens Colossensibus in hæc uerba: Christus tollens quod erat aduersus nos chirographũ decreti: & spolians principatus, & potestates, palam triumphans in semetipso, traduxit confidenter omnia spolia, & exuuias ab inimico tyrannicè detentas. Pugnat & quotidie in membris militantibus, quousque conducantur ad ueram
Isaiæ quietem: de qua dicitur in Isaia: Requiescet populus meus in pulchritudine pacis: in tabernaculis fiduciæ: in requie opulenta. Quiescunt uictores in pulchritudine pacis debellatis hostibus: & ipsis fugatis habitant in tabernaculis fiduciæ: sed in requie opulenta potientes exuuiis. Quam pugnam cum Deus exerceat in membris suis, iubet etiam suis peculiaribus militibus, qui uirtutes cœlestes dicuntur: ut pro nobis pugnent: ne opprimamur à ualida inimicorum potentia. Et de extrema pugna, quæ omnium erit acerrima, dicitur in euangelio, cui ti-
Matthe. tulus est secundum Matthæum: Virtutes cœlorum mouebuntur, in subsidium uidelicet tunc pugnantium. Istæ igitur, quibus peculiariter commissum est bellum, uirtutes dicuntur: atque uirili, & inconcussa fortitudine dotatæ sunt. Et quod

facit summus Imperator per uirtutes, tanquam per ministros: itidem facit per Martem, tanquã per instrumentum: Quem fauere bellantibus omnibus triuiale est, ex natura eius (ut physicè loquamur) semper igneo fauore succensa, ut cólericos, iracundos, impetuosos, fortes, uiriles, & inconcussos faciat suos Martiales. Sequitur secundo de sanctis uirtutibus: quod aggrediantur, & perficiant omnes operationes suas, tanquã Deificæ & Deiformes, sicut & omnes aliæ intelligentiæ: quæ Deiformes effectæ nihil ab ipsa uniformi, & Deifica pulchritudine degenerant. Quod & Mars Iuppiter, & Saturnus, & quodcunque cœleste instrumentum efficit, in hoc laudans summum opificem, qui omnia ualdè bona fabricauit. Hinc canit Deiformis citharœdus: Laudate eum sol & Luna: Laudate eum stellæ & lumen, Stellæ utiq; tã fixæ, quã erraticæ, & lumen omnium earũ in circunsonãtissimo hoc theatro laudãt opificem. Exquiritur tertio: ut nullatenus sint imbecilles ad hauriẽdum illapsum uirtutis diuinæ: ne succumbãt deficiente propria ui: quæ in nihilum tendit, nisi fauor à fonte illo supremo continuè subministretur pro se, & pro eis, quibus fauent. Hinc Moses pugnanti populo cum Amalechitis succurrebat uirtute, quam continuè orans brachiis in cruce protensis hauriebat: Quod & Mars præstat ui sua ignea: ut Ptolemæus, Hermes, Firmicus, Alchabitius & omnes astronomi cõueniunt, undè Empyrois dicitur: Ignea enim uis indeficiens est: & sine intercapedine operans. Est etiam semper augens, & incrementum suscipiens pro augmento materiæ: Et ut ex se defectiuum semper operetur, ut semper hauriat, necesse est: Ideo Mars simul cũ præsidentibus uirtutibus, ut semper succurrant suis, quibus præsunt pugnantibus, ut semper imbibant à superiori uirtute opus est.

David

Moses.

Ptolem.
Hermes.
Iul Fir.
Alcha.

Quomodo adhuc conueniant in aliis sex proprietatibus. Cap. IX.



Vltra progressus Dionysius de uirtutibus Deificis dicit: quòd ualidis uiribus Deum imitãtur: & ad eundem conducunt ueros milites, qui pro regno Dei certant: ut in ipso coronam accipiant: quia non coronabitur (intonat cælestis tuba) nisi qui legitimè certauerit. Et quod per uirtutes bellatrices perficitur, per Martem belli significatorem disponitur: Quod bellum si recta intentione suscipimus, bonum utique est, & sanctum: Si uerò id ambitione, odio, liuore, & superbia committimus, malum utique est, & diabolicum. Si enim Mars (inquit Firmicus) sit bene dispositus in nona domo, fauente Ioue, & domo ipsa, & Horoscopali irradiatione, fœlices facit: & qui facilè omnia consequantur. Sed quid est fauente Ioue, nisi fauente belli iustitia, & zelo Domini, pro quo semper militare debemus? Quinto subinfertur, quòd ex aliqua imbecillitate non relinquant opus Deiforme, & pugnam, quam susceperunt: ne de regno, & militia simul cum Saule non ea fide, qua debebat, bellante propellantur. Adducitur sexto, quòd firmiter, & incessanter in potissimam, & superessentialem uirtutem, qua perfectam principis imaginem sibi comparari possint, feruntur. Nec adest hic nu-

Diony.

Paulus

Iul. Fir.

gatio, aut repetitio: sed ad sublimiora ipsos semper conscendere declarat: Primo enim habent uirilem constantiam: Secundo omne opus cœleste, & Deiforme exercent: Tertio ne infirmentur, semper à supremo fonte hauriunt: Habent, quarto, Deum præ oculis in exemplar: Perseuerant quinto in incepto opere: Sexto in supremum hierarcham semper tendentes omnimodam similitudinem, & imaginem eius sibi comparant: Quod ut faciant sunt in ipsum Deum toto affectu, totisque uiribus conuersi: Et sic tanquam uasa sanctissima omnibus charismatibus repleta communicant octauo loco inferioribus sibi creditis uirtutem, & fortitudinem: Vltimo student omni diligentia eos, quibus fauent, Deiformes efficere: Ad quæ omnia pyrois ui sua ignea disponere uidetur, Et cum de quinque dictum sit, de sexto prosequamur. Est ignis (nostro Dionysio teste) semp sursum tendēs, sed Plotinus ultra progressus dicit: Ignis usq; ad cœlum perueniens, cum torpere non possit, ad alia tēdit amplificationem suam undique perquirens. Et cum ad inferiora ferri non possit natura impugnante, ductu facillimus, tractuque naturali ab anima perducitur ad uitam: ut per cōmunionem cum superioribus ab unica uita comparatam transitum faciat in suprema. Si metas philosophiæ, aut ueritatis transcendat Plotinus iudicent legentes. Hoc tamen pro constanti habemus, ignem semper sursum ferri: & potius suprema, quàm infima petere. Quid quæso magis accommodatum dici potuit cum sexta proprietate uirtutum, qua semper sursum feruntur, ut supernis seruientes in eorum similitudinem transformari satagant: Non secus cum septima, qua ut itidem faciant, omnibus uiribus in Deum conuertuntur, sicut ignis, qui semper ad sursum latus in suprema transmutare contendit, non modo seipsum, sed omnia quæ accendere potest. Lapides uerò, terram, metalla, & quæcunque cedere nolunt, in sua deiectione relinquit. Et quod de igne dictum est, itidem efficit Mars ex natura, & impetu suo igneo, De quo Ptolemæus non minus physicè, quàm mathematicè procedens in primo apotelesmatum dicit: Martis stella dissiccat, & comburit, & eius calor igni assimilatur. Hinc per igneas proprietates Marti accommodatas eum cum sanctissimis uirtutibus conuenire fecimus: unde illis, quibus Mars & uirtutes fauent, ad omnia redduntur prōpti, atque solertes. Sed cum bonum contingat uno modo, malum autem multifariam: hinc impetus nullo rationis freno moderatus, nullo interiori oculo directus ruit, uelut equus lasciuiens, in multigena præcipitia, tyrannidem, oppressionem, homicidia iniusta, furta, rapinas, immoderatam lasciuiam, & cætera mala, quæ solent scioli per Martis significationem nimis larga licentia prognosticari: Hoc enim non à Marte, qui tantummodo impetum præstat, sed ab animo impetum illum malè regulante procedit: Si autem bene reguletur fortior, atque ualidior Mauors igneo, aut Herculeo uigore redditur: Quem sapientes (Boëtius potissimè) carminibus celebrant, & hic celebratum nobis imitandum hortatur subinferens.

Diony.

Plotinus

Ptolem.

Ite nunc fortes, ubi cælsa magis
Ducit exemplar uia, cur inërtes
Terga nudatis superata tellus
Sydera donat. Ad quæ consequenda inter naturalia dona feruor colericus exquiritur: Inter cœlestia fauor Martialis: Inter supercœlestia uirtutũ uigor: Inter diuina gratia Dei, aut spiritalis ignis inflammatio. Quo sancti fortes facti sunt in bello: uicerunt regna: operati sunt iustitiam: adepti sunt repromissiones: obturauerunt ora leonum: extinxerunt impetum ignis: effugauerunt aciem gladij: conualuerunt de infirmitate: castra uerterunt exterorum, & cætera, quæ cũ Hebræis disserens meminit Paulus. Quæ ipse, ut uerus theologus, feruori fidei attribuit: nihilominus & alia conuenientia intercedunt. Nec tãtummodo Mars (ut puri mathematici opinantur) est in causa, Ideo tot errores ebulliunt in eorum prognosticationibus: quia scilicet non attendunt cooperantes causas cũ cœlo, quas ipsorum dux Ptolemæus attendendas docet. Et quia stellarum concursus, & earum uirtutes non plenè à nobis cognoscuntur, ut omnibus sapientibus notissimum est: hinc etiam de eorum effectibus iudicium certum dari nõ potest, accedente etiam arbitrij libertate, qua multa respuere, & multa pro uoto suscipere possumus. Nec moueantur acriora ingenia ex eo, ꝙ astra uideantur plantis, & animalibus per putrefactionem generatis, completam uitam præstare, & formam: & illarum formarum quædam bonæ, quædã malæ uidentur: ut concludant bona & mala à cœlesti influxu procedere. In quã hæresim si incurrerint, facilè ab ea amouebuntur, si attendent (præter ea quæ superius adduximus) quàm sit absurdum nimis à fontibus illis lympidissimis aquarum cœlestiũ, aut supercœlestium emanare turbida aliqua. Et de hoc Marte Ptolemæus in tertio apotelesmatum decernit: quòd si solus animæ dispositioni præsit, natus erit fortissimus, & potens: Si uerò malè erit dispositus, hoc nõ influxui sydereo, sed qualitatibus repugnantibus ex quadam antiparistisi influxuum ascribat. Sed (ut melius dicamus) id prouenit ex subiecto malè disposito: sicut medicamina, optima uina, & delicatiores cibi malè se habẽtibus nocẽt. Et de huiusmodi Iãblicus ex columnis, aut promptuariis magni Trismegisti hæc depromit: Omnes cœlestes influxus boni, beneficiq́ue sunt suscipientes tantummodo ipsum bonum: Et hoc agentes intuitu æterno immutabiles sunt: quamuis in ipsa alterabili natura operantes degenerent, perpetuo tamen ordine semper benefici sunt: Proinde à fluxu cœli in materiam discordiis plenam resultat aliquando dissonum; uiribus tamen cœlestibus, semper bonis permanentibus. Ideo qualitas nocens in terris, alia est à cœlesti influxu, qui dum in se existit, ac à datore bonorum influitur, quousque ad ima peruenerit, bonus est, tanquam in primo gradu. Secundo dum in subiecto uiliori suscipitur: & ipse uilescit. Tertio propter diuersam recipientis naturam, diuersimodè suscipitur. Quarto qualitatibus inter se differentibus in eodem subiecto, & ipse uariatur. Quinto

Paulus

Ptolem.

Idem

Iamblic.

Trism.

patiente subiecto, patitur. Sexto ex omnibus in subiecto cõprehensis aliud quoddã postremo resultat. Influxus igitur cœlestes, & immateriales, q̃ se in Saturni uim contentiuam, & Martis motricem extendunt, frequenter obsunt per accidens: Illa, quando in materia frigidiori suscipitur: hæc autẽ quando in feruẽtiori. Quod omnino fit pro dispositione materiæ: Sol enim, quamuis calore & luce nõnullos offendere uideatur, necessarius tamen est ad uitam: similiter omnes cœlestes influxus ueniũt salutares, quãuis uel subiecti peruersitas puerse suscipiat, uel debilitas facilè tolerare nõ poßit efficaciã superiorũ. Omnes motus cõferũt uniuersis, etiã minimis partibus eius: quãuis interim particulæ minimæ hoc, uel illo motu leuẽtur, aut non facilè illum suscipiant, sicut in chorea, dum singuli harmonicè saltant, cõgruuntq; gestibus inter se, & toti choro: digitus tamen, & pes offenditur, & premitur: Et si quid debilè incesserit, pessundatur. Hæc ille.

Magna melodia Sol in octo cum potestatibus conueniens quasi diapason reddit. Cap. X.



Ut sanctißimas potestates cum planetarum rege conuenire faciamus, quid de illis doceat Dionysius uidẽdum est. Ipsarum (inquit) sanctarum potestatum æquipotentem diuinarum dominationũ, & uirtutũ bene ornatam, & inconfusam circa diuinas susceptiones ordinationem, Et ordinatum supramundanæ, & intellectualis potestatis: Nec tyrannicè in ea, quæ inferiora sunt potestatiuis uirtutibus præcipitatæ: Sed potenter in diuina, post bene ordinata reductæ, & post eam Deiformiter reducentes, & ad potentificam causalem potẽtiam (quantum fas est) aßimilatæ, & eam (ut poßibile est angelis) reuelantes in bene ordinatis per ipsam ordinibus potestatiua uirtute. Hæc Dionysius. Inter cuius sermonis principia dignißimum sanctarum potestatum includit priuilegium, ut sint illæ, quæ omnia
Grego. Bernard. mala, simul & malignantes coërceant. Quæ Gregorius, & Bernardus apertè reserant, Quorum prior ait: potestates uocantur hi angeli, qui hoc potentius cæteris in suo ordine perceperunt: ut eorum ditioni uirtutes aduersæ subiectæ sint: quorum potestate refrenantur, ne corda hominum comprimere, aut obũbrare ualeant. Alter uerò ait: Illi spiritus, qui potestates nominantur, dum crucifixi nostri diuinam potentiam ubique attingentes eam magnificare delectantur: hinc ad disturbandas dæmonũ, hominumq; uires pro his, qui hæreditatẽ capiũt salutis, potestatem accipiunt. Quæ omnia Dionysius tangit in eo, quòd diuinarum dominationum, & uirtutum donis fulgere dicit: quibus poßint rebelles uirtutes, & potestates coërcere. Nec est ordinum cœlestiũ confusio: eo quòd unius dona alteri communicentur: Sicut enim omnes amant, & intelligunt: duo tamen supremi ordines hoc particulari priuilegio sunt decorati, ut unus amantium, & alter intelligentium ordo dicatur. Non secus omnes angeli inimicantur malis, & contra eos pugnãtes ipsis resistunt: nihilominus pugna Virtutibus peculiariter aßignatur, & resistentia malis authoritate quadam potestatibus

attribuitur: Quæ omnia in Republica inferiori typum gerente illius supercœlestis conspicimus. In hac quippe rex imperat, milites pugnant, potestates uerò; siue prætores crimina compescunt: rebelles coërcent, & iustitiæ moderamine malis resistunt. In superiori quoque rep. iubet imperator: domestici, & familiares sunt Seraphini, sapientes moderatores Cherubini, & assessores Throni, pugnantes sub principe Michaële sunt uirtutes compescentes mala, & fugantes tenebras scelestorum. Sunt potestates fulgentes cum sole, & fauentes uerò Soli, qui ait: Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra: Quam ab omni inuidia liber suis secretioribus amicis communicauit dicens: Ecce dedi uobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & supra omnẽ uirtutem inimici. Dat etiam potestatem, ut filij Dei fieri possint: Et hoc per lucem, quæ illuminat omnem hominem, qui uult illuminari, & tenebras peccatorum, aut tenebrosarum potestatum caliginem non opponit. Hinc potestatum ordo suauiter conuenit cum uerò Sole omnia illuminante: de quo dictum est: Fecit Deus solem, ut potestatem haberet in diem. Sed ad solem sydereum reuertendo, uiget hic Martis feruore, & Iouis benignitate: sic potestates uirtutum robore, & dominationum rectitudine refertæ sunt: Fugantque potestates dæmones tenebrosos: ne molestiam electis inferant: sicut sol fugat tenebras noctis, & tenebrosos quosque, ut in Iob legimus, Cum subitò apparuerit aurora arbitrantur umbrã mortis. Et Dauid cum loqueretur de catulis leonum quærentibus ab Elohim deuorandi licentiam, subinfert, Ortus est sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur, Quibus fugatis sequitur, Exibit homo ad opus suum. Assistere dicuntur potestates uerò Soli crucifixo tanta fidelitate, ut omnia ei subiicere conentur. Respondet & hic sol supremo Soli tanta consonantia, ut Plato eum uocet conspicuum filium summi boni, nõ quidem primum, sed secundum, per quem in cognitionem primi deueniamus. Alias utriusque solis omnimodas conuenientias alibi relinquemus declarandas. Dionysius enim cum Platonicis quibusdam hunc, quem uidemus solem, perspicuam Dei statuam uocat: Sed Iamblicus imaginem diuinæ intelligentiæ appellat. Sequitur secundò de potestatum ordine, quàm sit bene ornatus, & inconfusus. Et sol omnium ornamentum sedet tanquam rex in meditullio erraticorum syderum omnes ornans, & decorans, & ad cuius gressum regulantur, & disponuntur omnes, adeo, ut inde motus eorum dicantur diurni, uel nocturni, meridionales, uel aquilonares, orientales, uel occidentales. Ordinatæ sunt utique potestates, ut suscipiant à Deo, unde inferiora disponant. Et sol noster ordinatus est ad primum, ut ab ipso lucem, & uirtutem suscipiat, qua cætera illustret, & uiuificet, Vndè sol pater uitæ dictus est. Sequitur tertio, quòd illarum ordo sit supra mundanæ & Deificæ potestatis, ut Vgo exponit. Sed (ni fallor) sunt ordinatũ simulacbrum Deifici imperij, & non ordo ipsius, cum inferiora non ordinent superiora, sed eorum gerant imaginem. Sol quoq; inter

CHRISTVS. Iob. Dauid Plato. Diony. Iamblic. Vgo

omnia sydera est imago, & statua summi principis: sicut potestates simulacbrũ supramundanæ potestatis: qui Sol, & uera lux utriusque mundi cælestis, & terrestris est. Sequitur quarto, quòd potestatem in interiora exerceant absque aliqua tyrãnica impietate: ut doceamur qualem æquitatem exquirat summus princeps ab eis, qui uicem eius in cælesti, & mundana rep. tenent. Nam de dominationibus: & de potestatibus dicitur: quòd sint absque tyrannica ui: Et sic ille cum æquo Ioue, & iste cum benefico Sole quamoptimè conueniunt: Qui ambo ad imperia, & dominia æquo fauore disponunt: Ille (ut physicè loquamur) ex natura sua aërea bene chordato, & hic ex calido tẽperato, semperque benefico. Vnde (Ptolemæo, & Firmico docentibus) ex moderato influxu disponunt ad honorificentissimam hominum reconciliationem: fortitudinem animæ & corporis: magnam uictoriam omnium: summam expectationem: & quicquid ad regiam pompam pertinere uidetur. Eius quoque significatio est principatus non atrox, non difficilis, non iniquus: sed ex iustitia, & beneficentia splendidissimus. Quod autem addunt solares spiritu superbiæ paululum inflatos, honorumque cupidos: hoc ad eorum magnanimitatem (quæ uulgò superbia dicitur) posset referri: Nam Sol, & Phaëthon suos natos decernunt iustos, bonos pro qualitate dominationum, & potestatum, quibus respõdent: Faciunt etiam (maximè Sol) doctrina claros. Hinc dixit antiquitas, Phæbum, aut Apollinem ueræ philosophiæ fauere, & claræ cognitioni, quæ in principe uigere debet: Vndè Plato in prouerbiis docet non dignè dominari, nisi qui ex diuina quadam sorte philosophantur. Sol igitur cum suos solares maturos in consiliis, in eloquio graues, zelantes in iustitia decernat: ad quid eos inuitat, nisi ad cælestia quibus confirmari debent: ut conueniat sexto cum potestatibus, quæ ea, quæ post se sunt agmina ad Dei imitationẽ deducunt? Quod uerò septimo de potestatibus subinfertur, adeo cum sole conueniunt, ut nihil aptius: Illæ enim, quoad possunt, nituntur exprimere similitudinem illius potentificæ causæ, à qua acceperunt potestatem: Et Sol uera Dei statua, & imago supremi luminis adeo in notitiam Dei perducit, ut non habeant Academici aliquid, per quod expressius Deificam illam naturam docere possint, Cuius essentia Patrem, splendor Filium, calor Spiritum sanctum resignat, & eius benefica uirtus Dei in nos munificentiam. Hinc summus doctor Patris beneficam naturam per Solem docuit dicens: Estote perfecti sicut Pater cælestis: qui solem suum oriri facit super bonos, & malos. Pulcherrimè octauo loco subnectitur, per potestates (quibus omnia Deo fauente gubernari possunt) repræsentari illam Deificam potentiam, quam Dionysius uocat potentificam, id est potentes faciens ministros suos: Qui si ardent, ab illo diuino igne inflammantur: Si cognoscunt, id faciunt suprema luce collustrati: Si iudicant alios, hoc est ex authoritate illius, qui dixit, faciam uos sedere in throno meo: Si dominantur, id est ex dominio præstito ab eo, qui dixit: Domi-

Ptolem. Iul. Fir. — Plato — CHRISTVS. — Diony.

namini piscibus maris, & uolucribus cœli: Si inimicos coërcent, recordentur sententiæ illius: Sine me nihil potestis facere: Si potestatem exercent, omnis potestas (inquit Paulus cœlestium arcanorum non inscius) à Domino Deo est: qui operatur omnia in omnibus. Paulus

In quinque participant principatus cum Venere. Cap. X I.


DE principibus cœlestibus prosequitur Deiformis Dionysius dicens: Manifestant quidem cœlestes principatus illud principale Deiformiter eductiuum: Et hoc, cum ordine sacro, & principalibus decentissimis uirtutibus: Et ad superprincipale principium eas uniuersaliter conuerti: Et alias hierarchicè ducere ad illud ipsum, quantum possibile est, formari principificum principum, manifestaréque superessentialem eius ordinationem, ornatúmque principalium uirtutum. Hucúsque Dionysius. Et si omnia creata Dei simulacbrum gerunt, diuersa tamen pro diuersis, quibus referta sunt, charismatibus uarias perfectiones repræsentant. Ignis robur, & amorem: Aqua clementiam, pietatémque: Aër subtilem spiritum: Terra essentiæ stabilitatem. Ex compositis homo intrinsecas operationes, & totum quod est in Deo, gaudens perfecta ipsius imagine: Stellatum cœlum exemplaria, aut ideas multiplices: Primum mobile motorem primum: Seraphini amoris incendium: Cherubini scientificam uim: Et sic de singulis. Vndè cum Saturnus præ se ferat grauitatem iudicij, Iuppiter æquissimam præsidentiam, Mars inconcussam uirtutem, Sol clarissimum imperium refert: Venus autem peculiarius repræsentat pulchritudinem illius, à quo omnia pulchrescunt. De qua quærebat Socrates apud Platonem ab Hyppia, determinat in Phædro & in Symposio, & cum eo Plotinus in suo de pulchro. Vndè non est aliquod pulchrum (ut Academici, & Stoici docent) nisi quantum participat de illa Deifica pulchritudine: quamuis Peripatetici dicant pulchritudinem esse ex consonantia omnium partium in toto. Quam consonantiam, aut pulchritudinem à summo pulchro acceptam, si seruarent, utique ipsa pulcherrima essent: Sed quia causæ secundæ pro suæ sortis conditione à prima deficiunt, ut sint in eis distincti gradus, ex debiliori uirtute eorum non ualentes moderari subiectum producunt nonnunquam effectum deformẽ. Animis autem, qui sunt suo arbitrio donati (ut rei ueritas est, delirent qui uoluerint arbitrio suo) facilius deficientibus multæ deformitates relinquuntur in moribus: Quod etiam cœlestibus mentibus contigit, antequã (ut dicunt theologi) essent in gratia Dei consolidatæ. Nec mirum si nos imbecilles non cõducamus operationes nostras cum summo exemplari concordes, quousque per extremum glutinum gratiæ, & amoris ipsi pulcherrimo coniungamur: Sed hoc mentibus tam angelicis, quàm humanis solummodo post pugnam, & uictoriam cõsecutam donatur. In pugna uerò hac adeo à summo pulchro, & debita consonantia deficiunt mortales, quòd hanc mundanam scenam fœditatibus,

Diony. Socrates Plotin. Academ. Stoici. Peripa. Theol.

turpitudinibus, omnigenis deformitatibus, & strepitibus complent: Quæ nisi à supremo moderatore regularentur, aliquãdo tantus horror perstreperet: ut tartareæ confusionis initium sentiremus. Sed multa mala, & deformitates per ministros, quos corporeis oculis non uidemus, coërcet. Et hi sunt angeli hominibus præsidentes, uel archangeli qui prælatos, aut principes regunt: uel principatus, quibus (ut Dionysio, Hierotheo, & Iamblico placet) prouinciæ creditæ sunt. Sed primos suo loco reseruantes, adducamus quæ de principatibus Danieli orãti pro redemptione captiui populi à Gabriele archangelo dictum est: Venissem ad te à principio orationis tuæ, ut decreueram: sed princeps regni Persarũ restitit mihi uiginti & uno diebus. Quæ resistentia (ut sentit Gregorius) non ex altercatione processerat, sed ex cœlo sibi creditæ gentis, morã procurabat Danielis, & religiosi populi: quamuis à principio fuerit exauditus: Ex qua mora elongarentur Persæ à deturpanti infidelitate: & per fidem, & deuotionem summo pulchro adhærere possent. Testatur & Iesus filius Sirach unicuique genti præpositum esse rectorem. Et bene principes illi rectores dicuntur ducere ad rectum, quod nihil aliud est, quàm partes coordinare ad inuicem, & ad archetypum totius ordinis: undè sequitur pulchritudo, & pax. Quibus ex aduerso principes sunt, deformare, & obtenebrare satagentes: undè tenebrarum principes iure dicũtur. Et sicut ipsa Deifica pulchritudo per principatus ad æternum decorem nos iubet conduci: Sic per Venerem ad externam pulchritudinẽ, & ad dispositionem intrinsecæ Deiformitatis cõducimur, ut pulchro addito pulchro, resultet pulcherrimum: ut Albertus ex promptuariis suorum Peripateticorum depromit. Hinc Deifica pulchritudo pulchrum hunc mundum sua mente gerens uenerea ui (si licet) explicauit in effectum nullis externis causis impulsus, sed insita forma boni, qua (ut Dionysius inquit) quisque facilè se communicat. Et ne quempiam offendat Veneris nomen in Dei negotium commixtum, sciant legentes nos non intelligere, nec meretricem Venerem Paphi reginam, nec sidus collocatũ in tertio cœli uolumine: sed amoris uim, quæ in omnibus uiget: De quo multa celeberrima deponit Plato in Symposio. Hoc quoque Deus summus opifex agit nobiscum: & eundem reciprocatione quadam à nobis exquirit, & mandat: ut uidelicet Deum ipsum diligamus, & proximum, inde totam legem, & prophetas dependere docens. Hæc est enim illa amoris uis, quæ ad beatitudinẽ, summamq; pulchritudinẽ introducit, non ad cupidinem inferiorem sub typo pueri cæci, alati, nudi, pharetram & arcum gerentis à poëtis depictum: ut sapiẽter dicat Affranius: Amabit sapiens, cupiunt cæteri. Hinc Apuleius duas Veneres describit, alteram cœlestem, quæ solis hominibus, & eorum paucis præsit, nullis ad turpitudinem stimulis, uel illecebris amatores suos percellentem: Alteram uerò uulgarem: quæ sit percita populari amore, non modo humanis animis, uerum & iam pecuinis, & ferinis, ad libidinem imperitare: & immodico, trucíq; perculsorum animalium captiua corpora complexu uincientem: Eademq; lege, qua

Margin notes: Diony. Hierot. Iambli. Daniel — Grego. — In eccle. — Albertus — Diony. — Plato. — Affran. Apule.

geminatur Venus, geminatur & Saturnus, & Mercurius, cæteriq; Planetæ: ut ex Ptolemæo, & aliis sapiẽtibus discere possumus. Est igitur bona Venus, quã do ei fauent principatus, & numen illud amoris supramundani: Cuius significatio est (ut dicunt inferiores, & superiores astronomi) gratia, iocus, omnis decor, omnisq; uenustas, ut grati sint huiusmodi Venerei Deo, & hominibus. Et de principatibus ait noster Dionysius: quòd deducunt ea, quibus principantur, in conformitatem opificis: cuius imaginem gerunt: Ipsius enim pulcherrimi non gerunt imaginem, nisi pulchra: Ideo principatus omnia deturpãtia à prouinciis, quibus præsident, coërcere nituntur, & hoc ingenti uirtute. Hinc de eisdem subinfertur: Confœderati sunt ordine sancto, & conuenientissimo cum principalibus uirtutibus, à quibus uim suscipiunt: ut opus suũ efficacius conducant. Et quia non exigitur uirtus exigua ad redintegranda, quæ deturpata sunt: ideo non solũ à sanctis uirtutibus, sed à summo principe sibi fauorem comparant: ut tertio loco sequitur: Ad summum principatum sunt tota intentione conuersi. Et quantum eos in omnibus prosequatur Venus, in propatulo est: si qua de ipsa mathematici uera deponunt: Docent enim, quòd bona sunt Veneris decreta: & si bona fuerit radiatione illustrata, meliora sunt. Hinc Ioue, aut Sole ipsi fauente, ad iustum, clarumq; amorem facilè conducit conueniens cum principatibus: qui, ut uirtutẽ hauriant, ad uerum Solem semper aspiciunt: A quo habent etiam uerum principatum: undè possint aliis dominari. Hinc sequitur quarto, ut sint aliorum præcipua dignitate duces, ad illud principificans principium, quantum possibile est, cõuersi informantur. Duces quippe sunt dominationes, Duces potestates, Duces & principatus: Sed primi ex magnitudine quadam ab omni pedestri summissione elongati. Potestates autem claritate quadã præcellentes, & quasi ex præmio rerum clarissimè gestarum habent, ut captiuis dominentur, & iubeant. Principatus uerò, tanquam archtitriclini in palatio regis, aut in prouinciis sibi creditis præsidentes, curant, ut omnia bene composita splendeant. Hinc dicitur, quòd præcipua dignitate sunt duces ad conducendos, quos curant: ut summo, & pulcherrimo principe digni sint. Ad cœlos quoque descendendo, Iuppiter ex iustitia, & temperamento quodam compositissimus præsidet cum dominationibus: Sol ex claritate, & magnifica uirtute cum potestatibus: Venus autẽ præcipua elegantia suos facit compositos: ut omnia, quæ pertractant, suauissima consonãtia moderantes pulchrifaciant: In quo uterque exprimit nobis pro uiribus supremum illum, ac pulcherrimum principatum: Nam operationes habent simulachrũ mentis: & mens bene disposita simulachrum Dei. Hinc de principatibus ultimò subinfert Dionysius: quòd conantur manifestare in nobis illud summum principium dans omnibus principatum. Patefaciũt insuper Deificum illum ordinẽ, & decorẽ in intrinsecis: Phosphorus autem corporea, & extrinseca pulchra, uenusta, & corporeis luminibus grata reddere satagit oblectans in superficie, sicut Saturnus sua oblectamenta ad centrum, & intrinseca collegit.

Ptolem. | Diony. | Math. | Diony.

Qua cantilena Mercurius cum archangelis concinat. Cap. XII.

Diony. D *archangelos deueniens noster* Dionysius *ait: Ipsa autem sanctorum archangelorum uirtus æquipotens quidem est cœlestibus principatibus: Est enim eorum, & angelorum (ut dixi) hierarchia, & dispositio una: Siquidem non est hierarchia nisi & primas, & medias, & ultimas uirtutes habens. Archangelorum sanctus ordo in communicatiuo medio constitutus communi quodam, socialique iure extrema complectitur: Altioribus nanque principatibus, & sanctis angelis communicat: Illis quidem, quoniam ad supremum ipsum principatum præcipuè intentus est, & ad eius (quantum fas est) formatur imaginem: & angelos ordinatissimis, & inuisibilibus ductibus unit, & iungit: Ipsis uerò archangelis inest propheticum officium: ut diuinas illuminationes hierarchicè per primas uirtutes suscipiant: & angelis eas Deiformiter annuncient: & per angelos nobis manifestent secundũ sacrã uniuscuiusq; illuminatorũ analogiã.* Hæc noster Dionysius. *Arcanum celeberrimum depromit: quòd non sit hierarchia, nisi in ipsa fulgeant uirtutes, & charismata suprema, media, & infima: ut quælibet hierarchia à trino opifice procedens tribus sit connexa ordinibus: & tota multitudo in tres hierarchias distribuatur: Quarum prima ad ipsum* Deũ *semper aspiciens illi immediatè seruiat, Seraphini uidelicet, Cherubini, &* Throni: *Sequens uerò ad* Deiformem *uirtutem nobis conferendam: quod in dominationibus, uirtutibus, & potestatibus declaratum est: Sed ultima ad dispositionem humanã, ut Deiformis efficiatur homo, addicta est: Nec tantũ ad prouincias, principes, & particulares homines conducendos, ut omnibus triuiale est, sed etiam ad quædã secretiora in nos deducenda: Pro cuius explicatu accedemus ad triplicem reditũ*

Academ. Plotinus. *animæ in Deum: de quo* Academici *(*Plotinus *maximè nescio quo spiritu attractus) sedulo disserunt. Qui reditus fit (ut dicunt) per musicam amatoriam, & philosophiam. ut per musicam numeris, atque mensuris ad canoras uniuersi, & archetypi harmonias excitemur: Per amatoriam modis pulcherrimis afficiamur: Per philosophiã uerò rationis, & discursus beneficio adiuti abstrahamus uniuersales rationes: aut (ut habent in usu scholastici) quidditates rerum. Quorum primus fit per sensibilem quandam rationem, qua percipimus rerum consonantiam; Secundus per rationem concupiscibilem, qua afficimur illi perceptæ numerosæ consonantiæ: Tertius uerò per rationem intellectualem abstrahentẽ ab omnibus sensibilibus, per quos gradus euecti ad altiora conscendentes, animũ inducimus ad ideas totius pulchritudinis, & consonantiæ: Demum ad ipsum bonum, & pulchrum, ad quod omnes ministri, & instrumenta eius inuitant, & attrahunt. Ad numerum enim* Mercurius, *ad amorem* Venus, *ad abstractam uerò contemplationem* Phœbus *impellit: Et aliquando* Luna Soli *familiaris eius fun-*

Iul. firm. Mathe. *gitur officio, & nomen sibi uendicat à* Phœbo *dicta phœbe: Quæ (ut* Firmicus, *& alij mathematici asserunt) facit bonarum artium cultores, ac omnium re-*

rum sublimium exploratores diligentißimos. In causis autem supercœlestibus, & ministris summi principis eadem fiunt per hierarchiam hanc extremam: angeli enim absolutos à sensitiuis uinculis, & supernis uacantes suscipiunt: archãgeli uerò cum suo Mercurio diuinos numeros contemplandos apponunt: qui numeri sequuntur abstractionem à sensibus, sicut sensitiui & uocales praecedunt. Principatus postea, qui omnes æquanimiter curant, omniáque disponunt, ad summum illud pulchrum, cui uerè affici debemus, introducunt: Quo tendit illud Iamblici, sed ut melius dicam, Trismegisti: à quo Iamblicus dicit, quod scriberet: angeli absoluũt à materiæ uinculis: archangeli sonoritate sua sursum euocant: principatus ad pulchritudinem ipsam ui amoris trahunt, & coniuiunt: Et sic omnes ministri principis officia sibi credita fidißimè exequentes omnes, quorum curam gerunt, deducere ad communem principem satagunt: nisi aduersentur sibi commißi. Vnde quærenti, cur angeli Persarũ, Chaldeorum, & aliarum nationum non deduxerint ipsis creditos ad ueri Dei cognitionem, respondet Dionysius dicens: Non possumus dominationes, aut archangelos rectos, & iustos accusare: si gentes eis creditæ ad eorum, qui Dij falsò dicuntur, culturam sunt deuolutæ, sed illis imputandum est: qui moribus propriis à rectò calle in Deũ tendente sponte sua deuiarunt: Cuius erroris adeo perniciosi causa fuit amor proprius, atque superbia. Vndè & aliquando rebelli populo Hebraico idem crimen impingitur per prophetam dicentem: Scientiam Dei repulisti: & post cor tuum ambulasti. Hucusque Dionysius. Et cum ipsum Deum cognouerint, aspernati sunt semitas eius, Ideo familiares, & ipsis fauentes angeli illud dicunt, quod in Ieremia scriptum est: Curauimus Babylonem: & non est sanata: derelinquamus eã. Et iterum contra elatos Idumæos zelo Dei succensus exclamat. Arrogantia tua, & superbia cordis tui decepit te. Docet enim noster Dionysius: quòd archangeli cum principatibus, & angelis qui sunt in eadem hierarchia, satis conueniunt, paucis exceptis: uidelicet quòd isti extrema loca tenent, archangeli autem medium: Item quia archangeli cum utrisque illorum cõueniunt: sed illorum quilibet cum ipsis tantũmodo: & quia habẽt se ordine quodam secundum sub, & supra: undè principatus archangelos: & isti angelos, tanquam eorum prophetæ collustrant: Et postquã tertius hic ordo in ascẽdẽdo, scilicet principatuum est tanquam propheticus, non est mirum si Paulus euectus fuit usque ad hunc tertium cœlum: ut inde hauriret ea, quæ gentes, & principes, & filios Israël doceret: Ad quod tertiũ supernũ cœlũ conscenderũt & prophetæ omnes lactentes ab illis sacris uberibus, de quibus in Canticis dicitur: Inter ubera mea commorabitur dilectus. Et iterum: Quãpulchræ sunt mammæ tuæ: quando uidelicet lacte plenæ sunt: quod per principatus, & archangelos, & angelos exprimitur: ut per ipsos nos pascat Deus: sicut pauit electam familiã illam Israëliticam in terra lacte & melle manante: Et hoc proprium est pastoris officium, pascere sibi creditum gregem: & cum facibus uerarum doctrinarũ

Iamblic. Trism. Diony. Ierem. Diony. Paulus. Cãtic.

illuminare,& accendere. Hinc Apostolis quos prætulit duodenis tribubus, & uniuersæ ecclesiæ militanti, dixit uerus Sol: Vos estis lux mundi: & de Ioanne, qui docebat dirigere uias Domini, & rectas facere semitas eius, dixit. Ille erat lucerna ardens, & lucens: & sicut musicus omnes fibras, & uoces dissimiles conatur ad unicum sonum deducere, sic archangeli cum imagine summi principis omnia comformare, & componere student: ut sibi perfecta unione copulentur. Sic & Mercurius numeros uocales, & formales, aut rationales conducere in eandem consonantiam laborat. Hinc docet Alchabitius quòd si Mercurius cum Saturno coniungitur, decernit ad numerum quo terræ, uel ædificia mẽsurantur: Si cum Ioue, ad numerum psallendi: Si cum Marte, ad numerum bellicum: Si cum Venere ad numerum fidium, sonorum, atque fistularum. Hæc secũdum doctrinam eorum, qui inferiora tantummodo sapiunt, dicta sint. Si autem altius conscendere uoluerimus, deducit Stilbon noster (quem Hebræi Stellã per antonomasiam uocant) ad compositionem numeri rationalis cũm diuino: docétque ueram concordiam, & unionem cũ Deo: de qua dicitur, Qui adhæret Deo unus spiritus efficitur cum eo. Vndè (si ritè docent secretiores Hebræi) Mercurio præsidet archangelus Michaël supracœlestis sacerdos, Qui constitutus super omnes animas suscipiendas conatur eas in Deum deducere illa consonantia, & harmonia, qua ipsi perpetuò cõiunctæ semper prorumpant in perpetuos hymnos, & laudes illius maiestatis æternæ. Et hoc est, quod de ipso, cæterisque archangelis prædixerat Dionysius: quòd angelos, & omnes sibi creditos unificat pro quanto sunt bene ornati, & dispositi uirtutibus, & meritis: aptíque sunt ad unionem illam cum summo pulchro, & consonantissima unitate: quæ nullam dissonantiam in suo regno pacis, & tranquillitatis admittit. Et hoc faciunt angeli officio quodam prophetico suscipientes illuminationes per primas uirtutes, & eas inferioribus angelis, & hominibus manifestant magis, & minus, secundũ analogiam recipientium: Non enim æqualiter angeli omnes docent, sed pro captu uniuscuiusque, ut in libro triginta duarum semitarum apud secretiores theologos Hebræorum celeberrimo scribitur. Est etiam hoc celebratum apud Peripateticos in eo, qui de anima scribitur: quòd agunt agentes in subiecta secundũ eorum dispositionem: Quos archangelos tanquam ueros præsides, & duces imitantur boni prælati docentes gregem, & dirigentes in Deum pro uirili sua, & unumquemque pro quanto dispositi sunt.

[Margin notes: CHRISTVS. — Alchabi. — Hebræi. — Paulus — Diony. — Tho. he. Aristote.]

Quomodo denique Luna coaptetur cum angelis. Cap. XIII.

[Margin note: Diony.]



AD angelos tandem ueniens noster Dionysius ait: Ipsi enim angeli (sicut prædiximus) completiuè consummant omnes cœlestium animorum dispositiones, secundũ quod consummandũ est. In cœlestibus quippe essentiis habentes angelicam proprietatem, & magis nobis propinqui angeli aptius nominantur, quàm priores, quanto circa euidẽtiora uersantur: & familiarius nobis diuina nuntiantes nostra omnia ornare stu-

dent. Hæc pauca de inferioribus ministris depromit: Primo, quòd concludunt, & complent dispositionem omnium cœlestium spirituum, cum ultimi sint: Secundo, quòd uerè annumerantur inter angelos: Tertio, ꝙ magis dicuntur angeli, id est nuntij: eo quod frequentius mittantur, & familiarius agant nobiscum: Vltimo concludit, ꝙ hæc mũdana negotia ab eis ferme omnia disponũtur. Hinc paulo inferius subnectit. Statuit altißimos terminos gentium, iuxta numerum angelorum Dei. Quod si à Deuteronomio accipitur, nostra traductio simul cum ueritate Hebraica habet: Constituit terminos populorum, iuxta numerum filiorũ Israël: Sed Dionysius forsitan iuxta numerum angelorum dixit: quia per ueros filios Israël electi designantur, iuxta illud Saluatoris: Non ueni, nisi ad oues, quæ perierunt, domus Israël, id est electorum: Nam oues collocandæ in dextris electos, qui tandem sunt in angelos, imò in ipsum Deum transformandi, significant: ideo angeli dicuntur. Æquiparat etiam, magno mysterio suo loco declarando, numerum angelorum cum tribubus Israël, id est electis. Opinantur enim nonnulli sapientes numerum electorum æquandum cum numero sanctorum angelorum: ut plena sit ad inuicem mutua proportio: & harmonicus concentus. Quantum autem Luna cum angelis conueniat percurramus: Est enim Luna ultima planetarum, claudens, & complens dispositiones eorum: Annumeratur secundo loco inter planetas: Tertio, cum magis dicatur planeta quàm alij: sicut illi de ultimo ordine peculiari uocabulo dicuntur angeli: Et quarto manifestius hæc omnia inferiora disponit. Quo ad primum, Influunt omnes planetæ in ipsum ultimum suscipientem omnes superiorum influxus inferioribus communicandos: sicut Luna Deifera, quæ à secretioribus Hebræis Malcut dicitur: & nobis immediatè communicat omnia: quæ à superioribus canalibus imbibit iterũ refundenda. Et quamuis sit ultima planetarum, connumeratur tamen cum illis, sicut Malcut cum diuinis illis mensuris. Quomodo autem magis dicatur planeta, dicimus ꝙ hoc est secundum obseruationem: quia magis Lunæ decreta, quàm aliorum planetarum attenduntur: Et hoc aut ex familiaritate, quam habet nobiscum, siue quia maior citra Solem, quàm alij apparet: uel quia magis uaria in motu, aut quia nocumenta eius ex suapte natura frigida euidentiora sunt: aut quia receptaculum est omnium aliorum influxuum: siue quia motus eius est magis sensibilis uulgaribus (inquit Ptolemæus) & etiam sapientibus, qui hanc sibi disciplinam uendicant. Vndè à quibusdam huiusmodi generis sciscitanti mihi, cur tantummodo in dandis pharmacis, in aliisque rebus administrandis Lunæ decreta, & non aliorum planetarum obseruabant, responderunt ipsi: Quia Luna magna est, motusque eius clarè percipitur: & nobis propinquior est. Risi recordatus, quæ Ptolemæus in principio apotelesmatum præmittit: ꝙ luminariũ effectus, quia maiores, & euidentiores, ab imperitis obseruantur: quod etiam quibusdam animalibus contingit: ut sentiant luminarium effectus: sed experti, & prudentiores etiam ad aliorum syderum decreta aspiciunt prognosticando

Deuter.

CHRISTVS.

Ptolem.

Idem

ex eorum aspectibus hyemes longiores, ualidos, ac diuturniores uentos, & niues, & gradines, & huiusmodi: quae ex uariis stellarum fixarum, & errantiũ syderum dignoscuntur: siue ab ipsis procedant illi effectus: siue ab intelligentiis praesidentibus, siue à Deo iubente: ut istae exequantur, & illa signent: aut tanquam instrumenta coagant. Verum quia Galenus in prognosticandis infir-
Alchin. mitatibus, & morte inde proueniente, & Alchindus in Pharmacis, potionibus, & pillulis tribuendis decreta Lunae obseruare uidentur: non gaudeant: qui tantummodo luminaria simul cum irrationabilibus animalibus cognoscunt. Nã utrique, simul cum Luna executrice eorum, quae superiora decernunt, obseruãt etiam illorum decreta. Extat & alius effectus, quo Luna potest magis dici pla-
Ptolem. neta quàm alij: frequens uidelicet (ut inquit Ptolemaeus) & uaria mutatio: ut patet in diothotomitate, & plenilunio: quia tunc fiunt sensibiles alterationes, maximè in debilibus: Et p quartas reuolutiones coeli apparent euidentes fluxus maris, & refluxus. In quadrato autem aspectu cum Sole, eo quòd uires amittat, debilissimum fit augmentum, & decrementum aquarum. Sic & angelorum effectus magis sentiuntur: qui aliquando bene expurgatis animis sese etiam uisibiles praebent: ut uirgini Caeciliae, & marito Tyburtio, & Valeriano leuiro purificatis, baptismate suscepto ab Vrbano episcopo. Viderunt eos & sanctae mulieres: quae ad sepulchrum Christi solicitae conuenerant. Petrum de carcere liberauit angelus, qui adeo illi familiaris erat: ut pulsante ipso ad ostium Mariae Ioannis matris post liberationem, idque ingenti gaudio Rode ancilla nuntiaret astantibus, nonnulli dixerunt: angelus illius est: Vndè colligitur angeli consuetudo cum Petro. Loquebatur & angelus cum Ioanne. Luctabatur cum Iacob. Tres simul cum Abraham familiarius egerunt comedentes, ut uidebatur, & denuntiantes foelicissimum uxoris partum, & horribilẽ Pentapolis stra-
Agar gem. Egit & angelus Abrahae domesticus nimis familiariter cum Agar expul-
Gedeon. sa à Sara. Gedeoni quoque triticum expurgãti praesto fuit angelus Domini tri-
Manue buens ei robur contra Madianitas. Manueh etiam & uxorem eius de conceptu, & partu fortissimi Samsonis, deque uita, & sanctimonia eius, & de sacrificio Domino libando familiarissimè docuit: Insuper uidentibus ipsis cum flamma
Elias holocausti in coelo conscendit. Angelus Eliam in Bersabee bis excusit: bis pabulum subministrauit: & in Horeb docet, quem super Israël, & quem super Assyrios ungat in reges, & quem sibi successorem prophetam constituat. Flentes po-
Iudicum pulos angelus in libro Iudicum aperta uoce redarguit: quorum patres tanta celebritate praecedens de Aegypto liberauit, per mare, & desertum conduxit.
Tres pu. Tres pueros in fornace solatur, igneam flammam ueluti gelidum rorem prae-
Daniel Zachar. bens. Loquitur Gabriel cum Daniele recondita mysteria, & Zachariae magni Ioannis conceptum denuntiat. Reginae quoque coelorum plena legatione fungẽs, celeberrimoque nuntio conceptum, & partum Mesiae saluberrimum praedixit. Longum esset omnes retexere, cum quibus angeli consuetudinem habuere: sed

de eorum conditione prosequamur. Concludit ultimo loco Dionysius: quod negotia nostra disponunt ea uirtute, & influxu, quem à superioribus susceperunt. Et Luna omnium superiorum afflationes colligens, corpus nostrum undique agitat & disponit, caput uidelicet cum est in Ariete, collum in Tauro, & sic deinceps, ut iam in propatulo omnibus est: & astronomi de hoc paßim deponunt. Corpus itaque extra, & in penetralibus totum disponit. Patentia enim membra patefaciunt Lunæ dispositiones ferro tacta: quando Luna est uidelicet in signis membris illis præsidentibus: In intestinis autem eius sunt decreta manifesta: ut uideantur ad eius imperium pharmaca operari: & nequicquam aliquando sumi: ut Ptolemæus scribit: & clara experientia comprobatum est, utputa, quando Luna cum Ioue congreditur, quasi ipsi cedens, uix quicquam operatur. Cōprobatum est etiam idem efficere Veneri coniunctam: Et quod operatur Luna in exteriori tantummodo, idem in utroque homine faciunt angeli. Diony. Aston. Ptolem.

Conuenit iterum terra cum Luna. Cap. XIIII.



Bsoluta concordia primæ, & secundæ enneadis flectendus stilus est ad conuenientiam elemētorum cum cœlis, & supracœlestibus mentibus. Et primo est terra Lunæ respondens multiplici consonantia, Primo quia terra aquam attrahit, & imbibit: adeo ut sapiens inter insaturabilia terram annumeret: quæ nunquam satiatur aqua: sic Luna perpetuo attractu aquam deducit, aliquando ascendere faciens, quando uidelicet ipsa ab orizonte orientali ad medium cœli conscendit, & ab ipso medio cælo descendens ad orizontem occidentalem ipsam aquam secum deducit tanta ui, ut uideatur fugere à nobis. Cum iterum inde ad oppositum medij cœli pergit, aquam secum deducit: Rursus rediens ad ipsum orizontem orientis aquas tanquā sibi pedisequas cōducit: Humores etiam in arboribus corporibusq; humanis excrescendo sursum trahit, decrescēdo ad ima depellit. Conuenit secundo in qualitatibus primis, frigido atque sicco: quibus terra actu, Luna uerò uirtute referta est. Hinc nocua, hinc maligna immerito culpatur, cum benefica sit: Imbibit enim ex natura sua terrea aquas illas cœlestes, & affluxus omnes: quos ex uicinitate sua nobis communicat. Ab aliis ergo planetis, maximè Sole recipit quod terrestribus impartitur. Hinc Plato in conuiuio dicit Lunam Solis, terræque participem. Est insuper uarietate singularis: undè modo curuata est in cornua, modo æqua proportione diuisa, modo sinuata in orbem conspersa est maculis, aliquando pleno orbe immensa, ac repente nulla, nunc in aquilonem, lata, nunc in austrum deiecta, Iā subiecta coitui breui dierum spatio, & statim grauidatione plena, moxque parit conceptum. Terram igitur in hac multigena uarietate sibi aßimilat, quæ nunc ornatu suo spoliata subfusca apparet: nunc herbis, floribusque depicta pulcherrima uidetur: Pars aliqua petrosa, alia paludosa, macra alicubi, pinguißima alibi, depreßa uallibus, elata montibus, fertilis hic, alibi sterilis conspicitur: Pars conspersa uariis maculis, Salomon Plato.

pars rubea, pars nigra, pars alba, uel subfusca uidetur: Tenax etiam ex ea portio reperitur, & alia harenosa & fluida: Nũc iterũ effœta, nunc stellarũ coitũ suscipit, & breui spatio prægnans fœtum deducit. Gaudet igitur inter sydera Luna, inter elementa terra uarietate multigena: qua etiam aßimilantur.

Aqua cum Mercurio, & Saturno intersonat. Cap. XV.



Ercurij natura tanto difficilior est explicatu, quanto ipsa stella occultior est: adeo ut uix, & raro uideatur. Latet autem eius uis: quia facilè induens naturam planetæ, cui coniungitur: aut signi in quo residet, operari uidetur non secundum quod est ipsi propriũ, sed ut alterius executor. Hinc Hermes, id est interpres dicitur fœtuum, quos conceperunt alia sydera: Cum Sole enim (Ptolemæo teste) desiccat: cum Luna infrigidat: cum Saturno fauet intelligẽtiæ: ut alibi idẽ perbibet: Cum Marte in rebus bellicis (ubi audacia exquiritur) ingenium præstat: Cum Venere autem permixtus androgynum, aut hermaphroditum generat (ut fingit antiquitas) ab Hermete & Aphroditè denominatum: Et id occurrit, quando quis ingenium à Mercurio præstitum in lasciuia secundæ, id est deordinatæ Veneris exercet: Et huiusmodi in sacra pagina effœminati dicũt utriusque sexus pignus tenentes. Quod Plato sub alio ænigmate describit: hominem uidelicet ex Sole, Luna, terraque confectum, & hunc habere à Sole, ut masculus sit: à Terra uim fœmineam: à Luna, quæ de utroque participat, promiscuã naturam, ut Androgynus sit: Masculus itaque & uir, quando uerò Soli adhærens à facie eius concipit, & parit opus dignum Deo: Fœmina uerò cum solum animalis, aut corporis terrei opus exercet: Promiscuum autem, cum Sole & suprema luce relicta naturale lumen cum animali terreo cõponit: Vndè huiusmodi à Plat. sectus dicitur in duas partes, relicto meliori deterioriq; uacãs. Sic noster Mercurius cum rationali discursu conueniens, ipsique fauens, nunc ad superiora, nunc ad inferiora conuersus uarios parit effectus. adeo ut eius complexio facilè apprehendi nequeat: Est tamen (ni fallor) aqueus natura. Hinc Lucanus decantat ipsum arbitrum undis: Sic etiam planetarum ordo exquirit: ut post Lunam terream sit Mercurius aqueus: Venus aërea: Sol igneus. Et iterum, Mars igneus: Iuppiter aëreus: Saturnus aqueus: Signiferum cœlum terreum: Primum mobilè igneum. Quo ordine etiam angelicæ mentes succedunt: Habent enim angeli naturam terream cum Luna: Archãgeli aqueam cum Mercurio: Principatus aëream cum Venere: Potestates igneam cum Sole: Virtutes iterum igneam cum Marte: Dominationes aëream cũ Ioue: Throni aqueã cum Saturno: Cherubini terream cum firmamẽto: Seraphini igneam cum primo mobili: & cum archetypo in ignea ui Spiritui sancto conueniunt: Throni uerò cũ filio, qui est aqua supramundana, de qua omnium philosophorum, & theologorum facilè princeps Moses pertractat, quando aquas sub globo aut cortina cœlorũ segregat ab iis, quæ desuper erant: Quæ sunt aquæ angelicæ Deum, teste

Ptolem. Idem Antiqui. Plato Idem Lucanus Moses.

Dauide, laudantes: Sunt & summa affluentia bonitatis diuinæ, quæ ne plus q̃ inferiorum gradus, & opera merentur effundatur, interposita est continens illa cœlestis: in qua tanquam in tribunali quodam diiudicatur, quantum ex ipsa aqua cuiq; tribui debeat. Sed huiusmodi arcana Moses sub testa reclusit patribus, populisq; illis, quibus in figura omnia cõtingebant: Ex quibus multigenis, & occultissimis sacramentis antiqui philosophi, & uates aliquos cortices extrahentes sibi multa uẽdicarunt: adeo, ut credatur Pythagoræ, Socratis, Platonis, Aristotelis, & aliorum sapientia, quæ à summo fonte Deo per Mosem ad mortales emanauit, ut ipse Moses, & non Socrates (sicut scribit Cicero) sapientiam uocauerit de cœlo, & primus literis publicis commendauerit. Sed clarius hæc explicata habẽtur à Christo, & eius asseclis, quibus eadem credidit. Et forsitã hæc aqua sapientiæ salutaris diffusius adhuc propinabitur mortalibus, quando superiores Dei ministri in aqueum cœli atrium conuenient omnes, quibus à supremo fonte dabitur facultas aperiendi excelsos illos canales, nunc ob infœlicia tempora conclusos: imò ob mala merita illorum, qui his deterioribus offuscati, infœlicésque tenebræ effecti illam supremã lucem, & aquam apprehẽdere nequeũt: nec merentur: Quos canales iubeat Deus sua clementia aperiri: quia terrena facies iam in summa ariditate reperitur, & propinet, sicut propinauit Mosi: qui merito sumptus ex aquis dicitur: Perfundatq́ue ipsam Dei filius aqua suprema per ministros in cubiculum aqueum colligendos, sicut olim tanta copia propinauit discipulis, ut flumina de uentre eorum scaturirent aquæ uiuentis: undè fieret fons saliens in uitam æternam. Sed ad nostrum Mercurium redeundo, naturam sapit aqueam: Nam sicut hæc lauando aufert obtegentẽ maculam: ut appareat nuda rei forma: sic ille Hermes uerus interpres amouet testam extranei idiomatis, obscuritatem ænigmatum, & parabolarum, aut cuiuscumque detrusi sermonis difficultatem: Et aperiens ea, quæ in penetralibus arcanis Dei: & naturæ recondita sunt, nudam offert ueritatem contuendam. Et ut cum Mercurio aliquid prodamus de internis, diuinísque promptuariis, est in coordinationibus superioribus suprema aqua: Quæ sapiẽtia, & Dei filius dicitur: Est media pietas, misericordia, & pax: Et inferior, uber lacteum, quod omnes prophetæ suxerũt, & Paulus simul cũ aliis, quibus datum est conscendere ad tertium cœlũ, ut illis inuolucris propinarent: quibus permissum est cognoscere mysterium regni Dei tantũmodo in parabolis. Habet ergo Hermes, ut sapiat, interpretetur, reuelet à suprema aqua, quæ ait: Nemo nouit Patrem, nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare: Et iterum: Omnia, quæ audiui à Patre, nota feci uobis. Nec dicimus, quod hoc faciat stella Mercurij, nisi quantum ipsa operari potest aut disponendo, aut ueluti instrumentum intelligentiæ præsidentis. Dicitur insuper Mercurius à mercibus, quibus præest: quæ cõmutantur pretio metallorum, quæ aquea sunt: ut uirtute aquea elementari, & cœlesti currant ipsæ merces.

Cicero

CHRISTVS, Idem

Aër cum Ioue, Venereque reboat. Cap. XVI.



Er Veneri respondet ipsius natura (ut physicè in astris loquamur) humida, & calida: Hinc animalia aërea ipsi dedicarunt. Et sicut aër, & spiritus disgregata copulat, & coniungit, sic uirtus illa Venerea. Sed duas Veneres esse aperto dogmate docent

Acade. Academici: Alteram quippe aetheream: Alteram uerò aëream: Superior munda, casta, ordinata, cum Ioue conueniens, superiora, diuina, & spiritualia connectens: Inferior deordinata, lubrica, uaria, & lasciua, animalia, & illis inferiora coniungit. Deque ista Venere tot obscœna à poëtis decantantur: quia omniũ

Augusti. malorum est causa, sicut illa omnium bonorum. Hinc ait Augustinus: Duo Amores fecerunt duas ciuitates: amor Dei regulatus & bonus, amorque proximorum usque ad contemptum sui fecit ciuitatem Dei: Sed inuersus amor sui us-

Gram. que ad contemptum Dei fecit ciuitatem diaboli. Vndè uis huius syderis à grammaticis Venus dicitur: quia ad omnia ueniat, malũ, scilicet & bonũ: Quod Or-

Orpheus pheus canit in hymnis: Generas (inquit) omnia, quæcũq; in cœlo sunt, & in terra, urgens mortales, & immensum genus ferarũ amoris furentibus philtris: Omniaq; amore replentur: & nihil eo uacuum est, sicut omnia aëre complẽtur, qui

Boetius naturæ uacuũ abhorrẽtis appetitũ replet. Amore enim (inquit Boëtius) cœli iũgũtur: & elemẽta cõueniũt in cõpositis. Amore animalia cohabitant: Ciuitas cõseruatur: & incremẽtum suscipit omnis Resp. Amore Deus orbem fabricauit, & gubernat: & summa omnium, quæ à nobis exquirit, est ipse amor. Diuinus

Diony. amor (inquit Dionysius) non permisit regem omnium sine germine in seipso manere: Et sicut amore se diffudit in omnia extra se, sic amore omnia ad se trahere delectatur, hominem potißimè: in quo conclusa sunt omnia: Ideo ipso uni-

Idem Hiero. to omnia unita erunt. Et cuncta hæc concludit Dionysius de mẽte Hierothei dicens: Amorem siue diuinum, siue angelicum, siue spiritualem, siue animalem, siue naturalem dixerimus, insitam quandam intelligamus, cõmiscentẽq; uirtutẽ: quæ superiora quidẽ ad inferiorũ prouidẽtiã mouet: æqualia ad socialẽ inuicẽ cõmunionẽ cõciliat: & postremo inferiora quæq; admonet, ut ad potiora, sublimioraq; cõuertãtur. Et quia in omnibus exquiritur amor, & Venus, Ideo utroq; sexu

Cyprii Aristo. Cyprij eam pingebant barba quidẽ prolixa, & ueste fœminea. Et Aristophanes uocabat eam Aphroditon, non Aphroditem: quia in omni sexu, omnique animo reperitur. Hæc quoque Lucifer dicitur, quasi ferens lucẽ: Solis uidelicet, aut ferens nos ad ipsam lucem, ideo Phosphoros dicitur: Nã amor & appetitus ueritatis per omnia conducit, quantũcumq; ardua: ut ipsam ueritatẽ adipiscamur. Dicitur eitiam Hesperos, quando Solem subsequitur: quia adepta uirtute non minori dilectione ei afficimur, q̃ antea. Quæ autẽ præcedit, est (ut fingunt poë-

Poetę tæ) cœli, & diei filia. i. paruula lux, & nouella claræ ueritatis, quã inquirimus: alioquin ad ipsam pquirẽdã nõ moueremur. Quæ uerò sequitur, Iouis & Diones. i. humiditatis filia: quæ ætherea est, & nitida. Aliam autem fingunt poëtæ

progenitam ex pudendis cœli, & spuma maris, & hæc est polluta ex spuma genita, & fece aquarum inferiorum nutrita, ut dicit Macrobius. Sed ueritatem pãdẽdo, ideo ex pudẽdis cœli genitam dicũt: quia generandi appetitus à cœlo animãtibus insitus est: Sed polluitur & sordidatur à deordinatis animis. Bona quoq; Venus trahi cygnis candidißimis dicitur: q puritatẽ in colore, delitias in cantu significant: Eiq; rosam inter flores suauißimam dicatam scribit Herodotus: inter plantas uerò myrtum potißimè: inter gẽmas margaritam: inter aues colũbam: Quarũ cõueniẽtiam suo loco reseruabimus declarandam: nũc de ea, quam habet cũ aëre prosequamur: Videmus enim omnia, quæ de duplici Venere dicta sunt, in duplici aëre reperiri: hoc turbulẽto uidelicet, & puro æthere. Hinc enim ad fœtũ, cõnubiaq; cõducit per uim spiritus ipsi incubantis: qui est uera uis aërea: undè uterq;, & spiritus, & aër, aut uẽtus eodem nomine nuncupatur ab his qui res uocant secundum earum proprietates. Turbulentus autem aër in Iunone describitur infestus supremæ Veneri, & his qui suo fauore gaudent. Sed tandem Venus sui Iouis præsidio præualet deteriori, & infestæ fortunæ. Macro. Hero.

Ignis cum Sole, & Marte feruet. Cap. XVII.



Elementaris hic ignis Soli respondet: qui est uerus, & cœlestis ignis (ut ex officina Platonica Speusippus deprompsit) decoquens omnia, quæ ad cibum magni animalis pertinent: sicut hic elementaris humani animalis cibum coquendo perficit. Dictus est quoque Apollo (ut eidem Speusippo placet) eo quòd uis eius ex multis ignibus constet: omnium uidelicet siderum uim & lucem solus continens. Nec stellarum concursus suos conducunt effectus, quousque phæbeo semine grauidentur. Cui & gallus (qui dat ut oua gallinarum fœcunda sint) dedicatus est. Hinc opinabatur Chrysippus Apollinem dici ab a, quod est sine, & poly, multitudine, quasi solus sit cœlorum & syderum uim continens. Vndè & Latini Solem dicunt, quasi solum lucentem: Et Aßyrij Adad, quod lingua eorum solum significat. Hebræi uerò שֶׁמֶשׁ Semes, quod proprium interpetrari potest, eo quòd lux, & eius beneficium sibiipsi proprium sit. Alia autem sydera ab eo utrunque impartitum habent: Lucetque tanto excellentius, quanto sublimior est ignis ille cœlestis hoc elementari: Calefacit uterq;, sed hic intropellendo, Ille extrahẽdo humiditates: Hic tantummodo propinquis beneficium præstat: Ille remotißimis, ut etiam in uiscera terræ penetret eius radiorum uirtus: qua metalla coquit, & perficit: quæ hic elementaris postea expurgat. Vulcanus quoque is dictus est à maiori ui, ac uiolentia ignea, aut quia canus, id est candidus in flamma uolat: Ille uerò cœlestis dicitur Phæbus à specie & nitore, undè pulcherrimũ fingebãt antiqui. Medicinæ insuper inuẽtorẽ dicebant, ex calore uiuifico, & benefica uirtute, aut forsitan secretiores philosophos imitantes: qui dicunt Raphaëlẽ (qui medicina, aut medicus Dei interpretatur) eidẽ præesse. Eius simulachrũ hic inferior ignis tenet: qui obfrigescentia animãtia calefaciẽs uitam quo- Speusip. Idem Cryß. Latini Aßyrii Hebræi Antiqui.

dammodo sibi restituit. Fugat cœlestis ignis tenebrosos principes, & eorum turmas: ut canitur in psalmis: Ortus est Sol, & congregati sunt, & in cubiculis suis collocabuntur. Et in Iob dicitur: Cum uiderint aurorã, arbitrantur umbrã mortis. Fugat & hic inferior eosdem: ut ualeat pro socio. Vndè non ab re primi pullulantis ecclesiæ sapientissimi institutores iusserunt lumina ad cadauera mortuorum accendi: à quibus non ammoueantur, quousq; perfectis sacris sacræ terræ cõdantur: Publicásq; orationes, & psalmodias, accẽso lumine fieri docuerũt: Quod & Deus, cui sacra ipsa exhibẽtur, exquirit, scilicet, ut omnia sacrificia igne offerãtur, & in altari semper ignis ardeat. Hinc Pythag. in symbolis: Ne loquaris de Deo sine lumine. Quod tamẽ alij, & etiã nosipsi alibi secũdũ analogiã interprætati sumus: Confert enim ad sacra infimus hic ignis lucẽs, cœlestis quoq;, angelicus, intellectualis, & diuinus: Obtenebrosus autẽ ignis nequaq̃, nõ infernus ardor, nõ malæ cõcupiscẽtiæ incendiũ, nõ immoderata excandescentia, nõ exusta intelligẽtia: Nã hic obscurus ignis omnia cõsumit, omnia sterilitate cõpletut nihil in nocturna illa flamma possit quis operari. Hinc aliqui interpretari uoluerũt ignẽ: eo ꝙ nihil ab eo gignatur. Est tamẽ bonus & naturalis ignis calor uitam tribuẽs, & fœcũditatem. Nec enim oua in pullos mutantur, nec eruca uel bombix in necydalũ, nec plantæ crescunt: nec aluntur, & fouẽtur animalia, nisi calore, aut superiori, aut animãti, aut elementari, quæ symbolo quodam congenea sunt analogia quadam. Et adeo ignis fœcundus est, ut seipsum gignat: & cæteris, ut generent, præstat nõ calore solo, sed lucis ui, quã haurit ab illo qui dixit: Ego sum lux mundi. Et ut declararet Moses omnia lucis beneficio ꝓducta, post fabricatam materiam (quam terrã uocat) opertam tenebris, dixit lucem statim fabricatam: qua omnibus daretur uita, & forma: & qua (ut ait Plato) cuncta uideri possent. Qui uitæ uigor est in igne illo diuino: qui spiritus uitæ dictus incubans super faciẽ aquarũ omnibus uitam præstabat, & formas, ꝑ quas unaquæq; res ab alia seiũcta à cõspiciẽtibus discerneretur. Nec enim à materia (ut aliqui opinantur) est (ut aiũt) indiuiduatio, aut determinatio rei particularis: sed à propria forma singulari (ut acutiores docent) quæq; distinguntur. Sed si uoluerimus acutius inspicere, undè ueniat hæc determinatio, comperietur: ꝙ à materia, forma, & spiritu prouenit: quod per literas punctaturas, & accentus sacri idiomatis innuitur, ut habetur in reconditissimis arcanis Hebraicæ theologiæ. Quos Plato imitari uolens in Cratylo, tantum defecit, quantum Græcũ idioma Hebrææ linguæ fœtus (ut ita dicã) spurius deficit ab ipso sacro, & mysterioso eloquio: In quo secundum rerum proprietates nomina ab Adam, iubente Deo, imposita fuere.

Psalmus

Iob

Pytha.

CHRISTVS.

Moses.

Plato

Idem

Lapides cum cœlis succentant. Cap. XVIII.



Vm mixta multigenã habeant naturam, non facilè cũ uno cœlo conueniunt: id maximè, quia in unoquoque primorum generum, multa interueniunt genera subalterna, & species: quæ diuersorum siderũ

naturam sapiunt. In lapidum enim genere diuersæ sunt species: sicut in metallis, plantis, & animalibus. Et quamuis lapides terrei sunt, quadam suffulti stabilitate: & metalla fluida, & ui ignea liquefiant, ut in aqueam naturam transire uideantur: In utrisq; tamen species diuersissimæ continentur: & cum diuersis nō tantū planetis, sed stellis fixis conueniunt: Adamas cum capite Algol, cum corde leonis granata: Et caudæ ursæ conuenit magnes: Alis corui smaragdus achamec iaspis: Scorpionis cordi sardonius: chrysolitus uulturi cadenti. Et multa huiusmodi pertractantur à Mercurio, & nouitioribus nonnullis, forsitan suo loco latius declaranda. Multa sunt etiam Marmorum genera: Est marmor Thebanum cæteris hilarius, uiride, maculosum, serpentum maculis aspersum: undè Latinè Serpentinus, Græcè Ophites dicitur. Et hoc multiplex, Lacedæmonium, augusteum, & tiberium. Porphyrites rubet candidis interuenientibus punctis, Leucostictos uocatus, Basaltes ferrei coloris, atque duritiei. Onychites in Arabia antiquitus, postea in Germania repertus. Alabastrites ex Thebis, Damasco, Carmania, India, Asiaq́ue originem trahit: quem cauant ad uasa unguentaria, & ustum contundunt pro emplastris. Est etiam Ligdinus eximij candoris, Thebaicus, intercinctus aureis guttis. Coralus nigro, albo, rubeoq́ue colore, quem aliqui Pyritem uocant. Simires, quem antea Pyropæcilū uocabant: quia sit flammis igneis uarius. Est etiam thascum marmor niuei cādoris, & uariis uenis distinctum. Magnes quincugenea. Tasio, silex cotes, tuphus, & quàm plurima genera, quæ a Plinio, Alberto, Vitruuio pro ædificiis faciendis memorantur. Sunt etiam lapides prætiosi multigeni, qui diuersas naturas sapiunt. Si tamen uolumus ex eorum communi proprietate ad unum genus suum primarium reducendo uni elemento, uniq́ue planetæ consignare dicemus, quòd terrei sunt: & cum Marte Saturno supposito cōueniunt ex natura duriori, & terrea, igne bene decocta, & adeo constipatā, ut tenuissimo spiritu uiuant: Viuunt nihilominus undè non immerito dicuntur lapides uiui: sola tamen uita gaudentes, ratione, sensu, & omni motu priuati, præter augmēti & alterationis: Crescunt enim & alterātur ignis & solis calidītate. Inest etiā eis appetitus tēdendi ad centrū aut ex grauitate, aut ex suapte natura. Ex eorūdem autem benefico temperamento cum Ioue: ex pondere, glutino, & stipticitate cum Saturno, ex duritie cū Marte, ex uita uero cum Sole conueniunt. Et si quid gratiæ in eis est, cum Venere, ex occulta uirtute cum Mercurio, & communi beneficio cum Luna. Plinius Albert. Vitruu.

Metalla idem faciunt cum Marte potissimè. Cap. XIX.



Etalla etiā multigena sunt, sed septē potiora cū erraticis syderibus (ut tritissimū est) coæquantur. Aurū soli merito comparatur (ut inquit Hierocl.) quia nullis tenebris sit admixtus: & qā excedit omnia, quæ sunt ei cōsimila. Argentū, æs, stannū, & huiusmodi. Et solū ex metallis rubiginem nō recipit: sicut sol nihil obscurū admittit. Argentū simul & argentea omnia, ut marchesita, & huiusmodi subii- Herocl.

ciuntur Lunæ: quæ quantum distat à Sole, tantùm argentum ab auro. Stannum Ioui: Sunt tamen qui ei attribuant aurum, argentum, & omnia aurata: Alij uerò aurum Saturno resignant ex pondere, ex uirtute uerò Soli: Stannum tamen proprium est Iouis: Aes Veneris: Aes uerò rubeum, ut aliqui asserunt. Sulphurea omnia, & ferrum, cũ Marte cõueniunt. Plumbum cũ Saturno, ut põdus & color indicat: ipsius enim sunt fusca omnia. Argentum autem uiuum cũ Mercurio, qui facilè induit naturam planetæ, cum quo coniungitur, aut signi in quo peregrinatur: sicut ipsum uiuum argentum aut natura operante, aut arte succurrente (ut aiunt) facilè in aliud metallum transmutatur. Et quamuis ad metallorum productionem omnes cœli concurrant, Sol tamen potissimè, qui omnium planetarum uirtutem cõtinens penetrat suis radiis in uiscera terræ, decoquens, & perficiens metalla omnia: Ad singulare tamen genus ipsius opitulatur planeta. Esto etiam ꝙ aqueam naturã sapiant metalla omnia: & unũquodq; suo planetæ natura respõdeat: in ditione tamen Martis esse uidentur, ut ex supremi archetypi arcanis docemur: in cuius parte aquilonari, quæ ab Hebræis גבורה gebura dicitur, & Marti præsidet, collocatur: & hũc tanq̃ instrumentũ habet sui opificij, aut interpretẽ, aut executorẽ suæ fœturæ. Hinc dicitur in Iob: Ab aquilone aurũ uenit. Eorum autem intelligentia in cratere superiori est Zamael, ut asserunt Hebræi: uel Typhõ, ut ait Orphe. In cratere autẽ inferiori, Ille qui dixit ponam sedem meam ad aquilonem: Qui à Saluatore princeps huius mundi Mamona, & diuitiarum dominus dictus est: ut in Euangelio, cui titulus est secundum Matthæum, dixit: Facite uobis amicos de Mamona iniquitatis. Quod omnes exponunt de diuitiis, & pecunia, sit argẽtea, aurea, uel ærea. In Euangelio quoq; Lucæ ait: Nemo potest duobus dominis seruire. Hic Mamona in Ieremia dicitur אמון מנא, id est Amon minio: Quod nos interpretatũ habemus tumultũ Alexãdriæ: Præerat enim Ægyptiis, qui opulẽti erant argẽto, & auro: ideo eius uim Deus per Mosem auferẽs iussit Hebræis, ut sibi tollerẽt aurũ, argẽtũ, & uasa quæq; pretiosa ab ipsis Ægyptiis: quæ tandẽ in sacra summi principis omnibus ritè dominãtis offerrẽt: Cuius imperio expoliatus fuit Mamona à populo Israelitico, & à Mose debilitatus uirtute: ut suos Aegyptios defendere nequiret: Vndè sublato fauore dominantis, ruerũt Aegyptij letali, subitoq; præcipitio. Romani autẽ & sacramẽta, & subordinatam potestatem ipsius Mamonæ non aduertentes, ut sibi accersirent auri dominatorẽ, templum in monte Auẽtino Ioui Ammonio dedicarunt, id est Deo Ammonio ab Ammo, qui Mamona dicitur: & non ab arena, nec ab Ammone pastore, ut aliqui opinantur. Et hũc in specie arietis (qui est ipsius Martis domus, aut roboris excelsi instrumentũ) uenerabantur. Qui Aries Aegypto dominatur: ut Hebræorum sapientissimi asserunt: quamuis alij ipsam Virgini subiiciant. Ideo (ut ipsi Hebræi prosequuntur) in exitu patrum eorum de Aegypto primogeniti Memphitici interfecti sunt: ut demonstraretur elisa uirtus, quam eis præstabat princeps, & primo-

Iob

Hebræi

Orpheus

CHRISTVS.

Roma.

Hebræi

genitus signiferi cœli. Quæ si secundum anagogiā intelligere uoluerimus, sublimiora hic includuntur mysteria suo loco forsitan declaranda. Cur etiam à redemptis ab illa seruitute primogenita à liberatore exquirebantur: Qui & immolari iussit pro peccato Arietē, caput uidelicet triplicitatis aquilonaris: ut Ptolemæus in primo sui Tetrabibli docet: à qua parte (Ieremia teste) Panditur omne malum. Inde ereptus ille Hebræus populus uerum transitum fecit in Dei uiui celeberrimū cultum. Quibus pluries indictum fuit, ne timerent ultra cœlorū signa, sicut cæteræ gentes: quia ab ipsorū uiribus exempti, tāquā peculiaris familia soli Deo subiecta, suo liberatori soluerent debitas gratias: à quo tyranno Ægyptiaco, & aquilonari, sicut Moses eripuit populum Israëliticum, sic Messiach omne hominū genus: ut diceret, Nūc princeps huius mūdi eiicietur foras. In quo singulari certamine lætus de uictoria citra peccatum, iterū dicit: Venit enim princeps mundi huius, & in me nō habet quicq̄ nec in primo, nec in secūdo bello. Primū enim gessit pro se in monte deserti: secundum pro nobis in cruce: In qua spoliando principatus, & potestates aquilonares, & tenebrarum harū traduxit spolia, cōfidentia magna docens nos, ut hos inferiores thesauros cōgregare nō curaremus: quorū princeps est Mamona: sed procuraremus thesauros in cœlo: quorum princeps est ille, in quo (ut inquit Paulus) sunt omnes thesauri absconditi. In quos thesauros has inferiores diuitias permutare debemus. Hucusque processimus de metallis, & thesauris pertractantes: ne has feces, & scoriam uerorum thesaurorum in idolum nobis constituētes simul cum eorum principe ruamus amissis ueris thesauris: In quibus plenissimè diuites esse possimus.

Ptolem. CHRISTVS. Idem Paulus

Viuaciori sono respondent herbæ cœlis, maximè Ioui. Cap. XX.



DVo occurrunt tam in herbis, q̄ metallis non mediocri indagatione digna: Vndè uidelicet, & quomodo ab eis hauriatur uirtus. Non quidē ex calido, frigido, humido, atq; sicco, ut asserūt Peripatetici facilè sese expedientes ab assignatione causæ effectuū, & operationū rerum. Nā uirtutē cōprobamus in eis omnē qualitatem excedentem, undè prosint, aut noceant. Nec cōtēti abire à theologis: qui dicunt, & uerè, hoc insitum eis à Deo. Pulchrū erit aliqualiter percurrere quibus mediis infundatur rebus illa uis, quā Hebræi כח *coah dicunt. Docent academici simul cum Trismegisto & innuit Hiarchas Brachmanarū princeps apud Philostratum, Sed in secretiori Theologia Hebræorum ubique asseritur, omnia quæ sunt sub globo lunari, & in mūdo hoc generationi, & corruptioni obnoxio, eadem meliori nota esse in cœlesti mūdo, perfectiori in intelligentiis, perfectissima in archetypo: & eadē serie unūquodq; superiori, & supremo pro suo genere respōdere: & ab eisdem suscipere, à cœlis quidem uim illā cœlestē, quā quintā essentiam uocant, ab intelligētiis spiritualem, uiuentēq; uigorē omnē qualitatiuam uirtutem transcendentem, ab archetypo autem per ista intermedia pro gradu suo originalem uim totius perfectionis. Hinc ad planetas ad fixa sydera, hinc ad intelli-*

Peripatet. Hebræi. Academ. Trism. Hiarch. Philost. The. he

gentias, earum & inde ad archetypum unaquæque res aptè reduci potest: Ex cuius rei serie tota magia naturalis, & secretior, uera'que philosophia emanat. Hinc rerum consonantia in hoc multiplici mundo, & mystica intelligentia in exponendo, quod non dicitur per illud, quod scribitur: Quod cum in toto hoc nostro progressu reserare propositum sit, nunc tantum in genere percurremus, quomodo herbæ cum cœlis conueniant: sicut & de metallis tetigimus: Quorum, quamuis unumquodque ad suum (ut diximus) planetam deducatur: tamen ad Martiā ditionē, tā in cœlis, quàm in angelis, & archetypo redigitur: sic herbæ, quibus inest benignior uitæ spiritus, cum aëre, Iouéque aëreo conueniunt in genere: in specie autem unaquæque cum suo planeta, & fixo sydere. Cum enim lapides terrei, metalla aquea sint, plantæ recta serie procedendo aëreæ comprobantur. Cuius rei signum est: quia sub aëre pullulant, coalescunt, & crescunt: aëre uerò priuatæ nedum non coalescunt, sed moriuntur. Viuunt enim, & pullulant herbæ sub Dio, Veneris, Iouísque beneficio, Sole tamen uim quandam seminalem infundente: Animalem enim uim inferiora à Sole hauriunt, generatiuam à Venere, naturalē à Ioue sic dicto, quia semper iuuet. Quælibet enim stella, imò omnes simul minus quam Iuppiter naturales uires in nobis fouent, atque corroborant. Vndè hunc accipere semper faustum est: Solē forsitan (ut quibusdam placet) non semper tutum: quia immensus ille uigor recipientis debilitatem aliquando offendit. Quia igitur Veneris, Iouísque beneficio potissimè coalescūt plantæ, dicimus, ꝙ aëreæ, Iouiæq́ sunt, licet quælibet subsit suo syderi: Vndè aliquæ ex excedenti influxu ad nocuum uirus tendant. Pro quibus tamen, & antidota bona Iuppiter, imò summus opifex præparauit: Ideo nunquam usui humano interdictæ sunt herbæ, nec fructus arborum, nec earū cultus: Nam in horto uoluptatis positus fuit homo, ut ederet de fructibus arborum, & excoleret illas: quamuis altius conscendat negotium, quàm præ se ferat in corticè litera: à quo loco eiecto homini ante, & post diluuium, & in utraque lege, Mosaica, & Euāgelica, etiā semper olera eadē cōcessa fuere, nisi quæ aliquo graui excessu uirosa, & nocua effecta sunt in radicibus, stipitibus, foliis, aut fructibus sese uitāda reddidere. Carnes autem ante diluuium non erāt in usu, imò (ut aliqui asseuerant) interdictæ: Metalla uerò (quibus thesaurizatur in hac peregrinatione) in Euangelio denegantur: quæ sub Martis ditione (ut diximus) continentur: Sic animalium sanguis, morticina prædata, dilaniata rostris, uel unguibus, aut dentibus, & huiusmodi, quæ Martia sunt, & ex parte sinistra in lege prohibentur his, qui in dextris collocandi sunt: à quibus (ne ultra progrediamur, ꝙ liceat) abstinendum duximus.

Occentant zoophyta cum Saturno. Cap. XXI.



Sserunt hi, qui secretiores origines naturæ perscrutantur, animalia, quæ per putrefactionem nascuntur, in aquis, in terra, & in ædium ruinis, Saturni fauore generari: & Saturnia esse. Et quamuis id à

quibusdam attribuatur Soli, tāquam inter sydera ex suo calore benefico omniū communi parenti, est tamen subtiliori diligentia perscrutatum, & assertum hoc à Saturno prouenire: Qui superioris, & contigui cœli uirtutem sentiens, si non potest animalia perfecta disponere, aut conducere, quantum patitur natura syderis saltem feces animalium, & imperfecta coalescunt uirtute ipsius, comparata tamen à superiori, imò à supramundano cœlo, & ab intelligentia præsidente: Vnusquisque enim planeta suam habet intelligentiam, & in diuinis suam mensuram: ad cuius amußim regulatur: & illæ dicuntur mensuræ fabricæ. Saturnus itaque illa mensura regulatur (sicut docetur in Hebræorum theologia) ubi residere dicunt Elohim: qui in omnibus operibus sex dierū inducitur opifex, & iussor: Sed ille cum deficiat ab opifice causa, & ab omnigeno instrumento stelliferi cœli, pro sua uirtute usque ad animalia imperfecta extēditur. Hinc eidē attribuuntur mures, uermes, scorpiones, & huiusmodi ex putrefactione progenita: sic ostreæ, spongiæ marinæ, conchylia & huiusce generis, quæ zoophyta à Platonicis nominantur. Hinc forsitan antiquitas illam primæuam sapientiam redolens finxit Saturnum ex cœlo natum: nec ut patrem generare, sed eius uirilibus abscisis, & in mare proiectis, inde Venerē generatam fuisse uim uidelicet gen eratiuam ex humore calefacto. Theo. He / Antiquit

Intercinunt animalia cum stellato cælo, & primo mobili. Cap. XXII.

SI stellifero cœlo respondeāt animalia, ubi eorum sunt expressæ imagines, nemo est, qui dubitet: Ibi enim ab animantium simulachris diuiduntur, & denominantur signa regij circuli: qui zodiacus dicitur à ζῷα, quod Græcè animalia significat: & Latinè signifer, quasi ferens signa, & effigies animalium: Quod signiferum quamuis totum cœlum in duodecim scindas diuidat, tamen ei aßignantur limites à tropico Cancri, usque ad tropicum Capricorni: ultra quos limites multæ figuræ animalium obseruatæ sunt ab astronomis. Et primo Draco ingens, & flexuoso corpore inter ambas arctos. Ophiuchus, qui & serpentarius dicitur, supra Scorpionē. Boote, q & Arctophylax uocatur, plaustri custos depictus. Herichthonius cū sua capra, cuius genua apponuntur Geminis, & pedes iuxta Tauri cornua. Cepheus, quem septentrionalis circulus occupat. Caßiopea iuxta latus sinuosi Anguis. Et nō procul est Andromeda: & sub ipsa dimidiatus Equus: propeq; Cassiopeam Perseus. Sunt & Pleiades penè omnibus notæ: Cygnusque iuxta Cepheum. Est & Aquila ad orientem semper spectans: Delphinusque cum stellis nouem musurarum numero gaudens: undè musicum signum dicitur. Orion insuper antè tauri uestigia fulget. Canis in cœli centro, post cuius caudam Nauis: & sub pedibus Orionis Lepus: & ad huius pedem sinistrum Eridanus: & sub Ariete & Piscibus Cetus. Prope autē Aquarium piscis magnus: postque Scorpionis caudā Sacrariū: antè quem Centaurus. In parte Australi ad Cancrum est Hydra cum suo coruo in cauda, & multa huiusmodi non sine causa finxit

antiquitas. Quæ animalia, cū multa sint, & natura uaria, in octaua sphæra merito sunt collocata: & uera animalia subiiciuntur ei: quæ uaga est in motu triplici, & stellarū figuris diuersißima: Quarum numerus sicut soli Deo cognitus est: sic earum effectus circa aues, animalia, reptilia, pisces, & herbas: Quas & si cum Ioue conuenire fecerimus: non tamen sunt stelliferi cœli beneficio priuatæ. Planetæ enim exequuntur ea, quæ superiores stellæ influunt. Vndè magna concordia uniuscuiusq; cum suo signo, domo, aut triplicitate, & particularibus stellis: A quibus non minus, quàm ab erraticis procedunt effectus, licet attribuātur istis, tanquam uicinioribus, & magis distinctis, magisq; mortalibus manifestis. Et si superius adhuc conscendere uellemus, & altius perscrutari animaliū causas, origines, & formas: forsitan comprobaremus has non de gremio materiæ, ut somniantur physici, sed aliunde procedere: Cum non sine causa ter repetatur à Mose animalium productio: Cuius primo aqua, postea Elohim, tertio loco terra inducitur author. Et iterum repetendo, ultimo loco concludit, quod Elohim illa omnia fecerit. Nec prætereūdum est, quod ab aquis introducatur producta auis supra faciē cœlorū, & nō sub cœlo, ut habet traductio nostra: Id enim tactū est, ut innuatur nobis & auiū, & animaliū imagines prius supra cœlos productas, quam in terra pullularent: ut non à terra, sed à cœlo, & à supramundanis fontibus sit eorum origo. Cum superiori cœlo igitur nō ab re conuenire fecimus animalia, quæ & si cum omnibus aliis ab omniū authore procedunt, per cœlum stelliferum tamen, tanquā per præcipuum instrumentum fabricantur. Asserunt etiam mathematici, In primo mobili esse rerum, & signorum imagines potioris uirtutis, secundum quas in genituris prognosticantur.

Moses.

Matthe.

Succentant eadem potißimè cum supercœlesti mundo. Cap. XXIII.



Vm omnia à primo, & uno processerint: ut ab eodē dependeant, ipsiq; correspōdeāt, necesse est. De opifice enim sapiētia scriptū est, quod spiritu intelligentiæ suæ omnē uirtutem cōplectitur, omnia prospicit, omnes intelligentiæ spiritus continet: & in se permanēs unica uirtus omnia innouat. Quo etiam spiritu replet orbem terrarum uniuersum, uiuificās, uniēs, & circūsonare faciēs, omnia attingens à fine usq: ad finē, & disponens omnia suauiter. Quæ suo loco latius differenda differimus.

Quæ in particulari cum Saturno conueniant. Cap. XXIIII.



Bsoluta conuenientia rerum in genere, quomodo etiam ipsarum species cum superioribus conueniant, percurramus: ut undique accipere poßimus, in quibus opificē laudare ualeamus. Et ut ab inferioribus compositis incipiamus, Ex elementis habet terrā: Ex lapidibus conueniunt Saturno qui nigri sunt: Onichinus, ziazaa, ut color indicat, & effectus formiculosus in gestante, potißimè cum in somnis meliores spiritus sopiuntur. Et ipsi simul cum Mercurio, & cauda Scorpionis conuenit calcedonius, sicut color subsapphyrinus, fuscus, & pallidus innuit: habetque à bono

Saturno, ut phantasticas illusiones expellat: conseruet, & compaginet uires corporis: sed à Mercurio, ut raucedinem probibeat: & uocem clarificet, nigrior potißimè. Ex mineralibus plumbum regit: Etiam sibi subiicit iaspidem, & magnetem, & camoinum. Ex herbis ipsi & Serpētario cœlesti respōdet serpentaria. Dominatur quoque rutæ, cimino, belleboro, assæ fetidæ, quā Græci Silphion appellant: Item opio, mandragoræ, & illis quæ stipticant. Ex animalibus poßidet camelū, suem, simiam, ursum, catum præcipuè nigrum, mulum, asellum: Aues autem eas, quæ sunt longi colli, & grossæ uocis, grues, struthios, pauones & id genus: undè de Argo conuerso in pauonem decantat poëta: Excipit bos oculos uolucris Saturnia pēnis. Serpentes insuper, scorpiones, & reptātia in terris, aquis & ruinis murorum, aut tectorum: ut mures, formicas, & uermes multiplices. Ex humoribus atrambilem humectantem regit, tam natiuam, quàm aduentitiā, præter adustam. Colorum uerò niger, plumbeus, & liuidus ipsum consequuntur. Sapores etiam acetosi, àcriores, & graues eius grauem naturam imitantur. Similiter & ea, quæ grauiter olent. In temporibus autem autumno, & hyemi præsidet, uentisque fortioribus, & grauibus. Itē Indis, & Aethiopibus: ut color attestatur. Sic & locis obscuris, subterraneis, & solitariis. Insuper piscinis, stagnis, & paludibus, locisque horrendis. Thesauris etiam occultis, & his qui longis itineribus, & cum difficultate acquiruntur. Quæ autem in homine poßideat, ad utriusque mundi maioris, & minoris concordiam reseruabimus. Ouidi.

Quæ harmonizent cum Ioue. Cap. XXV.



X elementis (ut diximus) Ioui respondet Aër, & omnia, in quibus hic dominatur: Stannum in mineris, calidáque & humida: cuncta quoque ad uitæ nutrimentum, augmentumque spectantia, potißimè quæ masculina sunt: Et quæ dulcia & suauia reperiūtur in odoribus, & saporibus. In omnibus animantibus sanguis, & in parte hac alterabilis aëris uenti, qui animantium calorem confortant naturalem, pariter & uegetatiuum: qui sunt (ut quibusdam placet) præcipui aquilonares, aut septentrionales: ubi residet ignis, & uigor ille supremus: qui uiuificat, & cōfortat absque ustione: Sed meo iudicio aptius australes Ioui respondent: & ille austro supramundano: de quibus in Canticis dicitur: Surge aquilo, & ueni auster: perfla hortū meum: & fluent aromata illius. Ab aquilone igitur uim trahit corroborantem: & ab austro beneficum temporamentum, & affluentiam omnium bonorum. Colores etiam, uirides clari, & qui confortant ipsi dedicati sunt: Vndè ex lapidibus smaragdus uiridis, esto quod aliūde Mercurio, Veneriq; respondeat. Dedicati sunt ei omnes lapilli uirentes, & crocei appretiati, & aliqui albi, ut crystallus. Sapphyrus uerò cum Ioue, & Saturno: sed habet à Ioue, ut uenustū reddat: & obsistat inuidiæ, & fraudi: & placabilem constituat, pacemque appetentem: à Saturno, ut calorem refrigeret: & faueat ad intelligentiam occultorum, & magiam. Sed in superioribus conuenit cum Alaiot, tutiam aliqui eidem Cātic.

dicatam asserunt, quamuis ex fauore, quem præstat luminibus, uideatur luminaribus conuenire. Ex arboribus, in primis à poëtis paßim cantatur, ipsi quercus dedicata. Ab eodem quoque regitur oliua, & oleum, & frumentum, hordeum, passulæ, uitella ouorum, zacharum album, glycirrhizæ, phasiani, perdices & similia naturæ conuenientißima: & omnia, quorũ dulcedo est manifesta, & subtilis, paulumq; habet stiptici, & acuti saporis, cuiusmodi sunt nuces, amygdalæ, pinei nuclei, auellanæ, pistaci, amidi, buglosa, ocimum, beeniæ radices cãdidæ & rubentes: Enula insuper, spica nardi, macis, manna, si modo mirabolani uirtute constipetur: qui totus Iouius est. Ipsi autem cum Phœbo mastix, & menta, Sed cum Venere rheubarbarum quod in choleram præualet, & expellit sicut Iuppiter, & Venus Martium impetum. Orpheus ipsi attribuit Styracem. Ex floribus autem est lilium, & uiola, Sed ex auibus aquila potißimè imperatorum insigne: qui ueri Iouis iustitiam cum clementia administrare debent subiectis. Gallinæ quoque, coturnices, & aues complexionis temperatæ. In quadrupedibus elephantes, oues, agni, & mansueta quæque animalia: Cui cũ ipsius piscibus secundum subiicitur clima, & regiones in eo existentes Lyciæ uidelicet, Pamphiliæ, Phazaniæ, Garamãticæ, Nasamonitis, & similes. Si uerò ad exercitia humana descendere uolumus, fauet religiosis, prælatis, regibus, iudicibus ritè iudicantibus: Vndè ab Hebræis Iuppiter צדיק id est Zadic nominatur: quod apud nos iustum significat: & subsequentes prædominatur lucris inde prouenientibus, & licitè acquisitis. Arabes Ioui aliqui subiiciunt: quia sunt morigerati, fideles, nec non inuiolabilis fidei, nitidi, mundi, regni cupidi, & eorum regio, maximè Arabia fœlix est uariis odoramẽtis respersa. Alij Ptolemæo suffulti Marti eos subiiciunt: quia prædis, & rapinis uiuere delectantur. Sed opinentur isti, & Ptolemæus quicquid uelint: In Arabibus omnibus, qui uere Agareni sunt, habet locum oraculi uox ad Agar deferens: quòd natus eius, & tota posteritas figere debebat tabernacula sua iuxta fratres eius, & manus suas contra omnes, manusque omnium contra eum: Quod totum hucusque ad unguem completur. Sed ad Iouem reuertendo, eius est spiritus uitæ: qui & in omnibus uiuẽtibus reperitur, & in toto mundano hoc animali, si mundum animal uocare licet. Ad quem spiritum conducendum interuenit quoq; Sol, atq; Venus; Oritur enim à Sole, & in animali à corde, quod Solare est. Infunditur quando Iuppiter ingenitem Solis in se temperat potestatem: Exundat autem, profluit, transfertur, prolem propagat, & ad uoluptatem cuiusque sensus sese dilatat, fauente Venere.

Ptolem.

Quæ robur à Marte suscipiant. Cap. XXVI.



Iam conclusimus ignem Marti dicatum, pari modo ei conueniunt adusta & acuta omnia: sapores acres, & amari linguam perurẽtes: ut castorij, euforbij, raffani, & similiũ. Colores uerò flammei, uiolacei & purpurei. Ex lapidibus amethistus Marti cum Ioue (Hermete authore) dicatus est: Habetque ex Marte unde faucat capturæ fe-

Hermes.

rarum: & uictorem reddat in pugna cum eis: & uigilem faciat: & expertum: à Ioue autem ut bonum intellectum augeat, & æquam mentem: sicut ex Aarõ & Artepbio discere possumus. Eisdem subiicitur Iaspis multigenus: Qui habet à Marte, ut potentem reddat: sed à Ioue, ut febres, & distempetamenta expellat: & ad æquam compositionem inducat: & in superioribus conuenit cum Alramet. Respõdet etiam Marti & capiti Olgol: Et utrisque (docente Hermete) æquatur belleborũ. Marti iterũ eupborbiũ, ammoniacum, laureola, napelus, scamonea, & cõmuniter uenenosa calida, ex caloris superabũdantia. Itẽ alliũ satiuum, uel syluestre (quod Dioscorides opbioscorodum, uel elaphoscorodum uocat) cæpe, ascalonia, & omnia buiusmodi: quorum sapor lacbrymosus dicitur. Ex animalibus autem, equi in primis ad bellum aptissimi, muli, birci, bædi, lupi (ut etiam Augustinus testatur) pardi, onagri, & communiter animalia rapacia: & etiam bomini infesta: ut muscæ, pulices, & buiusmodi: Serpẽtes quoque & dracones ueneno insultantes. Ex mineris uerò, uitrum, æs citrinũ, & ferrum, furni, fornacis, pistriniq; magistri, flebotomãtes, chirurgici, tonsores, macellarij, militésque omnes, qui passim mauortij à Marte dicuntur. Ex regionibus ipsi cum Scorpione Ptolemæus subiicit Syriam, Cappadociã, Metagonitẽ, Comagenã, Mauritaniam, & Getuliam, Cum Ariete autem Britanniam, Galatiã, Germaniã, Barsaniã, concauã Syriam, Idumæã, Iudæã, In particulari terras, & gentes armigeras: Ventos quoque impetuosos, maximè ex plaga aquilonari tendentes ad occasum, & omnia impetuosa, & uiolentia. Non quidem bæc ex malitia stellæ sic decernentis, sed ex impetu malè moderato: Origo enim est à Marte cœlesti, & etiam supercœlesti: deordinatio uerò à nobis malè regulãtibus. binc ipsi attribuuntur spolia, rapinæ, prædæ, depopulationes, deceptiones, & nefanda omnia, quæ uiolentia, & impetu perpetrantur. Sed si rationis, & legum freno moderaretur uis, & impulsus ille: omnia bæc iuste conducerentur.

Aaron
Arthe.
Hermes
Disco.
August.
Ptolem.

Quæ cum Sole, aut Pbœbo concinant. Cap. XXVII.



Ol mediam sedem inter planetas, tanquam rex omnium possidet, luce, magnitudine, uirtute, & pulcbritudine omnes excedens, omnes collustrat: & cõsequenter ad inferiora omnia disponenda interuenit. Sed quæ præcipuè eius motum sequuntur, inter elementa est ignis, inter metalla aurum, & aurata omnia: Ex consequenti ea, quæ, eodem colore fulgent, tam in floribus, quàm lapillis, Carbunculus nocte rutilans, Lapis, qui Solis oculus dicitur, figuram babens pupillæ: ex qua lumen emicat. Cbrysolitbus, topazius ad aureum eius colorem declinans, byacintbus, rubinus, balagius, & buiusmodi aureo, uel rubeo colore referti. Pantbaura, uel Pantbeus, sic dictus: quia Pantberæ animali maculoso assimilatur: Habet enim quasdã nigras, rubeas, pallentes, uirides, roseas, purpureas, & uarias notulas: binc continet (ait Albertus) tot uirtutes, quot colores: & potissimè uictorem reddit gestantem: aut qui eum respicit (ut ait) oriente sole. Et bunc Aaron euantbum appel-

Albertus

lat: Alij autem Pantocreos: quia omnes colores continere uidetur. Ex herbis multæ reducuntur ad Solem: & per ipsum ad stellam: quæ Cãicularis à Latinis dicitur: undè dies caniculares, & feruentiores propter coniunctionem solis cũ ea, Quam Græci Sirion ἀπὸ τοῦ σειραίνω, quod est arefacio: quia tunc maxima siccitas est: uel, ἀπὸ τοῦ σαίρω mutata, α, in, ε, qđ biare significat: quia tũc facit
Aratus biare homines, & canes potißimè: Et collocata est in medio cœli: ut Aratus:
Iginius Iginius, & alij mathematici scribunt. Inter solares autem plantas periti connumerant Balsamum, Palmam, Cedrum, Laurum, quæ uenenosa, & fulgur repellit: & ex calore suo solari algores hyemales non timet: qua & uates Phœbei coronantur. Hinc omnes poëtæ ipsi eam Soli dicatam prædicant. Fraxinũ quoq; quæ eadem uirtute Phœbea uenenosa longius arcet. Pæoniam, ut nõ solũ uirtus,
Diosco. sed nomen indicat, non quidem illam, quam Dioscorides Chelidoniam, uel Cra-
Romani Galli team, Romani Fabium, Galli Tonam, Ægyptij Mothon uocant: Sed illam, quã
Aegypt. Grçci. Græci Glycisidem, & Theodorus apud nos Dulcisidam, & Antiqui ephialtiõ
Theod. dixere: utpotè contra suppreßiones nocturnas incuborum, & faunorum præ-
Antiqui. Theop. ualidã. Lotũ etiã Ægyptiam, quæ rotunda folia, & poma habet: Nam (Theo-
Cratiu. phrasto authore) multa sunt huius plantæ genera, flore, fructu, & caule distincta: sed de illa loquimur, quam Cratinus Stephanem uocat: Cuius caules cõprimuntur ad Solis occasum: aperiunturque ad ortum. Ex cuius semine panes fiunt ab Ægyptiis pastoribus, aqua uel lacte subacti: quo cibo negant quicquã salubrius esse: undè Lothophagi dicti sunt. Ad idem quoque attinent omnes herbæ, & flores Heliotropiæ dictæ: quæ restringuntur abeunte Sole, uersa uice illo redeunte protinus explicantur: & eundem continuè prosequuntur. Eius insuper motum sequitur citraria: crocus, qui in omnibus solaris est: quamuis eius odor ab astrologis omnibus gratiis dedicetur. Item muscus, ambra, mel flauum, calamus aromaticus, lignum aloë, cinamomũ, piper, gariofalus, zinziber, cæteraque aromata: Thus etiam, & amaracus, & ea, in quibus est sapor acutus dulce-
Orph. dine immixtus: Et etiam (authore Orpheo) Libamomana, quam suam magiam prosequens dicit Solis Thymiama. Inter Phœbea autem animalia sunt, Leo in primis ferarũ rex: ut non sine causa in Leonis signo Sol augeat uim. Inter aues uerò Gallus: quem Leo uerctur, cum sit in ordine Phœbeo superior. Eadem ra-
Procul. tione, inquit Proculus, Apollineum dæmonem, qui nonnunquam apparet sub figura Leonis, statim obiecto gallo fugere. Sunt etiam Phœbei cygnus, astur, &
Porphy. coruus: ut quibusdam placet: Accipiter, ut perhibet Porphyrius in de mystica theologia Aegyptiorum, & Græcorum: quia lucis, & spiritus symbolum apud eos est: & quia altiora, & lucidiora uolando petit. Sed de animalibus post Leonem est Aries: in cuius signo exaltatur Sol, cocodrillus, & uitulus marinus, qui etiam subest cordi Leoni: ex cuius corio cingulum confectum à dolore renum redimit, & raucedine, reddens gutturi Phœbeam consonantiam: ut sæpius comprobatum est. Fulguris etiam impetũ mitigat: Quæ omnia solares influxus re-

dolent. Non erubuerunt Aegyptij etiam Scarabæum, qui & Cantharus dicitur, inter solaria connumerare animalia. Hic utroq; sexu semper gaudens, sper mate in stercus effuso pilam conficit, pedibus inuoluens, cœlum, & mensem Lunarem: aut Solis coitum pro generatione expectat. Ex prouinciis ipsi cum Leone Ptolemæus subiicit Italiam, præcipuè Romam: Item Appuliam, Siciliam, Phœnices, Chaldæos, & Orchenios. Ex ædibus, magnifica quæque, sedes regales, thronos, palatia magna, pulpita, theatra, & omnia regia. Habet etiam suum diē & horam, sicut & alij planetæ, sed ipse præcipuum, sicut & in membris humanis primarium membrum regit, scilicet cor. Sed hæc suo loco clarius reseranda seruantur. Ptolem.

Quæ cum Venere delitientur. Cap. XXVIII.



Venus copulæ domina cum omnibus bene compositis symbolum habet: & cum his quorum sapor est dulcis, & unctuosus, & odorq; delectabilis, & color ad albedinem tendit. Humidis delitiatur: & uires auget: undè potius aquas, quàm aliud elementum sibi uēdicat. Ex metallis croceum æs, atque rubeum: Ex lapidibus, ipsi potissimè dicatur Beryllus: qui gestantem (inquit Aaron) reddit alacrem: diuitem: magnificū: ad unionem, coniugalemq́ue amorem promptissimum: Solatur desolatos: fauet mulieribus prægnantibus: ne earum contaminetur partus. Et aqua, in qua iacet, suspiria tollit, & cunctas infirmitates hepatis. Argēto autem immixtus à lepra liberat, contagione uidelicet Martia. In quibus quàm bellè Veneri conueniat, facillimum est huius naturam cognoscenti diiudicare. Chrysolithus uerò fauens sapiētiæ (ut asseritur) & stultitiæ resistens dicatur Veneri, & Mercurio: Qui (sicut Plotino & aliis Platonicis placet) præstat ingenium, & captum ad rerū consonantiam: qua affectum reddit etiam cupidum intelligendi res ipsas consonantes, interueniente maximè Phœbeo uigore: qui à materialibus, & crassioribus expurgat. Smaragdus etiam eisdem, & Ioui (ut diximus) respondet: Hinc (Aarō teste) uim eloquētiæ præstat, & gratiā: luminibusq; gratissimus est: Et cū stellis supioribus, Athimot Alaata. Sapphyrus quoque, Corneola, lapis lazuli, Corallus, omnésque pulchri, & delectabilis coloris. Ex herbis Veneri, id est lucifero datur rosa, hespero myrtus, Itē bene redolentia, & suauis odoris Thymus, Ladanus, Ambra, Thymiamata. Et cum Sole datur Muscus, & Sandalus: cum Saturno autem Coriandrum. Fructus quoque suaues, & delectabiles: Ficus, Vua musa, quæ est genus fici, ut aliqui asserunt, Pira dulcia, Malū punicum à Carthagine punica habens cognomen, ubi laudatissimum est: undè finxere poëtæ malum punicam in Cypro à Venere primo satam. Volatilium columba communi uoce ipsi dicata est. Turtur etiam, quæ adeo symbolum cum columba continet, ut in purificatione partus absque differentia alterutrum illorum iubeatur offerri. Passer etiam, qui datur, iubente lege, in purificationem lepræ, infirmitatis quidem Martiæ: cōtra quam nihil magis proficuū Venereis.

Aaron

Plotin. Platon.

Aaron

Poët.

Item motacilla à uulgaribus cauda tremula nominata. Ex regionibus, ipsi cum Libra Ptolemæus subiicit Bactrianam, Caspiam, Syriacam, Thebaim, Oaxim, & Troglodyticam regionem. Cum Tauro Cyclades, maritima paruæ Asiæ, Cyprum potissimè, Parthiam, Persidem, & Mediam. Item (ut Orpheo placet) Cærulea littora, Balnea, Choreas, Mulicbria cuncta mollia, & facilis commixtionis. Hinc Aphrodite à Græcis dicta est: quia ex spuma maris nata, & mater Hymenei, id est nuptiarum numinis, & copulæ: Ideo ab ea proueniunt facultates: quæ ex nuptiis, & amore mulierum sunt. Præest etiam leuiori musicæ, sicut Mercurius mediocri: & grauiori Iuppiter, atque Sol. Item omnibus uoluptatibus in circumferentiam dissolutis, & dilatatis: sicut Saturnus coartatis ad centrum: & Iuppiter, atque Sol ex utroque commixtis.

Ptolem.

Orph.

Quæ cum Mercurio intersonent. Cap. XXIX.



Ercurius elementa indistinctè mouet, singulariter nullum: Est enim stellæ, cui commiscetur, adiutor: Ideo complexionem nullã regulat, nisi quatenus cum alio iunctus ipsum coadiuuat. Similiter sapores, colores nullos, nisi permixtos, ut iridis, & caudæ pauonis, & similes: aut eos, qui reguntur à sydere, cui connectitur. Sic etiam nullum sexum sibi uendicat: sed permixtum hermophroditum uidelicet, aut androgynum. In ætatibus quoq; nullã regit: sed eam, quæ apta est in aliam mutari. Ex climatibus, aliqui ipsi ascribunt quintum: sed Ptolemæus eidem cum Virgine assignat Græciam, Achaiam, Cretam, Babylonem, Mesopotamiam, Assyriam: Cum Geminis autem Hyrcaniam, Armeniam, Mantianam, Cyrenaicam, Marmaricam, & inferiorem regionem Aegypti. Ex mineris, ipsius est argentum uiuum, & marchesita argentea. Ex Lapidibus, qui sunt diuersorum colorum, & figuræ uariæ à natura insitæ: ut uideantur picti: Et huiusmodi multi sunt, Achates, Porphyritum, & similes. Item uitrum, & lacha: & simul cum Venere & Ioue smaragdus: sed cum Sole topazius: qui ex Phæbea ui gratiam gestantibus apud principes præstare dicitur: & ex Mercurio sanare phreneticos, & feruentes undas maris tepidas reddere: & in superioribus conuenit cum Elpheta. Animalia, quæ ab ipso reguntur, sunt sagacia, & ingeniosa: ut uulpes, & simia: quamuis alia ratione à Saturno regatur. Item quæ uelociter currunt: ut dammulæ, capræ syluestres, cerui cum suis binnulis, lepores, qui utroque sexu gaudentes suum Hermetem imitantur. Ea insuper quæ facilem consuetudinem cum hominibus habent: ut canes (secũdum aliquos) præsertim magis domestici. Ex auibus omnes, quæ à natura musicæ sunt: ut carduelis, ficedula, miliaria, à cibis quos comedunt, sic denominatæ: Item merula, turdus, alauda, calendris, & similes. Insuper ingeniosa quæque: ut psittacus, pica, porphyrio, & similes: sicut & homines sagaces, acuti, uersatiles, Mercuriales dicuntur. Sed ex terræ nascentibus, ipsum sequuntur plantulæ, quæ breuiores, & minutis foliis sunt, mixtisque naturis, & uario colore composi-

Ptople.

tæ: Inter quæ cõnumerantur fumus terræ, pimpinella, petroselinũ, maiorana, & huiusmodi. In exercitiis uerò, ad ea cõducit in qbus subtilius exquiritur ingeniũ. Fauet enim ad philosophiam, scripturarum inuestigationem, indagationem ænigmatum, ad metricam poësim, Geometricam, Arithmeticam disputatiuam, Sophisticam, pictoriã, scalptoriam, & omnia, in quibus occurrũt figuræ, & characteres formandi. Regit insuper facultates prouenientes ex computis, annumerationibus, cælaturis, scripturis, & mensuris. Sed multa aut pauca congregat pro natura sideris, cui coniungitur: ut sit coadiutor (ut diximus) & interpres aliorum planetarum, & superiorum siderum, & subtiliter in omnia penetrans, omnium uirtutem secum deducens in subiecta penetrare facit.

Qualiter omnia ista cum Luna consummatam harmoniæ consonantiam deducant. Cap. XXX.



LVna alter Sol non incongruè à quibusdam dicitur: quia ea, quæ Sol superius ui masculina generat: hæc ipsius, & aliorum planetarum fœtum suscipiẽs inferiori mundo sibi uicino ædit. Ideo eius motus præ cæteris obseruatur, quasi omnium conceptum parientis: A Mercurio enim accipit uim humores commiscentem: à Venere eam, quæ conducit ad formas genituræ conuenientes: à Marte robur, & impetum: à Ioue naturalem spiritum, & omnium rerum fomentum: à Saturno compaginem, & stabilitatem: Sed à Sole, qui omnimodam uirtutem continet (ut Iamblicus, Iulianus, Proculus, & alij quàmplurimi asserunt) omnimodam fœturam, & lumen. Iambl. Iulianus. Procul. Quæ omnia uariè explicat pro uaria sui complexione, gyro, & aspectibus diuersis tam cum planetis, quàm cum aliis sideribus: In prima enim quarta Peripatetici putant esse calidam, atque humidam: In secunda calidam, & siccam: In tertia frigidã, & siccam: In quarta frigidam & humidam. Nunc quoque est in auge, nunc depressa, nunc in extremo sui epicicli distat ab ea: nunc plena lumine, nunc media, nunc uix uidetur, postea totaliter occulta: Iãq; est in coniunctione cum uno planeta, in sextili cũ alio, & cum illo in quadratura, aut oppositione. Et hæc eadem in Ariete caput regit, collũ in Tauro, & sic prosequẽdo. Quod etiam in maiori mundo facere non dubitamus, regendo uidelicet diuersa in diuersis signis collocata, ut sic semper uaria uarios producat effectus: & per frequẽtes coniunctiones cum planetis, & aliis stellis, uxor omnium facta, ab eis suscipiat ea, quæ tanquam rerum omnium inferiorum mater, & media inter utraque, superiora uidelicet & inferiora, istis omnibus communicet. Ideo non ab re ipsi aßimilatur mater illa omniũ gratiarũ plena: quæ ea quæ à supnis fontibus per diuersos canales haurit, largitur inferioribus pro recipientiũ dispositione: Sed ad Lunã reuertẽdo, & si ab omnibus stellis suscipit, id potißimè facit à Sole: cui quoties coniungitur, toties fœtu, & uiuifica repletur uirtute: quam humectatis, & dispositis inferioribus infundat. Ab ea etiam in cœlestibus incipit re-

Plato. rum series: quam Plato catenam uocat: qua unaquæque res, aut causa alteri connexa, ab ipsa dependet, quousque deueniatur ad supremam omnium causam, à qua omnia. Et hanc seriem etiam inferiora sequuntur. Conueniunt enim lapides cum herbis, & istæ cum animalibus: hæc uerò cũ cœlis: & illi cum intelligentiis separatis: & istæ cum diuinis illis proprietatibus, aut attributis: de quibus suo loco disseremus. Sed in præsenti deueniamus ad ea (si qua sunt) quæ à Luna particulariter reguntur. Et primo aqua tam maris quàm fluuiorum, ut manifestum est, eius sequitur motum. Sic & omnia humida, & humores arborũ, & animalium, maximè albi: ut albumina ouorum, pinguedines, sudores, superfluitates corporum: Et ea, quorum sapor est parumper salsus, & insipidus: Floresque albi, quorum complexio est frigida, & humida. Ex gemmis, si aliquæ Varro. attribuuntur ei, potißimè sunt uniones: qui ex aqua in conchis (Varrone & experientia testibus) generãtur, Peculiarius in mari Oceano: Aliqui tamen circa Bosphorum Thracium, & in Archania, & Britannia. In regionibus enim omnibus, quamuis exequatur ea, quæ superiora decernunt, peculiarius tamen eidem cum Cãcro Ptolemæus subiicit Bithyniam, Phrygiam Colchim, Numidiã, Ptolem. Carchedoniam, Aphricam, Carthaginemque. Ex animalibus quamuis (ut diximus) omnia sequantur octauum cœlum, tamen (Mercurio, Timæo Locro, aliisque sapientibus attestantibus) quædam sunt Saturnia; aliqua Iouialia, alia ue-Mercu. rò Martialia, Solaria, Venerea, uel Mercurialia: Lunaria uerò aliqua, & ab Timæ. aliquo istorũ syderum (ut ipsi autumant) fluunt eorũ animæ: Sunt (ut rectius dicamus) fauore, aut medio alicuius illorum materiam disponentis, infunditur anima à formarum datore. Inter quæ animalia Lunaria (ut uidere uideor) sunt potißimè, canes fideles, & præ cæteris animantibus domestici, sicut Luna præ cæteris planetis, quamuis inter Mercurialia animantia eos connumerauerimus secundũ quorũdam opinionem. Sed Lunares ipsos existimamus, non tantũ quia sunt familiares, sed ex eorũ natura uaria, qua & amore, & odio superexcellũt. Varij sunt etiã magnitudine, colore, & moribus super omnia animãtia. Aliqui enim sunt fidi custodes, Alij leporarij, Alij auiũ exploratores, Alij tauros inuadunt, Alij lupos, Alij aues, Alij homines extraneos, Alij nullos offendũt: Sed omni humana cõsuetudine lætantur. Item inter Lunaria cõnumerare possumus Chamæleontẽ: qui pro uarietate coloris obiecti nouũ indui colorem uidetur, sicut Lunã suscipere uariã naturam cõprobamus, pro uarietate signi in quo reperitur. Ex magisteriis, cõmuniter sunt plebeia, & uulgaria, & depressa, sicut ipsa infima est omniũ siderum: superiorum tamẽ cõceptus omnes explicat: Ideo (ut Thebit. Thebit docet) si captare uirtutem alicuius stellæ quis uoluerit: accipiat lapidẽ, & herbam stellæ illius: à qua attrahere uim desiderat: quãdo Luna subit stellam illam: aut eandẽ aspicit aspectu trino, uel sextili, quasi absq; ipsa Luna media uim superiorũ attrahere nequeamus. Hinc dicimus eã inducere in consonantißimos effectus superiorũ omnium: & ipsorum harmoniam in his inferioribus

complere. Et his contenti ad præsens, omittemus multa: quæ in particulari dici possent de herba Lunaria, & aliis multis ad Lunam reducendis: quæ forsitan nimis curiosa, aut superstitiosa uiderentur. Hæc tamẽ pauduscula dicta sint pro quanto, quæ à sapientibus allegatis asserũtur, subsunt ueritati, & decreto Sanctæ matris ecclesiæ: cuius fidem profitemur.

Quæ in particulari cum quibusdam particularibus stellis resonent. Cap. XXXI.



Non contenti planetarum influxu ij, qui in rebus naturalibus operari desiderant, stellarũ etiam affluentias attrahere conati sunt, earum uidelicet, ad quarũ cognitionem peruenire potuerunt. Reperimus enim in particulari tractatu Mercurio ascripto, & apud nouitiores nonnullos, quædã inferiora conuenire quibusdam syderibus maioribus: & quæ maiorem, & expressiorem uim habere uidẽtur cum inferioribus: Et hæc omnia connectere student: ut efficacior sit uirtus, & opus. In Tauri enim decimo octauo gradu est caput olgol Iouia, atque Saturnia præstans audaciam, & uictoriam: cui subest Adamas, Helleborum nigrum, & Artemisia. In uigesimo secundo gradu eiusdem sunt Pleiades, uel Vergiliæ de natura Lunæ, & complexionis Martiæ, quibus respõdet Crystallus: sed melius Diadocus in colore beryllo similis, semen Fœniculi cum Thure. Hircus in gradu tertio decimo Geminorum, cui dant Sapphyrum, Prasium, Item Artemisiam, & Mãdragoram. Aldebara in uigesimo quinto gradu Arietis secundum Hermetem: quãuis alij eam collocent in primo, uel tertio gradu Geminorum ex natura Martis, & cõplexione Venerea: cuius est Rubinus, Tithymalus mater sylua diuitiarũ & gloriæ augmentũ. In Cancri sexto uel septimo Canis maior ex natura Veneris: & sibi uendicat Beryllum, Sauinã, Dracõteam, & gratiæ fauorem. In decimo septimo eiusdem est Canis minor, Mercurialis natura, & ex complexione Martis præest Achati Solsequiæ Pullegio, & gratiæ dono. In uigesimo primo Leonis, Cor Leonis, stella quippe regia Iouialis, & Martia: hæc regit Gergonzam siue granatum, Chelidoniam, & Masticem: Atram bilem reprimit: temperatumq; reddit. In Virginis decimo nono, Cauda Vrsæ maioris Venerea, & Lunaris: eius est Magnes, Cichorea: cuius folia, & flores uoluuntur ad Septentrionem. A raptoribus, ueneficiis, & incantationibus simul unita hæc omnia tuẽtur: ut scribit Hermes. In Libræ septimo est ala corui dextra: in duodecimo ala sinistra, Saturnia, & Martia: Ipsam sequitur Onichinus niger, Lapathũ quadrigenũ, Iusquiamum, & Lingua ranæ: Et hæc fauent cõtra malos homines, dæmones, & malos uentos. In eiusdem quintodecimo, Alaazel, uel spica Venerea, & Mercurialis, cui attribuũt Smaragdum, Saluiam, Trifoliũ, & Mandragoram. Et hæc quidem præbent honestatem, Lætitiam, diuitiarum augmentum, & uictoriam. In eiusdem adhuc decimo septimo est Alchameth de natura Iouis, & Martis: sed illius, cum luminaria bono aspectu respexerint, istius autẽ,

Mercu.

Hermet.

Idem

cum ex contrario. Et ipsi dedicant Iaspidẽ, Plantaginemq́;, sanguinẽ sistere, & febres expellere. In Scorpionis quarto, Elpheia Venerea, & Martia: Huius est Topatius, Trifoliũ, Hedera, & Rosmarinus: qui tamẽ ad aliud pertinet, quàm uulgò creditur. Et hæc reddũt hominẽ dilectũ Deo & hominibus, propter causas nõ multis cognitas: Vndè non ab re Rosmarinus erat infrequenti usu sacrificiorum in lege ueteri: quẽ Hebraicè uocant אזוב Ezob: sed ex uicinitate uocabuli nostri traduxerunt hyssopum. In Sagittarij tertio est cor Scorpionis ex natura Martis, & Ioui astans, præsidẽs Sardonio, Amethysto, Aristolochiæ longæ, Croco, bono colori, animo læto, sapientiæ, & dæmonũ fugæ. In Capricorni septimo, uultur cadẽs ex natura Veneris, & Mercurij tẽperata nimis: quæ possidet Chrysolithum. Satureiam, Fumum terræ. In aquarij sexto decimo est cauda Capricorni Saturnia, & Mercurialis: Cuius est Calcedonius, Maiorana, Ñepita, quæ Calamintha dicitur pulegio similis: Itẽ gratia in causis, diuitiarũ augmentũ, atq; incolumitatis donũ. Hæc pauca ex Hermete, quæ uel nulla sunt respectu eorũ, quæ in hac materia possent adduci: Virtus enim est in unaquaq; herba, & lapide: sed maior in stella à natura insita: ultra q̃ etiã à superiori suo unũquodq; inferius multa sibi comparat, maximè uerò ab intelligẽtiis præsidẽtibus: sed potissimè à suprema causa: cui omnia unica, & cõsummata respõdent cõsonantia, qua semper suũ opificẽ laudant suis hymnis, suóq; concẽtu, prout inuitantur à sanctis pueris in fornace Chaldaica canẽtibus: Benedicite mõtes, & colles Domino, Benedicite uniuersa germinãtia in terra: Benedicite fontes, maria, flumina, & omnia quæ mouẽtur in aquis: omnes uolucres cœli, bestiæ & pecora, simul cum filiis hominum, & angelis laudent suum opificẽ, & Dominum.

Hermes.

Quam bellè omnia hæc depicta sint in arca, quam cœlesti oraculo fabricauit Moses. Cap. XXXII.



Vm grãde onus humeris sancti Mosi à Deo esset impositum, nec ipsum lateret humana imbecillitas, illud subire recusauit: sed sic decernente Deo, ut populum de Aegypto traduceret, pro eius ducatu & tutella angelum suum promisit: Hoc non contentus Moses magna confidentia Deum protestatus est dicens: Nisi ueneris tu, non uadã: Cognoscebat enim ad multa Dei præsentiam necessariã, undè nec angelo promisso, nec in signis, & portentis perpetrandis potestate tradita contentus, Deũ ipsum flagitabat ductorem, Nisi tu (inquit) præcedas, non facias nos ascendere de loco isto. Et iterum: In quo cognoscemus, quòd inuenerimus gratiam in oculis tuis ego, & populus tuus, nisi tu ueneris nobiscum? Cui assentiens Dominus ait: Fac mihi sanctuarium, & habitabo in medio uestri: & hoc iuxta omnem similitudinem tabernaculi, quod ostendam tibi, huius uidelicet mundanæ domus, quæ Dei ipsius habitaculum est: ut per Isaiæ oraculum aperto sermone ipsemet attestatur, dum ait: Cœlũ sedes mihi est, & terra scabellum pedum meorũ. Quã fabricam cũ totam ostenderet Mosi: subiunxit: Vide, & fac secundũ exẽplar,

quod tibi in monte monstratũ est. Sed cum longum nimis esset, omnia retexere demonstrata, quæ ad fabricandam arcã mundo conformẽ pertinent, aliqua uel pauca percurremus. Et primo partitionẽ, de qua dicitur: Altitudo eius, similiter & latitudo habeat cubitũ, & semissem.i.nouẽ palmos: Cubitus enim in sex palmos diuiditur: & dimidiũ in tres. Quæ partitio per nouenariũ nouẽ cœlos repræsentat: Quibus præest empyreũ alterius quippe, & nobilioris materiæ: Et hoc per coopertoriũ aureũ denotatur: quod nobilioris materiæ erat tota arcæ machina: quæ iussa fuit fieri ex lignis setim, aut cedrinis: quod idẽ est secũdũ doctores Hebræos: Et est illud lignũ (ut nõnulli asserunt) quod nos laricẽ dicimus: quãuis pro larice interpretatio nostra habeat cedros. Erat & alia partitio trifaria totius machinæ: cuius una pars nullo defensa tecto, aut umbraculo, imbribus, niui, soli, calori, frigoríq; subdebatur: quæ istã significat fabricã omni transmutationi subiectã: Quã nõ modo homines mũdi, sed immũdi, & ꝓphani, & omnifaria animalia inhabitant: Eratq; in ea ob sacrificia, iugesq; immolationes, sicut & in ista, uitæ & mortis perpetua uicissitudo. Reliquæ duæ partes, ambæ obtectæ, & undiq; ab omni pegrina iniuria liberæ, quẽadmodũ uterq; mũdus, cœlestis, & supercœlestis, nec iniuriæ, nec cõtumeliæ capax. Ambæ itẽ sanctitatis nomine honestatæ, secretiorq; pars Sancti sanctorũ, reliqua tantũmodo, sancti titulo decorata: Et hæc cœlestem mundũ, ubi angeli inhabitant, & resignat: in quibus post Luciferi casum (ut nostra theologia docet) nec peccatum, nec macula quæpiam reperitur. Supercœlestis autẽ per interiorẽ, & secretiorẽ locum denotatur: in quẽ ueniunt, qui uerè sacerdotes effecti seipsos hostiã uiuentẽ, & Deo placentẽ cõsecrarunt: ut cũ ipso eodem uniri mereantur: qui uerè Sanctus sanctorũ est. Et hic (ut reor) est uerus deliciarũ hortus, in quo plãtatæ sunt, & fœlicitantur arbores omnes Adonai electæ, quas plantauit Pater cœlestis à nullo amplius eradicãdas: Cui præsidet nõ sine mysterio cherubica uirtus, sicuti & Dei ꝑcepto præsidebãt arcæ, quæ collocata erat in loco illo, q̃ sanctus sanctorũ nuncupabatur: sed in hoc figuratiuo habebantur remissiones, & domestica cũ Deo colloquia: Ibi autẽ in uero habitaculo iã expiatis introëuntibus habetur cum ipso Deo perfecta unio, & plena ex omni parte oblectatio. Iussæ sunt etiã fieri septẽ lucernæ aureæ: quæ septẽ sidera lucentia in suis orbibus representarent. Sed & candelabrũ seorsum nominatur cũ calamis tribus ex utróq; latere, cũq; scyphis, sphærulis, & floribus ipsorum: Quod Solem resignat in medio planetarum habentem ex utraque parte tres planetas in forma sphærica: qui tanquam scyphi, & uasa recipientia, quæ à supernis influuntur, flores producunt circa inferiora influendo. Et sic, qui nũc inter septem lucernas connumerabatur, seiunctus etiam, dicitur fabricatus simul cum adiacentibus sideribus: ut intelligantur hæc à Sole lucẽ accipere, & oriri quodammodo. Prosequitur de quatuor tentoriis ad quatuor mundi partes situatis: Quæ omnes cœlestes, & supercœlestes mansiones repræsentarent: & quãuis multæ sint in utraq; domo, Exodus

ad quatuor tamen plagas omnis partitio eorum consummatur: Sed orientalis, & occidentalis per quinquagenarium: australis uerò, & aquilonaris per cẽtenarium numerum partitur: quia hinc retributio per centuplum, numerum quidem perfectum, & inde remissio per quinquaginta, numerum remissiuum, fit in supercœlesti tentorio: ad cuius exemplar hoc erat fabricatum. Aderant & cortinæ in tentoriis ipsis cum quinquaginta foraminibus: pro quibus nostra traductio habet ansas: per quæ foramina, tanquam per canales, & uasa quædam, susciperentur remissiui influxus. Altare quoque unum in medio tabernaculi pro holocausto quindecim cubitorũ tam in longitudine, quàm in latitudine: & Aliud pro thymiamate: Quod utrinque cubito consummabatur: Aliud uerò aureũ ad aquilonem: Vndè (teste Iob) aurum uenit. Illa autem duo in medio collocata, ubi est lignum uitæ, ex lignis confecta dicuntur: ut per holocaustũ recuperaretur uita deperdita per peccatũ: & per uerum thymiama ascẽderet homo, quò tẽdit. Et illud cõsummabatur numero quindenario: quãtũ reddit nomẽ יה Iah: Quod crebrius laudare iubemur, dum dicitur alleluia, id est laudate Iah: Quod cõponitur ex decẽ, & quinq;: undè uenit remissio, ut patet scientibus. Sed illud thymiamatis cubito cõsummabatur: quia reddat diuinũ nomẽ in supputatione, quicquid uelit, ad exprimendos effectus ipsius, ipse tamen Deus unicus est: cui omnes preces, & oblationes offeruntur: Quique habitat in uerò tabernaculo: ad

David quem suspirans propheta dicebat: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? Et

CHRISTVS. iterum: Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis. Quod, quia in multas mansiones partitum est, Christus plura esse dicit, dũ ait: Facite uobis amicos de mamona iniquitatis: ut cum defeceritis, recipiant uos in æterna tabernacula. Quod tamẽ unũ est omnia complectendo: Cuius subsellium, & scabellum est hoc, quod habitamus mundanum tabernaculum. Ad cuius utriusq; effigiem maximis mysteriis & illud à Mose, & templum à Salomone fabricatum est: sed hoc à Dauide dispositum, & ordinatum: Quorum quoque imaginem gerit hoc humanũ tabernaculum, & templum: quod secũdum Apostolum sumus nos. Sed prosequẽdo adhuc sacramenta recondita huius tabernaculi, attendendæ sunt etiam cortinæ decem uiginti octo cubitorum: Hic enim numerus continet tres nouenarios, eos per unũ excedẽs, illudq; unũ significans, ad quod terminãtur omnes nouenarij: ut statim dicemus. Denario itaq; numero, qui omnes inferiores numeros cõplectitur, distribuuntur cortinæ: quæ omnia uelabant circumcirca, & uigesima

Academ. octaua mẽsura perficiebantur: ut omnia illa ab Academicis distributa suo uigesimo septimo numero continerent. Tabulæ autẽ elementa signabant: ex quibus omnia cõstant: ut numerus, & proportio utrorumq; indicat: Vicenæ enim erant

Timæ. octonariæ, & senæ. Et ex elemẽtis, aqua describitur à Timæo Locro in figura icosaëdra, id est ex uiginti basibus: & aër octaëdrus. i. octonorũ sessuum: terra uerò ex sex: & ignis ex quatuor, Quæ denotabant tabulæ uicenæ, octonæ, senæ, collocatæ ad quatuor mũdi plagas: In quibus est ꝓportio sesqualtera, du-

pla sesquitertia, quincupla, tripla, sesquitertia dupla sesqualtera, qualis est proportio elementorum: ut antea tetigimus. Illud quoque aduertendum est: quòd quælibet tabula habebat duas incastraturas: quibus cum binis tabulis sibi adiacentibus coniungeretur: sic quodlibet elementum duas habet qualitates: quibus cum duobus uicinis elementis cõnectatur. Terra enim frigiditate cum aqua: siccitate uerò cum igne colligatur. Eadem serie cætera elementa conueniunt. Et sicut quælibet tabularũ duplicibus basibus firmabatur: sic quodlibet elemẽtum in duplici mundo residet, corruptibili uidelicet, & incorruptibili, & cœlesti. Vtrinque autem tabulæ cõnectebantur quinque uectibus, aut phalangis: quia in unoquoque composito elementa colligantur quinario quodam: quod quintam essentiam non ineptè dicunt. Sed si altius conscendere libet: docent secretiores theologi Hebræorum: ꝙ omnia sunt colligata per, ה, quod quinque significat: & est sigillum spiritus sancti, qui nexus dicitur omnia ligans. Omnia igitur quæ ad tabernaculum pertinent colligata dicuntur in unum: dissolubilia tamen, & iterum connectibilia per ministros leuitas: sicut omnia, quæ in hoc mundo inferiori sunt nunc per angelicos ministros, & cœlos dissoluuntur: nunc uicißitudine quadam iterum componuntur, uirtute tamen supremi nexus: ut semper unum sit mundanum tabernaculum. Cætera quoque omnia ad tabernaculum illud attinentia mẽbrum aliquod huius mundani templi, & consequenter humani resignat, etiam illius, de quo Apostolus: Tabernaculum non manufactum, id est non huius creationis. Ad quod per hoc manu factũ inuitamur: cuius cætera multa: quæ ibi tanguntur, reseruabimus declaranda: quando, Deo fauente, deueniemus ad sacrarum literarum interpretamenta.

Quanto mysterio omnes enneades in suo decimo conueniãt. Cap. XXXIII.



On absque sacramento omnium opifex exquirit à nobis primarias, & decimas portiones omnium: primas uidelicet, & ultimas: cum ipse sit omnium principium, & finis: Cui principio fructus primarios: & cui fini decimas offerre debemus. Denarius enim est finis, & complementum omnium numerorum: ultra quem nec ingenium, nec natio aliqua excogitauit: quia ulterior non datur. Et quia complementum est denarius: ideo non tantum operum, & fructuum à nobis productorum exquirit decimum: sed in naturali serie, & genealogia hominum celebriori electione denarium sibi asciscere uoluit. Decimus enim ab Adam fuit Noë: & ab hoc decimus fuit Abraham: Christus uerò omnium gratißimus, secũdum genealogiam legalem à Luca contextam decimus est septimi denarij à Deo incipiendo: ut per reuolutionem denarij, & septenarij secretiori sacramento in Deum reuertens cæteros conducendo secum adduceret. In Matthæi uerò textura naturali, & secundum carnem est sexagesimus tertius à Deo, post nouem uidelicet septenarios. Sic enim Euangelistæ, qui discrepantes uidentur (ut Hieronymus, & Hieron.

Augustinus docent) conueniunt: quod Matthæus uidelicet carnalem, & Lucas legalem genealogiam describit. Illud quoque aduertendum est: quòd decimus semper sapit duplicem naturam: & numeri, cuius est finis: & illius, cuius est principium: Decem enim finis est numerorum, & principium denariorum: Nam cum perueneris ad decem, dicis, unus denarius, duo denarij, & sic deinceps: ut indicant characteres Hebræi in suis significationibus numeralibus. Sic decimus in unoquoq; primariorũ generum sapit utriusque naturam. Primus enim nouenarius, scilicet rerũ corruptibiliũ terminatur in hominem: qui ex incorruptibili & corruptibili cõpaginatur. Nouenarius autẽ cœlorum terminatur in cœlũ empyreũ: quod quia materiale, cũ cœlis conuenit: sed in dignitate materiæ cũ superioribus habet symbolum. Ideo in arca, quæ cœlorum fabricam resignabat, decima portio, scilicet coopertoriũ erat ex auro: altera quippe materia ab illa totius arcæ: quæ in nouẽ partes (ut paulo antè diximus) partiebatur. Nouem etiã angelici ordines terminantur in Christum eorum regem: qui & angelorum, & Dei naturam amplectitur: in quem etiam terminantur omnia: ut ait Apostolus: Quoniam placuit scilicet Deo, omnem plenitudinem habitare facere in eo: & in ipso reconciliari, aut recapitulari omnia: ut habet textus Græcus. Hæc in secundo uolumine (opitulante diuina gratia) explicare conabimur. Et omnia tandem terminantur in illum uerum decimum, & primum: de quo iterum Apostolus: Et cum ipso Plato in epistolis: à quo omnia, in quo omnia, & per quem omnia: Sed inferiores nouenarij per medios, & medij per supremos (secundũ Dionysium) uniuntur cum ipso: cui omnis laus, & concentus debetur.

Paulus

Idem

Plato.

Diony.



Va consonantia interualla primorum generum repleantur. Tonus Quintus

Cur uigesimo septimo numero à Platone fiat illa prima descriptio. Cap. Primum.
Quæ interualla eiusdem numeri repleri poßint, & quæ nõ. Cap. II.
Cur ad maiores numeros reducatur hæc ordinatio. Cap. III.
Cur iterum ad maximos numeros reducatur. Cap. IIII.
Quare in huiusmodi descriptione Plato usus sit magis diatonico genere, quàm chromatico, & enharmonico. Cap. V.
Quo mirabili artificio in prima omnium creaturarum, quam Hebræi מטטרון mitatron dicunt, contineantur illi tres nouenarij: qui uigintiseptem, cubum uidelicet eorum compleant. Cap. VI.
Quòd idem numerus, & eodem ordine in superioribus uirtute quadam superexcellenti contineatur. Cap. VII.
Quòd ex unitate primi resultet in omnibus consonantia. Cap. VIII.
Qua nota heptachordum exaratum animæ conueniat. Cap. IX.
Quomodo tres illi nouenarij reperiantur in homine. Cap. X.
Quid sibi uelint illæ tres ꝓportiones, musica, geometrica, & arithmetica, quibus & anima, & totus mundus disponitur. Cap. XI.
Cur septem limitibus, mundi, & animæ negotium complectantur Pythagorici, & Academici. Cap. XII.
Quomodo in mundi anima (more Platonico loquendo) limitum eorum interualla repleantur. Cap. XIII.
Quòd ea, quæ de existentibus in sphæris dicta sunt, scripturæ sacræ conuenire uideantur. Cap. XIIII.
Quid poßit dici de complementis interuallorum trium enneadum. Cap. XV.
Quomodo omnia suo numero, pondere, & mensura constituta sint. Cap. XVI.
Quibus causis interuenientibus hæc multiplicia genera conducantur. Cap. XVII.
Quomodo omnes isti tres nouenarij adhuc cõtineantur in supremo nomine Dei, & ab ipso emanent. Cap. XVIII.


CVR VIGESIMO SEPTIMO NVmero à Platone fiat illa prima descriptio. Caput primum.

Timæ.



MNIBVS Pythagoricis, & Academicis manifestissimum est, mũdum, & animam primo à Timæo Locro, postea à Platone describi quibusdam legibus, & proportionibus musicis, ueluti heptachordum quoddam ex septem limitibus cõfectũ, incipiendo ab unitate, duplando usq; ad cubũ binarij, triplando usq; ad cubũ, & solidum ternarij: quibus numeris, & proportionibus rebantur disponi, & compleri animæ, mundique totius fabricam: iuxta Pythagoræ monumenta. Et hoc ex impari, tanq̃ ex masculo: & pari, tanq̃ ex fœmina: ex quibus uirtutibus cõplexis omnia propagãtur. Sed in cubo utriusq; terminari dicebãt opificiũ: quia ultra trinã dimensionẽ, in longũ uidelicet, latũ, atque profundũ nõ datur progressus. In his itaq; numeris, & proportionibus, omnis uis actiui, & passiui cõtinetur: & omnis glomeratur cõsonantia. Quorum numerorum figurã (si Adrastum & Calcidium sequi uoluerimus) formabimus triangularẽ: In cuius trianguli uertice unitas collocatur: sex alij numeri utrinque scindunt partes. In uno quidem latere omnium duplorum ordo: In alio uero triplorũ series substernitur. Prophyriũ autẽ, Seuerũ, & Proculum sequendo utrosque numeros per rectas lineas triplici ordine ab unitate disponemus,

Adrastũ. Calci. Porphy. Seue. Procul.



1.	2.	4.	8.
1.	3.	9.	27.

Aut cõmixtũ in eadem linea, ut sentit Proculus fuisse de mẽte Platonis. 1. 2. 3. 4. 8. 9. 27.

Quæ interualla eiusdem numeri repleri possint, & quæ nõ. Cap. II.

Idem



Orum autem numerorum, aut limitũ aliqua replentur: aliqua uerò compleri nequeunt: maximè illud, quod est inter unum & duo: cum non interiaceat medium, nisi uelimus incidere unitatem: ut tãgit Proculus. Ideo non bene replentur media, nec cõducuntur harmonicè, nisi augeantur numeri: ut statim declarabimus. Inter duo autẽ, & quatuor interuenit solus ternarius cum proportione sesqualtera ad minorem numerum, & subsesquitertia ad maiorem: undè neque hic potest harmonicè compleri interuallum. Non secus inter quatuor & octo interiacet senarius cum eisdem proportionibus diminutis pro complẽda harmonia. Ex altero autem latere, ubi sunt numeri impares, inter unũ & tria sunt duo cum proportione dupla ad unũ, ad 3. uerò sesqualtera. Et inter 3. & 9. est senarius: à quo pari modo ad 3. ꝓportio dupla, & ad 9. sesqualtera. Eadem lege occurrunt 18. inter 9. & 27. Et hucusque extenditur horum numerorum proportio.

Cur ad maiores numeros reducatur hæc coordinatio. Cap. III.




ET si in 27. numero omnia genera rerũ primaria, & aliqua inter media continentur, non tamen omnia: cum non adsint spatia, quibus illa potiora interiacẽtia genera collocari poßint: Ideo alia assignatur figura eisdem limitibus, & eadem proportione, sed latiori campo, & amplioribus interuallis replendis. Assumendus est igitur loco unitatis senarius, duplando per 12. 24. & 48: & triplãdo per 18. 54. & 162: in qua figura omnia interualla suis generibus replentur: Nam media interiecta inter 6. & 12. sunt 8. & 9. ubi 9. æquali secundum numerum portione exceditur, & excedit: Ipsum uerò 8. eadem parte excedit, & ab ipsis exceditur extremis. Hinc inuenimus unitatem, & dualitatem per sex multiplicantes numeros, prædictas suscipientes medietates: quod prior numerus facere nequibat. Et inter 12 & 24. sunt 16. & 18: & inter 24. & 48, sunt 32. & 34. medietates quidem alteræ harmonicæ: alteræ uerò arithmeticæ, & geometricæ: quæ tamen omnes ad harmoniam pertinent: Nam maioris extremitatis ad minorẽ, est proportio dupla: & facit diapason: A minori uerò extremitate ad maiorem medietatem est sesqualtera: & facit diapente: Sed extremitatis eiusdem ad minorem medietatem est proportio sesquitertia: & diatessaron reddit. Et idem est ex maiori medietate ad maiorem extremitatem. Diapẽte autem facit à minori medietate ad maiorem extremitatẽ: Ipsius medietatis autem ad medietatẽ est sesquioctaua: & facit tonum: Vndè habetur tota harmonia resultans ex tonis: Pariquę modo est ex alio latere multiplicato per triplum, ubi primæ extremitates sunt 6. & 18. inter quas sunt medietates 9. & 12. Aliæ autẽ extremitates sunt. 18. & 54. inter quas habentur media interiacentia 27. & 36. Rursus sunt. 54. & 162. inter quæ extrema intercidunt 81. & 108; Quæ media cum extremitatibus, & inter se, eadem proportione correspondent: qua cõueniebant media inter duplatas extremitates. Quæ autem sint media geometrica, arithmetica, & harmonica, ex multis, quæ diuersi scripserunt, hæc pauca subinferam. Medietas quippe arithmetica est proportio excessuum: Geometrica uerò est proportio proportionum: ex quibus ambabus resultat harmonica. Et quomodo se habeant, Proculum imitabimur sic eam deducentem. Est inter 12. & 6. medius ipse 9. secundum arithmeticam inquam medietatem: In ternario enim numero reperitur excessus, & maioris ad medium, & medij ad minorem: Rursum extremorum differentiam accipio: quæ est ipsum 6. & hoc cum minori termino multiplico: fitque mihi 36. Hoc diuido per 18: quod ex ipsis extremis cõficitur: fitq; comparationis huius latitudo dualitas: Hanc addo ipsi 6. & hinc resultantem habeo harmonicam medietatem ipsum 8. Qua enim parte maioris ab ipso exceditur maiore: eadem minoris parte ipsum minorem excedit terminum: Tertia enim à 12. separatur, tertiáque ipsum 6. excedit: Rursum interuallum & eius


triplum ponamus: ueluti 18. & 6: hos complicans facio 24: cuius medietatem capiens 12. uidelicet arithmeticum medium habeo: Accipiens uerò iterum excessum 18. ad 6. ipsum uidelicet 12. cum minori multiplico termino 6. uidelicet, & tunc resultat mihi 72. Hoc partior per 24. quod ex extremis componitur: fitq; mihi totius compositionis latitudo, ternarius: Hunc addo ipsis sex: & habeo harmonicam medietatem inuentam, eadem parte minus extremum superantem, qua ipsa à maiori extremo superatur: Quibus regulis omnia interualla docet repleri, citra semitonia & dieses. Alij autem harmonicam medietatem hoc modo colligunt: siquidem accipiunt duos terminos, & medium inter illos sic se habens, ut sicut se habet maior terminus ad minorem, sic excessus maioris ad medium, ad excessum medij ad minorem terminum, quales sunt hi numeri 3. 4. 6. Ibi nanq; à 6. ad 3. est proportio dupla: Eadem est excessus 6. ad 4: qui sunt 2. ad excessum 3. ad 2. qui est unus: Datque mihi duplã proportionẽ: quæ excipitur ex excessu, tãquam ex arithmetica: & ex proportione, tanquam ex geometrica medietate. Proculus autem Timæum, & Platonem imitatus, celebriori magisterio colligit harmonicum medium ex arithmetico: quo omnia interualla repleantur. Et hæc omnia in triangulari figura aliqui sic collocare uoluerunt. Si autẽ Proculum, Porphyrium, & Seuerum sequi uoluerimus, eadem linea omnia sic collocabimus.

Procul. Timæ. Plato.

Procul. Porphy. Seuerus.



Cur iterum ad maximos numeros reducatur coordinatio ad. 3.84. uidelicet usque ad 1 0 3 6 8. Cap. IIII.



I enim poßibile eßet (inquit Proculus) in eiſdẽ nobis deſcriptis terminis, ſeſquitertias proportiones in ſeſquioctauas, & lemmata diuidere, nihil amplius negotij haberemus: Sed quia id nullo modo fieri poteſt: alia rurſum regula hoc à nobis inueſtigandum eſt. Cũ igitur propoſitum ſit à principio, duplam proportionem prædictis medietatibus, & ſeſquioctauis coarctare, repleréque opus eſt, ut ſubduplus terminus, ſimul cum duobus ſeſquioctauis, etiam ſeſquitertium habeat. Accipiatur igitur tertius numerus ab unitate, ſecundum octuplam proportionem facit 64. Ab hoc quidem tres ſeſquioctauos formare poßibile eſt: Omnis enim numerus multiplex tot ſub multiplicibus proportionibus à ſe denominatis præeſſe cenſetur, quotus ipſe ab unitate diſtat, ſeſquitertium uerò non habet. Quare ipſum rurſus triplicantes habebimus 192. Cuius ſeſquitertius. 256: Seſquioctauus uerò 216: Et huius inſuper ſeſquioctauus 243. Ratio autem ipſius lemmatis poſt ablationem duorũ ſeſquioctauorum. 243. & 256. remanet. Ab omni enim ſeſquitertio duobus ſeſquioctauis ablatis, ratio ſola remanet lemmatis: Sed ipſius 256 ſeſquioctauus eſt 288. qui medietatem cuſtodit arithmeticam interiacens inter 192. & 384: qui duplam habet proportionem ad 192: & ad 288. ſeſquitertiam. Si igitur poſſibile eſſet ab ipſo 288. duos ſeſquioctauos formare, repleremus utique hunc ſeſquitertium ſeſquioctauis duobus & lemmate. Sed non contingit: quia ſuus ſeſquioctauus 224. octauum non habet: quare ad ipſum ſeſquioctaua proportio fieri nequit: ſi inquam unitatem indeciſam ſeruare uoluerimus: quia octaua ipſius portio eſt 40. cum dimidio. Duplicantes igitur ipſum dimidium, integrum unum faciemus: & tunc poterimus octauam ipſius partem accipere. Quamobrem cogimur etiam omnes ante ipſum numeros duplicare: & omnes qui poſt ipſum ſunt. Erit igitur loco ipſius 192. 384: Loco uerò 216, 432: Pro 243, 486: Pro 256, 512: Pro 288. 576: Huius autem ſeſquioctauus 648: Et huius ſeſquioctauus 729: Poſtea 768: Duplus quidem exiſtens ad 384. Rationem uerò lẽmatis habet ad 729: & iſto repletum, artatumque eſt modo duplo proportionis interuallo, ſeſqualteris, ſeſquitertiis, ſeſquioctauis rationibus in his 384. 482, 486, 512, 576, 648, 729, 768. Quod ſi totam figuram replere uoluerimus, numeroſque omnes conſequenter deſcribere: pro prima quidem parte ipſum 384. ſumere debemus: Pro iſtius autem dupla 768: Pro tripla autem primæ & ſeſqualtera ſecundæ 1152: Pro quadrupla autem primæ, 153: Loco autem quintæ particulæ, quæ tripla eſt ad tertiam, 3456: Pro ſexta, quæ octupla eſt ad primam, 3072: Pro ſeptima autem, cuius prima eſt ſeptima & uigeſima portio, 10368. Si igitur hos etiam terminos replere, denſaréque harmonicis, arithmeticiſque medietatibus uoluerimus: quæ interiectæ ſeſqualtera & ſeſquitertia faciant interualla, erunt intermedia ipſorum 384, & 768: qui illius

Procul.


duplus est 512: qui harmonicam medietatem, & 576, qui arithmeticam efficit. Et si triplicis interualli, uidelicet 384. & 1152. prædictas accipere uoluerimus medietates 576. harmonicam retinet medietatem: qui in duplo arithmeticã seruabat. Et 768. qui in duplo maior erat extremitas arithmeticæ medietatis locum obtinet. Rursum si dupli, & quadrupli, & easdẽ uoluerimus capere medietates, erunt intermedia quidem ipsorum 768. & 1536. ipsum 1124. harmonica medietas: & 1152. arithmetica. quòd si nos secundum densare, replerèque uoluerimus triplum, quorum termini sunt 1152. & 3456 ipsum 1728. harmonicam nobis præstabit medietatem: & 2304. arithmeticam. Et si etiam terminos uoluerimus replere, duplũ, qui in terminis est. 1536. & 3072. ipsum 2048. harmonicam custodiet medietatem: & 2304. arithmeticam. Si uerò tertium triplum, sextam uidelicet, & septimam portionem uoluerimus similibus coarctare medietatibus: erunt nobis extrema 3456 & 10368. media autem harmonicum quidem. 5184. Arithmeticum uerò 6912. Quorum figura hic apponitur. Cuius coordinationis ĩterualla adhuc tonis, & lemmatibus, id est semitoniis minoribus, & à


Timæ. quibusdam Timæum Locrum imitantibus, replentur etiam apotomis, id est semitoniis maioribus. Et quamuis Pythagorei quidam non admitterent semitonium: quia non potest proportio super particulari diuidi in duas portiones æquales, posteriores tamen

Ptolem. harmonici, Ptolemæus potissimè, & si consenserunt nõ dari exactum semitoniũ, diuiserũt nihilominus tonũ in semitonia inæqualia, quæ dicũtur maius, & minus, aut lẽma, & apotome: Quorum lemmata

Proculus Proculus de mente etiam Platonis iudicat necessariò ponẽda, omissis apotomis: quæ non

Plato. spectant ad diatonicum genus: quo utitur Plato. Hæc igitur cum omnibus alijs consonantiis in recta linea sic collocant, ut nobis sequens figura demonstrat.




I
4/3
2 PLA
3/2
3 PLA II
3/2
4 PLA III
4/3
IIII
4/3
8 PLA 3/2
VIII
9/8
27 PLA VIIII
4/3
384
432
486
512
576
648
729
768
864
972
1024
1152
1296
1458
1536
1728
1944
2048
2304
2592
2916
3072
3456
3888
4374
4608
5184
5832
6144
6912
7776
8748
9216
10368
Tonus
Tonus
Scito.uel
To. [λεμμα.
Tonus
Tonus
λεμμα
Tonus
Tonus
λεμμα
Tonus
Tonus
Tonus
λεμμα
Tonus
Ton.diesis
λεμμα
Tonus
Tonus
Tonus
λεμμα
Tonus
Tonus
Tonus
λεμμα
Tonus
Tonus
λεμμα
Tonus
Tonus
Tonus
λεμμα
Tonus
Diatessaron
Diapente
Diapente
Diatessaron
Diatessaron
Diapente
Diatessaron & Diapēte

In qua serie trigintaquatuor termini habentur. Quorum consonantia est quater diapason, cum diapente, & tono: quamuis Seuerus in lemma ipsam figuram terminet: sed clarius, & lucidius colligitur terminari in tonum: Est enim ab uno ad binarium proportio dupla, ecce primum diapason: Rursum huius quaternarius, & huius iterum octonarius: & huius etiam sexdecim duplus est: Vndè hucusque quater diapason extenditur: ipsius autem 16. sexqualter est 24 ubi diapente: Et ad hunc sexquioctauam rationem habet 27: & ibi terminatur progressus. Vndè liquidè apparet figuram in tonum terminari. Seue.

Cur in huiusmodi descriptione Plato usus sit magis diatonico genere, quàm chromatico, & enharmonico. Cap. V.



Ria genera harmoniæ apud antiquos fuisse in usu authores multi perhibent, diatonicum uidelicet, enharmonicũ, & chromaticum: Diatonicũ autẽ est ex semitonio, aut lẽmate, & ex tono, & altero tono: Enharmonicũ ex diesi, & altera diesi, & ditono: Chromaticũ uerò ex semitonio, & altero semitonio, & trisemitonio. Est autem diesis ueluti quarta pars, non tamen examussim: sicut neque lemma est integrum semitonium: esto quòd aliqui antiqui (teste Proculo) diesim uocauerint semitonium. Procul.

Plato. *Mundi igitur, & animæ negotium Plato per diatonicum describit: quãuis Aristoxenus non sine admiratione sapientũ dicat antiquos figuram diatonicam nõ cognouisse: Quod non tanquam uerum asseruit: sed ut de more semper aliquid noui uideretur (ut ait Adrastus) in mediũ afferre. Vtitur igitur Plato diatonico genere in mundi, & animæ ratione existimans ipsum uitæ rationalis gubernacula suscepisse, relinquens enharmonicum uitæ omni, quæ cum corporibus partitur, præesse: chromaticum uerò ipsi corporali ideæ. Hoc autem genus distinctũ est, miniméque generosum. Enharmonicum uerò ad docendum, instruẽdúmque accommodatum est: Sed diatonicum aliis plenius, & simplicius, magísque generosum. Hoc igitur genere tanquam magis accommodato describit animæ præcipuè, uniuersique primarium officium.* Aristox. Adrast. Plato.

Quo mirabili artificio in prima omniũ creaturarum, quã Hebræi מטטרון *mitatron dicunt, cõtineantur illi tres nouenarij: qui uigintiseptem, cubum uidelicet eorum complent.* Cap. VI.



Nter recõditissima arcana Hebræorũ hoc celeberrimũ habetur: ꝙ una est prima omniũ creaturarũ, ipsarũ omniũ pefectionẽ con tinẽs, quã uocant מטטרון שר הפנים*, id est mitatron principem facierum: quia semper stat ante faciem Imperatoris, iusq; habet introducẽdi benemeritos ad præsentiã ipsius. Et hunc dicũt ipsi Hebræi locutum fuisse cũ Mose, & ipsum eò subuexisse: ut cum opifice loqueretur facie ad faciẽ: Quorũ uerborũ literæ supputatæ reddunt (ut patet scientibus) 999. Nouẽ uidelicet centenaria, nouẽ denaria, nouẽq; numeros: ut omnium creaturarũ uirtutẽ cõnectat: Quarũ simpliciora explicãtur per numeros, media per dena-*

rios, & extrema, & craſsiora per centenarios: qui tamen omnes tres nouenarij ſunt. Quæ omnia cum in uerum decimum terminentur, qui complementum eſt omnium, millenarium perficiunt: qui eſt aleph, de quo dicitur in fine Canticorum, Cãtico:
הָאֶלֶף לְךָ שְׁלֹמֹה id eſt aleph (qđ mille ſignificat) tibi Selomo: Tibi uidelicet, qui es pax tibi ipſi: ut innuatur, quòd quamuis illa ſit perfectiſsima creaturarum, non tamen eſt ſibiipſi finis & pax, cum terminetur in aleph, id eſt millenariũ, qui eſt uerus primus, & uera unitas, & decimus, & milleſimus; & ultimus finis omnium: ut in Iſaia ſæpius repetit dicens: Ego ſum primus, & nouiſsimus. Iſaias
Hinc merito primitias, & decimas à nobis exquirit. Nec contriſtentur cœlorũ reginæ merito affecti, ſi Mitatron dicimus primam omnium rerum creatarum ſimplicium: cum illud ſit nomen officij, & non perſonæ: unde & Mariæ competere poteſt, & cõpetit: ut patet ſupputanti numerũ, quẽ reddunt literæ eius nominis: & extremæ literæ illorũ triũ uerborũ, quibus dicitur Mitatrõ ſar apanim: utræque enim præbent. 290. Nam in מִרְיָם quod eſt Hebraicæ nomen beatiſsimæ uirginis: cuius, ר, dat, 200, duo, מ. 80, &, י, 10. Quæ ſimul iuncta conſtituunt. 290. Tãtundẽ reddunt illæ extremæ literæ: quarũ prima, ſcilicet נ, dat. 50. ultima, quæ eſt, ם, 40: media autem, quæ eſt, ר, 200: Quæ ſimul iunctæ reddũt, 290. Neque hinc exiſtimet quiſpiam Mariam Chriſti matrem locutam fuiſſe Moſi: Cũ hoc (ut diximus) ſit nomen non perſonæ, ſed officij: fungatur illo quiſquis ſit. Quis autẽ tunc illo fungeretur officio, multa dicunt Hebræi: ſed quomodocunque res ſe habuerit, ille fuit qui immediatè loquebatur, aut angelus, aut uir angelicus effectus, uel in angelũ tranſmutatus, dicente Paulo cũ Galatis: lex ordinata eſt per angelos in manu mediatoris. Deus uerò, aut Dominus uel tetragrãmaton introducitur loquens ipſi Moſi: quia quicquid faciebat angelus, erat iuſſu, uirtute, & influxu ipſius Dei mittentis, ac ſi ipſemet operaretur: Qui uerè operabatur influxu, aut uirtute, quã (ut ſupra diximus) flagitauerat Moſes non contentus nuda, & ſola uirtute angelica. Paulus

Quod idẽ numerus, & eodem ordine in ſuperioribus uirtute quadã ſuperexcellenti contineatur. Cap. VII.



Oſtquam Moſes mundi totius fabricam deſcripſit, ſubintulit: Cõpleti ſunt cœli, & omnis exercitus eorum, pro quo nos habemus, Et omnis ornatus eorum. Et quia tota cœli, terræque militia, & exercitus à Domino producti ſunt, ideo ipſe dicitur princeps exercituum: ſed Hebraicè שַׂר צְבָאוֹת. Quarum literarum numeri ſupputati redddũt 999, ת, 11. ש, &, ר, 900 צ, 90, ו, ב, א, 9, Dicitur igitur princeps totius militiæ: quæ continetur in illis tribus nouenarijs: Quos omnes continet ui aleph, & millenarij ipſi proprij. Inſuper & tres illi nouenarij continẽtur in literis plenis magni nominis Dei ſimul cum literis, quæ ſignificant ignem, aquam, aërem, uel ſpiritum, aut uentum, & puluerem: Ex quibus quatuor elementis, mediante uirtute magni nominis (ut dicunt Hebræi) omnia producta ſunt.

Quæ literæ plenæ ipsius magni nominis, & literæ elemēta significātes hæ sunt. יוד הא וו הא Quarum litterarum supputatio (ut manifestū est experitis) reddit præcise eundem numerum, qui est 999. Vndè אֵשׁ מַיִם רוּחַ עָפָר eliciuntur omnia, quæ ex elementis uirtute magni nominis fabricata sunt, illo numero cum suis proportionibus terminari. Quæ multum ponderantur apud eos, qui illam partem secretioris theologiæ, quam גִימַטְרִיָא id est gemataria dicūt, sequuntur. Et hunc modum procedendi in rebus physicis, & diuinis, imitatus est Pythag. Pythagoras, & sequentes ipsum: quamquam multi horum sacramentorum ignari circa puros numeros laborantes tempus, simul & industriam perdiderunt. Illi igitur tres nouenarij suis musis, & consonantiis referti, undique circunsonātes suum opificem collaudant ad eundem suauissimo cursu properantes.

Quòd ex unitate primi resultet in omnibus consonantia. Cap. VIII.

Diffusa creata omnia, & in multas partita portiones inconcina, dissonantiaque remanerent, nisi per debitam harmoniā in unum reducerētur: Consonantia enim (ut Boëtius, & Nicomachus diffiniunt) est parium, dispariumque uocum in unum redacta cōcordia. Boëtius. Nicom. Hinc & huius mundani organi consonantia est parium, dispariumque rerum in unum illud primum consonantia: adeo, ut illius unitate gaudentia omnia unum dicantur: ut doctè, & profundè disputat Plato in Parmenide: Cui Aristoteles contradicens potius ad uerba (ut Simplicius ait) quàm ad sensa arguit. Plato. Aristote. Simpli. Est enim (docente Orpheo) Deus unus per identitatem: cæterorum autem unūquodque per diuersitatem unum dicunt, & per depēdentiam, participationem, & colligationem cum uero uno, qui Deus est: Qui nunc per species multiplices materiam figurat, nunc autem illa multa (ut ait) ad unam opificem colligit ideā. Et tandem ipsa omnia complicans cum suo principio, à quo emanarunt, ad unitatem eadem impellit, & trahit. Ideo Plato, & alij Pythagorici, ut machinā istā unicam illa suprema unitate demonstrent, & cum ipsa denique per concordiam, & conuenientiam uniri, colligunt portiones rerum pares, & impares: & earū proportiones, & conuenientias harmonicas, illas omnes ab unitate procedere dicentes: atque ad unitatem tendere: cuius desyderium tribuit ille, qui summè unus existens dat omnibus, ut unum sint: & in unū tendant. Plato. Pythag. Omne enim quod est (inquit Boëtius) ideo est. quia unū numero est. Et omnia hæc (ait Proculus in theorematibus theologicis) sicut ab uno processerunt: ita ad illud unum continuo cursu properant: cum ipso tanto maiori concordia conuenientia, quanto magis de illo uno participant, de quo dicitur: Porro unum est necessarium, tanquam finis, Boëtius procul. uidelicet, & terminus, in quo omnia, aut beentur, aut quiescant. Ipse enim opifex (inquit Dionysius) tanquam omnium causa omnia in se conuertit: ne deficiant, Diony. aut turbentur sibiipsis derelicta.

Qua nota heptachordum exaratum animæ conueniat. Cap. IX.



T *quia Plato per hoc suum heptachordum uidetur tam animæ humanæ quã mundanæ opificium describere, etiam quomodo ipsi humanæ animæ coaptetur perscrutandum est, ubi hoc primo præsupponitur: q non est numerus, quãtus ipsa anima semota ab omnibus corporeis legibus: undè nec diuiditur, nec per partes multiplicatur.* Sed *est numerus substantialis, uniformis, ad seipsum conuersiuus, & rationalis, corporea omnia, & materialia longo superans interuallo:* Cuius *partitio non est secundum materiam: nec ab inferioribus, & craßioribus: sed ab efficiente causa (inquit* Proculus*) proueniens.* Ab *his inquam perfectis rerum omnium mensuris, ad quas opifex respiciens operatur, animam partitur, quemadmodum & uniuersum hoc ad intelligibilia diuisit exemplaria.* Est *igitur in anima iste diuisionis modus immaterialis, intellectualis, impermixtus, animalis substãtiæ perfectiuus, generatiuus multitudinis, quæ in ipsam, & sub ipsa est, eiusdemque ad unum ordinem per harmoniam collectiuus: qui diuersas partes colligit: & impermixtæ puritatis causa existens, conferensque ipsi animæ multitudinis cõfluentem rationum communionem, ut sit ipsa anima (sicut docent* Timæus, & Plato*) partibilis, & impartibilis.* Nam *si (ut* Aristoteles *rectè sentit) est in ipsis partibilibus impartibile quoddam, quod eorum contentiuum est: multo magis in his, quæ non solum diuiduam, sed indiuiduam naturam habent, aliquid impartibile necesse est esse, quod semper maneat:* Nam *opifex ipse sempiternus (ut aiunt) fabricator totum quiddam unum ante diuisionem constituit animam, & alia.* Nec *sempiternus productor, cum unum producit, aliud destruit in toto: quia non perit totalitas destructione, aut productione partium: sed manet, partibúsque ipsis præest.* Non *enim partes ante totum produxit: sed ipsum totum ante partes: non quidem integrale, sed essentiale.* Insimul *igitur est animæ substantia totum habens partes, unum, & multitudo harmonia mirabili collecta:* Quam *qui percipere uoluerit, non statuat metam suæ industriæ ad mathematicas speculationes: sed seipsum ad conuenientem animalis substantiæ locum quammaximè excitatus erigat: & recta trutina pensitet triplicem esse totalitatem:* Hanc *quidem ante ipsas partes, illam autem ex ipsis partibus, aliam uerò in unaquaq; partiũ.* Sed *de illa, quæ est ante partes tradidit* Plato: *quæ etiã in productione partiũ minimè absumitur, sed manet:* Nã *q partes tradit, bonus est: nec cõpactum soluit: quod mali, & non boni est officiũ.* Permanet *igitur ipsum totũ, quod partes præcedit: & dissoluitur id, quod ex ptibus esse dicitur: & cõflatũ ex nouarũ partiũ harmonica ratione solutis partibus perit:* Dissoluitur *enim quod in partibus est signatũ à* Plat. *per circulos illos, in quos ipsam animã diuidit.* Est *igitur anima unica, & multiplex, unitatẽ habẽs in ipso intellectu: qualitatẽ autẽ, & multitudinẽ ad inferiora tendẽs:* Et *quæ in se existens unica est, ad infima descẽdens diuiditur:* Rursus *ad se reuersa cõponitur,*

Plato
Procul.
Timæ.
Plato.
Aristo.
Plato

Procul. & reunitur pergens uia Dionysiaca, & Apollinea: ut tangit Proculus ex antiqua theologia Orphei, Hesiodi, Euripidis, & Æschyli: qui in fabulis inuoluerunt, quæ à uiris diuinis didicerant. Est enim (ut illi docent) in archetypo diuinus sol: à quo omnis numerosa pulchritudo, omnísque decor, & conueniens harmonia, uitáque emanat: In cuius dextera est pietas, & beneficentia: & in sinistra seuera punitio. Sed uates isti gentiles aut non percipientes Dei sacramenta, aut occultare ea studentes, omnia quæ in supremo sole uigent, decantarunt de hoc, quem oculis corporeis uidemus, sole. Et hunc appellarunt Phæbum, Apollinem, Solem, ut supra tetigimus: Quem dicebant gratias gestare in dextera manu: arcum uerò, & sagittas in sinistra. Ipsum quoque uocarunt Bacchum, & Liberum patrem. Sed istis omißis quantum ad præsens negotium spectat, uocarunt ipsum in nocte Dionysium discerpentem, & dilaniantem, & ipsummet in septem partes discerptum: Apollinem uerò in die componẽtem, quæ discerpta erant: & ipsum quoque in septem partes concisum: & hoc per septenarium conuenientem, adeo ut semper septenario procedat. Quapropter uocabant ipsum septenarium ducem. Et hic ex unitate, binario, & quaternario resultat: ex quibus cõsurgit bisdiapason, harmonia uidelicet perfectißima: Vndè merito lyram gestare dicitur: & harmoniæ dux. Et bene uitæ, dissolutionísque authori septenarius attribuitur: qui ex primo impari, scilicet ternario, & ex primo pari, quaternario uidelicet componitur. Binarius enim à Pythagoreis numerus non dicitur: sed confusio quædam unitatum. Ex pari igitur, & impari tanquam ex actiuo, & paßiuo generantur omnia: & eadem uia dissoluuntur: sed generatio, & uita est à supna luce, & ui uniẽte: dißolutio uerò ab infernis, & nocte dilaniante. Ideo in nocte Dionysius discerpens dicitur: In die autem uniẽs Apollo, sic dictus quasi malá pellens: Ideo ueteres Apellinem pro Apolline dicebant. Et Athenienses Alexiacon, id est malorum expulsorem. Ab Homero autem Vlion, id est salubritatis author dictus est: In quo etiam residet unitas illa omnia consonantißima reddens: Quæ si inferioribus indulgens diuisionẽ pati uideatur, à statu tamen suo non diuellitur: sed dispersa colligit, & reunit. Quo forsitan tendit illud propheticum: Auferes spiritum eorum (spiritum inquam unitatis, & unientem) & deficient sibiipsis dimissa omnia. Si autem remittitur spiritus ille uitæ, & unitatis, renouantur, & recreantur eadem omnia: Quæ cum à Deo benedicto efficiantur: ideo sequitur: Sit gloria Domini in sæculum: lætabitur Dominus in operibus suis: quando uidelicet ea conduxerit ad debitum temperamentum, & unionem cum suo principio, à quo processerant, uisa quippe ab eo ex sectili natura discedere: Ab ipso tamen non destituuntur: ut dissoluta perpetuò maneant: cum semper adsit unitas illa, quæ partes & antecedit, & subsequitur ui sua tandem discerpta omnia ad se trahens.

Orph. Hesiod. Euripi. Aeschy.

Pythag.

Veteres Atheñ. Home.

Psalm.

Quomodo tres illi nouenarij reperiantur in homine. Cap.X.



Homo perfectißimum simulachrum mundi existens illa omnia, quæ in magno mundo glomerantur, eadem proportione continet: Et primo nouenariū centenariorum in deteriori parte, quæ est bifarium corpus: ut Plato asserit: Quorum utrumque ex quatuor elementis: Corruptibile enim ex quatuor alterabilibus, & incorruptibile saltem post resurrectionem erit ex elementis nobilioribus, nequaquā corruptioni obnoxiis: qui duo quaterni dant mihi octo: Quibus (ut compaginatum sit corpus, & uiuat) inest uita quædam unica: Sit modo illa anima, quam Hebræi נפש id est nephes uocant: aut sit uitalis spiritus, uel rationalis anima supplens omnium uitarum uices: ut nouitiores dicunt. Ex ea cum illis octo resultat primus nouenarius: qui terminatur in decimum, proportionem uidelicet superiorem. In anima uerò est secundus nouenarius collectus ex quinque sensibus exterioribus, & quatuor interioribus, uidelicet imaginatiua, cogitatiua, phantasia, & sensu communi: terminaturque ad intellectum, tanquam ad decimum: Et in hoc est alius nouenarius purior in simplicibus numeris: quibus cum nouem ordinibus angelorum, & superioribus annumerationibus conuenit: ut sit in eo plena angelorum, & Dei imago: sicut suo loco differemus: & terminatur in illum decimum, fontem uidelicet supremum, & omnium parentem: Cui operationes, & preces debentur omnes: sic docente filio Dei qui ait: Cum oraueritis, dicite Pater noster. Et ad quem tandem conuersi cum eodem uniri debemus. Interualla autem harum enneadum per operationes (quas actus secundos appellant) complentur. Habet enim homo triplicem operationem: & hanc consonantem, & harmonicam: cum mundo hoc inferiori in natura: cum cœlis in sensibus: cum angelis in parte superiori, rationali uidelicet intellectiua, & uoluntaria: Quam consonantiam nisi haberet cum omnibus, non posset, nec in omnibus operari: nec omnia intelligere. Et inter omnia animantia solus homo gaudet hoc honore: ut cum omnibus agat: & in omnia posit, etiam in summum opificem, intelligendo & amando. Sed si uolumus exactè deducere hominem ad Platonis, & Pythagoreorum figuram, quæ septem terminis præcipuis continetur collectis ex primo pari, & ex primo impari, tanquam ex actiuo & passiuo, recordabimur illius tritißimi, apud Peripateticos: esse, in homine, uidelicet intellectum poßibilem omnia suscipientem, & intellectum agentem omnes producentem conceptus: qui in paßiuo illo intellectu suscipiuntur. Et in utroque hoc quidem suscipiente, illo uerò producente est septenarius ex ternario, & quaternario collectus: quia est conceptus supernorum, quibus ternarius: & compositorum, quibus quaternarius est addictus. Insuper & ipse homo est ex utraque parte confectus, ex spirituali, uidelicet mente, & craßiori, scilicet corpore: ex quibus quoddā mixtū ex utroq; resultat, sensus potißimè interiores: q partim animales sunt, partim intellectuales, utrūq; cōnectētes.

Plato
CHRISTVS.
Plato Pytha.
Peripate.

Plato. Et si (ultra q̃ permittit Plato) ad particularia descēdere licet: limites illos omnes ipsi homini applicabimus. Nam in eo est unitas: portio uidelicet quædam diuinitatis: qua Deum intelligit: & circa ipsum operatur. Et hæc duplatur in duplici intellectu, agenti, & passiuo: quadruplatur in quadruplici ui elementaria: octuplatur in combinatis (ut aiunt) quadrúplicibus elementis. Ex alia parte in trinum uenit per triplicem animæ potentiam, In nouenarium per nouem sensus, quinque corporeos, & extrinsecos, & quatuor interiores: In uigesimum septimum autem pergit amplectendo tres ipsas enneades contentas in homine: in quo ipse intellectus, aut portio illa suprema est dux, & uita præcipua. Et horum limitum interualla omnia replentur per operationes proportionatas, omnium illarum potentiarum, & partium: sed ad mundanum heptachordum reuertamur.

Quid sibi uelint illæ tres proportiones Musica, Geometrica, & Arithmetica, quibus anima & totus mundus disponitur. Cap. XI.



Aristo. Elebrando Aristoteles ternarium numerum ex Pythagoreis prōptuariis depromit, quòd ipsum habemus à natura: & sustinemus ipsum quasi legem. A natura quippe est progressus multitudinis ab uno, & ad eundem regressus, qui per ternarium ipsum fit: Opifex enim seipso contentus, & clausus summa unitas est: in multa autem ab eo producta, quæ altera dicuntur, binarius diffunditur: sed eadem omnia ad se reuocando ternarium complet. Vnitásque illa perfectissima, & faustissima est: binarius uerò infaustus: sed ternarius conuertens multitudinem, & ipse fœlix est numerus: quo Deus gaudet, deducto uidelicet opere in debitum finem cū perfecta sui imagine: In ipso enim est unitas illa perfectissima generans, undè patris nomen sortitur. Secundus qui binarium facit in diuinis, est filius genitus, non tamen infaustus: quia non extra illam omnimodam perfectionem diuinæ essentiæ, sed intra eius ambitum continetur: Vndè nec omnino est alter, aut secundus, nisi in persona: nam in essentia est penitus idem. Tertius est amor connectens parentem cum prole, & econuerso. Hinc (ut Pythagorei dicunt (ubicunque unum reperitur: illud fœcundum est, & generans: generatum uerò binarius est, aut secundus: sed illud quod utrūque connectit ternarium facit. Nec enim quiescit binarius, & alter, donec per ternarium, id est, formam reuertatur in primū. Identitas igitur omnium rerum existentium in Opificè musica proportione (inquit Proculus) declaratur. Alteritas autem rerū productarum Arithmetica: sed alteritatū unio Geometrica, Eadem serie animæ negotium (ut idem Proculus ait) procedit, eadem existens in se, multiplex in potentiis, & sensibus sibiipsi iterum collecta: Eadem iterum in opificè, multiplex uerò in se, semper autem ad unionem cū eodem opificè tendens. Tres enim fabricator cōtētiuas uniones ipsi animæ, & mūdo tribuit: quas Plato medietates appellauit: ideo q̃a uniuersi ordinem alligare uidetur. Geometrica quidem substantiarum cōprehendit

(Margin notes: Pythag. · Procul. · Idem. · Plato)

multitudinem, substantialésque unit processus: Ratio *enim unionis similitudo est harmonica: quæ identitates omnes, illarúmque essentias in unam contineat unionem.* Arithmetica *autem, quæ alteritates, primas, scilicet medias, & ultimas in unum complicet: & coniungat.* Q*uibus etiam medietatibus ciuitates gubernari docet* Plato *in* Rep. Nam *harmonica medietas iustitiæ similitudo est, maioribus quidem terminis maiorem tribuens rationem, minoribus autem minorem,* Arithmetica *dans unicuique, quod secundum mensuram æquale est, pacem in populis conducit,* Geometrica *uerò æquando, & colligando unionē præstat.* Et *has proportiones finxere antiqui uates* Græcorum *(ut* Hesiodus*, & alij sicut ipse* Proculus *meminit) fuisse* Themidis *filias: quæ omnium potentias, uirésque continet: & est numen eorum, quæ fas sunt:* Nam *fas* Græcè *θέμις, eiúsque filiæ* Eunomia Dice, Irene: Eunomiæ *simulacbrum est* Geometrica *medietas: quæ est quasi bonam unionem conducens.* Irenes Arithmetica, *quæ (ut diximus) ad pacem deducit:* Nam *pax* Græce *εἰρήνη, id est* Irene *dicitur.* Hinc Martianus *iureconsultus, eos, qui disciplinæ publicæ, & corrigendis moribus præficiebantur,* Irenarchas *appellabat.* Dice *autem in musica repræsentatur: qua declaratur identitas, & iustitia æquale secundum dignitatem consequens.* Et *unaquæque ligat, & uincit,* Musica *in identitate principij,* Arithmetica *in æquali distributione,* Geometrica *in unione cū principio, à quo processerunt.* Hinc Timæus *has proportiones uincula nominauit.* Hæ *igitur medietates per totam mundi, & animæ penetrant substantiam: unamque ipsam ex multis efficiunt uariarum sortitæ specierum colligatiuas, unitiuásque uires.* Cum *autem tres sint hæ:* Geometrica *quidem omne, quod ad substantiam in ipsis animis, & rebus attinet, colligat:* Nam *substantia una est ratio, quæ per omnia commeat continens, complecténsque omnia, prima, media, & ultima: quemadmodum ipsa* Geometrica *medietas una, & eadem est ratio per tres penitus commeans terminos:* Harmonica *autem omnem identitatem animarum diuisam extremis ipsis rationum communitatem, cognatámque copulationē tribuit.* Q*uæ inquam identitas in uniuersalibus quidem communioribus longè euidentius cernitur:* In *particularibus uerò minus, & obscurius.* Arithmetica *autē alteritatem colligat: uariumq; animæ & rei processum: & hæc maioribus quidem secundum ordinem minus inest: minoribus uerò magis:* Dominatur *enim in particularibus alteritas: sicut identitas in uniuersalibus, melioribúsque: habēt que hæ duæ quomodo comparentur ad se inuicem, sicut identitas, & alteritas.* Et *quemadmodū harū unitas est substantia ipsa, sic* Geometrica *medietas unitas est.* Omniū *igitur substantiarum, quæ in quatuor & tringinta terminos intelligi uolumus, unio, uinculúmque est ipsa* Geometrica *medietas: necnon æqualium identitatum ipsa harmonica, sicut alteritatum ipsa* Arithmetica*, omnes inquam per omnes extensæ terminos.*

Plato

Hesiod.

Procul.

Martia.

Cur septem limitibus mundi, & animæ negotium complectantur Pythagorici & Academici. Cap. XII.

Timæ. Idem



Isum est Timæo, & Platoni ipsum æmulanti animam septē limitibus cōplecti: In primo præponendo unitatē, tanquā ipsius animæ supremū: quo in opificè summā unitatem cōtinens idē sit cum eo: quia omnia in uerbo præexistentia, idem erāt cum ipso uerbo: ut dicunt Theologi nostri. Sed Orpheū imitantes, dicimus, ꝙ anima in intellectu primo suū collocat caput. Secūdus limes, qui duplam proportionē ad primam cōtinet, progressum innuit ipsius animæ à Deo. Tertius uerò egressum ad eundē. Quartus autē egressum à seipsa, ut circa alia peragenda uersetur. Quintus retrocessionē ad sese, ita, ꝙ processus à seipsa annectatur progressui, quē facit ab eo, qui eandē præcedit: & regressus ad seipsam à regressu suiipsius ad præcedentē ipsam opificē dependeat. Vltimi uerò limites, qui ex solidis constituuntur, cōuersionē docent corporū, quibus annectitur ipsa anima, Corporum dixi, quia mundus ex bifario corpore cōstat, incorruptibili, & cœlesti: & corruptibili, & feculento: Parique modo, ut perfectam mundi imaginem cōtineat, homo ex bifario corpore perficitur, secundum Platonicos, elementari, & cœlesti: Elementare autem, per cubum, aut solidum binarij qui materiam signat, Cæleste uerò per cubū ternarij denotatur. Itaq; mūdi harmoniam, illa quæ est in mente, & anima, & toto homine consequitur: ut plærisque locis ab Academicis habetur, maximè Proculo: sed hic dicit mundum decem modis harmoniæ participem: animā uerò quadrifariam. Et quemadmodū ipsa unitas quaternarij est causa: hic autē denarij: sic intellectualis harmonia animalē efficit: hæc autē sensibilē. Hinc dicunt Hebræi, ex recōditissimis ipsorū arcanis, animam ex magno Dei nomine quatuor literarū procedere, mūdū autē totū ex decē annumerationibus prouenire, & regi: Sed à tribus supremis iussu, à septē uerò reliquis executione: hinc uocant has septē, annumerationes fabricæ. Secūdū itaq; unitatem (ut Syriano placet) perfectus, & totus mundus repræsentatur. Secūdū binariū autē multitudo in ipso innuitur, atq; uarietas: Per diuisionē uerò pariū & impariū, masculinū, & fœmininū ab ipsis incipiēdo Diis usq; ad stirpes, & plātas: Secundū binariū enim & ternarium, id quod in Diis est: secundum uerò quaternariū, & nouenarium, id quod in generibus melioribus nobis, superioribúsq; est: secundū cubos autē usq; ad terrestres, ultimásq; procedēs uitæ species, & easdē in primo reducendo. Cōpletur igitur harmonia perfecta per cubos: quos Pythagorei harmoniā nominare consueuere: quoniam soli figurarum angulos proportionabiliter æquales habent ad latera, & ad superficies. Sed hoc fit duplici uia, diuidēdo uidelicet, & colligēdo: Ideo (inquit Proculus sequēs, ut ait, antiquos theologos) sunt in Opificè duplices uires, diuisiuæ, & cōtentiuæ: per alteras quidē imperiū suū à patre secernere autumat: per alteras uerò omnē ipsius fabricā paternæ appellicare unitati: Ideo ipsi Theologi hæc opera uocant incisiones, &

Marginal notes: Orph. — Platoni. — Academ. — Procul. — Syria. — Pythag. — Procul. Theolo. Antiqui. — Idem.

uincula. Sed quæ generatiuæ sunt uires, & incisiuæ, duplæ sunt: quæ autẽ perfectiuæ, triplæ. Nec miretur quispiã, si Proculus Opificẽ à patre distinguere ui- Procul: deatur de mente Theologorũ: qui absq; dubio Hebræi sunt: & qui ab eis didicerũt, quorũ doctrina totum Platonicũ dogma cõspersum esse facilè iudicabit, qui utrorũq; semitas uel olfecerit: Nã & Moses (ut cautè obseruandũ est) inducit Elohim rerum opificem quod nos Deũ habemus interpretatum. Et hoc bene attẽdenti seriem Hebraicæ Theologiæ nomen est Spiritus sancti: qui etiã inducitur uolitare super aquas, eas cõfouendo. Horum etiam sacramentorũ conscius Dauid cecinit. Verbo Domini cœli firmati sunt: & spiritu oris eius omnis Psalm. uirtus eorũ. Firmatum est enim opus à uerbo, sed dispositum per spiritum oris eius: quẽ Moses dixit Spiritum Elohim. Nec tristẽtur Theologi nostri, existimãtes id esse cõtra Augustini sententiam ab omnibus celebratam: qua decernuntur opera trinitatis ad extra, adeo indiuisa esse: ut quicquid facit una persona, faciant & reliquæ: Quod uerum est, sed uni tanquam iubenti ascribitur opus: alij tanquam sustentanti: alij uerò ueluti disponenti: ut Paulus omnium istorũ sa- Paulus cramẽtorum præcipuus doctor exprimit dicẽs: A quo omnia, in quo omnia, per quem omnia. A patre enim tanquam à primo fonte emanant omnia: In filio uerò tanquam in piscina per ideas collocantur: Per spiritum uerò explicantur: & propriis gradibus unumquodque distribuitur.

Quomodo in mundi anima (more Platonico loquendo) limitum eorum interualla repleantur. Cap. XIII.



CVm ad interuallorũ cõplemẽta deueniunt, qui Platonem interpretantur, exemplificant de anima mundi, qua omnia uiuificantur: ut dicunt Academici. Sed hoc nos attribuimus spiritui uitæ: Academ. & illi, qui lignum uitæ, fons uitæ, & mundi uita dicitur. Innuunt igitur isti, aut quod Plato de illa uniuersali anima tãtũmodo locutus sit: aut per illam uniuersi animã, consequenter etiam minoris mundi, qui simulacbrũ maioris, & archetypi tenet, cõplementa, & colligationes exaret: Dicunt enim, quòd harmonica medietas omnẽ animæ colligit idẽtitatem: cœlestibúsq; inseparabilẽ tribuit cõmunionẽ, maioribus quidem circulis maiores motus, minoribus autem minores motus distribuens: Celerius enim mouentur, quæ continent, quàm quæ cõtinẽtur. Sic & elemẽtis subtilioribus, tenuioribúsq; maiores, & uelociores motus, crassioribus autem minores, & tardiores, & cõsequẽter inferiores gradus in quibus resultant cõsonantiæ illæ uariæ, distribuit. Et quẽadmodum duæ medietates, harmonica uidelicet, & Arithmetica, uniuersum in duo diuiserunt: sic sesquitertiæ, & sesqualteræ rationes constituerunt particularẽ mundi ornatũ: Et in exemplũ adducũt diuina genera animarum, dæmones, & particulares animas rationales, quibus replentur sphæræ. Et dicunt (maximè Procul. diuina Procul: genera tota se totis priorum genera participare. Dæmones uerò (nõ illos quos diabolos uocamus: sed intelligẽtias quasdã cœlestes & sapiẽtes) sic totorũ par-

ticipare aiũt, nõ tamẽ illa tota superiora, sed aliquid illorũ: quia suscipere nequeũt ꝓprietates diuinorũ generũ.i.supernarũ intelligẽtiarũ, aut annumerationũ: quæ sunt in archetypo. Particularia autẽ genera, animæ uidelicet nostræ rationales supiorũ participãt, nõ tamẽ semp: sed partibiliter, & ꝓ tẽpore. Ideo nõ aßiduè, sed multa intercapidine homo speculatur multipliciter à craßiori materia, cui alligatus est, præpeditus. Anima autẽ illa uniuersalis habet horũ omniũ rationes: quia in omnes diffusa omnia replet, & uiuificat: Idẽ de anima nostra suprema dici potest: quã Arist. intellectũ agentẽ, Plot. intellectũ absolutè, Ioan. lucem, August. portionẽ superiorẽ uocat: sed Moses נִשְׁמַת חַיִּים pro quo nos habemus spiraculũ uitæ: In textu autem habetur uitarum: quia illud supremum (quocũq; nomine uocetur) uiuit superiori uita, & inferioribus eãdẽ cõmunicat: Cũ quo si unitur anima nostra rationalis (quã Acad. particularẽ dicũt) tũc secũdum Trism. mentẽ adipiscitur: & sentit uirtutẽ animæ illius superioris: ut cum Tatio filio differens ait: Quicũq: ô filij diuino hoc munere sunt suffulti, hi secũdũ operum cõparationẽ ꝓ mortalibus immortales habentur intelligentia sua cũcta cõplexi, quæ in terra sunt, quæ in mari, & si quid est præter ea supra cœlũ. Atq; adeo seipsos erigũt: ut ipsum quoq; bonũ intueãtur immortales effecti. Tũc quoq; sentit homo eã plenißimam harmoniam, quã cum omnibus habet, cum omnibus ipsis domesticè agẽs. Sed quia duæ sunt portiones, ex quibus omnia fabricata sunt: materia uidelicet, atq; forma: & illã Mos. nũc terrã, nũc תהו (quod nos chaos dicere possumus) uocat: hãc autẽ lucẽ. Sed cũ materia sit unica in omnibus inferioribus, & partibilis ad partitionem formæ, ut innuit Pla. & nõ multiplicatur forma ad partitionẽ materiæ: ideo hãc dimittemus (ut idẽ Plato ait) particula singulorũ relicta: particula inquã materiali, cuius proportio est (ut ipse ait) 256. ad 243. Quarũ differentia est 13: quod ad materiã pertinet, inquit Procul. quia ultra duodenariũ est, numerũ quippe diuinũ: & quo cœlestia metiũtur. In hoc terdenario fundatur lẽma, ꝓportio quidẽ animæ ad ipsa materialia, feces, sedimẽta atq; turbata, ad cõplemẽtũ tamẽ utriusq: mũdi ꝑtinẽtia. Hac igitur semota deformi partitione, eã in qua reliquæ omnes ꝓportiones cõperiũtur, uideamus. In principio, inquit, unã ex uniuerso accepit opifex portionẽ: quã duplauit, dũ materiã informari iußit, ad quã lẽmatis ꝓportionẽ habebat. Quadruplauit aũt dũ in elementa distincta effudit: quæ octuplatur cõposita perfundens, & uiuificans: sed hoc per uim fœmineam. Ex imparibus autem (ut diximus) tanq̃ ex ui masculina omnia eadem serie replet usq; ad suũ cubũ, ꝑfectã uidelicet, secũdũ Pythag. harmoniam. Replet autem interualla, diapente, diatessaro, tono, & lemmate: Diapente quidem ad diuina genera aspiciens: Diatessaro ad dæmonum genera, & particulares animas, quibus sphæras plenas esse dicunt. Tonis uerò replet ad brutales animas deueniens: quæ comparatio est tertij ternarij ad cubum dualitatis: Lemma autem ad corporale, & uegetatiuum, attendens usque ad metalla, lapides, & infima quæque genera.

Aristote. Plotin. Ioannes Augusti. Moses. Acade. Trism. Moses, Plato Idem Idem procul. Pytha.


Quod ea, quæ de existentibus in sphæris dicta sunt, scripturæ sacræ cõuenire uideantur. Cap. XIIII.



Ec miretur quispiam si Pythagorei, & Academici sphæras replетas dicant intelligentiis, & animabus in eisdem locatis, cum & in sacro eloquio à Mose dictum sit: Completi sunt cœli, & omnis exercitus eorum: pro quo nos habemus, ornatus eorum. Exercitus enim, & militiæ cœlestes intelligẽtiæ sunt, & formæ intellectuales: quæ sunt ipsorum cœlorum ornatus pulcherrimus. Nam per has formas, quas Plato cum Mose exercitus cœlorum uocat, sphæræ cœlestes (ait Proculus) ornantur. Ideo has Euripides, & post eum multi dixerunt domicilia, & atria esse Deorum, id est mentium cœlestium. Quæ autem, & quot sint in cœlis formæ, & intellectus ab ipso Deo summo distincti, solus ille nouit, qui numerat multitudinem stellarũ (ut canit Psalmographus) & omnibus eis nomina uocat. Nomina quippe uocat non corporalium stellarum, sed intelligentiarum præsidentium: ut nonnulli sapientes exponunt. Vnicuiq; enim orbi, unam saltem intelligentiam tota schola sapientum, etiam Peripateticorum aßignat. Sed & cum unaquæque stella suam habeat uim, & influxum in inferiora: necesse est: ut & ipsa suam habeat præsidentem intelligentiam: quæ uim conferat, ut agat: cum operatio à puro corpore prouenire minimè poßit. De animabus autem nostris restat difficultas: & apud multos ridiculum existimaretur: quòd ipsæ animæ in sphæris collocentur. Nec tamen extraneum uidetur sanè intelligentibus. Decantarunt enim etiã catholici aliqui non mediocris ingenij animas humanas ad sphæras uarias subuectas: Quod non de corporeis sphæris tantummodo intelligendum est: sed de illis supramundanis rotis, ad quas reuertuntur animæ: prout ab eis processerũt: ut in secretiori Theologia Hebræorum pleniβimè traditur. Et istæ sunt, nulli dubiũ, mansiones uariæ, & multæ in domo patris: ut summa ueritas intonat. Trãsitum autẽ eas facere Pythagorei autumant: dũ descendunt per eas intelligentias, & sphæras: ad quas reuertuntur perfecto cursu bene actæ uitæ: Et hinc astronomi (si quid ueritatis habent) prognosticando decernunt hunc esse Saturnium, uel Martium, alium Iouium, Venereum, uel Mercurialem, aut Phæbeum, uel Lunarem. Varij quippe sunt affectus, inclinationes, & mores in hominibus: non quidem tantummodo à materia uariè disposita (ut nonnulli opinantur) prouenientes: sed ab influxu uario, & forma diuersa: non quidem diuersitate specifica, sed particulari, & propria: Quorum gradus, & si uariè sunt distributi ab eo, qui idem manens diuidit (inquit Apostolus) singulis, prout uult, cooperantur tamen secundariæ causæ angelicæ, & cœlestes corpus, & alia, quæ Deus ipsis commisit, disponentes. Nec dicat aliquis Apostolum de diuisione gratiarũ mihi locutum fuisse: quia (ut rectè sentit Gregorius) mentes tam angelicæ, quàm humanæ in donis suscipiendis aßimilantur, sicut in naturaliũ graduum participatione conueniunt.

Pythag. Academ. Plato Moses. Procul. Euripid. Psalm. CHRISTVS. Pythag. Astron. Paulus

Quid possit dici de complementis interuallorũ triũ enneadum. Cap. XV.



Ostquam de repletione interuallorum cudimus: quicquid dici potest de complementis primorum generum, uiginti & septem, aut trium enneadum percurrendum est. Replentur quidem secundum proportiones superparticulares: ut dicunt Pythagorei: Et hoc est secundum unam tantummodo portionem rebus impartitam: Non tamen diuiditur illa unica uita: sed sicut sol unicus est in se, in radiis autem, & effectibus multiplex, & uarius, efficaciusque in uno tempore, & loco, quàm alio influens: sic & anima unica in corpore existens diuersissimos habet effectus. Et ut à nobilioribus incipiamus: In intellectu, aut in capite, intelligit: in corde uult: in oculis uidet: in auribus audit: in manibus operatur: in pedibus ambulat: in intestinis digerit, & usque ad feces expellendas interuenit: Vbi, quamuis tota operetur, cum non sit diuisibilis, non tamen secundum se totam, sed secundum partem uirtutis peragit: Nam si uirtus semper esset eadem: & opus consequenter idem esset. Nec organorum uarietas sufficit ad tam uarios effectus conducendos: quia absoluta à corpore non posset nisi unicum opus conducere: Nibilominus à corpore semota uult, intelligit, secundum locum mouetur & sensibus utitur: qui secũdum interiorem hominem sunt. Varia igitur est in effectibus, & unica in se: quæ organis, & instrumentis suis secundum partem sese impedit: unde resultat proportio superparticularis, totius uidelicet ad aliquã partẽ proportionatam: sic & uita mundi unica est, de qua dicitur: Deus cui omnia uiuunt. Et Paulus Arati sententiã celebrãs ait: In ipso (scilicet Deo) uiuimus, mouemur, & sumus. Ex cuius unitatis latibulis (inquit Orpheus) prouenit numerosa multitudo. Vnde arbor uitæ in medio paradisi situata, quæ uitã omnibus præstat, unica est: & tamẽ dicitur עץ חיים hez chaiim, id est arbor uitarũ: quia ipsa unica diuersos uitæ radios in alia diffundit: sicut de corporis mystici uita dicit Paulus: Vnus, atq; idem spiritus diuidit singulis, prout uult. Qui etiã spiritus uitæ existens idem cum arbore uitarum omnia uiuificat: ut Ezechielis docemur oraculo, quo ait: Spiritus uitæ erat in rotis: In rotis inquã mundanis, aut cœlestibus, & terrestribus. Nam omnia ob sphæricam formam gaudentia sphæram illam supremam, & diuinam imitantur. Hæc igitur uita tota in se existens secundũ quandam portionem (quæ ab ea minimè dissecatur) se communicat, uni quidem in proportione sesqualtera, alij in proportione sesquitertia, alij in sesquioctaua, alij in sesquisextadecima: unde diapente, diatessaron, tonus, & lemma resultant. Cum quibus autem particularibus generibus, & speciebus, hac uel illa proportione uita ipsa prima sese diffundens omnia disponat suis numeris, ponderibus, atque mensuris, in particulari nullus adhuc uel innuit. Nec puto exprimi posse, nec percipi, nisi ab expurgatis, & repletis sapientia: qua omnia noscere, omniáque amplecti ualeant: sicut in libro Sapientiæ dicitur: Ipse mihi dedit eorum, quæ sunt, scientiam ueram: ut sciam dispositionem orbis ter-

Pythag.

Paulus Aratus Orph.

Paulus.

Ezechi.

Sapien.

rarum, & uirtutes elementorum: initium, & consummationem, & medietatem temporum: uicißitudinum permutationes: cõsummationes temporum mutationes morũ: stellarum dispositiones: naturas animalium: iras bestiarum: uim uentorũ: & cogitationes hominum: differentias uirgultorum: uirtutes radicum: & quæcunque sunt abscondita, & improuisa didici. Et hoc fit illa mente adepta, & illius charismatis perfusione, de quo Ioannes ait: Vos unctionẽ habetis à sancto: & nostis omnia. Et iterũ: Nõ necesse habetis, ut aliquis uos doceat: quia unctio eius docet uos de omnibus: Vnctio quippe illius, de quo summa Veritas ait: Ille suggeret uobis omnia: & docebit uos omnia. Et hoc fit per mortem osculi, ut secretiores theologi docent: de qua dicitur in Psalmo: Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Vel ut Paulus ait: per trasformationem in eandem imaginẽ: aut secundũ Platonicos, contactu quodã essentiali idearũ ipsius primi intellectus potentis omnia facere in suscipiente. Ex quo contactu, quasi ex coitu quædam cõcipiuntur imagines: & inseruntur rerum species: aut expergiscitur anima: & purgatur ambrosia & nectare à contagione inducta ex letheo gurgite: ut Pythag. Empedoc. Heracli. & Socrat. in Phædro deponunt: & post eos turba quãplurima decantauit. Sed Peripateticorum familia asserit animam rationalem à principio fuisse tanquam tabulam rasam, & hanc semper nouas suscipere formas. Sed neutri illorum suam probant sententiam: undè quæ sit rei ueritas Deus nouit, & qui sunt diuino lumine collustrati. Et de purgatione quæ exquiritur ad sapientiã illam suscipiendam loquẽs Plotinus ait: ꝙ illucusq; pergit: ut à rubigine, & ab extraneis affectibus nudatus animus purus poßit cognato, & parenti primo adhærere, ipsumq; cõtẽplari. Quod exerta uoce admonet summa ueritas dicens: Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum uidebũt. In quo etiam, tanquam in archiuo, & idearum fonte omnes rerũ gradus distinctè, & clarè percipere poßint cognitione illa, quã August. matutinam uocat: & postea descendere ad eam cognitionem rerum in seipsis: quæ ab eodem uespertina nominatur: Qua nedum beatorũ animæ, sed & non plenè à corporibus absolutæ potiuntur in extasi, & mentis quodam excessu, ultra quàm patiatur hac caligine obtenebrata humana conditio: Aut edocti sunt diuinis oraculis: sicut de Abraham magno patriarcha coniectare possumus ex libro de formatione, ab eo (ut asseritur) compilato: ubi ex connotatis per literas nominum rerum in idiomate Hebraico, & per reuolutiones, & permutationes earum, perque numeros ab eis consignatos: & punctaturas, atque accentus innuit rerum quidditates, & conuentum earum mirando quodam artificio, potius contemplando, ꝙ exprimendo. Ideo hic rem nostram prosequamur.

Ioan. — CHRISTVS. — Psalmus — Paulus — Platonic — Pythag. Empedo. Heracl. — Peripate. — Plotinus — CHRISTVS. — August. — Abrahã

Quomodo omnia suo numero, põdere, & mẽsura cõstituta sint. Cap. XVI.



Ostquam igitur plenam rerum cõuenientiam describere nequimus, methaphoricos sermones, & à rebus inferioribus mutuatos prosequemur: Qui quamuis uarij sæpius uideantur, multoties tamen cõ-

ueniunt in sententia: qui in uerbis discrepantes, aut extranei iudicantur. Quod enim sapiens innuit per numerum, pondus, & mensuram, Plato describit per numeros, figuras, atque solida: Numeris nãque significare uoluit formas rerũ specificas: quas etiam Aristoteles numeris cõparauit: Per mensuras uerò uires unicuique rei præstitas indicat: de quibus etiam summa Veritas in euangelio loquitur dicens: Vnicuique dedit secundum propriam mensuram, id est secundum id quod unicuique mensuratum est ab illis archetypi mensuris, quæ omnia iustissimò examine metiuntur: Per solida autem, rerum pondera deprehendi, atque grauia elementa, quæ nos semper ad ima deducunt: aut rerũ inclinationes, quæ quasi pondera, siue in bonum, siue in malum trahunt, & impellunt. Hinc Augustinus amorem pondus nuncupat dicẽs: Pondus meum amor meus, illuc feror, ubi amo. Iterum per numeros medium arithmeticum designatur. Per dimensiones, atque mensuras medium geometricum. Per pondera autem medium musicum: quod in librata portione, aut similitudne uelocitatem, tarditatemq́ue motionum, & acumen, grauitatemq́ue uocum, ac rerum inclinationes grauiores, siue leuiores comprehendit. Et sicut in fibris, aut fistulis, siue instrumentis, quibuscunque sonantibus, temperamenta ex ponderibus deducta necessaria sunt. Sic in rebus quibuslibet, maximè in homine, omniũ rerum uinculo, ut sit bene cordatus temperandi sunt appetitus: & inclinationes naturales ad metam rationis, aut diuinæ legis in humanis mentibus insitæ. Temperandi sunt quoque cibi, & omnia, quæ in nostrũ usum conuertimus, ponderibus suis: sicut in maiori hac machina, elementa, cœli, & omnia, propriis gaudent temperamentis: adeo, ut innumerabiles species, & formæ, suis mẽsuris libratæ cõcinnè cõueniant: Quorum subiecta corpora, quamuis cuncta ex quatuor elementis componantur, tamẽ innumerabilia reperiuntur. Nec mirũ: Nã si ex cubo, qui ex tribus numeris, lineari uidelicet, plano, & solido cõficitur: & ex quatuor figuratur sũperficiebus, diuersæ lineæ, & penè infinitæ à centro ad circunferentiam conducuntur: quanto magis in mundano cubo, à ternario (ut supra exarauimus) in uigintiseptem deducto reperiẽtur innumerabiles formæ, ac innumerabilia cõposita subiecta? quamuis omnia ex quatuor elementis, tanquam ex quatuor præcipuis superficiebus per suos meliores numeros, quibus formæ multiplicatæ subiectis corporibus correspondeant. Quæ conducuntur per septem sidera, perq́; septẽ intelligentias ipsis præsidẽtes: ac per septẽ numina: à quibus intelligẽtiæ suscipiũt: undè influãt. Et quãoptimè septenarius ille ex quatuor superficiebus & tribus numeris resultans conducitur in compositũ per septenarium cœlestem, angelicum, & diuinum, interueniente quoque duodenario signorum: qui per partes septenarij conducitur. Nam ter quatuor, & quater tria, duodenarium constituunt. Vndè tanta consonantia resultat: ut artifices musici, naturam ducem prosequẽtes sua harmonica instrumenta huiusmodi concinnis causis coaptare studuerint. Prisci enim elementorum numero contenti, Mercurio inuentore, quatuor ha-

Plato. Aristote. CHRISTVS. Augusti.

lucere neruos: ut Nicomachus est author, quorum Hypate terram, Parhypate aquam, Nete ignem, Paranete aërem resignare uoluerunt. Qui numerus ipsis satis fuit usque ad Orphei tempora. Et quia inuenta facilem exitum præbent addere uolentibus, posteri facile ultra progressi sunt: Nam quintam chordam Chorebus rex lydorum adiunxit: Sextam Hyagnis Phryx: Septimam Terpander Lesbius inueniens septem planetarum numero æquauit. Et huius septenarij fibrarum grauiorem, & tardiorem graui Saturno, & tardißimo in motu attribuerunt. Sic reliquarum unamquamq; suo ordine planetis coæquarũt. Posteriores autem adhuc ulterius sunt progreßi: Lycaon enim octauam addidit. Prophrastus uerò Periotes nonam: ut concentum nouem sphærarum resignaret, aut primæ enneadis quam descripsimus. Estiacus autem Colophonius, decimam apposuit: Timotheus Milesius undecimã. Eorum uerò semitonia interponentes usque ad quintamdecimam protraxerunt: Vndè bis diapasonicum instrumentum cõfecere. Tandẽ enharmonicũ, atq; chromaticũ genus cũ diatonico intermiscẽtes, usque ad uigesimã octauã deuenerunt: Qui numerus tres nostras enneades cõtinet, uno superaddito, anima uidelicet, quæ est uita unica omnia replẽs, omnia perfundens, omnia colligans: ut unũ reddat corpus totius humanæ machinæ: ut Platonici asserunt: sitq; uerũ monochordum ex tribus generibus creaturarum, angelica, cœlesti, & corruptibili reboans unico flatu tantũmodo, & unica uita: de qua Ezechiel ait: Et spiritus uitæ erat in rotis. Est igitur hæc mundi machina ex numero simplici, quadrato, & cubo summa consonantia conducta. Nec solum ex ternario in uigintiseptem, sed ex senario in 162: & ex 384. in 10068: sicuti supra explicauimus: Et ex quocunq; numero consonanti eodem modo protenso in longũ, latũ, atq; profundum: ut omnia interualla debita cõsonantia repleta resignent omnia intermedia genera, & species consonantißimas ad inuicem, & in toto mũdano instrumento: quæ species distinguntur per numeros, formãtur per figuras, & sustentantur in solidis.

Nicoma. Chore. Hyag. Terpan. Lycaon. Prophr. Estiacus Timoth. Ezechie.

Quibus causis interuenictibus hæc multiplicia genera cõducãtur. Ca. XVII.

OMnium rerum causas perscrutatus Aristoteles quatuor tantummodo reperit omnibus iam communes materiam, formam, efficientem, & finem. Quarum tres satis copiose descripsit: sed de causa agente in particulari, aut parum, aut nihil reserauit hoc tantum dicens: quoniam Deus, & natura in huiusmodi operatur: Sed quo influxu, quibus instrumentis, & quando ea conducat, nullatenus tetigit. Et quia rerum initiũ deprehendere nequiuit, contendit defendere mundum æternum. Alia quoque tanquam aliena, & à sua doctrina, & ab humanis ingeniis silentio præteriit. Illi autem, quia meliori doctore sunt instructi, Abraham potißimè, de huiusmodi rebus profundiori quodam modo pertractant. Tria enim elementaria principia præsupponunt, terram, aquam, & ignem: Aërem uerò non habent tanquam materiam: sed ueluti glutinum, & spiritum illa tria cõnectentẽ. Quibus ternis prin

Aristote. Hebræi. Abrahã

cipiis tres literas alphabeti ipsorum applicuerunt, אמש. *Et quia illa à quibusdam intelligentiis (quas Ophanimos uocant) disponuntur per septem erratica sidera: quæ aliquando in propria, aliquando in peregrina domo reperiuntur, per septẽ literas denotare uoluerũt: quæ sunt bifariæ productionis, remissius uidelicet, & fortius pro uarietate apicũ ipsis appositorum. Quæ literæ huiusmodi sunt* בגד כפרת, *Reliquas autem duodecim literas semper uniformis prolationis, duodenis signis ascribũt: quæ sunt* הוזחט ילנסעצק. *Et sic omnes literas alphabeti ipsorũ distribuerũt: quæ uigintiduo sunt. Eæ autẽ permixtæ, & permutatæ inexplicabiles cõstituunt dictiones: quas signare uolunt innumerabilia corpora: quæ ex illis, quas supra adduximus, planis, & solidis, & eorum permixtionibus cõducuntur. Volũt insuper unũquodq; cõpositũ denominari illis literis: quæ designãt causas cõgredientes ad cõpositũ illud conducendũ. Et quia in unoquoq; fabrificio supereminet aliquod elemẽtũ, aliquis planeta, & aliquod signũ opinantur unũquodq; ritè denominatũ: quãdo cõponitur nomen ex tribus literis denotantibus illas tres supereminentes causas. Sicq; asserunt aliqui Adã cognouisse, quod nomen unicuiq; rei accommodatum imponeret. Sed quia corpora absq; uita, & anima mortua sunt, & imperfecta, hinc literis illis, certa, & accõmodata addiderũt puncta. Quæ sicut literis illis præstant, quomodo proferãtur: & quodãmodo uiuant: sic p ipsa designare uolunt uitã rerum cõpositarum. Et quia omnia emanant: & incrementa suscipiũt à supramũdanis fontibus, ab ipsisque semper dependent, uoluerunt etiã per accentus suprapositos literis illis designare fontes, canales, & influxus illos à denis numinibus, uel fontibus procedẽtes. Qui denarius numerus, si iungatur cũ illis uigintiduobus, trigintaduo constituit. Hinc Abraham docẽs de mũdi genitura, atq; de cõcinna formatione, & cõpositione ipsius inquit: In trigintaduabus semitis sapientiæ Deus benedictus suũ mundũ creauit: Quãuis hoc dictum interpretari possimus de triginta duobus gradibus intellectualibus. Sed prosequentes negotium nostrum explicabimus, quid sibi uelit ille quaternarius: quo, 32, excedit nuper numeratũ numerum, 28: quo monochordũ mundi declarauimus completum, & repletũ sua unica uita. Quaternarius enim hic est illius tetragrãmi, aut quadriliteri (ut Latino sermone loquamur) qui dum adest, omnia fœlicẽ sortem consequuntur: Nam aduenit tanquam perficiẽs, cõplens, pulchrifaciẽs, & ut omnia iam inter se consonãtia reddat cũ Deo cõsonantissima: sicuti ex sacris literis discere possumus. Ipse enim est, qui in Ieremia loquitur dicens: Cœlum, & terrã ego impleo. Hinc non sine mysterio in mundanæ fabricæ descriptione à Mose introducitur post omnem mundi fabricam tanquam perficiens, & complens omnia: dum in principio secundi capitis libri Genes. ait. Hæ sunt generationes cœli, & terræ, in creatione eorum, in die, qua creauit* יְהֹוָה אֱלֹהִים *Adonai Elohim terram, & cœlũ, pro quo nostra diminuta traductio habet: In die qua creauit Deus terram, & cœlum. Id enim obseruandum est: quoniam cum unũquodq; in fabrica hac mun-*


Abrahã

Ierem.

Genes.

dana productum enarretur sub nomine Elohim, solummodo introducitur opifex. Sed dum reperit complementa, & consummationes rerum describit, simul cum Elohim introducitur tetragrammus. Quando etiã describit hominis fabricam: qui est totius mundi perfectum uinculum, & pulcherrimum Dei opus, præ cæteris diuinitate repletum, quadriliterum simul cum Elohim introducitur plasmator: dum dicitur: Et formauit יהוהאלהים Adonai Elohim hominem puluerem de terra. Hic nanque quaternarius est, tanquam fons, à quo nedum quatuor elementaria flumina (sicut alibi explicabimus) emanant, sed etiam quæcunque ex eis, in quacunque nota reperiantur, composita sunt: sicuti ex quaternario numerali, tanquam ex radice, & fundamento omnis numerus pullulare comprobatur: ut patet per aritbmeticas deductiones: Qui tamen quaternarius in diuinis quaternitatem non constituit: cum nunquam ab unitate diuinitatis discedat. Et cum sit fons, & origo totius harmoniæ, & cuiusuis pulchritudinis, ideo in archetypo præcipuam sedem, secundum Hebræorum Theologiã, obtinet in תפארת Tipheret: Quod pulchritudinem, gloriam, maiestatem, omnimodam perfectionem, & consummatissimam consonantiam importat, à nobis minime expressibilem. Bene igitur introducitur in mundano monochordo, tanquam uiuificans, & ornans, ille à quo omnis uita, & pulchritudo.

Quomodo omnes isti tres nouenarij adbuc contineantur in supremo nomine Dei, & ab ipso emanent. Cap. XVIII.



SEd ut usque ad primum, & supremum conscendamus principium, ultra quod nõ datur accessus, adumbrabimus quanto mysterio, qualiue sacramento, illi tres nouenarij, siue cubus ternarij supercælestis, à quo totus cubus rerum creatarum descendit, contineatur in supremo Dei nomine: & in superexcelsa Dei mensura: cui illud nomen attribuitur: & inde emanant omnia, quæ in illo lineari quadrato, siue superficiali, & cubo continentur: Ab illa enim suprema mensura, & fonte omnium emanationum (quem Hebræi Coronam superiorem, & nos, Christo docente, Patrẽ uocamus) primo emanat filius: qui ab Hebræis, & à nobis sapiẽtia uocatur: Et ab utroq; spiritus producitur: qui primũ, & uerum ternarium perficit. Nec, quia ad ternarium peruenit, effœta est prima illa unitas, & infœcunda: imò fœcundissima tota trinitas fuit: & ternarium suum quadrans nouem choros angelorum produxit: atque iterum quadrans nouem cœlos fabricauit. Et per iteratam quadraturam, nouenarium rerum inferiorum eduxit: Ex quibus nouenariis cubus resultat 27: ultra quem non extenditur ternarius. Idcirco ad illum cubum deueniẽs, ultrà non est progressus: cum numerus suapte natura, cum in longũ, latum, profundumq́ue creuerit, ulterius extendi nequeat. Sed quia omnis generans prius est illa genitura fœcundus, ut innueretur fœcunditas hæc in Patre, & in supremo fonte præfuisse, nomen sibi uendicauit, quod utrumq; cubum ternarij con-

Hebræi CHRISTVS. Hebræi.

tineret: qui 27, est, Vtrumq; dixi: quia cubo ad extra producto respondet ille, à quo iste productus est: Qui in fonte illo supremo existens, tanquam idea, & principium pullulatiuũ, nunquam ab unitate recedit. Quod nomẽ Hebraico ser mone hoc ipsum est אהיה אשר אהיה ehieh asser ehieh, Quod nos traductũ ha bemus, Ego sum, qui sum. Quarũ literarum numerus, si supputetur in prima dictione cũ secunda: & iterũ in secunda cũ tertia: utrobiq; secundum cõputationem numeri maioris in dictione media 27, reddit: Siquidem utrumq; אהיה 21 præstat, אשר autem 6, Nam א dat unum: ש 3, ר uerò, 2, qui simul iuncti cõstituunt 6. Et is numerus cũ 21, reddit 27: Ecce igitur quomodo 27, in illo nomine bifariæ reperiuntur: ut denotetur & ille numerus diuinus, qui nunquam ab unitate discedens est idea, & fons numerorum: & ille creaturarũ, qui in generibus rerũ distinguitur, & numeratur. Et nõ sine mysterio geminus 27, connectitur per illam dictionẽ asser: quæ apud nos relatiuum importat, quod est, qui. Per quã relationẽ, aut in qua cõiunguntur illi duo numeri: & exprimitur eorũ cõiunctio: sicuti per relationes indicantur omnes operationes, quas Deus habet ad intra, & ad extra. Nam summus doctor Christus Iesus, dum explicare uoluit illas sanctißimas personas productas, & producentes, non aliter expreßit, nisi per relationes quasdam, uocans Patrẽ, Filium, & Spiritũ sanctũ. Pari modo, & in omnibus quæ agit nobiscũ, sortitur aliquod nomen relatiuũ: per quod opus quoq; ipsius indicetur. Dũ enim mundũ fabricauit, sortitus est nomẽ fabricatoris, siue creatoris: & id respectu creaturæ productæ. Similiter, dum regit, atq; ordinat ipsum mundũ, dicitur rector, & gubernator: ac per regimẽ, & gubernationẽ cõiungitur nobiscũ: sicut & per creationẽ, quãdo creauit, aut produxit. Sic deniq; semper reperies Deũ agere, & coniũgi nobiscum per relationes quasdam: quæ an sint reales, uel rationes, ut disputatur à Theologis, nõ sit cõtẽtio ad præsens. Et dũ etiam re ipsa sese in nobis non modo per gratiam, sed meliori modo diffundit, ex ista diffusione resultat relatio replentis ad repletũ. Nõ mirũ igitur si etiã ille bifarius numerus, 27, relatiuo cõplectitur: quod tamẽ in Deo absolutißimũ quoddam est, multo plura, multóq; maiora importans. Quod tanq̃ maximũ arcanum Mosi indicauit referendum patribus, & fratribus suis, dum in manu graui, & brachio extento, multisque prodigiis uoluit liberare eos de Aegyptiaca seruitute. Et ut de multis, & maximis mirabilibus illo sanctißimo nomine contentis aliqua adumbremus, id primum obseruandum est: in illo nomine contineri tres dictiones: quarum media habet tres literas: Quarum literarum media, quæ est ש, habet tres ramusculos in unum colligatos: Quæ indicat trinitatẽ personarum colligatarum in una essentia diuina. Illæ autem duæ trinitates quæ ex literis, & dictionibus disiunctis, trinitates rerum ab ipso emanatarum designare uidẽtur: Nam diximus numerum rerum creatarũ esse nouenarium, ubi trinitas reducitur in seipsam, dicendo ter tria faciunt nouẽ. Deductus iterũ nouenarius per ternariũ, mũdi cubũ perfectum cõstituit. Estq; multi-

plex trinitas in rebus omnibus: cũ eadem omnia simulachrũ, aut uestigiũ Dei trini habeant, saltẽ in hoc: quia cuncta habent egressum, & principiũ à Deo: progressumq́; ac finẽ in ipsum à quo processerunt. Quod principiũ, & finis rerum est ipse Deus: sicut p literas ipsius supremi nominis indicatur. Nã ibi est א, quæ est principiũ literarũ: & unitatem significat: quæ principiũ numerorum est. Et י, iod, quæ denarium, & cõplementũ numerorũ importat. Et sic istæ duæ literæ denotant ipsum nominatum esse principium, & finem rerum omnium. Intercedunt quoq; duo הה, he: quarum prima mediat inter unitatem, & denarium, indicans primam rerum creatarum fœturam, quæ in mente Dei fit, emanãtem à primo principio significato, per א, aleph, & tendentem in ultimum finem indicatũ per י, iod. Aliud uerò, ה, quæ est ultima litera, tam istius supremi nominis, quàm tetragrammi, explicationẽ rerum innuit in genere proprio. Ideo dicunt Hebræi Deũ fabricasse mundum ה, he. In primo quidẽ produxit in mẽte: In secundo uerò explicauit in ppias formas, hac tamẽ lege, ut res in secũda productione explicatæ consequantur, & æmulentur primã productionẽ in simulachro, & consonantia. Illud quoq; obseruandũ est in utróq; nomine Dei magno, esse quaternariũ literarũ: qui tamẽ à ternario non discedit: nã utrobiq; sunt tres literæ tantum: sed una geminata, quæ indicat utramq́; fœturam in mẽte, & in effectu. Vndè nõ est quaternarius propriè, in illa diuinitate, quæ semper ternario gaudet. Et ut denotẽtur omnia numina, siue attributa, aut pprietates, uel mensuræ, siue quæcunq; in Deo numerari uidentur, omnes illi numeri tetragrammi, qui sunt 26. reducuntur in א, quæ litera unũ importat: & figuratur ex ו, uau: quæ litera 6, dat in numero: & ex duobus יי, iod: quorũ quodlibet dat decẽ: Qui denarij simul iuncti reddunt 20: Qui numerus simul cum illis 6, constituunt 26, A qua litera ,incipiunt feré omnia diuina nomina celebriora: quæ sunt אדני אלהים אל. Et similia: & potissimè illud supremum nomen, cuius principiũ est etiã ipsum א, aleph: quod etiam significat mille, finem, uidelicet, & terminum omnium numerorũ, decadum, & centenariorũ: innuens illud quod est principiũ, & finis omniũ, esse penitus unũ: Deus igitur unicus in seipso existit, & etiã diffusus in multigenas creaturas, sicut unũ diffunditur in omnes numeros, nunq̃ discedit ab unitate ipsi ppria, & peculiari: Imò ex hac unitate omnes chordas mũdani enharmonij in unũ colligẽs, tẽperatas, & cõcinnas reddit: Nã sicut in musica uocali (ut Boët. docet) harmonia, & cõsonãtia est pariũ, dispariũq; uocũ, in unũ redacta cõcordia, pari modo in enharmonio machinæ huius, harmonia & cõsonãtia est pariũ, dispariũq; generũ, specierũ, & indiuiduorũ in unũ redacta cõuenietia: In illo quippe uno, à quo omnis multitudo emanat, sustẽtatur, regitur, & perfunditur: sicut ab unico sole collustrantur omnia domicilia, & spatia nõ impedita illius hemisphærij, in quo est. Et sicut unum colligit omnes numeros, post quadratum primi numeri in denarium, & post tot denarios, quot numeri sunt in quadrato ternarij, colligit ipsos denarios in unum centenarium: & denique

Hebræi.

Boëtius.

enumeratis tot centenariis, quot numeri, & denarij, colligit omnia in milenariū: quod significatur per א, aleph: Quæ litera in lineis, qbus formatur character, comprehendit (ut diximus) omnes numeros literarū tetragrammi: Quarū quælibet non sine magno sacramento importat numerum circularem: adeo ut omnes numeri illi sint circulares: & omnes numeri circulares in eisdem literis comprehendantur: Qui sunt quinarius, senarius, & denarius: Et quinarius denotatur per literam ה, he: Senarius per ו, uau: Denarius uerò per י, iod: Qui singuli numeri, & omnes simul, ueram illam sphæram intelligibilem, Deum propriè significant: qui & omnibus rebus ab eo productis suum ipsius simulacbrum dedit in circulo: ut redire conentur completo mundi cursu, ad id, à quo processerunt. Aliud quoque sacramentum, quod in eisdem literis continetur, obseruandum est. Nam ה, he quinarium significans quintam essentiam indicat, insitam omnibus rebus ex quatuor elementis compositis: ו, Vau uerò senarium numerum perfectū importans uitam denotat illam, qua omnia uiuunt, Et י, iod importans denarium numerum perfectum, diuinitatem ipsam repræsentat, qua omnia replentur: ut sæpius dictum est: & quam omnia repræsentant: uel per imaginem, aut per uestigiū, & simulacbrum. Si autem reuertamur ad supremum nomen, in quo, loco ו, uau, ponitur א aleph: & id in prima fronte dictionis: ut intelligatur, nunquā nominatum discedere ab eius circulari proprietate: & ipsum א, aleph unum importans, quod est principium omnium numerorum circularium. Nam & ipse redit in seipsum: & omnes numeros potentia continet: & ipsos deducit ad actum per unitatem multiplicatam: Et tandem conducit ad unitatem denarij, centenarij, & milenarij, quod iterum significatur per א, aleph. In hoc accommodatissimè Deum figurans: qui summè unum existens, omnia numerata, potestate continet, & omnia in particulares, & numeratas explicat formas: atque tandē in seipsum illa eadem omnia reuocat: ut totum mundanū enharmonium ab uno procedens, unica uita, & flatu consonantissimum, in unum tendat, & redeat.

QVa concordia omnia, in homine tanquam in paruo instrumento contineantur. Tonus Sextus.
De modo procedendi,& concordia generali hominis cum mundo maiori,& archetypo. Cap. Primum.
Quòd homo imitetur mundum in figura circulari. Cap. II.
De proportione mensuratum in homine. Cap. III.
De consonantia membrorum,& lineamentorum eius adinuicẽ. Cap. IIII.
Quòd omnia includantur in homine sermo generalis. Cap. V.
Quanta elegantiâ elementa in hoc homine reperiantur. Cap. VI.
Quid in ipso homine elementis respondeat. Cap. VII.
Ex compositis cum quibus lapides conueniant. Cap. VIII.
Quibus respondeant metalla. Cap. IX.
Quibus concinant quædam mixta mineralia mirãdo artificio. Cap. X.
Cum quibus plantæ uirescant,& vegetent. Cap. XI.
Animales conditiones in homine viuere omnibus patet. Cap. XII.
Quid de transmigratione animæ humanę in bestias senserint antiqui:& quę sit rei veritas. Cap. XIII.
Quid de particularibus transmutationibus mira consonantia cum nostris deposuerint externi. Cap. XIIII.
Omnia contineri in homine sacro artificio describit Moses in arca Noë. Cap. XV.
Cur animalia immunda bina ex vtroque sexu, munda autem septena in arcam dicantur introducta. Cap. XVI.
Quòd omnes quoque cœli in homine contineantur. Cap. XVII.
Vndè vnumquodque signorum zodiaci habeat denominationem: & quid agant illa animalia,à quibus denominantur cum Sole. Cap. XVIII.
Cur illa signa, & præcipui articuli in homine sint duodenario numero distributi. Cap. XIX.
De correspondentia qualitatum cum planetis,& octauo cœlo. Cap. XX.
Quòd intellectus conueniat cum orbe signorum. Cap. XXI.
Quòd primũ mobilè rapiat cum corde,& libertate animi ibi residente. Cap. XXII.
Quæ constipentur,& solidentur cum Saturno. Cap. XXIII.
Quę ęquentur cum Ioue. Cap. XXIIII.
Quæ ferueant cum Marte. Cap. XXV.
Quæ viuificentur,& clarescant cum Sole. Cap. XXVI.
Quę mollescant cum Venere. Cap. XXVII.
Quę acuantur,& penetrent cum Mercurio. Cap. XXVIII.
Quę agitentur à Luna. Cap. XXIX.
Quòd ex proportione motuum planetarum adinuicem, & cum octauo cœlo innuatur proportio virium nostrarum. Cap. XXX.
De concordia admirabili rerum inordinatarum,& secum vtriusque mundi. Cap. XXXI.
Quòd homo concinat cum angelis eos continens. Cap. XXXII.
Quòd homo moduletur cum Deo ipsius tẽplum,& imago existens. Cap. XXXIII.
De consonantia membrorum Dei & hominis. Cap. XXXIIII.

DE MODO PROCEDENDI, ET *concordia generali hominis cum mundo maiori, & archetypo.* Caput primum.



PICTORES naturæ æmuli accuratißimi ea, quæ figurant, quoad poßunt, sedulò imitantur: Nam pictura (inquit Apollonius Pythagoreus) est imitatio quædam rei naturalis, à natura comparata: sed colorum compositio est ab arte: In prima autem potior pingendi uis collocata est. Et quod faciunt illi coloribus, itidem pro uirili sua & ueri descriptores facere conantur: siue poetæ, siue oratores, siue historiographi sint: In quibus omnibus magis imitatio, & plena rerum descriptio, quam natura tribuit, quàm artificiosa characterũ compositio commendatur. Ideo, cum nos descriptores simus operũ summi artificis, æquum est, ut iis, quæ exaramus, scribẽdi modus pro uiribus congruat: Cuius rei noster Moses Deo plenus extat exemplar clarißimũ: qui utriusque mundi fabricam scribens, pro ut illorũ uterque exquirebat, accommodata cura contexuit: Nam macrocosmi partes (prout naturæ ordo poscebat) solo iussu productas enarrat. Ad minorem uerò mũdum deueniẽs, qui tamen maior est uirtute & mysterio) eius opificium tanto celebriori artificio describit, quanto ipse est excellentiori munere fabricatus: Quod manifestum est in his, quæ circa eum gesta sunt: Nam domum pro eodem antea præparauerat, in quam iam confectum, & paratam induxit. Ditionem postea in animantia quæcunque tribuit: amœnitatis locum omnibus deliciis consitum ad eius uoluptatem plantauit: sociam iucundißimam dedit: Atque omnia, tanquam legitimo hæredi, eius donauit arbitrio, unica tãtum arbore excepta: ut inde superiorem Dominum recognosceret: in hoc enim tanquam in propria forma (inquit Mercurius, & Salomon) deliciabatur. Sed & ipsum fabricans, solẽnißimo accersito collegio, aut sanctißimæ Trinitatis, ut catholici dicunt: aut sanctorum angelorum, ut nonnulli Hebræorum autumant: siue supramundanorum numinum, aut mensurarum rerum faciendarum (quas ideas dicere poßumus simul cum attributis, & personis) ut secretiores Theologi asserunt: exordio quodam præmisso, non solo iussu, sed propriis manibus, & uirtute eum plasmauit. Quod obseruans sapientißimus Moses longiori, & celebriori sermone hominis opificium narrat: Bis enim eius formationem repetit, nunc creatum, nunc factum, nunc spiratũ in nares eius spiraculũ uitarũ, non sine mysterio exarans distinctè omnia, quæ ab artifice circa eum gesta sunt, depromit: Cætera quoque ad eundem pertinentia solennißima enarratione disserit. Meritò itaq; opifex, & scriptor hominẽ tanta diligentia ꝓsequũtur, cũ in eo tota naturæ uis, & numẽ sublimißimũ sit collocatũ, ut dicat sapiẽs ille saracenus Algazel: Ad cõpositionẽ hominis ueniẽs natura cessauit, tanquam nihil honoratius componendũ præ manibus

Apollo
Mercur.
Moses
Algazel

habens. In ipso enim conclusa est (Galeno teste) omnis sapientia, ultra quam nõ reperitur, sed (ut rectius dicamus) non excogitatur à nobis. Cognoscebat insuper in terris solum hominem uirtutẽ, & superna esse culturũ, ideo ipsum ea diligentia fabricauit. Vndè cum Mosem in utriusque mundi descriptione meritò prætulerimus, ipsum euestigio sequentes & nos operosiori diligẽtia humani mũdi artificium describemus. In quo arte quadam inextimabili, & sapientia incõprehensibili omnia glomerauit artifex, quæ in tam spatiosa machina distribuerat: ut omnium rerum uinculum factus, omniáque in unum conglomerans, sicut ab uno emanarunt ipsa omnia, ita ad idem in homine cõglobata per eũdem reducerentur. Quòd necesse est, si opus debet imitari artificẽ: qui sphæra quædã, & circulus est, ait Hermes. Paríque modo & fabrica eius est circulus: cuius extremum alterum est exemplar eius, uel idea in unica illa mente, uel uerbo residẽs, medium fabricata omnia, sed alterum extremum homo, qui & ultimo est ab artificè productus, & producenti simillimus: ut & in hoc locum habeat illud Origenis: quòd semper finis in rectè agentibus initiis consimilis est. Stabat igitur circulus rerum creatarum apertus, quousque homine cum uerbo unito, illa duo clauderẽtur extrema: Quod potißimè fecit ille, qui dixit: Ego sum α & ω. Et sicut Trinitas illa diuina una includitur essentia, sic tres isti mundi unico concluduntur circulo: De quo amplißimè Plato in Phædro, Et post eum Proculus in de uotis & precibus summatim tradit: Is enim ait: Circuli gyrum quẽdam creata efficiunt à Deo incipientia, & in ipsum desinentia Deum: Omnia enim in ipso manent, & ad eundem conuertuntur: quam conuersionem secundum perfectricem trinitatem habent. Hos trinos mundos Ioannes commemorat dicens: In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit: Vocat omnes mundos, ut idem omnium esse declaret. Omnia enim sunt, & esse habent communicatum ab illo, qui dixit: Qui est, misit me ad uos: Eos tamen distinguit: ut & differentiam inter eos esse demonstret: Alter tamen est alterius simulachrum: Mundus enim quem habitamus, simulachrum Dei cõtinet: & homo mundi, & archetypi habet imaginem: Hincque est homini cum utroque concordia. Sed incipiamus à conuenientia, quam habet per corpus cum fabrica ista mundana, ut à uisibilibus ad inuisibilia debito ordine conscendamus.

Galen. Hermes Orige. Plato. Procul. Ioan.

Quòd homo imitetur mundum in figura circulari. Cap. II.



Xtat sententia sapientum, quòd inferiora semper superiora æmulantur: adeo, ut si fieri posset, etiam supremi cõsequerentur perfectionem: sed cũ id fieri nequeat, alterum alterius typum prosequitur. Hinc metalla plantarũ, & plãta, Zoophyti, & hoc animalis, animal autem hominis, & homo Dei simulacbrum habet: ut docent Platonici. Eodẽ Cursu (inquit Boëtius) tẽpus æuiternorũ mensuram, & illa Dei æternitatẽ, & totam simul plenitudinem imitatur: Quam cum æquare nõ poßint, ex to

Platon. Boëtius

ia simul plenitudine in successionem, & illud ex immobilitate declinat ad motũ. Imitatur enim ignis hic elementaris phœbeam lucem, & illã diuinam & inaccessibilem: Sed quanto Sol à luce suprema deficit, tanto hæc elementaris à solari: si comparatio cum infinitis permittitur. Omnia igitur inferiora suprema imitantur, etiam summum opificem: qui meritò archetypus dicitur, quasi primus omnium typus, principatumq́ue in omnibus tenens, imò omnium imaginum, quæ in inferioribus conspiciuntur idea existens, ea quæ magis ipsi accedunt, perfectius assimilat. Cum igitur Deus sit intelligibilis sphæra, & mũdus hic totum se præbeat in sphærica figura conspiciendum, homo etiam, qui inter Deum, mundumq; hunc medium tenet, eadem figura terminari necesse est: & imitari intellectualem illam sphæram in anima, sensibilem uerò in corpore: ut hæc præsens pictura docere potest: A cuius umbilico secundum aliquos, sed à pectine (ut uerius est) si circinus ducatur circulus ille perfectè cõducitur. Vndè tota corporis mensura à rotunditate prouenire, & ad ipsam tendere dignoscitur. Caput enim rotundum



Lactant. est, globo, & orbi simile, inquit Lactantius: Corpus quoque omne tornatile mensura proportionatissima: Nam ab extremitate lacerti uersus manum, ubi pulsus agitatur, ad pollicem in circulari mẽsura reperitur proportio dupla sesqualtera: A collo uerò ad tibias eadem proportio: Pollicis ad brachium prope spatulam tripla: Brachij pari modo ad pulpam coxæ tripla. Alia quoque multa de numeris, & proportionibus humani corporis prosequi possemus, tam patentibus, quàm occultis: sed timeo, ne dum de numeris dissærimus, numerum, & mensuram excedamus: & tenues uires tanto oneri succumbant: cum ea lateant (harmonicè tamen conducta) in uenis, neruis, & interioribus

Augusti. uisceribus: quæ nullus aliquãdo reperit, inquit Aug. nec etiã crudelis diligẽtia anatomicorum: qui corpora mortuorum dilaniant, ut abdita cuncta rimentur: & inde, quomodo, & quibus locis curandum sit, addiscant: Completos tamen numeros, quibus coaptatio hæc harmonica, tanquam cuiusdam organi intrinsecus, atque extrinsecus totius corporis constat, nullus ualuit inuenire: quos forsitan nullus est ausus quærere. Extant tamen (ut prosequitur Augustinus, &

Hippoc. Pythag. docet Hippocrates, & Pythagorei) Vndè nos uel quædam (si nõ omnia) in hoc harmonico opere saltem adumbrare possimus.

De proportione mensurarum in homine. Cap. III.



VM nihil temere, nihilque dissonum factum sit in homine, sed omnia his numeris conducta, ut seruent (inquit Damascenus) illius membra proportionem quandam ad inuicem, & ad mundi partes, sicut chordæ in cithara: Ideo etiam de cura summi Opificis circa consonantissimam dispositionem, & mensuras membrorum, ex multis pauca percurremus: In quibus omnis concentus, omnisque harmonia consummata uidebitur, cæteris omissis, quibus intermedia, tanquam interualla repleta perficiũtur: Totius enim corporis ad truncum est proportio sesquioctaua: A trunco uel thorace ad crura tota usque ad plantas, sesquitertia: Pectoris uerò à collo usque ad umbilicum, & ad lumbos uel aluum usque ad finem trunci dupla: Latitudo uerò iliorum ad coxæ latitudines sesqualtera: In quibus tonus, diatessarõ, diapente, & diapason resultant. Est etiam capitis ad collum tripla, ubi est diapason simul & diapente: Et iterum capitis ad genu tripla: Eademque ad pernã, uel petasonem: Et sic omnia membra humani corporis mensuris exactissimis cõducta comprobantur, sicut Hippocrates Thessalum filium sapienter docet: Et Boëtius id lõgiori sermone disserit: Hoc quidẽ placuit Opifici per Mosem sub typo arcæ à Noë fabricatæ explicare: Ait etenim Trecẽtorum cubitorum erit longitudo arcæ, Quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta altitudo: ut sit lõgitudinis ad latitudinem sexcupla proportio, ad altitudinem decupla: Quibus mensuris corporis nostri structura docetur: ut non modo mea sententia est, sed diui Augustini: Quem legens post mea inuenta gauisus sum testimonio, & fauore tanti uiri: sed (ut uerum fatear) dolui, quòd ante me inuenta mea aliquis dixerit. Extat itaque eadem proportio in arca illa, quæ & in humano corpore: Sed si etiam numerum coaptare desideramus, attendendum est ad mensuras: quibus nonnulli microcosmographi metiuntur ipsum humanũ corpus: Diuidunt enim id per sex pedes, qui aliquantulum minorantur à communibus: & mensuram unius ex iis pedibus hexipedam uocant: & hanc partiuntur in gradus decem: undè ex sex hexipedis sexaginta gradus resultant: Gradum uerò quemlibet in decem, secundum aliquos: sed melius, ut alij dicunt, in quinque minuta: ut omnes gradus simul trecenta minuta reddant: quæ Moses cubitos uocat: Qui si communes intelligerentur, nec ad arcam, nec ad humanum opificium conuenire possent: Nam si ad arcam referantur, paruula fuisset ex communibus cubitis: qui sunt duorum duntaxat spithamarum, pedem habẽtes & dimidium, aut sex palmos. Ideo prudenter Augustinus, & Origenes (ut capax esset arca, ad omnium animalium genera capescenda) opinati sunt illos fuisse Geometricos: Geometricus enim sex communes capit: Et hoc nõ ignorabat ille, qui instructus erat in omni sapientia Aegyptiorum, apud quos hæc doctrina uigebat quam maximè. Si etiam ad opificium humani corporis hoc referre uoluerimus, huiusmodi mensura conuenire minimè potest. Conueniunt itaque minuta, & proportio ex

Damasc.

Hippocr.
Boëtius
Moses.

Augusti.

numero ipsorum resultans, quæ in huiusmodi à sapientioribus penditur. Est igitur corpus humanum in longitudine trecentorum minutorum, in latitudine quinquaginta, & triginta in altitudine: ut cum arca conueniat: Cuius corporis artificium summus curauit artifex potius, quàm arcæ, quæ ab arte naturam imitante constituēda erat. Duas insuper fenestras commemorat, alteram desuper tāquam spiraculum ad aërem, cæteráque necessaria capescenda: Alteram uerò deorsum ad euacuāda superflua. Et quid aptius corpori humano dici potest, cui est fenestra superior, multiplex tamen, qua & necessaria pro sustentando corpore, & lucem pro eo conducendo suscipimus? Sed hæc cubito dicitur consummata, modica quidem mensura, cum paruum sit os in comparatione cæterorum animantium. Ostij autem inferioris nec mensuram, nec officium ob honestatem describit: sed ex fenestra dimissum coruum immundum, atque columbam mundißimam commemorat: & quòd coruus fœtentia petierit, columba uerò cum oliua signo pacis reuersa sit. Clarum est harum auium mysterium: Nam ex superiori fenestra nostra, ore uidelicet, exeunt mūda, & immunda quāplurima. De immundis cœlestis doctor aperto sermone loquitur dicens: Quæ de ore exeūt, à corde procedunt, & coinquinant hominem, cogitationes malæ uidelicet, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ, & huiusmodi ritè per coruum significata, qui semper immundis delectatur, uoce, & prognosticatione infaustus. Exeunt quoque ex eadem fenestra laudes, hymni, orationes, confeßiones, instructiones, & uerba bona multigena per columbā simplicißimam quamoptimè descripta: Et hæc pacis signum reportat ad arcam: quia bona uerba (inquit Sapiens) amicos multiplicant, diuinos uidelicet, angelicos, & humanos. Et quàm sibi grata sit laus, in psalmo Deus declarat dicens: Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei, & pacem, unionemque cum ipso.

CHRISTVS.

Sapien.

Psalm.

Consonantia membrorum, & lineamentorum eius ad inuicem. Cap. IIII.



ET nisi, uel nimia curiositate accusari dubitaremus (quod tamen solummodo à uulgaribus contingeret) accederemus & ad ipsa lineamenta faciei, & manuum: Quæ omnia sagacißimus artifex nō casu in tam eleganti corpore euenire permittit, sed accurato sigillo, sicut animam, & corpus format: pariq́ue modo & omnia, quæ adiacent corpori consignat, & imprimit: ut eo artificio, quo per corporis & animæ partes ordinatißimas machinam hanc cum archetypo repræsentat: artem etiam, magisterium, & secretißimam compaginem, dispositionemq́ue animalis humani resignaret tanto secretiori indicio, quanto & ipsa, quæ indicat, sunt obscuriori uelo reclusa. Hinc multi in metoposcorum prognosticationibus errores, & plures in chiromantia: quia sunt in manibus inferiora, & debiliora signa. Nec existimet quispiam hæc ad uitia, uirtutesque conducere: quia talia nihil penitus ope-

rantur, sed uim, dispositionesque naturæ indicant, bonas utique omnes, dummodo dux totius corporis animus eas in bonum sua prudentia dirigat. Et cum suo homo ducatur arbitrio, hinc secundo errant prognosticantes, si uolunt ultra naturæ dispositionem mores quoque ipsos, & effectus auspicari. Quod in Zopy- Zopy.
ri iudicio comprobatum fuisse, in scholis, & in triuiis iam inoleuit: Qui cum ex forma Socratem non ad uitia (ut uulgò dicitur) sed ad Venereum opus propagationi necessarium, & hinc illis uitiis, quæ inde ex malo regimine oriri solent, inquinatum iudicaret, & ideo irrideretur à Socraticis discipulis, quia huiusmo- Socrates
di uitia in præceptore non cognoscerent, compressit eos Socrates dicens: Ne irrideatis hominem: Talis quippe essem, qualem me Zopyrus adiudicauit, nisi ratione, & philosophiæ præceptis naturam superassem: sed melius dixisset, in bonum direxissem. Quo forsitan sensu est illud Saluatoris: Nolite iudicare secun- CHRISTVS.
dum faciem. Nec omnino aspernẽda est huiusmodi doctrina, quæ non ex superstitione, sed ex partium omnium harmonica correspondẽtia procedit. Hinc quoque accuratissimam artificis diligentiam admirari, & laudare cogimur: qui etiam corporis huius corruptibilis lineamenta, & colores tanto artificio, tantóque sacramento cõduxit. Hinc grauissimi iudicij uiri, se eiusmodi doctrinæ dediderunt. Aristoteles Peripateticorum dux, & naturæ solertissimus indagator Aristote.
in tractatu particulari, & ad Alexandrum, & in primo de partibus animaliũ, multa de huiusmodi conscripsit. Aedidit quoque Constantinus Aphricanus de Cõstant.
hac re uolumen egregium. Rasis in secundo ad Almansorem. Scripsit Galenus, Rasis Galen.
Auicenà, Albertus magnus, Michaël, Scotus, Conciliator, & multi nostri tem- Auicena. Alber.m.
poris uiri non infimi. Pythagoras quoque (ut ad antiquos, & grauissimos uiros Micha. Scotus.
redeamus) adolescentes, qui sese ad eius disciplinam suscipiendam offerebant Cõcilia. pythag.
prospiciens, φυσιογνωμόνημα, id est mores, naturasque eorũ coniectatione quadam ex oris, & uultus ingenio, déque totius corporis filo, atque habitu sciscitabatur: Et quem idoneum iudicabat, in disciplinam recipi iubebat. Hoc & à Pha- Pharao.
raote Indorum rege celebratum fuit: qui iuuenes ad philosophiam admittendos, ex quibus parentibus progeniti forent, quibus moribus imbuti, quo pudore, & affectu referti, examinari suadebat. Ideo cum Apollonio loquens subintulit: Oculi nanque mores hominum plærosque indicant. Multa quoque in superciliis, genis, totóque uultu posita sunt: ex quibus sapientes, & natura periti homines imagines, tanquam in speculo aspicientes, quæ mens illis sit, quodq; ingenium contemplantur. Lucius enim Sylla, & Cæsar dictator (ut Horatius canit, & Lu.Sy.
Liuius narrat) hoc iudicio mores aduersariorum sub uulpe latentes sæpius con- Cęsar. Horat.
iectabãt. Nec ab re Plautus in Comœdiis lenones, & facinorosos: & Martia- Liuius. Plautus
lis Zoilum pessimum ex mendosa physiognomia describunt. Et Satyricus ille A- Martia. Iuuena.
quinàs de plebeia muliere ait: Frontemq;, manumq; Præbebat uati. Sed ne credatur hoc alienum à debita pietate, adducamus Iob Dei testimonio comproba- Iob
tum, qui ait: In manibus hominum signat, ut nouerint singuli opera sua: Quamuis

doctores nostri magis ad animos moribus instruendos, quàm ad naturæ, & opificis sacramenta attendentes in alio sensu interpretati sint. Triuiale est etiam apud physicos iudicium de complexione, & ꝓprietate naturæ per colores. Terreus enim color ex frigido, siccoque conductus atram bilem Saturniamque naturam pollicetur. Cæruleus uerò, aut ad albedinem tendens pituitam significat: Nam frigus (teste Auicena) albefacit materiam humidam, siccamque denigrat. Subrubeus autē color, ueluti spissus aër ex radiis phœbeis rubens sanguinē indicat: sed igneus tanq̃ flāma excādescens, choleram: Quæ quāuis sit ex acutissima uirtute actiua aliis prædominans, facilè tamen ex eius subtilitate est alteri commixtibilis, sanguini maximè, & atræ bili. Vndè si cum sanguine superabūdante misceatur, rubore uiget: Si uerò cholera superabūdat, subruffum efficit: Si autem æquali mixtione, ruffum: sed si cholera est adusta cum sanguine canopum reddit, rubicundum prædominante sanguine, & subrubicundum præualente cholera. Si autem bilis cū atra bili misceatur, nigredine tingit: si cum atra bili, & flegmate æquali mixtione, erit color canopus: Superabundante flegmate, luteus: uincente uerò atra bili glaucus: Si autem cum flegmate misceatur æquali portione, color erit citrinus: Si per superabūdantiam alterius, pallidus aut subpallidus: Hinc dicitur cholera rubea, citrina, uitellina, nigra, & huiusmodi. Ex actibus quoq;, & operationibus coniectatur hominis natura: Tardus enim motus, & solidus atram bilem terream signat: Pauor & inertia, remissumque opus flegma: Alacritas, & amicabiles mores sanguinem: Impetus acutus, igneáq; uis cholerā. Multa quoq; huiusce generis ab instructis in naturæ opificio tradūtur: sed hæc pauca tetigimus, ut innueremus quanto ordine, quantaque correspondētia construxerit summus opifex hoc tabernaculum, & corticem ueri hominis in eo habitantis: ut inde subleuemur ad contemplandam consonantiam ipsius melioris hominis, quam intrinsecus habet, & cum archetypo: sicut exterior figura cum ipso homine interiori.

Auice.

Quòd omnia includantur in homine, sermo generalis. Cap. V.



Vanta plenitudine, quantáque cōcordia omnia in hoc homine ab artifice summo fuerint conclusa, Moses noster integerrimus philosophus unico, & mysterioso uerbo innuit dicens: Formauit Dominus Deus hominem puluerem de terra: & inspirauit in faciē eius, aut in nares eius spiraculum uitarum. Vtrumque extremum rerum omniū tangit, ut intermedia quæque, quæ inter illa extrema continentur, inclusa quoque intelligantur in homine: in cuius opificio summum, & infimum cōciliata describit: Infimum enim & præ omnibus minoratum est terræ elementum: Supremum uerò ille, qui ait: Ego sum uita, in omnia uidelicet uitæ radios diffundens. Et ut omnes uitæ gradus in homine conclusos declararet Moses, non ab re dixit spiraculum uitarū: quia omnibus uitæ gradibus uiuit hic homo. Ambo igitur extrema, & medium conuenisse innuit in homine: dum terram, puluerē, & spira-

Moses.

CHRISTVS.

culum uitarum in eo conuenisse dicit. Et sicut in maiori mundo diuina uniuntur cum terrenis influendo per cœlos, & illa econuerso suscipiendo per eosdem cœlos, qui naturam sapiunt utriusque extremi: sic diuinum illud homini communicatum per cœleste quoddam signatum per puluerē secreto indicio, ut & nomen hominis primo expressum indicat, quod est אדם. *Vbi* א, *diuinitatem* ד, *cœlestem naturam* ם, *uerò corporeū corruptibile apud peritos importat. Est itaque in homine corruptibile, celeste, & diuinum, aut uitale omnigenū: Viuit enim homo elementorū, & lapidū uita: quibus essendi, augendi, & alterabilitatis uigor continuè subministratur. Viuit cum metallis superiori uita: quæ spiritū quendam occultissimum habent: ideo aut nunquam, aut quàm rarißimè ab artificibus inuentus, quāuis multa sit diligentia perquisitus. Viuit cum plantis uegetatiua uita, cū animalibus motiua, cū mentibus separatis rationali, aut intellectiua, cū Deo uerò diuina & æterna: de qua* Ioannes: *Vita erat lux hominum. Et iterum:* Sūma Veritas: *Veni, ut uitam habeant: & abundantius habeant. Meritò igitur dicitur insufflatū, in hūc hominem spiraculum uitarū, omnigenū uidelicet,* Et quod Moses *per duo extrema, & medium occultè innuit,* Salomon, *siue* Philon *aperto sermone exprimit dicens:* Eduxit Deus hominē *de limo terræ, aut puluerem de terra: & dedit ei uirtutē continendi omnia:* Cui *adstipulatur* Trismegistus: *qui interrogatus à filio de hominis generatione respondit:* Homo *est quoddam omne, & quoddam totum in omni, id est in* Deo, *qui omnia uirtute constat, non quidē cōpositione: homo autē cōpositione constans est ex omnibus rerum potestatibus.* Augustinus *autē nedum in toto homine, sed in anima tantummodo hanc omnimodam rerum continentiam contēplabatur:* Ad *totius (inquit) sapientiæ similitudinem facta anima omnium rerum in se gerit imaginem, undè à philosopho diffinita est omniū rerū similitudo:* Habet *enim in se uires, quibus omnia comprehēdit, omnia inuestigat, omnibusq; similis existit:* Cum *enim sit una, similis est terræ per sensum, aquæ per imaginationē,* Aëri *per rationē, firmamento per intellectū,* Cœlorū *cœlo p intelligentiā.* Et *sicut* Deus *est omnibus captibilis, & participabilis: sic anima est omnium capax.* Sed *ad hominem ipsum reuertamur: qui omnia nedū similitudine, sed uirtute, & actu tanta dignitate, & cōsonātia cōtinet: ut meritò* Boëtius *priscos illos patres imitatus uocet ipsum secūdū musicæ genus sic disserēdo de eo: uiuacitas illa rationis incorporea quadā coaptatione misceatur: & ueluti grauiū, leuiumq; uocū in unā cōsonantiā est efficiēs tēperatio.* Sed *hanc* Mercurius *uocat harmoniā superiorē, ad eā uidelicet, quæ corporis, aut corporei mundi est.* Illam Zoroastres *(forsitā in solitudine, quā bisdenis annis incoluit) ritè persensit: ut diceret:* Exultat *homo ob harmoniam, in qua mortale corpus existit, simul uidelicet cum anima temperatum.* De quo (*ut* Origeni *placet) meminit* Moses, *cum ait:* Masculum, *& fœminam creauit eos, diuinum uidelicet illud per masculum intelligens, & per fœminā corpus hoc animale: quod spiritui & diuino illi subiiciatur: ut ipso incubante, concipiat, & pariat tanta cō*

Ioan. CHRISTVS. Salomon Philon. Trism. August. Philoso. Boëtius Mercur. Zoroa. Orige.

sonantia, quòd non solum homo opus Dei, sed & opus ipsius hominis reddatur harmonicum & consonantissimum: Quam utriusque consonantiam suo loco reseruantes, prosequemur eam, quam ex partibus omnibus maioris mundi, quibus homo componitur, resultare non ambigimus.

Quanta elegantia elementa in hoc homine reperiantur. Cap. VI.



Omo perfectissimum, absolutissimumque Dei opus, omniũ quoque Dominus, ea quæ ad ipsius compositionem conueniunt, tanquam electas pro Domino portiones perfectiori condimento, suauiorique consonantia continet, quàm ea, quæ in eius mancipiis concluduntur. Hinc elementa, cæteráque omnia hominem componentia, in eo tanquam in capite sublimiori quadam dignitate conspiciuntur. Elementa igitur, & si in omnibus crassioribus rebus comperiuntur consonantia, in homine tamẽ tanto maiori, quanto ipse est meliori uita donatus: Est nanque (ut diximus) solus ex cunctis animantibus cœlestis, diuinæq; uitæ particeps: Ideo elementa, cæteráq; omnia in supremo hoc opificio supremam quandam sortem prosequuntur. Non est mirum igitur, si ultra communem consonantiam, quam habent portiones, & qualitates corporeæ ad inuicem, & in aliis compositis, nescio quæ alia modulatio in huius hominis complexione proportionata, coloribus, figuris, & lineamentis bene conductis persentitur: Quæ clarius à cordatis uiris, & expertis dignoscitur longè gratior, quàm uocis harmonia hauriatur ab auribus etiam bene iudicantibus. Et cum de proportione elementorum, & eorum qualitatum superius tetigerimus, nunc illis omissis eam, quam tenent in homine bene conducto, percurremus: Cui, ut sit bene compositus, hæc complexionum & humorum pondera consignarunt, Sanguini octo, Pituitæ quatuor, bili duo: atræ bili unum, ut ubique sit proportio dupla: sed primi ad tertiã quadrupla, ad ultimũ uerò octupla: Quãuis Apponensis Aphrodiseum imitatus aliter has proportiones assignet, triplam uidelicet supertripartientẽ quartam, duplam superbipartientem tertias, & sesqualteram: qualis est proportio quindecim ad quatuor, uel triginta ad octo, & 8. ad 3, & 3. ad 2. Sed nescio qua ratione munitus id fecerit, cũ antiqui, & peritissimi in negotio harmonico nunquam admiserint harmoniam (teste Proculo) ex superpartientibus proportionibus resultare. Corpus uerò, eiusque humores consonantissimi sunt, à quorum conuenientia, si unus quidem discrepet, totum distemperatur corpus: ut ex Hippocrate, Galeno, & Haliabbate ultra Auicennam plenissimè discere possumus, si legere uoluerimus, quæ primus in de natura hominis, secundus in primo de complexionibus, ultimus uerò in primo theoricæ scripserit. Pythagoras quoque formari hominem docuit concretione, & cõpagine humorum intra dies quadraginta, iuxta uerò rationem harmoniæ intra septem, aut nouem, uel decem (ut plurimum) menses consummatum, atque perfectum infantem gigni.

Apponẽ. Alex. Ap. Procul. Hippo. Galen. Haliab. Auicena. Pythag.

Quæ in ipso homine elementis respondeant. Cap. VII.



Vm elementis ultra eorum portiones, quæ sunt in corpore, uiuaciores hominis partes (inquit Aug.) cõueniũt, sensus, uidelicet exteriores. Oculus enim (quia luce mediante uidet) igni respondet: & absq; igne, & luce nequaq̃ percipit. Aures cum aëre conueniũt, quo sonus reboat: aut ipso percusso sonus efficitur. Olfactus autem, & gustus cũ aqua, in qua residet sapor, & odor: Sed olfactus in istis exhalationibus humidis, quibus crassatur hoc spatium, per quod conuolant aues: gustus uerò in istis fluxilibus, & corpulentioribus humoribus: Tactus autẽ terram & crassiorem materiam sibi asciscit: A quo Franciscus acutus nimis declinans dicit Augustinum loquutum fuisse ad aliorum mentẽ de aqueo ipsius gustus obiecto, nihilominus prosequendo, rationem reddit Aug. cur gustus aquæ cõueniat: ait enim: Quæcunq; in ore sapiunt, ipsius oris humore cõmiscentur, ut sapiant, etiã si arida, cũ acciperẽtur, fuisse uideãtur. Qui tamẽ sensus omnes pcipiunt ui quadam ignea, qua anima, cui sentiẽdi uis est, motum incohat in omnibus sensibus, sed non eadẽ serie: In uisu enim represso colore usq; ad eius lucẽ: In auditu, usq; ad liqdiorẽ aërẽ ignis calore suo penetrat: In olfactu, transit aërẽ purũ usq; ad humidam exhalationẽ perueniẽs, undè crassior hæc aura subsistit. Sed in gustu, transit, & peruenit usq; ad humorem corpulentiorem: Quo etiam penetrato, atque traiecto cum ad terream grauitatem peruenerit, tactum ultimum sensum agit. Augusti. Franc. de Ma.

Ex compositis cum quibus lapides conueniant. Cap. VIII.



Ost elementa prima, ex quibus omnia componuntur, mixta succedunt: quæ quamuis ex omnibus elementis commisceantur, alicuius tamen naturam unumquodque imitatur. Lapides enim terream proprietatem sapiunt: quamuis Albertus Auicenæ testimonio suffultus quid aquei, quo componi, & conglutinari possint, eis attribuerit: ne uincẽs siccitas coagulari non permittat: uincit tamẽ terrea uis. Et cum mẽbra, & partes hominis ordinem sequantur mundani corporis, lapidum locum in homine ossa possident: Nam & ipsi ossa mundani corporis ab Empedocle dicebantur: Quem æmulatus poëta decantat. Albertus Auicena Emped.

Magna parens terra est, lapides in corpore terræ
Ossa reor dici, iacere hos post terga iubemur.

Qui lapides & ipsi uiuunt in hoc mundano corpore, sicut ossa in humano: Vndè & priscorũ nõnulli dixere lapidibus inesse animas: quæ uenenũ fugarẽt, phãtasmata pellerẽt, ferrum, & paleam traherent, fortitudinẽ præstarent, & audaciam, cæteráq; id genus operarentur: quæ magis ad uitam, q̃ ad qualitates spectant. Ouiat nihilominus Alber. cum (iudicio suo) primum animæ opus sit uiuens, tum quia porositate carẽt, qua uita penetrat: tum etiam, quia anima multa operatur: lapides autem tantummodo unũ habẽt effectum. Sed rationes istæ de uita superiori concludunt, de inferiori uerò nequaquã: Alio enim gradu uitæ an- Albertus.

gelicæ mētes uiuūt: alio homines: alio plātæ: alio metalla: alio lapides. Horū enim uita unā tātū operationē habet: suprema autē anima omniū inferiorū opationibus præest. Viuit nāq; lapis, & unius generis tātūmodo opatur effectū, attrahēdo, uel pellēdo, aut lætificando, & huiusmodi: Viuit planta, uegetat, & cibat: animal ultra hæc mouetur, & sentit: Homo uerò superaddit ratiocinationē, atq; discursum. Viuit utiq; lapis: undè & uiuens dicitur, crescitq́;, & compaginatur cum alio lapide, aut cum ostreis, uitro, uel huiusmodi: Viuumq́; est opus eius, augmentum uidelicet, attractio, uel expulsio, & quodcumque illud sit. Viuunt & ossa in humano corpore: quæ crescunt, motui seruiunt, & medulla eorum eisdem uitam, & fomentum præbet. Nec porositas exquiritur, ubi non est uegetatio, & motus: posset tamen porositas comprobari in lapidibus: ut in aliquibus patet penetratio aquæ, & olei, & sudor multoties: nisi dicatur, quòd ille producitur ex aëre adiacenti resoluto: sed hæc non sunt præsentis speculationis. Adsunt etiam ossa melioris hominis, de quibus Regius propheta: Exultabunt omnia ossa mea. Et iterum: Conturbata sunt omnia ossa mea. Rursumque: Aruerunt ossa mea, quia oblitus sum comedere panem meum: Panem utique cœlestē, & angelis communem, quo pascitur melior homo in superna curia: de quo summa Veritas ait: Vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo.

David

CHRISTVS.

Quibus respondeant metalla. Cap. VIII.

HVmores succedūt, q quāuis diuersam imitētur naturā elemētorū, aquei tamē omnes sunt: sicut & metalla cōmuni natura aquā sapiūt: Virtutē tamē quodlibet habet cū aliquo elemēto, & aliquo planeta cōuenictē: in quibus residet potior uita, quā in ossibus, & lapidibus. Generantur itaq; humores, & habitant in humano corpore, ueluti metalla in terra tāquā in uisceribus mūdani corporis. Hinc Her. Euates Arabū rex uocat ipsam genitricē metallorū: quæ tanquā mater in uētre gestat: nutriūturq́; (ut Ptole. placet) ex radiorū omniū stellarū cōcursu, aut (physicas rationes si sequamur cū Auic.) per uirtutem mineralē, aut per uim cōmunē: ut idē Hermes opinabatur: Quā uim ultra physicas metas transcēdens in Marte collocabat, Vel generantur p calidū, ustiuum, ut Emped. uoluit: uel per calorē igneum existentē in mōtibus, sicuti asseuerat Abubacher: aut per uirtutē naturalem lapidis formatiuam, ut tenet Albertus. Ad humorum quoque productionem interuenit stellarum concursatio, uirtus generatiua, planetæ alicuius supereminens uis, calor naturalis, quo decoquantur, & purificentur, formáque eorum particularis. Est in metallis (ut diximus) uita imperfecta: est etiam in humoribus uita, qua cum toto corpore uniantur: & præseruati à putredine diuersis ipsius corporis operationibus inseruiant: Residetque uitæ uigor magis in bili, & sanguine: In hoc, ut per ipsum traducatur eadē uita ad omnes corporis partes: In illa uerò, ut uiuacius operetur: Et usq; adeo sanguini uitā inesse opinati sunt nōnulli: ut sedē ipsius uitæ sanguinem adiudicauerint: sicut & sacræ literæ docent, dicente Mose, uice tamen

Her. Eu.
Ptolm.
Auicena.
Emped.
Abuba.
Albertus

Dei, in Leuitico: In sanguine animalis est anima eius. Ex ipso etiam bene decocto semen efficitur, ex quo uiuens, & animal generatur. Et spiritum, tanquam uitæ uehiculum Trismegistus in sanguine collocat: quo abeunte, sanguis, ueluti eius uehiculum, aut abit cum ipso: aut tristans, & dolens de priuata ipsi propinqua uita congelatur. Sunt etiam in homine metalla illa superiora, de quibus in plærisque locis meminerunt eloquia sacra: Est enim aurum, de quo superna ueritas, & reparator interioris hominis, ubi ista resident, ait: Suadeo tibi emere à me aurum ignitum: ut locuples fias. Et hoc est aurum, quod offerri iussum est in constructionem tabernaculi, hominis expreßißimi typi. Iussum est quoque offerri argentum cum ære, hyacintho, pellibus uariis, lignis Thymiamate, & gemmis: Quod argentum aliquando uertitur in scoriam, ut in Isaia conqueritur Dominus: quia sapientia, & doctrina uiri, (etiam diuinorum eloquiorum, quæ argentum purgatum terræ, purgatum septuplum in Psalmo dicuntur) multoties deprauantur: quando uidelicet cum mala uita, uel errore aliquo miscentur: Sed hoc sæpius purgatur, fauente summo Artifice, de quo Malachias ait: Sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui: qui præcipuè purgati esse debent in auro charitatis, & argento sapientiæ. Sed super omnes expurgati debent esse sacerdotes, quibus in lege iussum fuit portare ואת התמים האורים id est urim ue tumim: ubi nostra traductio habet doctrinam, & ueritatem: Sed melius diceretur illustrationes, scilicet ueritatis, & perfectiones, omnimodas uidelicet. Et isti dicuntur ab Apostolo ædificare supra fundamentum, quod Christus est, aurum, & argentum. Ab argento itaque, si bene ædificare uolumus, ammoueri debet omne erroneum, & humanam sapiēs pompam, falsáque adinuentio, & uitæ coinquinamentum: & tunc sequetur, quod Salomō ait: Aufer rubiginem de argento, & egredietur uas purißimum. Sunt quoque in homine æs, stānum, cuprum, ferrum, & plumbum ex eadem quippe materia progenita: Deficit autem eis digestio decoctio, fixio, puritas pondus, uel aliquod illorum, undè decidūt à perfectione auri, uel argenti. Sed si digeratur materia, decoquatur, fixetur, & ad puritatem, pondúsque conueniens deducatur: tunc aurum, atque argentum dignum regia efficietur præsentia, ut de domo Israël, & consequenter de omnibus ouibus, quæ perierant illius domus, per Ezechielē efficere permittit summus faber dicens: Versa est mihi in scoriā domus Israël: Omnes isti æs, stannum, ferrum, & plumbum in medio fornacis scoria argenti facti sunt, propterea hæc dicit Dominus: Eo ꝙ uersi estis omnes in scoriam, ideo colligam uos in medio Ierusalem, sicut coadunatur argentū, æs, stannum, ferrū, & plumbū in colatorio uase, ut cōflato igne liquefiant, illo uidelicet igne, de quo idem Faber ait: Ignem ueni mittere in terrā: Quo misso dicato sibi quinquagesimo die factum est (ait Lucas) illis conflatis omnibus cor unum, & anima una. Tunc illud Isaiæ uaticinium impletum est, quo dicitur: Auferam omne stannum tuum: & iterum in sequentibus: Pro ære adducā aurum, pro ferro argētū

Leuiti. Trism. CHRISTVS. Isaias Psalm. Malac. Paulus Ezechie. Lucas Isaias

& pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum. Sed hac nostra tempestate (heu dolendum) Ieremiæ uaticinium tragica uoce proclamandum esset, quo dicitur: Aes & ferrum uniuersi, corrupti sunt, & defecit sufflatorium: In igne consumptum est plumbum: frustra conflauit conflator: malitiæ enim horum non deficiunt: Argentum abominabile uocate hos, scilicet proteruos: Nam Dominus abominatus est eos: Qui nisi citò succurrat, breui omnes abominatione ꝑpetua digni reddentur, sicut de Babyloniis scripsit Ioannes in sua Apocalypsi. Et de alijs Isaias, & Ezechiel: Vndè conflator exorandus est, ut conflet, & expurget, & restituat contaminatos ad puritatem priscorum: qui fuerunt tempore magni expurgamenti.

Ierem. Ioan. Isaias Ezechi.

Quibus concinant quædam mixta mineralia mirando artificio. Cap. X.



Ltra humores sunt intestina eorum uasa, quæ medium inter ossa carnésque tenent: Quem locũ in magno mundo marchesita, & alumen possident: quæ (ut Albertus docet) inter lapides, & metalla media sunt. Duriora quoque intestina carnibus sunt, ossibus uerò molliora, minúsq; sentiũt, & uiuũt, quàm caro, magis autẽ quàm ossa: Vndè media comprobantur inter utraq;: Corruptioni uerò magis sunt obnoxia quàm caro ex materia, quam continent, corrumpente. Sed in meliori homine uasa humorum, id est uerorum influxuum sunt potentiæ, & uires naturales eosdẽ suscipiẽtes, intellectiua uidelicet uis, uoluntas, irascibilis, & cõcupiscibilis: quæ omnes influxus collustratiuos inflammantes, & ad opus conducendum amore, uel impetu suscipiunt: Quæ medium inter naturalem uitam, & diuinas uirtutes, quibus ipsi Deo assimilamur, tenent: sicut media illa existunt inter lapides & metalla, & intestina inter carnem & ossa. Sed sunt corruptioni obnoxiæ potentiæ istæ, & tantæ peruersioni, ut etiam dicantur ablatæ, sicut mysticæ in Machabeorum uolumine scribitur: ꝙ Antiochus uidelicet asportauit à templo magno Dei non solum aurum: argentum, & omnes lapides pretiosos, sed etiam altare aureum, candelabrum luminis, & uniuersa uasa. Et quid per altare aureum asportatum ab Antiocho diabolum, & peccatum figurante intelligitur, nisi uoluntas, in qua aurea charitas residet? Et quid per candelabrum luminis, nisi intellectus designatur, in quo splendet omne lumen interioris hominis tã naturale, quàm diuinũ? Sed per cætera uasa cæteræ intelliguntur potentiæ suscipientes, & operantes: Quas particularius exprimendo subinfert: quòd abstulit etiam mortariola, & uasa concupiscibilia: Quorum hæc, citra omne uelamen, concupiscibilem uirtutem indicant: Verum mortariola, quibus conteruntur dura, uim irascibilem innuunt: qua contra uitia, & seipsum peccantem iratus homo duros affectus, duráque opera, & obliqua in puluerem redigit: Quod alumen, & huiusmodi efficiunt mordentia, & corrodentia carnem superfluam, & contaminatam: quæ malam operationem, & malos, corruptósq; fructus significãt. Auferũtur autẽ huiusmodi uasa, & potẽtiæ, aut

Albertus

uires: quãdo exercentur in alios usus, quàm in eos, quibus sunt deputatæ: sicut in alio typo habemus de uasis asportatis ab Ierusalem in Babylonẽ: quibus Babylonius rex abutens in lasciuiis sensit manum Domini cõtra ipsum scribentẽ sententiam in pariete: ut in Daniele legimus enarrante, & interpretante. Daniel

Cum quibus plantæ uirescant, & uegetentur. Cap. XI.



Post metalla primarium genus est plãtarum: Quarum uirtus in carne, & sanguine cum spiritibus uitalibus illac transmeantibus in hoc paruo mundo satis clare conspicitur. Est enim planta uegetans natura suaipsius (mediante spiritu uitali) altrix & crescẽs. Est quoque in carne uegetatiua uirtus præbens alimentum, & augmentum manifestum, in quorum utroque deperditum facillimè reparatur: Incisa nanque planta iterum pullulat, etiam duriusculus cortex: Sic caro, cutisque secta iterum crescit quamuis sæpe & cutis in carne, & cortex in planta cum æterno uibice: Viuitque utraque spiritu quodam secretißimò: sed hoc planta crescit, & effectus uarios inducit in folia, fructus, aut radicem eius comedentem: Caro autem non tantum crescit, sed multiplici agitatur motu, dilatando, restringendo, & secundum locum mouendo, pro diuersitate musculorum in ipsa existentium. Et si carnes non crescunt in iam adultis, deductisque ad terminum augmenti, nutriuntur tamen continuè, ut Galenus, Auicena, Albertus, & alij diffuse pertractant. Adsunt itaque in homine uires plantarum nedum terrestrium, sed excelsarum. De terrestribus sensitiuus doctor Aristoteles in sermone de anima loquens dicit: ꝙ homo est arbor inuersa capillos capitis, tanquam radices in superiorem partem protendens, & per os in supernis existens nutrimentum capit, sicut planta radices in terram, & deorsum extendit, inferneque nutritur. Et de cœlestibus arboribus cœlestis doctor, postquam de pane, uino, & oleo cœlesti decantauit, subinfert: Saturabuntur ligna Adonai, pro quo nos habemus ligna campi, & cedri Libani, quas plantauit. Plantat enim has arbores ille, de quo dicitur: omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cœlestis, eradicabitur. De qua plantatione Moses antea scripserat dicens: Plantauit Dominus Deus paradisum uoluptatis à principio, quod in Hebræo habetur מִקֶּדֶם id est micbedem: Et si bene perpendatur uis & mysterium huius uocabuli chedem Patrem significare uidebitur, qui est principium, fons, & radix omnium plantarum. Plantatus est itaque homo in horto uoluptatis per radices, capillorũ: de quibus dicitur in Cãticis: Comæ capitis tui, sicut purpura regis iuncta canalibus: illis uidelicet supernis, per quos fluũt omnia charismata à fonte omniũ bonorũ: Et huiusmodi arbores plantatæ secus decursus aquarum, fructum dant in tempore suo: & folium earum non defluet: & omnia, quæcunque faciunt, prosperabuntur: Nam tunc arbor est bona: Si autem seiuncta à canalibus illis supernis, in terrenis, & inferioribus radices figit, tunc est arbor mala: de qua summa Veritas ait: Non potest arbor mala bonos fructus facere: sicut nec arbor bona malos fructus red

Marginalia: Gale. / Auicena / Albertus / Aristot. / Dauid / CHRISTVS. / Moses. / Cãtico. / Psalm. / CHRISTVS.

dere. Et illa, quæ bonos fructus producit, firmatis radicibus in plantatore tandem mediantibus fructibus, & uirtute plantatoris ipsius, cum eodem unitatem
Idem. *cõsequetur, iuxta mediatoris intercessionem, qua dixit:* Rogo Pater, *ut sicut ego & tu unum sumus, ita & isti unum sint in, radicati uidelicet, conclusi, & conglutinati, reuersique ad eundem, à quo processerunt.*

Animales conditiones in homine uiuere omnibus patet. *Cap.* XII.



Væcunque ad animalia pertinent, si in homine contineantur, quia manifesta sunt, breuius quàm materia exquireret, percurremus: Sentit enim homo, *mouetur, imaginatur, timet, dolet, concupiscit, odit, comedit, digerit, expurgat, mingit, dormit, suspirat, clamat, ululat, cantat, garrit, ambulat, saltat, natat, fert onera, trahit, diuersissimisque cibis pascitur, herbis, fructibus, carnibus, piscibus, radicibus, pane, uino, & aqua:* Insuper *omnigenos mores, & effectus uarios facit diuersissimorum animalium.*
Peripate. Hinc *naturas eorum potestate (ut dicunt* Peripatetici*) aut uirtute (ut nouitio-*
Aristote. *res asserunt) continere uidetur:* Ideo Aristoteles *in suo de physiognomia mores hominum diiudicat ex figurarum, & partium conuenientia cum animalibus.*
Nume. Harpo. Boëtius. Plotinus Emped. Pythag. Hermi. Syria. procul. Moses, Et *aliquando adeo bestias imitatur : ut* Numenius Pythagoreus, Harpocratius, Boëtius, Plotinus, Empedocles, *& ante eos* Pythagoras *dixerit, quòd ad expiationem anima deposita ueste humana bestiæ indumentum assumit, cuius se moribus simillimam præbuerat: uel fit comes ferarũ, ut urbanius dicunt* Hermias, Syrianus, *&* Proculus: Cuius *transmutationis, aut denominationis authorem, quamuis aliqui* Pythagoram, *aliqui uerò adhuc antiquiores fuisse autument,* Moses *(ni fallor) tamen noster, & sacri eloquij scriptores fuere: quorum monumenta omnium antiquissima habentur:* Ille *nanque uxorem* Lot *in statuam salis conuersam scribit : &* Enoch *non in bestiam, sed in melius immutatum, scilicet in angelum, aut in ipsum* Deum. Daniel *autem* Nabucdonosor *uersum in bestiam, fœnumque instar bouis comedisse describit.* Ieremias *ob crudelitatem populum suum struthionibus æquiperat : & multa huiusmodi in pro-*
CHRISTVS. *phetis, &* Salomone *reperiuntur.* Sed Christus *omnium doctor præcipuus uoraces, & cruentos lupos appellat, dicens :* Intrinsecus *autem sunt lupi rapaces.* Et Iudam *in nequitia sua proteruientem diabolum nominat, dum ait :* Nonne *uos elegi duodecim, & unus ex uobis diabolus est ?* Et *à* Mose Pythagoras
Apule. *(ut diximus) accepit : quamuis* Apuleius Madaurensis *asserat ipsum* Pytha-
Zoroa. *goram imbutum etiam à* Zoroastre Oromasi *filio* Bactrianorum *rege : qui in suis oraculis ait:* σὸν γὰρ ἄγγος θῆρες χθονὸς οἰκήσουσιν *id est tuum uas bestiæ terræ inhabitant, in tuo uidelicet corpore uires bestiarum sunt: & non uermes co-*
Gemist. *medent tuum uas, ut* Gemistus *exponit.* Et *si* Pythagoras, *tanquam omnium doctrinarum accuratus perquisitor aliqua in parte à* Zoroastre *edoctus fuerit, tamen, omni errore postposito, multo plura ab eis, qui diuina ubera suxerunt,*
Archyta. Euritus. *didicit:* Et *ab eo postea* Archyta Tarentinus, Euritus, *&* Philolaus: *qui illa pau*

lusculà carmina, & symbola Pythagoræ ascripta (ut nonnullis placet) literis cõmendauit: Quæ carmina exponens Hierocles irridet illos, qui animam hominis in bestias transmigrare existimant: Ideo, quid senserint illi antiqui sapientes in huiusmodi re, percurremus. Hiero.

Quid de transmigratione animæ humanæ in bestias senserint antiqui, & quæ sit rei ueritas. Cap. XIII.



Etamorphoses huiusmodi de mẽte Pythagoræ, & Platonis decantatas, etiã pueris in scholis notissimũ est. Hanc enim in laurum, illum in lupum, aliam in philomelam, aliam in hyrundinẽ, & huiusmodi transmutationes quãplurimi cecinerũt: Sed utrũ Pythagoras, Plato, & sacri authores, à quibus illi didicerũt, opinati fuerint illas transmutationes re ipsa fieri, aut affectu tantummodo, disputatur ab eorum sectatoribus: Aliqui enim contendunt Pythagoram sic opinatum fuisse: Alij uerò scripta illa poëtico more à Platone tradita existimarunt, ut de Atticis Zenocrates, Archesilas: & Carneades, De Aegyptiis uerò Ammonius, & sequentes. Sed Carneades ipsius Platonis uestigia obseruando scepticorum more, potius quàm determinãdo, eum scripsisse arbitrabatur: Archesilas ueritatem potius à Platone descriptam opinatus est: Zenocrates uerò, & Ammonius aliqua, uel pauca tanquam uera ipsum dixisse crediderunt, tam de anima, quàm de prouidentia, & aliis huiusmodi occultissimis negotiis: cætera uerò sub ænigmatibus uariis occultare studuisse: Inter quæ, circuitũ animarum, restitutionemq́ue rerum in triginta sex millibus annorum, iuxta completam octauæ sphæræ reuolutionem: Sed animarum transmigrationes in bestias non tanquam à se excogitatam, sed ab Aegyptiis sacerdotibus accepit, ad animarum (ut aiunt) expiationem confictam: Deinde ab Orpheo, Empedocle, & Heraclito carminibus decantatã. Qui autem rectè senserunt, & ueram Platonis sententiam prosecuti sunt, transmigrationem animæ humanæ in bestias penitus reprobarunt. Id effecit Iamblicus, id Porphyrius, qui animam à centro, in quo semel est defixa, diuelli non permittit. Sed Proculus, Hermias, atque Syrianus horrendum existimarunt facinus, cœlestem animam in bestias præcipitari: quia humanum corpus non aliam capit animam, quam humanam: nec humana anima in aliud quàm humanũ corpus inclinatur. Neque fas est (inquiunt) in corpus animantis ratione carentis animam rationalem corruere, prohibente diuina lege tam nefariã generationẽ: Vndè Porphyrius, & Iamblicus, cõfutato horum errore, cõcludũt hominẽ moribus deprauatũ nequaquã asinũ, sed asininũ, neque leonem esse, sed leoninum dici debere. Et ante hos quid Timæus Locrus Pythagoreus insignis, & etiã Plato in suo de legibus senserint, audiamus: Quẽadmodũ (inquiunt) corpora quandoque uirulentis, ac letalibus sanitati restituimus, cum saluberrimis non possimus, ita animas cohibemus sermonibus figura-

Pythag. Plato. Zenoc. Arches. Carnea. Ammo. Arches. Zenoc. Ammo. Sa. ægy. Orph. Emped. Heracl. Plato. Iamblic. Porphy. Procul. Hermi. Syria. Porph. Iambl. Timæus Plato

[illegible]

tiuis, & metaphoricis, cum regi ueris non poßint. Necesse igitur mulctæ perhibentur infligi, quod uidelicet animæ improbæ meticulosorũ tentoria subeant muliebria: & demũ cõtumeliæ datas immanium, ac sanguine humano cruenta ferarũ corpora subeundo afflictari: Lasciuientium animas, porcorum, aprorũue subire formas: Leuia, & sublimia captantiũ, figuram uolucrum, & aërea petentium: Segnium autem, & inertium, aquatilium ideam: Cuncta autem hæc fatum secũdo ortui deputasse, Hu[...]que Timæus. Hinc circa transmigrationes istas, sanè intelligendo, rectè sapientes isti opinati sunt, imò fideliter recitarunt, quæ à diuino, & prophetico dogmate acceperant: ubi docentur transmutationes hu

Psalm. iusmodi citra omnia uelamina: In imaginem (inquit Dauid) pertransit homo.

Paulus De transitu quoq; corporis in melius, dicit Apostolus cum Philippensibus agens: Saluatorem expectamus dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratũ corpori claritatis suæ. De transmigratione uerò animæ Corinthiis scribens ait: In eandem imaginem transformamur, Quæ uidelicet Filius Dei est: Nam potestas data est nobis, qua fiamus filij Dei. Et de

Psalm. transitu in peiorem conditionem iterum decantat regius Propheta: Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus: & similis factus est illis: non quidem natura, sed moribus, & consuetudine: Cum quibus

Pythag. Plato Boetius Pythagoras, Plato, & omnes eorum asseclæ, qui rectè sentiunt: Quorum dogma hincinde conspersum de mutatis in peius colligens Boëtius fidißimus eorum interpres ait: Euenit igitur, ut quem transformatum uitiis uideas, hominem existimare non poßis. Auaritia feruet alienarum opum uiolentus raptor, lupo similem dixeris. Ferox, atque inquietus in litigiis linguam exercet, cani comparabis. Insidiator occultus surripuisse fraudibus gaudet, uulpeculis exæquetur. Iræ intemperans fremit, leonis animum gestare credatur. Pauidus, & qui non metuenda formidat, ceruis similis habeatur. Segnis, ac stupidus torpet, asinum uiuit. Leuis, & inconstans studia permutat, nil ab auibus distat. Fœdis, immundisque libidinibus mergitur, sordida suis uoluptate detinetur. Ita fit, ut quis probitate deserta, homo esse desistat: & cum in diuinam conditionem uitiis mancipatus trãsire nõ poßit, uertatur in belluã: Hucusq; Boëtius ex Timæo Locro, & aliis Pythag. Ista igitur trãsformatio fit secũdũ affectus, habitus, mores, & operationes: quibus non minus dignoscitur rei natura, quàm forma, & effigie: Clarius enim pomũ à piro, & ficũ ab amygdalis fructu cognosco, quàm trũco: Nec minus lupum à cane, & asinũ, aut mulũ ab equo per uocem diiudico, quàm ex pel

calore. le. Solẽ quoq; magis luce, & calore, quàm figura à Luna distinguo: Ex bestiis uerò egredi animæ dicũtur, quando earũ affectus superauerint: ut quampulcher

Thespiõ. rimè Thespion Gymnosophistarum dux cum Apollonio disserens aiebat: Si iuxta Herculis iudicium electionem feceris, frugalitatem nunquam contemnens, & eam, quæ secundũ naturam est, parsimoniam amplexus, multos leones superasse diceris, multasq; hydras obtrũcasse: Geryones quoque, & Nessos uicisse

quāplurimos, & alia quæcunq; de ipso prædicātur certamina. Et tūc anima hominis, quæ bestiarū malis moribus coërcita spiritu bruti imaginario circunducebatur, soluta, & longo tēporis curriculo, magnisq; laboribus purificata, à bestiarum expedita conditionibus ad cœlestem digna redeat sedem.

Quid de particularibus transmutationibus mira consonantia cum nostris deposuerint externi. Cap. XIIII.



Ndiq; habemus de hac transmigratione testes concordes: Heraclitus enim successione necessaria è summis ad ima, econtraq;, ex imis ad summa iter animā agere dixit: ut uera sit illa apud Chaldæos celebrata sententia, de qua scribit Euantes, hominem uidelicet esse dissolutoriæ naturæ animal, nullā habens propriam imaginem, extrarias autē, & aduētitias quamplurimas. In supremam enim naturam, & diuinam, hominē trāsformari per uirtutis excellentiā, & Arist. in Ethicis, & Plotin. in libro de uirtutibus asserunt: Quos tota sequitur poëtarum turba decantantium, homines Deos effectos. Cantat & noster Dauid inter uates eximius: Ego dixi Dij estis: Et Paulus cum Ephesiis differens ait: Qui adhæret Deo, unus spiritus efficitur cum eo. Intercedit Pythagoras semitheologus & semiphilosophus dicens: Si deposito corpore æthera ascenderis, eris immortalis Deus. Et Ioannē conuersum in angelum Malachias apertè testatur Deum introducens dicentē: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam: Quos angelos, antiqui Deos nominare solebant: Ad quorum gradum multos euectos etiam ipsi gentiles perhibent: & usque ad eam insaniam deuenere, ut etiam pro Diis adorarent huiusmodi homines superiori honore, quo nos ueneramur nostros, quos sanctos, id est confirmatos in unione cum Deo dicimus: Hos nanque solummodo intercessores ad Deum, cui sunt uniti, flagitamus: Illi autem, tanquam Deos, ipsos colebāt. In deteriorem autem partem multo plures labuntur: quia (ut subinfert Heraclitus) cum non modici sit laboris in supernis sedibus perpetuò degendi, fatigari, conuersarique cum Diis, & eis iugiter subiici, Ideo partim quiescendi desyderio illectam, partim imperandi spe erectam animam ad inferiora labi facilè asserit. Ad quæ deiecta aliquando (ut Empedocles ait) mutatur in plantā, ut de Daphne in laurum uersa decantat Ouidius. Poëta quoque Polydori animā ex stipite clamantem describit. Ex Aristotele quoque, sed clarius ex Euangelio in plærisque locis discere possumus, homines arbores dici, nunc bonas, nunc malas? Bonæ autem (ut antea tetigimus) plantatæ dicuntur in Dei hortulo: Malæ uerò in terra hac depressa, steriles utique, & infrūctuosæ, excisionemq; expectātes: ut in ignē mittantur arsuræ: Et de his clamat Baptista: Iam securis ad radicem arboris posita est. Et aliquando etiam in lapides mali dicuntur mutati, ut idem Baptista ait: Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Moses quoque narrat uxorem Lot in statuam salis conuersam: Qui enim nutritioni tantummodo deditus die, noctuq; torpet, uiuit, ut planta: Obduratus autem, ut

Heracl. Chaldei Euantes Aristo. Plotin. Psalm. Paulus Pytha. Malac. Heracl. Emped. Ouidi. Virgilius Euange. Ioā. Bap. Idem Moses.

In isto Cap. uertantur ea diximus Cap. eodem 38

nec uerbum Dei, nec superna charismata suscipiens aliquando molliatur, lapis merito dicitur. In salem uerò conuersa describitur mulier illa, quæ in exemplũ, & condimentum obaudientium data erat. In animalia quoque homines mutatos infiniti penè utrinque authores habentur concordes. Aristoteles in Politicis scribit hominem moribus deprauatum nõ solum in bestiam mutari, sed ea ipsum deteriorem fieri. Plotinus de transmutatione in animalia & plantas in suo de proprio cuiusque dæmone differens ait: Quicunque proprietatem seruauerunt humanam, homines iterum nascuntur: Quicũque uerò solo usi fuerint sensu, bruta animalia redeunt, ita tamen, ut qui sensu præcipuè una cum ira, animalia fera exoriantur: Quicunque autem sensu per concupiscentiam, uoluptatemq; utãtur, salacia, & ingluuiosa animalia reuertantur. Verum si non tam sensu, una cum his, quàm sensus degeneratione uixerint, una cum ipsis, plantæ repullulant: solum nanq;, uel maximè in his uitale uiguit, omnísq; illis cura fuit ut in plãtas commutarentur. Verum qui musicis modulis nimium deliniti uixerunt, in cæteris non deprauati, animalia musica renascuntur: Et qui sine ratione regnarũt, aquilæ fiunt, nisi prauitate aliqua sint infecti: Qui uerò ciuilem uirtutem consecutus est, homo reuertitur. Hucusque Plotinus ibidem, sed in eo, quem de prouidentia ædidit, hæc adiungit: Ratio seminaria bouis nõ in alia quàm in bouis materia est, similiter & ratio seminaria hominis in subiecto humano existens nec minuitur, nec augetur, quod ab initio natura tributum fuit. Non quidem minuitur secundum subiectum, aut rationem specificam, sed mutatur secundum affectus: Quibus omnes Pythagorei, & Academici consentiunt. Sed hæc eadem in plærisq; locis sacri eloquij antea scripta cõperimus ultra ea: quæ superius adducta sunt: Ad malè nanque initiatos inquit Apostolus: Veluti animalia muta, prout ducebamini, euntes. Et obtenebratum populum, atque ingratum per Isaiã execrando Dominus ait: Cognouit bos possessorem suũ, & asinus præsepe Domini sui: Israël autem me nõ cognouit, peior uidelicet bestiis effectus. Et in prouerbiis Salomon hominẽ nunc leonem, tigridem, ursum, uel aprum appellat: nunc leporem, canem leporarium, aut cuniculum: nunc formicam, hericium, serpentem, uel araneam: nunc aquilam, stellionem, gallum, uel auem aliam nominat: & multa huiusmodi in metaphoris differens mores hominum per bestias, quibus aßimilantur, describit. Sed ne nimium excedamus omnia externorum, & scripturæ sacræ loca huiuscemodi explicãdo, adducemus, quæ Moses summatim, & pefectè cõclusi sub typo arcæ, quam Noë summo mysterio iussu Dei dicitur fabricasse.

Aristo. Plotin. Pythag. Academ. Sa. scri. Petrus. Isaias Salomon Moses,

Omnia contineri in homine sacro artificio describit Moses, in arca Noë. Cap. XV.



NOë, aut Noach (ut dicunt Hebræi atque Chaldæi) omnium humanorum Deorum maiorum, & minorum pater, renouator humani generis, semenq; mundi à Scythis denominatus, Ianus quoque dictus (si deflorationi Berosi creditur) is fuit, cui magno ty-

Scythę Berosus

po & mysterio dixit Deus: Finis uniuersæ carnis uenit coram me, quia repleta est terra iniquitate, seu rapinis: ut habet ueritas hebraica: Rapuerat enim homo inferiorum sortes, undè à statu suo deciderat. Pro ipsius igitur reparatione dixit summus Pontifex ad eum, qui solus reperiebatur iustus in generationibus suis: Fac tibi arcam de lignis leuigatis: pro quo in Hebræo habetur de lignis גֹפֶר id est gopher, quod cupressum significat, ut quibusdam placet, & secundum alios, pinũ picẽ stillantem: Hinc Hieronymus in traditione super Genesim Hieron.
ait: Pro quadratis, aut leuigatis, in Hebræo legimus bituminatis: In qua arca Augustinus, Hebræi sapientes, & omnes, qui rectè sentiũt, hominem quo ad omnes partes putant describi: August. Hebræi.
Cuius arcæ, & hominis partitiones cum paulo superius satis explicauerimus, ueniamus ad ea, quæ in ipsa, & consequenter in homine continentur: Cui dicitur: Ingredere tu in arcam, & omnis domus tua: Intrare enim debet homo intra seipsum, si saluti suæ consulere uelit, sicut ad Abraham dictum fuit: Vade ad te, pro quo nos habemus, exi de terra tua. Et in euangelio Ioannis dicitur: Ioan.
Abierunt discipuli iterum ad semetipsos, cognito uidelicet Iesu suscitato: Nam recesserant à semetipsis per incredulitatem contractam ex morte, & passione ipsius. Sic quoque de lasciuo illo adolescentulo, qui abierat in regionem longinquam, inquit Ambrosius: Ambros.
Quid est longius ire, nisi extra se ire? Intrat ergo homo ad se, quando ad cor redit, in quo cubiculo collectus, & clauso ostio (iuxta Saluatoris edictũ) expeditus, & dispositus ad patrẽ orat. CHRISTVS.
Iubetur quoque intrare cum liberis, & omni familia sua, quam explicans ait: Vxor tua, & filij tui, & uxores filiorum tuorum tecũ. Celebratur nimis in sacris literis uxorarium sacramẽtum, ipsíque regnum cœlorum comparatur. Nec uoluit Christus mulieri samaritanæ pandere sacramentũ aliquod, nisi accersito uiro: Vade, inquit, & uoca uirum tuum: Et ad uirum ait Sapiens: Perfruere uita cum uxore, quam diligis: Quæ non sit sterilis, sed tanquam uitis abundans, & producens conuenientes fructus: de quibus dicitur: Facite dignos fructus pœnitentiæ: & appropinquabit uobis regnum cœlorum. Quo forsitan sensu docebat Mercurius præcauendũ à uiro, cui nec uxor, nec filius esset. Hinc & Chri- Mercu.
stus omnium dux, & doctor nõ minus factis, quàm uerbis uxorem sumpsit, qua CHRISTVS.
omnes nos generauit: & de qua in Apocalypsi dicitur: Et uxor eius præparauit se. Apocal.
Sed quæ sit uxor, quam introducere debemus in arcã, satis in nomine uxoris Noë exprimitur, si uera sunt, quæ in monumẽtis Scytharum, & Chaldæorũ reperiuntur, quòd uidelicet diceretur Tythea magna, & Aretia, id est terra, quam Hebræi אֶרֶץ erez: & Chaldæi אַרְעָא arca dicunt: Cum qua terra, tanquam cum omnium matre unitus spiritus noster, & mens fœcundos nos reddit. Hinc homini statim producto cum sua uxore iubet oraculum dicẽs: Fructificate, & multiplicate, & replete terram, & submittite eam, animal uidelicet nostrum: Quo in seruitutem redacto, digni efficiamur adhærere illi uxori, quæ de cœlo descendit à Deo parata, sicut sponsa ornata uiro suo. Et hoc fit repu-

diata priore, sicut & imperator noster Christus factis edocuit: qui eam uxorem, in qua continebantur ea, quæ sanctificabant hominem animalem, synagogã uidelicet, aut dimisit, aut in meliorem, & spiritualem uxorem, in qua sanctificaretur homo spiritualis, sua excellenti uirtute conuertit. Prosequitur scriptura enumerans filios, quos homo ad penetralia mentis deducere debet: Quorum nomina sunt, Sem, Cham, & Iaphet, Sem nomen significat, quo res exprimitur, & nominatur, denotans, quòd fructus debent esse expreßi, & nominati, cognitique Deo: qui omnibus nomina uocat, & capillos capitis enumerat. Sequens est Cham, quod Hebræi חם scribunt, & calorem significat: quo feruere debent opera, ne tepida sint, aut frigida, sed calida, & feruentia. Et quia summo pulchro non debent præsentari opera, nisi pulchra, ideo nomen tertij filij dicitur Iaphet, quod dilatatum, aut pulchrum interpretatur. Vxorata quoque dicuntur opera, quia commixta esse oportet cum uirtute diuina: quam gratiam, siue charitatem usitato uocabulo appellãt: sine qua opus nostrum inualidum est

CHRISTVS. & inutile, ut ait cœlestis spõsus: Sine me nihil potestis facere. Sic etiam nec opera nostra sine eius gratia perfici poßunt. Hinc Isaias ait: à facie tua Domine cõcepimus, Postea subinfertur de animalibus immundis, ꝙ bina introducantur & bina, id est duo mares, & totidẽ fœminæ: & de mũdis septena, & septena eadẽ serie, paríque modo & uolucres. Animalia itaque, id est omnes animaliũ uires in arcam introduci dicuntur sub imperio Noë, hominis uidelicet, pacificè dominantis, & quiescentis in arca mentis suæ: Quod fit, quando subiugatis paßionibus scit homo premere, & laxare habenas secundum exigentiam, ut de Aeolo

Virgilius Poëta Mosem æmulatus decantat. Est autem ratio, aut portio illa superior, uel intellectus, more Platonico loquendo, tanquam antistes in tota humana domo, omnibus præsidens: sunt & uires bestiarum intellectu, uel mente regendæ, eius uidelicet, qui iam mentem adeptus est, de quo loqui prætendunt eloquia sacra. Sed quæ sint bestiarum uires, Moses trifariam exprimit dicens: Ex cunctis animantibus uniuersæ carnis inducas tecum in arcam, masculini sexus, & fœminini de uolucribus iuxta genus suum, de iumentis in genere suo, & ex omni reptili terræ secundum genus suum. Serpit enim homo, uegetatiua uirtute cum reptilibus, quæ super terram reptant: Ambulat cum animalibus extimatiua, Phantasia, & cogitatiua: Volat cum uolucribus speculatiua, & contemplatiua. Harum primis homo inseruit in primæua ætate, mediis in iuuẽtute, ultimis iam pro-

Aristote. uectus, & illam adeptus mentem, quæ (Aristotele authore, & practica comprobante) serò aduenit. Sic & in animali mundano, aut in totius generis humani succeßione occurrit: Cui in primæua ætate ante diluuium data sunt olera, plantæ, & huiusmodi uegetatiua solummodo in cibum: Sequenti uerò ætati animalia concessa sunt, & animalium sacrificium indictum: Prouecto autem in ci-

Vgo Pa. bum datus est panis ille: qui de cœlo descendit: Quæ aliqualiter olfecit Vgo Parisiensis in suo de arca Noë. Pro triplici itaque genere isto τριστοιχῶν in arca

fieri iussa sunt, uel, ut habet textus Hebræus, inferiora, media, & suprema: Quæ partitiones, quomodo ad unguem sint in corpore humano, neoteritij dicant, apud quos hæc triuialia sunt: Est enim sub diaphragmate uenter inferior cũ intestinis: & ab eo usque ad collum, interstitium pro corde, & hepate, & aliis uasis uirtutum animalium. Supra collum uerò est caput, tertium, & supremum hospitium, in quo residet ratiocinatiua uirtus, & intellectus cum sensibus interioribus, & exterioribus, tanquã suis cubiculariis: Sed hoc hospitiũ adhuc in tria cœnacula partitũ est: ut inhabitare poßint tres hospites illi, quorum medius ait: Intrabo, & cœnabo secum: Et iterũ de reliquis dicit: Ad eum ueniemus, & mansionem apud eũ faciemus, ego, scilicet Pater, & Spiritus sanctus. Et pro tot hospitibus commorantibus in hoc humano mundo iubetur introduci ex omnibus cibis, qui mãdi posunt tam à uirtutibus animalibus, & rationalibus, quàm à diuinis: quia nullus affectus in homine relinqui debet à bonis, & licitis cibariis ieiunus: alioquin eos cibos appetunt, quos non licet, aut seipsos ex fame deuorantes, inquietudine, & litigiis arcam, & omnia in ea existentia turbarent: Impoßibile est enim (inquit Hieronymus) humanam animã aliquid nõ amare: idcirco præparari iubentur escæ, & operæ pro omnibus uiribus nostris: in quibus cibari, & delitiari posimus. Et quod per arbores plantatas in paradiso uoluptatis, & homini in cibum dicatas antequam expulsionem, & diluuium pateretur, dictũ est, nunc per cibaria omnigena innuitur: Quibus cibis etiam cælestis hospes sese cibandum promittit, dum aperta uoce nobiscum cœnaturus intrare testatur. Nec prætereundum censeo id, quod dicitur, arcam, scilicet bitumine linitam intrinsecus, & extrinsecus, ne uidelicet ex rimis aliquibus, uel modicis exeat uentorum flatus: paßionum uidelicet, & affectuum malè frenatorum: aut fluctus tentationũ introëant: Sunt tamen in arca humana foramina, atque porositates, quas sagaciβimus artifex ad naturæ expurgamẽta, & ad alia necessaria disposuit.

Neote. — CHRISTVS. — Idem — Hieru.

Cur animalia immunda bina ex utroque sexu, munda autem septena in arcam dicantur introducta. Cap. XVI.



Qvare immunda animalia binario numero deduci iubeantur ad arcam, quamuis (ut Origines ait) difficile sit exarare, tamen (Si quid in his difficillimis ausim dicere) hoc esse existimo: quia ex cõcupiscentia, & ira omnis immundus affectus trahit originẽ: Ideo irascibilem partem (inquit Alcinous) constituerunt Dei ministri in corde, concupiscibilem in loco, qui est inter umbilicum, & renes, eam illic uincientes tanquam syluestrem belluam uinctam catena argentea: ut illa liberum arbitrium, quod & ipsum in corde est, moderetur: & ad libitum dirigat: hancque uinctã & incarceratam habeat: ut nihil poßit, nisi quantum uerus Noë permiserit. Et nisi his frenis moderaremur impetus utriusque belluæ, rapidè secum ferrent omnia in præceps. Et bene immundi affectus per binarium designantur: qui numerus (ut Hieronymus contra Iouinianum disserens ait) infaustus est, & malus,

Orige. — Alcinous — Hieroni.

& ad materiam pertinens, quæ est omnium malorum fons, & origo. Ideo secunda die, nō absque causa, silentio prætergressum est illud delectabile uerbum: Et uidit Deus quòd bonum. Hinc quoque masculus & fœmina dicuntur introducti, quia in utroque homine uigent immundæ uires, quibus propagātur omnia: sed in inferiori homine illæ ex materiali natura infectæ dicuntur, in superiori uerò per commixtionem cum illo. Benignè autem nimis egit nobiscum artifex inserendo in nobis affectus immundos, & mundandos binos: mundos autem septenos: tum quia plures, tum quia continentur numero celeberrimo: qui totum, &

Augusti. uniuersum innuit (inquit August.) quia ex toto impari scilicet ternario, & ex toto, & primo pari, quaternario uidelicet cōponitur, aut ex primo numero masculino, & ex primo fœminino: qui complicati duodenariū reddūt, numerum quip-

Procul. pe diuinum, atque cœlestem, ait Proculus: quo cœlorum signa, intelligētiæ præsidentes, reuolutio magni nominis, multaque alia (ut statim dicemus) partiuntur. Partes autem illæ sicut complicatæ reddunt duodecim, sic combinatæ constituunt septem, numerum quidem quo expurgationes distribuuntur: ut non sine mysterio prisci illi patres in peccatorum expurgationem multa per hunc septenarium statuerint, septennem uidelicet pœnitentiam pro quolibet peccato, iu-

Salomon xta sapientis sententiam, qua dicitur: Et super peccatorem septuplum. Leprosus quoq; mūdandus passeris sanguine aspergebatur septies: Iuxta quod Naaman Syrus septies lauari in Iordane, qui fluuius iudicij interpretatur, iussus

Eliseo fuit ab Eliseo. Septimo quoque anno fiebant remissiones, & septimo mense cuiuslibet anni, ut Hebræorum theologia docet: Et post quadratum septenariū

Leuiti. dabatur plena remissio, ut in Leuitico legimus. Septem quoque petitionibus consummauit cœlestis Doctor orationem ordinatam in expiationem nostram:

Dauid Quo septenario purgantur etiam eloquia Domini (inquit Propheta) ueluti argentum à terra. Et si altius conscendere uoluerimus, fontemque, & originem remissionis perquirere, in septimo loco, aut in mansione summi archetypi eam reperiemus: ubi etiam per septenarium ipsum expurgati uerum sabbatum, quod in hoc septenario datur, læto animo celebrare possimus. Vndè & septem, & sabbati nomina apud Hebræos admodum conueniunt, imò penitus idem sunt. Merito igitur munda in nos introducenda distribuuntur septenario numero, quo typum gerimus septenarij excelsi. Vlterius progreditur Origenes assignando septem uires mundæ portionis in homine, quæ suo loco legenda relinquimus.

Quòd omnes quoque cœli in homine continentur. Cap. XVII.



Ostquā primam enneadē conclusam in homine demonstrauimus, secundā quoq; in eodē contineri nobis declarandū est, cœlos uidelicet, qui adeo cum homine cōueniunt, ut aliquādo homines cœ-

Dauid li nominentur, dicente Dauide: Cœli enarrant gloriam Dei: Quod quidē omnes de Apostolis, & prædicatoribus interpretandū autumāt:

Nam si uera est Ptolemæi doctrina, quòd aspectus huius terrestris mundi cœle- David Ptolem.
stibus uultibus subiiciantur, ut sit Scorpio terrestris sub scorpione cœlesti: & taurus, aut aries hic degens sub cœlestibus imaginibus: multomagis homo, qui est totus mundus, conuenit cum omnibus cœlorum aspectibus: adeo, ut omnes ipsorum cœlorum, & intelligentiarum eis præsidentium uires suscipiat, & cõtineat. Vndè Trismegistus ait: Cumque homo in se omnium potestatem contineret, opi- Trism.
ficia septem gubernatorum animaduertit: Ii autem humanæ mentis meditatione gaudentes, singuli eorum proprij ordinis participẽ hominem reddidere: Sed altius loquitur, quàm in corticè literæ uideatur. Quomodo autem ab ipsis planetis hauriat homo, docet Plato, Plotinus, cæteríque Academici. Recipit (in- Plato. Plotin.
quiunt) anima in descensu à Saturno ratiocinationem, intelligentiam, & specu- Academ.
latiuam uim: à Ioue uires agendi, & practicam: à Marte irascibilẽ, & animositatis ardorem: A Sole imaginationem sciendi, & opinandi naturam: A Venere concupiscibilem, & desyderij motum: A Mercurio interpretandi, pronuntiandi, penetrandíque uigorem: A Luna undè plantare, generare, & augerè poßit. Corpus autem ipsum tractabilè ex elementis, & inferiori enneade confectum, & eidem simile declarauimus. Et ut ab uniuerso accipiat, & totum quoddam conficiatur, etiam à supremo septenario (ut Mercurius innuit) imò à tota ar- Mercu.
chetypo haurit ea, quæ saltem pro parte suo loco (Deo fauente) declarabimus. Nunc autem prosequamur ea, in quibus cum signis duodenis conuenit: & omissis multis, quibus quamplurimi uolumina compleuere, adducam tantũmodo, quæ Manilius Mathematicus insignis decantat dicens. Manilius

Accipe diuersas hominis per sydera partes:
Singuláque in propriis patentia signa figuris:
In queis præcipuas toto de corpore uires
Exercent: Aries caput est ante omnia princeps.
Sortitur censusque sui pulcherrima colla
Taurus: & in Geminis æquali brachia sorte
Scribuntur connexa humeris: pectusque locatum
Sub Cancro est: laterum regnum, scapulæque Leoni:
Virginis in propriam descendunt ilia sortem:
Libra regit clunes: Et Scorpius inguine gaudet:
Centauro femora accedunt: Capricornus utrisque
In genibus: Piscesque pedum sibi iura poposcit.

Nec credantur hæc poëticè tantmodo decantata: Nam Chirurgici expertißimi clara comprobarunt experientia incisiones multis nocuisse, etiã usque ad mortem: quando uidelicet ferrum applicatum fuerit membro subiecto, aut correspõdenti signo, per quod tunc Luna decurrit: Quod aduertentibus minimè contingit. Inde quoque comprobatur conuenientia cœlestis, & humani corporis, quia triplicitas manifestè correspondens in hoc, sicut in illo experientia clara conii-

xitur, quando ex frigore pedum dolet uenter, & pectus, quæ respondent eidem triplicitati: undè & medela uni apposita alteri medetur: Nam calefactis pedibus cessat dolor uentris: & huiusmodi multa sunt, quæ alios aspectus triquetros, quadratos, & sextiles, & omnem cœlorum uim comprobant esse in corpore humano, sicut & in cœlesti: Quod non latebat illum Termaximum, qui cũ Tatio filio disserens ait: Tabernaculum istud ô filij est zodiaco constitutum: qui ex duodenario numero constat: Et ne dum planetæ & signa: quæ sunt in octauo cœlo, sed etiam primi mobilis, & empyrei uirtus in homine continetur. Nunc autem prosequamur de imaginibus octaui cœli, & nono correspondentibus.

Mercu.

Vndè unumquodq; signorum zodiaci habeat denominationem, & quid agant illa animalia, à quibus denominantur, cum Sole. Cap. XVIII.

Macro.



Harum denominationum rationes Macrobius ex fontibus Academicis, uel leuiter tetigit: quibus addemus ea. quæ ex melioribus riuulis hausta sunt. Primum itaque signum Aries dicitur: quod animal sex menses hybernales sinistro incumbit lateri: sed ab æquinoctio uerno super dextro: Sic & Sol eodem tempore dextrum Hemisphærium, reliquo ambit sinistrum. Est insuper aries caput, & dux ouium, & signum illud ab eo denominatum caput signorum est, & dux mensium anni. Vndè Astronomi ab introitu solis in primam partem Arietis, totius anni euentus prognosticantur. Ab eodem quoque uaticinantur philosophantes rurales, qui (ut refert Isahac) si uiderint arietes seniores magis procliuos ad coitũ, quàm iuuenes sta tuto tempore: inde arguunt fœlix, faustumq́ue anni curriculum, & optimam tẽperiem. Succedit Taurus, quem ad Solem referri multiplici ratione Aegyptius cultus ostendit, uel quia apud Heliopolim Taurum Soli consecratum (quem neritem cognominant) maximè colunt: uel quia bos apis in ciuitate Memphi Solis instar excipitur: uel quia in oppido Herminti magnifico Apollinis templo consecratum Soli colunt taurum, Pachim eundem cognominantes, insignem miraculis naturæ Solis conuenientibus: Nam & per singulas horas colores mutasse asseritur, & hirsutus setis dicitur in aduersum nascẽtibus contra omniũ animalium naturam: undè habetur ueluti imago solis in aduersam mundi partem nitẽtis. Sed cum hæc sapiant fabellas satis meracissimas, aliæ rationes quærendæ sunt: Est enim taurus armentorum rex, sicut aries pecorum, leo ferarum, & homo omnium creaturarum rationabilium: quorum imagines Sol planetarum rex pro suis domiciliis uendicat: Et ab Ariete, cuius uirtus est in capite, ad Taurum uim in collo potissimè continentem ascendit: & ex rege pecorum ad regem armentorum, & hinc ad regem ratione utentium pergit: Et hinc Geminos uocant alternis mortibus semper succedentes, ut finxit antiquitas de Castore & Polluce: Nã homo prosequatur uita aut succedat mors, semper uiuit in potiori parte, quæ in æternũ permanet, pecudum animis in nihilum resolutis: Viuit etiã hac mortali uita ipse homo perpetua indiuiduorum uicissitudine. Geminorum

Astron.

insuper dicitur signum, aut quia, illuc cum applicauerit, Sol uires geminat: aut quia tunc geminat iter descẽdẽdo, sicut ascẽderat. Sequitur ergo Cãcer animal quidẽ retrocedens, quia Sol cũ ad eius primũ limen aduenerit, ad ima retrocedere incipit. Est etiã Cãcer super omnia animalia lunaris, merito Lunæ domicilium: Et hoc tanquã pectus cœli, Gemini autẽ brachia. Succedit Leo tanquam scapulæ, & latera eiusdem cœli, in quo signo, tanquã in proprio domicilio, & imagine sibi potissimè dicata feruet Sol super omnia tempora, licet eius radij magis flectantur, quàm dum per Cancrum, & Geminos pergeret: Nam inde uires suscipit, tanquã à loco à Leone inter solaria animalia præcipuo denominato: Hic enim ex substantia solis naturam deducere uidetur: undè ex caloris intemperie sæpius languet, sicut & corpora nostra, quando Sol est in eodem signo: Ideo tunc Physici Pharmaca, flebotomiam, & sanguinis diminutionem uetant, nisi quatenus cogit necessitas. Succedens signum Virgo iure uocatur: quia tunc Sol, à quo signorum præcipua denominatio fit, omnem uirtutem producendi amittere uidetur: & ad sterilitatem quandam deuenire: quia illac commeante, iam segetes, uinum, & fructus terræ maturi, & parti terræ fœturam claudere uidentur. Quod postea subsequitur signum, Libra merito dicitur: quia tunc diuidi libra, aut mensura fructus collecti incipiunt: Partiturque Solaris cursus in portiones æquales diurnam & nocturnam: Statera quoque librari uidetur tempus maxima gaudens tẽperie inter calorem, frigusque medium. Huic adiicitur Scorpio, uenenosum animal, eo cæteris importunior, quo grauiori supplicio afficit: In cauda uirus habet: ferit semper obliquo ictu: Et id mirandum uidetur, quòd nunquam ei deest uenenum, medio die potissimè, quãdo ardoribus feruet Sol, cũ tamen Phœbus medicus sit omnibus medelam afferens: Quod tamen sane inspicientibus absonum minimè uideri debet, cum omnia quanto perniciosius uenenũ habent, tanto & efficacius antidotum: Viperæ enim aut tiri caro, ex qua tiriaca conficitur, remedium uirulentis præbet: cum tamen ipsa sanie uenenosa ebulliat: Itidem efficit caro ipsius scorpionis etiam ab eodem uenenatis: Sic undecũque prouenit unum extremum, & aliud inde procedit: Nam & ipse Deus summè bonus hæc de seipso testimonia profert: Ego percutiam, & sanabo: occidã, & uiuere faciam. Et de Sole diximus, quòd aliquando sit discerpens Dionysius, & aliquando Phœbus reuniens: Nec mirum igitur si pro domicilio suo aliquando scorpionem asciscit. Hic forsitan ad illum scorpionem alluditur, de quo in Iosube, & in numerorũ uolumine legimus: Terminus Iebuda erit ab extremo maris salsi, à sinu, qui respicit ad meridiem, & egreditur de meridie ad ascensum scorpionis, uel scorpionum, ut Hebraica ueritas habet: Quæ altius conscendunt, quàm præ se ferat in cortice litera: Est enim Scorpius terreus, cœlestis, & supercœlestis, à quo sol aliquam suscipit uim. Sunt etiã in inferiori cratere scorpiones, de quibus summa Veritas ait: Ecce dedi uobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem uirtutem inimici: Nec enim de signo

Deuter.

Iosuhe Nume.

CHRISTVS.

cœlesti, aut paruulo animali, quod quilibet facilè comprimere potest tantummodo loquebatur. Adiungitur Sagittarius, *ubi existens* Sol *hyeme grandinũ, & imbrium in nos sagittas dirigit. Monstrum quoque dicitur in posteriori parte degenerans, quia sol istuc pergens luce, influxu, & effectu degenerare uidetur.* Capricornus *sequitur, quem* Hebræi *expresso uocabulo* גדי *id est gedi nominant, quod nos bædum possumus interpretari, qui est animal: semper ad alta tendẽs, dum pascitur, domus quippe soli conueniens, dũ ascendere incipit. Illuc enim intrãs iter cõuertit ex descẽsu in ascẽsum, Ideoq; tropicus dicitur locus ille* ἀπὸ τῆς τροπῆς *quod est conuersio:* Inde ad Aquariũ *pergit, quod* Hebraicè דלי*, id est deli dicitur: & hoc situla, uel uas bauriẽs interpretatur. Aptißimè quidẽ tũc in bauriente uase contineri dicitur, quando terra, & inferiora omnia incipiunt à cœlestibus baurire uim iam cõtractam, sicut cœli à supramundanis fontibus. Postremo sunt* Pisces*, in quos terminatur zodiacus, quos etiam consecrauit* Sol*, ut nõ tantũ aëreis, terrenisque animalibus uitã præbere dignoscatur, sed illis quoque, quorũ conuersatio in aquis est mersa:* Tanta *est enim uis* Solis*: ut abstrusa quæque penetrando uiuificet usque ad infima terræ.* Fœlici *quippe homine terminatur solis cursus in pisces, quos humani generis redemptor, & uerus mundi* Sol *comedit perfecto uitæ curriculo, & transmutatus in meliorem sortem.* Eadem *quoque serie* Deifica *uita, & influxus per* Solem *significatus descendit in*

Psalm. *hominem à capite incipiens usque ad pedes, & fimbrias: ut* Psalmographus *sub alio typo decantat dicens:* Sicut *unguentum in capite, quod descendit in barbã, barbam* Aaron*, quod descendit in oram uestimenti eius.* Incipit *igitur à capite, uel ab* Ariete*, transit per* Taurum*, quia per colli uirtutem diffunditur ad brachia, & geminas partes duplicium uirtutum, & operationum. & trãsmeat per* Cancreum *pectus, & uirilem,* Leoninamque *uim scapularum & laterum:* Ad *ilia autem ueniens steriles reddit fontes illos à carnis operibus:* Si *tamen id naturæ conseruatio exigit, uoluptatẽ saltẽ libra subsequẽti moderatur, & superioris* Scorpionis *influxu coërcet huius scorpionis extremũ morsum caudæ, id est nouißimæ excælsa præponẽdo, quibus nouißima uolupattis mortificet.* Ferit *in-*

Iob *super lumbos, & carnis fomenta per arcitenentis sagittas:* De *quibus in* Iob *dicitur:* Sagittæ Domini *militant contra me.* In *parte enim superiori fauentes uirtutes, & in interiori coërcentes exquiruntur:* Tandem *uis illa cœlestis per*

CHRISTVS. Capricornũ *genua flectit: undè iterum ascendere incipiat, iuxta* Imperatoris *edictum:* Qui *se humiliat, exaltabitur:* Crura *quoque confouens, per haustus rerum supernarum ad currendum in uiam mandatorum* Dei. Virtus *autem pisciũ perambulantium semitas maris ducit pedes nostros per hos mundanos latices ad mare illud excelsum, & aquas quæ super cœlos existentes continuè laudãt Do-*

Idem *minum: & quæ producunt ueros pisces, quibus pascamur cum* Christo *completo curriculo uolubilis uitæ huius.* Hinc *nõ sine mysterio dicũt secretiores* Theologi*, quòd* Deus *in conuiuio iustorum parat auem, taurũ, & piscem, duo illa iu-*

xta illud Euangelicum: Tauros meos paraui, & altilia mea occisa sunt: Piscem uerò tanquam nouissimum ferculum, in quod pedes affectuum nostrorum semper tendere debent.

Cur illa signa, & praecipui articuli in homine sint duodenario numero distributi. Cap. XIX.



IN archiuis sapientum binos comperimus progessus rerum, Alterum quippe per ternarium à supremis infima petentem, Alterum uerò per quaternarium ab inferioribus conscendentem ad superna: & illum à diuinis ad deteriora secutus est Plato: hunc uerò ab infimis ad superna prosequens Aristoteles tantum procedit, quantum ex his per suos sensus poterat manu duci. Quaternarius igitur est elementaris numerus, & etiam mysterio magno diuinus reperitur pro rei condecentia: ut Orpheus & ante eum sapientiores dixere: Et hic parit omnium infatigabilem (ut prosequitur idem Orpheus) impermutabilemque numerum denarium, ultra quem non datur numerus. Quaternarius autem ipse per ternarium complicatus numerum conducit duodenarium primum crescentem, & magis cœlestem, & diuinum, quàm terrestrem: Vndè crescentia omnia, & diuina quamplurima ipso distribuuntur. Est etiam hic numerus compositus ex duobus primo perfectis, senariis uidelicet: & est primus crescens, & hoc in sexdecim abundans per quatuor, undè illa excrescentia fœlix est, quia fit per quadratum æqui laterum, & parentem denarij: Ideo merito Plato in Phædone, & plærisque in locis hunc numerum ueneratur, & ipso supernum mundum partitur duodecim faciebus, totidemque coloribus, perfectiori tamen nota: Nam lapides, fructus, arbores, flores, & huiusmodi in superna regione reperiri asserit tanta perfectione, quòd ad nostram notitiam hucúsque nec deuenere, nec illa eadem imaginari possumus: Hæc enim ab eis susceperant, qui diuinis oraculis edocti fuere: Quibus etiam instructus Ioannes, in calce suæ Pathmoticæ uisionis ab arbore uitæ per singulos menses duodecim fructus produci enarrat: Ciuitatem quoque illam supernam constructam describit duodecim fundamentis ex lapidibus ptiosis cũ duodecim nominibus Apostolorũ, duodecimq; distinctã portis, quibus totidẽ angeli præsidebant: & in ipsis inscripta meminit duodecim tribuũ nomina. Insuper ex omni latere eius, mẽsuram duodecim millibus stadiorũ consummat, ut uates Ezechiel antea fecerat. Hos itaq; secutus Plato, ut Rẽpu. suã cœlesti cõformaret: ciuitatem, & agros in suo de legibus hoc numero disponit, & in libro de Repu. duodenariũ solidat, in corpusq; reducit, uidelicet 1728, ad quẽ cũ deuenerit Resp. aut dominiũ, disciplina si uigeat, suũ (ut asserit) finem cõsequitur: & si ulterius pgreditur, sensim in peius fatali lege decurrit, id maximè degenerante disciplina: Et idem huius numeri solidũ Reip. terminum fore existimauit, cum sit crescens primus, & ultra solidum nõ detur progressus: tũ

Plato. Aristote. Orph. Plato. Ioan.

quia haurit totum cœlestem influxum: Per millenarium enim qui est solidus denarij, stelliferi cœli denotatur influxus multiplex millenarius pro numero stellarum ibidem residentium. In septingentis autem septem planetarum uires, & per uiginti octo Lunæ fauor designatur: Eius enim motus distans à cursu aliorum siderum erraticorum, quasi solitarius habetur, reuolutionem complens uigesimo octauo die, quo redit ad idem punctum Zodiaci: sed uigesimo nono ad so-

Plato. lem, quo tempore ipse processit gradu ferè uno. Plato igitur hunc numerum celebrat Mercurium æmulatus, & ambo Mosem, & Deificos uates, imò ipsum Deum: qui elegit duodenam familiam illam Israëliticam, quam semper sic partitam stare iussit, & eidem præfici duodecim principes: & totidem lapides locari in fundo Iordanis, dum per ipsum ad terram promissionis transmearent: & in pectore summi sacerdotis eodem numero lapides figi præcepit. Duodecim insuper panes facierum, pro quo nos habemus panes propositionis, in arca collocantur: & totidem lapidibus altare construitur. Quo etiam numero mare

Salomon æneum à Salomone fabricatum pro offerendorum lauacro, boues sustinebant. Mari quoque rubro transacto, illi electæ familiæ duodecim fontes in helim parati fuere: & ad explorandam promissam terram duodecim exploratores missi sunt. Ad cuius numeri metam Christus Dei sapiẽtia Apostolicam familiam secernit, quos & duodenis tribubus præficit: Et illarum consignati, & electi præcipui à Ioanne per duodena millia enumerantur: Cuius etiam populi Reginam stellis duodenis coronatam describit: Excrescentibus panibus cophynis duodenis fragmenta colliguntur. Diem insuper per bis duodenas horas partiuntur, & Luna quotidie gradus duodecim percurrit: & Iuppiter omnia æquans duodenis annis cursum proprium perficit. Hinc non absque causa Timæus Lo-

Tim.lo. crus totum mundum duodenis faciebus describit. Et si ad inferiora descendamus, crescentia multa hoc numero progrediuntur. Lepus, & cuniculus fœcundissimi duodecies in anno generant. Camela duodecim mensibus fœtum gerit.

Plato Pauo duodecim oua ponit. Quadrat ulterius Plato millenarium, & solidat centenarios in decies centena millia, ut etiam superna, & ministrantes, & assistentes intelligentias, iuxta Danielis uaticinium, cõnumeret. Quarũ præcipui principes per duodenarium complicatum ex eius medietate, senario uidelicet distribuuntur in septuaginta duos: Quo numero & seniores in figuratiuo populo, & discipuli in uero, iuxta idiomatum numerum præferuntur: Quibus idiomati-

Sapien. bus (ut ab antiquis sapientibus discere possumus) totidem angelici principes

Hiero. præferuntur: Quæ ab Hieronymo super illud psalmi, circumamicta uarietate, aliqualiter pertractantur. Sed assignando cuilibet suum senarium, non

Procul. sine mysterio duodecim principes potiores restant: Ideo Proculus hunc numerũ Dijs, generibusque his, quæ ab eis procedunt, consecratum asserit. Hinc cœlum diuinitatis sedes in duodecim signa partitur, quibus præsident duodecim angeli præcipui suffulti duodenis irrigationibus magni nominis Dei:

Quod poëtæ uelut simiæ imitantes duodecim adinuenere numina, quæ signis illis præferrent: Palladem Arieti, & consequenter humano capiti: Venerem Tauro, ceruici, & collo: Phœbum particularem Geminis, & brachiis: Mercurium Cancro, & pectori: Iouem particularem Leoni, humeris, aut scapulis: Cererem Virgini, & iliis: Vulcanum Libræ, & uatibus: Martem Scorpioni, & pudendis: Dianam Sagittario, & femori: Vestam Capricorno, & genibus: Iunonem Aquario, simul & cruribus: Neptunum uerò Piscibus, atque pedibus: Vndè Manilius decantat. Poëtæ Mani.

Lanigerum Pallas, Taurum cytheræa tuetur,
Famosos Phœbus Geminos, Cyllenius Cancrum,
Iuppiter & cum matre Deûm regit ipse Leonem:
Spiciferæ est Virgo Cereris, fabricatáq; Libra
Vulcano, pugnans Mauorti Scorpius hæret:
Venantemque Diana uirum, sed partis equinæ
Atque angusta fouet, Capricorni sydera Vestæ
Et Iouis aduersum, Iunonis Aquarius signum est:
Agnoscitque suos Neptunus in æquore Pisces.

Quorum numinum non sine causa aliqua masculina, & aliqua fœminina assignantur, ut innuatur utráque uis à supernis descendere. Illud quoque obseruandum censeo, quòd cœlum sedem diuinorũ, & ultimum corporalium duodenarius partitur numerus: qui ex quaternario elementari, & ternario diuino deductus resultat, ac quasi uinculum existens corporea cũ diuinis cõnectit. Cõtinet insuper hic numerus (ut Pythagorei dicũt) perfectã harmoniã diapasonicam in partibus, ex quibus componitur, 7, uidelicet & 5. Quorum, 7, cõtinet sesquitertiã proportionem ex 4. ad 3. & 5. sesqualteram ex. 3. ad 2. ex quibus proportionibus resultat diapason: Cuius extrema quasi circulum quẽdam efficiunt ad eandem notam, sed altiorem, terminando extremum unum, à quo alterum incipit, ut circularis, cõueniat circulari cœlo, & harmonico. Vltra hæc quasi necessariò cœlũ eiusq; signa sunt duodenario numero distributa: ut in eo cõperirentur aspectus oppositi trini, quadrati, & sextiles, qui, nisi in duodenario, haberi minimè possunt: Ibidẽ insuper cõtinerẽtur elemẽta secũdũ principiũ, mediũ, & finẽ. Ad huius quoq; numeri metã dispositi sunt articuli in humano corpore correspõdentes duodecim signis (ut diximus) secũdum proprietatem figuratorũ, quæ in illis imaginibus repræsentantur. Aries, cuius robur est in capite, capiti meritò correspondet: Taurus collo, & ceruici: & sic de reliquis. Sed hoc parum foret, nisi adesset homini etiam supernum robur multiplex, cui respondent humana membra: adeo ut inferiore moto, moueatur & superius, cui illud correspondet, sicut nerui in citharis bene chordatis. Et hoc innuit summa Veritas dum ait: Date, & dabitur uobis, tanquam si diceret, si manus uestra in pietatem proximi moueatur, extendetur quoque diuina multo plura uobis impartiens. Et huiusmodi Pythag. CHRISTVS.

multa prosequi possemus: sed illa relinquimus suo loco latius declaranda.

Correspondentia qualitatum cum planetis, & octauo cœlo. Cap. X X.



Xtant in humano corpore qualitates, & complexiones suam habentes consonantiam cum planetis, & stellifero cœlo: Eam enim, quam hoc habet cum eis manifestam, in suis triplicitatibus postponentes, ad eam ueniamus, quam Saturnus habet conuenientiã cũ atra bili: ut ij, in quibus hæc præualet, Saturnij dicantur, motumque, & influxum eius adeo consequentes, ut omnibus eorum operationibus Saturnus interesse uideatur: Et ab eodem attracti ui quadam consonanti semper in Saturniis rebus delectentur, solitudine, contemplatione, profunda imaginatione, appetitu congregandi ex timore illato à terra frigida, siccáque natura, & in huiusmodi Saturni decretis. Iuppiter autem cum sanguine suum habet concentum, & cum aëre humido, atque calido, & consequenter cum uita, quæ potissimè in huiusmodi residet: Qui & concinna sua dilatatione æquante ui suos phaëthonteos tractabiles, & benignos reddit, & ad opus facillimos, sicut Saturnus constipans ad quietem, & concentricam delectationem inuitat: ex ui tamen bene compaginante, robore, & fortitudine munit. Mars igneus totus, cum bili, & omnibus igneis symbolum habens ad omnes igneos impetus suos mauortios, tam ciuiles, quàm spirituales impellit: hos quidem ad feruidum amorem, illos autem ad bella, & inuasiones. Sol etiam cum rubea cholera, & igneis cõtemperamẽtis cõueniẽs phœbæos suos ab illustriora opera, & satis contẽperata deducit. Venus cum aëreo calore, & bullienti cholera, uel saltem excitata, & aqueis rarioribus, quæ quasi aëream naturam sapiunt, conueniens, ad mollia quæque scalpenti quadam ui trahit: & ad uoluptatem circunferentias uersus fluentem allicit: nisi eius influxus cõtinua propinquitate Solis corroboretur: & in humano mundo rationis freno coërceatur: Est enim ipsa ueluti aurora, in qua pro maiori anni spatio dominatur humida atque lasciua, rorem demittẽs, somnum prouocans, artus dissoluens: sed consota uigore succedentis, aut sociantis Solis faciles effluxus aliquantulum comprimit. Mercurius cum subtiliori, & acutiori spiritu conuentum habens penetrat: & ad quodcunque opus peragendum promptum, facilemque constituit nullum suaptè natura habens determinatum opus: sed huc, illucque uagans in penetralia omnia sua acutie sese recipit: Sed effectus eius non minori difficultate dignoscitur, quàm eius aspectus corporeis oculis uideatur. Luna & si aquarum ductrix habeatur, non tamen aquea tantummodo, sed omnia, quæ superiora influunt in inferioribus, explicat.

Quòd intellectus conueniat cum orbe signorum. Cap. X X I.



Oncinere demonstrauimus stelliferum cœlum uariis pictum figuris cum Cherubinis, qui pulchræ figuræ interpretãtur: Nunc autem conuenire faciemus cum intellectu pleno imaginibus, & concepti-

bus rerum, quas intelligimus, plenóque ideis eorum, quæ facturi sumus. Et *ut do ceatur cœlum ipsum cuncta complecti nõ tantũ reuolutione, sed uirtute, sapientes partiti sunt illa signa in quatuor ternarios, iuxta quatuor elementa, & fundamenta omnium rerum, cuilibet ternario aßignantes principium, medium, & finem ipsius elementi ipsi conuenientis:* Vndè *generationes, status, & resolutiones rerũ omniũ conficiuntur:* Principiũ *enim ignis* Arieti *dederunt, augmẽtũ, uel progressum* Leoni, *finẽ uerò* Sagittario: Terræ *autẽ principiũ* Tauro, *progressum* Virgini, *& extremum* Capricono: Aëris *principiũ* Geminis, *processum* Libræ, *terminũ uerò* Aquario: Sed *aquæ principium* Cãcer *poßidet, mediũ* Scorpio, *finem autẽ* Pisces. Sic *intellectus apprehendit principiũ, progressum, finemque rerũ omniũ ex ipsis elemẽtis productarũ, & producẽdarum, ultra quæ nihil reperitur, quod intelligi poßit: quia extra ipsa nihil est.* Et *sicut in intellectu opificis diuini uel humani omnia ab eo facienda concipiuntur, sic omnium rerũ fœtura in cœlo cõcipitur: explicatur autẽ, & producitur per planetas, sicut per uires inferiores ad effectum conducuntur ea, quæ noster concipit intellectus: qui potißimè residet in cerebro, & hoc in craneo pleno innumerabilibus capillis:* Sic *uirtus illa gignendi est (ut dicunt* Theologi Hebræorum *) in sacro* Dei *nomine diffuso per cœlum, & replẽte ipsum tãquam craneum, & testam quãdam plenam innumerabilibus stellis:* Numerus *tamen cognitus est illi, qui numerat multitudinem stellarum, sicut & capillos capitis, ut ait* Veritas *summa:* CHRISTVS.
Capilli *capitis uestri omnes numerati sunt:* Non *utique illi, qui abcißi pessundantur (inquit* Origenes *) sed illi, qui erant in* Nazaræis Spiritu *sancto repletis: ut* Orige.
alios prosternerent: de quibus dicitur in Canticis: Comæ *capitis tui sicut purpura regis iuncta canalibus, illis uidelicet supernis, per quos fluunt omnes effusiones gratiarum, quibus excisis debilis homo à fœmina, id est parte sensitiua uincitur, ut de* Samsone *legimus:* Qui *capilli influxum, & uim suscipiunt à superno fonte, sicut & stellæ.* Sed *ad intellectum redeamus.* Componit *etenim cõceptus, & imagines, quas continet, & orationes, & sententias, quibus instruimur: & generatur scientia tota, sicut quando stellarum influxus componuntur cum uirtutibus planetarum, & elementis: quorum uis in cœlis continetur, interueniente potißimè magni nominis, aut ipsius opificis uirtute, producuntur diuersæ species, & particulares res, quarum nomina (ut aiunt) resultant secundum proprietatem influxuum, & influentium:* Quæ *cognoscens* Protoplastes *nomina rebus secundum earum quidditates imposuit:* Quò *forsitan tendit illud summæ* Veritatis: Nomina *uestra scripta sunt in cœlis.* Trifariam *enim* CHRISTVS.
partiuntur Hebræi *uiginti duas literas sui alphabeti: quarum tres tria elementa, septem totidem planetas, & duodecim duodena signa, tanquam characteres eorum significare asserunt:* Et *illas septem literas duplices uocant, tum quia bifariam pronunciantur, blæse, & acutè: tum quia planetas repræsentant, qui pro diuersitate signorum, in quibus reperiuntur, remittunt, &*

Cantica.

acuunt uim. Duodecim uerò simplices uocant, quia unico modo proferũtur semper, & quia signa repræsentant: quorum uirtus semper eodem modo se habet: Tres autem tribus elementis ascribunt, igni uidelicet, aquæ, & terræ: Aërem uerò non tanquam elementum, sed ueluti glutinum elementorum habẽt. Sicut igitur ex planetarum, & signorum aspectibus simul cum elementis conficiuntur omnia corpora, ita ex literis, & characteribus illas partes significantibus constituuntur nomina rerum ex ipsis compositarum: ut in libro de formatione, qui Abrahæ inscribitur, mysterio non mediocri innuitur: Quorum cõpositorum corporum spiritum, & animam per puncta, & accentus significari nonnulli asserunt.

Rapit primum mobile cum corde, aut libertate animi ibi residentis. Cap. XXII.



Est nonus circulus, quod primum mobilè dicitur, cœlorum dux, ui sua omnes cœlos rapiens secum conducit: & ipse à nullo inferiori circulo ducitur, sed à sola intelligentia ipsum mouente, uel à Deo iubente: In quem, tanquam in primum motorem, ne tota cœli harmonia confundatur, ducitur omnis motus, ut in calce organi sui probat Aristo. Sic in nostro hoc paruo mundo est uoluntas domina omnium aliarum uirium, & earum ductrix ad libitum: Cui merito regnum, & principatus debetur, quia semper ad bonum, tanquam in obiectum sibi adæquatum tendit: quãuis aliquãdo errore, aut ui animali impellente, malũ eligat credens, aut præfingẽs illud esse bonum: Et tunc non domina, sed serua miserrima efficitur, ut summa Veritas ait: Qui facit peccatum, seruus est peccati. Rectè igitur & in bonum tẽdens iure præfertur, sicut in Politiis, qui in melius, & magis bonũ respicit merito præponitur. Hæc autẽ uolũtas, aut synderesis cũ portione superiori iuncta, ueluti mobile primũ, omnes inferiores uires secũ ducit ad uotũ: sed ipsa recta à nullo deducitur, nisi à summo mouente, uel ab eo influxu, quẽ gratiã, charitatem, uel amorem infusum dicũt theologi. De qua iterum summa Veritas: Nemo uenit ad me, nisi Pater meus traxerit eum: Et regius propheta, tunc currere dicit per uiã mandatorũ Dei, quãdo per amorẽ dilatatũ, & motum fuerat eius cor. Ad eius quoq; uolũtatis ordinatum motũ reliqui inferiorũ uiriũ progressus sequuntur, sicut orbiũ motus omnes ipsius primi mobilis gyro regulãtur. Nec quispiam dicat uolũtatẽ, tãquam cæcã ab intellectu deduci: quia nihil amare possumus, nisi præcognitum: in quod solũ fertur ipsa uoluntas, ut August. & Aristot. consentiunt: Nam sicut lux oculo uiam ostendit, ipsum tamẽ minimè ducit, sic intellectus demonstrat uolũtati semitas, non tamen per eas ipsam cõducit, sed restat suæ operationis domina. Sic quoque stelliferum cœlum primo mobili quodãmodo representat gradus, & nomina rerũ ꝑ ipsum, & planetas producẽdarũ, & ad ea exequenda primũ mobile accẽditur: & uoluit omnia motu diurno. Est igitur in homine uolũtas, & cor (ut ait Aristot.) sicut prima intelligen-

Aristo.

CHRISTVS.

Theolo.
CHRISTVS.
Dauid

August.
Aristote.

Idem

tia in orbe, primo uidelicet, ipsiusque primæ sphæræ simulacbrum babēs gyrat, & trabit omnia, sicut primū mobilè cæteros orbes. Et sicuti peccatum in natura consequitur, quando inferiores causæ à prima discrepant, & inferiores orbes à primo mobili: Sic quādo mēbrorū, & inferiorū uirium lex mēti repugnās ducit bominē captiuū in legē peccati. Cedere itaq; debet omnis mēbrorū lex mētis dictamini, sicut oēs sphæræ cedūt primæ mouēti, & rapiēti eas oēs suo diurno motu. Et q̄uis unaquæq; inferiorū peragat cursum suum, multo tamē tardiores sunt in suis motibus q̄ prima, pulcberrimè nos instruētes uires inferiores, & si aliquid, secūdū quod est sibi propriū, operātur, tardū uel paucū illud opus esse respectu operis arbitrij bene regulati. Omniū autē motuum tardißimus est ille stelliferi cœli, quod in cētū annis mouetur gradu uno, ut Ptolemæo placet: qui est numerus quadratus denarij, qui cōficitur ex ꝑtibus quaternarij numeri elemētaris: Vndè innuitur ꝙ cœlū illud corpus repræsentat elemētare: & etiā quia integratur ex quadruplici genere signorū, ꝓ natura quatuor elemētorum, sicut & corpus ex eisdē cōponitur. Nec carpat me quispiā, quod paulo suꝑius conuenire fecerimus stellatū cœlū cū intellectu, nūc autē æquemus cū corpore: Nā serpēs nūc diaboli, nūc Cbristi typū tenet: & boc, dum ipsemet ait: Sicut Moses serpētem exaltauit in eremo, sic oportet exaltari Filiū bominis. Et planeta quilibet nūc alicui elemento, nunc alicui angelorū ordini aquiparatur. Huiusmodi quoque multa reperiuntur cum diuersis comparata ex symboleitate, quam diuersa nota res babent ad inuicē: Respectu enim superiorū mentiū cœlū illud se babet, ut corpus: & respectu rerum inferiorum producendarum similitudinē babet intellectus producētis ideas. Sic quoq; in coordinatione rerū à Porpby. & Arist. aßignata idem ad superius cōparatū babet rationē speciei, ad inferius uerò rationē generis. Est itaq; in proposito nostro motus primi mobilis, ueluti motus animi, & motus stelliferi cœli, corporei motus simulacbrum babens: sed planetarū reuolutiones motus uirium inter corpus, animumque existentium repræsentant. Sed si ista bæc cum infimis, & supremis æquare uoluerimus, est in cœlis feruidius omnium mobilè primū, In paruo mundo cor, & uoluntas, In angelico seraphinus ardens. Est iterum uis ignea in serapbinis inflammans, in primo mobili rapiens, in uoluntate & corde nostro feruēs uirtus: Ideo bæc babitat in corde calidißimo omnium membrorum, calore quippe & naturali & meliori: de quo Psalmograpbus ait: Cōcaluit cor meum intra me. Et iterum: Inflammatū est cor meum. Est quoque uis terrea in Cberubinis pulcberrima idearum figura, in stellifero cœlo splendida siderum pictura, in infimo uerò elemento ex uariis berbis, & floribus ornatus.

Ptolem. Porph. Aristo. Dauid

Quæ constipentur, & solidentur cum Saturno. Cap. XXIII.



Entētia Ptolemæi est explicata ab asseclis suis, planetas omnes ad bominem bunc fouendum destinatos, quorum quatuor ad cōseruandum indiuiduum, tres uerò ad opus conducendum: Quatuor sunt

Ptolem.

acuunt uim. Duodecim uerò simplices uocant, quia unico modo proferũtur semper, & quia signa repræsentant: quorum uirtus semper eodem modo se habet: Tres autem tribus elementis ascribunt, igni uidelicet, aquæ, & terræ: Aërem uerò non tanquam elementum, sed ueluti glutinum elementorum habẽt. Sicut igitur ex planetarum, & signorum aspectibus simul cum elementis conficiuntur omnia corpora, ita ex literis, & characteribus illas partes significantibus constituuntur nomina rerum ex ipsis compositarum: ut in libro de formatione, qui Abrahæ inscribitur, mysterio non mediocri innuitur: Quorum cõpositorum corporum spiritum, & animam per puncta, & accentus significari nomulli asserunt.

Rapit primum mobile cum corde, aut libertate animi ibi residentis. Cap. XXII.



Est nonus circulus, quod primum mobilè dicitur, cœlorum dux, ui sua omnes cœlos rapiens secum conducit: & ipse à nullo inferiori circulo ducitur, sed à sola intelligentia ipsum mouente, uel à Deo iubente: In quem, tanquam in primum motorem, ne tota cœli harmonia confundatur, ducitur omnis motus, ut in calce organi sui probat Aristo. Sic in nostro hoc paruo mundo est uoluntas domina omnium aliarum uirium, & earum ductrix ad libitum: Cui merito regnum, & principatus debetur, quia semper ad bonum, tanquam in obiectum sibi adæquatum tendit: quãuis aliquãdo errore, aut ui animali impellente, malũ eligat credens, aut præfingẽs illud esse bonum: Et tunc non domina, sed serua miserrima efficitur, ut summa Veritas ait: Qui facit peccatum, seruus est peccati. Rectè igitur & in bonum tẽdens iure præfertur, sicut in Politiis, qui in melius, & magis bonũ respicit merito præponitur. Hæc autẽ uolũtas, aut synderesis cũ portione superiori iuncta, ueluti mobile primũ, omnes inferiores uires secũ ducit ad uotũ: sed ipsa recta à nullo deducitur, nisi à summo mouente, uel ab eo influxu, quẽ gratiã, charitatem, uel amorem infusum dicũt theologi. De qua iterum summa Veritas: Nemo uenit ad me, nisi Pater meus traxerit eum: Et regius propheta, tunc currere dicit per uiã mandatorũ Dei, quãdo per amorẽ dilatatũ, & motum fuerat eius cor. Ad eius quoq; uolũtatis ordinatum motũ reliqui inferiorũ uiriũ progressus sequuntur, sicut orbiũ motus omnes ipsius primi mobilis gyro regulãtur. Nec quispiam dicat uolũtatẽ, tãquam cæcã ab intellectu deduci: quia nihil amare possumus, nisi præcognitum: in quod solũ fertur ipsa uoluntas, ut August. & Aristot. consentiunt: Nam sicut lux oculo uiam ostendit, ipsum tamẽ minimè ducit, sic intellectus demonstrat uolũtati semitas, non tamen per eas ipsam cõducit, sed restat suæ operationis domina. Sic quoque stelliferum cœlum primo mobili quodãmodo representat gradus, & nomina rerũ ꝑ ipsum, & planetas producẽ darũ, & ad ea exequenda primũ mobile accẽditur: & uoluit omnia motu diurno. Est igitur in homine uolũtas, & cor (ut ait Aristot.) sicut prima intelligen-

Aristo.
CHRISTVS.
Theolo.
CHRISTVS.
Dauid
August.
Aristote.
Idem

tia in orbe, primo uidelicet, ipsiusque primæ sphæræ simulacrum habẽs gyrat, & trahit omnia, sicut primũ mobilè cæteros orbes. Et sicuti peccatum in natura consequitur, quando inferiores causæ à prima discrepant, & inferiores orbes à primo mobili: Sic quãdo mẽbrorũ, & inferiorũ uirium lex mẽti repugnãs ducit hominẽ captiuũ in legẽ peccati. Cedere itaq; debet omnis mẽbrorũ lex mẽtis dictamini, sicut oẽs sphæræ cedũt primæ mouẽti, & rapiẽti eas oẽs suo diurno motu. Et q̃uis unaquæq; inferiorũ peragat cursum suum, multo tamẽ tardiores sunt in suis motibus q̃ prima, pulcherrimè nos instruẽtes uires inferiores, & si aliquid, secũdũ quod est sibi propriũ, operãtur, tardũ uel paucũ illud opus esse respectu operis arbitrij bene regulati. Omniũ autẽ motuum tardissimus est ille stelliferi cœli, quod in cẽtũ annis mouetur gradu uno, ut Ptolemæo placet: qui est numerus quadratus denarij, qui cõficitur ex ꝑtibus quaternarij numeri elemẽtaris: Vndè innuitur ꝙ cœlũ illud corpus repræsentat elemẽtare: & etiã quia integratur ex quadruplici genere signorũ, ꝓ natura quatuor elemẽtorum, sicut & corpus ex eisdẽ cõponitur. Nec carpat me quispiã, quod paulo supius cõuenire fecerimus stellatũ cœlũ cũ intellectu, nũc autẽ æquemus cũ corpore: Nã serpẽs nũc diaboli, nũc Christi typũ tenet: & hoc, dum ipsemet ait: Sicut Moses serpẽtem exaltauit in eremo, sic oportet exaltari Filiũ hominis. Et planeta quilibet nũc alicui elemento, nunc alicui angelorũ ordini aquiparatur. Huiusmodi quoque multa reperiuntur cum diuersis comparata ex symboleitate, quam diuersa nota res habent ad inuicẽ: Respectu enim superiorũ mentiũ cœlũ illud se habet, ut corpus: & respectu rerum inferiorum producendarum similitudinẽ habet intellectus producẽtis ideas. Sic quoq; in coordinatione rerũ à Porphy. & Arist. assignata idem ad superius cõparatũ habet rationẽ speciei, ad inferius uerò rationẽ generis. Est itaq; in proposito nostro motus primi mobilis, ueluti motus animi, & motus stelliferi cœli, corporei motus simulachrum habens: sed planetarũ reuolutiones motus uirium inter corpus, animumque existentium repræsentant. Sed si ista hæc cum infimis, & supremis æquare uoluerimus, est in cœlis feruidius omnium mobilè primũ, In paruo mundo cor, & uoluntas, In angelico seraphinus ardens. Est iterum uis ignea in seraphinis inflammans, in primo mobili rapiens, in uoluntate & corde nostro feruẽs uirtus: Ideo hæc habitat in corde calidissimo omnium membrorum, calore quippe & naturali & meliori: de quo Psalmographus ait: Cõcaluit cor meum intra me. Et iterum: Inflammatũ est cor meum. Est quoque uis terrea in Cherubinis pulcherrima idearum figura, in stellifero cœlo splendida siderum pictura, in infimo uerò elemento ex uariis herbis, & floribus ornatus.

Ptolem. Porph. Aristo. Dauid

Quæ constipentur, & solidentur cum Saturno. Cap. XXIII.


Entẽtia Ptolemæi est explicata ab asseclis suis, planetas omnes ad hominem hunc fouendum destinatos, quorum quatuor ad cõseruandum indiuiduum, tres uerò ad opus conducendum: Quatuor sunt

Ptolem.

Idem Luna, Sol, Iuppiter, & Saturnus: Sol autem, ut idem dicit ad uerbum, est origo uirtutis uitalis, quæ est in corde: Iuppiter respicit uirtutem naturalem in hepate: Saturnus uim receptiuam: & Luna crescentem, & decrescentem uigorem: Sed tres alij ad mores & operationes exquiruntur: Phātastica enim uis, & penetratiua in rebus faciendis à Mercurio expetenda est: Appetitus, concupiscentia, & delectatio, quæ opus perficit à Venere: Impulsus cum irascibili, & impetu, ut fortunatum sit opus, à Marte. Saturnus igitur uirtutem receptiuam regit, & inter intellectuales uires potissimè memoria receptiua est, adeo, ut à Ioanne Scoto & ab asseclis non connumeretur inter potentias actiuas: cum sit tantummodo (ut asserunt) uirtus suscipiens. Huic enim Saturnus præsidens reddit Saturnios suos bene memorantes, cum habeant uim illam aqueam adeo constipatā, ut diu conseruare possint susceptas imagines. Regit quoque aures (teste Alcabitio) super omnes sensus receptiuas: sed Firmicus ei potissimè ascribit dextram. Est insuper auditus omnium sensuum spiritualior, & consequenter instrumētū secretioris, & profundioris sapientiæ: ad quam Saturnus peculiari uirtute cōducit. Audiens (inquit scriptura) sapiens sapientior erit: uel adiiciet, ut accipiat: ut habet textus Hebræus. Et hoc est proprium Saturniorum, ut audiant, & cū silentio audita ruminantes ad secretiora penetralia ingrediantur: ubi diuturna, longaque rerum multarum consideratione, & experientia prudentes efficiātur, quod proprium est Saturni cœlestis, & supramundani, quem Hebræi בִּנָה bina dicunt, quod intelligentiam, uel prudētiam interpretantur. Cōueniūt quoq; cum ipso lien, stomachus, uesica, & matrix. Et bene splen ipsi dicatur, qui (teste Galeno & Auicena) est uas, & receptaculum superfluitatum terrestrium, & grossarum: quæ potissimè à Saturno reguntur. Est insuper (ut iidem testantur) rarus, mollis, & spongiæ similis: ut attrahat, & recipiat superfluitatem nigram: nutriturque sanguine subtili nigro: Quæ omnia ad ipsum Saturnum referūtur. Stomachus quoq; à Saturno conuenientissimè regitur, qui est ex sui natura uincentibus partibus neruosis frigidus, atque siccus: ideo attrahens humiditates, sicut terra, Saturnus, & Luna. Calefacit uerò, & digerit ex caliditate insita carni eius confota caliditate membrorum illi adiacentium, scilicet hepatis, cordis, splenis, fellis, & hymenæi, ut docet Auicena: ex qbus adminiculis calidior hepate redditur, quamuis contrarium sortitus sit à natura: quæ (teste Galeno) prope uentrem ipsius excalefactoria collocauit. Et sicut stomachus constipatus est ui Saturnia ad continēdum cibum, ita matrix ad continendum fœtum, & uterque neruosis partibus compaginatur. Si autem humores Saturnij nimium aucti ad distemperamentum deueniant, pariunt infirmitates chronicas ex humore melācholico grosso, & uiscoso phlegmate generatas, epilepsiam, apoplexiam, paralysim, apostemata dura, quæ sclirotica dicuntur, cancros, podagras, phthisim, hæmorrhoides ani, & uuluæ, ragadias, fistulas, ulcera occulta, chronicos defluxus uentris, ictheritiam nigram, elephantiam, quartanam febrem, & huiusmodi.

Scoto

Alcabi.
Iul Fir.

Hebræi

Galen.
Auicena

Idem.
Galeno

morbos, qui cum difficultate curantur: & corpus exterminant. Et si tempus adest, etiam ad mortē prædicta nimia alteratione agitata deducūt. In facie quoq; que hominis & cute hæc, dum dispositor fuerit, imprimit suæ complexionis signa, maculas uarias, oculos impares, longam faciem, aspectum indecentem, & fœtidum, dentes uarios, & turpes, staturam diuersam, pedes deformes, contortos, calcaneos corrugatos, nigros quoque pilos, raros, & grossos, iuncta supercilia, colorem fuscum, glaucum, uel plumbeum: Sed hæc pro Solis dispositione uariantur. Ad mores etiam melancholicos ducit, nigra indumenta, tardas operationes, solitudinem, cauernis & antris aliquando mancipatos, puteorum, & cochlearum fossores, calcis & cementi compositores, & multa huiusmodi exercitia uilia, si depressus fuerit, inducit: Bene autem dispositus, ad profundissima quæque, & sublimia euehit.

Quæ æquentur cum Ioue. Cap. XXIIII.



Equans omnia Iuppiter, sibi uendicat aurem sinistram, ad cōplendam sapientiam iam à Saturno excitatā. Et amori fauens æquat iecur amoris sedem, tanquā peculiare domicilium. Hic enim amorē incoboat, quem explicat Venus, cui amor ascribitur: Nam à iecore Iouis sede trahit orginem: undè apud authores medicinæ iam est uulgatum adagium: Splen ridere facit, cogit amare iecur. Cui adstipulatur, quod Galenus & Moses Cordubensis ex antiquorum institutis deducunt: qui malefactores in membris, quibus peccauerant punire solebant. Ascendentes enim domos alienas, fustigabantur pedibus, maledici & blasphemi lingua torquebantur, & multa huiusmodi. Sed Titionem nimio amore lasciuientem iussu Apollinis punitum describunt Vates in iecore perfosso rostro uulturis, & falconis. Contemperatus igitur Iuppiter in uirtute, ex calido & humido, rectè hepati præsidet: quod eadem qualitate gaudens, alitur ex sanguine ingrossato, ut inquit Galenus, Haliabas, & Conciliator: Cuius rei signū adducunt: quòd sanguis extra uenas coagulatus ipsi assimiletur: undè à Galeno nocatur primum sanguinis organum. Aequat sibi & stomachum simul cum Saturno: sed hic parti neruosæ, frigidæ, atque siccæ prædominans, ille uerò parti carneæ, calidæ, & humidæ. Et cum uēter sit etiam humido calore suffultus, ipsum quoque Ioui subiiciunt: Occurrerēt hic multa de musculis uentris, & aliis particularibus differenda: Sed cum forsitan hæc nimis longa, & superuacanea cura foret, abducénsque nos à proposito, nō breui semita, Ideo illis omissis, de solis membris principalibus prosequamur. Supponunt quoque eidem brachia, dexteramque manum non absque sublimi sacramento, ut pius Iuppiter supramundanus deducat ad ea opera, per quæ quis possit merito in iudicis dextera collocari. Addunt umbilicum, ad quem tanquam ad centrum referuntur circumadiacentia: Vndè in templo Iouis Ammonij effigiem umbilici repositam tradit antiquitas. Sunt, & qui asseuerant etiam costas, pecten, intestina, & sanguinem Iouia esse. Et si suprabundauerit sanguis, usque

Galen. Moses. Poëtę Gale. Haliab. Concili.

ad distemperamentum, proueniunt morbi synochi, id est continuati, uenarũ fracturæ, sputa sanguinea, sanguinisque defluxus per hæmorrhoides, per mẽstrua, per nares, & undecũque fluant: Apostemata quoque hepatis calida, & ex pluri mo sanguine concreta. Et si ad mortem deducit infirmitas, eius mortis genera sunt, per synochas febres, per tertias notas, cardiacam, id est corporis imbecillitatẽ lassescente stomacho, squinantiã, colicã, & iliacam passionem, & ea, quæ huiusmodi consequuntur. Corporis autem dispositor figuram tribuit condecentem, staturam moderatam, & formosam, oculos ad magnitudinem tẽdẽtes, subnigros, capillos flauos cum caluitie quadam, duosque dentes incisorios cæteris longiores. Sed oriente sole reddit cutem satis albam, & oculos mediocres: occidente uerò, albedinem remissiorem præstat. In moribus autem honestos facit, fideles, parentibus obsequentes, iustos, legales, & huiusmodi multa, quæ ab Astronomis memorantur. Sed hæc tamen quantum uirtus illa cœlestis se extendit, aut disponens corpus ipsum cœleste sydus, aut ulterius operans præsidens intelligentia, iubente & cooperante prima.

Quæ ferueant cum Marte. Cap. XXV.



Ars sua sedilia habet in renibus, uenis, & discursu spermatis p dorsum, & in chysti fellis. Sed hæc quidem solus, cum Ioue autem (authore Firmico) in hepate, & naribus. In renibus itaq; conuenienter feruet, cum & ipsi (teste Auicena) calidi sint, & sicci: quamuis alij ipsos calidos, & humidos opinentur. Sed hoc est, quia calidum & humidum & radicale, calore uiuifico informatum uiget in eis, ex sui autem simplici natura sicci sunt, & Martij. Cuius rei signum præbẽt calculi, qui in ipsis generantur: quia feruent potissimè in Martialibus, & Marte fauente. Et hos naturæ dispositor combinauit, sicut & multa corporis membra: ut Galenus & Auicena disputant. Ii autẽ dati sunt ad coquendum superfluum aqueum, & sanguineum: sicut chystis pro receptaculo choleræ: & spleni pro susceptorio humoris melancholici grossi, ut idem Galenus determinat. Præfertur etiam decursui spermatis & dorso, per quod descendit: ut suo calore calefiat semen: & uigorem suscipiat ad prolem gignendã. Adiudicant insuper, qui de re huiusmodi tractant, eundem præesse uenis: quamuis ex natura neruea pãniculari, & ligamentali frigidæ, & siccæ, ut forsitan (non obstante natura frigida, quæ ad eas constipandas exquiritur) calefactæ ab eo, sanguinem in suo calore conseruent. Et (ut secretiorem rationem educamus de promptuariis naturæ) etiam ex loco id concludemus. Nam inter hepar Iouium, & cor solare situm habent, sicut Mars inter utrumque. Venæ etenim omnes siue hepatis porta, siue meseraicæ, in quas ipsa diuiditur, ortum habent à concauo hepatis, in cuius puncto, ueluti chordæ tentorij in clauo (Galeno authore) colligantur, cui sapientes multi consentiunt. Similiter & uena, quæ maior ab Aristotele nũcupatur, à Galeno, & ab Haliabate concaua, ab Auicena uenter, ab aliis pergibba: quia in-

Iul. Fir. Auicena

Galen Auicen.

Galen.

Galen.

Aristote.

Haliab.

xta gibbum, & conuexum hepatis est, omniumque prædictorum opinione (Auicena excepto) collocatur in hepate, & ab eodẽ oritur, quãuis physici nõ cõsētiãt: Sed ab Auicena, tanquã neutro inter eosdẽ inter hepar, & cor collocatur: & omnes alij nominati, ipsi hepati eas cõtinuari assentiũt: sicut Mars Ioui. Et sicut inter hepar & cor sanguis fluit per uenas uitam baiulans, sic inter Iouem & Solem est Mars, quasi uehiculum, aut fomentum uitæ, suo calore, & impulsu illam confouens. Et nedum ex situ, sed ex proprietate, & uirtute, quæ est ultra qualitates ipsas, uenis cõuenientissimè præsidet: & canali spermatis in ipsa istis cõueniens: sed potissimè chysti uasi feruentis bilis, quæ ei propriissima est. Hæc autem distemperata excedens nimis, aut corrupta (maximè in prædictis locis) causat infirmitates Martias, pustulas malignas, carbũculos, antraces, erisipillã, formicã, impetigines, febres, quæ ex cholera fiunt, acutas phreneses, & morbos omnes, ex ferueuti & adurenti colera prouenientes, cancros, gangrenas, fistulas, scabiem, pruritum, uariolas, excoriationem, adustionem, aborsum, uenenosas infirmitates, & in diuersis corporis membris ulcera, pro mansione uaria in cœlestibus signis membris ipsis conuenientibus: Et si in huiusmodi tantus sit excessus, ut natura aut ars cohibere non possit, mortẽ inducit. Naribus quoque præest: ex quibus feruor bilis accensæ in chysti, inflammatæ in corde, & uaporantis ad cerebrum exhalat: Et aliquando ibi sistens tantum exæstuare hominem facit, ut dicat, Isaias: Quiescite ab homine, cuius spiritus in naribus eius est. In figura quoque exteriori rubeum facit: oculos uarios, ad citrinum tendentes, barbam, capillos, cæterósque corporis pilos rubeos, obscuros, spissos, & grossos, staturam mediam, faciem rotundam, lentiginibus & maculis quibusdam cõspersam, nares amplas, & latas, plenas spiritu, aspectum horridum, dentes longiores, gressus distantes. In complexione uerò efficit calidum, & inde impetũ, & uim maximam confert: & promptum reddit ad omnia: hinc & ad mala præualidum. Et nisi impetus ille rationis freno moderetur, facilè ducit in præceps.

Auicena

Idem

Isaias

Quæ uiuificentur, & clarescant cum Sole. Cap. XXVI.



Vm Sol (omnium sapientum testimonio) sit pater uitæ, & in quo residet (ut Pythagorei opinantur) uirtute quadam uita, & uerus Sol, ideo ipsum cordi assignant, tanquam præcipuo uitæ sedili. Et sicut ipse Sol in maiori mũdo est principiũ lucis, & uitæ, dans omnibus planetis, ut luceant: sic cor in humano mundo (teste Galeno, & aliis sapientibus) est origo uitæ, & caloris, dans omnibus membris, ut uiuant & operentur. Est enim anima (cuius primaria sedes est cor, ut ait Aristot.) principium intelligendi, sentiendi, & secundum locum mouendi: Et sicut Sol ipse ex uita conuenit cordi, ita ex luce oculis, maximè dextro respondet, sinistrum Lunæ relinquens: præfertur etiam medullæ, quæ non ueluti superflua aspernenda est, inquit Aristoteles, sed tanquam uita ossium, & fomentum eorum, est in ipsis

Pytha.

Galen.

Aristote.

Idem.

reclusa: Est enim alter sanguis, sed ex decoctione, & calore in albedinem mutatam ait Auicena, & cum ipso Aristo. Cuius rei signum hic reddens dicit, quòd nouellis adhuc animalibus medulla cruenta admodum est: ætate autem prouectis, & pinguescentibus ad adipem trahitur. Subiiciunt quoque Soli patri generationis, femora, & lumbos uasa quippe seminaria: undè non sine causa sapientissimus priscorum patrum Abraham, ab alumno suo iuramentum exegit super femora Messiæ, seminarium uas, pro cuius munda & mysteriosa generatione, solicitus erat ipse Abraham, dum mitteret seruum iuramento astrictum ad accipiendam uxorem Arameã pro Isahac: ex cuius semine Messiah generari debebat. Regulat insuper tanquam uitæ instrumentum uitalem spiritum: intellectum quoque, & rationem: undè doctrinæ, & ueræ philosophiæ, & cognitioni segregatæ à sensibilibus mirum in modum fauet: Fidelemque facit pro uirili sua, magnanimum, compositum moribus, sublimia appetentem, & principatus, per fidẽ tamen clarum, & excellens ingenium, & uirtutẽ. In exteriori autem prospectu reddit hominẽ formosum, & pulchrum: nec immeritò, cũ ipse respõdeat supramundanæ pulchritudini, & sic eius uas, receptaculũ, & instrumẽtum. Varios quoque, & pulcherrimos præbet oculos, animi potissimũ indiciũ. Hinc de Dauid non sine mysterio dicitur in primo uolumine Regum: ꝙ erat ruffus, cum pulchritudine oculorum, & bono aspectu, pro quo nos habemus, pulcher aspectu, decoráq; facie. Et his potissimè fauet cum in ortu fuerit: & si altius cõscendere uoluerimus, id facit Sol quãdo suscipit influxũ à superno oriẽte, de quo dicitur. Veniet ab oriẽte iustus. Staturã insuper decẽtẽ præstat, in colore albũ cũ fuscedine quadã, aut rubedine, capillos crispos & multos, faciẽ rotundã, atq; uenustam, os decẽs, labia exigua, supercilia gracilia, colloquio dulcẽ, & grauẽ, incessumq; uenustum: In complexione autẽ tẽperatè calidũ. Si autẽ corpus malè fuerit dispositum, uarias mouet infirmitates, in oculis potissimè: In ore autẽ alcolã, & cancrenam: & pustulas in corpore: Mouetq; mẽbra, unũquodq; ꝑ domicilio in quo repitur: sed diuersissimo de à Luna. In Ariete enĩ mouet femora: In Tauro genua: In Geminis tibias, & cauillas: In cancro pedes: In Leone, & Virgine, collum: In Libra, brachia & humeros: In Scorpione, pectus & cor: In Sagittario, stomachẽ & uentrũ: In Capricorno dorsum: In Aquario coxas, & uerenda: In Piscibus, iterũ femora cũ succedẽte Ariete. Sed si nimis ebullit humor ab eo motus, & corpus sit (ut diximus) malè dispositũ, benefico ipsius fauore abutẽs, exæstuationes fiũt, anxietates & inquietudines, apostemata, potẽtes oppressiones, uel sanguinis fluxus ex ebullitione illa, qua nimium aucta, letalia eadem fiunt. Et sic Phœbus medicus, & medens, atque uiuifica uirtus eius, ex mala dispotione recipientis nocumenta etiam mortifera infert. Nec mirum quia ex uaria dispositione recipientium lutum indurat, ceram autem liquefacit. Sic & de uero, diuinóque Sole dictum est: Positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël.

Auicen. Aristote. — Regum — Isaias

Quæ mollescant cum Venere. Cap. XXVII.



Enus ex membris capitis, ori præesse dicitur: quo osculum, amoris pignus, donatur. In corpore autem dominatur anchæ, spinæ dorsi, spermati, pinguedini, carnibus, renibus, uuluæ, uel matrici cũ Saturno, uentri, pectini, & umbilico, & huiusmodi omnibus, quæ operi uenereo inseruiunt: ut Astronomi docent. Ancha enim quæ à Galeno *os sacrum dicitur, siue latus amplum, ut carnem multam circa illud amictam sustinere ualeat, quasi pixidem quandam habet: in qua extremitas coxæ superior (quæ uertebrum dicitur) ingreditur, & in ea uertitur, & mouetur: undè quadrifariam nũcupatur ad quatuor aspiciens: In eo enim quòd ad partem syluestrem tendit (teste* Auicena, & Alberto*) uocatur os ilij, Arabicè autem albartapha: Ad interius autem relatum os femoris dicitur, ad posterius os anchæ: & ad subiectum uertebrum pixis coxæ: In qua regione ueluti intra parietes cõtinentur uesica, matrix spermatis receptaculum, & huiusmodi, quæ* Veneri *inseruiunt: & sunt quasi promptuaria* Venerearum *rerum. Cur autem* Venus *spinæ dorsi præferatur, duæ tantummodo rationes occurrũt: Altera, quia est quasi canalis, & colatorium* Venereæ *substantiæ: Altera uerò, quia in illa spinula colligantur ossa: undè est quasi uinculum corporis, & eorum sustentaculum, & quasi platea publica (ut aiunt) arteriarum, neruorum, spirituum, & uirtutũ, cõtinens medullam ueræ humiditatis, ut ait* Conciliator. *Et est (* Galeno *authore) tanquam carina necessaria uitæ, & motui animalium, hinc quamoptimè* Veneri *correspondens, quasi uinculum connectens hominis partes, affectus, mores, & spiritus: Amor enim in archetypo nexus, & neuma dicitur: in maiori uerò mundo amore, & amicitia generantur, & colligantur omnia, si rectè sentit* Anaxagoras, Boëtius, *& alij sapiẽtes quamplurimi: Paríq; modo in minori mundo, ut ipse utríq; sit conformis, omnia* Venere *colligantur. In semine quoque (quod* Græci *sperma dicunt) tanquam in massa quadã sunt animalis partes omnes colligatæ, exitq; semen eo actu prouocatum, qui passim uenereus dicitur: undè omnia, quæ ad ipsum pertinent, meritò* Veneri *conuenire uidentur: Pinguedini etiã præfertur, quia aërea est: Cuius signum dabat* Aristot. *quia natat super aquas delata ab aëre, quasi ab utre. Concordat* Galenus *dicens, ꝙ pinguedo, & oleũ sunt de natura aëris tẽperati, & utrumque ex natura humida collatur, ex calida autem ardet: Sed* Ioannes Serapiõ *pinguedinem collocat inter elementa grauiora: & leuia, calida, & frigida: Habet enim (inquit) supra se ignem, & aërem, undè temperatissimæ est complexionis, sicut &* Venus, *quæ eis præfertur. Eadem ratione subiicitur ei caro calida, & humida cum debito temperamento: ut ab* Auicena, & Galeno *discere possumus: Renes etiam, & si ratione suæ calidæ, & siccæ complexionis subiiciebantur* Marti, *tamen quia uiget in eis humidum radicale,* Veneri *quoq; mãcipantur. Additur uenter, qui* Ioui, Veneríq; *ex symbolica eorum natura respõdet: undè* Venus Iouis *dicitur filia:*

Astronõ. Galen. Auicena Albertus Concill. Galen. Anaxa. Boetius Græci. Aristo. Galen. Ioã. Ser. Auicena Galen.

& in eadem sede ambo regnare dicuntur. Cur autem uulua, & matrix Veneri subiiciantur, magis silentio prætereundum, quàm sermone declarãdum duxi: cum natura illa mẽbra eo pudore affecerit, ut cum uirorũ cadauera à fluctibus
Plinius uehãtur supina, mulierũ prona ducuntur, ut occultẽtur occultãda, sicut Plinius
Solinus & Solinus referunt. Pectini etiam, & umbilico tanquam propriis instrumentis
Iob Grego. præfertur: Virtus enim uenerea (authore Iob, & Gregor. eius interprete) fœminis est in umbilico, sed uiris in lumbis: Si autem humores in eisdem partibus existentes distemperantur, tunc ægritudines uariæ Veneris motum consequentes inducuntur: & facilius, si superfluunt humores ipsi: Nam ex superfluo cibo, & potu, & nimio luxu istiusmodi generantur infirmitates, quæ inualescentes mortem inducũt: febres uidelicet, & morbi phlegmatici, & prouenietes ex humoribus superabundantibus in membris prædictis, in quibus est uirtus concupiscibi-
Ptolem. lis, & quibus (Ptolemæo authore) Venus præsidet: Quæ si domina fuerit in horoscopo, hæc sui dominij sigilla imprimit, colorem albũ cũ fuscedine quadã, aut rubedine, capillos pulchros, multos, & spissos, faciem rotundã, uenustam, & uagam, oculos nigros, supercilia gracilia, dulcia colloquia, decentem incessum, motus faciles, & lepidos. Sed si mala, & inferior Venus præualuerit, delitiis deditos efficit, mulierũ amatores, labiles ad omnia uitia mollia: Si autẽ bona, cui animus legũ freno coërcitus respondet, recto, & sancto amore omnia peragit.

Quæ acuantur, & penetrent cum Mercurio. Cap. XXVIII.



Ercurius in capite sibi uendicat linguam, cuius sermo penetrat usque ad interiora mentis: hinc eloquentiæ fautor, & Hermes, scilicet naturæ interpres: Quæ lingua occultissima omnium mẽbrorum efficacissimè operatur etiam in magnam distantiam, sicut Mercurius adeo occultus, ut cũ difficultate, & rarò uideatur, tamen acutissimè penetrando magna cũ efficacia peragit: sicut & ei præsidens intelligentia Michaël angelorũ Princeps, ut nonnulli asserunt. Quia etiã
Idem Mercurius sua subtilitate efficaci, & astu (ptolemæo teste) reddit hominẽ ad opera dispositum, & promptum, ideo manibus tanquam omniũ operum instrumento necessario præfertur: Addunt neruos, quorũ aliqui, passiui uidelicet sunt frigidæ & siccæ naturæ, motiui uero calidiores tum ex motu, tum ex simplicio-
Idem. ri spiritu in eis existente: Sic Mercurius (authore Ptolemæo, & suo interpre-
Hali te Hali (bifariam habet uirtutem: aliquando desiccat, id maximè cũ soli applicatur, à quo abũdantiorem uirtutem suscipit: aliquando humectat, & hoc quãdo cum Luna annectitur uirtute, sicut contigui eorum sunt orbes. Ex suaptè autẽ natura constringit Mercurius, undè reddit suos Mercuriales graciles, & neruosos: Neruis etenim præest, qui sunt generale operum instrumentum, sicut manus particulare, & si ulterius procedere iuuat, etiam ex ortu ipsorum neruorũ conuenientiã eorundẽ cũ Mercurio cõiectare possumus, etiam uarias authorũ
Aristo. Galen. sequendo opiniones. Aristo. enim ipsos à corde originẽ trahere autumat: Galen.

à cerebro: Auicena uerò, Auerrois, Albertus, & Cōciliator Aristoteli fauere uidentur: Sed qui rectè sapiunt, eos cōcordantes dicūt neruos ipsos habere ortū immediatū à corde, à quo & cerebrum: formari atē, & diuidi ab ipso cerebro. A corde iterum (ut inquit Alber.) habēt duritiē, mollitiē uerò à cerebro, à quo diuiduntur. Sic & Mercur. cuius uirtus in neruis uiget, à Sole, qui est cor mandani corporis, habet uim: & tanquā eius filius semper sequitur patrē eidē obsequēs, adeo ut ab eo uel nullis, uel paucis gradibus distet: Et est Lunæ, quæ conuenientiā habet cum cerebro, contiguus: undè uim suscipit ab utroque. In cerebro quoq; uim habet cū uentriculis eius, uenis, & arteriis. Vltimo præfertur cruribus, & pedibus manuum coadiutoribus, tam etiam fidelibus, ut alteris deficientibus altera suppleant: Visi nāq; fuere nōnulli, quibus manus deficiebant, pedibus suere, scribere, & multa huiusmodi officia manuum peragere. Si autem præualet eius uirtus in homine, reddit ipsum statura mediocrē, & gracilem, colore subalbū, capillos, barbam, & oculos nigros & pulchros, frontem eleuatam faciem longam, nares æquales, iuncta supercilia dentes minutos, digitos subtiles, & longos, figura satis formosum, id maximè Solis ortu suffultus: sed occidente Sole efficit colore subnigrum croceo permixtum, corpus extenuatum, complexione siccum. Malè autem disposito subiecto inducit amentiam, memoriæ defectum, morbos inquietantes, uarios absq; causa timores, ignauiam in membris, & neruis, balbutiemq;: item phrenesim, apoplexiā, epilepsiam, colicū & morbos consequentes materias furentes, sanguinis sputum, cuius causa non uidetur: & occultas ægritudines. Si autem infirmitates proueniāt à causa extrinseca, ea est, lectio, scriptura, ratiocinatio, mensura, nimia excogitatio circa poësim, & huiusmodi. Et quia efficax est nimis in operando, & uelox, breui spatio suum Mercurialem conducit ad uitæ terminum: ut in ipso locum habeat illud sacri eloquij: Consummatus in breui expleuit tempora multa.

Auicen. Auerrois Albert. Cōcilia. Albertus. Sapien.

Quæ agitentur à Luna. Cap. XXIX.



ET si Luna totum corpus, & singula mēbra pro uarietate signorum, & aspectuum cum Sole, aliisque planetis disponit, maximā tamen uim habere dicitur in agitandis quibusdam membris peculiari cōuenientia ipsi respondentibus: Præest enim sinistro oculo, sicut Sol dextro: ut duo in utroq; mūdo luminaria mutuo cōcināt. Crebrò quoq; prædominatur, & humoribus omnibus, qui in utroq; mūdo, & etiam in arboribus animantibus ascēdūt, & descendūt Lunam ipsam prosequentes: Quod in mulierū pfluxibus satis euidēter cōprobatur: qui ideo menstruales dicūtur, quia Lunæ psequūtur curriculū: quod mense ferè pficitur. In aliis quoq; humoribus itidem est bene intuentibus manifestū, cum pcliuiores sint, cū Luna est in aqueo signo, quā cum in igneo, uel terreo. Et ideo obseruari hæc in Pharmacis dandis iubent in huiusmodi negotio periti. Pulmoni quoque præferri adiudicatur, qui tanquam flabellum cor, & ea quæ inflammantur ab ipso corde, refrigerat, atq;

contemperat, sicut Luna ea quæ ardentißimo Solis uigore exæstuant: Et sicut
Galen. Auerrois cor (teste Galeno, & Auerroi) pulmonem nutrit præbens eidem calorem digestum, & suauē: ita Sol sua excalefactoria uirtute est Lunæ ipsius alumnus. Medullæ insuper spinæ dorsi præsidet, & expurgamentis, quæ per colatoria nasi, oris, & huiusmodi defluunt: superfluis quoq; ungulis, pilis, & similibus: sed simul cum Venere præest pinguedini. In exterioribus autē hæc signa suæ dispositionis imprimit, colorem cæruleum, & subalbū, oculos caprinos, & glaucos, motū uelocem, & uarium, staturam mediocrem, & gracilem, ut in pluribus: In moribus autē facilè mutabilem, nisi aliqua bona irradiatione fuerit suffultus: & in exequēdo quæ cogitauerit prōptū, uelocē, & uulgo satis beneuolū: Varias insu per dispositiones pro uarietate signi, in quo recipitur, & aspectuum concurrentiū, & luminis, quo nūc semiplena habetur. Male autem disposito subiecto infirmitates inducit ex illis superfluitatibus prouenientes. Omnia insuper mēbra ferro, uel alio quouis modo agitata, pro signi cōuenientia cū mēbris illis, lædit: Sed potißimè cerebrū, cui efficacius prædominatur: undè in eo læsi (etiam in scriptura sacra) lunatici dicuntur, & patientes morbos dæmoniacos: Nam in huiusmodi lunaribus, & fœminis larga uidetur dæmonibus eos agitandi concessa facultas. Quod si uerū sit, & undè eueniat, & quomodo cuilibet mēbro aliquis planeta, & signū, aut superior uirtus (ut tetigimus) dominetur, altior hîc exquireretur indago forsitan literis non committenda, dicente Apostolo: Sapientiam lo-
Paulus quimur inter pfectos: qui uidelicet poßint esse capaces diuinæ, & summæ prouidentiæ: Quæ & si omnia regit, atq; disponit, curā tamen exequendi uariis ministris distribuit beneficis, & maleficis: prout magna hæc mūdi exquirit Respu-
Dauid blica. De beneficis autē ministris canit Propheta: Immittit angelus Domini in circuitu timentiū eū, ut eripiat eos: De maleficis uerò, Immißiones per angelos
Ioan. malos. Cōcordat Ioan. qui in Apocalypsi angelos fauentes meminit, & nocentes. Ex aliis quoq; scripturæ sacræ plærisq; locis de utrisque possumus edoceri. Et quod facit summus Prouisor per angelos, tanquā per ministros, idem facit (ut aliâs diximus) per cœlos, tanquam per instrumēta: ut omnia cooperentur in ministerium Dei: Quod antiquitas, uel in parte olfaciens uaria finxit numina
Virgilius Nu. Pō. Ti. Liu. membris humanis præfecta: Aurem aliqui Memoriæ, sed Phœbo dedicatā Virgilius meminit dicens: Cynthius aurem Vellit, & admonuit. Dexterā autē fortitudinis sedē, & per quā fit iuramentū Numa Pōpilius Fidei cōsecrauit, ut Liuius narrat. Digitos sub Mineruæ tutela collocarunt: Genua Misericordiæ dedicauere: hinc ea flectunt ueniam, & misericordiā flagitantes. Vmbilicum uerò, quem Veneri tanquā luxuriæ sedē subiecimus, Ioui consecratū perhibent: undè umbilici effigies celebrabatur in templo Iouis Ammonij: eo ꝙ omnia membra ad ipsum umbilicū, tanquā ad centrum referri existimabāt: sicut mēbra omnia mūdana ad cētrū sphæræ illius deducuntur, cuius circūferentia est nusquā, sed cen-
Hermes trum ipsum ubiq;: ut Hermes docuit. Et multa huiusmodi prosequuntur antiqui

adiudicantes omnia, etiam minima membra, à superis regi. Quod si rectè intelligatur, & ueri cognoscantur præsidentes, non erit à debita pietate alienũ, cũ & sacra eloquia testentur membra nostra à supernis uirtutibus gubernari. Et ut ab infimis incipiamus, de pedibus ait Propheta: Et statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos. De manibus quoque ait: Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Et de ore inquit: Immisit in os meum canticum nouum, carmen Deo nostro: Cum quo illud Saluatoris, Ego dabo uobis os, & sapiẽtiam: Sed & capillos capitis adeo curat, ut dicat: Capillus de capite uestro non peribit. Sic igitur omnia membra utriusque mundi regi à superioribus comprobantur: De quo saltem pro parte (Deo fauente) suo loco disseremus.

David Psalm. David CHRISTVS.

Quod ex proportione motuum planetarum adinuicem, & cum octauo cœlo, innuatur proportio uirium nostrarum. Cap. XXX.

PErficit Saturnus motum suum in triginta annis: Iuppiter in duodecim: ex quo resultat proportio uelocitatis motuum duplex sesquialtera: Iouis autem ad Martem, qui duobus annis perficit cursum suum, sescupla: Sed Martis ad Solem, Venerem, & Mercurium dupla: cum isti ferè anno uno compleant sphæræ uolumen aliquantulum, propter epyciclos mutatis uicibus: undè nunc uelocior, nunc tardior uideatur uniuscuiusque illorum motus, tamen pariter perficiunt iter, quod cœperant, musicam hanc cœlorum suauissimam efficientes debitis modulaminibus, nunc alter alterũ præcedens, nunc subsequens. Saturni iterum ad stelliferum cœlum millecupla, & ducentupla proportione est motus uelocior, si uerum est, quòd octaua sphæra moueatur contra primum mobilè, & quibuslibet centum annis gradu uno, ut Ptolemæo placet: Nam utrumque apud nonnullos dubium est, uel falsum: Sed illud præsupponimus, quod communiter tenetur. Martis etiam motus, qui ter millecupla proportione uelocior est motu octauæ sphæræ: & sic de reliquis planetarum motibus ad reuolutionem stellati cœli, & ipsorum adinuicem facilis est supputatio scientibus ipsarum reuolutionum terminum. Hinc igitur in paruo mundo proportio uirium, & operationum coniectari potest: Nam motus cogitatiuæ ad practicam talis esse debet, qualis Saturni, qui illi dominatur, ad Iouem huic fauentem: Et horum ad impetum à Marte agitatum: Vita autem, & concupiscibilis uirtus, atque ingenium, quorum primum regit Sol, secundum Venus, tertium Mercurius simul eandem cantilenam efficiunt, cum unum nequeat stare sine consocio: Vitam enim potissimè rationalem consequitur concupiscibilis, & amor, spiritusque peragendi. Hinc Academici docent per hæc tria simul homini dari reditum in Deũ: Sed hæc cum superioribus suis numeris proportionantur. Et quamoptimè semper concupiscibilis uirtus, & solertia concomitatur animum, & uitam: ut & delectatio fastidia, quæ laborem, & opus consequuntur, nonnũquã ammoueat: & solertia, astuque omnia debitè peragãtur.

Ptolo. Academici

Post hos omnes est Luna omnia explicans, & haec conuenit cum intellectu practico, qui omne opus dirigit, uelut gubernator in naui, dum mare transmeat: Ipsius autem, & planetarum ad signiferum caelum se habet proportio, pro uelocitate motus eorum: Quam proportionem sequitur illa, quae est intellectus practici ad omnes uires tam intellectuales, quàm animales: & ea quae est ipsarũ ad inuicem, & omnium ipsorũ ad corpus, quod non mouetur, nisi quatenus à superioribus uiribus ducitur, sicut caelum octauum: cui ex sua triplicitate quaternanaria comparatur corpus quatrielementale, ultra motum diurnum, quo ducitur à primo mobili, non habet motum proprium, nec trepidationis, nec alium quempiam, ut aliqui asserunt: & illum, quem uidetur habere, autumãt esse ex uariatione Solis: cuius motus est quodammodo regula, & amussis aliorum. Hic enim Zodiacum in quolibet anno transgreditur, & ultra: ne dum per sex horas, quae in quibuslibet quatuor annis computatae reddunt diem integrum, qui additur omni quarto anno bisextili denominato, sed etiam minuta quaedam, centesimam uidelicet partem diei, uel circa: Quae ex centum annis collecta diem constituit: Sed cum hic non addatur sicut in bisextili, ideo quibuslibet centum annis Ptolem. uidetur Sol praeuenire introitum in Capricornum die uno, quamuis Ptolemaeus dicat, quòd hoc faciat quibuslibet trecentis annis: Nos autem comprobatum habemus ab anno natiuitatis Christi, quo Sol uigesimoquinto decẽbris die intrabat in Capricornũ hucusque, quo intrat die undecimo, uel circa, Solem in 1520 annis praeuenisse suum introitum quatuordecim diebus, uel circa: undè clara luce comprobatur, quòd quibuslibet centum annis praeueniat per diem, in quo solet moueri gradu uno: Sed hoc existimatur (ut nonnulli asserunt) ex motu octauae sphaerae in contrariũ orbẽ, quod est ex ista Solis uariatione. Hac autẽ omissa simul cum proportionibus, quibus uirtutes, & opera nostra proportionantur adinuicem, & cum sphaerarum motibus, undè harmonia resultat suauissima, quod potius ad tertium uolumen pertinet, ad particularem effectus ipsarũ sphaerarum circa diuinas, humanasque uirtutes descendamus. Septem igitur uirtutes praecipuae passim connumerantur, quae per septem planetas, tanquam per instrumenta à summo bonorum fonte in homines diffunduntur: Per Saturnum spes, & contemplatiua uita: per Iouem iustitia, & aequitas: per Martem fortitudo: per Solem omnium regem charitas omnium uirtutum regina: per Venerem pietas, & temperantia: per Mercurium prudentia in agendis: per Lunam, quae nunc occultatur, nunc apparet, fides: quae in apertis, occultisque uersans ducatũ praebet pergentibus per huius noctis caliginosas tenebras, quousque illucescat Sol ille supremus matutina, uespertina, & meridiana luce, quae etiam peregrinantes in hac ualle tenebrarum illuminet, quantum peregrinationis status exquirit: & quantum mortales disponuntur ad ipsam suscipiendam per fidem, & expurgatoria opera.

De concordia admirabili rerum inordinatarum, & fecum utriusque mundi. Cap. XXXI.



ET antequam ad concordiam hominis cum supercœlesti mundo conscendamus, percurremus etiam cõuenientiã, quam habent utriusque mundi huius corporei, & inferioris expurgamenta, infernæque partes. Est enim in mundo hoc sensibile terrenum habitaculum, est domus cœlestis, est denique excelsa, & supercœlestis, ubi summus residet Moderator: Sed ultra hæc omnia sunt expurgatoria loca, quo feces tã huius domestici, quàm cœlestis mundi confluunt, tanquam quid superfluum, & expurgamentum cibi supremæ uitæ, quæ pascitur mentibus angelicis, & humanis animis: ut ipse testatur in Euangelio, cui titulus est secundum Ioannem dicens: Meus cibus est, ut faciam uoluntatem Patris mei, qui in cœlis est. Quæ autem sit hæc uoluntas, alibi declarans ait: Descendi de cœlo, non ut faciam uoluntatẽ meam, sed eius, qui misit me: Hæc est enim uoluntas eius, qui misit me, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die. Anima igitur, & mens angelica est cibus Dei, & Christi, qui comedit, & suscipit eas omnes: ut sua calefactoria & diuina uirtute expurgando, & coquendo in uisceribus misericordiæ suæ, quibus uisitauit nos oriens ex alto, faciat illas dignas Deo. Digerens itaque hunc cibum, quem assumpsit, illam partem melioris substantiæ in seipsum tanquam nutrimentum non necessitatis, sed complacentiæ transmutat. In eandem (inquit Paulus) imaginem transformamur, ut & nos filij Dei (ut inquit Ioannes) nominemur, & simus. Nec tantum humanas animas in cibum suscipit, sed etiam mentes angelicas, ut ipsas expurget, & tãquam omnium mediator easdem Deo uniat, ut ex Dionysio, & Lynconiẽse discere possumus: Ille enim dicit: angeli purgantur à superbia, & ignorantia: Et hic interpretando ait: Illis primis substantiis diuina scientia, quæ est uerbum, & filius Dei, est ueluti purgans non à sorde, quæ infuit, quæ apud nos solet dici uera purgatio: sed ne insit obstans, quod genus purgationis est secundũ ueritatẽ optimum, & sufficientissimum. Vltimæ igitur digestionis superflua ad fœtida, & feculẽta loca inferni demissa sunt, & demittuntur: Quo sine aliquo ordine corruẽtes, in illo cõfusissimo globo, & tenebrarum horrẽdissimo chaos inuoluti debitas luũt pœnas suæ proteruiæ, qua noluerũt cibare illũ, q̃ cõquerẽdo minatur dicẽs: Esuriui, & nõ dedistis mihi mãducare: Ideo maledicti à me, & explosi ite in ignẽ æternũ, cui dati estis in cibũ perpetuũ, postq̃ mihi, & mẽbris meis cibus esse noluistis, sicut ego meipsum in cibum uobis præbui: ut in me uiueretis. Isti igitur tanquam mortui, & cadauera fœtentia proiiciuntur, iuxta Isaiæ uaticinium: Facta sunt (inquit) morticina eorum, quasi stercus in medio platearũ inferni: Quod idem factũ est antea de mentibus angelicis: quæ nedũ noluerunt epulum esse summæ Veritatis, & mediatoris: sed præsumpserunt ipsum deuorare, dicente Ioanne in celeberrima illa uisione: Et stetit draco

CHRISTVS. Idem. Paulus Ioan. Diony. Lyncon. CHRISTVS. Isaias Apocal.

ante mulierem, quæ erat paritura, ut cum peperisset, filium eius deuoraret: Vndè ortum est prælium magnum in cœlo, Michaël & angeli eius præliabantur cum dracone: & draco pugnabat, & angeli eius: & non præualuerunt, neque locus inuētus est amplius eorum in cælo: Et proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui est diabolus, & Satanas. Proiectus est igitur cum satellitibus suis, tanquam expurgamenta, & feces in cloacam inferni: ad quam demittuntur in dies mortales multi, & ipsi feces in rem suam malā effecti: Quod an conueniat cum mundo isto humano, satis in propatulo est attendenti eius dispositionem: In ipso enim est arx suprema cerebri, ubi portio superior rationis, imò portio diuina residet omnia inferiora gubernans. Est etiam cœlestis mansiuncula pars anterior capitis, ubi uirtutes obsequentes, imaginatiua uidelicet cogitatiua, & huiusmodi inhabitant, tanquam cœli, & regis superioris ancillæ exequentes, quæ Dominus iusserit. Sūt etiam inferiores pedissequæ, uirtutes uidelicet sensitiuæ habitantes domum inferiorem & sensibilem, quæ merito superioribus ministris, sed principi potißimè famulari deberent, ut summus Imperator præcepit dicens: Subter te erit appetitus tuus. Est infimus quoque husti locus, sub quo pedes ueluti columnæ tantummodo subiiciuntur: ubi est expurgatoria domus, & ostium inferius huius humanæ arcæ: ex quo superflua feculenta, sordidáque emittuntur perpetuò negligenda. Sic & animi illi, imò animæ, mulierculæ uiles effectæ, quæ relicto auro primo, croco, & delitiis cœlestibus, qbus nutriri debebant, amplexatæ sunt (inquit Ieremias) stercora, id est

Ierem. oblectamenta rerum inferiorum, & ipsæ iumenta, & stercora sunt effectæ: de quibus alius propheta ait: Computruerunt iumenta in stercore suo. De quo-

Ioël. rū etiam confusione, & inordinatione consonanti, hæc pauca tetigimus, ne pars aliqua huius mundanæ, & humanæ domus relinquatur intacta.

Quòd Homo concinat cum angelis eos continens. Cap. XXXII.



HOmo est (inquit sapiens) cui data est uirtus continendi omnia: Ideo ultra inferiora, & media, alterabilia uidelicet & cœlestia, apprehendit etiam angelos, & ipsum Deum: ut sit quodammodo uinculum omnium, omnibusque proximus, ac uerus mundus omnia continens, cum omnibusque conuersans: cum superis quidem per fidem, & sapientiam, cum mediis per rationē, & discursum: cum infimis per sensum, & dominium: Sitque cum omnibus symbolū habens, cū materia in proprio subiecto, cum elementis in corpore quadrifario, cum plantis in uegetatiua uirtute, cum cœlis in influxu partium superiorum ad inferiores, & in motu circulari ad idem tendens à quo uenit: cū angelis in mente, & sapientiam: cum Deo in omnium continentia, quam habet homo compositione, Deus autem sim-

Mercu. plicitate quadam. Hinc ait Mercurius: Homo uel cælicolis est præstantior,

nel saltem pari sorte potitur: Etenim quicunque cœlitum ad terram descendit, cœli limitem deserit: homo autem ascendit in cœlum, illudque metitur: Nec eum *fugiunt, quæ ima sunt, & quæ sublimia, ac reliqua omnia: & quod maius est, terram haud dimittens in cælum attollitur: tam ampla est humana potestas. Quamobrem audendum est dicere hominem quidem terrenum Deum esse mortalem, Deum uerò cœlestem immortalem hominem:* Vndè *horum uirtute gubernantur singula: uni tamen cuncta subiiciuntur. Esse itaque angelos nedum sacra eloquia docent, sed & philosophi naturales id asserunt, & probant,* Plato *maximè cum omnibus suis* Academicis, *Chrysippus, &* Aristoteles: Hic *siquidem ait, Absurdum fore, eam partem, quæ est ad gignenda animalia aptissima, ueluti sydera, & æthereas regiones, priuatam esse sua fœtura:* Vndè *necessarias adiudicabat ibi genituras, & has esse intelligentias. Chrysippus uerò in unoquoque perfectionem reperiri asserebat:* Nam *catulus imperfectus est, canis autem perfectus in suo genere:* Sic *equuleus sit equus perfectus, & puer uir.* Eadem *serie & in partibus contingit, cum manus sit perfectior pede, & oculus manu:* Vndè *cum mundi inferioris partes imperfectæ sint, quia terra tantummodo gignit: bestiæ sensu, & motu uigent: homo ratione regitur, & appetitu ad ima trahitur. Est igitur ratio sensibus non præpedita, & hanc in angelis esse oportet.* Hinc *asserebat* Plato *inter* Deos, *atque homines natura & loco medias quasdam diuorum potestates intersitas, easque diuinationes cunctas, miracula, particularesque homines gubernare:* Et *si à gentilibus genij, à nostris autem angeli nominantur.* Sed *quomodo se habeant nobiscum influendo, & conuersando, undè suauissimus resultet in operando concentus, quia hæc intuitum oculorum, cæterosque sensus effugiunt, non facilè est de eis differere, ideo non* Zenonem, Cleanthem, *Chrysippum, uel* Aristotelem, Sed *prophetas, & pontifices nostros,* Dionysium, *cæterosque patres diuino lumine collustratos in hoc negotio consulere debemus: sed præcipuè illum pontificem maximum, qui ait:* Omnia, *quæcunque audiui à* Patre *meo, nota feci uobis:* Is *enim ait:* Angeli *eorum, paruulorum uidelicet, semper uident faciem* Patris *mei: à quo hauriunt: quod in nos influant, ut tanquam fermentum cum nostra massa adiuncti, uirtute tamen summi opificis non quidem corrumpant, sed in diuinam sortem nos commutent:* Vndè *iuxta propheticum illud:* Cum *sancto sanctus eris, nobis quoque dici possit, cum angelo angelus eris.* Dum *igitur homo eorum influxum, & uigorem suscipit, dicitur* Seraphicus, Cherubicus, *angelicus, & huiusmodi pro natura suscepti influxus.* Habet *itaque homo conuenientiam cum omnibus illis, & ab omnibus suscipit (iuxta* Dionysii *monumenta) purgationes, illuminationes, & profectus.* Sed *ad particularia descendendo, suscipit homo ab angelis, ut bonus sit* Dei *nuntius, & interpres diuinæ mentis:* Ab *archangelis, ut dominetur omnibus, quibus præsidere datum est:* A *principatibus, ut etiam subditorum omnium uires*

Philoso. Plato Academ. Chryso. Aristo. Chry.


Zeno. Clean. Chrys. Aristote. Diony.

CHRISTVS.

Diony.

complectens omnes ad se ui quadam occultissima, & supercœlesti attrahat: A uirtutibus uim suscipit, qua in hostes ueritatis, & brauij, pro quo pugnamus, roboretur: A potestatibus præsidium in mundanæ huius domus inimicos: A Dominationibus auxilium, quo subiicere possimus inimicum domesticum, quem semper nobiscum portamus: Et ut debitum finem consequamur, à thronis suscipimus, undè compaginemur: & undè in nobis ipsis collecti memoriam in illa æterna spectacula figamus: A Cherubinis mentis lumen, aut superexcelsas imagines, & figuras: quibus ipsa contemplari possimus: A Seraphinis uerò, ut perfecto amore tandem ipsis inhæreamus. Et nisi symbolum, & communicationem cum angelis haberet homo, non posset in angelum transmutari, sicut iam effectum fuisse supra declarauimus.

Modulatur homo cum Deo ipsius templum, & imago existens. Cap. XXXIII.



SAtis, superq; homini datum fuit, ut ipse alter mundus effectus mundi ipsius partes omnes in se complecteretur, id tamen munificentissimò Datori parum uidebatur, nisi & seipsum homini, tanquàm dilecto filio præberet: Quod asserere minimè auderem, nisi sapientes, & ipsemet omnium bonorum largitor idem testaretur. Adiudicauit Xistus Pythagoricus hominis animã esse templum Dei, & inde inmortalẽ instar hospitis, ut locus sit proportionatus locato: Sed exerta uoce hoc Paulus intonat dicens: Templum Dei, quod estis uos: Quod pluribus locis scripturæ sacræ comprobari posset: Sed præmittamus, qualiter homo sit Dei simulachrũ ad imaginẽ Dei, & cũ similitudine ipsius factus, ut ipsemet opifex ante, quàm eum produceret, reserauit: Est enim simulachrũ, & imago Dei continens omnia, quæ in Deo sunt: Et in hoc differt imago à uestigio, quia hoc partem, illa autem totum (ut docent nostri theologi) repræsentat. Hinc qui de hac imagine pertractarũt, inuestigare conati sunt omnia, quæ in Deo repræsentare posit homo: Triuiales enim omnes tres hominis potentias cum tribus personis coaptare studentes dixerunt, quòd in memoria Pater, qui memoria fœcunda dicitur: in intellectu Filius, Dei uerbum, & sapientia, & in uoluntate Spiritus sanctus amor quippe diuinus resignetur. Sed acutiores Theologi ulterius progredientes docent, quòd etiã in operationibus (quas actus secundos dicunt) repræsentantur diuinæ illæ proprietates, aut actiones: siue (ut dicunt) notionalia, & sentialia, uel quocunque alio nomine diuina nuncupari possunt: Nescimus enim nec scientibus loqui licet arcana illa Dei semoti ab omnibus creaturarum modis: & qui est (inquit Dionysius) omnia eminenter: adeo ut hæc, quibus utimur, uocabula ea, quæ in ipso sunt, exprimere nequeant, nisi per similitudinẽ, & analogiam quandam: secundum quã ulterius progredientes dicemus, quòd etiã in passionibus nostris aliqua in Deo repræsentamus, quæ quãuis in Deo passiones nõ sint, analogicè tamẽ passionum nomine ipsas nũcupamus: ut est ira, furor, atque concupi-

Xistus. Pythag. Paulus Diony.

ſcentia. Et hinc de primis ait Propheta: Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me: Et iterum: Cũ exarſerit in breui ira eius: Et quis nouit poteſtatẽ iræ tuæ? Infinita penè ſunt loca ſcripturæ ſacræ atteſtantia irã, furorem, & excandeſcẽtiam Dei. De complacentia quoque, quæ eſt ex concupiſcenti uirtute, intonuit Paterna uox dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: & de cõplacentia, quam habet nobiſcum, in Prouerbiorum uolumine ait: Delectabar per ſingulos dies ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarũ, & delitiæ meæ cum filiis hominum. Ioannes quoque ait: Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigetum daret. Plena ſunt ſacra eloquia tam de amore Dei in bonos, quàm de indignatione eius in proteruos, & rebelles, Sed hæc omittentes ad particularia membra Dei ſimul cum Dionyſio ſacri eloquij teſtimoniis ſuffulti deſcendamus, ſecundũ quæ Dei portamus expreſsiorem imaginem: Ipſe enim ex pluribus ſcripturæ locis membra humana Deo attributa comprobat, caput, oculos, nares, os, linguam, manus, pedes, digitos, & cætera huiuſmodi: Pedibus nanque eius terram pro ſcabello dedicatam, & cœlum pro conſeſſu Iſaiæ uaticinio edocemur: Manibus quoque omnia plaſmaſſe, & digitis eadem appendere, quorum illa opera ſunt, canente Dauide: Quoniam uidebo cœlos tuos opera digitorum tuorum, Lunam, & ſtellas, quæ tu fundaſti, aut paraſti, ut habet ueritas Hebraica. Oculi autem eius ſuper iuſtos eſſe perhibentur, & aures eius ad præces eorum, uultus autem, aut facies eius, irata uidelicet, ſuper facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. Et multa huiuſmodi reperiuntur in Deo, ſed clarius in Chriſto, in quo ipſe Deus eſt habitu inuentus, ut homo: undè facilius cum eo conformari poſſumus, dicente ipſo Apoſtolo: Dedit nos conformes fieri imagini filij ſui: Ad quod peragendum Corinthios excitat dicens: Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis, illius uidelicet, qui eſt uera imago Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ: in quem transformari nobis datum eſt, dicente eodem Apoſtolo: In eandem imaginem transformamur, in eandem uidelicet, quæ eſt filij Dei: Cui Ioannes adſtipulatur dicens: Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri: Et hoc fit, quando ei conformes efficimur, primo in uirtutibus intellectiuis, poſtea ſi uires omnes exteriores, & membra ritè concordemus cum Deo, & redemptore noſtro, ut ſibi inuicem concinna ſuauitate reſpondeant. De ſupernis nanque potentiis, intellectu, uoluntate, & memoria inquit Auguſtinus in ſuo de Trinitate: In eo, quod ad contemplationem pertinet æternorum, non ſolum trinitas, ſed imago Dei eſt: Et alibi de intelligentia in ſeipſam reflexa proſequitur dicens: Ecce mens meminit ſui, intelligit ſe, diligit ſe: Hoc ſi cernimus, cernimus quippe trinitatem, non quidem Deum, ſed ipſam imaginem Dei: Si uerò declinat mens ad inferiora, nullibi reperio, quòd inde reſultet imago, imò fœdatur ratio imaginis, & tanto magis, quanto homo turpioribus occupatur. Rationalem igitur creaturam ad imaginem

Dauid
Prouer.
Ioan.
Diony.
Iſaias
Dauid.
Paulus
Ioan.
Auguſt.
Idem

Dei factam contemplantes, diligentes, eamque rememorantes rationem imaginis excitamus in nobis: Deum autem ipsum excogitantes, & amore prosequentes in eandem imaginem, quæ est ipse filius Dei, transformamur: Nã amor (authore Dionysio) est uirtus transformãs amantem in amatum: Quem amorem, & concupiscibilem uirtutem si moderemur, iramque, & excandescentiam ratione frenatam exerceamus in hostes principis, adhuc imaginem portamus illius, de quo excandescente in prophanatores templi dicit propheta (ut Ioannes interpretatur) Zelus domus tuæ comedit me: De quo iterum amore succenso in Apocalypsi dicitur: Dilexit nos, & lauit nos in sanguine suo. Nec tantum Filio conformamur, sed etiam Patris, & totius trinitatis gerentes imaginem ipsi conformari possumus: Dixerat nanque Deus (ut Moses narrat) Faciamus hominẽ ad imaginem, & similitudinem nostram: Cuius doctrinam redolens Trismegistus trinitatem, cuius imaginem gerimus, non sub personarum nominibus, sed aliis uocabulis exprimit dicens: At Pater omnium intellectus, uita, & fulgor existens hominem ipsi similem procreauit: cui tanquam filio congratulatus est: Pulcher enim erat: atque patris sui ferebat imaginem: Qui Pater est intellectus, habens (ut dicunt Theologi) essentiam pro obiecto: Filius est uita ipsomet docente, dum ait: Ego sum uita: Spiritus sanctus est fulgor, imò & ipse ignis, fulgens, & inflammans: Quibus omnibus conformamur, recta intelligentia, recta uita, rectoque amore: Conformamurque ipsi in particularibus quibusdã, quæ per analogiam scriptura membrorum nominibus nuncupare solet, de quibus particulariter uideamus.

Diony. | Psalmographus. | Ioan. | Moses. | Trism. | Theol.

De consonantia membrorum Dei, & hominis. Cap. XXXIIII.



Quæ autem sint membra in Deo, quibus homo conformari possit, adumbrando potius quàm pingendo percurremus, adducentes de pluribus aliqua, quæ scriptura sacra de re huiusmodi attestatur: & in typo arboris superexcælsæ descripserunt antiqui: Omnes enim tam creaturæ ratione utentes, quàm redẽptor, & ipse Deus arbores dicuntur, ut innuit Moses in suo horto uoluptatis, quem describit plantatum, & consitum diuersis arboribus, id est multigenis gradibus, & conditionibus creaturarum rationabilium: Sed in medio arbor uitarum dicitur collocata, à qua omnis uita tam angelica, quàm humana, & quæcunque alia sit, emanat, & fluit: & in qua omnia uiuunt, & uiuebant antequam in proprias formas explicarentur, dicente Ioanne: Quod factũ est, in ipso uita erat. Ibidem quoque dicitur fuisse arbor scientiæ boni, & mali, quæ (nisi fallor) Christus homo est, qui solus simul, & semel gustabat bonum beatitudinis, & malum passionum nostrarũ. Nec enim (ut omnes Theologi clamant) alius quisquam fuit, qui simul fuerit beatus, & uiator, nisi Christus Iesus: Cuius gradus interdictus fuit Adæ, aliis omnibus concessis. Arbor itaque homo est, arbor Christus, arbor & ipse Deus, qui in arboris typo, eo sacramento describitur, ut membra hominis omnia ipsi con

Antiqui | Moses. | Theolo.

ueniăt: Eius enim cacumen (quod coronam uocant) caput est, cui ipsa corona imponitur: Capiti autem utrinque est oculus: Dextro quidem remunerandos benignissimè intuetur, & sinistro puniēdos acrius respicit: De quibus oculis dicit scriptura: Oculi Domini contemplantur bonos, & malos. Sed illud minimè prætereundum censeo, quòd עין, *id est hain Hebraicè fontem significat, & oculum: adeo* ꝙ *oculus, & fons diuinæ pietatis idem sit, sicut & idem est oculus, & fons pietatis in nobis: Qui si aperiatur ad lacbrymas fundendas pro Dei amore, & præ dolore Christi patientis, & afflicti proximi, statim diuinæ pietatis fons ad compatiendum lacbrymanti aperitur: Ideo saluator non sine causa dixit: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur, exuberātia uidelicet diuinæ pietatis susceptа ab illo fonte, de quo dicitur: Quoniam apud te est fons uitæ. Sunt ibidē & aures, de quibus quoq; canitur in psalmis: Et aures eius in præces eorū: Ad preces etenim nostras mouentur, quando & nos aperimus aures, ut audiamus, quid loquatur in nobis Dominus Deus: & quādo audimus preces, & clamores proximi nostra ope indigentis. Sed si moueatur caput nostrum (portio uidelicet illa suprema in arce residens) in obiectum Deificum, uel bonum aliquod, mouetur & ipsum omnium præcipuum caput, & omnium bonorum largitor Deus at trabēs, & deducens, iuxta illud Saluatoris: Nemo uenit ad me nisi Pater meus traxerit eum: Præuenit enim aliquando Deus, ut ait Propheta: Misericordia eius præueniet me. Sed aliquando ipse Deus exquirit, ut nos primo moueamur, sicut scriptum est: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos. Mouetur tūc & ille, qui factus est caput corporis ecclesiæ, sicut ipse omnibus protestatur, dum, ait: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiā uos benignè ad uos ueniendo, uobiscumque mansionem faciens. Sub oculis & capite sunt utráque bracbia, & manus dextra & sinistra: Illa quippe misericordiam impartitur, & omnia bona: bac autē punit malemerentes lege seuerissima, quæ ab ipsa prouenit: Inde enim lex, & iustitia dura: & à dextera uenit lex misericordiæ, & gratiæ per Filium Dei, qui non sine causa semper dicitur in Patris dextera collocatus. Hinc magno mysterio flagitiosi duram Christi sententiā suscepturi ad iudicis sinistram dicuntur collocandi: misericordiam autem consecuturi ad dexteram. Brachium itaque sinistrum reuelatum fuerat patribus in duriori lege: sed dexterum reseratum est nobis per Filium Dei, de quo uaticinari uolēs Isaias clamabat: Domine quis credet auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatū est? aut per quem reuelatum est, ut babet ueritas Hebraica: Vtique per illum, aut supra illum, qui ascendit tanquam uirgultum de terra sitienti, iudaica uidelicet gente suis sceleribus tunc arida effecta. Venit itaque sine aspectu, & pompa regij apparatus, plenus tamen thesauris sapientiæ, & misericordiæ, quæ collocantur ad dexteram: Ideo diffudit sapientiam, clementiam, & misericordiam in discipulos, populumque ipsi creditum omnia sua distribuēs, corpus, sanguinem, & animam, beatius existimans dare, quàm accipere, omni-*

CHRISTVS. Psalm. CHRISTVS. Dauid Ioël. CHRISTVS. Isaias

CHRISTVS. Dauid *busque protestaus, & clamans: Date, & dabitur uobis: Mouete manum uestrã in proximum, & sentietis dexteram Dei in uos largißimè apertam. In meditullio autem tanquam cor, & totus uenter est uerum pulchrum Socraticum, imò diuinum, à quo omnia pulchra: de quo psalmographus ait: Virtus, & pulchritudo in sanctuario eius: pro quo nos habemus: Confeßio & pulchritudo in sanctificatione eius: Illud enim* תפארת *Tipheret, quod interpretatum est magnificentia, potius illud uerum pulchrum significat, quo omnia pulchrescunt uita, & pulchritudine diuina. Huic respondet pulcherrimum, & excellentius omnium mẽbrorum cor summopere à Deo ipso concupitum: Quo moto in Dei amorem, mo-*
Cantici. *uetur & cor diuinũ in amorem diligentis, ut in Canticis dicitur: Dilectus meus mihi, & ego illi, inter ubera mea commorabitur: Vbera enim hæc sub brachiis*
Salomon *collocata sunt, quæ lactere desyderabat Salomon dicens: Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt ubera tua uino, quia suauißimum lac propinant, quod prophetas, & amicos Dei constituit, & sapientes rerum diuinarũ. Et quia hæc propinatio facta fuit potißimè in terra promißionis (quæ uulgò terra sancta di-*
Daniel. *citur, sed à Daniele terra zebi, id est præcipua, & iucunda, cum in ea diffusa sint omnia charismata, & omnia dogmata legalia, & prophetica) ideo dicta fuit terra fluens lac, & mel, id est sapientiam, & gustum rerum diuinarum: Vndè nec mirum: si butyrum comedens, ex illo lactè confecto scit reprobare malũ*
Isaias *(ut Isaias ait) & eligere bonum: quia spiritualis iudicat de omnibus. Hæc igitur ubera lactarunt omnes prophetas, quæ alio nomine dicuntur tertiũ cælum,*
Paulus *ad quod conscendens Paulus uidit arcana Dei, quæ non licet homini loqui. Sub corde autem sunt intestina omnia, & instrumenta quædam, tanquam fundamenta totius uitæ, & generationis: Vndè in archetypo hoc intestinum dicitur fundamentum, arbor, & truncus uitarum omnium: A quo loco largißimi influxus uitæ cælestis in nos, descendunt: dummodo Deo uiuere, & ipsi uitæ uacare cu-*
CHRISTVS. *remus, ut author uitæ ait: Oues meæ uocem meam audiunt, & cognosco eas, & sequuntur me, & ego uitam æternam do eis. Vltimum autem in archetypo existens pedes repræsentat, per quos terram inhabitat, quæ dicitur scabellum pedum suorum: undè & illud Hebraicè Sachina dicitur, id est habitatio in nobis: Dicitur etiam terra uiuentium, & regnum, quo uidelicet immediatè re-*
Idem. *gnat in nobis: Et hanc diuinitatem mortalibus communicatam summus doctor regnum cælorum uocat, dum ait: Regnum Dei intra uos est, Sed hoc qui uult, sibiipsi uiolentiam inferat, cum soli uiolenti rapiant illud, maximè à diebus Ioannis Baptistæ, qui fuit terminus legis Mosaicæ, Christo Euangelicã legem ordiẽte, in qua non animalium, sed suiipsius mortificatio omnimoda exquiritur, & perfecta in homine animali subiugando uiolentia.*



Va sonoritate omnia, etiam particularia in hoc feculento mundo existentia cum archetypo conueniant. Tonus Septimus.
Rationibus & authoritatibus probantur omnia habere in archetypo aliquid, cui respondeant. Cap. I.
Cui maiestati materia prima succentet. Cap. II.
Cum quo stabiliatur terra. Cap. III.
Cum quibus cætera elementa in eodem resonant. Cap. IIII.
Quid inibi notent lapides. Cap. V.
Quam sedem illic habeant metalla. Cap. VI.
Quem locum ibidem contineant plantæ. Cap. VII.
Cum quibus nostra hæc æquetur planities. Cap. VIII.
Quibus eleuentur montes. Cap. IX.
Quid desertum, & arida. Cap. X.
Quid frugifera terra. Cap. XI.
Quid mare, & aquæ. Cap. XII.
Quid fontes. Cap. XIII.
Quid flumina, & canales. Cap. XIIII.
Quid piscinæ, lacus, & stagna. Cap. XV.
Quid mare rubrum. Cap. XVI.
Quid nubes, & pluuia. Cap. XVII.
Quid ros, & pruina. Cap. XVIII.
Quid grando, nix, & pruina. Cap. XIX.
Quid glacies, & crystallus. Cap. XX.
Quid paradisus voluptatis Cap. XXI.
Quid Gion, Physon, Tigris, & Euphrates ex ipso paradiso fluentes. Cap. XXII.
Quid Iordanis, & Ieor fluuius Aegypti. Cap. XXIII.
Quid vinum, lac, butyrum, & mel. Cap. XXIIII.
Quid terra fluens lacte & melle. Cap. XXV.
Quid oleum. Cap. XXVI.
Quid palma, cedrus, lignum setim, & hyssopus, atque salix. Cap. XXVII.
Quid uitis, & uinea. Cap. XXVIII.
Quid animalia sanctitatis. Cap. XXIX.
Quid capreæ, cerui, & hinnuli. Cap. XXX.
Qnid oues, & pastores ouium. Cap. XXXI.
Quid animalia, pisces, aues, & plantæ mundæ; & immundæ. Cap. XXXII.
Quid Ierusalem, Sion, & templum. Cap. XXXIII.
Quid Aegyptus, Babylon, & Damascus. Cap. XXXIIII.
Quid Arabia, mons Syna, & Mesopotamia Syriæ. Cap. XXXV.

RATIONIBUS ET AUTHORITATIBUS PROBANTUR OMNIA HABERE IN ARCHETYPO ALIQUID cui respondeant. Caput primum.



SAPIENTUM dogma probatißimum est, nec minus tritißimum, omnia fabricata præexistere in artificè prudenter, & non fortuito casu fabricante: Pari modo domus in architecto: sic quoque sermo præexistit in oratore: neque aliter fœtura in generante, & prægnante: sic machina hæc uniuersitatis in summo progenitore Deo, tanquā uita creatrix præerat, ad cuius metam omnia membra formaret. Numerus etenim, pondus, & mensura, quibus annumerantur, firmantur, & metiūtur omnia (ut Augustinus sapientißimè docet) non sunt in rebus productis, sicut nec mensura, qua mensuratur pannus, aut pondus, quo grauiora ponderantur, uel numerus, quo numerantur omnia, in rebus mensuratis, firmatis, aut numeratis reperitur, sed proculdubio extra eas. Numerus itaque, pondus, & mensura, quibus metita, & librata sunt omnia, extra illa omnia necessariò sunt. Et cum nihil sit extra omnia producta, nisi ipse Deus, restat, quòd in ipso sit numerus, pōdus, atque mēsura. Quamoptimè igitur & eleganter Prisci Theologi celebrarunt dogma illud antiquissimum, primo (ut fertur) ab Abraham patriarcha propalatum, quo docemur mensuras, & annumerationes esse in archetypo, quibus omnia disponuntur, & numerantur. Et de his Augustinus optimè prosequitur dicēs: In Deo sunt numeri sine numero, cum omnia, quæ in eo sunt, sint ipse Deus unicus. Estque pondus sine pondere, quo non grauatur, sed stabilitur ipse opifex dans cætera cuncta moueri, & stabiliri tandem. Sic & anima nostra est numerus quidam, & mensura rationalis dicta ab Academicis, qua omnia intelligenda à nobis & operanda metimur, ut ab errore, stultitia, & deformitate in operibus nostris declinare poßimus. Nec profectò subsisteret hæc mundi fabrica concinna, & librata ponderibus debitis nisi numerata, & librata ab opificè & gubernatore ipsius. Sic nec domus aut Resp. sua pace, & tranquillitate gauderet, nisi moderaretur ab eo, qui eandem regit: Cuius mensura, & libramen est in moderante, ad cuius metrum disponuntur omnia eidem credita. Necessariò igitur in Deo benedicto intelliguntur mensuræ, & annumerationes, quibus omnia mēsurat, & numerat, ut in Ecclesiastico legitur: Arenam maris, pluuiæ guttas, & dies sæculi, quis dinumerauit? Altitudinem maris, & profundum abyssi quis dimensus est? nisi uidelicet illa opifex, & gubernatrix sapiētia, de qua & in psalmo canitur: Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina uocat. Sed & capillos capitis omnes cōnumerat, ut in Euangelio dicitur. Qua autem mensura opifex mensurauerit hanc mundanam domum, ab Ezechiele & Ioanne serio edocemur, quorum alter calamo sex cubitorum & palmo, alter ue

[Margin notes: Augusti. — Prisci. Theolo. Abrahā — August. — Academ. — Ecclesia. Dauid CHRISTUS. — Ezechie. — Ioan.]

rò arundine aurea mensuratam ciuitatem; aut domum hanc mundialẽ se uidisse perhibet, ut suo loco latius differemus. Baltassari *quoque per* Danielem *dictum est:* Numerauit Deus regnum tuum, & compleuit: *ut innuatur quo que uitæ curricula numerata esse, ultra quæ transgredi non poßimus, sicuti* Iob *aperto ore loquitur dicens:* Breues dies hominis sunt, & numerus mensium eius apud te est: constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt, quamuis abbreuiari. *Numerantur etiam omnium merita & flagitia, ut conuenienti proportione remunerentur, & puniantur ab eo, qui per* Zachariam *loquitur dicens:* Metiar Ierusalem, *animam uidelicet (ut in sensu morali exponitur)* & uideam quanta sit longitudo, & latitudo eius. *Quod Christus clarius reserat dicẽs:* Qua mensura mẽsi fueritis, remetietur & uobis. *Et per alium* Euangelistam *ait:* Date, & dabitur uobis: Mensuram bonam, confertam, coagitatam, & superfluentem dabit in sinum uestrum, quia eadẽ mensura qua mensi fueritis, remetietur & uobis. *Sed flagitia hominum duplici dicuntur librata mensura, maiori uidelicet & minori.* Maior *montibus comparatur, dum dicitur:* Iustitia tua sicut montes Dei: *Quæ ab* Hebræis *dicitur* Din, *Quod iudicium durum, & forte significat, ut nullus ad ipsum poßit iustificari, sicut dicit* Propheta: Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia nõ iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. *Et in* Isaia *dicitur:* Facti sumus immundi omnes, & quasi pannus mẽstruatæ uniuersæ iustitiæ nostræ. *Cum quibus* Gregorius, *Omnis (inquit) humana iustitia iniustitia esse cõuincitur, si districtè iudicetur. De iustitia autem minori dicit* Micheas *propheta:* Adhuc ignis in domo impij, thesauri iniquitatis, mensura minor iræ plena. Mensa *quoq; dicuntur charismata nobis tributa, & donata fides, ut cum* Romanis Apostolus *ait:* Sicut Deus diuisit mensuram fidei. *Et iterum cum* Ephesiis: Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. *Perfectam quoque mensuram, & determinatam corporis resumendi in fœlici ac beato statu nos habituros ibidem protestatur, dum ait.* Occurremus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filij Dei in uirum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. *Mẽsuratur quòque spirituale corpus, eiusque membra, ut paulopost subintulit dicens.* Veritatem facientes in charitate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum, & cõnexum per omnem iuncturã subministrationis secũdũ operationẽ in mẽsurã uniuscuiusq; mẽbri. *Ex istis, & plærisq; aliis locis scripturæ sacræ cõprobantur mensuræ, & libramina esse in archetypo, quibus omnia inferiora, & quando creabantur mẽsurata sunt, ut unũ quodq; suis gradibus staret cõcinnũ, & nũc quoq; librantur, & pensitantur, adeo ut nihil sit in creatis, aut agatur, quod non respondeat, & examinetur mensuris illis æternis, & tantum unaquæque res sit, tantumque agat, quantum à supernis illis mensuris tributum fuerit: & tantum pro bene, aut malè actis reportent, quantum per mensuras illas decretum fuerit conuenire. Sed ad rerum particularium correspondentiam descendamus.*

Iob

Zach.

CHRISTVS.

Lucas.

Dauid

Isaias

Grego.

Miche.

Paulus

Idem

Ibidem

Cui maiestati materia prima succentet. Cap. II.



Mnia facienti, & primo actui Deo summo, ut respondeat omnipatiens materia, & prima potentia receptiua, conueniens est, ut inter illa duo extrema resultent intermedia omnia, ex eo, qui est in omnia conducenda omnipotens, & ex ea, quæ est ad omnia suscipienda dispositissima. De quorum conuenientia Eusebius Pãphilus in suo de Triade & Monade concinnè disserit. Primo (inquit) enti semper est aduersa materia: Ille nanque solum facit, hæc solum patitur: Ille duntaxat mouet, hæc tãtummodo mouetur: Quam susceptricem omnium specierum physici aliqui pandochem nominarunt: Sed Pythagoras, & Empedocles cum Peripateticis syluam: Plato uerò sinum informem, matrem mundi, receptaculum, subiectum, nutricem formarum, & earum omnium capacem potentiam, sicuti Deus est omnia potens facere, omnium earundem formator, prima causa agens in omnibus, mundi pater, fons in omnibus fluens. Et rursum dixerunt, materiam susceptricem, & expultricem omnium specierum, sicut ipsas opifex iuxta diuina, causatiuáque exẽplaria distinguit. Hæc non ens, & principium paßiuum entium, sicut Deus actiuum principium omnium, existens in omnibus, & extra omnia. Ex quo habet imagines, & obscuras ostensiones, exactionesq́ue primi entis: Vndè omnis essentia est ad actionem per potentiam deducta, idq́ue iure: Nam ex diametro ad se inuicem posita simulachra quædam proiiciunt simulitudinis. Incomprehensibile quoque intellectui primum ens constituit incomprehensibile intellectui etiam extremum: Et siquid eorum apprehendi potest, negatiuo deprehendetur ratiocinio: Nam primum ex negatiua diffinitur, ut Dionysius docet, quòd nihil existat entium, sed effectrix causa, & melior ipsis. Ex negatione etiam diffinitur aliud extremum, quòd entium nihil existat, sed ipsis deterius. Simplicißimum primum, simplicißimum quoque postremum. Sed hoc uacillat, à specie in speciem transiliendo, illud autem semper est idem, semperq́ue agens, sicut hæc semper suscipiẽs quousq́ue durabit succeßiua generatio. Media uerò interualla de utróque extremo participando minus & magis perfecta reperiuntur, quanto magis altero extremorum appropinquant. Hinc Zeno Mnasei filius Citiensis duo posuit principia rerum, Deũ & materiam: quorũ illum agẽdi dicebat causam, hanc patiendi. Sed Plato, & Socrates tertium addiderunt, ideam, uidelicet in diuis sensis, uisisq́ue Dei, aut in diuina mente, uel uerbo: ut nostri Theologi habent in usu, Quod tamen idem est. Sed hic rei series est attendenda. Respondet materia & pura ipsius potentia omnipotenti Patri: Vndè nõ sine mysterio Moses Deum inducit creatorem, & opificem materiæ huius, quæ ipsi sine aliqua intermedia causa correspondet. Cætera autem producta enarrat per intermedias causas, iussu tamen parentis primi, & opificis summi: ita quòd productio materiæ, & ipsa materia producta differt à productione aliarum rerum, & ab ipsis rebus in lucem æditis: adeo, ut Timæus Locrus, & Plato uo-

Eusebius Pamp. | Pythag. Emped. Peripate. Plato | Diony. | Zeno. | Plato. Socrates Theolo. | Timæ. Plato.

cauerint cogitationem materiæ ſpuriam, & alienã à cogitatione aliarum rerũ.

Cum quo ſtabiliatur terra. Cap. III.



Lementa omnia in cœlis, angelis, & Deo reperiri conuenienti ſua nota patefecimus: Nunc autem, qua conſonantia conueniãt eadẽ elementa cum archetypo, reſerandum occurrit. Eſt quippe paterna mens omnium fœcundiſsima, ut germina illa bina produceret, filium uidelicet, & ſimul cum ipſo Spiritum ſanctum: quibus cætera omnia huius uniuerſi produxit, & totum ipſum globum: Quod filiale germen perfecto à ſe decreto temporum curriculo in ſalutem gentium dedit. Pro quo Iſaias horum Sacramentorum conſcius deprecabatur dicens: Aperiatur terra, & germinet ſaluatorem. Hoc Theologi noſtri de beata uirgine, Hebræi de ultima archetypi menſura (quam ſachinam, id eſt habitationem mediatã Dei in nobis, & domeſticam uocant) interpretantur. Sed (ni fallor) de paterna mente meritò intelligi poteſt: quæ eſt filij in primis, & conſequenter omniũ aliarum rerum prima pullulatrix. Nam de filio, qui uerbum & ueritas Dei dicitur, canit Propheta: Veritas de terra orta eſt. Qui etiam dicitur aqua ſalutaris ex eadem terra ſcaturiens. Eſt itaque terra hæc receptiua omnium fœcunditatum, & conſequenter ueluti prima parens etiam omnium pullulatiua: adeo (ut Plutarcho authore) phyſici opinentur Deum auſpicatum mundi creationem à terra tanquam à centro, & matre omniũ. Quod & Moſes innuit enarrans productionem, quã Deus iactis fundamentis elementaribus iuſsit fieri dicens: Germinet terra herbam uirentem, & lignum fructiferum iuxta genus ſuum. Et ſicut hæ terrenæ arbores, niſi plantatæ ſint in terreo elemento, minimè uiuunt: ſic de meliori, & rationali arbore dicit ſumma Veritas, quòd niſi ſit plantata à Patre ſummo agricola, in terra uidelicet illa ſuperna, eradicabitur. Eſt etiam terra hæc in æternũ ſtans à ſuo nunquam centro diuulſa, nec ad locum alium deſtinata, omnibus aliis elementis, & elementariis rebus ſucceſsione quadam agitatis, & diuerſa petentibus ſpatia. Eſt & paterna illa mens ſemper in ſe ſtabilis, nequo miſſa, neque à centro ſuo dimota, & ſi filius, ſpiritusſanctus, intelligentiæque omnes ad diuerſa exequenda mitti dicuntur. Eſt iterum terra centrum uniuerſi: eſt & Pater cẽtrum ſphæræ intellectualis, ubique per ſuam eſſentiam & potentiam exiſtens: ſed in cœleſti palatio aperta præſentia apparens, tanquam terra, & habitatio illorum. Ad quam ſuſpirando Propheta dicebat: Credo uidere bona Domini in terra uiuentium.

[Margin: Iſaias; Theolo.; Dauid; Plutarc.; Phyſici; Moſes.; CHRISTVS.; Dauid]

Cum quibus cætera elementa in eodem reſonent. Cap. IIII.



Qua in qua eſt ſeminaria uirtus animalium (cum eorũ ſemen aqueum ſit) cum filio conuenit: qui uera aqua exiſtens continet ſeminariam uirtutem omnium rerum, dicente Ioanne: Omnia per uerbum facta ſunt. Et hoc eſt, quod dixit Moſes ex parte iubentis opificis: Producant aquæ ſerpituram, aut fœturam animæ uiuentis, & uola-

[Margin: Ioan.; Moſes.]

tilis uolitantis super terram, & super faciem globi cœlorũ. Vndè forsitan Tha-
Thales les Milesius, à quo Ionica secta, existimauit aquam principium esse rerum: &
omnia in ipsam aquam resolui, & eadem omnia ab ipsa nutriri, & ipsa priua-
ta arescere. Et quamuis fructuum & herbarum semina terrea sint, tabefieri ta-
Trism. men necessarium adiudicauit Trismegistus, si fœcunda esse debuerint: Tabefa-
cta enim fuere à principio in fonte diuinarum idearum. Tabefiunt quoque aut
humore terreo, aut rore, uel pluuia, uel de industria adiecta aqua: si germina-
Genesi. re debent. Vndè non ab re dicitur in mundanæ fabricæ descriptione, quòd uir-
gulta, & plantæ non germinauerant: quia Deus non pluerat super terram. Nec
etiam spiritualis genitura fit sine aqua, quæ Dei filius est: ut ipsemet Nicode-
CHRISTVS. mo dixit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non potest introi-
re in regnũ Dei. Ex aqua enim illa diuina suscipit uim diuinæ, geniture: sed ex
spiritu illo igneo fomentum uitæ, & nutrimenti. Nec opinãdum est hominem re-
nasci debere ex hac aqua elementari, ut aptus sit regno Dei: sed ex aqua illa di-
uina, cuius hæc elementaris est signum, & sacramentum. Est iterum aqua ne-
cessarius potus pro uita plantarum animaliumq́ue omnium sustentanda: quam-
uis homini tanquam regio animanti elegantior præparatus sit potus, aquæ ui-
Idem. delicet, quã continuo stillat uitis illa, quæ ait: Ego sum uitis uera, & Pater meus
agricola est. A qua uite uirtutem quandam solarem, & beneficam imbibens a-
qua, magis proficuum & celebrius poculum efficitur pro homine omnium re-
rum creatarum antistite: & ipsius opificis legitimo hærede. Est & sapientia il-
Ecclesiast. la filij Dei potus expurgatæ mẽtis, ut in Ecclesiastico dicitur: Et aqua sapiẽtiæ
salutaris potauit illum. Quæ etiam clamat dicens: Si quis sitit, ueniat ad me,
CHRISTVS. & bibat. Et iterum, cũ Samaritana illa loquens ait: Si quis biberit ex aqua, quã
Idem ego dedero, fiet in eo fons aquæ salientis in uitam æternam. Sed hæc quoque a-
liquando distillata per uitem illam supramundanam conuertitur in uinum salu-
Salomon berrimum ipsius electæ familiæ propinandum: Ad quod inuitabat Sapiens in
CHRISTVS. Canticis dicens: Venite, & inebriamini charissimi. De quo uino in ultimo sym-
posio celebrato ab ipsa uera uite dixit: Bibite ex hoc omnes, Ex hoc uidelicet ui-
no terrestri in cœleste commutato, subiungens: Sed ego ultrà non bibam de hoc
genimine uitis, donec bibam illud nouum uobiscum in domo Patris mei: ubi admi-
Dauid. nistratur uinum, de quo propheta agens de conuiuio cœlesti in psalmo cecinit:
Calix meus inebrians quàm præclarus est. Est etiam aqua hæc lauans, abluẽs,
Apocal. & purificans. Et de Filio Dei inquit Ioannes: Qui dilexit nos, & lauit nos à
Zach. peccatis nostris, aqua uidelicet illius fontis, de quo Zacharias uaticinando: In
illa die erit fons patens domui Dauid in ablutionem peccatoris, & menstrua-
Paulus tæ. Cum quibus Paulus cum Hebræis differens de hoc Filio Dei inquit: Portãs
omnia uerbo uirtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, aquea uidelicet uir-
Isaias tute. Isaias autem eundem uocat spiritum iudicij, aqueum tamen: sicut aliud ger-
men diuinum spiritum nominat ardoris dicens: Saluus erit omnis, cuius nomen

scriptum fuerit in libro uitæ in Ierusalem. Et hoc si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, id est animarum electarum in spiritu iudicij, & in spiritu ardoris. Iudicium ad filium pertinet, qui ait: Omne iudicium dedit mihi Pater. Ardor autem ad Spiritum sanctum refertur, qui perficit, & abstergit ea, quæ Filius purgando, & abluendo madefecerat: Cui ardori respondet hic elementaris ignis, qui cruda coquit, & calefacit: qui aurum, cæteráque metalla purgat, & diuersa in unũ conflat: qui tandem unam in alteram naturã transmutat. Sic illud cruda & horrescentia decoquit, & condit: ut poßint tanquam Dei fercula ad mensam præsentari in cœlesti, Deificóque symposio. Nam cũ de Samaritanis incipientibus iam albescere, & decoqui tanquam segetes per dispositionem Spiritus sancti loqueretur, ait: Alium cibum habeo manducare, quem uos nescitis, animas uidelicet Samaritanorum dispositas: & quæ iam decoquebantur intrinsecus operatione Deifici ignis: Calefacit, & expellit omne frigus peccati, & timoris, eo quòd non poßit cohabitare gratia cum peccato: Et charitas, si perfecta est (inquit Ioannes) foras expellit timorem. Conflauit uirtus illius sacri flaminis tempore Apostolorum corda populi audientis uerba illa inflammata, ut omnibus breui esset cor unum, & anima una. Et adeo conflat, ut separari nequeat, dicente Paulo: Quis nos separabit à charitate Christi? Purgat quoque omnem scoriam peccati, & cõcupiscentiæ igneus ille spiritus in nobis perfusus. Transmutat etiam, adeo, ut puerum pastorem & citharœdum in exquisitißimũ prophetam, & Psalmographum redderet. Implet piscatores, & doctores gentium, & lumina mundi constituit. Perfundit persecutorem Saulũ, & in uas electionis, & in Paulum immutat. Fit igitur, ut quotquot ex malis in bonos uertantur, id sit huius caloris beneficio. Aër uerò (ut docet Abraham in libro de formatione) non connumeratur inter elementa: sed tanquam medium, glutinum, & compago habetur diuersa insimul coniungens: ideo meritò respondet (ut uerbis eius utamur) spiritui, qui de spiritu est. Sed ne offendantur piæ aures existimantes, quòd duo asserantur sancti spiritus, dicemus, quòd conuenit cum uirtute spiritus conuiente omnia, quæ dißidentia uidentur, & reboanti in omnibus fistulis mundani instrumenti. Et hoc est, quod per Ezechielem dicitur: Et spiritus uitæ erat in rotis: Et quod hic de mundano, Paulus de humano instrumento docet, dum ait: Idem autem spiritus diuidit singulis, prout uult. Et plærisque in locis habetur, Spiritus sanctus homines implet, qui ignis dicitur, quia purgat, & conflat. Aër autem quia nectit, ligat, conglutinat, & implet omnia ab eo complenda.

CHRISTVS. Idem. Ioan. Paulus Abrahã Ezechi. Paulus

Quid inibi notent lapides. Cap. V.



AD elemẽtaria uenientes incipiamus à lapidibus, qui terrei sunt, & ad fundamẽta ædificiáq; accommodati Patri, Filióq; respondẽt. Hinc aliquãdo pro uno, aliquãdo pro altero, aliquãdo pro utróque petra, uel lapis accipitur. Filius enim petram se esse ostendit;

CHRISTVS.

quando dixit Petro: Et *super hanc petram ædificabo ecclesiam meã.i. supra me*
Paulus *ipsum,ut omnes exponũt.Ipse siquidẽ est lapis fundamẽtalis, ut Apost. ait: Nemo potest ponere aliud fundamẽtũ,nisi quod positũ est Christus Iesus:* Qui *&* *lapis angularis dicitur,reprobatus quidẽ ab ædificantibus secũdũ carnẽ,& sanguinẽ:sed ab opificè summo positus in caput anguli structuræ, & ædificij illius sacræ* Ierosolimæ, *quæ ædificatur ex uiuis lapidibus.* Qui *etiam fuit illa petra à* Mose *percussa, à qua fluxerũt aquæ pro poculo Israëliticæ gentis,si bene in-*
Idem *terpretatur* Paulus *cũ Corinthiis disserẽs.* Oẽs *(inquit) patres nostri sub nube fuerũt,omnes mare transierũt,& omnes in* Mose *baptizati sunt in nube,& mari: & omnes manducauerũt eandẽ escam spiritalẽ,& omnes biberunt eundẽ potum spiritualẽ:Bibebant enim de spiritali consequenti eos petra,petra autẽ erat* Christus. *Si autẽ per aquã sapientiã* Dei, *qui est filius, intelligere uoluerimus, ut supra reserauimus:petra,ex qua fluxit illa aqua sapientiæ salutaris,* Patrem *merito signat:* Quæ סלע Hebraicè *dicitur;quod nos fortẽ, uel montẽ petrosum, aut cõfugiũ possumus interpretari.* Et *quis est fortis, & omnipotẽs,& supremũ omniũ confugiũ, nisi* Pater *æternus?* Nec *miretur quispiam,ꝙ petram nũc pro* Patre,*nũc pro* Filio *accipiamus:quia in sacris literis aliquando pro utróque simul ponitur.* Nã *euen* אבן Hebraicè *lapidẽ significat,cuius dictionis si duæ primæ literæ accipiantur,* אב *ab faciũt,quod* Patrẽ *significat:* Si *autẽ media cum ultima coniungitur* בן *ben cõstituũt,quod* Filius *interpretatur* אבן *igitur quod nos dicimus petram,&* Patrem *& filium resignat,qui idem sunt,reprobati quidem ab illis ædificantibus,& construentibus,doctrinas & statuta Hebræis,siue gentilibus:qui nõ confitẽtur* Deũ Patrem,*&* Filiũ *eius* Iesum Christũ: Qui *nunc aqua fluens de petra,nunc ipsa eadem petra dicitur: quia à* Patre *procedit,idem tamen cum* Patre *semper existens.* Sed *quomodo,& cur* Moses *hanc petram percusserit, & cur ex illa percussione indignatus* Deus *contra ipsum* Mosem, *&* Aaron *dixerit:* Quia *non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis* Israël, *propterea non introducetis populum hunc ad terram, quam dedi eis, altiorem exquireret indaginem hoc negotium.* Percussit *bis, duplici errore uidelicet:* Altero, *quia minus credidit quàm debebat:* Altero *uerò, quia præceptum transgressus est:* Demandauerat *enim* Dominus, *ut loquerentur ad petram: &* Moses, *consentiente* Aaron, *ipsam percussit:* Ideóque *conquestus est* Deus *quòd non crediderint,solum uidelicet sermonem sufficere, & quòd transgressi sunt limites mandati percutientes petram, ad quam imperauerat* Dominus,*ut tantummodo loquerentur.* Et *hoc fuit eorum peccatum,non autem, quia uendicauerint sibi, quod* Deo *tribuere debuissent, sicuti multi exponunt.* Nec *parua fuit transgressio conducere* Dei *opus per seueritatem (id enim percussio innuit) quod* Deus *per pietatem,ut magis sanctificaretur in populo, perpetrare statuerat iubens, ut pio & dulci sermone absque percussione aquam de petra educerent: cum non essent extrahendæ aquæ misericordiæ*

per asperã iustitiæ fistulam. Postquã igitur uoluerũt in uirga ferrea (ut aiũt) agere cũ populo, meruerũt sentire diuinã, ferreãq; sententiam, qua dictũ est. Nõ introducetis populum in terram, quã dedi eis. Longius & mysteriosius forsitã esset, quàm hic exquirat locus, retexere omnia arcana, quæ de petra possent referari: & cur nunc אבן eben, nunc dicatur סלע selah, nunc צור zur, de qua in psalmo ait David בצור bezur, id est i petra exaltauit me: Quod uocabulũ etiã nomẽ Dei forte significat. Sed his omissis ad nostra ueniamus, concludẽtes quòd in archetypo, à quo omne robur, & uirtus à quocũque inferiori hauriatur est idea, & uirtus petræ, cui hæc inferior subiectione æquatur conuenienti. David

Quam sedem illic habeant metalla. Cap. VI.



Etalla, quæ aquea sunt, illi supremæ aquæ respondent: de qua dicitur in Ezechiele: Effundam sup uos aquã uiuã, Deũ uidelicet Filiũ: qui & uitæ, & sapiẽtiæ dicitur aqua, & plenus thesauris absconditis: quos tanq̃ uerus dux, & imperator totius militiæ spiritualis copiosissimè p exigẽtia uniuscuiusq; expendit, donãs ex eis omnibus, qui de nouo suæ militiæ ascribũtur donatiuũ opulẽtissimũ, ut p Osee prophetã dicitur: Argẽtũ multiplicaui, & aurũ, in donatiuo uidelicet. Sed cõqueritur, q eius milites illud dedicauerint Bahal polluẽtes dona, & charismata diuina, sicut in Ioële apertiori querela prosequitur dicẽs: argentum meũ, & aurũ meum tulistis: & desiderabilia mea, & pulcherrima mea induxistis in delubra uestra, Sicut & de Balthassare legimus in Daniele, qui uasa aurea, & argẽtea, & ptiosa quæquæ pfanauit abutẽdo eis cũ epulonibus, meretricibus, & ganeonibus: Quem (proh dolor) imitantes q̃ plurimi donatiuo gratiæ, & donis Spiritus sancti abutũtur in rebus pessimis cõflãtes idolũ, & uitulum prostitutionis suæ, sicut olim præuaricatores illi, quos deduxit Deus ex Ægypto in argẽto, & auro multo, quo necessaria cõpararẽt, & offerrẽt pro tabernaculo Domini construendo, illud conflauerũt in idolũ scandali, & perditionis. Gratia igitur, & charismata diuina nobis per filiũ Deũ impartita sunt, uerum aurum, & argentum: cuius proprius possessor Deus est, qui per Aggeũ protestatur dicens: Meum est aurum, & meũ argentũ. Illud tamen nobis libẽter communicat gratam habens permutationẽ quandam, de qua in Apocal. dicitur Suadeo tibi emere à me aurum ignitũ, ut locuples fias. Nec habemus, quod permutare possimus, nisi flagitia, peccata, & liberum arbitrium. Sed aliquando gratis impartitur pro necessariis cibis, & uestimentis, ut queamus in conspectu regio nuptiisque cœlestibus comparere: Quod si amittimus, ueh nobis, quia expulsi à nuptiis pücienur in tenebras exteriores. Et hoc est, quod deplorabat Ieremias in lamentationibus dicens: Filij Sion inclyti amicti auro primo, quomodo conuersi sunt in uasa testea. Et iterum: Quomodo obscuratum est aurum. Et per Isaiam dicitur: Argentum tuum uersum est in scoriam, offuscata uidelicet cognitione spirituali, refrigerata charitate, & fœdatis, aut fugatis charismatibus

Ezechi. Osee. Ioël. Daniel Aggeus Apocal. Ierem. Isaias

diuinis. Et tanti auri est possessor cœlestis Imperator, ut etiam pauimentum supernæ ciuitatis ab ipso rursum fabricatæ, ex auro in Apocalypsi legamus confe
Iob ctum. Sed ultrà progreditur Iob dicens, etiam glebas terræ illius supernæ regionis ex auro fabrefactas, ut concordet terra cum pauimento, & fundamento
Paulus unico, qui est ipse Iesus Dei Filius, ut ait Apostolus: Super quo & nos ædificare suadet aurum, argentum, & lapides pretiosos: Quod signabant omnes oblationes, quæ in antiqua lege fieri iubebantur. Sed & hoc thesauro nobis impartito mandat, ut lucremur supramundanas diuitias datis nobis quinq;, duobus, aut
Matthe. uno talento, ut refert Matthæus: uel decem, aut quinque, siue una tantū mna, si-
Lucas cut in alio euangelista legimus, durißimè comminando, nisi curemus augere pecuniam, & multiplicare cœlestes thesauros, in quos has thesauri feces commutare debemus. Nec tātummodo iste Deus Filius sibi uendicat pretiosiora metalla, quæ ad thesaurum pertinent, sed & omnia alia aquea, & fusilia, quæ eiusdem generis sunt pro diuersis conducendis ab opifice præparata, maximè uero pro bello gerendo, & imperio conseruando. Ad quod ferrum necessarium est in malorum supplicium, & stabilè robur regni, & imperij ipsius Filij Dei: de quo di-
Dauid citur in psalmo: Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te: Postula me, & dabo tibi gentes in hæreditatem tuam, & possessiones tuas termi-
Idem. nos terræ: Et reges eos in uirga ferrea. Et iterum in alio psalmo: Ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Sed & de
Apocal. ferro pro re bellica in Apocalypsi dicitur, quòd gladius ex ore eius procedebat ex utraque parte acutus, ad debellandos uidelicet, & comprimendos rebelles. Et si non adest uindictæ, aut iustitiæ tempus; adhuc tamen ferrum ex-
Ierem. quiritur, quo scribantur peccata punienda, sicut in Ieremia legimus: Peccatum
Iob Iehuda scriptum est in libro ferreo. Sic & Iob ait, Vt exarentur in libro ferreo. Est quoque necessarium æs ad uasa templi conflanda: ideo non sine myste-
Exodus rio in Exodo iubentur omnia uasa tabernaculi confici ex ære, similiter & ua-
Re.iii. sa templi, & mare, ut in tertio uolumine regum legimus: Quod æs multum nimis sanctus Dauid, qui elegantißimum Filij Dei typum geßit, Spiritu sancto plenus accipiens de bet, & berot ciuitatibus Adadezer Aßyrij præparauit pro uasis illis, mari, altare, & columnis conflandis. Tulit quippe æs de Aßyriis, qui negotiatores interpretātur, bonus negotiator: ut ipsum in meliorē usum,
CHRISTVS. & Dei ministerium conuerteret, sicut docet summa Veritas dicens: Facite nobis amicos de mamona iniquitatis, commutādo uidelicet æs, ferrum, & lapides istos, qui pretiosi dicuntur, in illos supernæ ciuitatis: in qua non tantum aurum,
Deut. sed ferrum, & æs pretiosum reperitur, ut typicè loquitur Moses in Deuteron. dicēs: Eius lapides ferrei sunt, & de montibus eius æs foditur. Nec enim in terra hac inferiori, quæ Canahā, aut Charam dicitur, ab illo peregrinanti populo, iuxta sponsiones diuinas poßessa, sunt (sicut nouimus, & uidimus) lapides ferrei: nec de montibus eius æs, aut metallū aliquod foditur: undè de meliori regio-

ne, cuius illa inferior typum gessit, necessario intelligitur. Stãnũ autẽ, & plũbũ quasi feces metallorum non reperiri dicuntur in illa superna regione: in qua nihil feculentum, nihil imperfectum adesse potest. Hinc aliquando imperfecti, & à diuinis recedentes, tanquam argenti scoria illis comparãtur fecibus, ut in Ezechiele dicitur: Omnes isti æs, ferrum, stannum, & plumbum in medio fornacis scoria argenti facti sunt. Et per Isaiam promittit Dominus auferre stannum, & scoriam argenti à populo suo, reducendo eos ad argenti & auri ueram speciem. Ideo expreßius & excellentius habetur in archetypo aurum & argentum, cui hoc inferius aliquid pretiositatis continens correspondet: Inter quæ homo tenens locum medium alteri eorum adhæreat necesse est. Sed audiamus Redemptoris monita dicentis: Thesaurizate uobis thesauros in cœlo, Cætera quoque metalla, & omnia quæque necessaria in supernis habent suum locum, undè sumant uirtutem & robur cuiuscunque bonitatis, quæ in ipsis est. Ezechi. Isaias CHRISTVS.

Quem locum ibidem teneant plantæ. Cap. VII.



Vm trium mundorum connexio, & correspondentia pertractetur, & de conuenientia arboris huius uegetalis cum intellectiuis arboribus plantatis in cœlesti hortulo dictũ sit, restat, ut de superexcelsa arbore, quæ est idea, fons, & origo omnium aliarum, & illarum cum ipsa concentu pertractemus: Est enim arbor illa suprema typus, & radix omnium, nedum arborum, sed quarumcunque rerum, ut habetur ex Hebræorum monimentis. Sed illa aliquando dicitur arbor uitæ sita in medio paradisi, id est supramundanæ regionis, de qua plenius habetur in Genesi. Quã etiam celebrat Ioannes in sua uisione pathmotica dicens: In medio plateæ, eius & ex utráque parte fluminis lignum uitæ afferẽs fructus duodecim, per menses singulos reddens fructus suos: & folia ligni ad sanitatem gentium. Verum ut fructifera sit arbor continuò irrigatur à fontè illo supremo, qui ait: Me dereliquerunt fontem aquarum uiuentium dominum. Ideo dicitur, quòd lignum & arbor illa uitæ erat ex utráque parte fluminis. Nec ab re dicitur producere fructus duodecim per duodecim menses: quia irrigata est à quadruplici fluuio magni nominis quadriliteri ab æterno illo fonte emanante: Qui quadruplex fluuius, aut nomen ter reuolutum duodenarium facit: & pro qualibet reuolutione alicui signo præfertur, ut docetur in Theologia Hebræorum. Et inde omnium signorum & intelligentiarum præsidentium fœcunditas, & primarij influxus, & fructus duodenarij per totius anni & temporis spatium. Sed nedum fructus rationales, id est bene initiati, & perfusi illo influxu sunt salubres & proficui, sed etiam sibiipsis infructuosi, & non plena gratia (quam gratum facientem uocant) donati, sunt utiles aliis impartientes doctrinam, & conferentes sanitatem per sacramenta & sacrificia, licet nihil eis prosit. Et isti sunt folia, de quibus dicitur: Et folia ligni ad sanitatem gentium. Et hæc eadem arbor aliquãdo dicitur scientia boni & mali, dum uidelicet exi- Apocal. Ierem. The. Heb.

nanita, & mortali unita carni experitur etiam malum passionum humanarum simul cum bono, quo plenissimè diuina illa portione perfruitur. Quæ *arbor est in medio paradisi, ut omnibus pro recipientium exigentia, aut dantis liberalitate fructus suos æqua portione communicet.* Et *hinc aliquando sese uitem nominat dicens:* Ego *sum uitis, & uos palmites: ut in statu mystico, aut in uera transmutatione, quam facimus aliquando in* Deum, *eadem planta sumus cum suprema imò rami & surculi ipsius.* Cuius *arboris, aut uitis, & totius hortuli cum cæteris arboribus agricola est ille, de quo dicitur:* Et Pater *meus agricola est.* Nam *in illo supremo horto non tantum diuina illa, excelsa, & supramundana arbor plantata est, sed multæ aliæ: quibus totus hortulus est completus, de quibus dicitur in* Genesi: Produxit *dominus* Deus *de terra, illa uidelicet uiuentium omne lignum, uel arborem pulchram uisu, & ad uescendum suauem.* Et *iterũ:* Ex *omni ligno paradisi comede.* Nec *enim in illo paradiso sunt ligna hæc uegetantia: quæ solent à nobis pro tempore plantari, & in usum ædificiorum conuerti, uel arefactioni exponi, ut comburantur: sed quæ ab æterno plantatæ sunt ab illo agricola, de quo dicitur ibidem:* Plantauerat Dominus Deus *paradisum uoluptatis à principio.* Ipsemet *quoque in* Isaia *dicit:* Ego *plantaui te uineam electam.* Et *in psalmo dicitur:* Perficè *eam, quam plantauit dextera tua.* Sed *in alio psalmo nihil expressius eo, quod dicitur:* Saturabuntur *ligna* Adonai: *pro quo nos habemus ligna campi & cedri* Libani, *quas plãtauit.* Ligna *hæc, aut arbores uocantur* Adonai, *& tetragrammi, aut quadriliteri: ut intelligatur de quibus arboribus loquitur.* Et *cedros adiungit quas plantauit ille, qui nisi plantet, omnes eradicabuntur.* Si *autem à sensu anagogico ad sensum moralem* Origenem *sequentes transcendere uoluerimus, arbores sunt uirtutes plantatæ, & infusæ nobis à cœlesti agricola, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectũ:* In *paradiso enim, & in statu hominis delitiantis in illis ueris, & æternis delitiis est plantata arbor iustitiæ, & arbor prudẽtiæ, fortitudinis, & temperantiæ: uel arbor pietatis, clementiæ, & sapiẽtiæ, aut disciplinæ.* Quæ *bonæ arbores nõ possũt malos fructus facere: qa pudicitia bona est, nec potest afferre fructũ impudicitiæ: nec iustitia iniustitiæ fructus ꝓducit: nec ea stultitia, quæ plãtata est in corde tuo, poterit afferre fructũ sapiẽtiæ: neq; ulla iniustitiæ arbor dabit fructũ, aut florẽ iustitiæ.* Sed *aduertẽdũ est, ꝙ arbores bonæ sunt* Spiritus Dei *& diuinæ, quarum fructus cõnumerãtur à* Paulo, *dũ inquit:* Fructus *autẽ* Spiritus *est pax, charitas, gaudiũ, patientia, longanimitas, benignitas, bonitas, & quæ sequuntur.* Arbores *autem malæ sunt carnis, cuius opera, & fructus describuntur ab eodem dicente:* Manifesta *sunt opera carnis, immunditia, impudicitia, luxuria, & id genus:* Quæ *arbores infructuosæ, aut mali fructus succisæ arefient igne comburendæ inextinguibili, ut summa* Veritas *ait:* In *ignem mittent, & ardent.* Ad *superiorem autem sensum redeundo, in quem alibi idem* Origenes *consentit, omnis arbor est omne genus personarũ, siue rex sit,*

CHRISTVS. Genesi. Idem. Ibidem Isaias Psalm. Idem Orige. Paulus Idem CHRISTVS. Orige.

aut seruus, ciuis, aut rusticus, artifex, aut etiam mulier: Vterque enim sexus tam in arboribus, quàm in animantibus reperitur: Illas autē aliquādo plantat Deus pulcherrimas etiam in cœlesti paradiso: & aliquando euellit, ut per Ieremiam ait: Quos plantaui, ego euello. Sed per Ezechielem tota series arboris plantatæ in horto delitiarum, & irrigatæ, confotæ, atque euulsæ describitur sub nomine Assur per quandam hyperbolen, ut sentit Hieronymus: Ait enim Ezechiel: Ecce Assur, quasi cedrus in Libano pulcher ramis, & frōdibus nemorosus, in excelsum eleuatus: Aquæ nutrierunt illum, abyssus exaltauit eum, flumina eius ibāt in circuitu plantationis suæ, & riuos illius misit ad omnia ligna campi: Ideo exaltatus, & eleuatus est super omnia ligna agri: Et adeo describit ipsam arborem excelsam, quòd in paradiso, ubi erat plantata, nec cedrus, nec abies, aut cupressus, uel alia quæpiam arbor paradisi Dei ipsi poterat assimilari. Sed ne de tanta altitudine nimium confidat, subiungit: Iuxta impietatem eius eieci eum, & succident eum alieni: Et multa prosequens de ipsius ruina tandem subinfert: Ecce descendere te feci cum lignis uoluptatis ad infima terræ: Vndè docemur, quòd etiam plantati quacunque sublimitate in paradiso delitiarum decidunt, sicut protoplastes, & intelligentiæ illæ, quæ ceciderunt: cum nullus ex se stare, aut erigi possit, ut summa Veritas ait: Si quis (inquiēs) in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & in ignem mittent, & ardet. Sunt igitur arbores uegetabiles: sunt arbores humanæ: sunt arbores angelicæ est: & arbor suprema, atq; diuina. Nec istæ uegetabiles uirescunt, nec fructum producunt, nisi donatæ uita, & fœcunditate à suprema per medias. Nec humanæ, aut angelicæ arbores uiuunt, aut stabiles sunt nisi conseruentur ab ea, quæ sola in se stabilis est: & ab eadem uitam hauriant, & irrigentur à fonte illo superno, à quo omne bonum: ut de angelis Iob perhibet dicens: Ecce qui seruiunt ei, nō sunt stabiles, aut nō credēt, scilicet firmiter: & in angelis suis posuit mutationem, quā aliqui prauitatē, alij autē splendorem interpretati sunt. Et de arboribus humanis dixit summa Veritas: Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructū multum: quia sine me nihil potestis facere. Habent igitur arbores omnes inferiores illam supernam arborem, cui correspondeant: & à qua uitā, incrementa, & fructus suscipiant: de qua multoties in sacris eloquiis innuitur sub typo harum inferiorum. De illa igitur déque aliis arboribus excelsis (ut opinor) à prophetis edoctus Plato in Phædro sub Socratis persona supra humanas semitas loquens, altiorem illum mūdum, & puriorem describit, simul & omnia, quæ ad hominis usum producta sunt, à communi hac conditione seiungēs. Puriora nanque illa & perfectiora esse asserit: uerumque ibi esse cœlum, ueramq; lucem, ueram quoq; terram: A qua si quis ad hanc, quæ à nobis colitur, terram, lapides, arbores, flores, fructus, & huiusmodi deuenerit, ambesa atque corrupta omnia salsedine quadam maris huius uideantur. Declarat quoque, quāta sit differentia inter eam speculationem quā ueri Saturnij, & à turba se-

Ierem. Ezechil. Hiero. Ezechie. CHRISTVS. Iob. CHRISTVS. Plato

moti, diuiniq́ue uiri habent, & eam, qua potiuntur; qui terrenis huiusmodi curis impliciti contaminati sunt salsedine, id est sapientia huius mundani maris. Sunt nanque (inquit) ibi arbores, flores, fructus, montes, lapides Sardij, Iaspis, Smaragdus, & cætera huiusmodi: quorum istæ sunt particulæ quædam deformes, & ad horum speculationem, & claram intuitionem peruenimus mortui, ut superius admodum apertè reserauit, non quidem morte corporis, sed per omnimodam sensuum sequestrationem, & purgatorias uirtutes ab omni extraneo, & alieno. Quousque autem illa omnia claro intuitu nobis prospicienda offerentur, & reuelata facie contemplanda, per has inferiores inter nos est habendus sermo, ex quibus innuere ualeamus supramundana atque diuina, & horum tandem auspiciis ad ea sortis nostræ non immemores euehi.

Cum quibus nostra hæc æquetur planities. Cap. VIII.



IN cœlesti regione nō solum sunt lapides, metalla, arbores, & fructus, ad quæ per hæc inferiora conduci poßimus, sed etiam est situs planus, & montuosus, & asper: estq́ue frugifer, irriguus, & satiuus: & ex aduerso syluestris, & aridus, sicut & hic inferior diuisus est mundus. Tripartitam enim hanc uidemus terram, cuius una pars est plana, habitabilis, & irrigua: alia deserta, & arida: tertia uerò montuosa. Et montium aliqui, maximè colles, fœcundi sunt & pingues: & aliqui deserti, & aridi. Sed pro nunc de planitie prosequamur, quam in regione illa superna reperiri testatur Psalmographus dicens: Qui ascendit, uel equitat super planitiem. Dominus nomen illi: pro quo mendosa traductio habet occasum: Nam ערות id est harauot iucundum, aut planitiem significat: quod traductor noster uertit occasum, existimans fortè uerbum illud prouenire ab ערב, quod uesperum denotat, & horam illam, qua Sol ad occasum uergit: Sed hoc per duo segol, illud autem per pata het camez punctatur, & differūt penitus in significato. Bene igitur dicit Propheta, quòd Deus equitat super iucunditatem, & planitiem: cum sit fœlicißimus ex se, nihil asperi, nihil hispidi continens. Verū alij (& forsitan melius) illud harauot interpretantur cœlum empyreum summè planum, & lene: in quo nec tumefactio stellarum, nec gibbosum, uel asperum aliquod reperitur: sed totum est planum, totum iucundum, atque amœnum. Si autem adhuc altius conscendere uoluerimus ad supramundanam, scilicet planitiem, comperięmus, quòd sicut sunt aquæ supercœlestes, quæ Dominum continuè laudant, & aquæ, & ignis diuinus, ut supra tetigimus, pari modo sunt in archetypo illo planities, à quibus omnia iucunda, lenia, dulcia, amœna, & delectabilia procedunt. Et hæc apud antiquos Theologos dicitur regio meridionalis supramundana, de qua in Canticis concinitur: Indica mihi, ubi pascas, ubi cubes in meridie. Et iterum: Veni Auster, & persla hortum meū, & fluent aromata, & omnia delectabilia: A qua plaga uenit ille, in cuius aduentu (ut Isaias simul cum Baptista testatur) fuerūt praua in directa, & aspera in uias planas. A meridie enim ue-

Psalm. — Ant. the. — Canti. — Isaias — Ioā. bap.

nit Redēptor, si uera præsensit Abacuc, qui ait, Deus מתימן id est de Teman ueniet scilicet ab Austro, ut bene interpretatus est Theod. & cōsentit Hierony. in cōmētariis, & rei ueritas est: Nā uenire ab Austro, est uenire cū lumine ueritatis, & cum gratia, & misericordia: Quod totū tangit Ioan. dicens, quòd ipse est lux, & ueritas, & quòd gratia per eundem facta, & diffusa est. Et sicut à fulgenti meridie, & leni planitie uenit, ita ab eius asseclis hoc planum iter assequendum est, pacis quippe, mansuetudinis, patientiæ, quietis, æquitatis, pietatis & æquanimitatis ut (si fieri posset) nihil asperi, nihil horridi in eis præsentiatur. Hinc iussit remittendas iniurias, pacem omnibus denuntiari, & afferri, patienter omnia sufferri dicens: Beati misericordes, Beati pacifici, & beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: Imò & omnia instrumenta bellica, & occasiones pugnandi deponi iussit, iuxta Isaiæ uaticinium, quo ait: Et conflabunt gladios suos in uomeres, & lanceas suas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladiū, nec exercebuntur ultrà ad prælium. Quod obseruauit Christus iubens Petro, ut poneret gladium in uaginam omnem uindicandi animum interdicens. Sic & quando Iacobus, & Ioannes (ut narrat Lucas) uoluerunt aduocare ignem de cœlo, ut consumeret Samaritas, qui neglexerant suscipere Christū hospitio, increpauit eos dicens: Nescitis cuius spiritus filij estis? pacis uidelicet, & charitatis, Et subinfert: Filius hominis nō uenit animas perdere, sed saluare, Vndè & ipse melius factis q̄ uerbis docēs, tanquā mutus stetit corā tōdente ipsum, non aperiens os suum, & tanquam agnus, qui ducitur ad uictimā. Quod obseruauere tot ueri christiani, qui per trecentos, & iis plures annos, innumerabiles omne genus martyrij animo imperturbato sustinuerunt: Apud quos nec murmur, nec querimonia resonabat, imitatores enim effecti erāt illius ueri agni in dextera dei collocati, qui ad uictimā silens ductus est, os suum non aperiens in blasphemiam, contumelias, aut querimonias aliquas: Sed heu infœlicia tempora, cum in Christianis solum nomen relictum sit, fugata omni Israëlitica, imò Christiana mansuetudine, & lenitate, falces & uomeres, in quos conflati erant gladij, iterum conflauerunt in lanceas, & rompheas acutissimas & noxias effecti Esauani, & Idumæi, hispidi, horridi & contentiosi super omnes nationes & populos, adeo ut neque in temporalibus, neque in spiritualibus aliquando à litigiis uacent, sempiternis cōtentionibus ubique addicti, ut Christus eos iam suos esse minimè cognoscat, sed eis dicat: Nescio uos: & excludat à regno pacatissimo, leni, & amœno eos, qui semper aspera itinera, & uitam hispidam prosequuti sunt. Possedimus (inquit Moses suo typico sermone) omnes ciuitates, quæ sitæ sunt in planitie, factusque est earum bonus possessor ipse, de quo in Numeris dicitur, quòd erat uir mitissimus super omnes, qui morabantur in terra: Per quā uiam incessit & ille, qui dixit: Memento domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Christus quoque suis christicolis dixit: Beati mites, quoniam ipsi possibunt terram, illam uidelicet planam, & pacatissimam. Sed quia

Theod. Hiero. CHRISTVS. Isaias CHRISTVS. Lucas. CHRISTVS. Ident. Moses. Numer. Dauid

montes, & eorum habitatores commendãtur in sacris eloquiis, ideo, & quid isti montes significent, prosequendum est.

Quibus eleuantur montes. Cap. XIX.



Ntrantes electi filij Israël promissionis terram non modo planities, sed montes possederunt debellatis, & expulsis eorum habitatoribus, ut in Iosue legimus, ubi dicitur: Cœpitque Iosue omnem terram montanam, & meridianam, terramque Iesse, & planitiem, & occidentalem plagam, montemque Israël, & campestria eius, & partem montis, quæ ascendit Sebir usque Baalgat per planitiem Libani subter mõtem Hermon, singula quæque distribuens tribubus & familiis illis, ut longo sermone prosequitur: Quæ omnia in figura contingebant patribus illis, qui typum tenebant introëuntium ueram promissionis terram duce Iesu, cuius Iosua ib figura præcessit. Est nanque superna terra (ut diximus) uera planities, ubi sunt etiam montes irrigui, & aridi, & utrique necessarij. De primis canitur in psalmis: Rigans montes de superioribus, aut excelsis suis, sicut isti materiales irrigantur à nubibus superioribus: sed isti non producunt aromata sicut illi, de quibus dicitur in Canticis: Fuge dilecte mi, & assimilare capreæ, binmulóque ceruorum super montes aromatum. Nec stillant dulcedinem sicut illi, de quibus ait Ioël: Et erit Ierusalem sancta, illa uidelicet superna completo electorum numero, aut apertis portis per Redemptorem, sic ordinata, quòd alieni non transibunt per eam, & in die illa (ut sequitur) stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte, sicut de tota terra Zebi dicit, quòd fluet lacte & melle, non quidem lacte, quod exprimitur ex uberibus caprarum, uaccarum, & ouium, sed ab illis uberibus excelsis, de quibus dicitur: Meliora sunt ubera tua uino: Nec melle, quod deducit ex floribus solicita apis, sed illo, de quo iterũ dicitur: Mel & lac sub lingua eius: Et à Dauid in psalmo: De petra, melle saturauit eos, id est de melle emanãte à petra, quæ est Deus: Nam צור id est Zur, Quod nos habemus interpretatum petram, nomen Dei forte significat. Reddunt igitur illi montes & lac, & mel dulcissimum & aromata suauissima: ideo anhelabat ad eos ille, qui dixit: Ibo ad montes myrrhæ. Est autem inter eos præcipuus mons, ad quem multoties ipse clementissimus Deus, sua benignitate nos deducit, dummodo exequamur, quæ nobis mandauit: ut per Isaiam protestans ait: Custodiẽtes sabbatum meum, & tenentes fœdus meum adducã in montem sanctum meũ, & ex hoc tanquam ex ærario omnium thesaurorum asserebat Dauid se impetrare, quod petebat dicens: Exaudiuit me de monte sancto suo. Et hic mons aliquando pro hospite, & aliquando pro hospitio sumitur. De hoc iterum Propheta canit: Quis ascendet in montẽ Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Et alibi: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Est etiam ipse Deus hospes, mons supremus, cuius cacumen eleuatum est in immẽsum. Est quoque mons excelsus Messiah, de quo Isaias aper-

[Marginal notes: Iosue; Psalm.; Cantic.; Ioël.; Canti.; Dauid; Salomon; Isaias; Dauid; Idem; Itidem.; Isaias.]

to sermone ait: Et erit in nouissimis diebus præparatus mons Domini in uerticè montium, & eleuabitur super omnes colles, & fluent ad eum omnes gentes: & ibunt populi multi, & dicent: Venite ascēdamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iabacob, idest ad Christum, & ecclesiā, & docebit nos uias suas: & ambulabimus in semitis eius, quia de Sion exibit lex, ubi diffudit spiritū sanctum suum super Apostolos, qui suggessit eis omnia, quæ continebantur in lege. Sequitur: Et uerbum Domini de Ierusalem: Nam ipsum Dei uerbum æternū humanatum uerbum frequens habuit in Ierusalem, & in templo illo Ierosolymitano. Iste igitur mons fuit, qui & aliquando planities dictus est, quando in aduentu suo reddidit omnia aspera in uias planas. Sed & mons dictus est sublimis super alios propter eminentiam naturæ: plenitudinem gratiæ, & culmen uirtutum, atque meritorum. Sunt alij quoque montes intellectuales, qui tanquā ministri supremo monti assistunt, & inseruiunt, de quibus Isaias ait: Montes & Isaias
colles cantabunt laudem, & omnia ligna regionis plaudent manibus. Nec enim cantant saxosi, & terrei montes, nec ligna combustibilia plaudunt manibus, sed rationales arbores, & montes, de quibus iterum in psalmo: Simul montes exul- Psalm.
tabunt ante faciem Domini, quia uenit: Et rursus: Montes exultauerunt, aut sal Psalm.
tarunt (iuxta Hebraicam ueritatem) ut arietes, & colles, sicut agni ouiū: Quæ omnia ad superiores montes, colles, arietes, & agnos, quorum simulacbrum habent, & quibus correspondent, referuntur, si rectè intelligi debent. Sunt etiam montes mali magni robore, & malitia, ut in Ieremia loquitur Dominus dicens: Ierem.
Ecce ego ad te mons pestifer, aut desolatè, uel corruptor: ait Dominus, qui corrumpis uniuersam terram: extendam manum meam ad te, & euoluam te de petris, quibus scilicet confectus es, & dabo te in montem combustionis, ubi, iuxta sapientis sententiam, potentes potenter tormenta sustinebunt. Et ad satan, qui Sapien.
aduersabatur Zorobobeli ædificanti templum, dicit Dominus per Zachariam: Zacha.
Quis tu mons magne contra Zorobobel? Sed hos facilè Dominus demolitur, & dissipat per se, aut per electos sibi montes, sicut ad Isaiā inquit: Triturabis mō- Isaias
tes, & comminues: & colles quasi puluerem pones. Et in sortem istorum montiū positus est שעיר *id est Sebir datus in possessionē Esau, & ducum, qui egressi sunt de lumbis eius, id est hominis animalis & omnium, quæ ad ipsum pertinēt, ut in Genesi sub figuratiua testa longo sermone describitur. Hoc enim indicat* Genesi.
nomen sebir, quod non tantum montem illum, sed turbinem, turpitudinem, malā cogitationem, malam mentem, crinem, pilum, capillum, hircum, & diabolum nō sine mysterio significat: Ad quem montem conscenderat ille, qui fuit caput totius rebellionis, turpitudinis, superbiæ, & malæ cogitationis dicens: In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis. Et isti sunt montes meritò explanandi, ut infert Isaias de Isaias
isto arrogantiæ principe dicens: Veruntamen ad infernum detrahens in profundum laci. Et in particulari de monte Sebir per Ezechiëlem ait Dominus: Dabo Ezechiel

montem Sebir desolatum, & auferam ex eo euntem & redeuntem. Et de omnigena hac turba inquit Abacuc: Contriti sunt montes sæculi, & incuruati sunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius: Per quos montes sæculi dæmones intelliguntur (ut putat Hieronymus) qui eleuãt se contra scientiam Dei, & per colles aliæ dæmonum fortitudines, quæ faciunt homines corporum pulchritudinem, dignitates, diuitias sæculi, nobilitatem generis, cæteráque mundi bona admirari. Et cum ipsis dæmonibus, & principibus tenebrarum tumefacti, & obtenebrati mali homines, & ipsi cum principibus obscuritatis dicuntur mõtes caliginosi, de quibus per Ieremiam Dominus ait: Non impingantur pedes uestri ad montes caliginosos, & obtenebratos. Isti sunt enim mõtes, & excelsa in quibus adoletur incensum superbiæ cũ maxima Dei indignatione, ut multiplici querimonia in libris Regum lamentatur Dominus, & de populo adhuc immolante in excelsis, & de regibus, qui ipsa excelsa non abstulerãt. Isti sunt quoq; mõtes & excelsa in quibus Saul (ut ait Hieronymus) sacerdotes Dei interfecit tumefactus, & elauatus appetitu regnandi contra Deum, & contra Dauid, cui ipse Deus iam tradiderat regnum: Erat enim in Gabaa quod excelsum, aut eleuatum interpretatur: A quibus montibus nobis declinandum est, tanquam à citissimè ruituris, & in nihilum deducendis, undè in Apocalypsi legimus, ꝙ quando effundetur calix indignationis Dei montes non sunt inuenti, ut & Psalmographus sub typo arboris loquitur dicens: Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Dei, & transiui, & ecce non erat, quæsiui, & non est inuentus locus eius. Sunt quippe & alij montes nobis cõscendendi, culmina uidelicet uirtutum, ut conueniamus cum uirtute diuina, de quo diuus Citharœdus ait: Iustitia tua sicut montes Dei: In iustitia enim, quæ communis est uirtus, omnis caterua uirtutum deprehenditur. Et de uirtutibus nostris inquit idẽ Regius Propheta: montes excelsi ceruis, id est culmina uirtutum sunt pro illis robustis ceruis, qui nouerunt occidere serpentem, ut sentit Hieronymus in commentariis; & Origines in Canticis: Sed hic addit, quòd montes etiam significant eminentes cognitiones, dicens: Venit quis saliens super mõtes alti sensus, & sublimis intelligentiæ, de quibus dicitur: Ecce hic uenit saliens in montibus, transiliens colles. Et rursus: Fuge dilecte mi ad montes aromatum: In quos conscendentes utinam mereamur cum Elia, & Mose audire uocem Domini blandientis, docentis, & pascentis eo lacte, & melle, quo pauit Mosem, & per ipsum totum populum ex monte Sinai, ut simus illæ oues, de quibus ait Dominus per Ezechielem: In pascuis uberrimis pascam oues meas in montibus excelsis. Sic Christus ex monte Thabor tanta dulcedine tres pauit Apostolos, ut Petrus omnium aliarum rerum oblitus exclamando diceret: Domine bonũ est nos hic esse. Pauit quoque ex monte Sion omnes Apostolos, & eos, qui cum ipsis erant supremo pabulo Spiritus sancti sui, quo adeo eos refecit suggerens eis omnia, ut bona crapula & ebrietate madefacti eructarẽt uariis linguis in populos magnalia Dei.

Abacuc. Hieron. Ierem. Regum Hiero. Apocal. Dauid. Psalm. Dauid Hiero. Orige. Canti. Ezechiel.

Et ob hanc causam, & alias pro nunc subiicendas regius propheta hunc montem Sion celebrat dicens: Mons Sion, quem dilexi. Et iterum: Diligit Dominus portas Sion. Et rursus: Videbitur Deus deorum in Sion. Et alibi: Elegit Dominus Sion, elegit eum in habitationem sibi. Sic in plærisque aliis locis. Sed & per Isaiam ipse Dominus ait: Dabo in Sion salutẽ. Et in Ioële: Ego Dominus Deus uester, qui habito in Sion. Et ex Abdia: In monte Sion erit saluatio. Ioãnes quoque in sua celeberrima uisione: Vidi supra montem Sion, agnum stantem, & cum eo magnum signatorum numerum, quibus omnibus impartiebatur de plenitudine sua, quam omnes accipimus. Sed (ut opinor) de illo supremo Sion loquitur, cui hic inferior in meditullio mundi existens perpendiculariter subiicitur, ut ex utroq; uerus mediator, & fons supernus omnibus distribuat mana, mel, lac, aquam sapientiæ, & omnia bona: ut poßideamus non solum planitiem, sed montanam irriguam, id est eminentiam gloriæ, & graduum in meridiano illo gratiarum, & Gessem, compluta uidelicet regionem & madefactam ab illis supernis canalibus, & riuulis, uel illam supernam pluuiam, de qua in psalmo: Pluuiam uoluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ, Gessem enim pluuia interpretatur. Poßideamus quoq; Planitiẽ, & harauab, de qua supra diximus, & cãpestria, & mõtes Israël, nõ qppe syluestres & aridos, sed feraces & optimos, & partẽ illã montis, quæ ascẽdit Sebir: Mons quippe Sebir est culmen prosperitatis mundanæ datæ Esau, cuius pars quoque data est Israëli, quamuis portio rerum diuinarum data sit ei in funiculum hæreditatis suæ; non tamen destituti sunt in bonis temporalibus, quæ fortunæ dicuntur: Quæ bona ueri Israëlitæ nõ possederunt seiuncta à patrono suo, qui Deus est: sed simul cum ipso, qui dixit Abrahæ: Ego ero merces tua magna nimis. Et de quo dixit propheta pro se, & suis Israëlitis: Dominus pars hæreditatis meæ. Ideo notanter dixit Iosue, quòd eorum pars fuit usque ad Bahalgad, quod patronus, uel Dominus fortunæ interpretatur. Sunt etiam montes aridi, & deserti, qui in sortem ueniunt cum arida, de qua statim dicemus: Ideo per huiusmodi montes siccos sicco pede transibimus usque ad incultam, & inferacem eremum, ubi de utroque tractabimus.

Dauid Psalm. Psalm. Psalm. Isaias. Ioëlis. Abdias Ioan. Psalmus Genesi. Dauid.

Quid desertum, & arida. Cap. X.



Vm nihil sit in mundo hoc inferiori absque sua præsidente intelligentia (ut sapientes multi consentiunt) & absque idea, uel mensura in archetypo, cui respondeat, & undè regatur, cõueniens est ut etiã desertum, & loca arida etiã ipsa manu Domini fabricatã habeãt suas intelligentias, & aliquid in supramundana curia quocunque nomine censeatur: undè ariditatem suscipiant, aut secludãtur ab irriguo supremi fontis, undè omnis uera irrigatio. Est itaque desertum (ut ab etymologia uocabuli incipiamus) destitutus & derelictus locus à fauore cœlesti, sicut etiam sonat uocabulum Hebræum, quod est מדבר id est midbar, & id sine aliqua re secũdum eius linguæ etymologiam dicitur: Vocatur quoque arida uel siccum, ut he-

ne sonat uocabulum Hebræum congregatis aquis in locum unum. Cum igitur congregantur aquæ supramundanæ in locum unum, remanent alia loca cum arido influxu non irrigantia, nec madefacientia ea, quæ curant: ideo torrida, & sicca remanent illa omnia priuata cœlesti beneficio, ut in psalmo canitur: Auertente te faciem turbabuntur: auferes spiritum eorum, qui datur per supernum irriguum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur. Et in Leuitico ait Dominus: Si non audieritis me, dabo uobis cœlum desuper ferreum, & terram æneam: Consumetur incassum labor uester, non proferet terra germen, nec arbores poma præbebunt. Econuerso autem, quid bene operantibus summus moderator in Deuteronomio promittat, audiamus: Aperiet (inquit ipse Dominus) Thesaurum suum optimum cœlum, ut tribuat pluuiam terræ tuæ in tempore suo: Benedicetque cunctis operibus manuum tuarũ. Sed aduertẽdum est, quòd loca deserta, & arida sunt in multiplici differentia: Quædam enim sunt tãtummodo priuata irrigatione superna non quidẽ in toto, quia in nihilum tenderent: sed illa plus, illáque minus pro suscipientium condecentia, aut pro imperio irrigantis. Quædam etiam sunt arefacta non tantum priuatione summi irrigui, sed incendio chaldaico fornacis illius, cuius flamma ascendebat cubitis quadraginta nouem, quadrato uidelicet numeri remissionis, & punitionis: & adeo torrentur huiusmodi, ut fiant habitacula tartareorum ciuium, sicut de Babylone à superno fauore destituta, & suo igne contosta inquit Ioannes in Apocalypsi: quòd facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi. Non secus de alia Babylone, & misera Roma comminatur Deus per Isaiam sub nomine Bosra, id est uindemiatricis, ut exponit Hieronymus: Hæc enim uindemiauit uniuersum orbem, primo quidem gladio temporali, deinde gladio spirituali: Ait igitur: Et conuertentur torrentes eius in picem, & humus eius in sulfur, & erit terra eius in picem ardentem nocte ac die, & non extinguetur in sempiternum. Ascendet fumus eius à generatione in generationem, & desolabitur in sæcula sæculorum. Non erit transiens per eam, sed upupa, ulula, ibis, hericius, onocrotalus, lamia, onocentaurus hirsutus, & quicquid est terrifici generis habitabit in ea. Per quæ omnia diuersa spirituum immũdorũ genera intelligũtur: Quorum princeps est עזאזל id est hazazel, pro quo nos habemus, nescio quo sensu, interpretatum emissarium in libro Leuitici. Huic igitur habitanti in deserto, & principi desertorum spirituum mittebatur hœdus sortis, & peccati: & iubebatur illic dimitti non sine magno mysterio, ut uidelicet diabolo habitanti in inculta eremo, & squalenti deserto dimittatur peccatum, & quicquid ad ipsum pertinet aridum, & hispidum Alterum autem hœdum, qui est caro & concupiscentia eius, offeramus Domino crucifigentes illam, iuxta apostolicum monumentum: Qui autem Christi sunt carnem suam crucifixerunt cum uitiis, & concupiscentiis: ut tandem uiuat, & ipsa cum spiritu coram Domino, ut denotabat caper constitutus uiuus coram Domino. Ex euan

Psalm. Leuiti. Deuter. Ioannes Isaias Hieron. Leuiti. Paulus

gelio quoque habemus desertum esse sedem malorum spirituum, narrante Luca quòd uir ille nequam spiritu uexatus fractis catenis agebatur à dæmonio in deserto. Dicuntur quoque habitare in deserto, qui priuati sunt irriguo cœlesti, aut peccatis seruientes, aut ea per pœnitentiam expurgantes non adhuc digni superno rore. Ideo notanter dicitur in Genesi, quòd Ismaël expulsus à domo Abrahæ, arcuique ac sagittis inseruiẽs morabatur in solitudine in deserto Pharam. Et pro non adhuc bene initiatis, & dispositis ad cœlestes imbres dicitur, quòd Ioannes Baptista prædicabat baptismum pœnitentiæ in deserto, ubi nondum bene perfusus morabatur puer. Et Moses cœlestiũ iam influxuũ particeps pascebat gregem non intra in penetralibus, sed ultra desertum. Sed & per desertum traduxit totum populum Israëliticum typum gerentem eorum omnium, qui per pœnitentiam ad supercœlestem patriam conscendere satagunt. Christus quoque omnium exemplar, & dux pœnitentiæ & initium euangelicæ uitæ uoluit agere in deserto, quo ductus fuit à Spiritu sancto: ut ieiunaret, & bellũ iniret cũ principe mundi huius deserti, & derelicti à supercœlesti irriguo. Sic & Dauid figura præcedens ipsum Christũ, & futuram ecclesiam antequam deueniret ad regnum, quod figurabat regnum illud, quod intra nos est, morabatur in deserto ipse, & uiri, qui cum eo erant. In deserto est etiam omnis anima de nouo intrans in ergastulum corporis huius, ubi deseritur à sapientia, uirtute, cognitione, & operatione bonorum operum, iuxta illud Sophoniæ: Et ponet speciosam in solitudinem, & eremum, ueluti in deserto. Sed quãto magis anima à deserto huius corporis sequestratur, tanto magis disponitur ad cœlestem influxũ, & constipatur affluentia omniũ bonorum redolentium, uelut aromata: ut in Cãticis dicitur: Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, sicut uirgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & uniuersi pulueris pigmẽtarij. Sed & uidens eã fauore dilectissimi filij Dei munitam, de cuius plenitudine omnes accepimus, iterum ait: Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delitiis affluens, innixa supra dilectum filium? Et aliquando tantis charismatibus perfunditur, ut redundet etiã in corpus, quod desertum erat, ut Psalmographus ait: Pinguescent speciosa deserti. Et iterum: Posuisti desertum in stagna aquarum. Et per Isaiam ad egenos, & pauperes quærentes aquam dicit Dominus: Ponam desertum in stagna aquarũ, & terram inuiam in exitus aquarum. Sed multoties cõtrarium euenit, quòd frugifera anima adhærens arido corpori deseritur & ipsa, dicente Zacharia: Posuerunt terram desiderabilem in desertum, terram utique bonam & aptam ad suscipiendum cœleste semen, ut redderet fructum cẽtuplum. Quos rebelles odit Dominus, & deserit, ut ipse ait per Malachiam de Esau; qui animal nostrum ab ipso odio habitum, & à nobis odio habendum significat. Esau, inquit, odio habui, & posui montem eius Sehir in solitudinem, & hæreditatem eius in dracones deserti. Nec enim Deus Esau, Ismaël, peccatores omnes, corpus nostrum, & spiritus malos relegaret in deserto, nisi & ipsius esset desertum, & aliquid in

Lucæ. Genesi. Sophō. Canti. Ibidem. Dauid Psalm. Isaias. Zachar. Malac.

archetypo: cui talia respondeant, & præsto sint. Est ergo (ni fallor) tribunal iustitiæ ipsius seueræ, quam Hebræi דין *id est din uocant, aut est mensura illa seueritatis, à qua omnia dura, aspa, & adusta igne: Vndè sunt etiã angeli ignei, & ministri iustitiæ eius seuerissimæ, qui in scriptura antiqua dicuntur filij Elo-*
Ioannes *bim: sed à Ioanne in sua Apocalypsi angeli nocumenti, quibus datum est nocere terræ, & mari, arboribus, hominibus, & cunctis diuino iudicio subiectis. Inde sunt etiam angeli aduersantes, & probantes eos, qui sunt in fusorio huius corpo-*
Iob *reæ molis: hinc Satani, id est aduersantes nominantur: iuxta illud Iob: Cum starent filij Elohim corã Domino, uenit etiam Satan succinctus ad aduersandum Iob, & probandam eius patientiam, & fidelitatem in dominum. Et quando illinc mittuntur punitiones, & fiunt hominum pericula, fiunt quoque arefactiones subtracto irriguo superno, ut probentur, aut condignam pœnam suæ transgressionis reportent delinquentes: Quibus succurrat clementissimus moderator fauore, & irroratione tribunalis suæ benignitatis, & irrorãtis gratiæ, atque linientis misericordiæ.*

Quid frugifera terra. Cap. XI.



Genesis *Vlli dubium, quin terra omnis arida sit suaptè natura, ut in Genesi dicitur: Terra autẽ erat inanis, & uacua: Et iterũ: Vocauit Deus aridã terrã: & hoc quousque irrigetur à suis fontibus, ut ibidem sequitur: Fons ascendebat irrigans uniuersam faciem terræ. Hoc igitur irriguo madefacta terra bona efficitur, quam multigenam supra esse comprobauimus, elementarem, humanam, cœlestem, angelicam, diuinã, & infernam: quæ à*
Iob *Iob dicitur terra miseriæ & tenebrarum: ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Sed hanc tanquam semper aridam, & tostam æterno igne postbabentes, quæ sit ferax, & unde irrigetur, prosequamur. Est nanque terra hæc elementaris tantum fœcunda, quantum à supernis fontibus irrigatur, non quidem pluuia communi tantummodo, quæ in steriles montes, saxa, aridam, & penitus in inferacẽ arenam descendit: sed à superioribus aquis, & cœlestibus, & supracœlestibus. Nec enim aliunde fœcunditatem naturalem suscipit frugifera terra, ut ex multis locis scripturæ sacræ facilè comprobare possumus, sed de quamplurimis uel pauca adducam. Ait igitur*
Deut. *in Deuteronomio Moses: Si audieris uocem Domini, abundare te faciet in omnibus operibus tuis, fructu uteri tui, fructu iumentorum tuorum, fructúque terræ tuæ, quam iurauit Dominus dare patribus tuis, ut daret tibi. Aperiet Dominus thesaurum optimum cœlum, ut tribuat pluuiam terræ tuæ tempore suo.*
Ezechi. *Et per Ezechielem inquit: Dabo in circuitu colli mei benedictionem, & deducam imbrem in tempore suo, & pluuiæ benedictionis erunt: Et dabit lignum a-*
Zacha. *gri fructum suum, & terra dabit germen suum. In Zacharia quoque ait: Hæc faciam reliquiis populi huius: uinea dabit fructum suum, & terra dabit germẽ suum, & cœli dabunt rorem suum. Quod & si facit, ut in pluribus, per causas*

secūdas aliquando tamen facit immediatè: ut apertißimo sermone loquitur Dominus in Deuter. dicens: Terra, ad quā ingredieris possidendā, nō est sicut terra Aegypti, de qua existi: ubi iacto semine in hortorum more aquæ ducuntur irriguæ, sed montuosa est, & campestris de cœlo expectans pluuias, quam Dominus Deus tuus semper inuisit, & oculi illius in ea sunt à principio anni usq; in finem. Et si obedieritis mandatis meis, quæ ego præcipio uobis hodie, ut diligatis Dominum Deum uestrū, & seruiatis ei in toto corde uestro, & in tota anima uestra, dabit pluuiam terræ uestræ tēporaneam, & serotinam: ut colligatis frumentū, uinū, oleū, & fœnū ex agris ad pascenda iumenta. Pulcherrima est hæc doctrina, qua docemur Aegyptū, quæ mūdū hūc, & mundanos homines signat, suscipere irriguum à causis secundariis prosequentibus ordinem, quem eis dedit ille, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos: sed peculiaria loca, & eorum hospites suscipere incrementum immediatum ab ipso omnium bonorum fonte, qui ultra quàm ordo secūdarum causarum exigit, aperit uenas, & canales suæ bonitatis diffundēs & immittens quādo, & quo lubet. Illud quoque dicitur opus naturæ, quia ex causis ordinatis, & agentibus immutabiliter ad imperium opificis, aut ab intelligentia (ut aiunt) non errante in iubendo, aut in exequendo: Sed in hoc particulari quodam modo operatur opifex pro meritis, uel flagitiis recipientium, ut uideatur ultra generalem curam omnium & communem, quam naturalem influxum dicunt, ipse liber moderator pro suscipientium dispositione exuberantiam tribuere merentibus, iuxta promißiones adductas, & retrahere à male merentibus: Quod etiā ex plærisque locis scripturæ cōprobare possumus: Comminatus est enim in eadem repetitione legis dicens: Si nolueris audire uocem Domini Dei tui, maledictus fructus uentris tui, & fructus terræ tuæ, armēta boum tuorum, & greges ouium tuarū: & percutiet te Dominus egestate, febræ, frigore, ardore, æstu, & aëre corrupto: Eritque cœlū super te æneū, & terra, quam calcas, ferrea: Dabit Dominus imbrem terræ tuæ puluerem, & cætera: quæ sequuntur: Quod diuersis temporibus euenit: Nam tempore Elisei terra illa feracißima arefacta fuit, ut dicerent habitatores Ierico ad ipsum, sicut in quarto uolumine Regum legimus: Aquæ hæ peßimæ sunt, & terra sterilis, & tota planities circa hasphaltum, quæ (ut in Genesi legitur) antequam subuerteret Dominus pentapolim illam erat irrigua, sicut paradisus Dei, nunc (ut uidimus) tota arefacta est, uelu ti cinis fornacis, iuxta illud Ieremiæ: A facie maledictionis arefacta sunt arua. Quod contigit etiam propter scelera Achab tempore Eliæ, quando prohibitæ sunt pluuiæ annis tribus. Et de huiusmodi ait Psalmographus: Posuit terrā fructiferam in salsuginem à malitia habitantiū in ea. Terra igitur, quæcunque sit, si ferax esse debet, necesse est, ut irrigetur à supernis fontibus mediante terra illa, de qua inquit propheta: Credo uidere bona Domini in terra uiuentiū: Quæ irrigata à superioribus canalibus, tanquam piscina superior effundit in

Deut. | Deute. | Regū. 4 | Genesi. | Ierem. | Dauid

Idem terram inferiorem, & in eius hospites. Et de illa ait idē propheta: Visitasti terram, & inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam: Non enim de hac feculenta loquitur, sed de diuina, ut innuit in eo, quod sequitur: Flumē Dei repletum est aquis. Nec enim flumen Dei conuenit cum hac infima terra, sed cum illa cœlesti, & collibus, & uallibus melioribus, de quibus subinfertur: Et exultatione colles accingentur, & ualles abundabunt frumento, clamabunt, & hymnum dicent. Hæc denique est terra illa, de qua in Genesi legimus, quòd antequam plueret Dominus, fons, uel uapor (ut habet ueritas textus) ascendebat de terra irrigans uniuersam faciem terræ: Quæ terra uiuentium irrigatur à supramundano uapore, qui tanquam aqua uitæ ascendebat, & ascendit de terra illa: Quæ etiam irrigatur ab eo fonte, qui in quatuor fluuios diuisus madefacit, humectat, & fœcundum reddit uniuersum circuitum terrarum: Ex qua terra tāquam ex

Isahac. uera piscina omnium charismatum, & benedictionum Isahac in huiusmodi bene initiatus uoluit benedicere utrumque eius filium, illud pro utróque repetens, In pinguedine terræ, & in rore cœli erit benedictio tua. Sed benedicendo Esau addidit illud uerbum desuper, ne uideretur tanquam carnalis, & animalis homo excludi à benedictione supernæ piscinæ, à qua omnis benedictio descendit. Ab hac enim irrorantur angeli, qui terrei dicuntur, ut supra disseruimus. Irrorantur & plagæ cœli, & cœli ipsi terrei, & corpora nostra, & quicquid in no

Psalm. bis aridum est expectans supernum irriguum, ut in psalmo dicitur: Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum. Benignitas enim uel bonitas (ut habet textus Hebræus) est benedictio, & irriguum emanans ab illa terra uiuentium irrorata, & repleta aquis, quæ supra cœlos sunt. Quibus irrigationibus madefactus terreus homo fit capax diuini seminis de quo ait cœlestis

CHRISTVS. agricola: Exit, qui seminat seminare semē suum: Cuius portio, ut subinfert, cecidit in terram bonam: Quæ (nulli dubium) est anima, uel mens infusa, uel compacta in hoc terreo & corporeo uase: Vndè effecta quodammodo & ipsa terrea, ideo irroranda est à supercœlesti irriguo mediante illa uiuentium terra, de qua iterū dicitur: Veritas de terra orta est, & iustitia de cœlo prospexit. Hæc igitur nostra omni industria excolenda est irrorante, & seminante cœlesti agricola, ut fructus reddat, quibus mereamur in eius supercœlestem terram intrātes cum diuino agricola in æternis māsionibus super terram illā fabricatis perpetuo degere: Quod ipse sua benignitate concedat.

Quid mare, & aquæ. Cap. XII.



EX sacris eloquiis, & experientia clara edocemur mare esse collectionem aquarum, & hāc bipartitam: Alteram, quæ sub cœlo est: & alteram, quæ supra cœlum: Inter quas est globus uel massa cœlorū. Est igitur mare hoc infimū exagitatione & æstu feculentū & salsum: inde homini pro cibo & potu nocuum: Est tamen piscibus fœcundum, corallum quoque & uniones, uel margaritas producēs, omnium fluuiorum

dulcium, & imbrium regiones fœcundantium origo. Eius insuper aqua transiens per meatus subterraneos ad fontes sua humiditate, & uirtute relinquit, unde terra radiis solaribus confota metalla producat: Quam tamen fœcunditatem suscipit ab illis aquis supernis, de quibus dicitur: Serpant, *aut producant aquæ serpituram animæ uiuentis.* Nec enim omnis *anima uiuens à mari producitur, sed ab illis aquis, quæ sunt super cœlum: Quod nisi interpositum obstaret, illæ superexcelsæ aquæ fœcundiores redderent has infernas, & terram, & omnia inferiora:* Obstat enim *intermedium cœlum, imò ministri inibi præsidentes, tanquam censores, ne plus distribuatur infimis rebus, quàm mereantur, aut ordo, uel dispositio principis exigat:* Si quid tamen fertilitatis reperitur in *huiusmodi aquis, hoc prouenit ab illo mari excelso, quod est supra cœlum partitum in duodecim signa:* Quod, *ut in templo* Dei *gerente mundi imaginem repræsentaret,* Salomon *fecit mare æneum sustentatum à duodecim bobus: quorũ tres aspiciebant ad orientem, totidem ad meridiem, tres ad occidentem, & totidem ad aquilonem, quemadmodum diuididuntur per eosdem aspectus duodecim cœli signa: ut apud astronomos tritißimum est.* Mare itaq; excelsum, & *pelagus infinitæ substantiæ* Deus *est: ut* Damascenus *ait.* Et cũ *in ipso* Deo *omnia contineantur, est locus particularis, aut mensura, quæ mare dicitur, aut aquæ, uel collectio aquarum.* Et *est illa meridionalis regio superna, in qua (ut habetur in* Theologia *antiqua) est aqua sapientiæ supremæ, misericordiæ, clemẽtiæ, pietatis, & gratiæ:* Quæ *est possesio peculiaris* Filij Dei, *de quo ait* Pater: Et *ponam in mari manum eius, & in fluminibus dexterã eius:* Ipse *inuocabit me,* Pater *meus es tu: & ego* Primogenitum *ponam illum excelsum præ regibus terræ.* Proximiorem *huic dein locum in illis mansionibus tenet cœlorum* Regina, *quæ ideo dicitur mater misericordiæ, gratiæ & pietatis:* Quod *& nomen eius indicat* Hebræo *idiomate huiusmodi literis scriptum* מרים Miriam, *quod si per sirupb, aut reuolutionem literarum more eorum scribatur,* ים רם *ram iam dicit:* Quod *mare excelsum significat:* Cum *quo adeo ipsa unita est, ut idem mare censeatur, ut in cœlesti oraculo innuere uoluit* Gabriel *dum ait:* Inuenisti *gratiam apud* Deum *immediatè: & non illam, quæ sub interposito cœlorum globo inferioribus distribuitur.* Quod *mare, & aquas cognoscens* Ionas, *cum durus nuncius ad* Niniuitas *delectus fuisset, bonus & pius uir, simplex columba nomine & re, ne seuera mandata perferret, iter arripuit ad ipsum mare per* Tharsis *aliquãdo significatum, ut etiam sentit* Hieronymus *in commentariis* Ieremiæ *dicẽs:* Per Tharsim *omne pelagus intelligitur, iuxta illud psalmi:* Conterens *naues tharsis.* Illuc *enim proficisci uoluit, ut inde misericordiam, & ueniã pro* Niniuitis *reportaret:* Quod *& fecit, suscepta tamẽ in se pœna, ut seruaretur dei iustitia, quæ nullũ delictũ impune permittit.* Hinc *ad sedandos tempestuosos impetus à ministris seueræ iustitiæ* Dei *excitatos ait:* Ecce *ego, mittite me in mare hoc agitatum, & cessabunt fluctus, suscepta uidelicet*

Genesis. Salomon Damas. Psalm. Gabriel Ionas Hieron. Psalm.

pœna, quã debebant Niniuitæ. Gratũ quippe habuit Deus hoc charitatis opus, uoluit tamẽ, ut Niniuitæ ipsi cooperarẽtur ad placandũ diuinum tribunal propria pœnitentia, quam fecerunt ad prædicationẽ Ionæ, & saluati sunt. Ad hoc
IESVS quoque mare fugit Iesus redemptor noster, ut pro nobis inde reportaret ueniã, & gratiam tanta quidem copia, ut pro toto mundo, & mille mundis sufficeret. Hinc & Samaritæ illi, & in templo omni populo aquam gratis offerebat. Sed ut faceret satis tribunali iustitiæ diuinæ pœnam pro delictis exigenti, sponte mari agitato sese obtulit suscipiens in se omnes tempestates, & fluctus, iuxta illud
Psalm. psalmi: Omnes fluctus tuos induxisti super me. Voluit tamen Deus, ut ipsi cooperaremur per opera pœnitentiæ reuertentes ad ipsum Deum, ut clamabat ip-
Bapt. se Redemptor, & præcursor eius uterque dicens: Agite pœnitentiam, & appropinquabit regnum cœlorum, impetrata iam uenia. Ideo magno sacramento
CHRISTVS. dictum est: Non dabitur uobis signum, nisi signum Ionæ prophetæ, qui sicut ueniam pro populo unius ciuitatis impetrauit suscepta in se pœnitentia triduani sepulchri in uentre piscis, Sic uniuersalis Redemptor pro toto humano gene-
Isaias re remissionem obtinuit suscepta in se pœna, iuxta illud Isaiæ: Attritus est propter scelera nostra, contritione quidẽ quã maxima perlata in passione, & designata per triduanũ sepulchrum, de quo alibi. Hoc est quippe excelsum illud ma
Psalm. re, & regio meridionalis, ad quam ambulabat Deus commissa transgressione à protoplaste, & per quod mare delectatur dirigere gressus, ut in psalmo canitur: In mari uia tua, & semitæ tuæ in aquis multis: Magis enim frequentat iter misericordiæ & clementiæ signatæ per mare, quàm iustitiæ & punitionis. Frequentat & aquas sapientiæ, in qua omnia fecit, omniáque moderatur gressibus quidem à nobis non perceptis: ideo sequitur: Et uestigia tua non cognoscentur, quia nullus in illam sapientiam supremam intrauit, nec ipse Moses, dicente
CHRISTVS. Veritate infallibili: Nemo nouit filium, supremam uidelicet ipsam sapientiam, aut aquam, nisi pater: neque patrem quis nouit, nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare.. Habet quoque Deus iter in mari hoc amaro, & feculento: ut iuxta
Hieron. Hieronymi sententiam, tanquam fons uitæ uiuificet omnia, quæ in hoc mari salso, & uenefico mancipata sunt morti absque illius uitæ adminiculo. Per hoc nihilominus mare nobis transeundum est, ut deuenire possimus ad portum, & ter
Paulus ram uiuentium: sicut apostolus mystico sermone disserit dicens: Omnes mare trãsierũt: & omnes sub Mose baptizati sunt in nube, & mari: Cuius aquæ cum repræsentent aquas illas superexcelsas gratiæ, & sapientiæ, ad quas pergimus, ideo à ductore nostro nobis indictus est transitus per has aquas inferiores, tanquã per sacramentũ illarum, in quibus mundamur, & beamur: sicuti habemus in
Ioan. euãgelio, cui titulus est secũdũ Ioannẽ: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, nõ intrabit in regnum cœlorum: His enim aquis sensibilibus renascimur in cõspectu hominum, aut in faciem ecclesiæ: sed in conspectu Dei renasci-
Apocal. mur illis aquis, de quibus habetur in Apocalypsi: In conspectu eius tanquã mare

uitreum simile crystallo. Vndè forsitan aliqui sumpsere, ut dicerent aquas quæ sunt supra cœlum, esse cœlum crystallinum, quod primum mobilè dicitur: Ridicula *quidem res, cum cœlum illud sit igneum, & non aqueum, aut crystallinum & aquæ illæ supercœlestés, de quibus in plærisque locis scripturæ legimus, sint angeli* Deum *laudantes, aut ipsum tribunal misericordiæ, uel domus sapientiæ:* A *quibus aquis irrigantur & cœli, qui aquei sunt, & purificantur animæ suis sordibus coinquinatæ, & fœcunditatem & uitam suscipiunt omnes aquæ istæ inferiores.* Et cum Deus *adiudicauerit nostris exigentibus flagitiis subtrahere irrorationem, & influxum aquarum superexcelsarum, desiccantur istæ inferiores, & in mala occursitacula aliquando conuertuntur: ut attestatur diuinus noster* Ioannes *in* Apocalypsi *dicens:* Et *sextus angelus effudit phialam suam in magnum flumen* Euphratem, *& exiccauit aquam eius.* Secundus *autem, & tertius, qui effuderant phialas suas, alter in mare, & alter in flumina, in mortiferum sanguinē ea reddiderunt.* Et *utinā flumina, quæ debebāt scaturire de uentribus nostris, & mare, in quo baptizati sumus (sic nostris exposcentibus meritis) nō fuissent nūc cōuersa in sanguinē, qui regnū* Dei *possidere nō potest,* Aut *nō fuissent exiccata obstructis canalibus excelsis: adeo ut aridi & tosti, qui tanquā flumina irrigare deberēt uniuersam terram, nec pro aliis, nec pro se habent uel undè uiuant maxima siti æstuantes.* Et *utinā nō deueniāt tanquā* Babylonii, *ad quos* Ieremias *ait:* Ecce *ego dicit* Dominus *iudicabo causam tuā:* Desertum *faciam mare, & siccabo uenam eius.* Quod *euenit omnibus illis, qui nolūt audire dicentem:* Si *quis sitit, ueniat ad me, & bibat.* Sed *ad alia transeamus.* Ioannes Ierem. CHRISTVS.

Quid fontes. Cap. XIII.



On *multum nobis laborandum est, ut declaremus* Deum *esse fontem, ipsomet acclamante, & in huiusmodi uerbis cōquerente:* Me *dereliquerūt* Fontem *aquarū uiuentium* Dominum: *hoc etiam regius propheta, & qui à diuinis secretis erat, attestati sunt:* Alter *enim ait:* Apud *te est fons uitæ:* Alter *autē ipsum introducit dicentē:* Sitienti *dabo de fonte aquæ uiuæ gratis.* Qui *fons (ut paulo inferius ait) mittebat fluuium pcedētē de sede* Dei, *&* Agni. Sed Isaias *plures testatur esse diuinos fontes dicens:* Haurietis *aquas in gaudio de fontibus saluatoris.* Qui *fontes sunt ipse* Pater *prima origo omnium, ipse* Dei Filius, *sanctus quoque spiritus:* Et *hic quāuis sit ignis, tamen aliquando sortitur nomen fontis, uel fluuii.* Vndè Ioannes *exponens illud uerbum summæ* Veritatis: Fiet *in eo fons aquæ salientis in uitam æternam, inquit, hoc autem dixit de spiritu, quē accepturi erant credentes.* Vel *fontes sunt (sicut exponit* Hieronymus) *documēta euangelica, & uerba diuina, quæ lauant, & purgant animas melius quàm aquæ fontis abluant corpus, iuxta illud* Saluatoris: Vos *mundi estis propter sermonem, quem ego locutus sum uobis.* De *quibus fontibus ait propheta:* In *ecclesiis benedicite* Deo Domino *de fontibus* Israël, *illius uidelicet* Israëlis *uniuersalis, de quo dicitur:* Non *ueni nisi* Ierem. Dauid Ioan. Isaias. Hieron. CHRISTVS. Dauid

CHRISTVS. ad oues, quæ perierant domus Israël, domus utique illius, quæ est tota collectio fidelium suscipientium uerbum, & aquam sapientiæ salutaris, ut alibi, Deo fauente, declarabimus. Sed ut ad subliniores fontes redeamus, fons primus, & origo omnium bonorum Pater est, de quo in Canticis dicitur: Fons hortorum, & puteus aquarum uiuentium. Fons quoque est Filius, de quo Zacharias: In illa die erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris, & menstruatæ: quod omnes, citra controuersiam, exponunt de Christo & filio Dei. Et quòd Spiritus sanctus sit fons, iam diximus. Est etiam fons sapientia, & lex à primo fonte emanans facta & ipsa fons, ut in prouerbiis ait Salomon: Lex sapientis fons uitæ: Et in Canticis: Hortus conclusus, fons signatus. Est quippe lex diuina hortus consitus ex omni genere arborum: quia omnis doctrina, omnisque disciplina in diuina lege sub mirabili corticè continetur: & ideo dicitur, quòd est hortus clausus. Est quoque fons signatus sigillo Dei uiui eam docentis, ut non sine mysterio dicatur, quòd summa legis comprehensa decem præceptis descripta fuerit digito Dei. Nec enim tot, & tanta sacramenta in ea lege reclusa sub testa historiæ possunt à mortalibus prospici, aut excogitari, nisi diuino lumine collustrentur, iuxta illud Prophetæ: Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Est insuper fons aliquando humana creatura, ut de Hester dixit Mardocheus: Paruus fons, qui creuit in fluuium, & in aquas plurimas redundauit, Hester est. Fuit quoque, & est Regina cœli exuberantissimus fons immediatè hauriēs ab infinito pelago. Sunt & alij fontes apostoli, prophetæ, & doctores, qui propinant populo aquas sapientiæ & doctrinæ, de quibus ait Isaias: Ad fontes aquarum potabit eos, id est ad doctores tā ueteris, quàm noui testamenti, ut sentit Hieronymus. Et iterum super illud: In illo die haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris, ait: Haurient de fontibus repletis à saluatore, de cuius plenitudine omnes accipiūt, effecti & ipsi fontes non quidem infiniti, sicut diuini, sed eorum aquis completi. Sed aliquando (proh dolor) exiccati sunt fontes, contrahente summo fonte influxum suum, de quibus ait Petrus: Hi sunt fontes sine aqua, & nebulæ turbinis exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reseruatur, & tostura æterna postquam in ariditate, & siccitate cisternarum dissipatarum oblectati sunt relicto fonte aquarum uiuentium, qui nos continuè sua clementia potando foueat.

Canti. Zacha. Salomon Canti. Dauid. Hester Isaias Hiero. Petrus.

Quid flumina, aut canales. Cap. XIIII.



Salomon Lumina ortū habere à mari ex scripturæ testimonio clarissimè patet dicēte Salo. in Ecclesi. Omnia flumina intrāt in mare, & mare nō repletur, magis uidelicet q̄ erat, aut nō redundat, ut habet traductio nostra, Ad locū suū flumīa reuertūtur: & ecce ipsa redeūt, ut uadāt: Redeūt q̄ppe ad fontes, ut iterū fluāt, & in mare, undè originē habēt, reuertūtur. In quibus fluuiis generātur pisces, & ex eis irrigātur regiones, & ad

nauigationem peruij multigenis obsequiis hominibus proficui sunt. Magna quidẽ sunt fluuiorum mysteria: Mare enim & pelagus infinitum est ipse Deus, fontes uerò in multiplici genere: flumina autẽ rationales animæ sunt ab ipso mari emanantes, & ad idem redeuntes. Sed hæc flumina elementaria sempiterno lapsu, & circuitu fluunt, & refluunt: illa autem meliora flumina per hæc denotata semel, & unico cursu ad suum principium tendunt, nisi Pythagoreorum *sit uera opinio de circuitu animarum, quam fides catholica non admittit. De quibus fluminibus canitur in psalmo:* Eleuauerũt flumina Domini, eleuauerunt flumina uocem suam: eleuauerunt flumina fractiones suas. Nec enim Erydanus, Danubius, Tagus, Nilus, Euphrates, uel Indus *dicuntur flumina* Domini, *sed terrarum & regionum: nec clamant, aut uocem eleuant. Sũt igitur hæc flumina* Domini, *ore, lingua, auribus, oculis, manibusque donata: de quibus iterum dicitur:* Flumina plaudent manibus: Et horum impetus lætificat ciuitatem Dei, *dũ per terreos meatus corporis huius à mari æterno transegerint ad fontes, à quibus adhuc per terreos alueos, sed patentes publicè operando in corpore mundi ad mare ipsum redeunt dantes in transitu debitos fructus, terræ irriguum, piscibus genituram, & nauigantibus transitum, non suffocãtionem, non terrarũ colluuionem, non ædificiorum ruinam: Quia hoc facientes non fluuij pacis lætificantes ciuitatem* Domini, *sed* Babylonij *dicuntur de quibus in psalmo:* Super flumina Babylonis, illic sedimus, & fleuimus: *Quia nimio, aut inordinato impetu suffocant, & destruunt: aut exiccantur, & arefiunt, iuxta illud* Isaiæ: *Et arescet aqua de mari, & fluuius desolabitur, & desiccabitur, & deficient flumina. Attenuabuntur, & siccabuntur riui aggerum, & nudabitur alueus riui à fonte suo: & omnis sementis irrigua siccabuntur.* Multa quoque prosequitur, *quæ omnia longum esset retexere, &* explicare. *Sed hi aluei exiccati aliquando replentur igne iustitiæ punientis, quæ exiccare facit fluuios misericordiæ, & pietatis, quos impij suscipere non merentur. Sunt etiam flumina eloquentiæ, ut adagium iam tritum est. Sunt & flumina sapientiæ, ut nudo sermone in* Ecclesiastico *dicitur:* Ego sapientia effudi flumina quasi trames aquæ immensæ: Ego quasi fluuij diorix, *id est fluuij piscina, siue deriuatio, & nõ fluuius dorix, ut habent mẽdosi codices: & sicut aquæductus exiui de* Paradiso, *& dixi:* Rigabo hortũ plantationũ, & inebriabo partus mei fructũ. *Et de* Salomone *iterũ dicitur:* Repletus est quasi flumine sapiẽtia. Iob *quoq; de inquirẽte sapiẽtiã ait:* Profunda fluuiorũ scrutatus est, & abscõdita pduxit in lucẽ: *Qui fluuij potissimè fluunt à terra lacte & melle manante. Fluunt quoque ab humana terra, si uerũ summa* Veritas *profert, dum ait:* Qui crediderit in me, flumina de uẽtre eius fluent aquæ uiuæ. *Et hæc sunt flumina, super quæ ordinatus est orbis spiritualis, ut canit regius propheta dicens:* Domini est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & uniuersi, qui habitant in eo: quia ipse super maria fundauit eũ, & super flumina præparauit illum. *Nec enim orbis hic terræ feculẽtæ,*

Margin notes: Pythag. — Psalm. — Psalm. — Isaias — Ecclesia. — Idem — Iob — CHRISTVS. — Dauid

cuius Dominus est princeps tenebrarum, fundatus est super flumina: sed orbis ecclesiæ, & terra, à qua ueritas orta est, sanctorum quidem habitaculum fundata est super flumina, & fundamenta illa, de quibus apostolus ait: Estis ciues sanctorum, & domestici Dei superædificati supra fundamentum apostolorũ, & prophetarum: Qui & solidæ bases sunt ædificij spiritualis, & flumina irrigantia per circuitum: Quæ tamen flumina omnia uim habent ab illo fluuio maximo, qui (ut in Genesi legimus) egrediebatur de loco uoluptatis ad irrigandum paradisum. Et ecce erat in quatuor capita: Irrigat enim fluuius ille primo paradisum uoluptatis per omnes canales excelsos, diuisus postea in quatuor capita maximo sacramẽto importata per quatuor literas sacratissimi nominis, cuius plena reuolutio duodena dat (ut diximus) omnibus signiferi cœli portionibus, & intelligentiis illis præsidentibus fœcunditatem, undè fluant in inferiora contenta sub illis portionibus, ut aquam illam haurientes, & madefacti, & abluti redeamus ad ipsum fontem, & pelagus omnium charismatum, & uoluptatum, completo debito peregrinationis curriculo.

Paulus

Quid piscinæ, lacus, & stagna. Cap. XV.



EX mari, fontibus, fluminibus, & aquis scaturientibus è uisceribus terræ, fauente aliquando pluuia, oriuntur stagna, lacus, & piscinæ: quæ tamen in scriptura sacra sunt in maxima differentia. Piscina enim, quæ apud Hebræos nomen habet benedictionis, semper fausta est: Nam ברכה beraca utrumque significat, benedictionem & piscinam. Lacus uerò nomen, ut in pluribus traductum à בור bor, quod puteum, uel quendã inferni locum significat, semper infaustum est. Stagnum uerò, quod Hebraicè אגם agam dicitur, nunc in bonam, nunc in malam partem assumitur. Ad meliora autem conscendendo, quæ per hæc inferiora significantur, aduertendum est: quòd piscina, sicut aquam suscipit, sic & diffundit, nulla aliquando facta in ea aquarum putrefactione. Et hi sunt, qui talenta accepta communicant, & lucrantur in benedictionem, impartiendo seipsos aliis, iuxta apostolicam sententiam, qua dicitur: Omnibus omnia factus sum, ut Christo lucrifaciam. Sic & qui sapientiam, uel doctrinam ipsis tributam communicant, sicut summa Veritas docet: Gratis accepistis, & gratis date. Et de his loquitur Sapiens, qui eam sapientiam, quam diuino dono suscepit docens, & scribens communicauit. Extruxi mihi, inquit, piscinas aquarum, ut irrigarem syluam lignorum germinãtium. Sed hæc est piscina inferior, de qua Isaias: Cõgregastis aquas piscinæ inferioris. Est quoque piscina superior, & excelsa, de qua in eodem Isaia loquitur Deus dicens: Egredere in occursum Achaz tu, & qui derelictus est Iasub filius tuus ad extremum aggeris, uel aquæductus piscinæ superioris in uia, uel semita trita agri fullonis. Quæ uerba sunt plena mysteriis: Iussus enim fuit Isaias, ut iret in occursum Achaz, contra quem insurrexerant rex Syriæ, & rex Israël, tanquã allaturus ei opem, & fauorẽ à Dei benignitate, quæ ex illa

Idem
CHRISTVS.
Salomon
Isaias
Idem

superiori piscina emanat: & ideo dicitur, quòd uenit ad piscinam. Et *ducere iussus fuit, qui derelictus fuerat filius eius Iasub, qui pœnitẽs, aut reuertẽs ad Deũ interpretatur, tanquam dignus suscipere donum benedictionis, & aquam illius piscinæ.* Nec *uacat à mysterio, quòd ad extremũ aquæductus, uel aggeris, aut aluei superioris piscinæ iussus fuerit uenire propheta:* Hoc *enim est uas, & alueus molis huius corporeæ nobis sanctificandæ, ut ad ipsam tanquam ad alueũ fluuij mundum, & dispositum descendere posit, & per ipsum transcurrere aqua illius supremæ piscinæ, & in eo tanquam in domicilio, in quo tum oportuerit immorari:* Ipsum *enim corpus templum est animæ: hæc uerò sedes* Dei: *ut ait apostolus:* Templum Dei, *quod estis uos.* In *quod intrat, & exit spiritus adeo occultè, ut nemo sciat, undè ueniat, aut quo uadat, uel quando inhabitet, aut recedat, nisi ipse spiritus, & qui cum ipso uenit* Filius Dei, & Pater *æternus, sicut ipsa* Veritas *attestatur dicens:* Ad *eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Efficitur *autem quis dignus diuinæ aquæ alueus, quando reuersus, & directus in* Deum *peccata relinquit, & fugat concupiscentias, & carnem eius fomitem terit, premit, & calcat: & seipsum tanquam pannos purgandos abluit.* Et *hoc est, quod dicitur:* In *uia, aut trita semita agri fullonis,* מסלת, Mesilat *enim, pro quo nostra traductio habet uiam stratam, significat pedibus calcatã, & tritam, purgatamque lapidibus.* Ad *eundem locum legimus in quarto uolumine* Regum *uenisse* Ezechiam, *quando perrexit ad eum* Rapsaces *missus à rege* Assyriorum, *ut exprobraret, & comminaretur regi, & populo* Ierosolymitano: *ut & ipse tanquam uerus pœnitens aquam gratiæ, & benedictionis mereretur à* Deo: *quam etiã commeruit: liberatus enim fuit de manu regis* Assyriorum, *percussis in castris ex militibus eius centum octoginta quinque millibus.* Est *igitur piscina superior benedictio diuina propinans omnia bona:* Piscina *autem inferior est benedictio sanctorum impartiens nobis, pro quanto à piscina superiori susceperunt communicanda.* Est *quoque piscina ad lauandum, de qua noster* Ioannes *meminit dicens:* Est *autem* Ierosolymis *probatica piscina, in qua lauabantur oues in templo* Domini *offerendæ: quia coinquinatus, & non lotus in uerum* Domini *templum intrare nequit, iuxta* Domini *uerbum:* Nisi *lauero te, non habebis partem mecum, sicut etiam per* Isaiam *dicitur:* Sanctus *uocabitur omnis, cuius nomen scriptum fuerit in libro uitæ in* Ierusalẽ: Et *hoc, si abluerit* Dominum *sordes filiarum* Sion, Nam *licet oues sint ad dexteram iudicis reponendæ, & licet eorum nomina scripta sint in libro uitæ, tamen ut lauentur necesse est, in illa utique piscina, de qua dicitur in psalmo:* Amplius *laua me ab iniquitate mea.* Et *in* Ezechiele: Laui *te aqua, & mundaui te.* In *qua etiam piscina est sanguis melius abluens quàm aqua, de quo in* Apocalypsi *dicitur:* Lauit *nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Et *iterum in calce uisionis ait:* Beati *qui lauant stolas suas in sanguine agni, ut sit potestas eorum in ligno uitæ, & per portas intrent in ciuitatem.* Et *aliquando hanc piscinam in nobisipsis,* Deo *fauente,*

Paulus

CHRISTVS.

Regum

Ioan.

CHRISTVS.

Isaias.

Psalm.

Ezechi.

Apocal.

Ibidem

constructam habemus, quãdo uidelicet tacti à Deo uenimus ad lacbrymas, quæ
Canti. abluũt delicta, iuxta illud Canticorũ: Oculi tui sicut piscinæ hesbõ: Hesbõ enim
Ezechi. cogitationẽ significat, illã utiq;, de qua dicebat Ezechias: Recogitabo tibi omnes
annos meos in amaritudine animæ meæ. Ex qua recogitatione fluunt lacbrymæ
Dauid abluentes: ut dicebat regius propheta: Lauabo per singulos noctes lectum meũ,
lacbrymis meis stratum meum rigabo. Bona est itaque piscina, sed lacus, in quibus putrescit aqua, & moritur, infaustus est: ut ex plærisq; locis scripturæ ꝓbare possumus: Nam de botris terrenæ uineæ in Apocalypsi legimus, quòd uindemiati missi sunt in lacum iræ Dei magnum. Et in Trenis ait Ieremias deplorans
Apocal.
Ierem. præuaricatricem Ierosolymam: Posuerunt in lacum uitam meam. Sed quòd hic lacus locũ inferni significet, qui בור bor Hebraicè, puteus autẽ Latinè dicitur,
Isaias aperto sermone habemus in Isaia dicẽte: Ad infernum detraheris in latera putei, pro quo nos habemus in profundum laci. Item in psalmo: Posuerunt me in la
Psalm. cu inferiori. Et sic paßim, ubi de lacu fit mentio, bor, id est puteus inferni in Hebræo habetur: Cuius in supernis, cum nihil infaustum ibi sit, non habetur exemplar. Est tamen illic tribunal, à quo diiudicantur, qui illuc mittendi sunt: Cui respondet & subiicitur locus iste, & consimiles simul & omnes, qui inibi detrudendi sunt simul & ministri illic eos uincientes, & torquentes, aut perpetuò, aut
Zacha. pro tempore, ut postea liberentur, sicut Zacharias ad eorum saluatorem, & liberatorem loquitur dicens; Tu quoque in sanguine testamenti tui eduxisti uinctos de lacu, ubi non sunt aquæ, id est de puteo inferiorum: Ibi enim non reperiũtur aquæ linientes, & refrigerantes, quamuis per aquas misericordiæ inde tempore suo eripiantur expurgati. Stagnorum autem aliqua fiũt ex pura collectione aquarum extrinsecus aduenientium, & hæc facilè corrumpuntur, putrefiũt, & arescunt. Aliqua uero colliguntur ex scaturientibus aquis, & hæc non putrescunt, cum ueluti piscinæ suscipiant, & diffundant. Altera itaque stagna no-
Isaias cua sunt, & infausta: quia cito aresiunt, & exiccantur, iuxta illud Isaiæ eulogium: Arefaciam stagna, & deducam cæcos in uiam, quam nesciunt: Aut quia in sulfurem & ignem conuertuntur, sicut legimus in Apocalypsi: Timidis & incredulis pars eorum erit in stagno ignis, & sulfuris, quò etiam malorum princeps paulo antè missus declaratur. Sed stagna, quæ ex scaturientibus aquis, & fontibus fiunt, tanquam piscinæ, benefica, & proficua sunt: Vndè inter potiora
Dauid beneficia collata populo illi peculiari in tot prodigiis egredienti de Ægypto à
Idem. Psalmographo connumerantur, dum ait: Posuit deserta in stagna aquarum, & terram sine aqua in exitu aquarum: Et iterum: Qui conuertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum. A quibus stagnis ad fluuios, & fontes terræ uiuentium conducat nos summos ductor, & tandem ad mare illud immensum, in quo ablui, mergi, inuolui, & pleno haustu compleri ualeamus.

Quid mare Rubrum. Cap. XVI.



Are rubrum non sine causa adeo in sacris celebratur eloquiis, quod סוף ים iam supb, id est mare finitũ, aut mare palustre uera interpretatione significat: Solus enim Deus mare infinitũ est. Cætera autem maria, lacus, & stagna finita, determinata, perturbatáque sunt, aut salsedine, aut terra, lutóque perfusa paludosa, & cœnosa redduntur. Et hæc sunt maria à nobis transeunda simul cum adiacenti deserto, ut tandem penetratis collibus & montibus ad illud mare clarum, & dulcißimum deuenire poßimus, à quo uerum lac, & mel continuè fluit, relicto Pharaone, id est dißipatore & concussore cum suis Ægyptiis: qui angustiæ, aut angustiantes interpretantur: & sunt in ipsa palude, quæ fit ex commixtione aquæ cum terra: Vndè paludosum efficitur, & ut in pluribus carectũ: ut bene interpretatum habemus textum illum, quando mater Mosi posuit filium in carecto ripæ fluminis, ubi in Hebræo habetur בסוף quod alibi rubrum habemus interpretatum: & simul cum ים quod mare significat, interpretatum est mare rubrum. Nec tamen carectũ hoc est illius maris rubri, aut palustris, quod sinus Arabicus dicitur à populo Israëlitico pertransitum, cum distet à ciuitate regia multo itinere. Ideo per Zuph bene interpretatum est carectum, aut palustre, ubi (heu nos miseros) omnes simul cum Mose ponimur, quando à mari illo lympidißimo, & immẽso emanantes intramus in hoc corporeum ergastulum ad idem supremum pelagus iterum reuersuri. Nobis igitur faciendus est transitus per hoc angustum, & paludosum mare, sed hoc quidem scissum: ut liberũ nanciscamur transitum dimißis illius accolis cœno illo obuoluendis, & cum duce suo pertinacißimo à sua palude obruendis, in cuius uolutabro obuoluti erant. Quo mari traiecto maxima solennitate uerum phasce, id est uerus transitus ductore Deo nobis celebrandus est, cum Psalmographóque dicendum: Peccauimus cum patribus nostris, iniquè egimus, impietatem fecimus, dum in Aegypto, palustri mari, arida, desertóque habitauimus. Patres nostri in Aegypto non intellexerunt mirabilia tua, nec fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ: Nec nos intelligimus opus, quod continuè peragis nobiscum deducens nos ex hoc cœnoso pelago. Illi irritauerunt, uel (ut melius dicamus ad ueritatem literæ) rebellarunt supra mare rubrũ, uel palustre: & nos rebellamus in corporea hac palude, quæ est causa, & excitamentum totius rebellionis. Illi meritò laudarunt nomen magnum quadriliterum, in quo saluati sunt: & nos laudare debemus nomen Iesu, in quo solummodo (inquit Petrus) oportet nos saluos fieri: & in quo uirtus illius magni nominis quadriliteri continetur. In hac igitur altercatione cum mari, & Aegyptiis cum arida, & hostibus multigenis collocauit nos opifex noster, ut notam faceret in populis potentiam suam à multiplicibus laqueis nos liberans. Et hoc facit increpando hoc paludosum mare corporis nostri, docendoque nos illud mortificare, ut exiccetur ab omni molliẽt humore, & fœdã-

David

Petrus

ti cœno, deducendo nos per aridã ipsius, & per desertum pœnitentiæ fœlicius, quàm per molles luxus: Quos qui fugiunt, & austeri uiuunt in solitudine, & in
Dauid *ipso deserto pœnitentiæ, saluantur: ut propheta subinfert: Et saluauit eos de manu odientium, & redemit eos de manu inimicorum, qui cum austeris facilè in pugna succumbunt, cum mollibus autem uincunt. Qui autem temerariè illud transmeare præsumunt propria uirtute confisi, in ea palude sese inuoluentes suffocãtur, ut de Aegyptiis scriptum est: Equum & ascensorem inuoluit in mari, id est inuolui permisit, ꝑ quo nos habemus proiecit. Vndè sequitur: & operuit aquas tribulantes eos: unus ex eis non remansit. Hoc est igitur mare, quod omnes pa-*
Paulus *tres illi (iuxta Apostoli sententiam) transierunt in nube, & mari, supremo uidelicet baptizati: Quod & omnes transire debemus, si uolumus portum salutis attingere.*

Quid nubes, & pluuia. Cap. XVII.



Vo ex nubibus cõferuntur nobis beneficia: Alterum est obtectus: Alterum uerò pluuia: & ambo solis uigorem mitigant: Lux enim eius nimis excellens percellit oculos minus dispositos, aut tantæ luci non assuetos: & calor exiccans, & exæstuans perurit aliquãdo: utrumque tamen necessarium est: Ad quorum temperamentum summus moderator nubes pro tempore interiici iubet, quæ lucem comprimant, & arefacta madefaciant, & irrorent. Non secus nubes illæ meliores, quorũ istæ simulachrũ tenent, interponuntur tanquam uelamina, quando non possunt debiles mortaliũ oculi in gloriam, & splendorem opificis ueri quidem solis intendere: In quod
Plotin. *spectaculum lucidissimum (inquit Plotinus) si oculus sordibus infectus, nec dum purgatus, aut ignauia debilis intẽdat, caligabit protinus, nihilq; discernet. Ideo, ne offendantur oculi sic infecti, opponitur nubes: sicuti populo murmuranti glo-*
Exodus *ria Domini apparuit in nube, ut in Exodo legimus. Et iterum: Veniam ad te in caligine nubis, ut audiat me populus loquentem ad te. Sic & ascendente Mose ad Dominum in montis uerticem nubes operuit montem, ne offenderentur uulgares oculi intendentes in gloriam Domini, quæ erat tanquam ignis ardens su-*
Ezechi. *per uerticem montis. Et Ezechieli loquens atrium & domum, ubi erant, nube cõ*
Regum *pleuit. Sic quoque in tertio uolumine Regum legimus, quòd Deus loquens Salomoni in templo, ne gloria eius ibi apparens offenderet conniuentes oculos, nebula impleuit templum, & domum. In hunc itaque modum Deus sese inferioribus*
Psalm. *præbet, ut in psalmo canitur: Nubes, & caligo in conspectu eius. Quod & cum apostolis obseruauit, quando enim eis gloriosus apparuit, nubem præmisit, quæ eos obumbraret, ne eorum adhuc debiles oculi à spendore gloriæ suæ instar solis resplendentis offenderentur. Alterum beneficium est, quòd sicut inualescente sole refrigeramur in corpore obtectu nubium, sic & feruescente calore diuinæ iræ in arefactos animos absque cœlesti rore nube clementiæ eos pientissimus*
Isaias *index protegit, sicut per Isaiam ad gentem dissipatam, & arescentem loquitur*

dicens: Ero ſicut nubes roris in die meßis. Quo rore madefacti, & nube protecti tales euadimus, ut in nobis illud eiuſdem Iſaiæ locum habeat: Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum, uel iuſtitiam, ut habet ueritas Hebraica, id eſt iuſtus efficiatur illud ſupernum irriguum, & pluuiam ſuſcipiens, de qua dicitur in pſalmo: Pluuiam uoluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ, quæ infirmata erat per peccatum: Tu uero perfeciſti eam pluuia miſericordiæ, gratiæ, & omnium bonorum: quæ dißipantur per peccatum, & iuſtitiam punitiuam procedentem ab aquilone, à quo panditur, uel aperitur omne malum ſuper habitatores terræ. Et hoc eſt quod idem propheta antea dixerat; Poſuiſti terram in fornicationibus tuis, & malitiis tuis: ideo prohibitæ ſunt ſtillæ pluuiarum. Et ſi nubes (ut in pluribus) beneficæ ſunt, tamen aliquando tenues leuiter reſoluuntur in auram: & aliquando nocuæ ſunt. De primis inquit Iob: Abſtulit quaſi uentus deſiderium meum, & uelut nubes pertranſiit ſalus mea. Et de his, qui beſtias uiuunt, & fruſtra ſuſceperunt diuinam irrigationem ait Thadæus: Hi in epulis conuiuantes ſine timore ſeipſos paſcentes nubes ſunt ſine aqua, quæ à uento circumferuntur. Et in Oſee huiuſmodi dicuntur nubes matutinæ pertranſeuntes abſque aliquo fructu ſuper terram: & utinam abſque maximo in ſeipſos detrimento, poſtquam in uanum acceperunt animam ſuam. Nocuæ igitur fiunt aliquãdo ſibiipſis, & aliis, quando ex eo, quod acceperunt, non modo nõ lucrantur, ſed abutuntur in perniciem: ut nebula, quam acceperunt in profectum, uergat eis in detrimentum, ſicut dicitur in Ioële: Conturbabuntur habitatores terræ, quia prope eſt dies obſcuritatis, & tenebrarum, dies nebulæ, & caliginis adeo conſenſatæ, ut non leuem obtectum præbeat, ſed obſcurum, & tenebras miſerabiles. Et adeo conſtipatur aliquando, ut tanquam murus opponatur, ne aliquis inter Deum & nos fiat acceſſus, ut in Trenis inquit Ieremias: Oppoſuiſti nubem tibi, ne tranſeat oratio: Ibique Hieronymus: Nubes oppoſita orationi uidetur, cum caligine quadam, & nubilo cæcitatis mens obuoluitur, ne radio diuinæ contemplationis illuſtrari mereatur. Sunt etiam meliores nubes, in quibus Deus habitare dicitur, ut in Marco legimus, quòd uenit uox de nube. Et Chriſtum aſcẽdentem nubes ſuſcepit ab oculis diſcipulorum, ſicut Lucas teſtatur. Necnon etiã ſimilem filio hominis uidit Ioannes in ſua celeberrima uiſione ſedentem ſuper nubem. Quod cognoſcens Dauid ait: Qui ponis nubem aſcenſum tuum, aut tribunal tuum: & melius, ut habet ueritas literæ. Hæc autem omnia pro nobis dicta ſint, qui non poſſumus intueri, & conſcendere lucem illam inacceſsibilem, quã ipſe Deus inhabitat. Vndè gloria eius, aut ipſe ſedens in gloria ſua eſt tanquã nubes non ualentibus ipſam præ uiſus debilitate contueri, quouſque dabitur uidere eum facie ad faciem, ſicuti eſt.

Iſaias
Pſalmus
Prophe.
Iob
Thade.
Oſee.
Ioël.
Ierem.
Hiero.
Marco.
Lucas.
Ioan.
Dauid

Quid ros, & pruina. Cap. XVIII.



Luunt sereno tempore ros & pruina, è cœlo, sed maxima differẽtia: Ille enim purus, fœcundus, fœlix, atque semper beneficus: Hæc autem infausta, & nocua descẽdens cũ maximo algore, & quãdo exiccantur, & deficiunt flumina. Et mirum quidem est, quòd humor ille roris foueat, hic autem brumalis exiccet, uratque plantas, & ipsam terram quodammodo conflagret. Sic enim ab eodem cœlo egreditur beneficium, & maleficium: A sole enim induratur lutum, & cera liquescit pro uaria dispositione recipientis. A Christo beneficentißimo suscepere aliqui beneficium, alii

Simeon qui damnum iuxta Simeonis uaticinium: Ecce hic positus est in ruinam, & resurrectionem multorum in Israël. A Deo tandem optimo egreditur & bonum,

Isaias & malum, dicente Isaia: Ego sum faciens bonum, & creans malum, faciens lucẽ,

Ierem. & creans tenebras, Cum hoc tamen stat illud, quod Ieremias in Trenis de ipso Deo optimo ait: Ex ore altißimi non egredientur bona, neque mala. Et ne sint hi sermones in controuersia, dicemus, quòd omnia quæ à Deo, & à cœlo procedũt, sunt bona in se, sed nobis nec bona, nec mala, nisi pro nostra bona, & mala dispositione: aut in quantum eis bene utimur, ut abutimur. Pruina igitur, & si inter nocua computatur, fauet tamen braßicæ, aut cauli, quæ ipsa maturatur, & conficitur: Occîdit quoque uermes, ne grana corrodant. Sed hac pruina dimissa, ad aliam per hanc figuratam deueniamus, quæ est effectus quidam iustitiæ punitiuæ descendens, quando terra congelata est refrigerata charitate, & quando flumina canalesue gratiarum, atque diuinorum charismatum exiccantur arescentibus hominibus præ timore, & iniquitate sua, adeo, ut irroratio illa sit nocua, quæ bene dispositis minimè noceret: sed adhuc sæpe pro-

Grego. dest, dicente Gregorio: Mala, quæ hic nos premunt, ad Deum ire compellũt. Ecce igitur quomodo hæc pruina, & si improbos destruit, bene tamen dispositos, & cum patientia eam suscipientes maturat, & perficit: Ros autem semper beneficus est uirtus diuini uerbi irrorans audiẽtes, liniens, & refrigerans: Ideo

Moses. accommodatè Moses dixit in cantico extremo habito pro commendatione legis, & doctrinæ datæ: Stillet ut pluuia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum: Vtrumque & pluuia & ros leuiter, & sine tumultu descendit super herbam fouens, & fœcundans: Sermo enim est de leni & silenti pluuia, undè sequitur: Et quasi imber sup herbam, & sicut stillæ super gramen. Non secus est uirtus diuini uerbi irrorans, fœcundans, fouens, demulcens, & pascens animos: Quod perbellè figuratum est in mana angelorum, aut fortium cibo, quod simul cum rore descendebat eloquia Dei, & uirtutem eorum significans, ut longo sermone in

Orige. Exodum Origenes pertractat. Et quamoptimè sacra eloquia dicuntur Manuh, quod significat, quid est hoc, quasi quàm mirabile est hoc? Nam ipsa eloquia diuina magis intelligentibus sunt magis miranda, & in maiorem stuporem indu-

David centia, ut benedicere poßint: Quid est hoc? Quod bene persensit ille, qui dixit:

Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Et iterum: Mirabilis facta est scientia tua, id est eloquiorum tuorum, ex me; sed melius supra me eleuata est, & non potero ad eam. Ideo meritò ipsorum diuinorũ eloquiorũ cognitio, & sensu dicitur panis fortiũ: quia & si exteriori facie omnibus sese domestica præbent, medullam tamen continent non nisi à robustissimis dẽtibus corrodendam. Dicuntur quoque ab eodem propheta Ros hermon, qui descendit in montem Sion. Est enim hoc uerbum diuinum, ros, anathematizatũ (ut sentit Hieronymus) ab Hebræis: sic nanquam Hermon interpretatur, Sed descendens supra mõtem Sion, id est super ecclesiam & uiros in Spiritu sancto congregatos. Hæc est quippe ecclesia, non fabrica, aut possessio præbendarum, uel dominium temporalium. Et cum per hunc rorem det nobis Deus fœcunditatem, cibum, & uitam, ideo sequitur: Quoniam mandauit Dominus illic benedictionem, & uitam usque in sæculũ. Quomodo autem, quando, & quibus distribuerit Deus rorẽ eloquii sui, pulchro mysterio declaratũ est Gedeoni, cui primo datũ est signũ de rore cadente supra uellus terra intacta, cũ postea ceciderit ros super terrã sicco uellere: Nã eloquia diuina primo ceciderũt supra Israëliticũ populũ, gẽte ꝑ terrã denotata sicca remanẽte: postea diffusa sunt in gẽtibus, Iudæis, & Israëliticis in ariditate dimissis, ut publica & constanti uoce Paulus & Barnabas (sicut habetur in actibus apostolicis) Iudæis protestati sunt dicentes: Vobis primum oportebat loqui uerbum Dei, sed quia repulistis illud, & indignos uos iudicastis æternæ uitæ, ecce conuertimur ad gentes, sicut nobis præcepit Dominus: Posui te (ait) in lucem gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ. Quod audiẽtes gentes gauisæ sunt, & glorificauerunt uerbum Dei. Ideo magno sacramento Isahac plenus Spiritu sancto primo benedixit Iahacob in rore cœli, & in pinguedine terræ madefactæ ab illo rore: Postea eleuatus in mentis excessum præsentiens, quæ futura erant, eandem benedictionem roris impartitus est Esau, qui aliquando excutere debeat iugũ seruitutis à collo suo, & ad Christum deduci, & repleri rore cœlesti. Est quoque eloquium diuinum canale, theca, & uagina diuinitatis, sicut, טל, tal quod ros significat, est uagina sacratissimi nominis quadriliteri, ut aliquid de secretis reconditæ theologiæ Hebræorum pandamus. Et quamuis uerbum Dei passim, etiam rusticulis, & plebeculis publicetur: & uox sonans ad aures omnium deueniat, sensus tamen & gustus eius, qui sunt ros & manna, ad paucissimos diffunduntur, quia omnibus indignis denegatur, ut per Aggeum prophetam inquit Dominus: Quia domus mea deserta est, id est diuinus cultus, & festinat unusquisque in domum suam quærendo quæ sua, & non quæ Dei sunt, propter hoc prohibiti sunt cœli, id est cœlestes uiri ne darent rorem: & terra, id est populus indignus, ne daret germen suum. Et uocaui siccitatem super terram, super montes, & tandem super opera manuum hominum eorum, qui nõ curant, quæ Dei sunt. Et cognoscens regius propheta rorem prohiberi ex Dei seuera iustitia, dixit de montibus, in quibus ab

David. Idem. Hieron. Paulus Barnab. Theolo. Hebræi. Aggeus. David

ea punitus est Saul: Montes Gelboë nec ros, nec pluuia transeat super uos. Sic dum ipsam iustitiam Dei in nos nostris improbitatibus irritamus, terra nostra aresit, & infœcunda probibito rore & pluuia non potest dare fructum suum: quia non suscipit à piscina illa suprema benedictionem per pluuiam, & rorem: Quem Dominus sua benignitate in nos demittat, ut poßimus dicere cum propheta: Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suũ. Psalm.

Quid grando, & nix. Cap. XIX.



SVmmus & æquus iudex & si multa bona in bonorum fauorẽ præparauit, aliqua tamen etiã in uindictam malefactorum constituit, quorũ quędã connumerãtur in Ecclesiastico, ubi dicitur: Ignis, grãdo, fames, & mors, hæc omnia ad uindictam creata sunt. Et de igne non fouente, sed torquente ipsemet iudex comminatur se dicturum puniendis: Ite maledicti in ignẽ æternũ, qui paratus est diabolo, & angelis eius: ut sit in utrorumque uindictam & pœnam. Sed cum satis supra de igne dixerimus, ueniamus ad grandinem, quæ est aqua in aëre cõgelata, differtque à niue, & pruina: quia grando congelato firmius imbre gignitur: Nix humore mollius coacto, & pruina ex rore gelido: Et illa aqua cõgelata, si fortiori frigore constipetur, ipsa grãdo efficitur: si leuiori autem, granula generatur, quæ solet cadere ueris tempore utpote, Martio, & Aprili, Et non sine admiratione est, quòd aqua tempore æstiuo congeletur in grandinem, & in maiori æstu fiat maior congelatio, & grandioris aquæ, undè dicitur grando quasi grandis aquæ gutta: Ideo non sine causa inter thesauros Dei, aut naturæ, quæ est opus & peculium eius, computatur nix, & grando, dicente ipso Deo in Iob: Nunquid ingressus es thesauros niuis, aut thesauros grandinis aspexisti, quæ præparaui in tempus hosti in diem pugnæ, & belli? Hinc habemus, quod nõ tantum producta sunt huiusmodi à causis inferioribus, & naturalibus, ut phantasticè & frustrà declarare nituntur illi, quos naturales, aut physicos uocant, cum ignorent ea, quæ in thesauris opificis recondita sunt: Et ad eius libitum præparata in pugnam, aut fauorem suscipientium, sicuti etiam in psalmo dicitur: Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt uerbum eius. Et in libro Sapientiæ: A petrosa, id est à dura ira plenæ mittentur grandines. Sed & hæc à mysterio minimè uacant, maximè si ad minorem mundum, & humanum transire uoluerimus: Qui confotus multoties temperie, & multiplici calore, nihilominus in ipso tepescit, & alget ex abundantia iniquitatis, adeo, quòd pluuia illa uoluntaria fausta, de qua supra diximus, conuertatur in grandinem. Et quanto maiora sunt dona, & charismata, quibus donati sumus, & quanto plura sunt beneficia collata, tanto magis ex ingratitudine congelatur pluuia gratiarũ in pernitiem nostram, ut ait regius propheta: Posuit pluuias eorum in grandinem, & ignem non fouentem, sed comburentem in terra ipsorum. Quod utinam non contingeret falso fungentibus Christiano nomine, qui feruescere, & ardere deberent igne spiritus sancti summa co

Marginalia: Ecclesia. — CHRISTVS. — Iob — Psalm. — Sapien. — Dauid.

pia diffuso in progenitores nostros apostolos, & inflammari amore Christi, qui tot & tanta pro nobis perpessus est. Hinc *maius est Christianorum sacerdotum, doctorum, & maiorum uirorum peccatum, qui in beneficiorum multitudine potius congelati in grandinem sæuißimam fiunt, grandinemque iustitiæ punientis prouocant, ut Ægyptiis contigisse in* Exodo *pariter & in psalmo legimus*: Et *occidit in grandine uineas eorum, & moros eorum in pruina*: Et *tradidi grandini iumenta eorum, & greges eorum in carbonibus ignis.* Postea *sæuit in quinque reges* Cananeorum, *& eorum exercitum in* Gabaon, *sicut scribitur in libro Iosue, ubi dicitur:* Mortui *sunt multo plures lapidibus grandinis, quã quos gladio percusserunt filij Israël: quia multo plures ex ingratitudine pereunt, & propria malitia, qua congelatur aqua gratiarum in grandinem, & in ruinam propriam, quàm quos occidunt insequentes hostes.* Habet *enim peccatum, ut perpetranti pœna sit, & suo pondere ad aliud trahat, & inducat* Dei *iram, & punitionem, & charismatum carentiam, ut* Dominus *in* Aggeo *loquitur dicens:* Percußi *uos uento urẽte, aurigine, & grandine, & omnia opera manuum uestrarum:* Sed *melius iuxta ueritatem literæ:* Percußi *uos arefactione, siccitate, & grandine*: Nam *aurigo morbus regius est nihil ad propositum faciens.* Et *sic, ubicunque de grandine fit mentio in scriptura sacra, in uindictam proculdubio deductam esse comperies. Sed qui minus potentes sunt, minusque in malo constipati, granulæ comparantur, ipsáque, id est leniori uindicta ueniunt puniendi.* Nix *autem, quæ est mollis & lenis aquæ coagulatio uelut lana, non in perniciem data legitur, nec nocua est nisi fortius congeletur, imò sæpius proficua sato tritico fomentum præstans: tantáque albedine decoratur, ut eidem dealbanda etiam spiritualia comparentur, sicuti habetur in psalmo:* Lauabis *me, & super niuem dealbabor.* Et *iterum:* Niue *dealbabuntur in* Selmon. Et *in* Isaia: Si *fuerint peccata uestra rubra, ut uermiculus, & ut coccinum, quasi nix dealbabuntur.* In *euangelio quoque legimus uestimenta* Christi *transfigurati effecta fuisse alba uelut nix.* Et *in* Apocalypsi, *capilli illius, qui erat uestitus podere albi dicuntur sicut nix.* Illius *quoque* Nazaræi *in* Trenis *dicti sunt candidiores niue, cum purior sit candor rerum spiritualium quàm albedo niuis, quamuis ipsa in rebus corporalibus supremum teneat gradum in albedine.* Huic *etiam tanquam faustæ* Salomon *in* Prouerbiis *fœlicia æquiparat dicens:* Sicut *frigus niuis in die meßis, ita legatus fidelis ei, qui miserit eum, animam domini sui quiescere faciet.* Hoc *pro orientalibus adductum est, qui solent seruare niuem fidelem custodem doni, quod eis tribuit summus prouisor, ut in æstate & meßis tempore aliquantulum refrigerent solis incendia, & ardentes temperent artus, ut quiescant ab illa agitatione ignea.* Sic *legatus fidelis anxias curas sui principis temperat:* Quod *etiam in oratoribus euangelicis locũ habuit, qui mißi fuere ad messem illã, de qua dixit* Dominus: Meßis *quidem multa operarij autẽ pauci:* A *qua reuertẽtes septuaginta duo fideles legati (ut*

Psalmi
Iosue
Aggeo
Psalmus
Isaias
Euange.
Apocal.
Treno.
Salomon

Lucas narrat) cum gaudio de operatione facta in messe; gauisus est & princeps, qui eos miserat, undè sequitur: In illa hora exultauit in spiritu sancto dicens: Confiteor tibi Pater domine cœli & terræ, & cætera quæ sequuntur. Ecce quantum refrigerabatur Dominus in fideli executione legatorum, quos miserat. Cæterum friget nix, sed frigus eius, quæ conseruatur in palea bono temperamento referta, imò tendenti potius ad caliditatem, non est frigus expellens calorem charitatis, sed potius compescens ardorem concupiscentiæ: & confouetur uestimento duplicis amoris, uel charitatis Dei & proximi iuxta illud Sapientis in prouerbiis: Non timebit domui suæ à frigoribus niuis, omnes domestici eius uestiti sunt duplicibus, utráque uidelicet charitate, aut bona mente simul & bono opere suffulti, ut tangit Hieronymus in commentariis. Si tamen
Hiero. nix resoluatur in aquam igne non decoctam, lædit: Parimodo si frigus hoc, & zelus castitatis resoluatur in fluentem aquam mundanæ gloriæ, & non coctam igne spiritus sancti, & amoris diuini, nocet, & damnat, & redire facit in maiorem concupiscentiæ ardorem, iuxta illud Iob: Ad nimium calorem
Iob transibunt ab aquis niuium. Nix igitur est zelus bonorum operum, qui comprimit ardorem malæ concupiscentiæ, feruet in Deum & in proximum, & nitet candore bonæ exemplaritatis, & albescit munditia. Pruina autem, cum sit ros congelatus, eos quippe resignat, qui uerbum Dei suscipiunt duri uelut petra, undè eis uirtus ipsius diuini uerbi congelatur. Et de huiusmodi dicitur in Euangelio, in quo de semine uerbi Dei agitur: Aliud cecidit supra petram, & natum aruit, quia non habebat humorem, congelata ex suscipientis duritie uirtute diuini uerbi, adeo, ut nullum in eis afferat fructum.
CHRISTUS.

Quid glacies & crystallus. Cap. XX.



Lacies & crystallus, nulli dubium, aquæ sunt congelata, sed differunt, quia glacies est facillimæ resolutionis, ut in libro Sapientiæ
Sapien. dicitur: Facilè resoluebatur sicut glacies. Crystallus autem adeo constipata est, ut euacuatis, & ablatis penitus porositatibus non possit ultra calorem intrinsecus admittere, ut resoluatur. Et hæc quoque in ærario Domini condita sunt, & in sacris eloquiis mysterioso typo cõmemorantur, inuitanturq; in opificis laudẽ a pueris illis diuino rore in ardenti fornace perfusis: Benedicite glacies, & niues Domino: eo quòd & ipsa faciunt uerbum eius, & exequuntur imperium principis. Sed ad hominem propter quem omnia facta sunt, & omnia hæc commemorantur, ueniamus. Glacies simulachrum tenet peccatoris, cui aqua diuinæ benignitatis congelata est à frigore peccati, & à uento aquilonari, undè panditur, & aperitur omne malum, sicut in Ecclesiastico dicitur: Frigidus uentus Aquilo flauit, & gelauit crystallus ab aqua. Sed utinam aqua hæc congelata transcendens limites glaciei non uertatur in crystallum, adeo in se compactã & constipatam, ut hospitem Deum, & peregri-

num calorem suscipere nequeat, neque dissolui, nisi adsit uirtus omnem uim naturæ excedens. Cæterum resoluitur glacies humana à calore amoris sereni, & puri in Deum & proximum, ut in eodem Ecclesiastico legimus: Sicut in sereno glacies, soluentur peccata tua. Crystallus uero & si fortius exquirat robur, tamen ne in abysso peccatorum congelati desperent, propheta spiritu sancto plenus consolatur eos præcinens ea, quæ uerbum, & ipse spiritus sanctus mittendi à Patre facturi sint pro reparatione supnæ Hierosolymæ dicẽs: Mittit crystallum suam sicut buccellam, quæ ualde porosa est & suscipiens peregrinũ humorem madefacientem. Et unde hoc fiat, quod natura non potest, admirans ipse propheta subnectit: Ante faciem frigoris eius, scilicet crystalli, quis stabit potens dissoluere illam? Sed statim sancto lumine collustratus subintulit; Mittet uerbum suum, & liquefaciet eam, flabit spiritus eius, & fluent aquæ lachrymarũ, & gratiarum profluuia in locũ peccati, iuxta illud Apostoli: Vbi abundauit iniquitas, superabundauit & gratia. Sed ad meliora transeamus. Ecclesia. David

Quid paradisus uoluptatis. Cap. XXI.



Atus quippe nobis oblatus est dicendi cãpus: Sed quia ea, quæ ad illum delitiarum hortum, & fœlicitatis locum pertinent, latent penitus sensus humanos, ideo Sapiens illius descriptor Moses uel pauca sub metaphoris tetigit, innuens semper ad anagogicum sensum, cum non terrestris (ut uulgò dicitur) sed cœlestis, diuinusque sit hortus ille plantatus à cœlesti agricola, & opificè summo in terra quidem non hac feculenta, sed in terra uiuentium figurata per terram illã promissam, de qua dicitur: Vineam transtulisti de Aegypto, eiecisti gentes, & plantasti eam: & radices eius plantasti, & impleuit terram. Et ne decipiatur quis credens, quòd de terra hac crassa loqueretur, paulo inferius subinfert: Visita uineam istam, & perfice eam, quam plantauit dextera tua, & super filium, quem confirmasti, uel corroborasti tibi. Ecce quàm clarè innuit uineam illam meliorẽ, & cõsequenter omnes arbores sacri horti plantatas esse in filio, & in uerbo diuino, quod ait: Si quis in me nõ manserit, mittetur foras sicut palmes & arescet, & in ignẽ mittent & ardet. Et ut aliquid aperiamus de arcanis recõditis sub uelamine historiæ, uel pauca (ut non exponantur indignis margaritæ) percurremus. In uerbo enim & filio Dei nedũ arbores, sed omnia plantata & fundata sunt, dicẽte Ioãne: Quod factũ est in ipso uita erat: Cũ quo Paulus: Portãs omnia uerbo uirtutis suæ. Quod & liber uitæ à diuino cõcentore dicitur: Et in libro tuo omnes scribẽtur: Nam ibi omnes descripti sunt sub imaginibus, & exemplaribus æternis: Sed & ipse cum omnibus simul in eo contentis est in Patre: Et ideo plãtati sumus etiam in Patre, in quo est ipse, qui ait: Sicut tu Pater in me, & ego in te, & ipsi in nobis unũ sunt, Hinc supra diximus hortulũ plãtatũ in Patre, cũ sit plantatus in filio, qui est à Patre, & à quo (ut ipsemet fatetur) omnia acce- Moses Psalm. CHRISTVS. Idem

pit. Et in his sunt ueræ delitiæ, & uoluptates, undè meritò dicitur paradisus, uel hortulus deliciarum irrigatus ab illo fluuio uoluptatis, de quo diuus cytharœdus ait: Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrēte uoluptatis tuæ po tabis eos, ex fonte, scilicet de quo sequitur. Quoniam apud te est fons uitæ. Cōsitus itaque est hic hortus omnibus arboribus uisu pulcherrimis, & gustu suauißimis, cum omnia in eo contenta pulchra sint & iucunda, maximè rationales mentes, quæ ipsius gerunt imaginem, quamuis in cœno isto corporeo detrusæ sordescant, ut tamen inde pulchriores euadant. In quo paradiso nedum homo, sed etiam angelus collocatus fuit, ut ad cherubinum principem Tyri, uel Assur (qui non homo, sed angelus erat, ut inquit Origenes: uel fortitudo quædam

Hierō. Ezechi. *Tyri, ut sentit Hieronymus) loquitur Ezechiel dicens: Tu signaculum similitudinis: Ad quam etiam homo tendit perfectam consequuturus, quando similes ei erimus*

Idem. *uidentes eum facie ad faciem: sicuti est. Tunc erimus & nos in illis deliciis, in quibus fuerat cherub, de quo sequitur propheta: perfectus sapientia, & plenus decore in deliciis paradisi fuisti. Et hoc quousque inuenta fuit iniquitas in eo, quia tunc ei dictum est: Repleta sunt interiora tua iniquitate, peccasti, & eieci te de monte sancto Dei: Perdidi te ô cherub: Non quippe ad illum fit sermo, qui positus est ad custodiam ligni uitæ, quia hic est unus de cherubinis locatis supra propitiatorium, undè remißiones peccatorum expectabantur: Quod denotat gladius ille uersatilis in manu cherubini custodientis uitæ arborem: Nam uerti debet homo à creatura in Deum per ueram pœnitentiam, quæ resuba Hebraicè, & Latinè uersio dicitur, si uult in paradisum delitiarum redire, sicut per auersionem à Deo, & conuersionem uel (ut melius dicamus) per prolapsum ad creaturam, & casum eiectus erat, sicut & de alio principe transgressore dicitur: Cecidisti lucifer, qui mane oriebaris, uel ut habet ueritas literæ, Quomodo cecidisti ulula fili auroræ? ut asse-*

Isaias Hieron. *rit Hieronymus in cōmentariis, ut uerbum illud* הילל *sit à* ילל *quod est interiectio, aut uerbū querelandi, sicut paulo antè, Vlulate, quia prope est dies Domini, habetur* הילילו. *Et bene quidem ululandum ipsi erat, cum eiiceretur ab omnigena uoluptate ad omnimodā calamitatem. Sequitur: Confractus es in terram, qui uulnerabas gentes. Inuidia enim fuit, sui peccati initium, qua æmulans*

Sapien. *hominē sublimādū conabatur ipsum perdere, ut in libro sapiētiæ dicitur: Inuidia mors introiuit in orbē terrarū. Homini itaq; concessus est ad ipsum paradisum regressus, quia aliquali ignorantia deceptus, & fragilitate attractus cecidit: Ille autem nulla ignorantia obuolutus, nec carnis fragilitate circūdatus propria malitia peccauit peccato irremißibili, & penitus in spiritū sanctū. Regressus autē nobis datur per pœnitentiā, & reuersionē ad Deū, & ad locū delitiarū figuratum per terrā illā lacte & melle manantē: Figuratusq; est reditus in populo illo Israëlitico, qui primo in Aegypto oppressus fuit maxima pœnitentia per multos annos sub oneribus luti, & laterum, & paleæ conducendæ, quæ signant*

pressuram multiplicem, quam patimur in hac corporea mole, maximè dum contendimus redire in Deum: Transeundúmque nobis est per cœnosum & paludosum mare, ut paulo ãte diximus. Vinea igitur traducta de Aegypto est totus numerus saluandorum, qui deducendi sunt in ueram terrã promissionis, & in terram uiuentium, ex qua eiectæ sunt gentes, de quibus dicitur in Apocalypsi: Proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui est diabolus, & satan: & angeli eius cum eo emissi sunt, nec locus eorum inuentus est amplius in cœlo. Electi autem replantati sunt, sicut transplantantur plantæ materiales, & uegetatiuæ, ut melius producant: Qui plantati enim erant in uerbo ab æterno, transplantati sunt postea in Messiah, sicut ipsemet clara luce testatur dicens: Sicut palmes non potest facere fructum à semetipso nisi manserit in uite, sic nec uos nisi manseritis in me: Vos enim elegi, & posui in horto meo, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus uester maneat, neque unquam de horto eiiciemini. Et hic est hortus, uel uinea, de qua iterum ait: Ite & uos in uineam meam, ut operemini mea gratia, sicut positus fuit protoplastes, ut operaretur iustitia illa, & lumine dato ab initio, sed per peccatum deperdito. Et quamuis Deus filius sit hortus, & uinea, est etiam arbor uitæ, quia uitam omnibus præstat: & in quem qui credit, non perit, sed habet uitam æternam. Est etiam panis uitæ, ut ipse testatur dicens: Ego sum panis uiuus, qui de cœlo descendi, siquis manducauerit ex hoc pane, uiuet in æternum. Est itaque fons uitæ, arbor uitæ, panis uitæ, & ipsa uita. Est quoque arbor scientiæ boni & mali, iuxta superius dicta & infra dicenda: Quam æmulatus est Diabolus, & eius suasu æmulatus est & protoplastes credens obtinere gradum nulli concessum, & ipsi peculiariter denegatum, cum interdiceretur, ne de arbore illa comederet, ut bene interpretantur nonnulli uerbum illud Ionæ typum Christi (eius testimonio) gerentis, propter me uenit hæc tempestas, in angelis quidem, & hominibus: cum utrique gradum sibi illũ uendicare præsumpserint, undè eiecti sunt. Est itaq; paradisus uoluptatis locus, & mansio in archetypo omnibus delitiis consita, ubi sunt gradus omniũ creaturarũ, & in medio omnium Christus tanquam arbor, & fons uitæ, ac omniũ bonorũ plenissimus, de cuius plenitudine omnes suscipiunt: Quo introductus fuit protoplastes, & angeli omnes: Et expulsis rebellibus nõnulli fideles aliquãdo introducti sunt, quibus datus est accessus ad intima cubicula superni regis, ut de Henoc & de Elia communis sentẽtia est. Nec secus de Mose, Abrahã, & prophetis multis opinandũ est: Quibus adeo patefacta sunt summi Dei arcana, ut aliqui illorum facie ad faciem regem Deum se uidisse glorientur, & Christũ, quẽ uenturũ multifarie prædicarunt. Neq; minus excogitandũ est de familiaribus ipsius Christi iã à Patre in mũdũ destinati, qbus ipse dixit: Ego sum ostium: Per me si quis introierit, saluabitur: & ingredietur, & egredietur, ad libitum uidelicet in paradisum ipsum uoluptatis: Qui non terrestris est (ut uulgò dicitur) sed plantatus ante mundi fabricam, sicuti bene sentit

Apocal. CHRISTVS. Idem Ionas CHRISTVS.

Hiero. Hierony. qui in Genesim ad uerbum ait: Pro paradiso textus habet גן עדן Gan abedē, id est hortū delitiarū: Pro quo Symmachus trāstulit paradisum florētē. Necnō quod sequitur cōtra oriētē in Hebræo מקדם mikedē: Quod Aquila posuit ἀπὸ ἀρχῆς, & nos ab exordio possumus dicere: Symm. uerò ἐν πρώτης, & Theodotio ἐν πρώτοις, quod & ipsum non oriētē, sed principiū significat: Ex quo manifestissimè cōprobatur, quod priusquā cœlū, & terrā Deus faceret, paradisum antè cōdiderat. Hucusq; Hierony. quē ad uerbum adduxi, ne aliqui abusu decepti opinentur me somniare, cū dixerim paradisum illū nō esse terrestrē, ut à sciolis dicitur, sed cœlestē, imò diuinū, in quē datur introitus; quādo homo auersus à peccato, & creatis in Deū toto & mūdo corde reuertitur: Tūc enim Deū uidet, mentē adipiscitur, regnū cœlorū possidet, quod intra nos est: & in ipso paradiso delitiatur: Quæ omnia (ni fallor, nec falli reor) idē sunt. Et hæc est rōphea uersatilis, quā tenet cherubinus pro custodia ipsius paradisi, uersio uidelicet: Quæ si est à Deo ad creaturas, tunc expulit sic auersum à ligno uitæ, & à delitiis ipsius paradisi: Si autem ipsa auersio erit à peccatis, & creaturis ad Deū, tūc per cherubinū cōsequitur remissionē & reditū ad eundē paradisum, à quo expulsus erat. Et idcirco cherubini iussi sunt collocari super coopertoriū arcæ fœderis, quod propitiatoriū dicebatur, quia inde fiebāt propitiationes, & remissiones peccatorū: Qui cherubinus multis rationibus Christū figurat, in quo facta est uera propitiatio & remissio peccatorū, Et geminus cherubinus arcæ, geminam eiusdē Christi naturā indicat. Multa omitto, quæ in huius sententiæ corroborationem adduci possent per numeros literarum Hebraicarum, & reuolutionem earum, ne uiderentur extranea, & commentitia non assuetis, & non habentibus elementa illius progressus: Sed quia instatur cum descriptione fluuiorum inde egredientium, cum illi per terram hanc habitabilem fluere uideantur, & ortū habere ex terrestri loco, ideo quid & fluuij ipsi significēt, uideamus.

Symma. Aquila Symma. Theod.

Quid Gion, Physon, Tigris, & Euphrates ex ipso paradiso fluentes. Cap. XXII.



AB illo fonte paradisi emanare aqua dicitur, uel fluuius, qui statim partitur in quatuor capita: Quæ si secūdum uerū sensum intelligere uoluerimus, recordabimur, quod à diuino illo fonte uitæ decurrit aqua, essentia uidelicet & esse omnium rerum, quod prima diuisione diuiditur in quatuor elemēta tanquā in præcipua, & primaria principia materialia rerum: Qui fluuius essentiæ egrediebatur de uoluptate, id est de deitate fœlicissima ad irrigandā, & perfundēdam uniuersam terrā, id est materiā: quæ primo producta terra appellata est. Et bene primo decursu diuidi dicitur in quatuor capita, in quatuor uidelicet elemēta, cū quibus & nomina fluuiorū cōueniūt: Nomen enim unius est פישון Physon, quod oris reuolutionē aliqui interpretantur: Sed melius os, & dentatio à שן sen, quod est dens diceretur: ne à שנה .i. sana permutauit, tractū putemus. Hinc etiā terrā indicat, de qua dicitur,

ꝙ circuit omnẽ terram hauilat, quod parturiẽs interpretantur, quia terra hauilat, id est fœcũda & frugifera circũdatur à litore arido, undè illis uerbis utraq; terra exprimitur, arida, & frugifera. Et bene terra primo per aridã exprimitur, cum in Genesi dictũ sit: Et uocauit Deus aridam terram: Quæ sic arida permaneret, nisi irrigaretur à fluuio illo egrediente de paradiso uoluptatis ad irrigandam (ut in textu habetur) uniuersam terram. Accepta igitur à Deo fœcunditate pro captu suo producit nõ tantum herbas, & plantas (ut omnibus patet) sed etiã metalla, & lapides prætiosos. Ideo sequitur: Et ibi aurũ, & aurum terræ illius bonũ, & ibi nascitur הבדולח ואבן השהם Bedolach aliqui Bdelium, alij crystallum, uel talcum interpretantur: Et Auen asoham lapidem onychinum. Nec sine causa hæc tria nasci dicuntur in terra, ut uidelicet paucis uerbis indicetur, quid boni & mali habeamus ab ipsa terra. Habemus enim aurũ, & cætera metalla, quæ omnia thesauros defectibiles, & contemnendos significant, concessos tamẽ ad nostros usus, dum in hac feculenta terra peregrinamur: & ut ꝑ ipsos acquiramus cœlestes. Bdelius uerò, id est crystallus, uel talcus nullo sunt calore resolubiles, ut clara experientia comprobauimus. Et onychinus lapis præstigiosus dicitur, intus circa centrum coloris terrei, in circunferentia uero cœlestis: Quæ duo biuium denotant mortalium pergentium, aut habitantium super terra. Sunt enim qui adeo terrena sapiunt: ut induretur mens, & anima eorum aquea, ueluti crystallus, uel talcus, in quæ nullus ignis præualere potest. Aqueam dixi animã, cum non ab re in scriptura dicatur: Producant aquæ omnẽ animã uiuentem. Sed potissimè rationalis est aquea, ut sit capax aquæ sapientiæ salutaris. Sed aliquando adeo induratur malitia, & peccato, ut nullo calore naturali sit resolubilis. Sed ne mortales sic indurati desperent per prophetã dicitur: Mittit crystallum suam sicut buccellas ante faciẽ frigoris eius, quis sustinebit? Emittet uerbum suum, & liquefaciet ea, flabit spiritus eius, & fluẽt aquæ. Alij uero lapides onychini efficiuntur, qui & si terrei sunt in cẽtrali natura, mẽte tamen & affectu cœlum contemplantur, & in cœlum tendunt. Quantum autem ad etymologiam fluuij attinet, diximus, quòd os dentatum significat: quia dum in terra sumus dentibus, id est certis uiribus animæ premendus, conterendus, & ruminãdus est omnis cibus: quem ore pro anima capimus: Quod nisi quis fecerit immundus habetur in lege: Secundus fluuius גיחון Gion dicitur, & pectus significat, quod pedum officium præstare serpenti iussum fuit: Cuius simulachrum tenet aqua fluens sine pedibus, & manibus super alueum terreum, quasi pectore super terram: & aqua maris super littora quasi eodem modo reptat. Hic autem fluuius circuit omnem terram כוש cus, quod Aethiopiam interpretantur, & etiam coopertum. Nã כוש cus à כשה cassah uenit, quod est cooperuit: Circuit nanq; aqua omnem terrã cooperiens & inuoluens eam in circuitu, dempta hac parua portione, quam habitamus. Et nomẽ tertij fluuij חדקל hidechel, quod à nostris interp̃tatũ est tigris: Sed uenit ab חדד

Genesi

Dauid

badad, quod significat acuit, & קל chal, quod leue interpretatur, ut significatũ eius sit acutum, & leue: Et denotat aërem, uel spiritum aëreum, qui leuis est, & penetratiuus magis quàm ignis: quia facilius potest excludi ignis ne alicubi intret quàm aër. Et hic præuenit Assur, id est diuitem, qui uento & aëre inflatur. Vel uadit contra Assur, id est contra speculantem per se: Assur enim utrũque significat & diuitem & speculãtem: Qui enim uult per seipsum diuina speculari, remanet uento plenus. Et tandem spiritus ille aëreus adeo acuet corpus per dotem iam effectum leue, ut penetrare poßit cœlos, & quodcunq; ipsi obiicitur melius quàm aër hic crassus. Ad quartum fluuium ueniens Moses ait: Quartus fluuius הוא פרת hu, id est ipse perat, pro quo nos habemus, ipse est Euphrates: Euphrates enim multiplicans, uel fructificans, aut frugifer interpretatur, sicut & perat fructificare significat: Vndè calorem & uim igneam deuorat, quæ omnibus fœcunditatem præstat, sicuti experientia comprobamus: Nã adueniente calore incipiunt germinare omnia, & ipso feruescẽte maturare: & eodem recedente spoliatur terra, & arbores dimittunt fructus & folia: Sol enim, qui pater uitæ dicitur, mediante calore rebus inferioribus uitam præstat, & conuenit cum Deo, qui ignis existens dat omnibus fœcunditatem, & fructũ: Qui Deus non solum uim igneam, sed omnium elementorum continens, tanquam uerus fons existit, à quo omnis uirtus elemẽtaris emanat. Et hoc innuitur (ut secretiores Theologi asserunt) per quatuor literas sui magni nominis: Per primã enim multis de causis, quas subticeo, ignis indicatur: Per secundam, quæ est nota aspirationis, aër: Per tertiã aqua, & p quartã terra, & terrestria omnia, cũ qbus unitur uirtus illa diuina ignea. Et hoc innuitur in figura illius literæ in qua , quod est prima litera igneam uirtutem diuinam (ut diximus) indicãs locatur in uentre illius literæ, quæ ר res dicitur, & ducenta importat, binarium uidelicet per centenariũ deductum, qui numerus rerum materialium est. Sed hæc tanquam extranea Latinis nostris, & non initiatis in huiusmodi dimittemus. Fons igitur & mare superexcelsum, à quo ista quatuor flumina fluunt, est magnum nomen Dei quadriliterum (ut Hebræi dicunt) uel uirtus importata per illud nomen, quod Pythagorei tetractim dicunt: & indicat illud diuinum esse fœcũdum omnium rerum, & à quo omnia: Quod Orpheus, & Homerus Oceanũ uocant diuinarum, & humanarum rerum originem primo semper existentem, secundo in Deorum generatione emanantem, tertio irrigantem terrena, quarto stillantem in omnem fluidam materiam: Cuius iterum emanatio per formã quidem in angelis, per participationem ueram, & imaginem in animabus rationabilibus, per imaginariam in rationis expertibus, per umbram in corporum figuris reperitur. Quæ emanatio quadriuia innuitur etiam per animalia quadrigena uisa ab Ezechiele, quorum Leo igneus est: Aquila aërea: Homo in anima potissimè, & in semine aqueus, ut alibi declarauimus: Vitulus uero terreus, & terræ cultui semper addictus: Quæ elementa composita simul unicam ostendunt fa-

Hebræi. Pythag. Orpheus Homer. Ezechi.

ciem, & uirtutem, ideo dicitur: Quatuor facies uni, & quatuor pennæ uni: De *quo satis superius diximus*. Et *quia aliquid ueritatis in litera continetur circa descriptionem illorum fluuiorum, etiam de ipsis undè oriantur, & qua fluant dicendum est, prout à diligentißimis* Geographis *accepimus*. Physon *(ut nõnulli asserunt, quibus assentit* Hieronymus *)* Ganges *est* Indiæ *fluuius, inter fluuios afferentes aurum præcipuus. Hi enim auriferi connumerantur,* Tagus *in* Hispania, Eridanus *in* Italia, Hebrus *in* Thracia, Pactolus *in* Asia, Ganges *in* India: *cuius ortus est ex* Medis *mõtibus,* Artemidoro *authore*. Et de hoc dicit textus: Geogrã. Artemi.
Et *aurum terræ illius est optimum*. Gion *autem qui* Nilus *existimatur, transiẽs per omnẽ terram* Aethiopiæ *& ab ultimis finibus terræ australis fluit ad septẽtrionem mirabili, & uario cursu:* Hic *enim quamuis longo tempore incertis ortus sit fontibus, tamen tẽpore* Neronis *eius origo inuenta traditur in monte inferioris* Mauritaniæ, *nõ longe ab* Oceano, *stagnante ibi lacu, quem* Hilidem *uocant:* Deinde *condit se itinere aliquot dierum, rursusque erumpit alio lacu maiori in* Mauritania Cæsariensi: Iterumque *harenis receptus per deserta uiginti dierum fertur ad proximos* Aethiopas: Deinde *prosilit in fontem, qui niger dicitur:* Inde Aphricam *ab* Aethiopia *disterminans medios secat* Aethiopas *cognomine* Astaplus, *quod gentium illarum lingua significat aquam è tenebris fluentem*. Et *hic plurimas insulas facit, quarum clarißima est* Meroë, *à ciuitate* Meroë *à* Cambise *condita, & à matris nomine uocitata*: Et *tandẽ ad mare* Aegyptium *deueniens per multa ostia ipsam* Aegyptum *insulam in formam* Δ *delta* Græcæ *literæ facit*. Hic *igitur in* Aphrica *oritur per mare* Arabicum *disterminata ab* Asia, *in qua alij fluuij trahunt originem:* Tigris *enim qui uadit contra* Assyrios, *in regione* Armeniæ *minoris fonte cõspicuo oritur in planitiæ, ubi tardior fluit, hoc usque ad* Medorum *fines* Diglito *appellato: tum incipit uocari* Tigris, *quòd ueluti sagitta uolare uideatur*: Medi *enim tigrim sagittam appellãt* Et *influit in lacum* Arethissam: *indéque transuectus occurrente* Tauro *mõte in specu mergitur, subterque lapsus ab altero latere eius erumpit: quem locum* Zeroandam *nominant*. Alterum *deinde transit lacum, qui* Thesbitis *dicitur,* Rursusque *in cuniculos mergitur, & post uigintiquinque millia passuum circa* Nympheum *redditur tam uicinum* Arsaniæ, *ut confluant, non tamen misceantur:* Leuior *enim* Arsanias *innatat:* Quatuor *fere milliũ spatio mox diuisus in* Euphratem *mergitur*. Et *tandem uasto alueo perfusus in mare* Persicum *decem ostiis infertur*. Euphrates *uerò in mõte* Pariedro *maioris* Armeniæ *oriri dicitur, eadem plaga percurrens* Armeniam *maiorẽ à* Cappadocia *distinguit, & in sinũ* Arabicum *uel* Persicũ *(quod mare rubrum dicitur) fluit*. Hinc *nulla coniectura restat, quomodo ista quatuor flumina eandem habeant originẽ, cum ex distantißimis locis oriri uideantur*. Nec *tamen desunt, qui asserant eorum omniũ unicum esse ortum primarium, sed per meatus subterraneos illa currere ad diuersa loca, à quibus uidentur cursum suum exordiri*. Sed *prudentioribus nõ uidẽ-* Nerõ

tur consentanea, cum ea sint interposita terrarum & marium spatia, ut ortus illorum fluuiorum conuenire non possint, nisi diceretur, quòd mare, à quo omnia flumina oriuntur, sit fons etiam illorum quatuor nominatorum fluminũ: Sed tũc non erit locus aliquis particularis, qui hortus, aut paradisus delitiarum dicatur à nobis inaccessibilis. Vndè typica uidetur omnino illa descriptio fluuiorum, per quos intelliguntur quatuor elementa, & principia totius esse producti: & indicatur illa quadruplex uirtus nominis quadriliteri, aut quadruplex effluxus præcipuus archetypi: Quæ omnia describũtur p illa quatuor flumina: eo quòd ipsorum habeant simulacbrum, sicuti per arbores, fontes, hortum, & huiusmodi altiora describuntur sacramenta.

Quid Iordanis, & Ieor fluuius Ægypti. Cap. XXIII.



Post illa quatuor elementaria flumina, ex quibus omnia constant, duo alij fluuij in scriptura celebrantur, alter in terra promissionis sancta, qui Iordanis dicitur, & alter in reproba terra Ægypti nominatus Ieor: Qui magno mysterio faustos, & infaustos effluxus à supramundano tribunali significant: Cuius rei signũ est, quia omnia in Iordane perpetrata bona fuerunt, atque benefica: & quæ in Ieor perpetrata sunt, econuerso infausta & malefica fuere. In Iordane enim positi fuere lapides memoriales transitus filiorum Israël uenientium de Aegypto, & de Moabitis: In eo sanatus fuit Naamã Syrus iubente Eliseo: In eo baptizatus fuit Christus, & Ioannes, qui Christi baptismum præueniens, & ipse in eo baptizauerat. Ideo hinc, & aliis de causis à prophetis, maximè à Psalmographo est plerisque in locis decantatus. In Ieor autem multa commemorantur mala perpetrata in diuersorum perniciem: Ibi enim uidebantur submergi infantes Hebræorum. Postea aquæ illæ, iubente Deo, per Mosem conuersæ sunt in sanguinem adeo fœtentem, ut morerẽtur pisces, & affligerentur Aegyptij uolentes eas bibere, & diffunderetur cruor ille putridus in totam regionem. Ebulliuit quoque ranas, quæ operuerũt terram illam Memphiticam, & tandem mortuæ in immẽsos aggeres collectæ totum circuncirca aërem infecerunt. Est igitur aqua Iordanis benefica, illa uero Ieor ex aduerso nocua, & perniciosa. Sed ueniamus ad nomina, quæ rebus consona esse debent. Scribitur enim Iordanis suo proprio idiomate Hebræo ירדן ierden quod uersum facit נדרי nederi, id est uotum meum, spontanea uidelicet oblatio, quam unusquisque facit de seipso uolẽs perfectè seruire Deo: Qua oblatione facta omnia faustè, & fœliciter succedunt. Alter autem fluuius qui prius in scriptura dicebatur יארה iorah postea dictus fuit היאר haior præposterata litera, ה magno mysterio nunc subticendo. Sed in præsenti ne omnimodo silentio prætereamus significationem dictionis permutatæ tantummodo adducemus יאר Ior enim lucem significat cui dictioni præposita ה secũdũ proprietatem grammaticæ Hebrææ habet uim interrogandi, ut significatum היאר haior interpretetur, nunquid est lux? Quæ interrogatiua sententia negatiuam

Psalm.

infert, ut sit sensus: Nõ est lux, & consequenter nec bonum, nec diuinum aliquod ibi est, sed remanet nominatũ perniciosum illis apud quos fluit. Qui tamen fluuij emanant uterque à supernis tribunalibus, Iordanis à tribunali misericordiæ, & Haior à tribunali iustitiæ, ut in illo lauentur oues in dextera collocandæ, in isto autem submergantur hædi damnandi & puniendi.

Quid uinum, lac, butyrum, & mel. Cap. XXIIII.



Ec uacant à mysterio uinum, lac, butyrum, & mel, toties in sacra scriptura celebrata. Et ut expeditis manibus ueniamus ad interpretamenta horum uerborum; quæ sicut & cætera metaphoricè in sacris eloquiis habentur, uinum sapientiam rerum inferiorum significat, lac & butyrum rerum supernarum, & mel gustus & suauitas est, quæ habetur ex ipsis delibatis. Vino nanque & sapientia rerum inferiorum refertus fuit Salomon super omnes, qui ante, & post ipsum fuerunt, prout postulauerat à Deo offerẽte, & promittente sese daturum quodcunque peteret: Ait enim, Da seruo tuo cor docile, ut populum tuum iudicare possit, & discernere inter bonum & malum: Quis enim iudicare poterit populum tuum hunc multum? Cui Dominus: Quia postulasti sapientiam ad discernendum iudicium, ecce feci tibi secundum sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens, & intelligens in tantum, ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. Nihilominus cũ esset plenus illa sapientia, adhuc aliam quærere uidetur dolẽs, quòd non posset eã adipisci, ut in concionatorio suo, quod Græcè Ecclesiastes, Hebraicè uerò coëler dicitur; inquit: Et apposui cor meum, ut inuenirem sapientiam. Et iterum: Cogitaui in corde meo abstrahere à uino carnem meam, ut animum meum trãsferrem ad sapientiam. A quo enim uino abstrahit carnem suam, nisi à sapientia terrenorum, quæ non bene conueniunt cum supernis, sicut nec utrorumque sapientia? Hæc enim rerum inferiorum per uinum signatur, de uite terrena, id est de humanis ingeniis nascens, quamuis aliquando à Deo elargiatur, sicut nuper de Salomone diximus: Illa autem diuinorum propinatur ab illis uberibus excelsis, de quibus in Canticis dicitur: Meliora sunt ubera tua uino. Et hæc docet ueram discretionem boni & mali, ut in Isaia de Christo dicitur: Butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum & eligere bonum. Nec enim in butyro uaccino sciet quispiam discretionẽ facere inter bonum & malũ, sed in sapientia illa meliori, quæ de sursum est figurata per meliorem partem lactis, ex qua butyrũ conficitur. Et quia ad hanc sapientiam comparandam exquiritur sequestratio melioris hominis ab animali, & excessus quidam mentis, qui mors osculi à secretioribus Theologis dicitur, ideo ad ipsam aspirans præmittit: Osculetur me osculo oris sui. Cur autem hæc melior, & diuina sapientia lacti comparetur, illa uero inferior uino, explicandum censeo. Vinum enim à planta deducitur, sed lac ab animali quod melius est: Illud itẽ inebriat: lac uero minimè, quamuis utrũque nutriat: Vinum quoque cõseruatum, & expositum non facilè permutatur,

Eccle.i. | Isaiæ | Theolog.

citharœdus, qui ait: Credo uidere bona Domini in terra uiuentium: Cuius typū gessit illa, ad quam deductus fuit populus Israëliticus post longam deserti peragrationem: In qua super omnes regiones uiguit spiritus propheticus, & arcanorum legis perscrutatio, & sapientia, & gustus rerum diuinarum: adeo quòd terra illa à Daniele uocetur צבי Zebi, id est gloriosa, ut habet traductio nostra aut inclyta, ut Hieronymus ait, uel terra fortitudinis, ut Symmacho placuit, siue iucunda, & præcipua super omnes alias non quidem fertilitate rerum corruptibilium, quia (teste Deo in Deuteronomio) fertilior est terra Aegypti: Nec latitudine, aut amœnitate alias excedit, quia paruula & satis rigida. Est igitur præcipua, gloriosa, & inclyta, quia supposita est largissimæ influentiæ prophetiæ, sapientiæ, & rerum omnium diuinarum. Ibi enim Patriarchæ educati sunt uocato Abraham de Mesopotamia Syriæ: Illuc pergenti Israëlitico populo data est lex omni sapientia plenissima, ut habitatores futuri essent loco conuenientes: Illic prophetia pene omnis effusa est: Ibi prophetæ quamplurimi potentes opere, sermone, & sapientia: Ibi Christus: in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, conceptus, natus, & educatus est: Ibíque prædicauit, & multos sapientia repleuit: Nec aliquando ab eo loco discessit, nisi cū adhuc paruulus abductus fuit in Aegyptum, ut Herodis immanitati cederet. Ibi passus surrexit, & inde ascendit in cœlum, spiritum sanctum ibidem discipulis suis dedit, qui corda eorum omni sapientia, omníque peritia linguarum compleret, & pasceret eos lacte, & melle à superexcelsa terra deducto. Illic quoque natus, educatus, & spiritu repletus est ille, qui dixit: Quā dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo: Ad quam dulcedinem delibandam alios inuitabat dicens: Gustate, uidete quoniam suauis est Dominus. Si autem ad sensum allegoricum, & forsitan magis intentū à spiritu sancto conscendere uolucrimus, terra hæc fluens lacte & melle est caro, & corpus Christi, à quo fluxit & aqua in lauacrum peccatorum, & lac & mel in uerum cibum uitæ & spiritus: imò exhibitum est ipsum corpus nobis in panem, & sanguis in uinum. Lac autem ab ipso propinatum nunc datur incipientibus, iuxta illud apostoli: Vobis autē quasi infantibus lac præbemus, Nūc autem datur perfectis, ut de apostolis & primariis fundatoribus ecclesiæ sub nomine sponsæ in Canticis dicitur: Mel & lac sub lingua tua. Tūc enim fuit mel & lac sub lingua sponsæ, id est apostolorum, quorum cœtum Christus accepit in sponsam, ut per eos cæteros filios generaret, quando spiritus ille ueritatis eos perfudit, & pauit, adeo ut per totum mundum diffunderent lac & mel ab illo susceptum, id est doctrinam, & gustum rerum diuinarum. Et uerè lac cibus est perfectorum, & eorum, qui sunt paruuli, astutia uidelicet & malitia, ut ait ille præcipuus distributor lactis & mellis: Abscōdisti hæc à sapiētibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Est itaque cibus hic perfectorum, qui iuxta regis edictū efficiuntur sicut paruuli, ut intrare possint ad penetralia regni cœlorum, ubi pascantur uero lacte propinato ab illis uberibus, de quibus dicitur in

Daniel. Hieron. Symmá. Deuter. Dauid Paulus Cantic. CHRISTVS.

Canticis: Ibi dabo tibi ubera mea. Et iterum: Dilectus meus mihi, & ego illi, inter ubera mea commorabitur. Quod lac semper consequitur mel, quia ad sapientiam, & cognitionem diuinorum accedit gustus, & delectatio.

Quid oleum. Cap. XXVI.



David. Ioël. CHRISTVS. *Leum quoque in sacris eloquiis celebratißimum est, & ad multa necessarium, ad reges uidelicet, sacerdotes, & prophetas ungendos, & linienda ea, quæ offerebantur munera cerealia ad luminaria confouenda, & sanandas infirmitates. Nec reor sacerdotes, reges, & prophetas, atque sacrificia sanctificari oliuarum oleo, sed meliori uirtute, cuius oleum illud materiale sacramentum erat. Oleum itaque melius, & uerum diuina quædam est uirtus, imò ipsa diuinitas effigiata per oleũ, quo* Canti. *utimur. Et de isto meliori dicitur in Canticis: Oleum effusum nomen tuum, id est diuinitas, & uirtus ipsius diuinitatis indicata per oleũ: Qua uirtute præcipuè referti esse debent reges, prophetæ, & sacerdotes: Reges, quia uicem, & imaginem Dei peculiarem gerunt in terris: prophetæ, quia miracula perpetrant, & futura prænuntiant, quod proprium Dei est, dicente Isaia: Annuntiate nobis, quæ uentura sunt, & dicemus, ꝙ dij estis uos: Sacerdotes, quia funguntur Dei officio diiudicando animas, & remittendo peccata, & quia mediatores existunt inter Deum & homines: Mediũ autem (ut triuiale est in scholis) de utroq; extremo participare debet. Et quia IESVS fuit Rex regum, summus propheta, & pontifex maximus, ideo refertus esse debuit diuinitate super omnes, ut Psalmographus canit: Vnxit te Deus, Deus tuus oleo letitiæ præ participibus tuis, Bene quippe dicitur oleum letitiæ, quia nullum est uerum gaudium, nisi ubi Deus residet: Cui seruiens semper lætus esse debet. Hinc Christus ait: Cum ieiunatis, id est Deo per ieiunium uacatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes: Sed* CHRISTVS. *potius id temporis unge caput tuum, ut lætus sis uidelicet, iuxta illud prophe-* David *ticum: Vt exhilaret faciem in oleo. Et hic est hilaris dator, quẽ diligit Deus. Nec adducatur illud euangelicum: Beati, qui lugent, quia luctus ille ad animalem hominem spectat, qui assumi debet, ut subsequatur consolatio, ideo statim subinfertur: Quoniam ipsi consolabuntur. Sicut igitur per aquam baptismi indicatur aqua illa supramundana, ita per oleum & chrisma denotatur oleum, chrisma,* Ioan. *& unctio illa diuinitatis, de qua inquit Ioãnes: Vnctionem habetis à sancto, &* Paulus Petrus. *nostis omnia. Et Paulus: Qui unxit nos Deus, & qui signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris: A quo etiam Christus homo unctus est, dicente Petro in Actibus apostolicis: Vnxit eum Deus spiritu sancto, & uirtute.*

Quid Palma, cedrus, lignum setim & byssopus, atq; salix. Cap. XXVII.



Nter plantas autẽ celebrãtur nimis palma, cedrus, & hyssopus, illæ tanquam omnium arborum, & hæc tanquam omnium plantarum minorum excellentißima: palma enim adeo celebris est, ut in duobus animalis simulachrum teneat. Alterum est, quia nõ fru

ctificat sine coitu, sed grauidãtur eius rami gemmis masculeis, quasi semine quodã. Alterũ quia in superiori parte habet quasi cerebrũ, quod Hebræi הלולב Hebræi
halulab, Arabes uerò chedar, uel gemar uocant: Quo destructo moritur ar- Arabes
bor, sicut destructo cerebro animalis moritur ipsum animal: quod quidem huic soli inter plantas contingit: & adeo celebris est, ut in solennitate septimi mensis iussæ fuerint offerri spatulæ eius, quas Hebræi propriè כפות caphot, id est pal
mas dicunt simul cum salicibus torrẽtis, & ramis arboris עבות habot, quod nos Hebræi.
habemus traductum densarum frondium: sed Hieronymus frondosas, & alij il Hieron.
lud habot myrtum interpretari uolunt. Et hæc omnia simul cum fructibus arboris pulcherrimæ, quæ est citrus, uel citria semper uirens, & omnibus horis po-
mifera, ut est communis sentẽtia Hebræorũ, qui usque in hodiernum diem solẽni Hebræi.
tatem illam celebrant fructu eius, quem citrinum Galenus uocat cum frondibus
supra adductis: Quos Hebræos æmulati Lacedæmonij Deos suos coronare so- Lacedæ
lebant illis fructibus, quos oximala persica nuncupant, ut Aristophanes author Aristop.
est. Nec uacat à mysterio quòd solennitas illa celebratur hoc fructu; qui contra
uenenum ualet positum in uino, quod bibitur, ut Dioscorides scribit. Neque etiã Diosco.
sine mysterio sunt aliæ arbores, quæ in eadem solennitate lætum diem reddebant. Palma enim (ut diximus) satis expressum animalis simulachrum tenet in coitu, & cerebro, & etiam in eo, quòd comam in cacumine habeat circum extensam, & ramos in digitorum modum protensos, & fructus quasi in digitorum figuram formatos, undè dactyli, id est digiti uocantur. Pulpa quoque ipsorum fructuũ caro nuncupatur, ualde quidem medicinalis & summæ nutritionis, aut ex ui quadam quasi animali, aut ex natura phœbæa: Et tanti nutrimenti est, ut Anachoritæ quidam illa tantummodo cibo contenti fuerint, sicut usque in hodiernum diem multi in Aphrica alios cibos non habent in usu: Estque multigenus fructus, & uarius super omnes alios. Gloriosa insup est arbor, & expressum habet uictoriæ symbolum, quia rami eius nunquam flectuntur, sed onu-
sti contra pondus surgũt, ut Aristoteles, & Plutarchus scribunt, & nos expe- Aristote. Plutarc.
rientia didicimus: Hæc igitur gloriæ typus, simulachrum, & signum est, sicuti à sede gloriæ uim suam habet, ut notum est his, qui in huiusmodi initiati sunt. Ce-
drus autem (ut satis conueniunt ij, qui de plantis pertractant, Theophrastus, Theop.
Dioscorides, & Plinius) ea est, quæ tya uocatur resinam præbens electissimã, Discor. Plinius
quæ cedria dicitur, & cedrium, dentium doloribus utilissima in cauernas addita eos frangit, & dolores sedat: Expirantibus quoque uitam aufert, quia uires assumit adiuncto calore uitali, sed defuncta corpora incorrupta conseruat uitiosos humores exterens, & absumẽs. Multa quoq; de cedro prosequũtur ij, qui de plantis scripserunt, quòd ictibus cerastæ imposita cum sale remedio est: Elephantias curat, & ad pulmonis ulcera prodest cyathũ eius sorbere: Aduersus uermes, & tineas in clysterium iniecta præsidium est, & contra quadrupedum scabiem, canum, & boum: & quòd ardet uelut facula. Oleum quoque,

quod ex ea fit, multum celebratur indicans forsitan ueri olei fontem, misericordiæ uidelicet & pietatis diuinæ locum, cui illa arbor respondet: Sed an hæc sit Hebræi *arbor, ex qua arca fœderis fabricata fuit, an fuerit larix, ut Hebræi multi as-* Plinius *serunt, siue cedrus ex alio genere, ex qua (ut Plinius, & alij narrant) fiebant mensæ nobilium pretiosæ, incertum habemus. Sed in hoc conueniunt omnes Hebreorum sapientes, quòd lignũ setim, & cedrus quam ipsi suo idiomate* ארזים *ארז erez arezim uocant, idem penitus sint, arbor quippe à diuo cytharœdo* Dauid *celeberrimè decantata, quòd uidelicet sit arbor Adonai, ab eo plantata in libano, id est in uera sylua supramundana, & horto delitiarum, aut in candida illa mente diuina eminentissima: Vtrumque enim libanus significat, saltum uidelicet & candidum uel album. Sacramentaria igitur est hæc arbor simul & palma, & myrtus, quibus iussu Dei dies festi septimi mensis celebrabantur: Cedri enim eminentiores sanctos, & Dei primarios duces ab ipso plantatos significãt: Palmæ uerò uictorias, quas in Dei militia reportant: Myrtus autem in multiplici infirmitate conferens, multigenam gratiam sanitatum, quam Deus uincentibus confert. Et ij legitimè Dei festa celebrant, qui plantati sunt à Patre: uincunt enim & triumphum reportant cum filio, atque benefici sunt indigentiis aliorũ succurrentes cum septiformi spiritu: uel (Hebræorum theologiam sequendo) ij uera Dei festa celebrãt, qui pulchræ arbores sunt à tipheret & gloria Dei decoratæ, roborataéq; à uero robore cœlesti, quod gebura dicũt, & linitæ oleo pietatis, & diuinæ benignitatis in propriã, & aliorũ sanitatem atq; salutẽ. His autem adduntur salices torrentis, non quia (ut reor) ad hos pertineant infructuosæ arbores, in quibus suspensa dicuntur organa à propheta, ne audiantur Dei* Idem *cantica, & concentus super indigna flumina Babylonis: Ait enim, In salicibus in medio eiùs suspendimus organa nostra. Sed quantum ad aliud significatũ conuenire possunt cum arboribus illis sacramentalibus, & festis: ubi enim nos habemus & salices torrentis, in Hebræo dicitur* וערבי נחל *uebirbe nachal: quod significare potest, & iucunditates hæreditatis: Nam* ערב *harab salix, & iucũdum uel amœnum interpretatur.* נחל *nachal autem torrentem, & hæreditatem significat, ut uterque sensus esse posit, salices uidelicet torrentis, & iucunditates hæreditatis supernæ, scilicet, & cœlestis, quarum delibatio fit à ritè celebrantibus ueras solennitates: Ideo pro sic celebrãtibus pecãtat propheta: Ex-* Dauid *ultate Deo adiutori nostro, iubilate Deo Iahacob: sumite psalmũ, & date tympanum, psalterium iucundum cum cithara: Buccinate in neomenia tuba in insigni die solennitatis uestræ. Si autem in alio sensu intelligantur salices torrentis significati per illud hirbe nachal, per hos indicantur corpora nostra, quæ infructuosa sunt, imò & nosmetipsi infœcundi sumus, nisi irrigati ab aquis superioribus, & plantati simus secus decursus aquarum, ut possimus fructum dare in tempore suo: Ideo non ab re salices istæ dicuntur torrentis, quæ secernũtur ad celebrandas festiuitates Dei. Nec absque mysterio isti celebrantes, nunc per*

salices, nunc per arbores frugiferas describuntur: quia unusquisque infœcundus est sibiipsi dimissus, fœcūdus autē irrigatus ab illa supramūdana aqua, quæ ait: Sine me nihil potestis facere. Celebratur quoq; nimis planta illa, quæ in Hebræo dicitur אזוב *ezob, quod ex uicinitate uocabuli traduxerūt hyssopū, sed pro ueritate libanotis est, quā Romani prius, sed hodie Italici omnes Rosmarinum dicunt: quæ inter plantas quidem nobilissima est, & magis quàm existimatur excellens, quamuis multitudine, & frequentia uilescat: Est enim semper uirens, nulli nocens, & multis infirmitatibus inimica, maximè morbo comitiali, qui dæmoniacus est. Radix quoque eius cum melle purgat ulcera, torminibus medetur, & serpentum ictibus, si cum uino bibatur. Prodest etiam in morbum regium in uino cum pipere: Et tanto in maiora mala præualet, quanto maiori gaudet tutela, & fauore cœlesti, à quo omnis uirtus confouetur: Ideo non sine causa ad aspersiones faciendas cum sanguine animalium in lege iubebatur assumi, iuxta quod decātat propheta: Asperges me domine hyssopo, & mūdabor. Gradum enim illum apud secretiores Theologos diuinitatis indicat, aut mensuram illam, qua nos Deo, & Deus nobiscum coniungitur: Cuius perfusione & à peccatis mundamur, expiamur, & perficimur. Hinc in huius rei sacramentum iussæ fuerunt fieri aspersiones planta illa sacramentaria.*

CHRISTVS.

Dauid

Quid uitis, & uinea. Cap. XXVIII.



St quoque inter arbores celeberrima uitis à Noë (prout apertè in sacris eloquiis continetur) primo plantata in terra, à qua sublata fuit maledictio data per peccatum protoplastis, & fratricidæ, cuius semen penitus aquarum illuuione deletum fuit: Sed non adhuc bene initiatus Noë in huius uitis, & uini negotio inebriatus pudenda reuelauit, ut irrisui haberetur à filio, qui ligauit ipsius patris uerēda (ut Berosus scribit, uel abscidit, sicut alij tradunt) ne compleret, quod conceperat, dum uitem plantauerat: Quæ omnia in figura & sub uelaminibus scripta sunt: Per hanc etenim uitem melior uitis intelligitur: quam suscipiens Redemptor noster, adeo, ut ipsa effectus sit, ait: Ego sum uitis uera, & uos palmites. Atque iterum de utraque uite loquens inquit: A modo non bibam de hoc genimine uitis, donec illud nouum bibam uobiscum in regno Patris mei. Ecce quàm clarè & uitē hanc, quæ uinum nostrum materiale præbet, & illam, quæ cœleste uinum, & melius producit, exponit. Per hanc nanque illa suprema intelligitur uitis, quæ uinum tradit ad cor uniuscuiusque lætificandum, iuxta illud prophetæ: Et uinum lætificet cor hominis. Nam absque illo nulla uera est lætitia. Est itaque uitis uera Dei iustitia, quæ & in distribuendo, & in puniendo recta corda lætificat, sicuti Psalmographus canit: Lætabitur iustus, cum uiderit uindictam. Qui & si aliquando ex apparenti iniustitia turbatur pacem peccatorum uidens, & iustorum immeritam oppreßionem, omnibus tamen ab æquißimò gubernatore æqua lance pensitatis, & recto libratis examine lætantur tādē in his, de quibus

Berosus

CHRISTVS.

Dauid

Idem

pauloante non bene perceptis tristabantur. Dicitur quoque hæc uiti fœcunda,
Psalm. adeo ut fertiles ei plærisq; in locis comparetur, sicuti habetur in psalmo: Vxor
Ecclesia tua sicuti uitis abundans in lateribus domus tuæ. Et in Ecclesiastico inquit Sapiē
tia: Ego quasi uitis fructificaui suauitatē odoris. Hoc ideo quia inde, id est à ro
bore illo excelso per uitē denotato acrior uirtus emanat, quæ mediāte Dei gra
tia, affert fructus quamplurimos. Et quod mirum est, uitis cuiuis arbori ap-
plicata fructus producit, sed diuersimodè: Debiliores enim innixa salicibus
quàm fraxino, ulmo, nuci, & huiusmodi. Non secus diuina illa uitis, & robur
perfusum omnibus arboribus rationabilibus, de quibus alibi diximus, fouet, &
fructum producit: Sed meliorem adhærens Petro, Ioanni, Paulo, & huiusmo
di arboribus robustioribus, quàm debilibus & obscuris. Placidè quoque hæc
uitis, quamuis natura acris, adumbrat, dum lignis uel colūnis inhæret. Sic ro-
bur illud cœleste ipsius Dei gratia, & benignitate permixtum iucundissima um
bracula præbet, sicuti Christiferæ Virgini ab angelo dictum fuit: Et uirtus al-
Canti. tissimi obumbrabit tibi. Et in Canticis Salomon: Sub umbra illius, quem deside-
rauéram, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Quam umbram & eius pa
ter desiderabat, dum diceret: Sub umbra alarum tuarum protege me. Et quod
hic alas uocat, alibi propagines nuncupantur, ut de ipsa typica uinea canens
propheta inquit: Operuit montes umbra eius, & arbusta eius cedros Dei: Ex-
Dauid tendit palmites eius usque ad mare, & usque ad flumen propagines eius. Ve-
rum differt hæc uitis nostra ab illa superiori, quia hæc arboribus inhærēdo ful-
citur, illa autem arbores sustentat, & fouet fœcunditatem præstans, ut ipsa-
CHRISTVS. met uitis perhibet dicens: Qui manserit in me, & ego in eo, hic fert fructum
multum. Et quia Christus huic uiti iustitiæ connexuit pietatem, & misericor-
Iahacob diam, ideo Iahacob cum de Iehuda, imò de ipso Christo, qui ex illa tribu de-
scendit, ageret in oraculo testamentario ait: Ligans ad uineam pullum suum,
& ad uitem fili mi asinam suam: Asina enim, & pullus pietas est, & gratia,
ut alibi declaratum est, quæ in Christo obuiarunt cum ueritate & iustitia, &
in simul colligata pararunt ei sedē in domo Iahacob in æternū. Et quod hîc per
uitem & asinum, alibi per uinū & panem innuitur: Quæ duo ordinauit pro sa
crificio in ea domo, ecclesia uidelicet, nō sine magno mysterio indicās asinū ad ui
tem ligatum, & pietatem, atq; misericordiam simul cum iustitia & ueritate per
eum osculata, & connexa fuisse. Voluit itaq; Noë plātare, & firmare uitē di-
uinæ iustitiæ, ne ultra eius posteros puniret, fretus diuina promissione, qua di-
DEVS. ctū est: Statuā pactū meum uobiscum, & nequaquā ultra interficietur omnis ca
ro aquis diluuij, neque erit deinceps diluuium dissipans omnem terram. Et quia
magis præsumpserat q̄ debuerat, sperās obtinere, quod nec particularia scelera
ultra puniret, inebriatus dicitur & illusus à חם Chā, qui calorē significat, diui
næ uidelicet excādescētiæ, ne generaret eos filios, quos ipse ædere decreuerat,
Doc. he. neq; præferret genitos ultra id, quod debebat: Statuerat enim (ut dicūt docto-

res Hebræi) in eo loco collocare Canaban nouissimum filium ipsius Cham ut non sentiret super se diuinam iustitiam, & minus alij fratres, qui eum præcedebant. Hinc non Cham maledixit Noë, sed Canaban, à quo sumpta fuit errandi occasio: Cuius maledictionis sententia fuit: Canaban seruus seruorum erit fratribus suis: Vt sic error, quem commiserat, dum eum nimis præferret, per debitam oppreßionem emendaretur. Si autem quis uitem debito loco plantet, & de fructu eius bibat aqua sapientiæ temperato, & compresso conuenienti pane, non ascendunt uapores, nec ad ebrietatem deducit: sed uires corroborat, & uim tribuit operandi. Hinc summus doctor nos ad utrumque cibum capescendum adhortatur dicens: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo: Quam carnē antea panē uocauerat, & sanguinem alibi uinum nuncupauit. Quæ iterum sumenda iussit sub interminationis pœna, dū ait: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. Hæc igitur nobis edenda sunt, ut & uitam habeamus, & bonum opus operari poßimus. Ad quæ iterum inuitat nos cælestis doctor dicens: Ite & uos in uineam meam: uineam utique ecclesiæ suæ, quam plantauit hic inferius ad instar illius supramundanæ uineæ, & curiæ: Vtrobique enim erectum est binum tribunal: iustitiæ uidelicet, & misericordiæ per uinum & panem, sanguinem & carnem, dextrum & sinistrum, & huiusmodi multa præfigiatum, ut & pro bonis operibus præmia reddantur, & pro malis conueniens infligatur pœna: Hac enim lege unusquisque introducitur in uineam domini, suscepturus uidelicet iuxta opera sua pœnam, uel præmium. Ideo dicitur quòd Paterfamilias, postquam plantauit uineam, sepe circundedit terminos, aut custodiam posuit, fodit in ea torcular, quo premeretur uinum iustitiæ: & ædificauit turrim: aut horreum, quo reconderetur triticum misericordiæ, & pietatis: Quorum duorum usus necessarius est, ut quamoptimè dixit Augustinus: Ad omne rectè factum amor, & timor ducit: Amor utiq; benignæ promißionis, & rei promissæ, atque timor iustitiæ punientis: Quæ tanquam duo calcaria impellunt ad omne opus bonum, aut tanquam panis & uinum mentem reficiunt operantis. Si autem hæc duo inordinata fuerint, & diligatur, & timeatur, quod nō debet, efficiuntur calcaria impellentia ad omne malum, & cibus atque potus letalis. Hinc Augustinus aduersam priori subinfert sententiam dicens: Ad omne peccatum amor, & timor ducit: Sicuti enim amor, & timor Dei ad omne bonū trahit, sic amor & timor mundi ad omne malum impellit. Quod à saluatore discere possumus, qui sicut uitam & præmium promittit iis, qui pascūtur pane & uino, uel carne & sanguine illa duo significātibus, amorem uidelicet & timorē, sic cōminatur Apostolus eis, qui huiusmodi abutuntur diligentes & timentes, quæ non debent, dū ait: Qui manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit non diiudicans corpus Domini: in quo utrūq; susceperat, iustitiam, dum ipsum corpus pœnis exposuit, pietatem & misericordiam, dum per idem uulne-

CHRISTVS. Idem August. Idem Paulus

ratum gratiam & ueniam nobis obtinuit: Sic & corpus mysticum per hæc duo conducens ad opus reddere statuit tandem unicuique secundum opera sua. Et ne pro Dei timore & amore mundum timeat, & diligat homo, eum ab ipso mũdo omni diligentia diuellere studuit. Et hoc est quod sub typo uineæ canit propheta: Vineã transtulisti de Aegypto, eiecisti gentes, & plantasti eam. De tenebris enim & angustiis huius mundi traduxit nos in admirabile lumen suum, à quo eiecti fuerant illi, qui angeli lucis nũcupabantur, nunc autem tenebrarum:

David Vel literæ ueritatem sequendo, in qua habetur uitis & nõ uinea, hæc uitis Aegypti est humanum genus peccato obnoxium, & conclusum in tenebris & angustia huius mundi per Aegyptum figuratis: quam quassauit, aut quassare, uel conculcare permisit יסיעח tasiah enim uerbum est præsens tertij modi, aut coniugationis, & significat non transtulisti (ut habemus in traductione nostra) sed quassare, aut conculcare permittis, uel facis: Nã ab aduersario & satellitibus suis multum pessundatur ipsum humanum genus. Et quia deprauata una generatione, uel gente Deus erigit, & collocat aliam pro ea, iuxta illud Iob: Deus

Iob conteret multos, & stare faciet alios pro eis, ideo sequitur: Eiecisti gentes, id est bestiales, & plantasti eam, sicuti tempore diluuij factum est, replantato uidelicet humano genere: Quod in præsenti denotatur per uitem, quam alibi diximus significare diuinam iustitiam. Nec ab re, quia Opifex summus produxit, & disposuit totam mũdi fabricã, & ipsum humanũ genus iustitia illa distributiua, & regulante. Hinc Elohim, id est Deus in eo, quod princeps illius tribunalis, inducitur mũdi fabricator & dispositor. Sequitur: Respexisti ante ipsum, omnia uidelicet præparando, ut omnibus prius ritè dispositis introduceretur tãdem homo, tanquam mundi ipsius antistes in domum iam paratam, & instructam. Plantasti ra

CHRISTVS. dices eius, iuxta illud Saluatoris: Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus, eradicabitur. Et impleuit terram breui temporis curriculo, ut manifestum est. Et operuit montes, id est eminentiora quæque umbra eius, quam præstitit Dei benignitas, ut omnes alias creaturas transcendere possit. Et rami eius ce-

Ierem. dros Dei, cedros utiq; illos, quos, ut in Ieremia legimus, succẽdit, & in ignẽ præcipitauit: Nam pro angelis, qui in paradiso erãt, Homines sublimiori sorte planta

CHRISTVS. ti sunt. Extendit usq; ad mare palmites eius, palmites quidẽ, quibus dixit: Et uos palmites, qui usq; ad Oceanũ perrexerunt euangelizantes, & frũctificantes in uinea Domini. Et usq; ad flumen propagines eius: Mare est primus fons omniũ aquarũ figurans eas aquas, quæ supra cœlos sunt, à quibus fluunt omnes aquæ inferiores, quæ transeũt per firmamẽtũ, uel extẽsum cœlorum, sicut aquæ maris transeuntes per meatus subterraneos fluunt dulces in emolumentũ nostrũ, ut sit sensus, quod uirtus horũ palmitũ extẽsa sit ad omnes aquas, ad mare uidelicet excelsum, à quo hauserũt charismata, & ad aquas fluuiales, quæ per ipsos cæteris

Idem. communicatæ sunt, iuxta illud Saluatoris: Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Præsentiens autem propheta

inuasiones, & strages, quæ ab inimicis fieri debebāt in uinea ista, dixit: Vt quid destruxisti, id est destruere permisisti maceriam, aut sepem eius, & uindemiāt eam omnes, qui prætergrediuntur uiā, hostes uidelicet diabolici, & mundani? De prioribus sequitur dicens: Exterminauit, aut deuastauit eam aper, uel porcus de sylua, qui diabolum significat: cum sit animal dæmoniacum: undè diaboli, qui expellebantur à Christo, dixerunt: Mitte nos in porcos, tanquam in locum eis conuenientem. Et de hostibus mundanis subinfert: ירעה ווזיז uezizsadai, id est uapor, uel fumus campi, depastus, & demolitus est eam: Pro quo nos habemus: & singularis ferus depastus est eam. Vapor enim & fumus campi omnia mundana lenocinia significat, quæ consumunt, & dissipant humanam uitem, ne crescat Deo, & fructificet. Pro hac igitur sic demolita reparanda precatur propheta subinferens: Deus exercituum conuertere, iam respice de cœlo, & uide, & uisita uineam istam: Et perfice eam, quam plantauit dextera tua, & super filium hominis, quem confirmasti, aut corroborasti tibi. Quis autem sit iste filius hominis, omnibus patens est, cui Pater omnem uirtutem tradidit purgandi, & perficiendi ipsam uitem, ut in Ioanne legimus: Omnem palmitem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat: Quod, quamuis de Patre dictum sit, de filio etiam intelligitur, qui unum & idem est cum Patre, & qui nunc est uitis uera, nunc agricola, & nunc dominus uitis & uineæ dicitur, habens etiam postetatem coarctandi eos, qui ipsam demoliuntur, & habens ius præmiandi & omnes, qui in ipsa operantur. Hanc igitur uel pater, uel ipsemet filius locauit agricolis, id est nobisipsis, ut operaremur, & custodiremus eam reddentes debitos fructus tempore suo. Vitis igitur arbor est, qui sumus nos: & uinea locus, in quo sunt uites, id est mundus hic, aut locus, in quo plantati sumus distributione diuinæ iustitiæ, quæ est uitis supramundana, qua excolitur, & confouetur hæc uitis inferior, cuius truncus Christus est, nos autem rami, uel palmites tantum fructus afferentes, quantum in ipsa uite manentes suscipimus ab ea, undè fructus producamus, dicente ipsa uite: Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in uite, sic nec uos, nisi manseritis in me.

Ioan. — CHRISTVS.

Quid animalia sanctitatis. Cap. XXLX.

ET quāuis alibi tetigerimus illa, quæ Ezechiel uiderat animalia, nō modo quatuor euangelistas in sensu allegorico significare (ut est cōmunis sentētia nostrorum sapientum) sed aliquid in archetypo, ad cuius uisionē subuectus erat propheta, ut satis clarè innuit, dū ait: Et sup firmamētū, quod erat imminēs capiti eorū, quasi aspectus lapidis sapphyri: super firmamētū enim thronus est illius, qui ait: Cœlū mihi sedes est: Cuius aspectus non sine mysterio scribitur similis lapidis sapphyro. Et iterum ait: Hæc uisio similitudo gloriæ Domini: Tamen hic declarabimus, ꝙ non solum illa quatuor animalia, quæ ab Hebræis dicuntur animalia sanctitatis, sed ꝙ omnia

Ezechi. — DEVS.

alia habẽt in archetypo suas imagines, & exemplaria: quæ omnia in sancto armario collocata, sancta dici possunt. Quando igitur Ioannes perhibet se uidisse ante thronum Dei leones, pardos, equos, boues, dracones, & huiusmodi, nõ quippe loquitur de his, qui nos uehunt equi: aut qui nos mordent serpentes, sed eorum exemplaria, quæ in Deo sunt, aut loca, uel numina opificis (undè hæc inferiora suscipiunt uim) indicat: Vel intelligẽtias innuit, quæ ipsis animalibus præsident, sicut & plantis, lapidibus, & omnibus, quæ hic inferius habent aliquam uim. Nec offendatur aliquis, si dicimus animalia esse in Deo, cum Ioannes dicat: Quod factum est in ipso uita erat, uita utique creatrix, pullulatrix, & continuè fluens sustentãdo uidelicet, & conseruando producta, ne in nihilũ defluant. Quæ animalia in sensu anagogico, nulli dubium, sunt ea, quæ explicauimus. In sensu uerò morali (ut Hieronymus rectè sentit) homo rationem indicat, Aquila portionem illam supremam, qua in diuina & cœlestia semper tenditur, Leo irascibilem, Bos uerò concupiscibilem uim: ex quibus quatuor fontibus omnes operationes humanæ egrediuntur. In sensu autem literali per illa quatuor animalia quatuor reges animalium præcipui intelligũtur: Inter aues enim Aquila cẽsetur regina: Inter feras Leo: Inter armenta & bestias, quas Hebræi dicunt בהמות behémot, est bos: Inter creaturas autem rationales homo principatũ tenet. Per hæc igitur tanquam per animalium reges cætera omnia innuuntur animalia. In sensu uerò naturali hæc quatuor animalia omniũ rerum primaria elementa intelliguntur, ut nuper enodauimus. Sed ad anagogicum sensum redeundo, quem, citra omne dubiũ, sequitur propheta: Aquila est numẽ quoddam, aut effluxus, uel mensura quædam diuinitatis (ut dicunt Hebræi) nobis domestica: quæ nos ad intimiora diuinitatis aut superiora deducit: de quo numine Moses in cantico ait: Sicut aquila prouocans filios suos uolando, & super eos uolitans, expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis, usque uidelicet ad mansionẽ ipsi præparatam. Est iracundus, & excandescens leo iustitia punitiua in sinistris: Mansuetus uerò, & domesticus uitulus, uel bos, per quẽ concupisciua uirtus intelligitur in alia parte, quæ sinistra nobis est, archetypo autem dextera, licet bos armiger ex sinistra censeatur, per ipsum tamen mãsueta animalia indicantur, quæ ex dextera sunt: Vndè agnus, ouis ad dexteram tãdem collocandi dicuntur, & ipse homo, inquantum est animal mansuetum. Sed in eo, quòd principatum tenet, in meditullio est, & in domo Iahacob, in qua Christus regnare dicitur: Quæ cuncta iuncta sunt facie, & uirtute, ut dicat propheta: Quatuor facies uni, & quatuor pennæ uni: quia uidelicet unus est Deus omnia, quamuis diuersissima meliori nota, & uirtute cõtinens. Ad hæc igitur quatuor omnia alia referuntur animalia: quia omnia emanant uel à dextro, uel à sinistro, aut ab inferiori, siue à supremo numine archetypi: Cui respondent intelligentiæ, & planetæ, cum quibus autem hæc animalia, & aliarum rerũ genera conueniant, suprà aliqualiter explicauimus. Nunc uerò de quibusdam

Ioan. — Idem — Hieron. — Hebrǽi — Hebrǽi. — Moses

particularibus animãtibus expreßius diuinitatem, uel mensuras illas Archetypi significantibus percurremus.

Quid capreæ, cerui, & binnuli. Cap. XXX.



Elebratos nimis in scriptura sacra prospicimus ceruos, binnulos, capreas, & capras, non solum in Canticis, sed in lege, & Dauidicis hymnis. In lege enim iubetur cooperiri tabernaculum ex pellibus caprarum rubricatis: Et prohibitis renibus, & adipe cuiuscunque animalis, cerui & capreæ omnia comedenda conceduntur tanquam mũda, ut in Deuteronomio legimus, ubi dicitur: Verùm sicut comedes capream, comedes & ceruum. Et iterum: Vescentur eis, quasi caprea & ceruo, quorum uidelicet omnia intestina comeduntur, excepto sanguine: quia in eo est anima, quæ non debet comedi simul cum carne, eo quòd animalis anima non in nutrimentũ hominis, sed in deprauationem, coinquinamentum & perniciem ipsius (ut aiunt) deuenit. In titulo uerò psalmi uigesimi primi, ubi nos habemus, In fine pro susceptiõe matutina, habetur in ueritate literæ, Vicẽti pro cerua auroræ. Et aliis plærisq; in locis ꝓpheta hic adeo celebrat ceruos, ut clarè intelligamus illos referri ad aliqua meliora, & occulta, sicuti & Origenes consentit, dum ait: Ceruus, uel caprea animalia quidem secundum rationem naturæ, quam corporaliter gerunt, referuntur ad aliquas rerum corporalium causas, atque illis inuisibilibus ceruis uidetur conuenire id, quod scriptum est: Vox Domini præparantis ceruos. Quæ enim præparatio ex uoce Domini fit istis uisibilibus ceruis? Aut quæ doctrina ex uoce Domini ad eos descendit aliquando? Cerui igitur spirituales sunt, quorum formam & imaginem tenet illud animal corporale, quod uoce Domini disponitur ad persequendum serpentium genus: Voce utique illa legis, & doctrinæ euangelicæ, quæ ceruos, id est eos qui uerè mundi effecti sunt lauacro baptismi, & sermonum Christi disponit, & præparat ad pugnandum sub Michaële, imò sub Christo contra serpentem, & draconem illum antiquum, qui est diabolus: In qua pugna tum ex labore, tum ex colera zeli accensa, tum etiã ex ueneno serpentis propulsato sitibundi reddũtur, fontemque ueræ aquæ appetentes, ut in psalmo dicitur: Quemadmodũ desiderat ceruus ad fontẽ aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Quorũ pulli aut binnuli sunt, qui de nouo initiantur in uia Domini, ut currant ad montes, de quibus dicitur: Montes excelsi ceruis. Montes enim culmina sunt uirtutum, ad quos currunt, qui uirtutis amore succensi sunt, & superconscendunt, qui iam ad culmen uirtutis peruenerunt. In archetypo uerò cerui, & capreæ numina illa repræsentant & influxus, à quibus animalia illa, & homines per ipsa significati suscipiunt, undè poßint, & dicantur cerui, uel capreæ: Quorum ceruorum sublimium binnuli dicuntur apud secretiores theologos illæ mensuræ inferiores, quæ sunt sub illis plenioribus mensuris pietatis, & iustitiæ per ceruos & capreas designatis. Per hæc igitur numina, aut proprietates diuinas obtestatur Salomon

Exodi. Deuter. Orige. Psalm. Psalm. Salomon

ſapientiſsimus in Canticis dum ait: Adiuro uos filiæ Ieruſalem per capreas, ceruoſque camporum, ne ſuſcitetis, neque uigilare faciatis dilectam. Cuius iuramenti uinculum eſt, per tribunal gratiæ, à quo præmiantur boni, & per tribunal iuſtitiæ, undè ſceleſti puniuntur. Hinc per hæc iurans, & obteſtans omnibus cenſuris, & ſententiis à ſupernis tribunalibus emanantibus ſe ſubmittit, & obſtringit, ut nequeat aliquo modo diſſolui, ſed reportet præmium de obſeruantia ſacramenti, pœnam autem de eius tranſgreſsione. Et quia inferiores menſuræ, quæ binnuli dicuntur, uocantur etiam ubera, illa uidelicet, quæ lactarunt

Idem *omnes prophetæ, ideo in eiſdem Canticis dicitur: Duo ubera tua, ſicut duo binnuli capreæ gemelli.*

Quid oues, & paſtores ouium. Cap. XXXI.

S*Vnt quoque oues in ſcriptura ſacra ſemper fauſtæ, adeo ut tãdem conſtituendi ad dexteram iudicis præmiũ reportaturi de bene actis oues dicantur: & ex iis complures, qui ad excellentiores gradus ſubuecti ſunt, paſcebant oues. Paſtor enim ouium fuit Abel iuſtus, Abraham patriarcha præcipuus, Paſtor ouium Iahacob, & duodecim filij principes duodecim tribuum: Qui etiam à Ioſeph docentur, ut interrogati à Pharaone de exercitio, & induſtria eorum, reſponderent, Paſtores ouium ſumus nos, & patres noſtri ab infantia noſtra uſq; in præsẽs. Nec uacat à myſterio quod ſequitur: Deteſtantur Aegyptij omnes paſtores ouium: Nam ſemper mundani & mali deteſtati ſunt eos, qui in ſimplicitate omnia, & in recta Domini uia in-*

CHRISTVS. *cedunt, iuxta id, quod ait ſumma Veritas: Si mundus uos adit, ſcitote, quia me priorem uobis odio habuit: Aegyptus enim ſemper mundanos & anguſtiatores bonorum ſignificat. Paſcebat quoque oues Moſes, quando à Deo uocatus fuit ad meliora peragenda. Paſtor quoque ouium erat Dauid, quandò, iubente Domino, à Samuele unctus eſt in regem Iſraël. Sed quod maius eſt, paſtor ouium*

Idem. *Deus, & ipſe Chriſtus & Meſsiah, qui ait: Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oues meas. Sed de ipſo Deo nulla carne ueſtito inquit Pſalmographus: Dedu-*

Dauid. Ezechi. *xiſti, ſicut oues, populum tuum. Clarius autem in Ezechiele: Ego ipſe (inquit) requiram oues meas, & uiſitabo eas, ſicut uiſitat paſtor gregem ſuum: & liberabo eas de omnibus locis, in qbus diſperſæ fuerint: In paſcuis uberrimis paſcam eas, in montibus excelſis Iſraël erunt paſcua earum: Ibi requieſcent in herbis uirentibus, & in paſcuis pinguibus paſcentur ſuper montes Iſraël: Ego enim paſcã oues meas dicit Dominus Deus. Paſcuntur quippe oues, paſcuntur boues, capræ, & hœdi, paſcuntur & porci, ſed de his non fit mentio in ſcriptura ſacra, quia penitus immundi ſunt. Oues autem, boues, & hœdi, uel capræ ſua continent ſacramenta: Oues enim animalia ſimpliciſsima ſunt, ſemperque utilliſsima, omni manſuetudine plena, & ab omni nocumento ſemota. Idcirco qui oues paſcunt, id eſt mites ſunt & ſimplices, nulli nocentes, & ſemper benefici, à Deo diliguntur, & exaltantur: Hœdi autem, & capræ nocent uiti ipſam prouocan-*

tes: Quam uitem nuper significare diximus iustitiam diuinam, quæ decerpitur, & excitatur ab his, qui Deum offendunt, & peccant. Ideóque tanquam petulantes hœdi reponendi dicuntur ad sinistram iudicis ab ipso pœnam flagitiorum suscepturi, sicuti mansueti, & benefici oues dicuntur ad dexteram collocandæ. Ouium igitur harum pastoribus tãquam in bonis exercitatis, & fidis ministris credit Deus oues suas meliores, quas ipse tanquam uerus, & principalis pastor pascit, & regit. Sunt igitur ueri pastores ouium, qui simplices, innocui, & semper bene agentes mansuetudinem, & pietatem sequũtur. Si autem hœdi sunt nobis pascendi, obseruãdum est, quod dicitur in Canticis: Pasce hœdos tuos iuxta tabernacula pastorum, scilicet ouium: Iuxta quæ tabernacula pascimus hœdos, quando iram, & excandescentiam nostram, & furentes impetus lasciuiæ frenamus illos regentes simplicitate ouina: Tunc enim hœdi pasti, & initiati moribus ouium possunt cum ipsis ad dexteram iudicis collocati expectare benedictionem, & præmium bonorum operum. Canti.

Quid animalia, pisces, aues, & plantæ mũdæ, & immũdæ. Cap. XXXII.



Vatuor genera uiuentium produxit Opifex summus in cibos hominis, plantas, & plantarum fructus, pisces, aues, & quadrupedia: In quorum quolibet genere munda, & immunda fabricauit, sicuti & eorum, qui ipsis uescuntur, aliqui mundi, & aliqui immundi sunt. Plantis enim pascũtur animalia, & homines, sed distinctæ sunt escæ dicente Deo: Ecce uobis hominibus dedi omnem herbam afferentem semen, quæ est super faciem terræ, & omnem arborem frugiferam, & arborem afferentem semen, hæc erunt uobis in escam. Sed omni bestiæ terræ, & uolucribus cælorum, & cuilibet reptanti super terram, in quo est anima uiuens, dedi omnẽ uirorem herbæ in cibum. Et sic statutum est. Distinguit igitur cibos, quãuis traductio nostra in confuso de huiusmodi loquatur: Seminiferentes enim plantas, & arbores fructificantes dedit homini, qui seminandi & colligendi habet industriam: Bestiis autẽ, quæ seminare nesciunt, uirorẽ herbarũ, quæ uidelicet sponte nascũtur, tribuit, sicut canit Psalmographus producẽs fœnũ iumentis, quod fit ex herbis, quæ sponte nascuntur, & herbam, scilicet satiuam seruituti hominum. Hanc quidem simul & arbores fructificantes, tanquam mundas, & meliores homini concessit: Illas autem syluestres herbas tanquam immundas tacitè prohibuit, dum eas animalibus dedit in escam: Quæ ænigmaticè dicta indicant, quod opera infructuosa, quæ nec semen habent, undè possunt seminari, & colligi fructus, tanquam immunda bestiis relinquuntur: Quæ uerò fructum, & semen fructus benefaciendi habent, tanquam munda homini assignantur. De animalibus uerò, piscibus, & uolucribus apertam discretionem inter munda & immũda tribuens hæc uetauit, & illa concessit, ut in Leuitico, & in Deuteronomio legimus: Secernit enim primo animalia munda ab immundis duplici signo: Quorum alterum est ruminare, uel (ut in Hebræo habetur) leuare granum: Alterum est un-

DEVS. David. Leuit. Deuter.

Orige. gularum scissio: Quæ omnia de animalibus dicta Origenes munitus authoritatibus apostolorum, & Christi, diiudicat ad homines pertinere: Paulus enim cũ de patribus illis ageret, quibus hæc lex data est, inquit: Omnes eandem escã spiritalem manducauerunt, & eundem potum spiritalem biberunt: Bibebant autẽ de spiritali consequenti eos petra, petra autem erat Christus. Et iterum: Nec quis uos iudicet in cibo uel potu, quæ sunt umbra futurorum, hominum uidelicet, ad quos illa omnia referuntur: Et Petro, qui sursum oraturus ascenderat, quærens cum Christo, quæ sursum sunt, ostensum est uas, in quo erant omnia quadrupedia, serpentia, & uolatilia, & adiuncta est uox dicens: Surge, occide, & mãduca: Et timenti Petro id facere, ne contaminaretur, iterum dictum fuit: Quod Deus mundauit, tu commune ne dixeris. Et hoc repetitum fuit ter, quia mũdata erant (inquit ipse Origenes) in uirtute sanctissimæ trinitatis, quã Christus earum rerum mundator docuerat: Qui etiam dixit: Quod intrat in os non coinquinat hominem. Leuare igitur, aut reducere granum, uel ruminare est meditari cibũ sacræ scripturæ, quem sumimus, & orationes, quas Deo fundimus: Quæ incassum & in uanum proferuntur sine mentis attentione: sic & frustra legũtur sacra eloquia, nisi qui ipsa legit, meditetur. Idcirco canit propheta: Beati qui scrutantur testimonia eius. Et iterum: Beatus uir, qui in lege Domini meditatur die ac nocte: Vbi non lectura, sed meditatio commendatur, & in ea homo prædicatur beatus. Ruminat igitur, & reducit granũ, qui attenta mente reuoluit, quæ legit, ut opere compleat, quæ intelligit, & meditatur: Leuat autem granum, quando bona opera efficit præponderantia debitis, quæ contrahuntur ex defectibus commissis: Scissam uerò ungulam habet, qui ex lege præmeditata nouit discretionem ponere inter bonum & malum, hoc respuens, & illud amplectens: Vtrumque autem necessarium est, quia non sufficit cognitio & discretio, nisi opere compleatur quod nascitur: Nec electio boni fieri potest, nisi rei eligendæ præcedat cognitio. Pisces autem iudicantur mundi, qui habent alas & pinnulas, quibus à cœno eleuentur, & squammas deponẽdas, ut nouũ hominem induãt: Qui uerò sine squãmis & alis cœno uolutantur illos significant, qui in luxuriæ stercore, aut luto rerũ terrenarum obuoluti nunquã ab eis norũt discedere. Immundæ uerò aues sunt, quæ ungulas fortes habent, & rostra uorãtia ex rapina uiuentes. Et hæc illos significant, qui semper aliena inuadunt nunquam sua portione contenti. Innocuæ uerò aues mundæ censentur, quæ mites, mansuetos, & qui neminem lædunt, significant. Quod autem hi comedendi cibi homines significent, satis apertè ex euãgelio discere possumus, dicente Christo de Samaritanis uenientibus ad fidem: Alium cibum habeo manducare, quẽ uos nescitis. Meus cibus est, ut faciam uoluntatem Patris mei, qui misit me. Sicut igitur Samaritani incipientes conuerti erant cibus Christi, sic & unusquisque nostrum, dum bene operatur est cibus eius, & dum proximo doctrinam, uel aliquã utilitatem impartitur, est cibus ipsius, cui seruit. Sic Christus factus est

Marginalia: Orige. (line 1); Paulus (line 2); Idem (line 5); Petrus. (line 7); Orige. (line 12); Dauid (line 17); CHRISTVS. (line 34)

cibus noster seipsum nobis multipliciter tradendo, ut cõuenienter dicat: Ego sum Idem
panis uiuus, qui de cœlo descendi, si quis mãducauerit ex hoc pane, uiuet in æternum. Panis & cibus utique uitæ erat administrans nobis doctrinam uitæ, cibũ uitæ, & opera uitæ: Sic & nos dũ talia proximis nostris exhibeimus, sumus eis cibus uitæ, & cibus purus, & mundus. Sunt autem cibus mortis, & immundus, DEVS:
qui docent doctrinas pestiferas, uel scandalum uitæ præbent, aut factis negant, quod uerbis prædicant: quibus inquit Deus: Quĩ tu enarras iustitiam meam, & sumis testamentum meum per os tuum, Tu uerò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum? Si uidebas furem currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas, & cætera quæ sequuntur. De his uelati immundis animalibus inquit Apostolus: Cum huiusmodi nolite cibũ sumere. Et hæc Paulus
quo ad sensum mysticum. Ad literam autem reuertendo, undè animalia & plãtæ munditiam, aut immunditiam suscipiant, percurrendum esset: Sed nequit fieri sine altiori & profunda indagine: Non enim ex seipsis mũda uel immũda sunt: Nec uidetur, quòd à bono progenitore Deo proueniat aliquod malũ, aut à summe lympido aliquid decidat immundum, cum potissimè dictum sit: Vidit Deus Genesis
cuncta quæ fecerat, & erant ualde bona. Ex aduerso autem apparet, quòd infesta & mala procedant ab eo, qui per Isaiam dicit: Ego sum faciens bonum, Isaias
& creans malum, faciens lucem, & creans tenebras: Quod sic intelligi potest: Cum creare sit ex nihilo, & terminetur ad subiectum, uel materiam, quæ habet rationem mali, ideo dicitur creans malum: Et cum facere terminetur ad formam, quæ habet rationem boni, ideo dicitur faciens bonum. Itaque quæcunque, quantum declinant ad materiam, habent rationem mali, & quæ magis summæ formæ appropinquant, eo magis habent rationem boni. Et hoc est, quod dicitur in Ecclesiastico: Contra malum bonum, contra uitam mors, & contra uirum Ecclesiast.
iustum, qui Deo uacat, peccator semper ad imã declinans. Sequitur: Sic intuere omnia opera altissimi duo contra duo, & unum contra unum, quia non est aliquod bonum in mundo sine suo contrario: Sunt enim angeli lucis, & angeli tenebrarum: angeli uitæ, & angeli mortis: hospitium lucis, & hospitium tenebrarum: Crater mundorum, & crater immundorum: Quæ quidem à Deo facta sunt & bona in suo ordine, quamuis immunda nobis: Quam immunditiam trahunt aut à spiritu feroci & rapienti, influente Marte (ut dicunt Astronomi) uel Samaële eius intelligentia: sicuti Hebræi asserunt: Aut id habent à Saturno, ut infecta humore melancholico malo sedes efficiantur immunditiæ, sicut bona lætitia est sedes boni spiritus, imò Dei: Vndè propheta: Redde mihi lætitiam salutaris tui, & plærisque in locis docet seruire Domino in lætitia. Vel sit iste influxus à superiori numine, mediantibus secundis causis faustis uel infaustis. Alia dicuntur, & sunt munda, quia nullum inquinamentum afferunt comedenti, sed lætum & bonum nutrimentum: Alia autem detrimentum præstant multa atrã bili generata, uel ueneno inficiẽtia, sicut de multis plantis, & reptilibus om- Dauid

nibus notum est: Vndè hæc tanquam nociua aperto, uel occulto detrimẽto, Deo tamen cognito, ab ipso, qui nos diligit, probibentur, aliis concessis, quæ beneficiũ corpori, & spiritui tribuunt.

Quid Ierusalem, Sion, & templum. Cap. XXXIII.



I autem ad hospitia illius sacratissimæ regionis ueniamus, quæ non ab re dicitur terra Sancta, etiam illa cum adiacentibus locis sacramentaria sunt. Et inter alia loca illius promissæ, & figuratiuæ regionis celebratissima omnium ciuitatũ est Ierosolyma: quæ cõmuni sententia ciuitatem illam supercœlestem indicat, & figurat, in qua omnes beari debent. Sión autem, ubi erat arx, & palatium regium, & principis sacerdotium, eminentiores illius supernæ ciuitatis mansiones innuit, quæ (teste Christo) ibidem multæ sunt. Harum igitur cõuenientia percurrenda est: Primo quidem nomine consentiunt, ut triuiale est, & etiam in ipsius nominis significato: Ierusalem enim (ut passim dicitur) uisionem pacis significat, quæ perfectissima uisio, & fruitio pacis, & principis eius in illa superna ciuitate habetur: Vel (ut alij dicunt) Ierusalem transferri potest hæreditas ipsi, ut uerbum deductum sit à iaras, quod est hæreditare, & lemo quod est ipsi: Vnde bene dicitur Ierosolyma quasi Ierus lemo ירוש למו Quæ interpretatio bene competit supernæ Ierosolymæ, in qua unicuique datur hæreditas, de qua inquit propheta: Hæreditas mea præclara est mihi. Rex quoque & fundator huius inferioris ciuitatis fuit Melchizedec: & rex atque fundator, & præcipuum fundamentum illius supernæ Ierosolymæ fuit ille, qui constitutus est à Deo sacerdos secundum ordinem Melchizedec. Corregnantes autem & cooperatores ipsius in construenda ciuitate ex lapidibus uiuis sunt omnes, qui secundum mandata principis bene regunt seipsos: ut unusquisque dici possit Melchizedec, quod rex meus iustus significat. Hæc quoque super montes sita est cum templo, & in meditullio mundi: Illa etiam super reuolutionem ultimi uoluminis habẽs templum in medio perpendiculariter super huius inferioris templum erectum, ut non mediocris fidei testes asserunt: Inter quæ templa est cœleste, uel angelicum recta linea utriq; respõdens: De quibus tribus templis solebant gloriari Ierosolymitani dicẽtes: (ut habetur in Ieremia) Templum Domini, templum Domini, templum Domini est: Quos tamen reprehendit Ieremias dicens: Nolite confidere in uerbis mendacij dicentes, templum Domini, Non quidem ascribens mendacio, quod assererent tẽplum Domini esse, & hoc triplicatum: sed quia confidere uolebant in templo absque opere, quod magnum mendacium erat ingratitudo, & peccatũ tãto maius, quanto efficacior erat influxus charismatum super locum, & templum, & ciuitatẽ, quæ præcipua erat in regione fluẽte lacte, & melle: Et in qua lac prophetiæ, hymnorum cœlestium, euãngeliorum, & totius doctrinæ cœlestis emanauit: Et in qua erat templum Dei celeberrimum respondens templo superiori descripto ab Ezechiele; & commemorato ab Isaia, qui ait: Plena erat domus

CHRISTVS. Dauid Ieremi. Ezechi. Isaias

maiestate eius, & ea, quæ sub ipso erant replebant templum. Ideo locus ille iuxta supramundanum templum electus fuit peculiariter à Domino, qui in secundo Paralipomenon ait: Elegi, & sanctificaui locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum: & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus. Iussit quoque offerri ibidem omnia sacrificia significantia sacrificium sacrificiorũ, quod in ara crucis extra portam ipsius ciuitatis obtulit summus pontifex Christus. Hinc à doctoribus Hebræis asseritur maius esse peccatum, quod committitur in Ierusalem, & templo tantis excellentiis munito, & præcipuo conspectu principis gaudente. Hinc non sine mysterio dictum fuit Dauidi ascendenti de Hebron, ut regnaret in Ierusalem: Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos, & claudos, id est ignorantiam, & peccatum. Ipse autem sanctus rex non tantũ abstulit cæcos, & claudos odio habentes animam suam, & ipsi inuisos (ut prouerbio diuulgatum est: Cæcus & claudus non intrabunt in templum) sed habitauit (dicit noster textus) arcem Sion, uel munitionem eius, ut habet Veritas literæ, id est in influxu præcipuo, quo sese corroborauit & muniuit, nec peccaret: Vocauitque eam ciuitatem Dauid, & ædificauit eam per gyrum à melo, & intrinsecus, ut habet traductio nostra: Vel secundum ueritatem Hebraicã מן המלוא min amilo, id est ex plenitudine charismatum muniuit eam. Et quòd de munitione meliori quàm murorum loquatur textus, apparet in eo, quod sequitur: Et ingrediebatur proficiens atque succrescens, & Dominus Deus exercituum erat cum eo: quia uidelicet donis & effluxibus diuinis se munierat. Templũ autem illud fabricatũ erat ad instar arcæ, uel tabernaculi fœderis mundũ utrũque repræsentans, maiorem uidelicet & minorem, ad quorum exemplar (ut diximus) arca & templum fabricatæ erant: In quibus figuratiuis fiebant sacra figuratiua quousque uera sacra succederent, quæ non in templo manufacto perficerentur, sed in meliori & perfectiori, de quo inquit Apostolus: Tẽplum Dei, quod estis uos. In hoc si bene peragerimus sacra ipsum purificando, conscendemus ad aliud templum, de quo iterum Apostolus ait: Tabernaculum non manufactum quod est ipse Christus: in quẽ datur nobis ingressus per ostiũ, quod est ipsemet: In quem ingreßi, & cum ipso uniti conscendimus ad supramundanum templum, de quo dicitur in Apocalypsi: Dominus Deus omnipotens templum illius est, ciuitatis uidelicet supernæ. Sic itaque operantes, ut mereamur usque ad supremũ templum peruenire, tunc læti & absque mendacio dicere poterimus: Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini est: In quæ templa Deus sua clementia fœlicem concedat ingressum.

Paralip. | Dauid | Paulus | Idem | Apocal.

Quid Aegyptus, Babylon, & Damascus. Cap. XXXIIII.



CVm bipartitum semper fuerit humanũ genus, in Dei uidelicet familiam, & diaboli, ut Augustinus præmittit in procemio uoluminis de ciuitate Dei, & in toto contextu prosequitur, conueniens erat, ut in regione illa mysteriosa, & typica sacra eloquia cele-

Augus.

brarent loca, quæ utriusque familiæ essent hospitia. Et sicut Ierosolyma cum omnibus circũiacentibus locis pro Dei familia, citra omne dubium, ordinata erat, de quibus longum esset enarrare per singula, sic Aegyptus, Babylon, & Damascus semper illi aduersam suscepere familiam, à qua sæpius populus Dei uexatus est. Aegyptus amplum ab Israëlitica gente susceperat beneficium, undè Pharao nocauit Ioseph צפנת פענח Zaphnat pabaneah, quod est uocabulum Aegyptium nullibi aliàs in scriptura repertum, ut ait Rabbi Salomon: pro quo tra-

Rabbi Salomon.

ductio nostra habet, saluatorem mundi, sed ut alij uolunt significat reseratorem secretorum: zaphan enim reserare Hebraicè importat, pabaneah autem est penitus Aegyptium, & occultum uel futurum incognitum significat. Verùm quicquid sit de uerbis, Ioseph Israëliticus saluauit Aegyptum reserans secretum uisionis, qua demonstrata fuerant Pharaoni ea mala, quæ super populũ ipsius uentura erant ab eis præcauens: Nihilominus ipsa Aegyptus ducentis & decem annis oppressit populum, qui Ioseph auspicio illuc descenderat: Vndè bene Aegyptum, qui Hebraicè מצרים mizraim dicitur, angustias interpretantur, quamuis aliqui, nescio qua ratione, addant, quod etiã tenebras significet: Angustiæ enim & angustiatores bonorum semper fuerunt Aegyptij. Babylonij quoque tanquã Dei ministri captiuos duxerunt optimos quosque de Ierusalem, translato etiam rege eorum Ioachim in Babylonem. Postea iterum Sedechiam regem obsessum ceperunt cum toto exercitu, occisis filiis, & succenso templo: tenueruntque populum captiuum septuaginta annis, Damascus etiam multoties Dei populum afflixit, sed in captiuitatem non deduxit. Aduertatur hic quæso differẽtia inter hos oppressores. Aegyptus gratiosè suscepit populum, postea afflixit, tandem ui dimisit. Babylon in captiuum duxit, & semper mitius agens deniq́ue sponte dimisit. Damascus autem citra captiuitatem multoties molestauit. Aegyptus enim angustiatrix diabolus est, qui lepide suscipit hominem, & susceptum subiugat: nec dimittit, nisi uirtute diuina abstrahatur. Babylon confusio est caro, quæ animã suscipiens captiuam statim tenet, atque confusam per septuaginta annos, curriculum uidelicet commune humanæ uitæ: Verùm semper remissius agit, cũ in dies anima, quæ primo adeò opprimebatur, ut nihil intelligere posset, absoluatur ab opprimente & offuscante carne, ut successiue expeditius agat: tandem post curriculum uitæ penitus liberatur absoluta à uinculis corporeis. Damascus autem, quæ sanguinem bibens interpretatur, mundus est: qui non pascitur nisi his, quæ sunt secundum carnem & sanguinem, nunc molestat hominem, nunc absque molestia ipsum dimittit: Diciturq́ue Damascus caput Assyriæ, uelut Assur, quod diuitiæ interpretantur, quarum non quidem supernarum, sed inferiorum, mundus hic caput & receptaculum est. Horũ autem locorũ onera, uel sententiæ, aut sanctiones diuinæ ab Isaia describuntur: Quæ summatim hæc sunt: Onus Aegypti, id est diaboli est, quòd simulachra eius commouebuntur, & tabescent, in aduentu uidelicet illius, qui dixit: Nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Onus

Isaias. CHRISTVS.

Babylonis, carnis scilicet quæ mentē confundit, est, q̄ omnis manus, & cor, & corpus corruptibile dissoluetur, & erit homo in melius trāsmutatus pretiosior auro obrizo. Onus Damasci, *mundi huius uidelicet est, quia desinet esse ciuitas; & erit sicut aceruus lapidū:* Nam *sublatis hospitibus destruentur omnia ædificia huius mūdanæ ciuitatis.* Multa *alia, quæ ibidē dicuntur, possent in hanc sententiam adduci, quæ omittimus, ne ulterius progrediamur, quàm deceat.*

Quid Arabia, mons Sina, & Mesopotamia Syriæ. Cap. XXXV.



Ec ab re in Arabia, quæ Sina mōte gaudet fœlix thure, atque uariis gummis, data est lex. Neque *sine mysterio* Abrahā *Spiritu sancto plenus iuramento præstito exegit à seruo seniori domus suæ, ut nullatenus acciperet uxorem, nisi de cognatione sua, quæ erat in* Mesopotamia *Syriæ:* Quē *sequutus* Izabac, *& ipse* Deo *plenus præcepit* Iabacob, *dū ipsum benediceret dicēs:* Noli *accipere cōiugē de genere canaban, sed uade, & proficiscere ad* Mesopotamiā *Syriæ, ad domū* Batuel *fratris matris tuæ, & accipe tibi inde uxorē de filiabus* Labā *auunculi tui.* De *Arabiæ mysterio inquit* Apost. Abrahā *duos filios habuit, unū de ancilla, & unum de libera:* Qui *de ancilla, secūdū carnē natus est:* Qui *autē de libera, per repromissionē:* Quæ *sunt per allegoriam dicta:* Hæc *enim sunt duo testamēta:* Vnum *quidē in mōte* Sina *in seruitutē generās, quæ est* Agar. Sina *mōs est in* Arabia, *qui cōiunctus est ei, quæ nunc est* Ierusalem, *& seruit cū filiis suis.* Illa *autē quæ sursum est* Ierusalē, *libera est, quæ est mater nostra.* Vbi *aduertendū est; quomodo* Apost. *dicat* Sina *mōtē contiguū esse* Ierosolimæ, *cū distet ab ea per quindecim dietas, interposita uasta eremo.* Non *igitur de coniunctione locali (quia magno spatio disiuncta sunt) loquitur, sed de coniunctione influxus, sicut metaphoricè dicit* Psalmographus *de rore* Hermō, *q̄ descēdit in mōtē* Siō, *cū tamē distent mōtes illi per octoginta millia passuum.* Cōiuncta *igitur intelliguntur per influxū, qui idem est in monte* Sina, *ubi lex scripta data est, & in* Ierosolymis, *ubi seruata est magno fauore regis* Dauid, *qui cultū* Dei *secūdū legē ipsam ampliauit, &* Salom. *qui ædificauit tēplū, & multorū prophetarum, qui floruerunt in* Ierusalē, *& locis circūadiacentibus.* Hæc *lex seruitutis figurata est per filium ancillæ, quæ eiecta fuit ab* Abrahā, *iubente* Deo, *ad solitudinē* Bersabee, *quæ coniungitur cū deserto* Arabiæ: *nec procul inde* Sina *est, ubi* Moses *pascebat gregē post desertū, ut pauloante explicauimus.* In *hoc igitur mōte data est lex seruitutis illis, qui exierūt de* Aegypto, *figuratis per illos qui egressi sunt de* Agar *ancilla* Aegyptia, *ut innuit* Apost. *in uerbis nuper adductis.* Et *quia eadē lex seruitutis seruata fuit in* Ierusalē *inferiori, idcirco coniuncta dicitur cū* Sina: *quia eodē iugo seruitutis uterq; locus p̄mebatur, quousq; descēderet illa noua* Ierusalem *desursum libera, quæ est mater nostra, de qua* Ioā. *in* Apocal: Vidi *ciuitatem sanctā* Ierusalem *nouā descēdentem de cœlo, à* Deo *paratam sicut spōsam ornatā uiro suo, id est* Patri *nostro* Christo, *cui erat sponsa, nobis autē ma-*

Paulus Dauid Paulus Ioan.

ter: quæ non ex lapidibus ferro quadratis aut lateritiis confecta est, sed ex uiuis lapidibus suscitatis in filios Abrahæ, qui nunc filij, nunc autem insimul collecti, ex quibus pater alios generauit, sponsa dicti sunt: Quæ noua uisa est, quia nouo influxu fabricata ab eo, qui nouus homo existēs, & liber ad omnes nos innouãdos uenerat, & liberandos à seruitute diaboli & peccati, ut infert Apost. Itaq; fratres nō sumus ancillæ filij, sed liberæ: qua libertate Christus nos liberauit. Qui & dedit noua instituta, nō quidē mutans, sed innouans legē antiquam, & transmutans eam in legem libertatis, quæ est secundum spiritum, ut alibi inquit: Vbi spiritus, ibi libertas: Secūdū quam legem regenerauit nos nouo semine, deducto ab eodē loco, à quo & sponsa ipsi parata descenderat. Est igitur mōs Sina perfusus eodem influxu, quo Ierusalem, quamuis ipse dicatur uallatus deserto: Quod bene explicatur in Exodo, ubi dicitur: In mense tertio egreßionis Israël de terra Aegypti uenerunt in desertum Sina: Nam profecti de Raphadim uenerūt in desertū Sina, & castrametati sunt in deserto, & castrametatus est ibi Israël è regione montis, ubi plurima aduertenda sunt. Primo, ꝙ locus prope Sina (ut diximus) desertus erat. Aliud est, ꝙ non ab re dicit Israëlem ex aduerso montis castra locasse, ut ab irriguo monte saltem è regione stantes susciperent ea, quæ suscipere nequibant super montē, ad quē non dabatur accessus, imò penitus interdictus erat, ut paulo inferius dicitur: Cauete, ne ascendatis in montem, nec attingatis fines illius: Omnis quippe, qui tetigerit eū, morte morietur, quia nondum erãt capaces potentiarū influxuum, ueluti infirmus, qui nō est capax uini, & solidioris cibi. Ideo tertio mysteriosè tangitur ordo debiti progressus, dum dicitur: ꝙ profecti de Raphadim uenerunt in desertū, postea castrametati sunt iuxta montē Sina, & tandem debitis sacris expiati uenerunt ad regionem sanctam: Raphadim enim pauimenta significat, quæ artificio conducuntur: A quo loco nō sine mysterio populus dicitur deuenisse ad desertum, postea ad Sina innuēs mysteriosum progressum ab artificio Aegyptiaco, aut mundano: à quo qui recedit, & ipso expoliatur, statim inuenit desertum, quia nudatus est fauore: Sed immediatè applicat ad Sina, ubi incipit cœlestē influxū suscipere, quo bene perfusus tandem deuenit ad terram, in qua frui poßit pleniori irroratione diuina. Vltimo aduertendū est, ꝙ mysterio non paruo, primo dicitur in plurali, & castrametati sunt in deserto, & postea in singulari dicitur, & castrametatus est Israël contra Sina. Hoc ideo dictū est, ut doceamur, ꝙ non potest multitudo aliqua influxui cœlesti appropinquare, nisi in charitate unita. Quod cognoscens diuus Citharista decantat: Ecce quàm bonum, & quàm iucūdū habitare fratres in unum: quia in illos cœlestis influxus descēdit, sicut unguētum ex capite ad barbam usq; ad oram uestimēti, id est per totū corpus unitum charitate diffunditur. Et iterum cōfirmans, inquit, Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem & uitam, ubi uidelicet sunt habitantes uniti in corde uno, & in animo uno. Et hæc Arabia Sina monte, & aliis bonis influxibus fœlix est

Idem (margin, beside "quit: Vbi spiritus")

Exodus (margin, beside "serto: Quod bene")

Idem. (margin, beside "tum ex capite")

illa uidelicet, à qua uenit regina ſapientia, & diuitiis referta ad comprobandã ſapientiã Salomonis: quæ Saba dicta eſt à loco, undè uenit: Nã שבא *Saba Hebraicè, Latinè Arabia dicitur, & differt à Saba, undè Sabæi dicuntur, quia hæc cum* ס, *ſcribitur, Arabia autem cum* ש *Et habetur utrumque in pſalmo ſeptuageſimo ſecundo, ubi dicimus: reges Arabum, & Saba: in Hebræo ſcriptum eſt* מלבי שבא וסבא. *Cum autem de regina illa fit mentio, ſcribitur per* ש *ex quo intelligitur illa fuiſſe regina Arabiæ: Quæ, quãuis ſapiẽs, meliorẽ quæſiuit ſapientiam in Ieroſolymis, innuens quod lex ſapientiæ data in Arabia uiguit maiori ſapientia in Ieruſalem, potißimè quando completa, & explicata eſt ab illo, qui dixit: Ecce pluſquã Salomon hic. Meſopotamia autem Syriæ, quæ Hebraicè Padan arã dicitur, locus eſt inter Chaldæos, & Cananæos aliquali potius progenie, quàm ſitu fauſta: Inde enim Abrahã, & tota Hebraica gẽs traxit originem à Thare, qui de Vr Chaldæorum in* חרם *uenerat locum & regionẽ, quæ erat Padan aram: Et inde Abraham in Canahan perrexit, plagam illam tandem poſſeſſurus, tanquam dignus illius peculiaris loci habitator. Iußit itaque Abraham dicens ad Izahac filium ſuum, & hic ad Iahacob, ut non acciperent uxores de filiabus Canahan, cui maledixerat Noë cũ tota poſteritate ſua dicẽs: Maledictus Canahan ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis. Nec enim debebat ex ſemine ſeruili accipi uxor pro filio liberæ, aut pro Iahacob, in cuius benedictione dictum eſt: Eſto dominus fratrum tuorum. Ideo cum iterum pater repeteret benedictionem, ait: Noli accipere uxorẽ de filiabus Canahan, quaſi inferendo, Si commiſcueris te cum ſemine maledicto & ſeruili, non poteris conſequi benedictionem, qua dictum eſt, eſto dominus fratrum tuorũ. Mißi ſunt itaque ambo, hic ab Izahac, & ille ab Abraham ad terram, & gentem ſuæ genituræ, quæ deſcenderat ex Sem filio Noë nequaquam maledicto, ut inde acciperent uxores, ex quibus producerent progeniem, quæ expelleret maledictos, & poßideret totam regionem illam occupatam ab iniuſto poſſeſſore: In qua, ut dignè habitaret, expiata fuit familia illa lege, & ſacrificiis. Si antẽ ad ſenſum myſticum tranſcendere uoluerimus, exiit progenies iſta de Vr, id eſt de incendio Chaldæorum, & confuſionis Babylonicæ, & uenit adhuc exigua familia, Tarah uidelicet pater Abraham cum filio ſuo, & Lot filio Haram, & Sarai uxore Abraham, ut uenirent in Canahan. Sed cũ ueniſſent ad Haram, mortuus eſt ibi Tarah pater Abrahã nequiẽs applicare ad Canahã. Sed ipſo mortuo dictũ eſt ad Abrahã: Egredere de terra tua, & de genitura, uel progenie tua, & de domo patris tui, & ueni in terram, quam monſtrauero tibi. Quo contextu docemur, ꝙ familia illa, ut poßideret regionem ſpecioſam, & à Deo dilectam, egredi primo debebat de confuſione peccati, & incendio cõcupiſcẽtiæ, & proficiſci in Haram, quod excandeſcentiam, iram, uel zelum ſignificat, quo armari quis debet cõtra peccatum, & malum. Sed cauendũ eſt, ne excandeſcentia ſit nimia, & effrenata, ut non moriatur ibi cũ Tarah: Sed mãſuetudine corrigat,*

Pſalm.

& frenet iram cum Abraham, & cum ipso exeat de terra confusionis, & de progenie impetuosa, & de domo patris confracti impetu suo, & ueniat mitis ad possidendam terram benedictam, ut in euangelio dicitur, cui titulus est secun-

CHRISTVS. dum Matthæum: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.

Quid Amalech, Moab, Amon, & Philistiim. Cap. XXXVI.

SEd cũ aliqualiter de regionibus transegerimus, percurramus etiam de populis ultra ea, quæ de gente Aegypti, Babylonis, & Damasci dictũ est: Fuerunt enim populo Dei infesti nimis Amalech, Moab, Amon, & Philistiim. Almalech enim adeo insolens fuit, ut pientissi-

Deuter. mus Deus dixerit in Deuter. Memento quæ tibi fecerit Amalech in uia, quando egrediebaris de Aegypto: quomodo occurrerit tibi, & extremos agminis tui, qui lassi residebãt, ceciderit, quãdo tu eras fame, & labore cõfectus, & nõ timuerunt Deũ. Cũ ergo dominus Deus tuus dederit tibi requiem, & subiecerit cunctas per circuitum nationes, in terra, quã tibi pollicitus est, delebis nomẽ eius de sub cœlo: Caue ne obliuiscaris. Nagna quidẽ uidetur Dei seueritas in istum Amalech, quod non absque mysterio factũ esse credimus: Erat enim Amalech gens magna, ueneno antiqui serpentis infecta, undè familiæ Dei inimica: Idcirco huic contra illam semper pugnandum erat, sicut & superni rectores bonæ fa

Exod. miliæ decertabant, ut in Exodo legimus: רוכי ירעל כסיה מלחמה ליהוה בעמל קמרור: Quod ad uerbum interpretatum dicit: Quia manus super sedẽ iah, id est Dei, pugnans pro Domino contra Amalech à generatione in genera-

Saul tionem. Ideo graui indignatione eiectus fuit Saul de regno: quia noluit se cõformare cum bellatrice manu Domini, & pugnare contra eum, in quem lata erat di

Samuel. uina sententia, & indictum bellum, sicuti per Samuelẽ fuerat ipsi indicatum, ne uidelicet percuteret, & destrueret ipsum Amalech, & omnia quæ illi erãt, interficiens à uiro usque ad mulierem, ab infante usq; ad lactentem, ab agno usq; ad ouem, à camelo usq; ad asinũ: quia omnia fœda erant, & nulla conseruatione digna, & minus in sacrificium offerẽda. Hinc graue fuit peccatum Saul, quia offerre uoluit abominanda contra diuinum præceptum. Moses uerò, Iosue, Dauid, & quotquot diuinum honorem zelantes fideles Deo inuenti sunt, pugnarũt pro uirili sua contra istum Amalech, quamuis non destruxerint eum penitus, si-

Numer. cut lata erat in eũ diuina sententia, ut in libro Numerorũ legimus: Principiũ gẽtium Amalech, cuius extrema perdẽtur. Et hoc, quia Messiæ reseruatum erat, ut penitus eum deleret, sicut & factum est: nec per alium id fieri potuit, imò a-

Moses. lij uirtute Christi uenturi contra ipsum præualebãt, sicuti de Mose legimus, qui missis militibus ad concertandum contra Amalech pugnabat & ipse precibus, eleuatis manibus in Deum: Sed graues erant manus eius, quia non erat ei plena uirtus expugnandi Amalech. Tulerunt igitur astantes petram, in qua sedit,

Paulus quæ, Apostolo interpretante, erat Christus, cui innitebatur: Et quousque aduenirет Christus, qui eum penitus deleuit, sustentabatur ab Aaron, & Vr, id est

à sacerdotio figurante Christum, & incendio ignis, quē ipse uenit mittere in terrā: Vr enim incēdiū, aut fornax iterpretatur. Et ut innuatur hæc familia Amalechitarū penitus diabolica, sine genealogia introducitur, sicut econuerso ad denotandā diuinitatē Melchizedech, & ipse absq; cognatione describitur. Moab quoq;, & Hamō, q̄uis de genere Sem fuerint, tamē semper infensi Dei familiæ, nec cum ea aliquando commixtibiles, q̄uis admissa fuerit Ruth Moabitis nō tantū in familiā ipsam Dei, sed etiam in genealogiā saluatoris: hoc ideo, quia fœminis non fuerit facta illa probibitio, qua in Deuter. iubetur, ut manseres, & diminuti aliquo membro non ingrediantur templum Domini, nisi usque ad decimam generationem, & Philistei usque ad tertiam: sed Moabitis, & Hamonitis probibetur decessus ille in perpetuum. Interdicitur quoque pax, & commixtio cū eis tanquam penitus infructuosa, sicuti in planta patere potest, cuius surculus, si in eodem trunco à quo diuellitur, inferatur, nullum fructum penitus producit. Sic nec semen filij cum matre, aut patris cum filia potest producere fructus bonos: & dignos familiæ Dei: ut in Moabitis & Hamonitis factum est: qui nati sunt de obscœna commixtione filiarum cum patre. Philistiim autem de genere Chā simul cum Aegyptiis processerunt: Fuit enim Philistiim filius Chaslubim & his filius Mizraim, qui est Aegyptus, & iste filius Cham: Qui Philistiim quamuis exiguus populus, tamen diu Israëliticæ familiæ fuit infestus, & nunquam deletus, adeo, ut adhuc aliqui censeantur Philistei, qui non quidem cadentes, sed obuoluti dicuntur, aut inuoluentes à פלש palas, quod est inuoluit: Multa enim reuolutione, & uaria fortuna pugnarunt contra Israël, & circa quāplurima obuoluti sunt. Hos autem populos & ad sensum mysticum reducendo, Amalech diabolum significat, contra quem nobis bellum continuum indictum est, dicente Deo: Ponam inimicitias inter te & mulierem, & inter semen tuum, & semen illius. Moab & Hamon geniti de patre Lot, qui inclusus interpretatur, carnē significant, quæ generatur de spiritibus animalibus, & uirtute seminali inclusa in uisceribus paternis. Philistiim uerò mundum significant, cum quo ludimus continuis reuolutionibus, nunc ab ipso expediti, nunc in eo iterum obuoluti. Hinc cōtra Amalech, & contra Moab, & Hamon (quorum primus diabolum, sequentes uero carnem effigiant) continua pugna sumenda est, & nulla habenda pax, nulla concordia, nullum commercium, ut lege iubetur. Cum mundo uerò nunc pugnandum est, nunc uerò conuersandum: ut suos dilectores ab ipso trahentes deducamus in seruitutem Dei, sicuti Christus nos docuit: qui cū publicanis, & peccatoribus manducabat, & conuersabatur, ut eos ad pœnitentiā reuocaret. Multa alia adducere possemus de rebus naturalibus, plantis, & lapidibus, mōtibus, & uallibus, locis, & populis particularibus, per quos tanquam per ænigmata quædam sacra eloquia indicant meliora, & ea quæ ad spiritum pertinent. Sed ne longius progrediamur, quàm deceat, de multis hæc pauca sufficiant.

Deuter.

DEVS.

QVid sit illud vltimum, in quod omnia diapasonica consonantia conducuntur. Tonus Octauus.

DEus omnia complet flatu, & vita suauissima. Ca. Primum.
Quis sit iste, qui omnia complet, & quid de ipso cognoscere possimus. Ca. II.
Omnia verè tendunt in Deum. Ca. III.
Quo appetitu in eundem pergant. Ca. IIII.
Quo curriculo vehantur. Ca. V.
A quibus trahatur iste currus. Ca. VI.
Quid operentur angelici Dei ministri in isto attractu, cõprobatur à scriptura sacra. Ca. VII.
Quomodo omnia per senarium à Deo egrediantur. Ca. VIII.
Qualiter per senarium in eũdem redeãt, in Christum maximè, qui est vera quies, & sabbatum. Ca. IX.
Quomodo per senarium ætatum reducatur genus humanum in ipsum Deum. Ca. X.
Quomodo homo particularis regulatè viuens deueniat in Christũ sabbatum per sex ætates significatas per sex illos dies. Ca. XI.
Christus est vera quies, & sabbatum. Ca. XII.
Cur completis operibus quinque dierũm dictum sit, vidit Deus quod bonum: sed completo opere sexti dictum sit, & erant ualde bona. Ca. XIII.
Consummatur perfectum diapason in octonario. Ca. XIIII.
Quòd cœli in sua reuolutione diapason perfectè conducant. Ca. XV.
De concentu cœlorum tam ex distantia, quàm ex consonantia motuum. Ca. XVI.
De consonanti fœcunditate in septenario numero planetarum. Ca. XVII.
De harmonica conuenientia septenarij planetarum cum duodenis signis. Ca. XVIII.
De vera cœlorum harmonia, quam aliqui non intelligentes falsò negant. Ca. XIX.
De concordia cœlorum cum supernis mentibus. Ca. XX.
Omnia in eundem deducunt, quia ab eodem suscipiunt, vndè influant, quãuis influxus videatur diuersus. Ca. XXI.

DEVS OMNIA COMPLET FLATV, ET uita suauissima. Caput primum.



POSTQVAM mundanam hanc domum cum suo hospite summo concentu dispositam demonstrauimus, & in enneadibus, & in repletis interuallis, restat, ut melos eius audire faciamus, qui ex uiuenti, & indefectibili flatu Opificis sui omnia complentis inexplicabili harmonia resultat: de qua Orpheus σὺ δὲ πάντα πόλον κιθάρῃ πολυκρέκτῳ ἁρμόζεις, id est, tu totum cœlum canora cithara temperas. Sed ultrà progrediens Dorylaus Pythagoræus dicit mundum esse organum Dei: Itidem Alexander Milesius cum Gregorio Nazianzeno: Laudabilis (hic inquit) mundus est pro singulis quibuscunque speciebus, sed multo laudabilior ex harmonia omnium, compagéque uniuersorum, in quo summa est, & stupenda ex contrarietate in eadē uita, & sono concordia, dum inter se inuicem diuersa sunt, & cum singulis cuncta conueniunt, ueluti instrumenti fistulæ uel fibræ in eundem sonum congrediūtur. Hinc manet mundi fabrica (Timæo Locro atteſtate) in ipsa concinnitate indissolubili ratione præstantissima. Vna quoque (inquit Apuleius illos sapientes æmulatus) mundani orbis conuersio, unus concentus, atque unus stellarum, & aliarum rerum chorus ex diuersis occasibus, ortibusque: Nam sicut in choreis dux carminis hymno præcinit concinentium uulgus uirorum, ac mulierum mixtis grauibus, & acutis clamoribus unam harmoniam resonant, sic diuina mēs mundanas uarietates ad instar unius concentionis reuelat: Quam uniuersarum rerum coaptationem, atq; concentū homines (inquit Augustinus in suo uolumine de ordine) imbecilli mente cōplecti, & considerare nequeunt: sicut si quis in angulo amplissimarum, & consonantissimarū ædium, tanquā statua collocaretur, pulchritudinē & consonantiam eius fabricæ non sentiret, cuius tamen ipse pars esset, nec totius exercitus ordinem miles in acie existens intueri potest: Et hoc est, quia anima cū infimis degens inferioris pulchritudinis amore polluta ordinē pulchritudinemq; suam perdidit: adeo ut in pulchrū uniuersi, & archetypi inspicere nequeat, nisi iterum pulchra, deiformisq; efficiatur: & resumat pristinum oculum deorbatum crassitudine mortiferæ huius, & obtenebrantis caliginis: ut ipso expurgato, uel recuperato quocunque se uertat, persentiat hoc mundanum instrumentum consonantissimum, & modulante Deo, concentum ipsius tanto suauiorem sono ex artificiis musicalibus proueniente, quanto natura, & naturæ opifex arte ipsa præstantior est. Si ad primum igitur musicæ formalis genus (quod mundanum Boëtius uocat) sese conferat, & ad basem ipsius inclinauerit aures, sentiet in elementis contrariis moderatam antiparistasim, in compositisque ex eis cantionem à summo concentore conductam tranquillam, &

Orph. Dorylā. Alex. mil. Gre. na. Tim. loc. Apuleius August.

suauissimam. Hinc domesticè de huiusmodi cum Iob agens summus opifex ait: Vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ? Quis posuit mensuras eius, uel quis tetendit super ea lineam, ut examussim in debitam consonantiam ponderarentur, & extenderentur producta omnia? Et sup quo bases eius fundatæ sunt? Aut quis proiecit lapidem fundamentalem? Si nosti, enarra: Sin autem, dicam tibi: Id fuit à me factum tanta consonãtia, ut præ gaudio & suauitate exultarẽt astra matutina, & iubilarent omnes filij Elohim, qui opifex introducitur à Mose in tota fabrica: A qua tamen non defuit sapientia diuina omnia illa disponẽs,
Salomon *undè ex persona eius Salomon in Prouerbiis loquens dicit: Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens: & delectabar per singulos dies ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, uel ut textus Hebræus sonat, delitians in uniuersi consonantia: Vndè sequitur: Et delitiæ meæ cum filiis hominum. Nam* שעשעים *sabasuah, quod interpretatum habemus delitias, superius ludens larga licentia traductum est. Prosequitur de mixtis imperfectis, quæ ex elementis producuntur dicens: Ausculta Iob, & considera mirabilia Dei: Nunquid scis, quando præcepit Deus pluuiis? Nunquid nosti semitas nubium? Et aliquantulum progressus ait: Nunquid ingressus es thesauros niuis? Aut thesauros grandinis aspicies? Et iterum: Quis dedit uehementißimo hymbri cursum, & uiam sonanti tonitrui? Postpaulumque subinfert: Quis est pluuiæ pater? Aut quis genuit stillas roris? De cuius utero egressa est glacies? De cœlo quis hæc genuit? Ille quippe Archimusæus, & omniũ altisonans Deus*
August. *qui omnia illa suauißima concordia, & fortißimis numeris (ut inquit Augustinus) disponit. Eleuatus quoque animus ad medium huius instrumenti spatium*
Pythag. Tim. lo. Plato. Ptolem. Plinius Censo. *persentiet cum Pythagora, Timæo Locro, Platone, & Ptolemæo cœlorum cõsonãtiam: quam Plinius, & Cẽsorinus ex eorũ officina describũt dyapasonicã ex tonis sex, & septẽ interuallis, q ex distantia planetarũ resultant musicis dyastematibus cõsonãtißimi, sed à nobis (ut aliqui opinantur) propter uocis magnitudinẽ non sunt intelligibiles: uel ut uerius dicamus, quia cõsonantia illa ad musicã naturalẽ, aut formalẽ pertinens nõ aure, sed mẽte expurgata percipitur tãta cõsonantia, ut omnis, quæ apud nos uocalis est harmonia, exiguũ quoddã exem*
Pythag. *plar (Pythag. testante) habeatur, de quo in Iob iterũ dicitur: Quis enarrabit cœlorũ uoces, & concentũ cœli quis dormire faciet? Aut ut textus Hebræus habet: Quis exponet nubes in sapiẽtia, aut instrumentũ cœlorũ quis faciet quiescere? Nullus quippe: Sed audiẽt (ut paulo superius dixerat) sonũ in tremore uocis suæ, & tonum de ore suo procedentem. Audiat (inquit) cum terrore sonum uocis eius, sapiẽtiæ uidelicet diuinæ omnia moderantis, timens non posse correspondere sonoritati tanti artificis, aut ne imbecillis mens opprimatur à gloria eius: sicut, quando ad populum Israëliticum loquebatur Deus, terrore correpti dixerunt ad Mosem: Loquere tu, & audiemus: Nõ loquatur nobis Deus, ne moria-*
Exodus *mur non ualentes sufferre debilibus auribus gloriam, & maiestatem loquentis:*

Vndè iterũ Iob: Cum uix paruam ſcintillam ſermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri? Sicut itaq; omnia implet, omnia circũſonare facit, ideo ſeqtur: Sub omni cœlo cõcertatio, & modulatio ipſius: Quod ut percipiatur potius meliori oculo, quàm auribus, præmiſit dicens: Extendit lumen ſuum ſuper omnes extremitates terræ, quo uidelicet ab expurgatis poßint uideri hæc recondita myſteria. Reſonat igitur in hoc magno uniuerſi inſtrumẽto in uocibus magnitudinis ſuæ: ſed ab imbecillibus ingeniis comprehẽdi nequeũt mirabiles concentus, cum expurgatus animus nedum hæc inferiora, ſed ſi ad ſupremum huius mundani organi interſtitium erexerit aures, ſenſurus ſit concordiam, & harmoniam, uel pacem, quam fecit Deus (authore ipſo Iob) in ſublimibus ſuis: Quod non de cœlis, ſed de angelis, errore poſtpoſito, exponi debet: Vndè ſubinfert: Nunquid eſt numerus militum eius, aut cuneis eius, ſuper quem nõ ſurgat lumẽ, uel oculus ipſius omnia perſcrutans, omnia numerans, & coaptãs: ut ipſi ſimul cum cœleſtibus circulis modulantißima ſucceßione, & ordinatißimis uicibus percurrendo cum uarietate unigena curſum conſonantißimum compleant? Qui nunc calore, nunc frigore, nunc humido, nunc ſicco & multigenis influxibus perfundendo terram, reddunt eam nunc ſpoliatam, nunc depictam floribus & herbis, & fructibus pro qualitate & opportunitate temporũ, ad idẽ ſemper (continua tamen ſucceßione) reducentes: ut unicum omnium moderatorem, ad cuius nutum omnia diſponũtur clarißimè inuicem, ſicut moduli uel fibræ ab eodem perſonante ſucceſsione quadam permotæ unam efficiunt harmoniam unicum indicantes carminis ducem. Si iterum ad occentores, & intercinentes in hac pſalmodia direxerimus aures, percipiemus ipſum altiſonantem omnia interſonare facientem proportione quadam (inquit Albertus) à creatoris ſapientia adinuenta, nec ab intelligentia aliqua cõparata à ſeipſa, ſed à fonte ſupramũdanæ ſapiẽtiæ hauſta: Si enim tẽperatura eſt partiũ corporis, quæ ſanitas dicitur, nonne hæc ab eo, qui omnia ualde bona, & tẽperata à principio diſpoſuit, & iterũ diſſona cõtemperando ſonat? Hinc Pſalmog. canit: Miſit uerbũ ſuũ, & ſanauit eos. Et ſi conueniũt affectus animaliũ ratione carentiũ ad inuicẽ, & ad ſibi neceſſariã paſturã, nõne hoc indidit naturæ opifex, ut condelectẽtur ſimilia cũ ſimilibus habitare, & reiectis noxiis cibis ſumant ſibi cõuenientes præparatos ab eo? De his proſequitur Iob dicẽs: Quis præparat coruo eſcam ſuã, quando pulli eius clamant ad Deum uagientes, eo quod nõ habeant cibos? Cũ quo regius propheta decãtat: Qui dat eſcã omni carni, ei uidelicet cõuenientẽ. Si quoque ratione utẽtes inſimul moribus coaptãtur, nõne hoc facit ille, de quo iterũ in pſalmis canitur: Qui habitare facit unanimes in domo? Si iterũ conueniũt cõcordes in ciuitate, uel repub. aliqua, nonne hoc eſt ab eo, qui per angelos pacis iuſsit pacem denuntiari, & tribui hominibus bonæ uoluntatis: quique per apoſtolos, & nuntios ſuos omnes in quancunque ciuitatem, domum, aut locum intrauerint, pacem mandauit offerri omnibus uolentibus eam ſuſcipere? Si prompto,

Marginalia: Iob (line 1); Idem (line 11); Alberti (line 24); Dauid (line 29); Iob (line 33); Dauid (line 35)

quoque animo aliqui legis onus suscipiunt, quo moderati tanquam bene disposi tæ cicutæ admittantur in supercœleste instrumentum, æthereumque concentum suauißimum, nonne hoc est ab eo, de quo dicitur: Nemo uenit ad me, nisi Pater meus traxerit eum? Si qui autem syncero corde, aut attrahēti, aut uocanti suauitate melliflua adhærēt, nonne hoc est ab eo, qui iterum dicit: Iugum meū suaue est, & onus meum leue? Quod comprobauerat ille, qui dixit: Quàm bonus Israël Deus iis, qui recto sunt corde. Et hæc est pax, & harmonia illa, ad quā tendimus: quæ exuperat omnem sensum. Ecce igitur idē in omnibus personator omnibus affluens, omnia sua uiuificante, & deifica uirtute circumsonare facit. Quis autem sit hic præcentor, aut quam notitiam de eo habere poßimus, percurrendum est.

CHRISTVS. Idem Dauid

Quis sit iste, qui omnia cōplet, & quid de ipso cognoscere poßimus. Ca. II.



Num esse, à quo omnia processerint, qui omnia cōpleat, & in quē, tanquam in finem amatum, & prædilectum eadem omnia tendāt, nulli dubium est: Et illud idem Deum uocari ab omnibus, diuersis tamen nominibus pro diuersitate idiomatum. Hic autē ille est, qui per Isaiam dicit: Ego sum ipse, ego primus, & ego nouißimus: Manus mea fundauit terram, & dextera mea mensa est, aut palmo conclusit cœlos. Ter nō sine mysterio (ut habet textus Hebræus) repetitur ego, ut denotetur aliqua trinitas in summa illa unitate contineri. Ego igitur (inquit) sum ipse, qui uidelicet est à se: aut ego sum illud, quod est: ut clarè sonant uerba Hebraica. Sequitur: Et ego primus, & origo omnium & ego nouißimus & finis, in quem tendunt omnia: Et tanquam primum efficiens manu mea fundaui terram stabile fundamentum totius machinæ, quæ super ipsam, aut circa ipsam fabricata est: Et dextera mea metior, ordino, dirigo, aut palmo concludo omnia aduocans, & trahens ad me, à quo ipsa omnia progressa sunt: undè sequitur: Voco ea, & stant simul, in meipsum uidelicet collecta: Quis autem, quātus, uel qualis sit iste Deus, cum omnem captum humanum fugiat, difficilè, imò impoßibilè erit inuestigare: quia inhabitat (teste Paulo) lucem inacceßibilē, quem nullus hominum uidit, nec uidere potest: Quod non latebat illos antiquos patres, qui pro constanti asseuerabant duas supremas mensuras, aut dignitates diuinas, quarū superiorem fontem, coronam, originem, undè scilicet omnia emanant, alteram uerò sapientiam, primogenitum, & aliis multis appropriatis nominibus uocant, non esse cognitas mortalibus, nec etiam ipsi Mosi: qui (ut dicunt) nec quinquagesimam portam mēsuræ præcedentis intrauit. Nullus igitur potuit intelligere Patrem, aut filium, quousque uenit ille, qui dixit: Nemo nouit filium, nisi pater, neque Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui uoluerit Filius reuelare. Itidem & Ioannes dicit: Deum nemo uidit unquam, sed unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse annutiauit nobis. Quod & Iob sub nomine lucis tetigit dicens: Indica mihi, si nosti, in qua uia lux inhabitet: Lux utique illa, quæ à Iacobo dicitur pater luminum, & illa quæ di-

Isaias Paulus Ioan. Iob Iacobus

xit: Ego ſum lux mundi. De qua iterum Ioãnes: Vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Quod & Iob proſequens ait: Auferetur ab impiis lux ſua: Quæ omnibus cõmunicatur, ut omnem hominem illuminet, dummodo ſuis tenebris non offuſcetur, & tantæ lucis indignum ſe reddat. Hac quidem ſola luce Deus, & diuina percipi poſſunt. Si igitur aliqua de hoc præcentore, & delectabili concentu, & beatificante fine, & pauſa habeatur cognitio, ex hac luce ut procedat, neceſſe eſt: nec eam à ſapientibus mundi, qui in tenebris ſuarum adinuentionũm inuoluuntur, expectare poſſumus, Paulo atteſtante, qui ait: Loquimur Dei ſapientiã in miniſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinauit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram: & quã nemo principum huius ſæculi cognouit: Nam neque finem, neque media, quibus in eundem finem, aut in concentum ſuauiſsimum inter Deum & hominem, quo ipſe beatur homo, deuenitur, ullus aliquando philoſophorum, aut mundi ſapientum docuit: quia animalis homo, aut ſapientia mundi, quæ carnalis eſt, non percipit quæ ſunt ſpiritus Dei, ut ſequitur Apoſtolus: Et rationem ſubnectens ait: Quis enim ſcit hominum, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? Ita & quæ Dei ſunt, nemo cognouit, niſi ſpiritus Dei. Nos itaque non ſpiritũ huius mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt: ut ſciamus, quæ à Deo donata ſunt, qui & loquimur non in doctis humanæ ſapientiæ uerbis, ſed in doctrina ſpiritus ſpiritualibus ſpiritualia comparantes. Triplex enim eſt apud philoſophos Peripateticos maximè celebratus progreſſus in ſcientia, reſolutiuus aut diffiniens, diuidens, & componens: Quorũ nullus ad Deum attinet, qui nec diffiniri, nec diuidi, nec componi poteſt. Hinc diminuta nimis eſt theologia Peripatetica, & doctrina illa minus ſufficiens ad diuina, quæ puro intellectu, aut expurgato ſpiritu percipiuntur. Alius igitur modus nobis quærendus eſt, quo diuina ſuſcipiamus. Eſt nanque unus atque ſublimis, qui intuitiuus dicitur, dum homo mundo corde &, oculo aſpicit in ſpecula, & ſpectacula illa clara & æterna: ad quæ prophetæ omnes deuenerãt, hinc merito uidẽtes dicebãtur, Sic Iſaias uolens explicare, quod ſenſerat, dixit: Viſio Iſaiæ: Et iterũ: Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum. Sic Ezechiel indicans undè haberet, quæ annuntiabat, dixit: Facta eſt ſuper me manus Domini, & uidi. Similiter & Daniel ait: Videbam in uiſione mea. Ad quem gradum deuenerant prophetæ omnes, quamuis diuerſa uiderint: Quos ſequuti ſunt Ioannes, Paulus, Stephanus, & alij apoſtolici uiri, quorum primus ait: Vidimus gloriam eius: Et ultimus de ſeipſo protulit: Ecce uideo cœlos apertos, & Ieſum ſtantẽ à dextris uirtutis Dei. Medius autẽ teſtatur ſe uidiſſe, & audiuiſſe arcana Dei, quæ nõ licet homini loqui: quia nec uocabula ſuppetunt, nec mortales uoluti in cœni uolutabro digni habentur ſuſcipere pretioſas margaritas, & ſplendorem, à quo coinquinati oculi potius offenduntur, quàm illuſtrentur. Eſt itaque progreſſus, & cognoſcendi uia media inter hanc intuitiuam, & peripateticos illos modos: quos

Ioannes
Iob
Paulus
Idem
Iſaias.
Ezechiel.
Daniel
Stephanus

omnes meritò pro uno computauerim, conuenientia uidelicet ueritatum, quas annuntiarunt, qui uiderunt, ad intellectum noſtrum, qui capax eſt omnium ueritatum: undè intellectus paſsibilis dicitur, ſcilicet omnium intelligibiliũ ſuſceptiuus, imò ueritatum omnium cupidiſsimus: Qui expurgatus, dum aſſentit ueritati declaratæ, & in ipſa quieſcit, magnum ſibi comparat iudicium, uerum illud eſſe, quod tam bene cum ſuo intellectu coaptatur, ueluti clauis cum ſera, quæ ſi non conuenit artificio ipſius ſeræ, conuincitur non eſſe clauis illius: ſi autem coæquatur, trãſit, aperit, & claudit, ſua eſſe diiudicatur: Nõ ſecus ſenſus, uel interpretatio alicuius rei à ꝓphetis enuntiatæ, ſi intellectui expurgato ſine aliquo diſsidio coaptatur, conijcitur uera, ſin autem, falſa, & non ſua. Hæc igitur eſt uia quærenda à nobis, qui non poſſumus cum prophetis, & apoſtolis diuina intueri, ut procuremus intelligentiam, & interpretationem ſcripturarum: quas ædiderunt, qui uero oculo intuiti ſunt, quæ dicunt: Quam interpretationem uerã diiudicabimus, cum fuerit intellectui noſtro expurgato æquilibrata, & concinna.
Hac itaque ueritate, & doctrina diximus Deum benedictum fuiſſe non tantũ huius machinæ opificem (ut in principio diſſeruimus) & finem, in quem omnia tendunt, ut ſtatim declarabimus, ſed eum eſſe, qui omnia complens omnia circũ
Ierem. *ſonare facit, ſicuti exerta uoce in Ieremia profitetur dicens: Nunquid non cœlum, & terram ego implebo? ſpiritu uidelicet, uoce, & concinna uirtute, & glo*
Iſaias *ria: ut Iſaias ſe uidiſſe teſtatur, dum ait: Vidi, & plena erat domus, cœleſtis uidelicet, maieſtate eius, & quæ ſub ipſo erant, replebant templũ illud excelſum.*
Aggeus *Sed non contentus opifex illo complemento, per Aggeum prophetam in aduentu Meſsiæ ſeſe eandem melius completurum promittit dicens, Veniet deſideratus*
Iſaias *cunctis gentibus, & implebo domum iſtam gloria. Et ne terra exiſtimetur uacua eius maieſtate, Seraphim præmiſſo triſagio inducuntur clamantes: Plena*
Ezechi. *eſt omnis terra gloria eius. Ezechiel quoque cum de mundana, & cœleſti rota, uel de ophanimis tractaret, per quos elementales rotæ diſponũtur, ſubinfert: Spiritus uitæ erat in rotis. Addit quoque ſe audiuiſſe ſonum, uel uocem animaliũ ſanctitatis: à quibus rotæ, uel ophanim eas ſequentes regebantur. Et audiebam (inquit) ſonum alarum, quaſi ſonum aquarum multarum, quaſi ſonum ſublimis Dei, uel* שדי *ſadai, ut habet ueritas Hebraica: Sonum dicit audiuiſſe in alis animalium, quibus rotis uel ophaninis faciebant, tanquam ſonum aquarũ: ex quibus ueluti ex uirtute ſeminaria omnia producuntur. Et cũ omnia ſint à Deo, ideo dicit quaſi ſonum, aut uocem* שדי*: Quod nos aliquando omnipotentem, aliquando Deum cœli, hic autem ſublimem Deum habemus interpretatum: quãuis forte melius, ſufficientem cauſam, aut Deum plenè operantem poſſemus in*
Dauid *terpretari: Eſt enim ille, de quo in pſalmo canitur: Aperiente te manum tuã omnia implebuntur bonitate. Et iterum: Impleta eſt terra poſſeſsione, & influxu tuo. Ideo illo abſente turbantur omnia, & in puluerem ſuum reuertuntur. Si uerò repleta cuncta manent, quamuis uiciſsitudinaria tranſmutatione ſuccedant,*

non tamen à sua harmonia deficiunt, sed sua successione, ueluti sonus in organo succedentibus digitorum, & manuum uicibus intactis modulis, ut in libro Sapiẽtiæ dicitur: In se enim elementa dum conuertuntur, sicut in organo qualitatis sonus immutatur, & omnia suum sonum custodiunt. Hæc in calce libri habentur: in principio quoque dicitur: Spiritus Domini repleuit orbem terrarum: & hoc quod continet omnia scientiam habet uocis. Vbi docemur, non tantum spiritum Dei omnia concinno sono replere, sed & dare antistiti homini, undè concentum ipsum percipiat dicens: quòd homo, qui omnia continet, & habet scientiam illius uocis, & cõcentionis, dummodo uidelicet sit spiritualis, & ipsius spiritus capax effectus. Infinita sunt penè loca scripturæ sacræ, qbus propositũ nostrũ cõfirmare possemus, sed hæc sufficiant, ut iam deueniamus ad externos, qui hos uidentes patres æmulati sunt: Quorum præcipui Pythagoras, & Plato ab huiusmodi familia edocti cum suis Academicis docent diuinum numen rebus omnibus infusum: Quod aliqui animam mundi, Aliqui Dei spiritum nominarunt: quos imitatus Poëta decantat.

Sapien.

Pythag.

Plato

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet:
Inde hominum, pecudumque genus, uitæque uolantum,
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus.
Igneus est olli uigor, & cœlestis origo.

Virgilius

In eundem sensum canit Manilius dicens:

Manil.

Nanque canunt tacitæ naturæ mente potentem,
Infusumque Deum terræ, cœlóque, fretóque.

In idem conueniunt Orpheus, Alexander Milesius, & Dorylaus, ut supra tetigimus: Ex quorum omnium officina Boëtius ait:

Orph. Alexan. Doryla. Boëtius

Tu triplicis mediam naturæ cuncta mouentem
Connectẽs animam per consoua membra resoluis:
Quæ consecta duos motum glomerauit in orbes,
In semet reditura meat, mentémque profundam
Circuit, & simili conuertit imagine cœlum.

Et Aratus sub nomine Iouis decantat.

Aratus

Vita elementorum, mundi calor, ætheris ignis,
Astrorumque uigor, perpes substantia lucis,
Et numerus celsi modulaminis.

Alexãder quoq; Milesius Pythagoricus ait: Ille animus, qui Iuppiter, id est Deus summus dicitur, uiget, atque implet omnia, & cœlum quasi citharam quãdam exagitans cœlestem efficit harmoniam. Et Trismegistus philosophorũ splẽdor in eo libro, cui titulus est, quòd Deus latens simul ac patens sit, ait: Ita Deũ existere semper, nisi semper agat omnia, impossibile est: In cœlo uidelicet, in aëre, terra, mari, in mundo toto, in qualibet particula mũdi tota, tum in eo quod

Alexan.

Trism.

est, tum in eo quod non extat. Nihil est in omni natura, quod ille ipse non sit: Est ille siquidem, quæ sunt: est ea etiam, quæ minimè sunt: Quæ quidem sunt deducit in lucem, & quæ non sunt, occulit in seipso. Hic Deus nomine melior, hic occultus, hic rursus omnium patentissimus, hic menti conspicuus, hic præsens oculis, hic incorporeus, hic (ut ita dixerim) multicorporeus: Nam nihil in corporibus est, quod non sit ipse: Omnia enim ipse solus existit, ut etiam docebat Parmenides, quem Aristo. iniustè redarguere conatur. Et idem Mercurius de Cõmuni: Nec quicquam est in omni, quod non sit ipse Deus: iuxta illud Orphei recitatum ab Eusebio:

Parme. Aristo. Mercur. Orphe. Euseb.

Iuppiter est summus uertex, atque infima planta:
Ipse est æternus semper simul, ac totus ubique
Terrai fundus. Et iterum:

Iuppiter est quodcunq; uides, quocunque moueris. Et cætera multa, quæ pluribus carminibus prosequitur. Omitto, quæ Anaxagoras, Democritus, Zeno, Theophrastus, Hierchas cum suis Brachmanis authore Philostrato, Platonici quamplurimi, Origenes, & multi alij de huiusmodi scripserunt: Et concludam cum Dionysio, qui omnia penè, quæ illi tradiderunt, & probarunt multis rationibus, unica conclusione edisserit: Deum in mentibus esse dicunt, & in animantibus, & in corporibus, & in cœlo, & in terra, & simul in eodem, eundem mundanum, circamundanum, supramundanum, supercœlestem, supersubstantialem, solem, astrum, ignem, aquam, spiritum, rorem, nubem, ipsum lapidẽ, & petrã, omnia existentia, & nihil existentiũ. Et sic omnia implens omnia circũsonare facit.

Anaxa. Democr. Zeno. Theop. Hiarch. Philost. Plato. Orige. Diony.

Omnia uerè tendunt in Deum. Cap. III.



Abrica hæc uniuersa, sphærarum motus, successiua generatio, & corruptio rerum, quæ omnia circularia sunt, Opificis gerunt uestigium: quo docemur, sicut Deus sibiipsi est principium, & finis, cõpletáque sphæra, sic omnia, quæ eius simulachrum tenent in eundem tendere, à quo processerunt: Nam hoc est unicuique proprium: ut de fluminibus ait Ecclesiastes: Ad locum, undè exeunt, flumina reuertuntur, ut iterum fluant. Sic & de terreo corpore dixit Opifex homini delinquenti: Puluis es, & in puluerem reuertêris: Quod & omnia facere docet ipse Salomon inquiens: Omnia pergunt ad unum locum, quæ de terra facta sunt, & in terram pariter reuertuntur. Et hæc de terrenis dicta sint. De duabus uerò hominis partibus prosequitur in calce uoluminis dicens: Reuertitur puluis in terram suam, undè erat, & spiritus redit ad Deum, qui fecit illum. Hic enim qui est à Deo, solutus à corpore statim in eundem reuertitur, nisi uiolento impedimẽto detineatur: Terrea autem pars ad terram, undè immediatè processit, reducitur. Et cũ terra sit à Deo, qui ipsam creauit, & illa cum omnibus ex ea pullulantibus debitum ordinem sequens, ut aliquando in Deum reuertatur, necesse est. Qui mouet omnia, & trahit in se omnia (inquit Aristoteles cum suis Peripateticis) tanquam con-

Ecclesia. Genesis. Salomon. Idem. Aristote.

cupitus, & prædilectus ab omnibus dilectione, & concupiscentia à natura insita: Qui & uia mathematica procedens antea dixerat omnia ad unum reduci, sicut & ab uno processerant. Quod academici (maximè Proculus in suis Theorematibus Theologicis) apertissimè docent. Sic & non modico mysterio characteres Hebraici numeros significantes eodem ordine procedunt: Nam א est character significans unum, sed completo discursu per omnes characteres, quorum aliqui significant numeros, aliqui denarios, aliqui centenarios, deuenitur tandem ad idem א quod pronuntiatum dicendo Aleph, significat millenarium complementum omnium numerorum; & cubum denarij supremi numeri: ut sicut ipso charactere significat unum, ita pronuntiatum significet mille: & etiam idem significat character addito puncto א: Sed & hoc Aleph ducem significat, & est sigillum summæ coronæ, aut Patris summi continens in sua figura duo, י, & unum, ו, quæ literæ in numeris reddunt. 26. sicut magnum nomen Dei quatuor literarum. Itaque magno mysterio illud, quod in numeris mysterio quodam occulto contentis diuinum nomen repræsentat, in ipso simplici charactere Deum unicum, & primum omnium principium, & in suo pronuntiatu finem numerorum resignat. Sed & aliud sacramentum attendendum est in illo magno Dei nomine: in quo omnes literæ significant numeros circulares: Nã י dat denarium ה quinarium ו senarium: Qui omnes & soli sunt numeri circulares: ut innuatur, quòd Deus est uera sphæra: & omni progressu sphærico ordine procedit reducendo omnia in se, sicut ab ipso processerãt. Quod per Isaiã testatur dicens: Ego sum primus, & nouissimus: manus meæ fundauerunt omnia, ordinando uidelicet eadem in meipsum, ut sphæricum ordinem prosequerentur: Vndè non potest in aliud tendere massa hæc rerum creatarum, nisi in eum, cuius simulachrum tenet. Omnes insuper lineæ circuli à centro exeuntes in circumferentiam, & ab ea in centrum denotant, quòd omnes creaturæ emanantes à centro supremæ sphæræ tendunt in circunferentiam eiusdem sphæræ, tanquam in finem earum: Et sicut eædem lineæ nunquam exeunt limites sphæræ, aut circuli, sic nec creaturæ exeunt terminos illius diuinæ sphæræ: adeo quòd ab ipso sunt, & in ipso manent, & in ipsum eundem tendunt: Sicut etiã accidentia omnia innituntur substantiæ, quæ est eorũ subiectum, & sustentaculum, sic creata omnia quæ sunt tanquam accidentia respectu primi, & supremi esse, quod est à seipso, innituntur ipsi, à quo dependent: & in quo tanquam in sustentaculo continentur: & in quo erant, antequam in proprias formas explicarentur, & ad ipsum aspiciunt, & tendunt tanquã ad locũ & domũ propriam: undè sine ipso, tanquam peregrina non possunt diu manere: sed ad ipsum redire satagunt, maximè homo: qui omnia uirtute continet, & potestate, ut docet Trismegistus: Qui moriens, Calcidio referente, dicebat: Hactenus fili pulsus à patria uixi peregrinus, & exul: nunc incolumis patriam repeto: Cumque post paululum à uobis corporis uinculis absolutus discessero,

Isaias

Trism.
Calcid.

uidetote ne me quasi mortuum lugeatis: Nam ad illam optimam, beatamque ciuitatem regredior, ad quam uniuersi ciues mortis contione uenturi sunt: Ibi nanque solus Deus est summus princeps, qui ciues suos replet suauitate mirifica, quo haec, quam multi uitam existimant, mors potius est dicenda, quàm uita. In hanc sententiam ueniunt Didymus, Hiarchas, Porphyrius, Proculus, in de orationibus, & precibus: ubi docet de mente Platonis, Iamblici, & Porphyrij orationes esse necessarias, ut per eas reducamur ad patriam, à qua quãdiu hic sumus peregrinamur, inquit Paulus: Qui cum Hebraeis disserens exerta uoce ait: Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Et ut breuiter concludamus, in hanc sententiam ueniunt omnes, quorum lumina collustrata sunt.

Didym°. Hiarchas Porphy. Procul. Plato. Iambli. Porphy. Paulus

Quo appetitu in eundem pergant. Cap. IIII.



DVplicem esse appetitum in rebus omnes asseuerãt naturalem, & liberum: Sed in homine (ni fallor) tertium addere possemus, qui forinsecus, & supernaturalis est, atque diuinus ad se trahens effectu, & ad diuina opera meritoria & ipsi Deo grata perficienda inducitur. Et illud est, quod semper deprecatur ad optima, non quidem naturalis discursus, ut putant quamplurimi, sed portio illa superior, quam Plotinus intellectum uocat à ui rationali distinctum: Quo mediãte Deũ, diuináque intelligimus: & in ipsum mente, & opere tendimus: ut diffuse in suo de homine pertractat. Et hic in animi arce residens semper repugnat legi, quae est in membris nostris deducens quo naturalis uirtus, & affectus minimè potest. Hic itaque est ego, ille autem est gratia, secundũ Apostoli doctrinã, qui ait: Non ego, sed gratia Dei mecũ. Hoc igitur diuinum ad optima, diuináq; ten dit: Illud autẽ deterius, & animal nostrũ semper trahit ad ima, ex materia maximè à supremo distante. Medius uerò est animus noster, siue rationalis uis nũc huc, nũc illuc lata: uel nũc isti, nunc illi adhaerens ignauia, siue uolũtatis arbitrio, quamuis suaptè natura tendat ad illud principium, à quo processit, nisi erroris mater materia distrahat: ut accommodatum est illud uulgare Boëtij: Inest mentibus hominum ueri boni certa cupiditas, sed ad falsa deuius error abducit. Quod est aut à materia (ut diximus) ad ima trahente, uel à corporeis imaginibus & obiectis multiplicibus praesentia distrahentibus: Praesens enim obiectum, & sensibile fortius mouet hominem adhuc animalem, & eum, qui non habet exercitatos sensus ad adiscretionem boni & mali: & qui non gustat uerum mel, lac, & butyrum, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum: Qui non audit, quid loquatur in ipso Dominus Deus, nec gustat, nec uidet, nec sentit, nec percipit (ut Apostolus ait) ipse animalis homo, quae Dei sunt: sed allicitur lenocinio horum apparentium bonorum, quae umbra uerorum sunt:

Plotinus. Paulus Boetius Paulus

ut sapientes dicunt, maximè Plato *in* Rep. *& in plærisq; locis; & sacra eloquia undique resonant hæc tanquã feces, & umbras, imò letale uenenum contemni debere: ut exerta uoce admonet summa* Veritas *dicẽs*: Nolite *thesaurizare uobis thesauros in terra, quos tinca demolitur, & latrones furantur, rubigóque cõsumit omni deuastationi obnoxios: quia corruptibiles, & feculenti, atque umbratici sunt*: Sed *thesaurizate uobis thesauros in cœlo ueros, permanentes, stabiles, & perfectos*. Et Paulus *hæc omnia umbratica arbitratus est uelut stercora, ut meliores illos acquireret, & illuc pergeret, undè uenit*. Sic *omnes, quotquot habent lumina expurgata, & non sunt à grauante materia distracti, eodem sedulo deuenire contendunt, uocante, & attrahente eos summo bono ad seipsum: ut patet in latissimo campo scripturæ sacræ*: Q*uos quidem aliquando aut propria uirtute, aut per fidos ministros impellit: & ui trahit, ut in* Euangelio, *cui titulus est secundum* Lucam, *dicitur*: Compelle *eos intrare*. Plato CHRISTVS. Paulus Lucas

Quo curriculo uehantur. Cap. V.

EA *omnia, quæ nullam habent motionem liberam, nullum aliud ascẽdunt curriculum, quo uehantur in primum, à quo recesserunt, nisi instinctum, quem naturalem dicũt, quia à natura insitus, ut dicũt* Peripatetici, *aut (ut eorum uerbis utamur) quia fit in pluribus & frequenter*: Sic *enim naturalia diffinierunt*: Sed, *ut rei ueritas est, sic ab* Opifice *summo donati sunt*: Q*ui uerò rationis, & libertatis* Dei *munere sunt participes, hi ascendunt curriculum suæ uoluntatis, aut amoris, iuxta illud* Augustini: Amor *meus pondus meum, uel curriculum meum, illuc feror, ubi amo*. Ad *hoc tamen multoties magnam uim conferente natura, & attrahente diuinitate facilius currunt*: Ad *profectum enim sapientiæ, & doctrinæ promptius ueniunt bene chordati uiri in corpore, & sortiti bonam animam, & ad doctrinam dispositam, fauente ei* Phœbo, Venere, *&* Mercurio, *si* Platonicos *sequi uolumus*. Et *hoc aut disponendo corpus, aut quia intelligentiæ illis stellis præsidentes suo influxu fauẽt, aut (ut* Pythagorei *dicunt) quia in descẽdendo anima induit naturam illarum intelligẽtiarum, sicut lux uidetur suscipere colorem uitri, per quod transit rubeum, cœlestem, uiridem, uel croceum*. Currunt *alij facilius ad dominium, si genitura, & uirtus id præstat: & si* Sol, *&* Mars *& huiusmodi ei fauerint: si uera sunt, quæ tradunt* Astronomi. Currũt *alij ad diuersas uirtutes naturali curriculo pro uaria dispositione corporis, & animi, & cœli fauentis: uerum nihil boni attingũt, nisi faueat superna uirtus, à qua omne bonũ*: Non *enim sapientia acquiritur uiribus propriis, ut testatur ille, qui iure cognomento sapiẽs dicitur*: Et *apposui cor meum, ut scirem sapientiam: & intellexi, quòd omnium operum* Domini *nullam potest homo inuenire rationem, eorum, quæ fiunt sub sole*: Et *quanto plus laborauerit ad inquirendũ, tanto minus inueniet*: Et *hoc quia sapientia datur à* Deo, *iuxta* Iacobi *sententiam*: Q*ui indiget sapientia, postulet à* Domino, *qui dat omnibus affluenter, & solus dat*. Nec *ad dominium uenire* Peripate. August. Platonic. Pythag. Astronomi. Salomon Iacobus

Paulus Dyon CHRISTVS. quis poterit, nisi donante Deo, ut ait Paulus, & cum eo Dyon Platonicus in suo uolumine de regno: Nõ est potestas nisi à Deo. Sed & ipsa summa Veritas ad Romanum præsulem inquit: Non haberes in me potestatem, nisi tibi datum fuisset desuper. Neque ad aliquod bonum opus ualet homo sine diuino fauore, ut ipsemet passim protestatur dicens: Sine me nihil potestis facere. Et ille, in cuius pe-

Idem Paulus Ioram ctore ipse Christus resonabat, ait: Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis: sed omnis nostra sufficientia ex Deo est. Hinc Iorã (ut in quarto uolumine regum legimus) propria uirtute cõfisus, contempto diuino oraculo, & fauore, bellicum currum ascendit congressurus cum Assyriis, à quibus uulneratus sagitta in incertum iacta inter stomachum & pulmonem, uel inter thoracem & loricam, ut habet ueritas literæ, miserabili casu de curru corruit: Quæ non uacant mysterio: Cadit enim curru propriæ uirtutis, qua cõfidebat: uulneratur inter duo fabreficia humano ingenio contexta, ut denotetur textura, & omne opus excogitatum humano astu, aut laboratum ingenio, ac uiribus propriis frustrari: atque in perniciem elaborantis absque diuino fauore conuer-

Isaias ti, ut clara uoce per Isaiam loquitur dicens Veh filij desertores, ut faceretis consilium, & non ex me: & ordiremini telam, & non per spiritum meum: ut adderetur peccatum super peccatum: Qui ambulatis, ut descẽdatis in Aegyptum, ad uirtutes uidelicet, & astutias inferiores: & os meum non interrogastis, nec fauorem flagitastis sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis: qui nudans, uel dissipans interpretatur illumq́ue astutissimum & nudum serpentem significat: qui sua astutia dissipauit genus humanum, & nudauit protoplastem, adeo ut erubesceret à facie Domini. Sequitur: Et erit uobis fortitudo Pharaonis in cõfusione, & fiducia umbræ Ægypti in ignominiam. In uanum igitur laborat, qui naturali cursu, aut inferiori fauore diuina pertingere opinatur: Quod confir-

Eunuch. mare possumus exemplo eunuchi Candacis reginæ, qui in curru legebat Isaiam

Philipp. casso labore, quousque iubente Spiritu sancto Philippus iunxit se currui illi docens, quæ ille intelligere nequibat: & lumen præbens, fideiq́ue insigne: ut inde operari posset, quæ antea non ualebat: Et tunc præsentia, & fauore Philippi, imò Spiritus sancti mittentis, & assistentis effectus est ille currus ad instar il-

Psalmus lius, de quo dicitur in psalmo: Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium. Adest siquidem diuino currui ad fauorem illuc conscendentium nõ tantum Spiritus sanctus, sed multa millia administratoriarum potestatũ, dicta de-

Hiero. cem millia hyperbolicè, ut inquit Hieronymus. Adsunt igitur isti coniuncti psallentibus, & operantibus, & aliquando currum prouehunt, ut statim dicemus: Qui currus Dei multigenus est: Quorum unum conscenderat Petrus, alterum

Ioan. Ioannes, ut dicitur in Euangelio: Currebant duo simul, sed ille in curru fidei, hic uerò charitatis: Quæ cum ignea sit, ideo uelocius ducit: Vndè sequitur: Sed ille, qui erat iunior cucurrit citius Petro: Non quidem quia iunior, sed quia amore feruentior. Petrus autem prior introiuit in monumentum: quia prima ianua,

per quam datur introitus ad Christum suscitatum, ad sæculum uenturum, & ad Deum est fides, dicente Paulo: Oportet accedentem ad Deum per fidem accedere: Qua habita, cursus in charitate fit uelocissimus: Et aliquando in curru igneo cum equis ignis, super quem conscenderat feruidus Elias cum rediret ad Deum, à quo processerat: Quem ignem sentientes, simul & fragrantiam dilecti illo calore in nos spirantis dicemus statim: In odorem unguentorum tuorum currimus. Et iterum cum propheta: Viam mandatorum tuorum cucurri, dilatasti cor meum. Paulus Dauid

A quibus trahatur iste currus. Cap. VI.



Vm currus iste Dei sit, ut etiam à uirtute diuina trahatur; necesse est: quia uirtus inferior nō sufficeret: Ideo summa Veritas ait: Nemo uenit ad me, nisi Pater meus traxerit eum: Quod cognoscens ille, qui nomen sapientis peculiari priuilegio obtinuit, dicebat: Trahe me post te. Trahit quippe dupliciter, ut per Osee aperto sermone ait. Traham te in funiculis hominum, in uinculis charitatis: Funiculi hominum ad humanitatem Messiæh pertinent, uincula autem charitatis ad diuinitatem: Nōne Christus homo attraxit nos præsentia, doctrina, oratione, exemplo multiplici, & operibus multigenis, maximè his, quæ perpessus est pro nobis in carne & corpore? Nonne etiam attraxit numine quodam diuino. Quod sentiens Petrus dixit: Verba uitæ æternæ habes, ad quem ibimus? Et iterum: Tu es Christus filius Dei uiui. Complexurus itaque simul uincula humanitatis, & diuinitatis, maximè in extremo, quo ordinatè agens solet fortius operari dixit: Cum exaltatus fuero à terra omnia traham ad meipsum. Et adeo uerè ad se traxit, ut per multos annos, quos amore ligauerat, deduxerit ad omne genus martyrij intrepidos. Sed & hanc uim attrahendi apostolis, & legatis suis donauit, dum dixit: Venite post me, faciam uos fieri piscatores hominum: ut trahatis eos in sagenam uerbi Dei. Et etiam in quam partem deberent proiicere sagenam docuit post resurrectionem non sine mysterio dicens: Mittite in dexteram nauigij rete: In qua dextera est charitas, pietas, amor, misericordia, benignitas, & cætera id genus: In sinistra autem timor, terror, comminatio, iustitia seuera, punitio, & similia. Hinc innuens, quòd diuinus cōcionator magis attrahere debet animos liniendo quàm terrendo, & potius uinculis charitatis, q̄ terroris, ut ipse fecit cum adultera, peccatrice, publicano, telonario, & huiusmodi benignitate deducens, & non terrendo minis. Et quamuis aliquando debeat orator diuinus alta uoce annuntiare populo scelera eorum, nihilominus id facere debet non improperans, sed cum charitate admonendo proponere ea, quæ à rectitudine iustitiæ pro sceleribus parata sunt. In hanc igitur partem mittentes illi Apostoli retia sua non ualebant ea trahere præ multitudine piscium, ut doceantur, quātus prouentus fiat in amore, & charitate. Nec absque causa subinfertur: Et cum tanti essent, non est scissum rete: quia uirtus, & prædicandi officiū in

CHRISTVS. Salomon Osee. Petrus. CHRISTVS. Idem Idem

charitate exhibitũ, coadiuuante Deo, firmatur, & corroboratur, ut frangi, aut
Paulus scindi nequeat: sed omnia perficere, iuxta illud Apostoli: Omnia possum in eo,
qui me confortat: Trahunt etiam angeli, & administratorij spiritus, ut exequan
Psalmus tur ea, quæ iubet summus moderator, ut de eis dicitur in psalmo: Benedicite Do
minum omnes angeli eius, ministri eius, qui facitis uoluntatem eius, nõ tantum in
hominibus, sed omnia mouendo, & in omnibus influendo, quãtumcunque mini-
mis. Hinc multa uidemus agitari, & operari præter id, quod eorũ natura præ-
stat: & nescientes mortales, undè hæc eueniant, admirantur: Quod tamen con-
tingit multifariam: Aliquando enim præueniunt præsensione, & motione qua-
dam ea, quæ homini uentura sunt, ut ex authoribus grauissimis externis, & ca-
Cicero tholicis, & clarissima experientia comprobare possumus. Narrat Cicero in pri
mo de diuinatione, ꝙ Lacedæmoniis pauloante leuctricam calamitatẽ in phano
Calisth. Herculis arma sonuerũt: At eodem tempore Thebis (ut ait Calisthenes) in tem-
plo Herculis ualuæ clausæ repagulis seipsas aperuerunt: & arma, quæ parieti-
bus infixa erant, humi inuẽta sunt: Eademque tempestate multis signis Lacedæ-
monij leuctricæ pugnæ calamitates denuntiabant: Nam Lysandri, qui Lacedæ-
moniorum clarissimus fuit, statuæ quæ delphis stabat, in capite corona subito
extitit ex asperis herbis, & agrestibus: Stellæque aureæ, quæ in delphis erant
à Lacedæmoniis positæ post naualem illam uictoriam, qua Athenienses concide
runt pauloante leuctricam pugnam, deciderunt: neque repertæ sunt. Quid me-
Ioseph morem ea multa portenta recitata à Iosepho quæ præuenerunt Ierosolymitanã
cladem perpessam sub Tito, & Vespasiano? Luna multorum dierum insolita
eclipsi uidebatur cõpati futuræ ruinæ: Fulgur per mediam horam, tanquã meri
dies templum circundedit: Ianua eius ærea, quæ uix à uiginti uiris mouebatur,
hora sexta noctis ultro aperta est: Currus, & exercitus armatorum magno im
Euseb. petu per regionem circumuehi uidebantur: Quæ omnia confirmat Eusebius Cæ
sariensis in tertio ecclesiasticæ historiæ. Et ut breuiter me expediam, omnes pe-
nè clades insignes aliquibus portentis, & prodigiis à Dei ministris præuentæ
Myda Cicero sunt. Multos quoque signa præuenere in ortu, ut de Myda puero refert Cicero
ibidem, cui dormienti formicæ in os tritici grana congessere, omen dictum ma-
Plato gnarum diuitiarum, quod euenit. Platoni autem cum in cunis dormienti apes in
labello consedissent, responsum fuit, singulari illum suauitate orationis fore: ita
futura eloquentia præuenta est in infante: Quod Ambrosio episcopo Medio-
lanensi in nostris historiis legimus contigisse. Hecubæ uxori Priami pariturę
Paridem uisum est parere ardentem facem: quæ Troiam, & totam Asiam in-
Heracl. cenderet. Matri Phalaridis (ut scribit Heraclitus Ponticus auditor Platonis)
uisum fuit Mercurij simulachrum sanguinem fundere in terram, quo tota do-
mus redundaret: Quod immanis crudelitatis signum in filio pariendo præbuit:
Philistus Dionysii genitrici (ut Philistus ait) prægnanti uisum est parere satyriscum.
Hortulanæ uero Claræ Asisinatis matri nedum uisum est, sed clara uoce signi

ficatum fuit, quòd salua parere deberet lumen quoddam clarissimum. Portentum, quod in Ioannis Baptistæ natiuitate fuit, omnibus notũ est: quo cõprobatur quid angeli agant nobiscũ & ortũ præueniendo, & celebrando: quãuis in gẽtilibus mali angeli operarẽtur. Patri Zachariæ Gabriel apparuit: Nõ credẽti sermo subtrahitur: sterilis fœcundatur: nato puero, sermo patri obmutescẽti restituitur: ut uicini, & rerũ cõscij cogerentur exclamare admirantes, Quis putas puer iste erit? Ad antiquiores autem conscẽdendo, Izabac oraculo celeberrimo præuenitur: à sterili, & anu cõcipitur: à decrepito generatur: Eius filius Iabacob in matris utero cũ germano altercatur: undè parentes diuino oraculo docẽtur duas gẽtes in uẽtre illo materno cõtineri. Antiquus legislator flumio, & carecto necãdus exponitur: & à filia Pharaonis nõ casu, sed disponẽte Deo suscipitur: qui per angelũ suũ eã illud deduxit, ut puerũ saluaret, & diceretur Moses i. sumptus ex aquis, & qui fauore angelico cõtinuò dux esset illius celeberrimæ, & decãtatæ traductionis Israëlitici populi de Aegypto. Robustorũ fortissimus Sanson à sterili angelico oraculo fœcundata cõcipitur: & Nazareus, id est sacratus Domino cõstituitur anteq̃ natus. Longũ esset nimis retexere omnia, quæ in scripturis sacris, & gentilibus historiis q̃plurimis possent adduci exẽpla: qbus pbarẽtur Dei ministri p̃uenisse multos aut ante, aut in ipso ortu, uel fauisse bello, siue aliis rebus arduis, aut familiariter multifariã cũ hominibus egisse: Sed hæc pauca dicta sint, ut discãt increduli, & qui nolũt admittere nisi ea, quæ suis animalibus sensibus apprehẽdũt, ꝙ sunt angelici ministri missi in ministeriũ nostrum: qui nõ tãtũ nobis suadẽt peragẽda modo insensibili, sed uisibiles, & sensibiles sese multipliciter præbuisse trahẽtes homines etiã nõ adhuc natos, aut non adultos ad diuersa: & præcauẽtes uariis portẽtis à futuro excidio, uel ad opus strenuum deducentes: Quæ adhuc ex sacris literis comprobare possumus.

Quid operentur angelici Dei ministri in isto attractu, comprobatur ex scriptura sacra. Cap. VII.



Ministri circunsonantissimi tribunalis, & Archimusæi summi, ut fidi sint, omnia pro uiribus deducere satagunt in consonantiã cum Principe, sicut Dionysius sæpissimè repetit in suo de angelica hierarchia: Hi enim (inquit propheta) præueniunt coniuncti psallentibus, & seipsos harmonizantibus, tanquam instructi concentores chordas omnes, & uoces adaptantes in summo Dei monochordio, ut illud reddant concinnum, & suauissimum. Et si quæ sunt inutiles fibræ, uel moduli, aut dissentire uolentes, eos abiiciunt, rescindunt, & pessundant: ne in mundano, atque cœlesti, uel humano instrumento aliquod dissonum sua ignauia inueniatur. Et ut ab altioribus locis exordiamur, Ductori populi Israëlitici, ne in tanta prouincia absonus, aut dissonus inueniretur, magna celebritate à Deo summo aßignatus fuit angelus ducens, & pertrahens. Ecce ego (inquit) mitto angelum meum, qui præcedat te, & custodiat te in

Diony. Dauid

uia: & introducat in locum, quem præparaui tibi. Obserua eum, & audi uocẽ eius, quia non dimittet, cum peccaueris, quia nihil absonum admittere uult. Et ut scias ipsum meo iussu, & uirtute omnia peragere dico, ꝙ in illo est nomẽ meũ, uirtus uidelicet nominis illius, in quo omnia mirabilia efficiuntur. Hic igitur angelus nunc præcedendo, nunc subsequẽdo castra defendit, docuit, custodiuit, traxit de Aegypto, & deduxit ducem, & populum, quo pergebant. Angelus quoq; comes, & dux fuit patri electæ familiæ Abrahæ in Aegypto, in Charam, & quocunq; perrexit. Angelus Izahac saluauit ab immolatione, custodiuit in peregrinatione facta in Geraris, & in diuersis locis, & à iurgio habito cum Abimelech. Angelus etiam Iahacob duxit in Mesopotamiam Syriæ, ditauit, & protexit ab inuido Laban, & à persecutione fratris Esau eum persequẽtis. Sed & quid operentur angeli in nobis, prospexit in somnis non adhuc bene in huiusmodi initiatus, ut somno sopirentur animales sensus angelicæ consuetudinis inimici, quos non adhuc plenè mortificauerat. Magnum quippe est sacramentum scalæ, & angelorum ascendentium, & descendentium: sed hoc ad præsens sufficiat, quòd inde docemur omnes angelorum ministerio deduci ad quemcumque gradũ uirtutum, meritorum, & dignitatis, & indignos deponi usque ad extremum miseriæ gradum: prout eorum exquirunt mala merita: Hoc enim angelorum ascẽsus, descensusque significat: Et scala gradibus distincta ordinem uniuersi, & rerum omnium gradus resignat. Nec ulterius in tanto mysterio fandi datur facultas. Neque defuit angelus Ioseph huius patriarchæ filio, dum fratres eum multo insequerentur odio usque ad uenditionem: Apparuit enim ei uir in agro, qui

Hebræi. Hebraicè איש dicitur, quo nomine plærisq; in locis dictus est Gabriel illius Ioseph assiduus comes, & doctor, ut Hebræi asserũt. Longum quippe foret omnia adducere, quæ per angelos in sacris eloquiis pro hominibus facta leguntur: sed

Dauid concludamus cum illa Psalmographi sententia pro quocunque iusto (ut bene sen

Hieron. tit Hieronymus) decantata: Angelis suis Deus mandauit de te, ut custodiant te in omnibus uiis tuis: In manibus portabunt te, ne unquã offendas ad lapidem pedem tuum: Super aspidẽ, & basiliscum ambulabis, & cõculcabis leonẽ, & draconẽ. Nescio quid clarius adduci posset de tutela, custodia, & ducatu angelorum. Sed ne uideantur, qui in lege euangelica sunt, & gentiles ab angelis derelicti, & tantũ circũcisis inseruisse, ut falsò iactitãt Hebræi, uideamus quid in euãgelicis, & apostolicis scripturis petractetur. Ad Philippũ, qui Spiritus sancti iussu currui eunuchi illius Candacis reginæ (ut pauloante diximus) se iunxit, locutus primo fuerat angelus mandans, ut illuc pergeret, docens, quòd etiam gentiliũ curam habent. Et Cornelio Centurioni gentili sese uisibilem præbuit iubens & Petro, ne contẽneret gentiles, & incircumcisos, qui uidebãtur immundi. Legimus quoque angelum datum custodem uisibilem Agneti, & Cæciliæ, atque huius intercessione marito Tyburtio, & leuiro Valeriano baptismate expurgatis oculis corporis sese obtulisse cõtuendũ, & nares eorũ odore, atq; fragrantia reple-

nisse. Cum mulieribus euangelicis quãta familiaritate egerit, suscitato Christo, plenius docemur in euangelio. Petrum autem in carcere excitauit, soluit, deduxit, & traxit quo iusserat princeps, qui eum miserat. Importunũ certè foret omnes retexere, quos angelus Domini eripuit, & deduxit: Hoc est enim eorum officium, ut ait propheta: Immittit, sed melius iuxta literam, moratur, aut castrametatur, angelus Domini in circuitu timentium eum, ut eripiat eos. De his etiam, quos tanquam dissonas fibras coërcuit, aut abiecit hic angelus, exempla non desunt. Conductus erat Bilbam, ut malediceret Israëlitico exercitui, sed angelus Domini astitit ei, euaginato, strictóque gladio asinam perterruit, & iumentum, id est animalem hominẽ significatum per iumenta illa, de quibus in psalmo: Homines, & iumenta saluabis Domine: Hæc enim asina aliquando animal nostrum significat, aliquãdo uulgarem populũ, ut sentit Origenes, quæ prius portauit legislatorem: postea, præuio Zachariæ oraculo, portat Christum, & redẽptorem mũdi: Sed hæc iubetur solui ab apostolis simul cũ filio subiugali, quia in euangelio solutus est populus ab oneribus antiquæ legis: Qui, ut denotetur nouus, nouáque synagoga, aut collectio credentium, additur pullus, & filius subiugalis. Hic simplex populus Deo adhærens uidet, quæ non potest uidere deprauatus, & maledicus propheta, atque male operans doctor, sicut plærisque in locis euangelij legimus, ꝙ à turba suscipiebatur Iesus, & redemptor: qui à legisperitis, & phariseis, & principibus sacerdotum in sua malitia obcæcatis contemnebatur. Arcet itaq; angelus simplex uulgus, & per ipsum multoties maledicũ doctorem, & qui nefaria moliri conatur. In castris Assyriorũ demõstrans quãtum blasphemia sit Deo execrabilis octogintaquinq; milia de exercitu blasphemantis penitus deleuit & abiecit. Sodomitas, & gomorrheanos igne cõsumpsit. Aegyptios aquis obruit. Chaldæos flamma combussit pueros in fornace ab incẽdio præseruans. Septuaginta milia ex numeratis à Dauid occidit in Israël extendens manũ ad delendã Ierusalem, nisi eius misertus Dominus iussisset ipsi angelo percutienti, ut manũ contineret. Hoc est enim ministrorũ Dei officiũ cõsummata mẽsura nequitiæ, nõ permittere dissonos modulos in consonantissimo Dei instrumẽto, ut canit diuus Citharœdus: Angelus Domini coartans, & persequẽs eos: Verũ aliquando id exequitur summus Moderatur per angelos malos, tanꝗ per ministros iustitiæ, ut alibi testatur idem propheta dicẽs. Et immissiones per angelos malos. Cœlestis etiam noster Ioãnes de his meminit, quibus datum est nocere terræ, & mari, cæterisq; rebus. Hucusque ad pauca ex multis digressi sumus, ut cõprobaremus ducatũ, attractũque in bonum, & in pœnam, iuxta merita & flagitia datum fuisse angelis: qui etiã ad omnia disponẽda præfecti sunt, ut longo sermone prosequitur Origenes in librum Numerorum dicens: Opus est ipsi mundo angelis, qui præsint exercitibus terrenis, regnis, prouinciis, cœlis, hominibus, bestiis, animalium natiuitati, & progressui, uirgultis, plantis, lapidibus, cæterisq; rebus eam uirtutem donãtes, quã dicunt inesse rebus à pro-

Dauid. Psalm. Orige. Euang. Dauid. Idem. Ioan. Origa.

prietate occulta: Multo magis opus est angelis, qui præsint operibus sanctis, uirtutibus, & hominibus, ut ipsi qui semper uidem faciem patris summi recto ducatu possint cõducere homines, cœlos, & unumquodque etiam minutissimum ad locum suum, tanquam membra huius mundi concinna, in quo Deus tanquã præcipuus antistes omnia suauissimè disponens inhabitat non contentus, aut circumscriptus, sed continens omnia.

Quomodo omnia per senarium à Deo egrediantur. Cap. VIII.



Ostquam de attrahentibus nos in Deũ aliquantulum disseruimus, etiam numeri, per quos exiuimus, & iterum reuertimur in Deũ (ut cum Augustino conueniam) contemnendi non sunt: cum in multis sacrarum scripturarum locis eorum ratio magnifacta uideatur, & merito: cum Deus omnia fecerit in numero, pondere, & mensura. Legimus igitur, non sine mysterio, opificem summum egressum in creaturas producẽdas per senarium numerum quidem primo perfectum, & dantem trigonum magno sacramento, ut supra explicauimus: Quam perfectionem habet à se, nõ autem quia in eo Deus creauerit mundum, ut alibi idem Augustinus affirmat. Hũc igitur primo perfectum elegit ad mundi fabricam perfectã perfectissimus artifex: Et ut concinna esset, illum numerum elegit, quota sunt media diapasonicæ consonantiæ perfectæ: Senaria enim sunt cum septem interuallis, post quos deuenitur in octauum, quod ipsum diapason complet: Quo etiam ordine procedit reuolutio hebdomadaria rediens ad eundem octauum, à quo cœpit: ut sabbatum in sabbatum, dominica in dominicã, & intermedij dies semper senarij sint: Qui senarius, si quadretur in 36. & simul cum denario in cubum reducatur, omnes gradus Zodiaci cõplent, 360. Compleret etiã dies anni, nisi sol parcè transiret quolibet die gradum unum: Prorogat enim cursum suũ usque ad 365. dies quot sunt artus in humano corpore. Si uerò combinetur senarius, signa ipsius Zodiaci reddit, & articulos præcipuos in corpore nostro, multáque alia cõducit memorata supra, ubi de duodenario numero tractauimus. Et insuper senarius bis ter binum tenarium designans, quibus opifex exiuit in opus: Primo enim fabricam, secundo ornatum eius perfecit: Primis nanque tribus diebus creauit elemẽtaria omnia, & fundamenta huius mundanæ fabricæ, & distinxit ea: Primo supercœlestia à terrestribus per globum, & massam cœlorũ, postea aquas à terra donans huic suam fœcunditatem: Reliquis autem tribus diebus fabricam suis ornauit hospitibus collocãs in cœlo bina luminaria, & stellas: In terra animalia quadrupedia: In aquis pisces, & sua reptilia: In aëre aues, & uolatilia. Et sic Deus trinus cũ materialibus agens, quorum ex materia est binarius, siue dualitas, bifariam se communicauit: Spiritus in igne, luce, & calore omnia uiuificante: Filius in aquis, & genitura ex eis procedente: Pater autem omnium principiũ, & origo existẽs in primordiali fundamento, & in base, super quã firmãtur omnia. Sexto autem die mundi totius antistitem hominem produxit omnia illa

August.

Idem

complectentem: Qui etiam per sex ætates crescens proficeret, ut in septima & in uero sabbato requiesceret.

Quomodo per senarium in eundem redeant, & in Christum maximè, qui est uera quies, & uerum sabbatum. Cap. IX.

SIcut per senarium omnia egressa sunt à Deo, ita per eundem numerũ, & eodem ordine in ipsum redeunt quiescentia, & benedicta in uero sabbato: Quod aliquantulum tangit Augustinus in suo de Genesi contra Manichæos. Sed nos ulterius procedemus, quousque spiritus suggesserit. Prima die facta est lux, & nobis redeuntibus in Deum necesse est, ut appareat illa lux, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum: & lux illa fidei, quæ est principium progrediendi in Deum. Secunda die positus est globus cœlorum diuidens inter aquas supra cœlestes, & inferiores significans eam discretionem, & prudentiam spiritualem, qua sciamus reprobare malum, & eligere bonum: & secernere amorem spiritualem, & superiorẽ à carnali, & inferiori: Conueniũt enim illi amores, & ex quodam symbolo facilis datur trãsitus à spirituali ad carnalem, nisi interponatur cortina, & firmamẽtum prudentiæ fulcitæ diuina gratia, quæ diuidat inter eos. Aquæ autẽ, quæ tertio die congregantur, in locum unum passiones naturales, & uoluptuosas notant: quæ insimul sub dominio rationis colligi debẽt, ut appareat arida mens nostra, nuda, & expoliata ab omnibus terrenis affectibus: Quod tantum placet in oculis Domini, ut id prospiciens condelectetur, quòd sit bonum: Et tunc imperat terræ mentis nostræ, ut germinet, & producat herbam uirentem, & lignum, uel arborem fructiferam, iuxta genus suum, id est multigenam uirtutem. Sed quia non potest lux abscondi supra montẽ posita, neque lucerna accensa occultari debet sub modio, sed imponi cãdelabro, ut luceat omnibus, lux uidelicet & exemplar bonorũ operum: Ideo sequenti die, qui quartus est iubẽtur fieri duo luminaria magna in quolibet bene operãte. Luminare maius est opus meritorium in gratia factum lucẽs corã Deo, & angelis eius. Luminare minus est prudentia, & sapiẽtia in rebus inferioribus disponẽdis: quæ nox quædã sunt respectu rerũ supercœlestium, quibus uacans splendet tanquã sol. In rebus autem istis depressioribus disponendis cum multũ prosint doctrinæ exẽpla, & fauores sanctorũ, & angelorum, qui sunt tanquã stellæ in firmamẽto cœlorum, Ideo addũtur stellæ ibidem collocatæ in fauorem Lunæ. Quinto autẽ die proficiscentibus de uirtute in uirtutẽ dicitur: Serpant aquæ serpituram animæ uiuẽtis, & uolatile uolans super terram, & super faciẽ firmamẽti cœlorũ, & non sub firmamento, ut habet traductio nostra. Seqtur, ꝙ creauit Deus התנינים הגדולים hataninim hagadolim, quod nos interpretatum habemus cete grandia. Sequitur: Et omnem animam uiuẽtem, quæ produxerant aquæ ad speciem suam. Grãdia sunt sacramenta de istis cetis, aut hataninim hagadolim: Non enim apparet, cur magis debuerint exprimi cete, quàm alij pisces, qui sunt forsitã ipsis maiores, Alij au-

Augustin.

tem interpretati sunt illud uerbum bataninim, dracones, sicut in psalmo ultimo:
Psalm. Dracones & omnes abyssi. Volunt enim uocabulum illud bataninim utrunque significare, & cete, & dracones. Sed nec etiam uidetur, cur magis debuerint exprimi dracones, quàm leones animalium syluestrium reges: aut boues armẽtorum duces, nisi uelimus intelligere draconem illum, de quo dicitur in psalmo:
David Draco iste, quem formasti ad illudendum ei: Qui omnibus aduersatur, maximè proficiscentibus in uia Dei, & tanto acriorem pugnam ipse cum suis reptilibus, qui eum sequuntur absque numero praeparat, quanto quis rectius, & uigorosius incedit. Cõtra hos itaque oportet, quòd sumamus pennas sicut columbae, & aues, quae uolant non sub firmamento, sed super faciem coelorum per contem-
Idem plationem, & eleuationem mentis in Deum dicentes cum propheta: Quis dabit mihi pennas ut columbae, & uolabo, ut fugiam ab his laqueis? Et iterum: Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo uenantium, laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Si autem bataninim secundum etymologiam uocabuli interpretari uoluerimus, donata significat: per quae dona Spiritus sancti (ut sentit Orig.)
Orige. intelligere possumus: Quibus praeualere ualeamus cõtra omnia reptilia, & insidias paratas ab aduersariis in hoc mundano mari, & eisdem uiuere uera uita, quod innuitur in eo, quod sequitur: Et omnem animam uiuentem. Et quia ista dona, quae largitur nobis Spiritus, parata sunt primo à filio Dei, qui est uera aqua supramundana, ut superius diximus, ideo sequitur: Quae produxerant aquae ad speciem suam: Sic enim de hoc spiritu loquitur in euangelio: Ille sugge-
CHRISTVS. ret uobis omnia, quaecunque dixero uobis: Et iterum: Ille de meo accipiet, & annuntiabit uobis. Multa subticeo, quae de his bataninimis, uolatilibus, & auibus iterum productis deducere possemus sacramenta, ne ultrà digrediamur, quàm hic exigat locus: Sed cum & hoc condelectatus fuisset Deus foelici oculo prospexit, quod bonum. Sexto tandem die ait: Producat terra (quam suprà pro mente interpretati sumus) animã uiuentem, id est meliores uitae fructus: Et hoc quãdo aliqualiter absoluti sumus ab hoc mortali corpore Deo uiuentes eidem conformati: In quo adeo Deus condelectatur, ut non tantum laudet, & dicat, quod bonum, sed cooperetur nobiscum dicens: Faciamus hominem in imaginem nostrã cum similitudine nostra: Nam quando homo Deo, & uirtuti incumbit, transformatur, & transit in imaginem eius actu, quam primo habebat potestate: & efficitur masculus & foemina: Foemina quidem suscipiendo semen, & conceptum
Isaias à uero agente, iuxta illud Isaiae: A facie tua Domine concepimus, & peperimus spiritum salutis: Masculus autem efficitur, quando operatur secundum susceptã gratiam. Copulato itaque intellectu nostro cũ lumine diuino fit mens, & homo cõpletus, & producẽs fructus, de quibus sequitur: Fructificate, & multiplicate multum fructũ producentes, pauco non contenti, repletéque terram, terreum uidelicet animal profusione superioris hominis, aut charismatibus desursum praeaceptis: ut redigatis animal illud in debitam seruitutem spiritus: & tunc domi-

nabimini piscibus, uolucribus, & bestiis, id est omnibus uirtutibus animantibus, siue sint aqueæ, siue aëreæ, siue terreæ: Igneæ enim uirtutes tanquam cœlestes, & diuinæ præesse debent. Et cum transierit homo per istos sex gradus, statim perueniet ad septimum, ubi ueram requiem nanciscetur: & Iesum, qui suo proprio nomine dicitur ישו in quo sunt duæ literæ magni nominis Dei י & ו interposita ש quæ est principium sabat שבת, id est ueræ requiei: ut intelligamus Iesum esse non tantum redemptorem hominum, sed eorum ueram requiem, & refectionem quiescere facientem nos ab operibus, & laboribus nostris, & cibantem nos seipso pane uiuo, qui de cœlo descendit, & potantem uino conuerso in illud nouum, quod bibitur in regno Patris sui. Octauum diem subticuit Moses, cuius prouincia est per typos legis deducere suos Hebræos usque ad requiem Christum cedens ipsi in opere, ad quod post illam requiem nos deducere intendebat: Ad terminũ enim umbræ umbratica lex conducere nos debebat, nec ultrà prouehere, sed ille perfectus exequutor, & reserator legis (de quo dicebat Moses, Mitte Domine quem missurus es) tanquam perfectissimus doctor nos instruit, quibus operibus uacare debeamus post requiem dicens Apostolis, quòd in regeneratione, quæ post resurrectionem erit, sedere debebant iudicaturi duodecim tribus Israël exercentes officium Dei, sua gratia eius cooperatores effecti. Et de omnibus dixit, ꝙ post resurrectionem erunt tanquã angeli Dei: qui continuè seruiunt, & ministrãt ei exequentes, quæ ipse iubet: Quod opus multum differt à primo, quia illud cum labore, & anxietate, hoc autem sine labore, & cũ delectatione: Illud tendit in requiem, hoc autem nullam requiem appetit, cum ipsum sit sibi quies, & delectatio summa, quam homo desiderare, & habere potest. Moses.

Qualiter per senariũ ætatũ inducatur genus humanũ in ipsum Deũ. Ca. X.

Sicut mundanum opus in sex diebus, ita & ipsius mundi cursus per sex distincta tempora, tanquam per sex ætates deuenit ad sabbatarium millenarium descriptus à Ioanne in Apocalypsi: Primo enim die dicũtur terra, cœlumque factæ cum luce quadam communi, & eius diuisione à tenebris: & quòd spiritus Elohim uolitabat super aquas, Sic homo in prima mundi ætate dicitur fabricatus ex anima & corpore, tanquam ex cœlo & terra cum aliqua luce legis naturalis, & diuinitate collustrante, maximè dum erat in statu innocentiæ: Sed diuisa fuit lux à tenebris, quando homo expulsus fuit de illo paradiso uoluptatis: & quando lucens & diuinus Henoc sublatus fuit à tenebroso uulgo: Et in fine illius ætatis dicitur, quòd filij Elohim accesserunt ad filias hominum grauidãtes eas. Maxima quidem sunt hic sacramenta de correspondentia filiorum Elohim fœcundantium filias hominum, ut gigantes, uel cadentes (ut habetur in litera) generarent uiros nominis, & potentes à sæculo cum spiritu Elohim: qui uolitans super faciem aquarum reddebat eas fœcundas inter tenebras, quæ cooperiebant faciem abyssi. Incepit secunda ætas in Noë, qui tanquam medium & firmamentum quoddam fuit diuidens in- Ioan.

ter primam illam ætatem longæuam, & secundam, in qua occurrit linguarum cõfusio: denotatam per aquas inferiores: Et illud medium uocatum fuit cælum: quia cælestis fuit Noë diuidens, & iustus in generationibus suis, id est quantum patiebatur illud curriculum temporis: Diuisa nanque fuit ea tempestate familia Dei in Sem & Iaphet à familia diaboli in Cam cum posteris suis: Ab hoc enim uenit Chus, id est Aethiops, Mizraim, id est Aegyptij, & Chanaan, à quo Chananæi, generationes quidẽ deteriores, & reprobatæ signatæ per aquas inferiores: & diuisæ ab illis, quæ irrigatæ fuerunt ab aquis superioribus: Et hæc diuisio hucusque manet, ut doctè, & bene tractat Hieronymus in Genesim. Vel firmamentum, aut globus cælorum discriminans inter aquas & aquas Diuus Abraham fuit, in quo illa ætate particulari signo fœderis distinctus fuit cum sua familia ab aquis, id est populis terrestribus, & animalibus: Ipsi enim primo datum fuit signum sensibile, & distinctiuum inter familiam & familiam, & pater fidei, id est fidelium dictus est: Non tamen in hoc die, aut ætate dictum est, ꝙ bonum: quia tota mancipata fuit ærumnis, & calamitatibus: Dispersæ enim & diuisæ fuerunt tunc gentes in terra, factáque fuit linguarum cõfusio, & semper tunc tumultuauit mundus etiam in ipso patre electæ familiæ Abraham: qui tot, & tanta perpessus est à Chaldæis, ut uix ereptus sit de fornace incẽdij: Et inde peregrinatus est in Aegypto in Charam, oppressusque nimis, quousque eum consolaretur familiare hospitium angelorum: qui & ipsi decrepito genituram, & uxori sterili & uetulæ partum denuntiarunt, Izahac uidelicet, qui risus interpretatur, quia in eo gauisus est pater, & cœpit fœlicior ætas. In hac igitur cœperunt congregari aquæ, id est populus electus, & Dei familia ad locũ unũ, & secerni à gentilibus priuatis diuinis charismatibus, ut tunc appareret arida. Segregata quoque illa tempestate fuit gens Israëlitica ab Aegyptiis: & tanquã terra madefacta aquis legis, doctrinæ, sapientiæ, & sacrificiorum disposita fuit, ut ipsi diceretur: Producat terra herbam uirentem, & lignum frugiferum, quæ prius erat inanis, & uacua sine lege, & sacrificiis legalibus: & processit hæc ætas usque ad Dauid per quatuordecim generationes, duplicem uidelicet septenarium. Alter fuit ab Abraham usque ad Aminadab, in quo seruiuit populus oneribus pressus, mare transiuit, deserta peragrauit, montes conscendit. In altero ab Aminadab sub Salmone usque ad Dauid legem suscepit, belláque egit, & labore bellico terram promissam obtinuit possidendam: regno insuper & prophetia decorata fuit: Et hæc tertia ætas, quasi duplex fuit ex duobus septenariis: quorum alter expurgationi addictus fuit per seruitutem, mare, desertũ, & uarias oppressiones: Alter fructui, & prouentui in promissa terra, & regno obtento est ascriptus. Et bene utrumque per septenarium fit, cum expurgatio, & remissio, & bonum opus ipso numero (ut alibi fauente Deo declarabimus) perficiatur: Quod in mystica fabricæ descriptione innuitur, cum in eodem die hæc duo facta fuisse describantur. Primo enim congregatæ sunt aquæ, &

Hieron.

apparuit arida, sicut congregatæ sunt in transitu populi per siccum, & aridam maris rubri: In quibus aquis (inquit Paulus*) omnes baptizati sunt, & initiati in seruitium* Dei: *Et diuersas mansiones fecerunt in deserto, quæ progressum pœnitentium, & proficiscentium in uia* Dei *signāt, sicut* Hieronymus *longo edisserit tractatu, quem de quadraginta duabus mansionibus nominauit, in quibus totus homo debita pœnitentia castigatur.* Altero *autem (ut diximus) germen, & fœcunditas terræ iam in possessione post mare, & desertum peragratum obtenta tribuitur.* Sed *cum hæc omnia ad.uesperauerint in deprauato* Saule, *& clausa sit hæc dies, ideo necesse est, ut alia succedat.* In *quarto igitur splendet regnū in* Dauide, Salomone, *& reliquis regibus: fulget sacerdotiū erecto tēplo, & sacris celeberrimè institutis, tāquā* Luna *&* Sol: *Coruscāt ꝓphetæ q̄ plurimi, tāq̄ stellæ in firmamēto. Successit & hæc per binū septenarium splendidissima dies, quousque successit uesper, & infœlix nox deprauatis, & pessimis effectis regibus illis* Manasse, Amon, Ieconia, *& reliquis: adeo ut ad captiuitatem miserrimam in* Babyloniam *ducerentur:* Vndè *aliam diē renouari oportuit.* Cœpit *itaque quinta ætas sub captiuitate in populo errabundo, & uago, nullamq́ue habente determinatam sedem, instar uolatilium cœlorum, quæ illo die producta sunt:* Sed *ad solatium cœlum habebant, quod contemplari poterant.* Nec *defuerunt cete grandia, magni uidelicet uiri* Ieremias, Isaias, Ezechiel, Daniel, Zorobabel, Esra, Neemias, Aggeus, Thobias *& similes: qui in captiuitate, & in omnibus quassantibus fluctibus præstabant: nec ad idolorū cultum, nec ad ritū gentium, inter quas errabundi captiui erant, inclinabātur:* Quibus *aduersitatibus, tanquam uomeribus, ligonibus, & rastris ritè excultis dictum est:* Fructificate, *multiplicate, & replete terram: & dominamini citò à captiuitate liberandi:* Ex *eis nanque productum est germen illud salutis* Iesus *filius* Dei, Beata *uirgo, & apostoli, cæteríque apostolici, & euangelici uiri ex stirpe illa generati.* Sed *cum etiam ætas ista aduesperasceret ex malis, auaris, & hypocritis sacerdotibus: & datis principibus in* Romanorum *ditionē sexta successit, ætas & dies:* Hæc *igitur fœlicissima, & faustissima fuit à filio* Dei *& redemptore mūdi sub quo cœpit: & in quem* Dei *gratia fœlicissimo terminabitur successu, quamuis diuersa passa sit, & patiatur:* In *hac homo de terra productus ad ueram imaginem, & similitudinem* Dei *deducitur, ut possit etiam fieri ipsius* Dei *filius, dūmodo credat in nomine eius non uiuens secundum carnem, & sanguinem, sed si renatus sit ex* Deo *professione, & opere.* In *hac etiam serpentes, reptilia, & omnia inmunda pacificata, & mundata sunt, ut* Petro *hospitanti apud* Simonē Coriarium *demonstratum est in uase illo pleno reptilibus, & animalibus immūdis:* Cui *& dictum est:* Surge, & *mā duca:* & *renitenti ipsi iterū dicitur:* Quod Deus *mūdauit, tu commune* & *immundum ne dixeris:* Mundauit *enim omnia in sanguine suo.* In *hac quoque dicitur:* Masculum & *fœminam creauit eos: quia facta est desponsatio animæ,* & *ecclesiæ cum* Christo *illo sacramento, de quo in-*

Paulus

Hieron.

Paulus quit Paulus: Sacramentum hoc magnum est Christi, & ecclesiæ, In hac rursus datur dominium homini, & præponitur pecoribus, serpentibus, & uolatilibus: quia effectus Filius Dei, & cohæres Christi omnibus ritè dominatur, nisi homo ultrò se in seruitutem redigat peccati, carnis, & diaboli. Præparantur insuper in escam herbæ omnes afferentes semen, & arbores fructiferæ, & habentes in se semen: animantibus uerò cæteris omnis uiror herbæ. Dubitat meritò hic

August. Augustinus in suo de Genesi contra Manichæos, an possit hæc litera saluari, cũ leones, tigrides, elephantes, ursi, simiæ, & huiusmodi animalia diuersa syluestria, & habitantia loca deserta, & arenosa non pascantur herbis, sed carnibus: Sic milui, aquilæ, accipitres, & aues, quæ uiuunt ex rapina: Vndè quamuis in libro retractationũ conetur saluare literam, tamen alius exquirendus est sensus, ad quem forsitan potius uerba prætendunt. Obseruandum igitur est, ꝙ cum omnia animalia reducta fuerint in seruitutem hominis, tunc cibus omnibus præparatur, denotando, ꝙ subiugatis passionibus, & deductis omnibus in seruitutem rationis, & Christi, tunc habent in cibum herbam seminiferam, & arborẽ dantem fructum: quia omnia opera in gratia Messiæh meritoria, & fructifera sunt: Illis autem, qui bestias uiuunt, datur tantummodo uiror herbæ syluestris, nec satiuæ, nec seminiferæ: Distinguntur enim cibi in ueritate literæ, quamuis nostra traductio habeat, ut sint nobis in escam, & cunctis animantibus terræ, nulla distinctione declarata inter cibos hominum, & cibos animalium. Datur etiam purè uiuentibus sub Messiah cibus peculiaris, & reconditus: de quo

Apocal. in Apocalypsi: Qui uicerit, dabo ei mana absconditum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Datur quoque ei hic cibus adhuc uiuenti in hoc mundo simul cum pane illo uiuo, qui de cælo descendit, donec perueniat ad octauum ipsum, quo in domo Patris simul cum Filio comedamus, & bibamus super mensam eius nouum illud ciborum genus. Si autem rebellis, aut infidus quisi efficitur Christo, dissentiunt animales uires ab eo: undè eius cibo non contentæ pascuntur puro uirore herbarum simul cum pecudibus. Ecce quomodo genus humanũ per curriculum sex ætatum tandem deuenit ad Christum, tanquam ad uerum sabbatum, & quietem, & septimum: per quem reuertitur in octauum illud, à quo recesserat.

Quomodo homo particularis regulatè uiuens deuenit in Christum per sex ætates significatas per sex illos dies. Cap. XI.



Totum decursum istum quibus ex partibus conueniat sex curriculis hominum in septimum, difficilè perscrutandum uidetur, nisi lux illa collustret, quæ omnem hominem per illas ætates eius, suis radiis uariè, & accommodatè illuminat: Illa itaque luce perfusi, & hominis curricula cum illis sex diebus æquare conabimur: Infans enim ex materno utero, ubi in tenebris degit, egrediens in lucem uenire dicitur, ut ipsi quãoptimè conueniat illud, quod dicitur: Fiat, aut sit lux etiam ipsum illuminans. Illud quoque obseruandum est, quòd ætas ipsa silentio transit nullum opus celebre

peragens: imò si quod est, diluuio obliuionis consumitur: quia omnia illa infantilia deponuntur: & obliuiscuntur pauca familia saluata: quia pauca restant in adolescentibus ex infantia, uis uidelicet seminaria & adolescens uirtus: Quod denotat in capite septenij mutatio dentiũ, qui robora, & uirtutes hominis significant, ut alibi longo sermone declarauimus. Sequitur secunda ætas post septem annorum curriculũ, quo semper (ut Chalcidius, & Macrobius diffuse tradũt) aliqua in homine mutatio fit. In hac itaque puer solutus ab infantilibus uinculis edoceri incipit doctrinas uarias, & diuinum cultum, sicut mundus à Noë tunc edoctus fuit: Suscipitque puer firmamentum diuidens, id est discretionem, quã secernit inter aquas & aquas, operationes uidelicet rationales ab animalibus: Et quia completur ætas, & non completur opus aliquod, sed solummodo incipitur, ideo aptissimè conuenit cum illo die, quem sapiens descriptor Moses consummatum ut asserit, sic ait: Et factum est uespere, & mane dies secundus: Sed in eo nullum opus perfici innuit, cum taceat, quod de aliis diebus ait: Et uidit Deus quòd bonũ. Hinc non præmiatur, nec punitur puer ex opere perpetrato in ista ætate, cum nulla lege existimetur legitimum, nec à Deo uidetur inter alia opera computari. Neque etiam instetur, quòd prima die dictum fuerit, & uidit Deus lucem, quòd bona: quia lux non est opus nostrum, sed à Deo in nostrum beneficium, & adiutorium producta. Et quamuis etiam dicatur in secundo die factũ fuisse firmamentum, aut globum cœlorum, non tamen perfectum erat opus: quia nondum sole, luna, & suis stellis decoratum. Sequitur tertia ætas, qua adolescit homo utrique germini aptus, corporali, & spirituali: Fit enim aptior ad generãdum secundum carnem, & etiam secundum spiritum: quia tunc irrigari incipit doctrina, lege, & spiritu, adeo ut tunc aptus religioni, & oneri spirituali à sapientibus iudicetur: undè merito ipsi dici potest: Germinet terra, scilicet mentis tuæ herbam uirentem, & arborem frugiferam: Et hoc congregatis primo aquis uirium suarum ad debitum locum, quæ primo erant permixtæ, ut non discernerentur uirtutes animales à rationalibus: Tunc enim fit melior sequestratio uiriũ, & apparet ei, quàm sit arida uirtus naturalis sibiipsi dimissa. Et uidet hic Deus dupliciter, quòd bonum: primo, quia aquæ uirium cõgregatæ sunt insimul: postea, quia terra madefacta imbribus supercœlestibus producat fructum, ut possit dicere cum propheta: Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructũ suum. Succedit quarta, quæ florentissima iuuentus dicitur: ubi rectè incedẽs perfectè illustratur in mẽte, ut sol: & in intellectu inferiori, uelut luna: Sic enim docet Plato in Sympoſio, quòd intellectus noster cum diuina luce unitus, & effectus mens dicitur sol: sibiipsi autẽ derelictus est luna: immixtus uero cũ passionibus animalibus est terra producens inferiores fructus. Post iuuentutem autem sequitur quinto loco uirilitas, qua homo debet esse perfectus uir, & perfectiori uirtute decoratus, & sapientia, quæ aqua salutaris in Ecclesiastico dicitur: Et quia in sapiẽtia producit meliora germina, ideo dicitur, pro-

Chalci. Macro. — Dauid — Plato. — Ecclesia

ducant aquæ animam uiuentem. produceuntur etiam cete grandia, robusta uidelicet opera, & strenua, atque cõsilia solidissima: quæ nullos impetus maris pertimescunt. Crescunt itaque uiribus, uirtutibus, operibus, nomine, & fama: ideo dictum est existentibus in hac ætate: Fructificate, & multiplicate, & replete aquas maris, id est completam habeatis aqueam sapientiam, qua liceat uobis per omnes sinus maris discurrere. Sed nisi hæc omnia in Deum dirigat homo, uiuit adhuc aliqualiter bestiam, sicuti Salomoni (quamuis esset sapientissimus) euenit: ideo dicitur, quòd factæ sunt bestiæ, & iumenta, iuxta genus suum: Si autẽ
Psalm. Deo uiuit, ipsi immediatè succedit sexta ætas cum senectute illa, de qua in psalmo dicitur: Exaltabitur, sicut unicornis cornu meum, & senectus mea in misericordia uberum. Mirum in modum, quãdo deficere credebatur in senectute, exultat se accepisse rhinocerotis uires: Et quando sterilis putabatur, eam uberrimam fuisse iucundatur: Quod paucis contigisse legimus, ut robustiores in senectute effecti fuerint. Sunt tamen, qui in senectute non deficiant à robore uiriũ spiritualiũ, ut de Mose prouectæ, & maturæ ætatis scriptum est in calcè legis non sine mysterio, quòd cum esset centum & uiginti annorum non sunt diminuti eius dentes, nec caligauit eius oculus: quia nec in speculatiua, nec in operatiua uirtute usque ad extremum defecit. Et in huiusmodi sexta ætas, & senectus fœ
CHRISTVS. licissima est: quibus nostra requies ait: Ego uobiscum sum usque ad consummationem sæculi mundani, & uestri. Et sicut mundus in ultima ætate donatus est perfectioribus charismatibus, sic & humanus mundus gratia sanitatum, uirtutum, miraculorum, & omnigenæ perfectionis: quæ potius donatur in uitæ termino, quàm in principio & medio. Et hi mentem adipiscuntur: quæ ut in pluribus sero aduenit: Qua mente adepta, decorantur etiam perfecta Dei imagine, & similitudine: Vndè reliquum sibi est, ut consummato cursu coronam iustitiæ
Paulus accipiant cum Paulo, qui ait: Non solum autem mihi, sed & his, qui diligunt aduẽtum eius. Et hanc accipiũt in illo septimo, & requie perfecta Christo: per quem tandem ueniant ad octauum, undè progressi sunt, consummato cursu, perfectáque harmonia, & conducto concinno, & suauissimo diapason. Nec sine mysterio hæc septima dies, in qua perfecta quiescere debent omnia, ponitur sine uespere succedente: quia tũc nox non erit ultrà, neque dolor, neque defectus: sed quiescemus in luce perfecta, & perpetua, sicut rogauit ꝓ nobis ipsa requies no-
CHRISTVS. stra dicens: Pater, quos dedisti mihi, uolo ut ubi sum, & illi sint mecum: & uideant claritatem, quam dedisti mihi ante mundi constitutionem: & semper durabit absque aliqua tenebrarũ admixtione. Benedixitq; huic ætati septimæ, & requiei, iuxta quod promisit se dicturũ in septima mundi ætate: Venite benedi-
Idem cti Patris mei, possidete paratum uobis regnum à constitutione mundi.

Christus est uera requies, & uerum sabbatum. Cap. XII.



T ab interpretatione uocabuli exordiamur sabbatum à שבת uenit, quod requiem significat: Quae cum in continuo motu, & peregrinatione uitae huius haberi non possit, ideo inquit Paulus: Festinemus ingredi in illam requiem, quae est patria coelestis, & uita aeterna, & quis eam dabit, audiamus nostrum Christum: Ego (inquit) ueni, ut uitam habeant, & abundantius habeant: Et iterum: Oues meae uocem meam audiunt, & ego uitam aeternam do eis, & non peribunt in aeternum, nec rapiet eas quisquã de manu mea: quia requies illa erit aeterna, à qua nemo rapi, nemo extrahi poterit. Et erunt (inquit Isaias) in requie opulẽta, in tabernaculis fiduciae: Quibus uerbis & abundantia, & securitas denotatur: Et utrumque dabit noster Iesus uera omnium requies ex infinita illa participata essentia. Hinc postq̃ uitam, & foelicitatem promisit, & hanc aeternam subintulit: Pater meus, quod maius est omnibus, dedit mihi, essentiam uidelicet, ut omnes interpretantur, & obiectum, in quo omnes beari debent: Quod in ipso literarum mysterio comprehendi potest, si quis mysteria sacrarum literarum degustauerit: Nam in hac dictione שבת est ב litera, quae est sigillum summae sapientiae, qui est Deus Filius: Et est ת ultima litera rationem finalem designans ש autem principium שבת sabat pro tota dictione accipitur, sicut est tritus modus accipiẽdi apud Hebraeos quod sabbatum requiem significat. Si totum itaque texatur, hoc importat: sapientia, uel Deus Filius est finis, & requies: Quae quantum conueniant Christo, Paulus cum Hebraeis horum sacramentorum peritis disserens deponit: Ingrediamur (inquit) in requiẽ, qui credidimus: quemadmodũ dixit: Quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam. Superest igitur introire quosdam in illã: sed hi, quibus prius annuntiatum est, non introierunt propter incredulitatem. Et cũ perfectis operibus ab institutione mundi dictum sit: Et requieuit Deus die septimo ab omnibus operibus suis: Et hîc rursum, si introibunt in requiem meam, & determinat diem quendam dicendo hodie, in Dauid uidelicet post tantum temporis: Ait enim, Hodie si uocẽ eius audieritis, nolite obdurare corda uestra: Nã si eis Iesus requiem praestitisset, nunquam de alia loqueretur: Hac die itaque relinquitur Iesus sabbatissimus populo Dei, qui ingressi sunt, aut ingredientur in requiẽ eius: in qua ipse quiescit, sicut Deus ab operibus suis: Festinemus ergo ingredi in illam requiẽ. Ecce quàm clarè, quàm lympidè testatur, & probat Apostolus Christum esse nostram requiem: Quem longo sermone sequitur Augustinus contra Manichaeos: In Christo enim tanta requiescit plenitudo diuinitatis, ut omnia, quae in antiqua lege diuersissimis rationibus partita uidebantur, multigenis sacrificiis, quamplurimis praeceptis, inexplicabilibus caerimoniis, hoc unico tantum absoluuntur fine Christo Iesu: qui (ut idem Apostolus docet) est author, & consummator fidei: & in quo omnia consummari, & quiescere debent: In hoc aetates, & tempora complentur, & clauduntur: In hoc laborantes om-

Paulus. CHRISTVS. Isaias. CHRISTVS. Paulus. August. Paulus.

nes quiescunt: Et (ut audacter loquar) in hoc quieuit & ipse Deus, cum omnia in ipsum direxerit. Nec enim uideo, quæ alia quies in Deo esse debeat: Fatigatus ne erat, aut lassus opifex summus, ut quiescendo refrigerium caperet? Quomodo iterum quieuit, cum dicat Filius? Pater meus usq; modo operatur, & ego operor: Si illucusque ambo operabantur, quomodo quieuerat Deus? An fortè filius, & Pater non erant iste Deus, qui mundum creauerat? Sed Ioãnes inquit: Omnia per uerbum facta sunt: Quod uerbum factum est caro, & habitauit in nobis, & illa eadem loquebatur. Et quamuis Moses dicat, quieuit. Et Christus dicat, usque modo operatur, non est Christus contra Mosem, nec Moses contra Christum, Imò pro Christo, & cum Mose Christus, qui ait: Est qui accusat uos Moses: Ille enim scripsit de me. Videamus igitur quid noster Moses de Christo scribat: Quod quidem faciemus, dummodo à nobis per ipsum auferatur uelamen, & reueletur facies, undè hoc primum cognoscere possimus, quòd Deum nunquam pœnituit, qui omnia nouerat, antequam fierent. Nec ingemiscit Spiritus, qui paracletus, & consolator aliorum dicitur: Nec ignorauit diem aliquem, uel horam ille, qui est in sinu Patris omnia eius secreta cognoscens: & etiã omnia, quæ sunt reclusa in homine: Sed seruauit scriptura consuetum modũ loquendi, quo nos in quotidianis sermonibus utimur: Dicimus enim lætum diem, quia nos lætos facit: politam linguam, quia uerba polita proferat, quietum tempus, in quo nos quieti sumus: & multa huiusmodi. Sic intelligitur illud Apostoli, quòd spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, quia nos reducit ad cor, & compunctionem, qua cum gemitibus ueniam postulamus. Sic & illud Saluatoris, De die illo, aut hora nemo scit, neque Filius, qui est in sinu Patris, ut sci re uidelicet faciat discipulos, inquit Augustinus. Similiter quando dicitur, Pœnituit me, hoc ideo quia punire uolebat malos: qua castigatione faciebat eos pœnitere, quamuis pœnitentia fuerit ipsis infructuosa. Pari modo & quieuisse dicẽdum est, id est præstitisse finem, qui Christus est: in quo quiescere, & pausare debemus: Quod quàm mirabili, & occulto modo tetigerit, & scripserit Moses in illa enarratione mundanæ fabricæ, Deo fauente, suo loco declarabimus. Hinc ipse Christus, & uerum sabbatum ait: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos: & inuenietis requiem animabus uestris.

[Margin: CHRISTVS. — Ioan. — Moses. — Paulus — CHRISTVS. Augusti. — CHRISTVS.]

Cur completis operibus quinq; dierũ dictũ sit, Vidit Deus ꝙ bonum: sed completo opere sexti dictũ sit, Et erant ualde bona. Cap. XIII.



[Margin: Augusti.]

On sine industria (ut cum Augustino conueniam) dictum est in sexto die: Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant ualde bona: quia si unaquæque res habet in genere suo mensuras proprias, numeros, & ordines, quanto magis omnia simul, & uniuersitas ipsa, quæ istis singulis in unum collectis cõpletur? Omnis enim pulchritudo multo laudabilior est in toto, quàm in parte: Nam maior pulchritudo est totius corporis, quàm nasi, aut oris, uel genarum: Et pulchrior est sermo compositus ex dictio-

nibus, & clausulis suis, quàm sint ipsa uerba, aut particulares sententiæ: Iucundiorque est cantus ex omnibus uocibus, & consonantia multorum, quàm unius tantummodo, quamuis sonoræ uocis. Sic mundi uniuersitas pulchrior, meliorque est, quàm ipsius partes, & membra: ideo completa fabrica dictum est, quòd omnia erant ualde bona, pefecta uidelicet in suo toto. Pulcher quidē hic sensus, sed pulchrior (ni fallor) interpretatio in pulcherrimo Iesu: si uera docēt sapientes, quòd tantum res sunt, tantum bonæ, tantum denique pulchræ, ut addunt Academici, quanto magis summū ens, summum bonum, summumque pulchrum, à quo omnia pulchra, participant. Hinc dixere Theologi nostri naturam humanam perfectiorem esse post lapsum, quàm antea: quia Christo Deo unita, tanquam regio monili ornata est: diuinóque stemmate, & prosapia decora ex ipsius in ipso Christo regeneratione, & maiori cōmunione cum Deo. Cum igitur tantū unūquodq; pulchrius, & melius sit, quanto magis de summo pulchro, & summo bono Deo participat, ea, quæ in Christo pulcherrimo & optimo omnium productorum conueniunt, pulchriora, & meliora sunt: Ideo Christo, qui prædestinatus est secundum Apostolum filius Dei, in uirtute producto sexto die primo omnium creaturarum, & collocato in capite æterni uoluminis, ut sapientes nonnulli docent, & reductis omnibus in ditionem eius, recensitisque omnibus in eo, in quo complacuit summo Patri omnem plenitudinem inhabitare facere, tunc omnia meliori gradu pulchrefacta, & meliora effecta sunt, frugiferáq; in eo, cui Pater omnia dedit: & in quo si quis non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet: & in ignem mittetur, & ardet. Sic etiā & sacrificium, & sacerdotium, & omnia, quæ ad sacra pertinēt, susceperunt in eo suæ bonitatis incremēta, dicente Paulo, Christus aßistens pontifex futurorum bonorum per amplius, & perfectius, Et lōga procedit disceptatione cum Hebræis, & Romanis, demōstrans, ꝙ lex, sacerdotium, & sacrificia perfectiora effecta sunt in Christo incrementa meliora suscipientia: In ipso enim perficiuntur, magnificātur, & exaltantur omnia, ut sine mysterio non dixerit: Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum, & ipsa quoque exaltando. Qui uult ergo perfici, & exaltari, ipsi adhæreat, & seruiat: qui ait: Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eū Pater meus, qui in cœlis est: quia ubi sum ego, illic & minister meus erit.

Academ.
Theolo.
Paulus
Idem
CHRISTVS.
Idem

Consummatur perfectum diapason in octonario. Cap. XIIII.



SI ad octauū, & uerum diapason peruenire cupimus, oportet quidem, ut ad intima penetralia ingrediamur: Tunc enim ad octauū peruenimus, quando ad ipsum Deum, à quo processimus, reuertimur: ut dicere poßimus cum Christo: Exiui à Patre, & ueni in mundum: iterum relinquo mundum, & uado ad Patrem: Nam & nos ab eodem parente exiuimus in hunc mundum ingreßi, ut in eundem reuerteremur per sex dies, aut per sex ætates, uel progreßus: post quos dabitur quies, iuxta illud Apocalypsis: Beati mortui: q in Domino moriuntur, morte uidelicet iustorū, amodo

CHRISTVS.
Apocal.

iam dicit ſpiritus, ut requieſcãt à laboribus ſuis, in Chriſto ſcilicet, cui uiuũt mortui mundo. Poſt quam quietem (mira quippe res) ſequitur operatio ipſa quiete fœlicior, multum tamen diſtans à primæua operatione, imò quaſi ipſi oppoſita: Prior enim exitum à Deo concernit in Chriſtum, in quo perficimur, & quieſcimus: hæc autem reditum cum Chriſto in Deum, & unionem per ipſum cum Patre. Accommodatè quidem inter iſtos duos motus oppoſitos eo modo, quo diximus, datur quies media: quã docẽt naturales reperiri inter quoſcunq; duos motus cõtrarios: Sũt enim motiones contrariæ exitus, & reditus: ſunt & cõtrariæ operationes illarum: quia altera laborioſa quietem expectãs, altera nullã quietem appetit, nec offendit terminum: cum illa operatio, & continuus ingreſſus in Deum ſit ipſa quies, & uoluptas ſumma, ultra quam alia non datur: Et hoc ſecundũ genus operationis facit binariũ non illum materialem infauſtũ, ſed fauſtiſsimum, & uerum diapaſon conſiſtens in proportione dupla, cum ſeptem tamen interuallis, & octo limitibus. Et cum per quietem habitam in Chriſto, & per Chriſtum deuenerimus ad hanc ſupremam operationem, non eſt nobis amplius requiei dies ſeptimo, & ſabbatum celebrandum: ſed dies ille, in quo ſuccedit melior operatio, quàm prima, quæ eodem die à principio effecta eſt. Egreſſus enim omnium creaturarum à Deo, & operatio ipſius Dei in creaturas eas explicando cœpit primo die, & regreſſus in eundem Deum per reſurrectionẽ, & ſtabilem unionẽ eodem die exordiũ ſumpſit, qui idcirco dominicus, uel dominica dies dicitur: ideo ipſum ſabbatũ, & ſeptimus, & quietis dies in hanc octauam, & dominicam diem celebriorem quidem feſtiuitatem myſterio, atque arcano profundiſsimo commutata eſt. Ceſſant igitur meritò in nobis, quibus per ueram requiẽ Chriſtum datur regreſſus in Deum, omnes ſabbatariæ feſtiuitates ab antiquis celebratæ: qui expectabant uenire in ſabbatum, per quod ſolum datur regreſſus in octauam, ut ipſemet ait: Sine me nihil poteſtis facere: Et iterum: Nemo intrat niſi per me: Et quia Hebræi hoc ſabbatum, quod iam uenit ſuſcipere nolunt, nec per ipſum intrare curant, ideo nõ poſſunt deuenire ad octauam, ad quam deuenimus ſolummodo per ſabbatum Chriſtum, qui iterum ait: Per me ſiquis non introierit, ille fur eſt & latro: Per me autem ſiquis intrauerit, ad octauã uidelicet, ingredietur ad penetralia diuina, & egredietur ad ueſtibula rerum creatarum non ipſis ſeruiens, ſed per ipſas laudans opificem: & utrobique paſcua inueniet. In quo ſympoſio ſuauiſsimo perſentiet illum concentum gloriæ, qua Seraphini (ut Iſaias uidit) concinebant plenum eſſe cœlum, & terram, creatorem, & creaturam, opificem, & opus ex amore, & correſpondẽtia mutua ad inuicem.

CHRISTVS.

Idem

Quòd cœli in ſua reuolutione diapaſon perfectè cõducant. Cap. X V.



Vo ſunt in diapaſon conſideranda: Alterum, ſemper ad eundem tonum à quo recedit reuertitur: Alterum, quòd non eſt ille tonus eiuſdem clauis & naturæ: Fit enim à ſol in ſol, uel à re in re, ut muſicis

terminis utamur, & huiusmodi, ut patet: sed unum est de ♮ graui, Alterum de ♮ acuto, sicut habent in usu nouitiores musici: Vel (ut Græcos sequamur) unū est à proslambomenos, quæ adiecta dicitur, quia post omnes inuenta: alterum est in mese, quam nos mediam dicimus: Et ab hac usque ad nete hyperboleon, id est ultimam excellentiam est alterum diapason: Et eodem ordine in aliis terminis reperitur: in quibus est aliqualis identitas, uel conuentio cum differentia tamen: quia sunt diuersæ claues, & acutior tonus alius quàm alius, sed in natura summopere correspondentes: Sic & cœli suo circuitu quotidiano semper omnes ad eundem locum redeunt, à quo per punctum circuitus recesserant: non est tamen eadem reuolutio, neque illius diei, gradus, uel minuti: quia quodlibet cœlum aut planeta mutat gradum quouis die, uel saltem minutum, ut Mars, Iuppiter, & Saturnus: qui non prætergrediuntur gradum quolibet die, sed minuta aliqua: Cœlum autem stelliferum & si (ut opinantur multi) aliquali spatio mouetur à loco suo, complet & ipsum reuolutionem suam quolibet die rediens ad eundem locum per punctum, à quo recesserat: Qui omnes cœli istis suis reuolutionibus non tantum signant, sed fauent, ut omnia, in quibus influunt, hunc motum circularem sequantur, & ad id redeant, à quo processerant: Alia quidem per corruptionem ad terram, uel materiam, ex qua compacta sunt: alia uerò incorruptibilia per sequestrationem ab hac crassa materia reuertuntur ad illud principium, à quo emanarunt, sub alia tamen ratione: Processerunt enim ab eo, inquantum principium est, & tendunt in eundem in eo, quòd finis est: Idem tamen Deus est principium & terminus. Reuolutionem quoque suam diurnam faciunt omnes in 24. horis: quæ tres octauas, aut octonarios reddunt: qui ad inuicem comparati dant proportionem triplam: Nā 24. ter octo continet: Et hæc proportio constituit diapason, & diapente: ut etiam circuitus cœlorum concinnus sit, sicut & ipsorum distātia, & correspondentia motuū eorundem ad inuicem. Musici Græci.

De concentu cœlorum tam ex distantia, quàm ex consonantia motuum. Cap. XVI.



OElos esse consonantissimos non tantum ex motu, sed ex distantia, & conuentione adinuicem omnis ferè antiquitas attestatur. Cēsorinus, Plinius, & Eratosthenes distantias cœlorum ex officina Pythagorea assignantes colligunt terræ circuitū esse stadiorū ducentorum & quinquaginta duorum millium: Et quot stadia in terra sunt, tot in singulis esse stellis adiudicarūt, quis diuersarū dicātur magnitudinū: Sed hæc, ut minus opportunā controuersiā dimittentes dicimus, stadia hæc esse Italica cētum & uiginti quinq; pedū, nō olympica, quæ sunt pedum sexcētorū: nec pythica, quæ sunt pedum millenorū. A terra igitur ad Lunam sunt stadiorū centū & uiginti sex milia, & faciunt toni interuallum: A Luna autem ad Mercurij stel- Censo. Plinius Eratost.

lam, quæ ſtilbon uocatur, dimidium eius, ueluti ſemitonium: Hinc ad phoſphorō, quæ eſt Veneris ſtella, ferè tantūdem, hoc eſt aliud ſemitonium: Inde porrò ad ſolem triplum, quaſi tonum & dimidium, quod uocatur diapente: A Luna autē duplum cum dimidio, quod eſt diateſſaron: A Sole uero ad ſtellam Martis, cui nomen pyrois, tantūdem interualli eſſe, quantum à terra ad Lunam, idque tonū facere: Hinc ad Iouis ſtellam, quæ Phaëthon appellatur, dimidiū eius, quod facit hemitonium: Tantundem à Ioue ad Saturnum, cui phanum nomē eſt, inde aliud ſemitonium: Hinc uerò ad ſummum cœlum, ubi ſigna ſunt, itidem ſemitoniū: Itaq; ab ipſo cœlo ad ſolē diaſtema eſſe diateſſarō duorū tonorū cum dimidio: Ad terræ autē ſummitatē ab eodē cœlo tonos eſſe ſex, in quibus fit diapaſon ſymphonia, ut tota cœli machina enharmoniū quoddā ſit conſonantiſsimis diſtantiis diſtinctum, & concinnis numeris colligatum. Concentum igitur cœlorū ſuauiſsimum, & quos allegauimus, authores, & Pythagorei omnes eſſe affirmāt non tātum in diſtantia, ſed etiam in motu eorū conſonantiſsimū. Plato autē ad conducēdū modulamē hoc ſingulis orbibus ſingulas ſirenas inſidere dixit ſignificās (ut quidam de eius familia declarat) ſphærarū motus cantus numinibus exhibere. Hunc eundē concentū aſſerūt quotquot eius doctrinā profitentur, Proculus potiſsimè in Cratylo, & in Rep. & ſimul cū Chalcidio in Timæo. Ptolemæus autem cœleſtiū trutinator præcipuus in ſuo de harmonia inquit: Sol, & Luna primi geneſeos, & uitæ noſtræ moderatores certis numeris ſonoris cum aliis non tantum in motu, ſed etiam in effectu conueniūt. Et quia Iuppiter omnibus numeris fœlicibus Soli, pluribus autem Lunæ aſſociatur, Venus uerò omnibus Lunæ, pluribus uerò Soli coniungitur, ideo Iouē primū bonorū datorē, deinde Venerē decernit animæ, & corporis, Cui adſtipulatur Cic. in ſuo de natura deorū dicens: Cœlorū tantus eſt cōcentus ex diſsimilibus motibus, ut cū ſumma Saturnus refrigeret, his interiecta Iouis ſtella illuſtrat, & tēperat: Multáq; proſequitur de cōuenientia non tantū uirtutis qualitatiuæ, ſed operationū eorū cōſonantium ad mundi incolumitatem, rerumq; ſaltem per ſucceſsionem augmentū, uel ſtatū. Omitto etiā, quæ Boëtius in procemio arithmeticæ, Macrobrius in primo de ſomnio Scipionis, Albertus in ſex principia Porphyrij, & Stoici (teſte Iſahac in libro de diffinitionibus) tradunt. Sed potiſsimè ſubticeo, quanto myſterio in ſcriptura ſacra Hebraica, & propria lingua ſcripta accentus ſuper ſingulas ſyllabas motum, concentumq; cœlorū reſignent, quæ quanto profundiora ſunt ſacramenta, tanto magis uulgaribus occluſa. Pertranſeo quoque ea, quæ nouitiores hic diffuſe ſenſerint diſtinguentes cantica in tria genera ſenſuale, intellectuale, & diuinum: Ad quorum medium pertinet cœleſtis concentus, qui non ſenſu, ſed intellectu, & ratione percipitur. Nec grauiores uiros offendam, ſi adduxero ea, quæ coæui noſtri perſenſerunt, & cōprobarunt, atteſtatique ſunt de planetarum, & cœlorum modulationibus ex motibus ſuis magnis, & ſuper epiciclos prouenientibus, adeo ut omnis, qui hic exercetur concentus, horridus qui-

Pythag. Plato Procul. Calcid. Ptolem. Cicero Boëtius. Macro. Stoici Albertus. Iſahac

dam strepitus in illius cõparatione iudicari debeat, si cõparatio dari potest inter ea, quæ his craßioribus, & ea, quæ melioribus sensibus percipiuntur. Et hinc cum admiratione fidem præbui, quia illi mathematicarum rerum ignari tam doctè ea, quæ diuina luce prospexerant, exponebant, quàm nec peritißimi in illis disciplinis, nulli dubium, loquerentur. Nec mirum si ordinatißimæ mentes, & opifici conformes uident, & speculantur ea, quæ ab eodem ordinatißima processerunt: Hinc Paulus ad tertium cœlum, & ad ubera excelsa, quæ solebant lactere prophetæ, subuectus, quanto ordine summus omnium moderator cuncta mẽbra sui mundani instrumenti coaptauerit prospiciens, dixit: Omnia quæ sunt, à Deo ordinata sunt: ne uidelicet inordinata & confusione plena facilè dissoluerentur. Paulus

De consonanti fœcũditate in septenario numero planetarũ. Cap. XVII.

Mirum quippe uidetur, quòd planetæ, per quos omnibus rebus subministratur fœcunditas, distributi sint numero septenario, qui à peritis in formali aritbmetica, & potißimè à Pythagoreis dicitur numerus infœcundus, eo quòd infra denarium nec numerum generat, nec ab aliquo numero generatur: undè dicitur sterilis, & inde infœlix censetur, & infaustus. Si quis tamen recta trutina hunc numerum librauerit, nanciscetur illum fœcundum, & faustißimũ: Generatur enim ex primo pari quaternario, tanquam ex fœmina: & ex primo impari ternario, tanquam ex masculo: undè omnis fœcũditas, ultra quam alia non datur. Hinc postquam deuenitur ad septenarium, ulterior non fit progressus, sed mutatio aliqua semper in melius usque ad debitum incrementũ. De quibus mutationibus, quæ in homine fiũt per omnẽ septenariũ, amplißimè scribũt Chalcidius, Macrobius, Galenus, & alij: Quod cõprobatißimũ est in mũdi fabrica, in qua cũ deuenit opifex ad septenariũ, quieuit ulterius non progrediẽs, sed relinquẽs fabrefactis omnibus, ut per sua septenaria curricula & ipsa producerent. Hinc nõ erat necesse ipsum ex partibus aliquotis cõponi, ut pareret: quia ex primo numero masculino, & fœminino perfectã hauserat fœcunditatem: Sterilis tamen dicitur à Mathematicis, quia non parit numerum infra limites denarij: nec paritur à partibus aliquotis: Sed à secretioribus sapientibus fœcundißimus existimatur: cum ex ui fœminea, & masculea, quam cõtinet, det rebus fœcunditatem, & fructus. Planetæ igitur, atq; signa præstant rebus inferioribus fœcunditatem ex numero duodeno, & septeno: quorũ uterq; ex primo pari, & primo impari, tanquam ex masculino, & fœminino cõponitur, sed diuersimodè, ut statim dicemus: Et hinc quilibet planeta, & unumquodque signum masculeam, uel fœmineam naturam sapit: sed Mercurius utramq;. Perfecta autem fœcunditate in ipso septenario fit quies perfecta: Cõtinet enim hic numerus senarium primo perfectum, in quo facta sunt omnia, & septimum diẽ quietis, qui conuenit cum utroq; Saturno, cœlesti, scilicet & supramundano: & ab utroque sabbatum non infœcundum, sed terminus est præcedentis curriculi:

Pythag. Chalci. Macro. Galen.

post quem immediatè alius sequitur, in quo iterum fiunt operationes. Et hunc septenarium continens perfectissimè Christus uerum sabbatum nostrum nos (ut
Ioan. *diximus) ad octauum introducit. Hinc non modico sacramento Ioannes Spiritu subuectus uidit septem candelabra aurea, septem uidelicet planetas, & omnem septenariam uim: & in medio similem Filio hominis uestitum podere, id est talari uestimento omnia cooperiente usque ad talos, denotans, quòd ipse omnia peccata nostra, ignominiam, & nuditatem cooperuit: & perfecit opus, & completur ipsum usque ad extremum: & dat omnibus in medio existens genituram, & fructum, tam in prima rerum genitura, quàm in ipsarũ regeneratione. Hinc declarans se illam perfecisse, deducto opere ad calcem, clamauit: Consummatũ est. Est igitur septenarius fœcundissimus in rebus, quamuis in ipsis numeris sterilis, & infœcundus uideatur.*

De harmonica conuenientia septenarij planetarum cum duodenis signis. Cap. XVIII.



ET quãuis discrepãtia uideatur in numeris planetarũ, & signorũ maxima tamen cõuenientia est in radicè utriusq;, quæ est quaternarius, & ternarius: Qui si iungantur septenarium constituunt: Si uero alter ꝑ alterũ quadretur dicendo, Ter quatuor, aut quater tria, reddũt duodecim. Cõueniũt insuper planetæ cũ signis in uirtutibus qualitatiuis, & elementaribus, & melioribus uiribus, undè quilibet planetarũ habet in aliquo signo suum domicilium: & in aliquo suam exaltationem à quolibet illorum aliquam uim, & fomentum suscipiens. Nec minorem conuenientiam habent septem intelligentiæ præsidentes planetis cum illis duodenis mentibus: qui
Ioannes *signis duodecim præsunt. De quorum qubuslibet Ioannes meminit in Apocalypsi, in cuius fronte ait: Et à septem spiritibus, qui in conspectu throni Dei sunt: quos reperi præsidere etiam planetis. In calce autem uoluminis, ubi ciuitatis supernæ fabricam describit, testatur, quòd in duodecim portis eius erant duodecim angeli: Et idcirco ipsorum angelorum, planetarum, & signorum conuenientiam tetigimus: ut intelligatur quanta consonantia & ministri, & instrumẽta Opificis conducant nos in eundem. Sed & signa ipsa effecta, & dicta sunt portæ supernæ ciuitatis, illæ forsitan duodenæ, de quibus ibidem scribit Ioannes. Quomodo autem hæc signa sint portæ supernæ ciuitatis aliqualiter tangit Plato dicens, quòd Cancer est porta per quàm descendit anima ad corpus:*
Plato. *& Campricornus porta, per quã iterum conscendit in Deum: Hinc illam hominum, hanc uerò deorum portam dixere. Sed si duodecim sunt portæ (ut Ioan-*
Ioan. *nes perhibet) æquatæ cum duodecim, signis, aut illa signantibus, quodlibet illorum signorum dicetur porta, sed quomodo, breuiter percurremus. Est enim porta Aries, & Taurus, qui offeruntur pro peccato, sine cuius purgatione illuc nemo intrare potest. Hinc deuenitur ad Geminos charitatis actus, Dei, scilicet & ꝓximi: Quæ bina charitas roboratur in brachiis fortissimis Cãcri, qui-*

bus homo cōplectitur omne obiectū diligibile: Postea mirum in modum efficitur ualidissima in Leone animaliū potentissimo: Quo deueniens homo debilitat suū animal in seruitutem id redigēs, sterileq́; reddit per Virginem: Sed in Libra pōderat utriusq; uires, & actiones recogitās quotidie, quæ sunt maiora, & ualidiora opera, aut secundū spiritum, aut secundū carnē. Venit postea ad fœlicem Scorpionē, de quo supra diximus: q mordeat cauda, id est fine omnia opera mala, sicut mysticè præceptū fuisse legimus Mosi: ut serpētem, & suggestorem malorum operum apprehenderet per caudam: Vidensque quanta sit serpentis malitia, arrepto arcu, & sagitta feriat illum per Sagittarium: Venietq́ue ad Capricornum Saturni domicilium Deo uacans per contemplationem, mente intuēs cœlum figuratum per pelles caprarum, ex quibus fieri iussum fuit coopertoriū tabernaculi: Et inde pergat ad aquas illas, quæ supra cœlos sunt, quarum porta est Aquarius cœlestis: Nam per aquas eleemosynæ, & misericordiæ, quæ opera cœlestia sunt, deuenitur ad aquas diuinæ gratiæ, pietatis, & sapientiæ: Et tandem applicabimus ad pisces, qui in eisdem aquis nutriuntur, denotatos per pisces, quos comedit Christus iam in meliorem sortem per resurrectionem mutatus: qui simul cum uitulo & aue (ut docetur in Theologia Hebræorum) parantur in conuiuium pro iustis. Hæc pauca perstricta sint ex multis, quæ possemus dicere de istis portis supernæ ciuitatis, & de inducētibus, & attrahentibus nos in eas: ut ex istis paucis intelligamus, quòd omnia inducunt nos in Deum, angeli, cœli, planetæ, signa, & quicquid ex supernis est: sed potissimè ratio, & conditio hominis, in quo coaceruantur, & concluduntur omnia memorata. Thе. he.

De uera cœlorum harmonia, quam aliqui non intelligentes falsò negant. Cap. XIX.

SVnt uiri grauissimæ authoritatis, qui modulamenta cœlestium orbium ridicula penitus existiment: eo q nō auditur ille sonus, nec sensu aliquo percipitur, nullatenus sibiipsis persuadentes, quomodo ex triplici motu illo uelocissimo in aëre spisso, uel igne non resonet cœlestis chorus, aut concentus non audiatur. Hinc abstulerunt simul cum Pythagora concinnium à motu naturali: & contra Pythagoreos omnes, & Academicos à motu uiolento, & diurno adhærentes in hoc suo Aristoteli huius harmoniæ inimico præcipuo. Sed ne in supremis speculatoribus huius uniuersi consonantissimi discrepantia sit, atque dissidium, facilè eos conuenire faciemus attendentes ad id, in quo dissident. Negant Peripatetici uocalem sonum his sensibilibus auribus perceptibilem: hoc sibi damus. Transeunt Academici: & Pythagorei à numero uocali ad naturalem, uel formalem, & in intimo rationis sensu pedes, numerosque uniuersi digerunt: & uocalem harmoniam prurientem auribus tympano, lyra, organo, & humanis uocibus relinquentes, meliorem, quæ est in numeris, quibus opifex uniuersum disposuit, assumpserunt. Quod clarè exprimit Plotinus, quando nos docet redire in Deum per musicam dicens: Peripate. Acade. Pythag. Plotinus

Quamobrem post sensibiles huiusmodi sonos, numeros, & figuras sic ducere hunc oportet, ut materiam, in qua sunt proportiones sensibiles, & earum comparationes separet: atque pulchritudinem, consonantiam uidelicet formalem, quæ in his est, reducatur. Præterea addiscat ea, ad quæ mirabundus uehementer afficitur, non esse ipsum pulchrum, in quod tendimus: Adeo quòd illud nō est hoc, uel illud pulchrum, sed pulchrum tātummodo. Et quod de pulchro dicit Plotinus, idem prosequitur Augustinus de bono, dum inquit: Tolle hoc bonum, tolle illud: & considera bonum in se, si potes, & illud est summum bonum, in quod tendimus. Et inter summum bonum, summum pulchrum, summumq́ue concentum, & sensibile hoc bonum, pulchrum, & concentum est medius ille cœlestis, qui nō est sensibilis, & uocalis, nec simplicissimus, atque diuinus, sed medius, & rationalis. Harmonia igitur hæc extrinseca, atque uocalis quasi statua est, & imago quædam melioris harmoniæ ratione perceptibilis: Quam statuariam symphoniam, si quis in foris reliquerit, adoraréque contempserit, mittetur in caminum expurgantis ignis: ubi illustratus, ac inflammatus tres suas potentias ad uniuersorum contionem coaptabit: simulq́ue cum omnibus concinētibus tentabit discurrens per singulas creaturas usque ad summum opificem, quem trinum omnium authorem benedicet intellectus, ratio, & uoluntas: & aliquādo apparebit quartus, id est animal hoc nostrum simile effectum rationali: quia in melius transformatum, & ipsum quasi rationale, & legitimus filius prorumpit in Patris laudes, omnia creata, ut itidem faciant, simul inuitans sicut tres illi pueri, ut in Daniele legimus: & ante eos Dauid effecerat inuitans elementa, plantas, grādines, niues, pluuias, pisces, animalia, stellas, cœlos, & ultra mūdanas aquas in laudem opificis. Et ut cantica diuina mundana, atque cœlestia accommodato stylo exprimerent, ipsi, & alij prophetæ diuerso metro sua scripta deprompserūt: ut Hieronymus, Eusebius, & alij peritissimi attestantur. Iob (ut eidem Hieronymo placet) prosa incipit, uersibus hexametris dactylo, spondeoq; currentibus procedit, & propter linguæ idioma crebrò admittens & alios pedes non earundem syllabarum, sed eorundem temporum: Interdumq́ue rythmus ipse dulcis, & tinnulus fertur numeris pedum solutis, quod metrici magis quàm simplex lector intelligunt. Sed alij probare nituntur, certis adinuentis regulis metricæ artis in illo idiomate, progressum illum Iob totū hexametris esse carminibus: ut Romæ mihi nuper monstratum fuit. Dauidem autē Hieronymus præfatus Pindarum, Alcæum, Flaccum & Sirenum uocat: quia diuersis metris procedens simul cum lyra Christum personat, & psalterio decachordo ab inferis excitat resurgentem. Salomon dilectus Domini epithalamium sanctarum nuptiarum hominis cum Deo, Christi cū ecclesia, utriusque testamenti ad inuicem, scripturæ cum sensu mystico, ex harmonia utriusque mundi cum archetypo resultantem consonantiam pulcherrimo carmine decantat in eo opusculo, quod meritò Canticū canticorum denominat. Concentum uerò, & unionem archetypi cum paruo

Marginal notes: Idem August. — Daniel Dauid — Hieron. Eusebi. Hieron. — Idem — Salomon

műdo in uentre mulieris celebratum, laudesque mulieris ipsum gestantis hymno mirabili præcinit. Ieremias quoque suas lamentationes tragico carmine decurrit: Et (ut nonnulli asserunt) Isaias etiam metrico quodam ordine procedit. Tota autem scriptura siue uersu, siue soluta oratione accentibus suis (ut diximus) magno mysterio cœlorum resignat motum, atque cōcentum. Hos itaque Deificos uates, & scriptores sacræ paginæ imitati, lõgis tamẽ passibus, ueteres Theologi gẽtiũ Orpheus, Aglaophemus, Empedocles, Parmenides, Heraclitus, Lucretius, & alij naturalia, diuináque modulamina numerosis carminibus exprimere conati sunt: ut & stylus cum materia conueniret.

Ierem. Isaias

Orph. Aglao. Emped. Parme. Heracli. Lucre.

De concordia cœlorum cum supernis mentibus. Cap. XX.



VLtra ea, quæ superius de syderum conuenientia cum angelis dicta sunt, hoc etiam percurrendum censeo, quòd ipsi angeli mouentur à Patre, qui est fons, & origo, & primus omniũ motor. Hinc Dionysius: Gaudent omnes mouente Patre. Illi itaque à Deo moti mouẽt orbem: & isti corpora nostra, cæteráque inferiora disponunt ad eam consonantiam, quam iubet ipse primus omnium motor. Vt igitur illæ motiones, & influxus essent concinni accommodatas intelligentias unicuique orbi, & singulis stellis præposuit, Septẽ illos supremos totidẽ planetis, ut diximus, & duodecim duodenis signis, & toti illi orbi, atq; planetis cœlorum Reginam, quæ ideo coronata dicitur duodenis stellis pro numero signorum, & plurimis septenariis decorata, plenáque innumerabilibus charismatibus, sicut cœlum stelliferum plenum est innumerabilibus stellis: Et quia cœlorum omnium, & angelorum eis præsidẽtium uirtutem continent, ideo merito exaltata asseritur super omnes choros angelorum. Primum autem mobile à primo mouente regi debet: & per ipsum cæteri orbes: quibus tamen particulares ministri deputati sunt, per quos, & per instrumenta cœlica omnia inferiora, & particularia disponat summus ille moderator, hac tamen lege, ut superiores ministri, & summo regi propinquiores paucioribus, magis autem distantes pluribus motibus moueant: Et consequenter illi fœliciores sunt magis cum summo uno adhærentes, quàm isti, sicut docet Aristoteles, Albertus, Ptolemæus, Mestalac: sed potissimè Academici cum diuo nostro Dionysio. Et quamuis inferiores pluribus agitentur motibus, in eãdem tamen consonantiam deueniunt ui primi unici, & uniformis motus ab eodem unico mouente. Hinc primo, & unico magis adhærẽs est ipsa cœlorum Regina paucioribus agitata motibus, uim tamen omnium in se colligens, ipsamque collectam diffundens primo in duodecim principes Apostolicos, & consequenter ad particularia descendendo in quamplurimos, sicut uis illa stelliferi cœli diuiditur in duodecim signa, & consequenter in stellas innumerabiles: & sicut uis animæ collecta primo in cerebro per collum unicum canalem, quod in corpore mystico ecclesiæ typum gerit beatæ Virginis (ut docet Hieronymus) descendit ad duode-

Diony.

Aristote. Albertus. Ptolem. Mesta. Acade. Diony.

Hiero.

nos præcipuos articulos corporis, & inde ad plures, & magis particulares, Non minus eadẽ uirtus reperitur in capite Christo collecta, & diffusa in duodenas, & postea in quamplurimas partes, dicente Ioanne: De plenitudine eius omnes accepimus, ut in sequenti uolumine, Deo fauente, latius reserabimus. Per Christum itaque, tanquam per uirtutem masculeam, per illam autem, tanquam per fœmineam fit hæc profusio: Qui in isto corpore mystico coniuncti sunt, sicut caput & collum, aut sicut coniuges in carnem unam, ita illi duo in spiritum unum, sicut de omnibus desponsatis, aut adhærentibus Deo inquit Apostolus: Qui adhæret Deo, unus spiritus efficitur cũ eo. Hæc supra adducta tetigimus ut discant legentes quanta consonantia ab omnibus, quamuis diuersis, ab uno tamen motis deducamur in eundem unum: Nam sicut particularis homo est unum indiuiduũ, & ad unicum finem directum, quamuis uariis distinctum mẽbris, & motibus, sic unica hæc fabrica, & mundanum corpus diuersis, & accommodatis membris distinctum unicum est, motum ab uno motore, in eũdemque finem distinctum, quamuis in partes plurimas uideatur diuisum. Omnia itaque in Deum tendunt: & in eundem nos dirigunt, licet uideantur ad diuersa suos gressus dirigere: Et tandem illò conducent, nisi nosmet libero animi arbitrio obsistamus ipsis omnibus inuitantibus, deducentibus, & attrahentibus.

Ioan.

Paulus

Omnia in eundem deducunt, quia ab eodem suscipiunt, undè influant, quãuis influxus uideatur diuersus. Cap. XXI.



Vomodo autem omnia eundem influxum, & ab eodem fonte per diuersos tamen canales suscipiant, ut in eundem pergant, quamuis diuersis semitis, difficilius erit explicare, quàm asserere: Nam rei ueritas est, in quam expeditis pedibus ueniunt Philosophi cum diuinis nostris sapiẽtibus, quòd omnia bona de sursum à summo Bono, & Patre luminũ procedunt: Sed quomodo, difficile quippe explicatu est, probibente Platone ad particularia descendere, tamen collustrante ipso Patre luminum aliqua pro uirili nostra explicabimus, prout ipse Plato, & antiquißimi Theologi docent, omnia uidelicet catena quadam colligata, adeo, ut inferius semper à superiori suscipiat, & superius à supremo, sicut aliqualiter in præcedentibus reserauimus: Habet enim herba, uel lapis suam uim subministratã à cœlo: cœlũ ab intelligentia: intelligentia autẽ ab opificè, in quo omnia uirtute maxima præexistunt: Et semper eodem ordine unaquæque res alteri correspondet: Quod innuitur ab artificè summo in Exodo, quando iubet, ut unaquæque cortina tabernaculi, quod mundanæ huius machinæ typum gerebat expreßißimũ, coniuncta sit cum sorore, aut socia sua. Iunguntur enim elementa, & mixta omnia cum cœlis, syderibus, & intelligentiis suis: & per ista media cum archetypo, in quo sunt omnes annumerationes, & omnia exemplaria rerum. Sed cum supra satis explicauerimus: quomodo res singulæ ad suos planetas, & sydera referantur, à quibus uim, & uirtutem suscipiunt, nunc percurremus colligationes planetarum cũ

Plato

Exod.

mensuris supremis: ut inde prudens, & intelligens lector percipiat omnium inferiorũ conuenientiam cum summo: Mansiones enim in domo Patris quãplurimas esse testatur infallibilis Veritas: sed antiquiores Theologos sequentes decem illas uenerabimur, undè denarius numerus, quo non datur ulterior. Luna *itaque, in quantum est omnium superiorũ influxuum receptaculum, ultimæ annumerationi respondet: aut primæ in ascendendo: quæ nunc terra uiuentiũ, nunc tabernaculum, nunc* Luna*, nunc receptaculũ, & sinus omnium influxuum, nunc autẽ regnum dicitur: de quo in psalmo canitur:* Regnũ *tuum regnum omnium sæculorum:* Et *iterum:* Regnum *ipsius omnibus dominabitur.* In *qua mansione existẽs ille, qui semper ubique est, uocatur* אדני Adonai, *aut* מלך *melec, id est* Dominus *aut rex.* Sed *in eo, quod ipsa* Luna *particularis est planeta, habet suam uim à secunda annumeratione, quæ* יסוד *isod, id est fundamentum dicitur, &* Deus *uiuus, uita mundi, & dispositor rerum omnium, sicut* Luna *corporum inferiorũ:* Et *ibi* Deus *uocatur* שדי *sadai, quod nos omnipotentem, uel sufficientem omnibus satisfacere possumus interpretari: de quo habemus in psalmo:* Qui *habitat in adiutorio altißimi, in umbra sadai morabitur: ubi traductũ est, in protectione* Dei *cœli commorabitur:* Quod *nomen cum uideatur magno mysterio siluisse, ideo aliud illius loci nomen aßignandũ est, quod* אל חי *el chai dicitur, quod nos* Deum *uiuum interpretatum habemus : cum inde, aut per ipsum à superiori fonte, siue à supramundano sole uita omnium procedat, sicut per lunam uitæ fauor à sole profunditur.* Mercurius *respondet secundæ annumerationi particulari denominatæ* הוד *hod, quod apud nos ornatum, decorem, aut celebritatẽ sonat: de quo propheta:* Confeßio, *& pulchritudo in conspectu eius,* Pro *quo melius diceretur:* Celebritas, *uel ornatus, & decor in conspectu eius:* Et *iterũ:* Confeßio, *& magnificentia opus eius: sed ut ueritas literæ habet :* Celebritas *, uel ornatus, & decor opus eius:* Et *hic* Deus *influens uocatur* יהוה צבאות Adonai Zeuaot, *id est* Dominus *exercituum:* Quod *nomen non belli, sed pietatis est, & consonãtiæ, & suauitatis:* Ad *quã inferiorẽ inferior* Mercurius, *& ad quã superiorẽ superior* Mercurius *inducit.* Venus *autem à* נצח *nizach habet suam uim, quod interpretatum dicitur uincens, aut uictoria, aut perpetuum: & ponitur uerbum hoc in titulis plærumque psalmorum:* Amor *enim omnia uincit, & deducit opus usque ad calcem, omni paruipenso labore, & pro nihilo habito:* Illic *uero influens* Deus *dicitur* אלהים צבאות Elohim Zeuaot, *id est* Deus *exercituum:* Quod *nomen est* Dei *ordinantis, uel fabricantis, & ulciscentis iudicij per bella, siue per alias punitiones.* Nec *miretur quispiam, quòd* Venus *in belli uirtute collocetur, quia omne bellum iniustum à* Venere *deprauata, id est nimio amore proprio, uel inordinato procedit:* Sic *& omne bellum iustũ à recto amore, & bona* Venere *procedit: quia iustè bellatur* Dei *zelo, uel pro releuandis indebitè oppreßis, quos diligimus.* Sol *autem cœlorum cor cum* תפארת *tipheret archetypi corde conuenit:* Quod *pulchritudo, aut pulchrum illud interpre-*

Dauid

Psalm.

Idem

Psalm. tantur, à quo omnia pulchra: de quo in psalmo suprà adducto: Virtus & tiphe-
ret, id est pulchritudo in sanctitate, uel sanctuario eius: quod in medio totius
Deifici templi tanquã Sanctum sanctorũ est: Pro quo in traductione nostra ha
bemus sanctimonia, & magnificẽtia in sanctificatione eius: Et sicut sol iste sen-
sibilis omnia splendescere, & pulchra apparere facit, sic ille diuinus cuncta pul
Socrates chrefacit illa pulchritudine, quam Socrates ab Hyppia perquirebat: In qua glo
ria, & pulcherrimo throno residẽs Deus dicitur יהוה, tetragrammus, & qua-
driliteris: quod cũ ineffabile, & inexpressibile sit, sicut & eius pulchritudo, &
gloria, quando legitur, exprimitur sub nomine Adonai: Sed cum istud nomen ali
bi reperiatur, præponitur & aliud particulare, quod est ו דעת uau dahat, qđ
in nostram linguam uersum sonat uau, quæ est litera uitæ, & scientiæ, id est ui-
ta & scientia, & accommodatissimè, cum inibi sit arbor uitæ, & scientiæ boni
& mali, quæ est Iesus Messiah. Mars à גבורה geburah, quod robur significat,
Dauid habet robur suum: de quo propheta in hymno centesimo quadragesimoquar-
to suprà adducto ait: Potentiam tuam pronuntiabunt: ubi habetur גבורתך ge-
burateca: Et quod potissimè ibi exercetur, dicitur דין din, id est iudicium du-
Psalm. rum, & seuerum: de quo etiam in psalmo: De cœlo auditum fecisti iudiciũ ubi
habetur דין terra tremuit, & quieuit: quia tremebũdum est: Et ab illo per Mar
tem ueniunt seueræ punitiones, & strages, belligeriq; uiri. Hinc & Deus exer
Exodus cens potentiam suam puniendo flagitiosos dicitur uir belli, ut in Exodo, Et in Ie
Ierem. remia habetur: Dominus mecum tanquam bellator fortis, uel tanquam robustus
confractor, propriè interpretando illud כגבור עריץ chegibur bariz: Quod of
ficium exercens ipse Deus dicitur אלהים Elohim: Et angeli ibi seruientes di-
cuntur filij Elohim. Iuppiter uerò sic dictus, quia omnes iuuat, semper beneficus
cum illa mansione conuenit, quæ חסד chesed dicitur: quod misericordia, pietas,
uel clementia potest interpretari: Qua summus Deus omnibus beneficus dura,
& aspera semper contemperat in omnibus suam benignitatem diffundẽs, iuxta
Psalm. illud psalmi: Misericordia eius super omnia opera eius: Et ibi operans Deus di
citur אל el, quod nos interpretatum habemus Deum: quia omnia fouet, & om-
nibus succurrit cum summa pietate, & clementia: quod est ei proprium. Satur
num autem reperimus suscipere quicquid habet à בינה bina, quod intelligentiã
Ecclesia sonat: ubi præcipuè residere dicitur Spiritus sanctus: de quo in Ecclesiastico:
Et spiritu intelligentiæ replebit illum: Qui etiam dedit prophetis, & apostolis
rerum secretarum intelligentiam: A quo loco Hebræi susceperunt suum sabba-
tum, & diem septimum utrique Saturno cœlesti scilicet & supramundano dedi
catum: Et inde remissiones, & anni quietis, & iubilei per septenarium simplicẽ,
aut quadratum: Quæ omnia Deus operans dicitur ה יהוה id est litera ה he
cum nomine ineffabili, & quadrilitero: de quo fari nos uetat mysterij magnitu
do. Stelliferum cœlum subest חכמה chocmah, quod sapientia illa suprema est
quæ est Dei filius plena ideis, & formis rerum omnium producendarum, &

productarum, sicut cœlum illud est plenum syderibus uim omniū in se continens: ut pauloantè diximus: In quo throno Filius ad dexteram Patris sedens, & ipse Deus nominatur יהוה י quod est ipsum semaphoras, & quadriliterum simul cum י iod, litera quidem significante ipsam diuinitatem simplicißimam. Primum uerò mobile primo mouenti, & fonti omnium rerum respondet: qui omnia mouens trahit ad se omnia, ueluti centrum omnes lineas circunferentiæ in se conducit: Centrum est enim & circulus, & sphæra omnia complectēs, & complens, & omnes lineas in seipsum conducens: Quem attractum non auderem ascribere Patri summo, nisi eius me doceret Filius dicens: Nemo uenit ad me, nisi Pater meus attrahat ipsum: Quā uim attractiuam cum habeat Filius à Patre, ideo dixit: Cum exaltatus fuero à terra omnia traham ad meipsum: In qua suprema sede residens Pater summus dicitur אהיה אשר אהיה quod nos interpretatū habemus, Ego sum, qui sum, sed melius diceretur ad sensum literæ, Sim qui sim: Vel secundum aliam uiam nomen eius est solummodo אהיה quod simplicißimū esse diuinitatis sonat, de quo effari non licet: Vndè à peritis cognominatur ראה עין לא hain lo roeh, id est oculus non uidet: quia nemo nouit Patrem, nisi Filius, & cui uoluerit Filius reuelare. Solum igitur hoc dicam, quòd cum nominetur ille, qui est, aut sum, qui sum, Pater luminum intelligitur: à quo (teste Iacobo) omne datum optimum, & omne donum perfectum emanat, per diuersos tamen canales in omnia inferiora influens, ut omnia ipsi cooperentur, præstat, quo omnia cōducibilia in ipsum conducantur. Hinc omnes orationes in ipsum dirigi debent: ut ille docuit, qui solus ipsum agnouit dicens: Cum oraueritis dicite: Pater noster: Et sæpius repetens hortatus est, ut à Patre omnium bonorum largitore petamus: Qui sua clementia dirigat nos in eundem finem, propter quem, & ad quem aspiciendum instituti sumus.

CHRISTVS. Iacobus CHRISTVS.

CANTICI PRIMI FINIS.

Canticum ſecundum, quod NOVVM DICITVR, IN QVO OMNIA IN CHRISTO MVLTIPLICI CONSONANTIA CORreſpondere demonſtrabimus dulcioribus modulis, quàm articuli, & membra in mundano, aut humano corpore.

PROOEMIVM.



David VM *in plæriſque locis.* P.B. *& ſæpius repetitum cōſpiciamus à* Regio *propheta in ſuis hymnis illud iucundum (ut ita dicamus) celeuma,* Cantate Domino *canticum nouum, perquirebam, an aliqua noua facta ſint nouo decantanda cantico: cum non aliud cœlum, aut ſydera nouo ſplendore micātia uideamus:* Nec *alia curricula ſolem per diem, &* Lunā *in nocte peragere:* Nec *aliis horis diem diſtingui, nec nouis incrementis æſtatis tempus proficere, aut recentibus decrementis brumali tempeſtate deficere:* Nec *noua aliqua animantia, aut nouas aliquas rerum ſpecies cernimus:* Et *ut breuiter cum* Sapiente *concludamus, nihil ſub ſole nouum:* Nihilominus *cœleſti oraculo docemur omnia noua tempore redemptoris effecta fuiſſe:* Dixit *enim, qui ſedebat in throno (inquit* Ioannes *in celeberrima uiſione)* Ecce *noua facio omnia.*

Ioan. Paulus Et Paulus, *in cuius pectore* Chriſtus *ipſe reſonat, cum* Coryntbiis *differens ait:* Vetera *tranſierunt, ecce noua facta ſunt omnia.* Hinc *docet nos nedum nouo cātico, ſed nouis operibus, nouaque uita* Deum *laudare, dum ait:* Expoliantes *ueterem hominem cum actibus ſuis induite nouū: qui renouatur in agnitionē* Dei *ſecundum imaginem illius, qui creauit illum.* Quæ *agnitio datur per uerbū, & lucem, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum: ut deturpatā imaginem illuſtret, & perpoliat, nouamq́ue quadammodo reddat: ut ſicut omnia per ipſum facta fuere, ita per eundem omnia renouarentur in homine: ut*

Idem docet nos idem Paulus *in* Coloſſenſibus *dicēs:* Qui *eſt imago* Dei *inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipſo condita ſunt uniuerſa in cœlis, & in terra, uiſibilia, & inuiſibilia, ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates, omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt:* Et *ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant:* Et *hoc quoad antiquum:* Sed *de nouo proſequitur dicens:* Et *in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare facere, & per eum reconciliari, ſiue recapitulari (ut* Græci *habent) aut renouari omnia, ſicuti eſt rei ueritas, pacificans, & renouans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cœlis ſunt dulciori ſono, & ſuauiori concentu, quàm fuerāt in-

stituta: Ideo (ut diuinus testatur Ioannes) cum hæc in plena gloria prospicerent Ioan.
sancti, cantabant canticum nouum: Quod & ministri ipsius Principis, *&* Re-
demptoris cognoscentes ad eius in hunc mundũ egressum de materno utero cla
ra uoce præter solitum cecinerunt dicentes: Gloria in excelsis Deo, *& in terra* Angeli
pax hominibus bonæ uoluntatis: quibus uidelicet datur innouatio, & unio cum
Deo, *cui excelso sit gloria, qui tandem per filium omnia innouando reduxit ulti*
mum Dei *opus in seipsum noua quadam harmonia, nouáque, & miranda conso*
nantia: quam nec musici cognouerunt, nec Pindarus, *aut* Homerus *carmine, nec* Pinda. Homer.
Ligistus *lyra, nec* Orpheus *hymnis, nec* Apollo *sua cheli, aut testudine decanta-* Ligistus
runt: Nec *Philosophorum, aut sapientum mundi ingenia excogitarunt:* Sed *hoc* Orphe. Philoso.
solummodo nouit ille, qui hanc harmoniam conduxit, & spiritus eius, de quo di-
citur: Ille suggeret uobis omnia, & docebit uos omnia: Qui *non tantum docet*
extrinsecus, sed in animas sanctas se transfert, amicos, & concinnatores Dei,
& arcanorum eius instituit. Ipse igitur astitit sanctissimis prophetis, ut prælu-
dio quodam suauissimo hoc nouum canticum præcinerent: Ipseque docens, &
excitans nouos concinnatores, & ipsum nouum canticum clariori uoce decantã
tes nos in eodem aliqualiter redderet instructos, adeo, ut ab ipsis edocti, & eo-
dem spiritu corroborati ad ipsius cantici modulos manus possimus extendere,
& clarissima uoce auribus omnium intonare Iesum Christum Dei *excel-*
si filium nouo modo conceptum, nouóque modo natum, nouum eccle-
siæ corpus erexisse: Cui *nouæ militiæ nouum signum tradidit,*
nouam uitam, nouosque mores, & nouam doctrinam do-
cuit: nouum cibum præparauit: noua sacramenta in-
stituit: nouum dominiũ, nouumque principatũ
erexit, nouumque præmiandi modum:
Nouum *deniq; in* Deum *transitũ*
præbuit omnia innouãs: adeo,
ut de ipso scribentibus no
uũ sit nobis canendũ
canticũ, & hoc
octo tonis,
more no
stro,
tanquam diapason quo
dam nouo consum-
mabimus.



TONI CANTICI SECVNDI.


Hristus,& Mesiah est Dei sapientia, & verbum omnia ratione ideali continens, & homo existens omnia inferiora actu complectens. To. primus

Christus est vita,& sustentaculum omnium cuncta viuificans, & omnia ad se trahens. To. II.

Christus est verus sacerdos,verus panis,hostia,& sacrificium omnia purgans,& omnia pacificans. To. III.

Christus est summa veritas, & lux omnes docens, & omnia collustrans. To. IIII.

Christus pater omnium per veram regenerationem effectus,& caput corporis mystici in omnia membra influit. To. V.

Christus est finis,& complementum omnium operum omnibus dans, vt operentur. To. VI.

Christus est Rex regum , & summus Imperator omnia regens, & moderans. To. VII.

Christus est mediator: per quem omnibus datur transitus, vt in finem suum deueniant. To. VIII.

CAPITA PRIMI TONI.


Esiæh deitas rationibus comprobatur. Ca. Primum.

Idem corroboratur vaticiniis. Ca. II.

Quomodo sit in eo deitas,& verbum. Ca. III.

In eodem verbo continebantur omnia. Ca. IIII.

Ibidem omnia sunt numero,pondere,& mẽsura. Ca. V.

Cognitiones exemplares in mente summi artificis ideæ dicuntur, & sunt. Ca. VI.

Qui has ideas admiserint. Ca. VII.

Qui eas respuerint,& quibus rationibus. Ca. VIII.

Errores sunt,& non rationes,quæ contra eas facere videntur. Ca. IX.

Quid habeamus ex ideis. Ca. X.

Quòd omnis harmonia à verbo procedit. Ca. XI.

Quomodo istæ ideæ intelligantur à nobis. Ca. XII.

Rerum necessitas,& omne esse ab ideis dependet. Ca. XIII.

Ibidem sunt etiam ideę virtutum, & regulę,quibus cõformiter viuere debemus. Ca. XIIII.

Ibi sunt rationes moderantes honestas,& turpes actiones. Ca. XV.

Christus est verus homo diuinitate plenus. Ca. XVI.

Sicut Christus in eo quòd Deus, continet omnia uirtute, sic in eo q homo,continet eadem omnia in eundem excellentissima nota collecta. Ca. XVII.

MESSIÆH DEITAS RATIONIBVS COMprobatur. Caput primum.



ESSIAM CHRISTVM Vnctum nostrum fuisse, & esse Deum nedum testibus, & oraculis, sed fortissimis rationibus probare possumus: Nam facilem omnium consensum, & absque discrepantia uidemus, quòd Deus benedictus à se existens omnia habet à semetipso, ab alio autem nihil: Cætera autem omnia ab ipso habent, ut sint, & operentur: ideo dicebat magnus Theodorus, teste Proculo: Omnia orant, præter primum, & aliquid hauriunt ab eo, qui est à se: & est fons, & origo omnium: alioqui in nihil defluerent. Cum igitur cuncta & esse, & naturalem uim, & decus, atque ornatum habeant à Deo, omnia de ipsa diuinitate participant, sed diuersimodè: Omnia (inquit Origenes) habent à Deo Patre, ut sint: à spiritu uitæ, ut uiuant: à Filio, ut intelligant, & rationis portionem: à Spiritu sancto autem (qui tamen idem est cum spiritu uitæ) ut sancta sint. Igitur diuinum aliquod omnibus inest: In hoc quidem esse tantum aut simplex, aut compositum: In illo esse, & operari: In alio autem esse, operari, & intelligere. Sed aliis dimissis, de homine loquamur: cui omnia communicata sunt, ut perfectissimam Dei, & patris præ se ferat imaginem: Vndè merito Filius Dei dici potest, ut canit regius propheta: Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes. Et cum Deus sese magis communicet illi, quem excelsiorem, & perfectiorem efficere libet, condecens fuit, ut hunc, quem aliorum caput, redemptorem, regem, & æternum sacerdotem constituit, magis decoraret diuinitate, quæ oleum in sacra scriptura dicitur, ut iterum decantat propheta: Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis, adeo, ut excellentiorem omnium effecerit in diuinitate ipsa cõmunicata: Vndè per antonomasiã, & hyperbolen quandam dicitur Deus. Alia quoque ratio in prõptu est: quia cum homo diuinitatis capax, in qua sólũmodo quiescere, & beari potest, effectus sit, ad ipsam aliquando deuenire debuit: & cum eadem uniri: qua unione non tantum deducitur Deus in hominem, sed potius homo in ipsum Deum, cum sit omnimodæ uirtutis, & efficaciæ: Et quanto magis hic Deus unitur cũ aliquo, tãto magis reddit ipsum Deũ. Nõ mirũ igitur est, si hunc Messiam, & Christum, cui se præbuit ea plenitudine, & quam potest homo suscipere, talem reddiderit, ut merito Deum ipsum dicere possimus: qui & aliis dedit potestatem filios Dei fieri. Addamus & aliam rationem, quòd sicut omnia continentur, & recapitulantur in homine, ita omnia recapitulari, & couniri in Deo multo magis debuerunt per hominem: Per hominem quippe illum, qui inter alios primum tenere debebat, & obtinet locum: & qui omnia traxit ad se ipsum, ut ipsa omnia in Deum reduceret. Nec contendant aliqui dicentes, ꝙ ista unio non arguit diuinitatem in unito, sed coniunctionem tantum-

Theod. Procul.

Orige.

Dauid

Idem

modo: quia ipsa Veritas *summa, qualis sit istiusmodi unio, declarat, dũ ait:* Ro-
CHRISTVS. go Pater, *ut sicut ego & tu unum sumus, ita & isti unum sint in te.* Qualis autẽ
sit eorum unio, alibi exprimit dicens: Ego in Patre, & Pater in me est. Et iterũ:
Paulus Ego & Pater *unũ sumus.* Quod & Paulus *exerta admonet uoce*: Qui *adhæ
ret (inquit)* Deo *unus spiritus efficitur cum eo. Si omnes igitur unus spiritus ef-
fici possunt cum* Deo, *cur non erit unitus cum ipso ille, qui ex antonomasia dici-
tur* Meßiah, Christus, & Vnctus, *diuinitate uidelicet, qua adeo plenus erat, ut
de plenitudine eius omnes accipiamus?* Nec *enim (ut ulterius progrediar) debe
bat omnigena creatura homo reparari per alium, quàm per quem fuerat insti-
tutus:* Sed *omnia instituta, & effecta sunt per uerbum, quod factum est caro, igi
tur & omnia per ipsum idem reparari debuerunt.* Et *ut honorificentißimo libe
ratori deberent redempti angeli, & homines, omniáque in ipsis contenta: conue
niens fuit, ut liberator cui omnia manciparentur, omnium esset excellentißimus:
quod fieri nequit, nisi per magis participatam diuinitatem.* Nec *debebat resti-
tutio, & reparatio, quæ maioris æstimatur, quàm institutio, fieri per inferiorẽ,
quàm per quem institutio ipsa effecta fuerat:* Sed *hæc facta est per* Dei *uerbũ,
ideo debebat & illa per idem fieri, cum maius medium non haberetur, per quod
fieri potuisset.* Cũ *insuper tota humana creatura deliquerit, nõ poterat per de-
linquentem lapsus huiusmodi reparari.* Nec *per angelum fieri debuit, qui minor
à sapientibus existimatur quàm homo, cui datur super omnes angelicos choros
transcẽdere:* Quod *effici nequiret, nisi potentia præexisteret homo ipsis ange-
lis maior.* Nec *erat angelus, uel alia creatura, nisi omnigenus homo, unibilis cum
Idem omnigeno creatore, ideo dixit apostolus:* Nusquam *angelos apprehendit, sed se
men* Abrahæ. Peccatũ *quoq; ipsum cum fuerit in* Deum, *non potuit reparari, ni-
si per* Deum: Non *enim interfuit ignorantia: quia hæc data in pœnam peccati nõ
debebat culpam præcedere.* Nec *mera fragilitas fuit, quia nõdum sensualitas
rebellauerat:* Sed *affuit superbia, quæ fecit & angelos, & hominem ab opifice
suo apostatare: quia præsumpserat uterque uendicare sibi gradum eminentio-
rem, quàm ipsi cõpeteret:* Omniũ *enim creaturarũ conditionem æmulari conces-
sum homini fuerat, sed* Christi *uenturi nequaq̃.* Hinc *arbores omnes meliores,
& rationales, aut uirtutũ in cibũ permissæ ei fuerãt, præter arborẽ scientiæ bo
ni & mali, quæ* Christus *est: qui simul experiri debebat, & expertus est bonum
beatitudinis, & malum paßionum nostrarũ:* Quem *gradum non ex ignorãtia,
aut fragilitate, sed nimis ex cognitione lympidißima præsumens aggredi uoluit:*
Vndè *eius peccatum quasi in* Spiritum *sanctum fuerat: quod est omnimoda de-
speratio, siue nimia præsumptio, aut proterua malitia, uel crimẽ læsæ maiesta-
tis.* Quæ *scelera nullo sacrificio expiabantur, nec lege purgari poterãt, iuxta il
Paulus David lud* Apost. Ex *operibus legis nõ iustificabitur omnis caro corã illo.* Hinc David
*in scelus minus, q̃ crimẽ læsæ maiestatis se cecidisse ꝑsentiẽs, dũ psalleret, & pro
peccato suo deprecaretur, ait:* Quoniam *si uoluisses sacrificium dedissem, utiq;*

holocaustis non delectaberis. Et hæc peccata sunt, per quæ homo adeo nudabatur, ut nullum tegmentum arte, uel ingenio, aut uiribus humanis elaboratum, uel comparatum à natura ad tegendum sufficeret. Vndè non contentus Deus, quòd homo perizomate ex folio ficus contexto cooperuisset nuditatem suam, uestiuit eum tunicam pelliceam cõfectam quidẽ ex pelle illius Agni, de quo dixit Baptista: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et quòd de Iesu nostro redemptore loquatur scriptura illa, manifestum est ex reuolutione literarum textus Hebraici illorum uerborum: Et uestiuit eos: Et hoc secundum doctrinam Hebraicæ Theologiæ celebratissimam, hæc tamen, Deo fauente, suo loco reserabimus: Hinc nec humana uirtus, aut legale sacrificium poterat illud peccatum obtegere: Quæ cũ à scriptura sacra edoceamur, ideo uidendũ est, quid ipsa de hac Christi natiuitate perhibeat. Ioã. bap.

Idem corroboratur uaticiniis. Cap. II.

SI igitur diuina diuinis oraculis comprobemus, ueniamus ad diuinos uates Spiritus sancti furore debacchantes. Regius propheta Christi elegantissimus typus in eius persona decantat: Adonai, uel Deus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Nec enim alius est filius, qui hodie, id est cõtinuè generetur à Patre Deo, nisi ipse Deus Filius, qui est Messiah, & Christus: contra quem conspirauerant principes sacerdotum, & in unum conuenerant gẽtes, & reges terræ, Pilatus uidelicet, & Herodes cum satellitibus suis. Et ille est, cui datæ sunt gentes in hæreditatem: & ditio eius protensa usque ad terminos terræ. Isaias quoq;, postquã partum adolescentulæ, aut uirginis in signum fœderis, reconciliationis, pacisq; diuinæ promisit, subintulit: Et uocabitur nomen eius עמנואל Emmanuel, id est Deus nobiscum, excellentiori quidẽ modo quàm antea unquã fuerit. Et iterũ, dũ de paruulo nascituro, & filio donando uaticinaretur, ait: Et uocabitur admirabilis cõsilij angelus אל גבור El gibor, id est Deus fortis, princeps pacis, Pater futuri sæculi. Nec contendant Iudæi dicentes, q אל forte significet: quia incõgruus esset sermo dicendo forti fortis: Nam proprio significato גבור gibor fortis dicitur. אל el uerò communi usu Deũ significat. Nec poterat esse Pater futuri sæculi (quod paradisus delitiarũ est, ut sapientes Hebræi docent) homo aliquis, nec introductor ad eum, cum totus homo in ꝓtoplaste ab ipso fuerit expulsus. Si autẽ pater futuri sæculi intelligatur pater & dator beatæ uitæ, quod idẽ existimo, nullus potest esse hic pater, aut æternæ uitæ, nisi qui eã habet ex se, uerus existẽs beatitudinis dominus, qui est solus Deus in Christo dicente: Ego uitam æternam do ouibus meis. Ieremias autem claro contuitu hoc idem prospiciens familiari sermone ipsum Deum humanandum alloquitur dicens: Quare colonus, & peregrinus futurus es in terra, & quasi uiator declinans ad manendum modo quidem insolito? Et quia habitu inuẽtus fuit, ut homo fragilis, & passionibus subiectus, ideo sequitur ꝓpheta: Quare futurus es uelut uir uagus, & fortis, qui nõ potest saluare? Vi-

Dauid. Pilatus. Herodes. Isaias. Idem. CHRISTVS. Ierem.

ſus enim fuit tanquam leproſus, & uir dolorũ, & obnoxius infirmitati noſtræ. Sed *hæc quomodocunq; ſe habeant,* Deus *ipſe eſt ſub humanitatis pallio:* Vndè *adhuc proſequitur uates:* Tu *autẽ in nobis es Domine, & nomẽ tuũ inuocatũ eſt ſuper nos.* Q*uæ uerba ſole clarius exprimunt* Meſſiæb *diuinitatẽ, cum dictum ſit, quòd peregrinus futurus erat in nobis: & ꝙ inter nos eſſet, modo uidelicet quodam inſolito: & ꝙ nomẽ* Dei *uocaretur ſuper nos, id eſt ſuper hominẽ,* Meſ*ſiam uidelicet, qui peculiariter uocatus eſt* Dei *nomine, ut alibi exprimit dicens:*

Idem Ecce *dies ueniunt dicit* Dominus, *& ſuſcitabo* Dauid *germẽ iuſtum & regnabit rex, & intelliget: & faciet iudiciũ, & iuſtitiam in terram.* In *diebus illis ſaluabitur* Iuda: *&* Iſraë: *habitabit confidenter: & hoc eſt nomẽ, quo uocabũt eũ* יהוה, Adonai, *uel* Dominus *iuſtus noſter:* Q*uo nomine (ut omnes ſapientes* He*bræi citra controuerſiam aſſerũt) nullus poteſt uocari niſi* Deus, *&* Meſſiah *diuinitate plenus: de quo (ut omnes conſentiũt) loquitur propheta:* Q*uod &*

Targon Tar*gõ celeberrima interpretatio* Chaldaica *expreſſe habet ſic dicens:* Et *ſuſcitabo* Dauid Meſſiam *iuſtum.* Q*ui* Meſſiah *accommodatè dictus eſt* Dauid, *&* Filius Dauid: *quia de ſemine eius: & quia regnũ uerũ habuit, quod* Dauidicũ *regnũ uerba præceſſit: & quia ſunt in* Dauid *multa ſacramenta nunc ſubticenda, per quæ ſæpius* Meſſiæb *perſonam induens de ipſo loquitur ſub propria perſona, & nomine, ut illud* Dominus *dixit ad me,* Filius *meus es tu, ego hodie genui*

Moſes te, *& multa huiuſmodi.* Sed *conſcendamus ad* Moſem, *à quo exordiri debeba-*

Bilham *mus:* Hic *enim inducit* Bilhan Dei *ſpiritu arreptum de futuro* Meſſiah, *& de eius diuinitate hæc præſenſiſſe* לאאיש אל ויכזבובן אדם ויתנחם: Q*uod (quicquid habeat traductio noſtra) ad uerbũ ſic interpretatur:* Nõ *homo* Deus *& mentietur: & filius hominis, & pœnitebit?* Cuius *ſententiæ ſenſus eſt:* Nõ *poteſt eſſe, ꝙ* Meſſiah *cũ erit* Deus *homo mẽtiatur, ut illud, non, referatur ad uerbum mentiatur, ac ſi diceretur:* Homo Deus, *& nõ mentietur.* Et *ꝙ de* Meſſiah *loquatur, clariſſimè patet ex his, quæ ſequuntur:* Ait *enim:* Et *filius hominis,* & *pœnitebit?* Sic *equidem ſeipſum uocabat* Meſſiah, *ut illud:* Q*uem dicũt homines*

CHRISTVS. *eſſe filiũ hominis? & pleriſque aliis in locis.* Sequitur: Ipſe *dixit, & non fiet:* Ipſe *loquutus eſt, & non ſtabit?* Q*uæ, ut declaremus aliquid de reconditis arcanis,*

Idem *producamus.* Omnes *prophetæ in aliquo defecerunt præter* Chriſtum: *qui ideo dixit:* Cœlum, *& terra tranſibunt, uerba autem mea non præteribunt.* Defecit

Moſes. *enim* Moſes, *cum non introduxerit populum in terram promiſſionis, ſicut prædi-*

Ionas *xerat.* Defecit Ionas *cũ* Niniuitis, *quia nõ ſtatim poſt quadraginta dies ſubmer-*

Elias *ſa eſt ciuitas, ut prædicauerat.* Defecit Elias *cum* Achab, *cui prædixerat multa mala eius tẽpore affutura: ſed* Deus *propter ipſius* Achab *pœnitentiam diſtulit illa mala uſque ad obitum eius: undè minus cõpletum eſt, quod dixerat* Vates. Defecerũt *& alij prophetæ ex aliqua mutatione facta in iis, quibus prophetauerant: adeo, ꝙ ipſorum omnium uaticinia reperiebãtur aliquando conditionata:* & *uiſi ſunt, & ſecundum quid fuerũt mendaces:* Chriſtus *autem* Deus,

& homo nunq̃ repertus fuit, aut reperietur mēdax: nec eius uerba mutabũtur, aut deficiēt. Et q̃ Bilhan loqueretur de ipso Christo clara luce cõiectare possumus tã ex adductis uerbis, q̃ ex eis, quæ sequũtur: Subinfert enim: Benedictionē accepi: benedicã, & nõ mutabor: quia nõ uidetur iniquitas in Iacob, neq; fraus in Israël: quamuis nostra traductio habeat, Nõ est idolũ in Iacob, neq; simulachrũ in Israël. Veritatē autē literæ prosequētes clarè conspicimus, q̃ de populo illo pleno iniquitate, rebellione, & fraude non poterat uerificari sententia illa, q̃ in eo non esset iniquitas, & fraus: sed tantummodo in Meßiah de illo populo nascituro: in cuius ore non est inuentũ mendaciũ, aut dolus: & qui iniquitatē nõ fecit: ut inquit Isaias. Propter ipsum igitur nõ poterat Bilhã maledicere populũ illũ, & progenitores eius. Sequitur Vates: Dominus Deus eius cũ eo, & clãgor & applausus regius in eo: quia fuit uerus rex regũ, & Dominus dominãtiũ de stirpe regia Iehuda progenitus. Sequitur: Deus deduxit eũ de Aegypto, id est de angustia, & ergastulo humanæ calamitatis: Et etiã ad literã ex Aegypto reuocauit eũ defuncto Herode, ut habetur ex Euangelio secũdum Matthæum. Sequitur: Fortitudo eius, sicut ראם, quod est animal omniũ potentißimũ in traductione nostra uocatũ Rhinoceros ex ῥὶν quod narem, & κέρας, quod cornu significat: quia cornu habet in nare differens ab unicorni: qui cornu suũ habet in fronte: & uocatur Græcè μονόκερως monoceros, id est unicornis. Differt etiã ferocitate, & corpore: quia hic equinũ, ille autem bouinũ corpus habet: Vndè ab aliquibus dicitur bos Aegyptius, ut Sextus Pompeius refert. Aduersatur hoc animal elephanti cum eo pugnans cornu prius ad saxa limato, longitudine ei similis crura habens breuiora, colore buxeus, corpore aliquantulum gibbo, aspectu horribilis, robore ingentißimo: Ideo Meßiah omnibus præualens uirtute, & robore cœlesti illi fortißimo animali aßimilatur. Zacharias quoque tam apertè de Christi natiuitate loquitur, q̃ nihil clarius: inducit enim Deũ loquentē super Israël, & post multa dicentem: Et effundam super domum Dauid, & super habitatores Ierusalem spiritum gratiæ, & precum: & aspicient in me, quē transfixerunt. Neq; enim poterat Deus transfigi, nisi in aliquo corpore assumpto: Sed aliud corpus, quàm Meßiæh, nõ legitur assumpsisse: nec cõueniens erat, ut assumeret illo reiecto. De Meßiah igitur loquitur, in quo habitans transfixus est à Romano milite: qui eo uulnerato statim aspiciens in eum meliori oculo exclamauit dicens: Verè Filius Dei erat iste: De quo omnia, quæ præcedũt, & subsequũtur, citra dubiũ dicta sunt: Nũquam enim tã largè diffusus est spiritus gratiæ suæ: & precum, sicut tēpore Meßiæh: quando supra multos orantes uisibili specie, & igneis linguis apparuit: Nec aliquis transfixus fuit aliquando, q̃ tanta celebritate & ab astanti populo corporeis oculis aspiceretur, & omnibus retroactis tēporibus ab omnibus credētibus oculo mētis, & cõtēplationis nõ sine lachrymis, & fletu cõspiceretur: De quo planctu magno faciēdo à diuersis familiis subintulit propheta: Et mirum quippe est, q̃ à mille & quingentis annis citra

Isaias

Matthæi

Sext. Pō.

Zacha.

Longi.

semper in die parasceues à populo publicè, & quotidie in priuatis cubiculis à deuotis deploretur mors nostri transfixi IESV: Quod de nullo alio saltem post annum aliquando factum fuit. Aggeus quoque Christi diuinitatem & si nõ claris, saltem obscuris uerbis profitetur, si bene ipsa interpretatur Hieronymus. Ait enim: Adhuc modicum, & ego, qui uidelicet moui cœlum, quando audita est uox mea: moui terram, quando me legem tradente, caligo & turbo tenebrosa, & mons ardere uidebatur: moui mare rubrum, quando uiam transeunti populo præbui: moui aridam Aegyptum cultu Dei uacuam per denas plagas: & solitudinem tegens populum in die per nubem, & in nocte illustrans ignea colũna, manna pascens eundem: mouebo adhuc cœlum fugans solem, & inducẽs tenebras in morte desiderati à populo: & à me dilecti Filij: mouebo terram magno terræmotu scindẽs durißimos lapides, reserans, & terrens sepulchra, ut reddãt mortuos suos: mouebo mare interfecto dracone, qui in eo cum multis reptilibus capiebat gentes: mouebo aridam, & eremum replens eam contemplatiuis, & solitariis uiris: & mouebo omnes gẽtes ad suscipiendam legem, & Dei cultum: qui solummodo susceptus fuerat ab Hebraica familia, & paucis aduentitiis: Vndè sequitur: Et ueniet desideratus cunctis gẽtibus: pro quibus primus legislator Moses non suffecerat. Et implebo domum istam, scilicet nouam ecclesiam, & collectionẽ populorũ gloria. Et erit magna gloria domus istius nouißimæ, plusquam primæ: Prima enim fuit synagoga: & nouißima est ecclesia: quamuis Iudæi nescio quid cõfingãt de duabus domibus: Vna enim fuit eorũ familia, unus cultus, unus sacrificandi modus, unà templi fabrica, à Zorobabel tamen, & Nehemia resarcita: Quæ nec distabat à fabrica tabernaculi: quamuis una lignea, & altera esset lapidea: quia unus utriusque fabricæ erat ordo: Vndè non alia domus post Dauid, aut Zorobabel dici poterat. Sed ista nouißima est Christi ecclesia: in qua omnia innouata sunt: Quæ si gloriosior prima esse debebat, meliora sacrificia exquirebantur, melior fabrica, & melior architectus. Sanctus enim fuit, & plenus Deo Moses primæ domus institutor: Verũ plenior debebat esse huius secundæ domus architectus: quia quanto hæc gloriosior esse debebat, tanto eius artifex magis Deo plenus. Et si Bezeleel filius Vri electus ad fabricam lignei tabernaculi repletus fuit spiritu Dei, quanto magis debebat repleri Deo cõstructor tabernaculi non manufacti, id est nõ huius cõstructionis humanæ, sed diuinæ? De quo & regius ꝓpheta (ut alios omittamus) exerta uoce decãtat in psalmo octogesimo octauo dicẽs: Quis in nubibus, id est in sanctis æquabitur Domino, Meßiah uidelicet uẽturo: aut similis erit Deo in filiis Dei, sicut Christus: qui est Filius per uerã generationẽ: alij autẽ per adoptionẽ, aut per generationẽ anagogicã. Deus scilicet & homo, qui glorificatur in cõcilio, & ecclesia sanctorũ utriusq; testamenti, magnus, & terribilis sup omnes, qui in circuitu eius sunt: q uidelicet intrare nõ poßunt in sphærã diuinitatis. Adonai Deus uirtutũ quis similis tibi potẽs? יה ia, & ueritas: id est diuinitas tua in circuitu tuo.

Aggeus
Hieron.
Dauid

Tu dominaris potestati maris, & motum fluctuu eius tu mitigas : ut fecit imperans uento, & mari, in quo agitabantur discipuli. Tu humiliasti, sicut uulneratũ superbum diabolum eiiciens, scilicet eum foras. In brachio uirtutis tuæ: non inuocando, sicut prophetæ, & sancti alij dispersisti inimicos tuos. Tui sunt cœli, & tua est terra: orbem terrarum, & plenitudinem eius tu fundasti: Aquilonem, & *mare tu creasti simul cũ Patre: de quo dixisti:* Omnia dedit mihi Pater. *Thabor & hermõ exultabunt, ut clarè patuit in transfiguratione. Tibi brachium, id est uirtus cum potẽtia: ideo firmabitur manus tua, in operibus uidelicet, quæ facies: ut nullus poßit destruere, aut rapere quicquã de manu tua: & exaltetur dextera tua hæc perpetrans.* Iustitia, & *iudiciũ præparatio sedis tuæ: misericordia, & ueritas præcedet faciem tuã: ut conueniebat illi, cui datum est omne iudiciũ à* Patre. *Beatus populus, qui scit, & experitur iubilationem, quæ est sub eo. Domine in lumine uultus tui ambulabunt: quia es lux uera omnes illuminãs.* Et in nomine tuo exultabunt tota die: *quando dabitur in eo loqui linguis, dæmones eiicere, & ægros sanare: & in iustitia tua exaltabuntur ipsa, scilicet releuati: qui propriis meritis proficere nequeunt. Quoniam gloria uirtutis eorum tu es, cum sine te nihil fieri poßit. Et in beneplacito tuo, quo nos uocasti, exaltabitur cornu nostrum:* Quoniã *domini est assumptio nostra: & sancti* Israël *regis nostri: qui uocauit nos de mundo, ut fructum afferamus.* Tunc *loquutus es in uisione sanctis tuis: & dixisti: Posui adiutorium in potente, & exaltaui electum de plebe mea: inueni* Dauid *seruum meum.* Inducitur *hic* Pater *loquens nõ de* Dauid *filio* Iesse, *sed de proprio* Filio Christo: *qui* Dauid *plærisque in locis dictus est.* Oleo *sancto meo, id est diuinitate, unxi eum præ omnibus participibus eius:* Manus *enim mea auxiliabitur ei, & brachiũ meũ cõfortabit:* Ideo dixit Filius: Pater *meus non relinquit me solum, sed mecum est. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis nõ apponet nocere ei: iuxta illud edictum à filio:* Venit *enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.* Et *concidam à facie ipsius inimicos eius: & odientes eum in fugam conuertam: ut in alio psalmo dicitur:* Ponã *inimicos tuos scabellum pedum tuorum,* Et *ueritas mea, & misericordia mea cũ ipso: undè idẽ ipse effectus est ueritas, & misericordiæ, gratiæq; plenus, adeo, ut de plenitudine eius omnes accipiamus.* Et *in nomine meo exaltabitur cornu eius:* Nam Pater *eum glorificare curauit.* Et *ponam in mari, uidelicet excelso, & supramundano manum eius, & in fluminibus dexteram eius: de quibus supra disseruimus.* Sed *uideamus, quàm clarè subinferat:* Ipse *inuocabit me,* Pater *meus es tu,* Deus *meus, & susceptor salutis meæ: ideo uocabat* Deum Patrem: Quod *arcanũ non intelligẽtes obtenebrati* Iudæi *uoluerunt ipsum lapidare.* Et *ego primogenitũ ponam illum in multis fratribus: ex quo (inquit* Paulus*) omnis paternitas in cælo, & in terra nominatur,* Excelsum *præ regibus terræ: undè rex regum uisus, & prædicatus est à* Ioanne. In *æternum seruabo illi misericordiam meam, & testimonium meum fidele ipsi:* Ideo *filius ait:* Hic *calix no-*

CHRISTVS. CHRISTVS. Psalm. Paulus Ioan.

CHRISTVS. ui, & æterni testamenti est in meo sanguine. Et ponam in sæculum sæculi semē eius: quo regenerauit nos in spem uiuam secundum spiritum. Et thronus eius, sicut dies cœli: Quod de filio Iesse uerificari non potest, cum defecerit thronus eius. Et paulo inferius dictum coroborat dicens: Semel iuraui in sancto meo, id est in Christo sancto, uel in meipso archetypo sancto, si Dauid mentiar, cum mētiri non posse, neque Pater dans, neque Filius suscipiens. Semen eius, spirituale uidelicet, in æternū manebit. Et thronus eius sicut sol semper eodem modo perseuerans in conspectu meo: & sicut Luna perfecta in æternum: Quorum neutrum in filio Iesse habuit locum: quia nec sicut Sol eadem continua luce, & gloria splēduit thronus eius: nec fuit sicut Luna perfecta in æternū: Nam & si plenus fuerit in ipso Dauid, & Salomone, sicut Luna pefecta, diminutus fuit tamē in Roboam, & extinctus penitus in Ieconia, abducto ipso, & populo in captiuitatē Babylonicam. Et testis in cœlo fidelis: Nec enim reperitur alius testis in cœ-

Ioan. lo (si rectè sentit Ioannes) nisi Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: qui tres unū

Idem sunt. Hinc alibi dixit magno mysterio, & consonantia cum Psalmographo: Et à IESV Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum. Prosequitur postea propheta domesticam querelam cum Patre, quòd permiserit Filium tot, & tam indigna pati dicens: Tu uerò dereliquisti, abominatus es, & excanduisti in

CHRISTVS. Christum tuum: Ideo omnibus audientibus clamauit in cruce ad Patrem Deū dicens: Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me, tanquam abominabile quoddam, & inimicum, inuisum, percussum, & humiliatū. Fregisti fœdus serui tui, id est humanæ naturæ, cum qua unitus erat fœdere perpetuo, & uisus fuit eam relinquere in mortem. Prophanasti ad terram diadema, uel coronam sanctam, qua eum coronaueras, & constitueras super opera manuum tuarum. Dissipasti, uel amouisti omnes sepes, siue munitiones eius, angelorum uidelicet custodiam, ut nec legio eorum, nec angelus, nec homo fuerit ei in adiutorium: sed solus calcauerit torcular crucis. Posuisti munitiones eius formidinē, uel confractionem: quia & ipsi angeli pacis amarè flebant. Sic prosequitur usque ad calcem hymni de progressu facto circa hunc Deum hominem in passione sua, quam

Baruch. sustinuit in humana natura pro toto genere humano. Baruch etiam (quamuis in Hebræo canone non habeatur: quia tamen est in uulgata traductione, & communi usu ecclesiæ) quàm clarè de diuinitate nouissimi legislatoris, qui est Messiah, loquatur, audiamus: Hic (inquit) est Deus noster, & nō extimabitur alius ad illum: Hic adinuenit omnem uiam disciplinæ: & tradidit eam Iahacob puero suo, & Israël dilecto suo dans legem, & præcepta, atq; ordinās sacrificia: Post hæc in terris uisus est, & cum hominibus conuersatus est factus càro, & aperto ore docens, quæ in lege, & prophetis ænigmaticè antè tradiderat: adeo, ut discipuli dicerent: Ecce palam loqueris, & prouerbium nullum dicis. Ex multis autem oraculis, quæ possemus adducere hæc pauca sufficiant, quibus non credentes nec aliis credent.

Quomodo sit deitas, & uerbum in ipso Christo. Cap. III.



Vamuis modus, quo Deitas erat, & est in Redemptore nostro, sit difficilis, & penè impoßibilis explicatu, imò nec intellectu perceptibilis, cum dicat Damascenus, quod incarnatio uerbi fuit ignota etiam summo Seraphino nedum quantum ad tempus, sed & quantum ad modum, tamen pro quanto nobis fari permiserit Deus, explicare conabimur, quomodo deitas, & uerbum sit in hoc homine redemptore. Aliquid patris semper reperitur in filio per semen, quo generatur: Hinc Aristoteles in Ethicis concludit, quòd pater magis diligit filium, quàm econuerso: quia sentit in ipso filio aliquid de suo: undè in multis apparet non tantū paternus spiritus, sed loquela, uox, mores, species, lineamenta aciei, statura corporis, & huiusmodi. Sed Deus, quamuis sit omnium parens per analogiam quandā, pefectiori ratione est pater hominis: qui ipsius gerit imaginem, quàm aliarum creaturarum, quæ tantummodo eius uestigio gaudent. Sentit igitur, & continet homo aliquid diuinitatis excellentius, quàm cætera creata: quia ipsius peculiare genus sumus: ut inquit sapiens Aratus: Et ante eum Pythagoras ait: Diuinum genus hominibus inest: Cum quibus ambigens ille semipythagoreus inquit: Natus homo est: siue hunc diuino semine fecit ille opifex rerū, Multóque, & incomparabiliter maius deitatis munus esse in eo debuit, qui antonomaticè dicitur Filius Dei, & per quem cæteri filij Dei efficiuntur. Nedum seminaria uirtus Dei in omnibus productis rebus, & potißimè in homine est, sed continuus affluxus illius diuinitatis, sicut continua diffusio radiorum solis illustrat, & confouet omnia loca: ad quæ peruenit semper ipsis beneficus, uitam & fœcunditatem præstans: Quod clara luce comprobamus, dum per eius accessum ad nos fœcundatur terra: pullulant plantæ: gliscunt animalia ad generationem, & fœtum: festinant aues ad oua producēda, & confouēda: & pisces diffusis ouis suo generi maximū præbent incrementum: Et uersa uice ipso recedente, clausa uidetur fœtura: & plantæ deponunt, quæ antea fœcundatæ produxerant: Vndè si æquiformis esset ipsius solis affluentia, eadem semper in omnibus æqua esset fœtura. Summus autem, & supramundanus Sol cum non accedat nec recedat, quia semper ubique est, semper in omnibus pro eorum capacitate diffunditur: Semperque in cūctis affluens illorū esse conseruat fœcunditatem & operandi uim continuè tribuēs, & suggerens, nisi recipientis imbecillitas obstet: Vndè quanto quis est magis dispositus, tanto magis persentit diuinitatis affluentiam: Quod cognoscens Ieremias dicebat: Tu autem in nobis es Domine, & nomen tuum inuocatum est super nos, id est uirtus nominis, & ipsius nominati persentitur in nobis: Nam idem est nomen Dei, quod ipse Deus: & uirtus nominis diuini, quod uirtus Dei, si rectè sentiunt sapientes Hebræorum sic interpretantes: Sicut de angelo misso pro tutela, & ducatu Mosi testatur Dominus dicens: Ecce ego mitto angelum meū, qui præcedet te: Obserua eū, & audi uocem eius: quia nomen meum in ipso est,

Aristo. Aratus Pythag. Ouidius Ieremi. Sap. He. DEVS.

id est uirtus nominis mei, & diuinitatis meæ: ut supra adducti exponunt. Et adeo uirtus nominis Dei transierat ad Christum, ut & ipse consequutus fuerit id nomen, in quo omnia genuflectātur: & in quo omnia efficiūtur mirabilia: quæ solebant fieri antiquitus in אל שדי el sadai usque ad Mosem: Et à Mose usque ad Christum in quadrilitero illo nomine magno יהוה: Quorum nominum uirtu-
CHRISTVS. tem sentiens Christus conflatam in se, & in suo nomine magna authoritate dixit: In nomine meo dæmonia eiiciēt: linguis, loquentur nouis: serpentes tollēt: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & bene habebunt. Influit igitur Deus in omnibus omnia implens pro captu suo, sicut aër replet omne spatium non occupatum alio corpore: quia Iouis omnia plena: quod de aëre, & de Deo intelligi potest. Et sicut totum corpus repletur anima, ut sit tota in toto, & tota in qualibet parte, sed modo quodam eminentiori in cerebro, & corde medio in sensibus, infimo autem in cæteris membris, Sic & in
Ierem. hoc mundano corpore est Deus dicens per Ieremiam: Cœlum, & terram ego impleo: Terram quidem, & elementa, cæteráque inferiora remissius, media plenius, suprema autem plenissimè replet: Quæ suprema sunt angelus & homo, quos tanquam cor & cerebrum replet non tantum uita communi, sed rationali, intellectiua, & libera, aut amatiua. Nec minori uirtute ipsa membra mundana replet Deus, quàm Sol spatia mundi, & anima membra omnia humani corporis. Est igitur Deus in homine, sed potissimè in Christo per semen, per afflu-
Theol. entiam, & per repletionem. Est etiam (ut nouitiores Theologi docent) per hypostasim, aut personam, quam adiudicant in ipso Christo, & uncto nostro: eo quod uideant opera transcendentia limites naturæ humanæ, quæ à supposito necessariò ueniunt: quia actiones suppositorum, aut singularium sunt. Est etiam per in-
Iacobus sertionem dicente Iacobo: Suscipite insitum uerbum. Accōmodata quippe trāslatio est: quia inibi duæ naturæ unitæ simul glutino quodam naturali, aut diuino, & supernaturali fructum producunt magis secundum naturam inserti surculi, quàm suscipientis trunci. Sed ipse Christus dixit se esse unitum nobiscum cō-
CHRISTVS. tinuatione quadam dicens: Ego sum uitis, & uos palmites: sic & eius natura assumpta continuatione quadam meliori nota unita est cum uite diuinitatis. Alia quoque exempla possent adduci istius unionis diuinitatis cum illa natura humana assumpta, sed hæc ad præsens sufficiant.

In uerbo diuino continebantur omnia. Cap. IIII.



Mnia præextitisse in uerbo, antequam in proprias formas explica-
Ioan. rentur, Ioānes huius mysterij summarius, & compendiosus descriptor aperto sermone testatur dicens: Quod factum est, in ipso, uidelicet uerbo, uita erat: Quod non ex legis tantummodo assertio-
Auerro ne (ut blasphemat impius Arabs) tanquam loquens, & fabulator deprompsit, sed ea protulit, quæ tanquam Aquila ultra humanos limites peruolitans uidit.
Ioannes Quod (inquit) audiuimus, & uidimus, & contrectauimus de uerbo uitæ, hoc

annuntiamus uobis. Et iterum: Vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à Patre. Ideo merito ipsum sequuntur stupentes sapientissimi non tantum christianorum, sed etiam externorum non pauci. Aemilius ipsius Ioannis dogmata, quando de rerum emanatione disputat, ad unguem prosequitur: conaturque eũ cum Heracliti carminibus concordare. Proculus in Parmenidẽ Ioannis doctrinam adeo ueneratur, ut nullus eam pluribus, aut fortioribus rationibus probet. Alpharabius quoque in libro de entibus mutatis ponderat nostri Ioannis diuinissimam sapientiam: quem Ioannem Christianum appellat. Nec dissidet Platonicorum dogma de ideis rerum, & numerorum à Ioannis nostri sententia. Sed & Hebræi sapientes ב bet dicunt esse sigillum supremæ sapientiæ, quæ est filius Dei: in quo omnia præexistebant consignata, & collocata tanquã in domo: Nã ב bet domũ significat, in qua existebant, & facta sunt omnia, sicut & psalmographus canit: Omnia in sapientia fecisti. Erat enim ibi cœlum, & terra primo producta: Erant & omnium rerum formæ inde manantes, quando materiæ dispositæ donantur. Quod non percipientes Peripatetici, maximè nouitiores, ingenti controuersia disputant de introductione, aut incohatione formarũ. Sed si antiquiores recensere uoluerimus, hi multigeni sunt: quãuis Auerrois dicat eos tripartitos: Anaxagorei enim nihil opinabantur de nouo fieri: sed in lucem produci eas quæ latitabant formas, existimantes, quodlibet esse in quolibet, Quo autem sensu, alibi declarauimus. Alpetragius existimabat formas esse à substantia cœli: & quòd dispositiones essentiales non essent in rebus per suum esse particulare, sed ab influentia primi cœli. Mathematici ipsam formam dari à syderibus: Themistius, & cum ipso nonnulli alij diuersimodè hoc negotium determinabãt pro diuersitate generatorum: Inanimata enim ut elementa generari existimabant ab unica forma materiæ: Animata uerò, quæ æquiuoca generatione produncuntur, ut uespæ ex cadaueribus equorum, apes ex putrefactione uaccarum, musciliones ex uino corrupto, ranæ atque mures ex terræ computrescentia: Hæc & huiusmodi à forma abstracta à materia produci existimabãt præsupponẽtes omne quod fit, à sibi simili necesse fieri. Et cum non sit in rebus inferioribus aliquod simile, ex quo istiusmodi generentur, ideo existimabant abstractas formas, à quibus uel ad quarum similitudinem generarentur. Sed peripateticorum dux cum sua familia docens, quòd productor nõ aliud agit in ratione compositi, nisi mouendo materiam, & transmutando ipsam, educit formã de gremio ipsius materiæ: ubi prius præexistebat in potentia. Et ibi Arabs ait: ꝙ hæc opinio habet similitudinem quandam cum sententia Anaxagoreorum, & Empedoclistarum: cũ utrique dicant agentem sequestrare formam à subiecto: Sed differunt, quia illi separãt quod actu præexistebat: Peripatetici uerò, quod potentia tantummodo: Auicena autem, & eius abbreuiator Algazel dederunt decreta Ioanni nostro satis confinia dicentes, quòd secundum dispositam materiam per cœlos, & causas secũdas infunduntur formæ à datore formarũ Deo;

Aemili. Procul. Alphar. Platon. Sap. He. Dauid Peripate. Auerrois Anaxa. Alpetr. Mathe. Them. Aristo. Auerrois Anaxa. Emped. Auice. Algazel

Et hoc quidem in productionibus particularibus, & successiuis: Sed in primaeua productione existimarunt, quòd primo materia, postea formae ipsam determinantes ab eodem fonte, scilicet diuino uerbo emanarunt. Accedit ad hos Cinesius ille Cyrenensis philosophus illustris: qui in hunc modum philosophatur dicens: Entia primia simplicia sunt: descendens uerò natura ab eis multiplici ratione uariatur: Sed ens primum simplicissimum est: à quo media, & ultima proueniunt: Illud autem simplicissimum Deus est per suum uerbum omnia continẽs. Proculus uero Dyatocus in suis Theorematibus theologizans, & philosophans probat, quòd sicut omnis numerus ab unitate, ita omnis multitudo ab uno procedit, in quo continebatur uirtute. Ipsum autem unum in omnibus est actu: quia in ternario sunt tres unitates, in quaternario quatuor, & sic de reliquis, ut copiosius tractat Rabbi Samuel in commentariis libri, cui titulus est de formatione rerum. Sic & illud supremum unum est actu in omnibus omnia sustentans, ut ex Dionysio habemus in suo de diuinis nominibus: ubi ait: Monas habet omnem in se numerum unicè, & omnis quidem numerus complicatus in monade est: quantum uerò à monade progreditur, tãtum discernitur, & multiplicatur. Quod de numero, & unitate formali, atque essentiali intelligẽdũ est. Et ut antiquiores repetamus: qui fatentur omnia praefuisse in uerbo diuino, antequam in proprias formas explicarentur, audiamus, quid Hermes cum Tatio filio concionetur: O fili, inquit, arcanum est sapientiae uerbum sanctum sancti solius Domini omniũ, quod effari supra hominem est: quia ab ipso homo, & omnia, & in ipso omnia. Plato in Epimonide, cum de diuinorum consortio, & aequa dignitate dissereret, ait: Et nos honores reddamus, non alij mensem, alij annum, alij nullam sortẽ destinantes, nullumque tempus excludamus: sed totum ei tribuatur: in quo suũ curriculum percurrere mundum facit: Quod ordinauit uerbũ omniũ diuinissimũ: Nihil aptius cum eo, quod noster Ioãnes dicit, Omnia per ipsum uerbum facta sunt: & cum eo, quod canit propheta: Verbo Domini caeli firmati sunt.

Cinesius | Procul. | Rab. Sa. | Diony. | Hermes | Plato | Ioan. | Dauid

Ibidem omnia sunt numero, pondere, & mensura. Cap. V.

ET sicut omnia sunt ab opifice disposita numero, pondere, & mẽsura, eodem modo praeexistebat in uerbo illo sanctissimo: Numero quidem, quia numerositas rerum uniuersitatem exquirit suorũ exemplarium in archetypo, ut supra latius disseruimus. Ea tamẽ multitudine ibi sunt, ut nunquam ab unitate promptuarij discedant. Quod & Proculus in suis theorematibus theologicis docet: Omne, inquit, quod unũ participat, unũ est, & nõ unum. Sic & diuinae personae (ut edocemur à nostris Theologis) sunt unum in radice essentiae, quam participant: & tres seipsis distinctae: Creaturae autem omnes sunt unum in fonte, à quo fluunt (ut sapientissimè dicebat Parmenides falsò ab Aristotele de errore calũniatus) in particularibus uerò formis distinctae: iterum tamen uniendae cum illo uno, ad cuius unionem academici (Plotinus maximè) tanta celebritate nos suadent. Numerosa ergo maſ-

Proculus | Parme. | Academ. Plotinus

sa stellarum est in Deo, & in uerbo, quo cœli firmati sunt: sic & numerosa multitudo animalium, arborum, lapidum, & omnium, quæ creata sunt. Nedũ est ibi numerus specierum, sed etiam singularium suppositorum, dicente ipso uerbo ad particulares homines: Nomina *uestra scripta sunt in cœlis*. Et *quod maius est, etiam eorum, quæ superflua uidentur in nobis, numerus reperitur in eo, dicente eodem uerbo:* Capilli *capitis uestri omnes numerati sunt.* Pondus *quoque, & mensura omniũ: & quo omnia ponderantur, & mensurantur in eo præesse debet: de quo inquit* Isaias: Q*uis mensus est pugillo aquas, & cœlos palmo ponderauit?* Q*uis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit pondere montes, & colles in statera?* Deus *quippe, qui in fortitudine ueniet, & brachiũ eius dominabitur, & merces eius cum eo.* De *uerbo quidem incarnãdo loquitur propheta: quo* Deus Pater *omnia fecit, omnia suis nexuit ordinibus, iuxta illud* Pauli, *qui cũ de filio loqueretur, ait:* Q*uem constituit hæredem uniuersorum: per quẽ fecit & sæcula:* Q*ui cum sit splendor* Patris, *& figura substantiæ eius, portãs omnia uerbo uirtutis suæ.* Q*uod* Augustinus *in* Genesim *exprimens ait.* Nihil *creatum fuit, nec ante tempora productum, quod non in* Dei *uerbo* Patri *coæterno coæterna uita uiueret,* Ideo *scriptura priusquam insinuaret unanquanque creaturam ex ordine, quo condita sunt, respicit ad* Dei *uerbum prius proponens:* Et *dixit* Deus, Fiat *& factum est.* Non *enim inuenit causam aliquam rei creandæ, nisi quia in uerbo* Dei *depictam iam reperit eam per uerbum, aut iussum in propriam formam conducens, & explicans, secundum quod in dicto uerbo distincta erant, & enumerata rationibus suis.* Hinc Pythagorei *numeros abstractos ponebant in* Deo: *quos uocabant ideam rerum faciendarum (ut statim dicemus) quas immutari in res* Physicas *opinabantur.* Sed *&* Plato *aliquantulũ eorũ dictũ corrigens docebat ideas illas participari rebus physicis, non autem ipsas mutari cum perpetuæ sint, & mutari non possint, nisi per mutationem intelligant earum communicationem cum rebus, quæ ad earum fabricantur imagines, & earundem uirtutem suscipiunt: adeo, ut nihil sit quod ab aliqua illarũ non dependeat.* Et *hæc est (ut opinor) elegantissima ratio, cur non possit transcẽdi denarius numerus: quia uidelicet numerorum idea non ultra extenditur, ut* Abraham *in libro de formatione constanter asseuerans dicit:* Decem, *& non nouem, decem & non undecim.* In *hoc enim denario, tanquam in omnium mensura, & pondere omnia includuntur, & ab eodem emanant:* Q*uæ tamen omnia prius collocata sunt in domo diuinæ sapiẽtiæ, & depicta in æterno uerbo, quod est centrum diuinæ sphæræ ubique existens: quia omnia continet, & in omnia se extẽdit: ut pulcherrimè docet diuus* Dionysius *in suo de diuinis nominibus:* Est *(inquit) centrum sphæræ uniuersi omnes lineas continens, & principium rerum: ex quo est & ipsum esse, & omnia, quæ quomodolibet sunt.* Et *est omne initiũ, omnis finis, omnis uita, immortalitas omnis, omnis sapiẽtia, omnis ordo, numerus, & harmonia omnis, omnis uirtus, & omnis custodia, firmitas omnis, omnis*

CHRISTVS. Idem Isaias Paulus August. Pythag. Abrahã Diony.

distributio, omnis intelligẽtia, omnis ratio, omnis sensus, omnis status, omnis motus, omnis unio, temperamentum omne, omnis amicitia, omnis continentia, discretio omnis, omnis diffinitio, & alia quæq; (quæcunque sunt) ab ipso exculpũtur, sicut erant in ipso uno, à quo omnis numerus, & harmonia mũdani huius instrumenti procedit, ueluti ab unitate, tanquam à fonte omniũ numerorum, & proportionũ omnis numerus, & harmonia uocalis emanat: ut Nicomachus, & Boëtius diffuse pertractant. Et hoc unum omnium principium est illud, de quo diuus doctor Moses ait: In principio id est in sapiẽtia, uel uerbo creauit Deus cœlum, & terram. Quod clarius explicat Paulus dicens: Ipse est primogenitus omnis creaturæ, in quo condita sunt uniuersa.

Nicom. Boetius

Moses. Paulus

Cognitiones exẽplares in mente artificis ideæ dicuntur, & sunt. Cap. VI.



Vplices esse regulas in mente, & uerbo diuino à sapiẽtibus quãplurimis didicimus: Quarum alteræ sunt rerum faciendarum à seipso: & sunt propriè ideæ dictæ ἀπὸ τοῦ εἴδους quod speciem, formamque significat: Alteræ autem exemplaria sunt, ad quorũ metas opera nostra deducenda sunt, quæ & ipsa ideæ dicuntur per analogiam quandam. Sunt ergo ideæ formæ, species, exemplariáque rerum æterna in mẽte diuina semper existentia, & antequam res fierent, ut ab eis tanquam à propriis sigillis unumquodque subiectum imprimeretur: Et nunc in sua existentia perseuerant: ut species ipsæ semper conseruentur, & æternæ sint: nec corrumpãtur & transmutentur ad corruptionem, aut transmutationem indiuidui. Et per analogiam quandam etiam cogitationes rerum à nobis per artem faciendarum ideæ dicuntur, & exemplaria: ut longo progressu disceptat Augustinus super Ioannem. Sed quia non sunt exemplaria specierum, & rerum essentialium, non sunt propriè ideæ, sed analogicè dicuntur, per quas illas diuinas coniectare possumus: Quæ (ut Plato docet) in paterno intellectu una, & simplex idea est, uirtute, & causalitate uniuersalis, & in seipsa uirtute præhabẽs formas omnes excellentiori quodam modo. Hæc autem procedens relucet multiplicata in eo, qui omnia habet à Patre: Et ultrà diffunditur aliquo modo diuisa in diuersis locis, aut mansionibus archetypi. Deuenit postea ad motores orbium, & alias intelligentias, quibus inferiora disponẽda cõmisit, præbens eis quasi sementẽ: & præcipiens, ut exequantur, & cõducant secundũ sibi datã infusionẽ. Ipsi autẽ explicant per cœlos tanq̃ per instrumẽta diuersis irradiationibus, & aspectibus opportunis, trigonis, exagonis, & tetragonis, nunc accedendo, nunc recedendo: Et tandem infunduntur formæ secundum subiectorum dispositionem, quas semper appetunt, ut informentur, & perficiantur: sicut fœmina appetit uirum, ut ab eo suscipiat fœtum, & genituram: uel ut eius sexu gaudeat. Illa autem omnia disponuntur uirtute luminis causæ primæ: quod à principio iussum fuit illustrare, & fœcundare omnia, tanquam semen, forma, & uita omnium. Hinc dixit Ioannes: Et uita erat lux hominum: Quia lux illa suprema est ipsorum, & omnium

Augusti.

Plato.

uita: Quæ uita, & lux inducitur in materiam per causas secundas, & cœlica instrumenta, sicut forma excogitata in mente artificis inducitur in subiectũ per instrumenta artificialia. Sunt etiã regulæ, & exemplaria in Verbo diuino, quibus (inquit Augustinus) conformes uiuere debemus: Quas demonstrans summus opifex Mosi dixit: Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est. Nec tantum de tabernaculo ligneo construendo loquitur, sed de tabernaculo, & templo uiuo Dei uiui componendo, quod sumus nos: quorũ uniuscuiusque illud cũ suis sacris ibi peractis typum gerebat: ut suo loco latius, Deo fauente, reserabimus: Quas regulas etiam angeli (inquit idem Augustinus) consulunt in agendis, tanquam uitæ & ueritatis fontem. August. DEVS. August.

Qui has ideas admiserint. Cap. VII.



Acilis conuentus multorum sapientum in eandem sententiam quantum authoritatis præstet, quãtæque ueritatis illam esse demõstret, dicat Aristoteles, Proculus, Porphyrius, & alij sapiẽtes: qui ueritatem rei probant multoties ex sapientum communi consensu. In negotio itaque idearum non solum Catholici, aut Christiani omnes cõueniunt, sed externi sapientes tot, & tanti uiri, ut omnis suspitio merito tolli possit, quòd nostri magis lege, quã ueritate eas affirmẽt. Zeno antiquus Philosophus Deũ prædicat naturæ principẽ, & dispositorẽ: quẽ logon, id est uerbũ nominat, quod, est intelligentia suiipsius, & rerum faciendarum, & cõsequẽter idea: Quod accepisse opinor ex officina Mercurij: qui in Pymandro ait: Mens Deus utriusq; sexus fœcunditate plenißimus, uita, & lux uerbo suo mentem alteram opificem peperit: Qui quidem Deus ignis, atque spiritus septem deinceps fabricauit gubernatores: qui circulis mundum sensibilem complectuntur: eorumque dispositio fatum uocatur. Connexuit inde Dei uerbum ex elementis Dei deorsum tendentibus purum naturæ artificium, unitumque opifici menti: consubstantiale enim erat. Ecce quàm piè, quàm doctè, quàm clarè docet omnia præfuisse in illa fœcundißima Dei mente, aut intelligentia: quam uerbum appellat, iuxta Ioannis nostri doctrinam. Mens autem quam peperit, altera est persona, sed eadem essentia: in qua opifici mente, id est uerbo producto, omnia fabricauit: Primum uerò fabricatæ sunt septẽ illæ mentes, qui primi intellectus separati dicũtur, iuxta illud septenariũ supramundanũ: quẽ septenariũ fabricæ Hebræi appellãt: cum quo & has intelligẽtias, & suos orbes conuenire declarauimus: Quæ septẽ intelligentiæ aut Spiritus (ut in Apoc. & Thobia legimus) semper sunt in conspectu throni summi Principis: qui disponentes inferiora exequuntur: quæ supremus iubet: hincque eorum dispositio fatum uocatur. Postea clarè loquitur quomodo Dei uerbum, id est excogitatio rerum faciendarũ: aut in quo est ipsa excogitatio, fabricauerit hoc mundanum opus uniendum cum opifice primo. Et sicut ipsum uerbum est consubstantiale, & unitum primo, id est summo Patri, sic omnia, quæ per ipsum fabricata sunt ad unionem deducit. Et ab istis, uel à su- Aristote. Procul. Porphy. Zeno. Mercur. Ioan. Hebræi. Apocal. Thobi.

Socrates Plato periori officina prophetis, & sanctis uiris reserata didicerunt Socrates, & Plato: qui dixerunt ideas seiunctas à materia in penetralibus Dei existētes, nō Peripate. inter nubes, aut in concauo Lunæ: ut falsò calumniantur Peripatetici, uel alij nasuti. Sint igitur ideæ in summi architecti mente, uel uerbo, tanquam rerum causæ: à quibus procedens Plato super omnes philosophos causas à diuina prouidē Plato Theop. tia assignasse meritò dicitur à Theophrasto. Stoici suum Zenonem imitati dixe Stoici. Zeno. runt notiones in animis nostris anticipatas ideas esse: Sed hæ analogicè, illæ autem in mente diuina uerè, quia ad earum similitudines effigiātur materiæ infor- Plutarc. mes in ratione specifica, ut dicit Plutarchus in de Placitis philosophorum. Et an Tim. Lo. te hos docet Timœus Locrus ideam ingenitam, ad extra uerò exemplar, adiuuantemque causam, uel formam omnium, quæ transmutantur: Cum quibus Epi- Epicha. Sphær. charmus Sphæræus, & multi alij antiqui cōueniunt. Nouitiores autem Plato- Iambli. Porph. nici, Iāblicus, Porphyrius, Plotinus, Hermias, Numenius, Proculus, & eius præ- Hermi. Nume. ceptor Syrianus hanc doctrinam ampliarunt: Quorum ultimus adeo in Apolo Proculus Syrya. getico pro Platone se diffundit, ut uolumen amplissimū ædiderit. Alcinous etiā Alcinous magistri dogma explicās in libro, cui titulus est de doctrina Platonis, & in Epitomis inquit: Platoni placuit ideas esse, non quidem artificum propriè, ut scuti, & lyræ: neque eorum, quæ sunt præter naturam, ut febris, & bilis: neque singularium, ut Socratis, aut Platonis: neque minutissimarum rerum, ut pulueris, uel festucæ: sed sunt entium perfectorum, & notiones immutabiles, semperque manentes: & mensuræ quædam immateriales existentes, eo quòd mundus nō sit à casu, sed summo ordine ad instar eorum exemplarium, quæ erant in artifice fabricata: Quæ ideæ in opifice una est, & uniuersalis causa, uirtute omnia habens, & præhabēs, sed multiplicata per respectum ad ideata: quia multorū est: Vndè origine est una, multæ autem ex determinatis ab ea: Quæ opinio fulcita tot sapientibus, & diuinis oraculis, maiori assertione digna iudicatur, quàm Aristo. Aristotelis hæresis, uel irrisio: quamuis offuscati Alexander, & Auerrois con- Alexan. Auerrois trarium senserint. Et pulchrū est (si bene perpēdatur Aristoteles) ipse & si uerbis, nescio quo spiritu, discrepare uideatur, in re tamen non aliud sentit: Concedit enim potentiam actiuam, & artem præesse in artificè, antequam ad suum opus deueniat. Nec minor ratio est in artificè mundanæ fabricæ, quem cum nō cognouerint, & quando, & cur, & quomodo mūdanam hanc domum fabricauerit; fabricam ipsam, & modum, & ordinem negat alicubi: quæ alibi ueritate coactus confitetur. Negauit forsitan ideas, & mundi fabricam, dum infra terminos physicos cōtentus profitetur, & docet: Asserit enim in eo tractatu de mūdo, qui eidem ascribitur, hanc machinam à summo artificè fabrefactam: & in superiori philosophia à physicis legibus absolutus, satis bene theologizans dicit, quòd sicut intelligentia nostra causatur à rebus, & obiectis cognitis, ita scientia, & cognitio Dei est causa eorum, quæ sunt: Sed quid est, quæso, intelligentia Dei causatiua rerum, nisi uerbum eius, per quod facta sunt omnia? Sed iam

ad collustratos diuino lumine redeamus. Paulus cum de uerbo incarnato cum Colossensibus dissereret, ex promptuario tertij cœli hæc depromit: Ipse est primogenitus omnis creaturæ, in quo cōdita sunt uniuersa in cœlo, & in terra. Nec quippe condita sunt materiali structura, aut in officina ferraria, uel lignaria, sed per rationes exemplares existētes in uerbo, & in filio, quem (ut alibi dixit) constituit hæredem uniuersorum: per quem fecit & sæcula. Moses quoque, cum fabricam mundi miro artificio describeret, binas semper productiones meminit: quarū alteras in mente, alteras in productione exteriori fuisse innuit. Illæ quidem per uerbum, dum ait: Et dixit Deus: Fiat, producat, uel faciamus: Hæ autē exterius explicatæ describuntur. Salomon Dei, & hominum iudicio sapientissimus adiudicatus, cum de sapientia Dei loqueretur, in qua facta sunt omnia, ipsam productam præmittit ante terram, montes, colles, abyssos, uel materiam informem, ante flumina, maria, & quicquid in eis continetur: & cœlorum atque inferiorum fabricæ astitisse, dum ait: Quando præparabat cœlos, aderā: quādo statuto suo, & gyro uallabat abyssum, omnia uidelicet formans, & in omnibus imprimens suis mensuris, & ordine: Vndè sequitur: Quādo æthera firmabat sursum: uel ut habet ueritas literæ: Cū deduceret nubes desuper, & firmaret fontes aquarum, & poneret aquis statutū, ne transirent fines suos: Cumque ordinaret fundamenta terræ, eram apud eū אמון amon, quod magister in qualibet arte, aut artifex, & figurans interpretatur. Ecce quàm clarè profitetur in sapientia diuina esse artificiū, quo omnia formarentur, & moderarentur: Et illud est exemplar, & idea rerum faciendarum. Paulus Moses Salomon

Qui ideas respuerint, & quibus rationibus. Cap. VIII.



PRæcipuus inter eos, qui ideas abiecerunt, Aristoteles est cū suis Peripateticis: & hic uir quidem grauissimæ authoritatis apud eos, qui sensibilem tantummodo sequuntur doctrinam, & inferiorem philosophiam: qui nec piè, nec iustè, sed ingrati discipuli more magistrum irridendo ait: Valeant ideæ Platonis: quia nihil sunt, aut monstra sunt: superfluum, ridiculum, inconueniens, & falsum existimans ipsam ideas admittere. Superfluum quippe existimabat: cum sufficiat primo agenti obiectū suum, quod est eius essentia, per quam omnia operatur: & in qua continet omnia. Ridiculum quidem, quia non indiget Deus simulachro, aut paradigmate, per quod aliud cognoscat, sicut indiget homo specie sensibili, aut intelligibili. Inconueniens quoque, & absurdum eis uidebatur, quòd ex formis illis sempiternis generentur corruptibilia, & temporanea. Et cum ideæ sint relatiua, quia ad ideata referuntur, non possunt esse in substātia illa simplicissima ab omni imperfectione aliena. Absurdè etiam dicuntur conferre ad numerum, cum æquiuoca existant diuersæ rationis à rebus numeratis. Falsum insuper opinabantur per illa exēplaria res productas assimilari opifici: ut idearum fautores assere- Aristoteles

re uidentur, cũ res productæ non aßimilentur primo, nisi per attributa: quorũ rationes multò inferiori nota, & per analogiam quandam reperiuntur in productis: Hinc uacillant, etiam qui Christiani sunt nomine, asseclæ autem cacodæmonis, existimantes erroneum, & ridiculũ, quod non est imaginatus ipsorũ Aristoteles solertißimus causarum, & rerum perscrutator: id maximè, cum fuerit Platonis auditor uiginti & uno anno: Vndè mirum est, quòd si aliquid boni de istis ideis ab eo percepisset non approbasset, & scripturæ commisisset. Et ulterius progredientes leue iudicant, assertum etiam in doctrina Christiana, quod nulla authoritate scripturæ sacræ fulciatur: & id potißimè cum de Deo, de cognitione nostra, déque rerum æternitate absq; ideis omnia, quæ dicuntur, saluari posse existimẽt: Nã cognitio nostra (ut aiunt) sufficiẽtißima est per genus in uniuersali, & per differẽtiã propriã in particulari, dũmodo ipsa cognoscatur: Quæ speciem, & formam propriam specificam decernit: quæ non est exẽplar in alio, sed ut est actu existens in composito est ipsum informans. Nec Deus uidetur illis figuris indigere, tãquam sigillo imprimente, quia uirtute sua omnia agere potest, & agit absq; instrumento: Si tamen instrumentum aliquod concurrere iubet, illud est extra ipsum, & non in ipso, ut de ideis dicitur. Nec possunt (inquiunt) exemplaria illa causare generatiuum, & corruptiuum motũ: quia nõ sunt in subiecto, sicut uirtus in semine: Nec per contactũ mouent, sicut uirtus syderum pertingens usque ad qualitates elementares: quia ipsa penitus separata dicuntur. Hæc sunt potißima monumenta, & robora eorum, qui negant ideas.

Errores sunt, & non rationes, quæ contra eas facere uidentur. Cap. IX.



Ontra idearum hostes an nobis pugnandum sit, necne, dubia est mens: quia nõ sunt exponenda sancta canibus: neque lucernæ, nec lumina accẽdẽda sunt uespertilionibus: nec margaritæ sunt proiiciendæ porcis conculcandæ: Quod nobis faciendum esset, si arcana idearum cum huiusmodi disceptando (ut opus esset) exponeremus. Ne tamen lectores penitus ieiunos dimittamus, aliquid uel leuiter percurremus, ea tamen lege, qua Orpheus de arcanis diuinis decãtare solitus est, hac in primis de more protestatione præmissa.

Orphe. Vos, qui uirtutem colitis, uos ad mea tantum
Dicta aures adhibete, animosque intendite uestros:
Contra qui sanctas leges contemnitis, hinc uos
Effugite procul ô miseri, procul ite profani.

Vos inquam, qui diuina contemnitis, oracula spernitis, leges abiicitis, ut ille maledictus Arabs: aut uenari uultis rationibus Deũ, & sua arcana, quæ propriis uiribus inuestigari non possunt, sed tantummodo ab oraculis addiscenda: undè Orpheus fatetur Deum cognitum soli Abrahæ (cui soli, & familiæ suæ credi-

ta sunt eloquia Dei) subinferens de Deo ipso.
Nemo illum, nisi Chaldæo de sanguine quidam
Progenitus uidit: quem cœlorum aurea sedes,
Sublimisque tenet: cuius se dextera tendit Idem
Oceani ad fines: quem de radicibus imis
Concussique tremunt montes, nec pondere quamuis
Immenso sit, ferre queunt: qui culmina cœli
Attollens, terris nunquam tamen ille fit absens:
Ipse est principium, medium, qui & exitus idem.

Fatetur igitur Deum esse principium, & finem omnium, & medium, quo fiũt omnia, iuxta illud Pauli: A quo omnia, in quo omnia, per quẽ omnia. Quod arcanum explicatum fuit Abrabæ Chaldæo, & posteris suis (qui Hebræi dicti sunt à transitu) & scripturæ commendatum in libro de Formatione: qui ipsi Abrabæ inscribitur. Vndè & Aristoteles, cum de ipsius Dei cognitione in prima philosophia dissereret, patres Chaldæos ueneratur cedens ipsis: quia ab oraculis acceperunt: Qui (ut inquit Proculus nescio quo lumine collustratus) apud Deum epulati, & in puro uiuentes splendore, secundum perfecta undique, stabiliáque initiati sunt Phantasmata, asseuerantes opiniones, & rationes sciẽtificas pro nugis, & anilibus fabellis reputabant, cum illæ quidem incertæ, & dubiæ sint, nõ procul ab irrationali existunt uita: Eæ autem syllogisticæ sunt, & compositæ: nullóque modo opificis ipsius solitariam, intellectualemque naturam attingere possunt. Illas tamen faciles, & fallaces rationes, ne uideamur eorum uersutiam declinare, iam enodabimus. Et primo cur irriserit Aristoteles, aut contempserit ideas, dicant Themistius, & Simplicius eius expositores, & Franciscus inter nouitiores theologos insignis illuminati cognomine decoratus: Horũ primus ait: Aristoteles semper conatus est contradicere ad apparẽs: Sequens uerò inquit: Arguit Aristoteles potius ad uerba, q̃ ad sensa: Vltimus autem largiori licentia, aut zelo diuinissimæ theologiæ in eum huiusmodi uerbis prorumpit: Aristoteles duplici de causa Platonẽ criminatur: Prima est inuidia, qua falsò, & impiè magistrum, à quo multa didicit ubique insequitur: ut manifestum est etiam mediocriter in Platonis dogmatibus expertis: Altera, quia & si fuit bonus philosophus, fuit pessimus metaphysicus: Sed nec in physicis inuentor, uerum tantum collector fuit, ut ipsemet in Elenchis fatetur dicens: Si de inuentis detur alicui laus, mihi debetur de Elenchis: Vbi ueritate coactus noluit sibi arrogare, quod nõ fecerat. In illis itaq; arguendi regulis, & sensibilibus uersatus sponte discessit à diuino symposio: in quo (inquit Simplicius) nutritus Plato semper diuina ueneratur, & à speciebus illis æternis, & ideis exorsus usq; ad ima deuenit: Aristoteles autem à sensibilibus procedens eousque conscendit, quo suæ rationes ex sensibilibus formatæ deducere possunt. Diuisiones enim gratiarum sunt, inquit noster Paulus: Ideo alij datur sermo sapientiæ, alij sermo

Paulus
Aristo.
Themi. Simpli. Franci.
Simpli. Plato.
Aristo.
Paulus

re uidentur, cũ res productæ non aßimilentur primo, nisi per attributa: quorũ rationes multò inferiori nota, & per analogiam quandam reperiuntur in productis: Hinc uacillant, etiam qui Christiani sunt nomine, asseclæ autem cacodæmonis, existimantes erroneum, & ridiculũ, quod non est imaginatus ipsorũ Aristoteles solertißimus causarum, & rerum perscrutator: id maximè, cum fuerit Platonis auditor uiginti & uno anno: Vndè mirum est, quòd si aliquid boni de istis ideis ab eo percepisset non approbasset, & scripturæ commisisset. Et ulterius progredientes leue iudicant, assertum etiam in doctrina Christiana, quod nulla authoritate scripturæ sacræ fulciatur: & id potißimè cum de Deo, de cognitione nostra, déque rerum æternitate absq; ideis omnia, quæ dicuntur, saluari posse existimẽt: Nã cognitio nostra (ut aiunt) sufficiẽtißima est per genus in uniuersali, & per differẽtiã propriã in particulari, dũmodo ipsa cognoscatur: Quæ speciem, & formam propriam specificam decernit: quæ non est exẽplar in alio, sed ut est actu existens in composito est ipsum informans. Nec Deus uidetur illis figuris indigere, tãquam sigillo imprimente, quia uirtute sua omnia agere potest, & agit absq; instrumento: Si tamen instrumentum aliquod concurrere iubet, illud est extra ipsum, & non in ipso, ut de ideis dicitur. Nec possunt (inquiunt) exemplaria illa causare generatiuum, & corruptiuum motũ: quia nõ sunt in subiecto, sicut uirtus in semine: Nec per contactũ mouent, sicut uirtus syderum pertingens usque ad qualitates elementares: quia ipsa penitus separata dicuntur. Hæc sunt potißima monumenta, & robora eorum, qui negant ideas.

Errores sunt, & non rationes, quæ contra eas facere uidentur. Cap. IX.



Ontra idearum hostes an nobis pugnandum sit, necne, dubia est mens: quia nõ sunt exponenda sancta canibus: neque lucernæ, nec lumina accẽdẽda sunt uespertilionibus: nec margaritæ sunt proiiciendæ porcis conculcandæ: Quod nobis faciendum esset, si arcana idearum cum huiusmodi disceptando (ut opus esset) exponeremus. Ne tamen lectores penitus ieiunos dimittamus, aliquid uel leuiter percurremus, ea tamen lege, qua Orpheus de arcanis diuinis decãtare solitus est, hac in primis de more protestatione præmissa.

Orphe. *Vos, qui uirtutem colitis, uos ad mea tantum*
Dicta aures adhibete, animosque intendite uestros:
Contra qui sanctas leges contemnitis, hinc uos
Effugite procul ô miseri, procul ite profani.

Vos inquam, qui diuina contemnitis, oracula spernitis, leges abiicitis, ut ille maledictus Arabs: aut uenari uultis rationibus Deũ, & sua arcana, quæ propriis uiribus inuestigari non possunt, sed tantummodo ab oraculis addiscenda: undè Orpheus fatetur Deum cognitum soli Abrahæ (cui soli, & familiæ suæ credi-

ta sunt eloquia Dei) subinferens de Deo ipso.

Nemo illum, nisi Chaldæo de sanguine quidam
Progenitus uidit: quem cœlorum aurea sedes,
Sublimisque tenet: cuius se dextera tendit Idem
Oceani ad fines: quem de radicibus imis
Concußique tremunt montes, nec pondere quamuis
Immenso sit, ferre queunt: qui culmina cœli
Attollens, terris nunquam tamen ille fit absens:
Ipse est principium, medium, qui & exitus idem.

Fatetur igitur Deum esse principium, & finem omnium, & medium, quo fiũt omnia, iuxta illud Pauli: A quo omnia, in quo omnia, per quẽ omnia. Quod arcanum explicatum fuit Abrabæ Chaldæo, & posteris suis (qui Hebræi dicti sunt à transitu) & scripturæ commendatum in libro de Formatione: qui ipsi Abrabæ inscribitur. Vndè & Aristoteles, cum de ipsius Dei cognitione in prima philosophia dissereret, patres Chaldæos ueneratur cedens ipsis: quia ab oraculis acceperunt: Qui (ut inquit Proculus nescio quo lumine collustratus) apud Deum epulati, & in puro uiuentes splendore, secundum perfecta undique, stabiliáque initiati sunt Phantasmata, asseuerantes opiniones, & rationes sciẽtificas pro nugis, & anilibus fabellis reputabant, cum illæ quidem incertæ, & dubiæ sint, nõ procul ab irrationali existunt uita: Eæ autem syllogisticæ sunt, & compositæ: nullóque modo opificis ipsius solitariam, intellectualemque naturam attingere possunt. Illas tamen faciles, & fallaces rationes, ne uideamur eorum uersutiam declinare, iam enodabimus. Et primo cur irriserit Aristoteles, aut contempserit ideas, dicant Themistius, & Simplicius eius expositores, & Franciscus inter nouitiores theologos insignis illuminati cognomine decoratus: Horũ primus ait: Aristoteles semper conatus est contradicere ad apparẽs; Sequens uerò inquit: Arguit Aristoteles potius ad uerba, q̃ ad sensa: Vltimus autem largiori licentia, aut zelo diuinißimæ theologiæ in eum huiusmodi uerbis prorumpit: Aristoteles duplici de causa Platonẽ criminatur: Prima est inuidia, qua falsò, & impiè magistrum, à quo multa didicit ubique insequitur: ut manifestum est etiam mediocriter in Platonis dogmatibus expertis: Altera, quia & si fuit bonus philosophus, fuit peßimus metaphysicus: Sed nec in physicis inuentor, uerum tantum collector fuit, ut ipsemet in Elenchis fatetur dicens: Si de inuentis detur alicui laus, mihi debetur de Elenchis: Vbi ueritate coactus noluit sibi arrogare, quod nõ fecerat: In illis itaq; arguendi regulis, & sensibilibus uersatus sponte discesßit à diuino symposio: in quo (inquit Simplicius) nutritus Plato semper diuina ueneratur, & à speciebus illis æternis, & ideis exorsus usq; ad ima deuenit: Aristoteles autem à sensibilibus procedens eousque conscendit, quo suæ rationes ex sensibilibus formatæ deducere possunt. Diuisiones enim gratiarum sunt, inquit noster Paulus: Ideo alij datur sermo sapientiæ, alij sermo

Paulus; Aristo.; Themi.; Simpli.; Franci.; Simpli.; Plato.; Aristo.; Paulus

ſcientiæ, alij genera linguarum, & huiuſmodi. Alij itaq; datur ſcire in humanis: alij ſapere in diuinis. Aliis etiam (ut Cicero inquit) data fuit copia fandi: Aliis ad penetralia doctrinarum ingreſſus: ſed ad utrunque (ut ait) nemini Græcorũ uiderat contigiſſe. Quid autẽ ipſi de ſeipſo uiſum fuerit, ſubticeo: ſed ueniamus ad rationes. Exiſtimant ſufficere Deo ſuum obiectum: damus eis, ſed dicimus, quòd in illo, uel in uerbo ab ipſo producto, quod idem eſt cum ipſo obiecto, ſunt rerum ideæ: Quod non eſt obiectum ſub ratione filij, aut uerbi producti, uel idearum: ſed ſub ratione deitatis, uel eſſentiæ. Nec ridiculum proponũt fautores idearum dicentes, quòd Deus indiget ſimulacbro, cum ipſe ſeſe conſtituerit exemplar rerum faciendarum. Nec mirum, ſi ex exemplaribus æternis generentur corruptibilia, & temporanea: cum ſemper opus degeneret ab artificè uoluntario, & libero: & multoties ab inſtrumento: Imprimit enim ſigillũ argẽteum, ſiue aureum in cera, uel luto multo ignobiliori ipſo auro. Nec ſunt ideæ relationes alio modo, quàm ea relatio, qua Deus refertur ad creaturas: ſunt autem rationes (ut aiunt) aut quocunq; uocabulo nuncupentur: Sicut enim creatura dependet à Deo, ita dependet ab ideis: quæ idem ſunt, cum ipſo Deo. Conferre quoq; ideas ad numerum non abſonum eſt: cum tot ſint ſpecies, quot ideæ earũ. Nec ſunt ſpeciebus æquiuoca, ut imaginabatur Arabs: cuius cura fuit ſemper mordere diuinos ſapientes: Intricat enim hîc neſcio quid de numeris, adeo ut Albertus ille magnus meritò ipſum ſpernat: cum eſſet in æquiuoco, eo quòd non fiat ſermo de numero mathematico, quando aſsignantur rerum principia, & ideæ, ſed de meliori numero, ad quem non peruenit Arabs. Poſtea excuſat eum (ſi excuſatione dignus eſt) aſcribens errorẽ ſentẽtiæ corruptæ: qui potius aſcribendus erat corruptæ menti, quæ ſemper diuinis inimicabatur. Ad aliud autẽ: Verum eſt, quòd aſsimilatio in progreſſu ad Deum fit per attributa, & uirtutes: ex quibus cõſcendentes ſummæ ueritati, & exemplari uirtutũ magis ac magis appropinquamur: In exitu autẽ ab ipſo Deo progredimur ſimiles per ideas, quibus figuramur eius imagine: Quod ſi Ariſto. aſsiduus Platonis auditor noluit inuidia admittere, aut quia non erat conſonum progreſſui ſuo facto ex ſenſibus, uel quia illi cacodæmoni Plato nõ explicauerit, nec crediderit diuina, quid ad nos? Nec deficiũt ſacra eloquia de ideis perhibentia, dummodo ſane intelligantur: ut ſupra tetigimus. Nec admittimus eas, tanquam neceſſarias admodum doctrinæ, quam docet Ariſtoteles ex diffinitione per genus, & propriam differentiam: ſed ad illum, qui à ſuperiori cauſa procedit: quò deuenire (dũmodo adſit facultas) laudat etiam Ariſtot. dolẽs, quòd oculus noſter ad ea, quæ ſunt maniſeſtiſsima in natura, & in Deo ipſius naturæ, & rerũ naturaliũ authore ſit tanquam oculus nycticoracis ad lumen ſolis. Dolet inſuper, ꝙ ſermo de diuina ſubſtãtia ſit in nobis perpaucus & debilis. Hinc uenerãdi ſunt illi, quibus Deus credidit eloquia, & arcana, quæ nos propriis uiribus inueſtigare nequimus. Et uerum eſt, ꝙ non indiget Deus in operando aliquo inſtrumento; uel re ex-

Cicero

Auerrois

Albertus.

Ariſtote.

traria, seipso contentus, & sufficiens: sed ideæ in eo sunt idem cum ipso, etiam impartitæ rebus, non autem extrariæ. Nec inconueniens est secundum Platonicos, & diuinos sapientes, quod à summo ente emanat, & ipsum participat, esse aliquo modo unum, & aliquo modo non unum: aliquo modo idem, & aliquo modo non idem, sicut sol unus est in se, multiplex im radiis: & calor ab eo procedens idem est cum sole, & in suscipiente non idem: Sic & arbor una est in se, multiplex in ramis: eadem est cum fructu, & non eadem in sapore, gustu, & natura: Quod à Proculo in Timæum, & in theorematibus theologicis doctè, atque sapienter disseritur: Sic & Ioannes Scotus docet, quòd obiectum, ut est in cognoscente, est idem cum ipso, sed in proprio esse diuersum. Nec ipsis ideis utitur opifex, tanquam instrumento, sed tanquam ui (ut ita dicam) seminaria, & impreßiua formarum essentialium, à qua relinquatur simulachrum in suscipiente, sicut à generante naturali imprimitur forma specifica: Ab equo enim fit equus, & non simia: & ab aquila fit aquila, & non asinus. Et miror quippe, cur dubitauerint, quomodo uirtus illa idearum, cum sit ueluti seminaria uirtus, moueat passum ad formam suscipiendam: quia eadem dubitatio esset de quocunque agente, cum non minor applicatio, siue dicatur uirtualis contactus, sit in primaria causa, quàm in secundariis. Multa prosequi possemus disputãtes cum huiusmodi, sed superuacaneum adiudicamus, cum hæc non sint in controuersiã deducenda: sed potius suscipienda cum omni reuerentia, gratias agendo Deo collustranti intellectum nostrum ad arcana, & thesauros suos suscipiendos.

Platoni.

Procul.

Ioã. Scot.

Quid habeamus ex ideis. Cap. X.



T ne credantur ideæ frustra esse, & falsa imaginatione confictæ, uideamus, quid utilitatis assequamur ex ipsis, quas tantum ueneramur. Habemus ex eis formam, & esse specificum, ut conseruemur, & intelligamus: habemus denique nostrum pondus, atque mensuram. Et quantum ad primum, disputatur à multis de origine, & incobatione formarum, undè progrediantur: Et communi gressu conueniunt Peripatetici, quòd animæ corruptibiles, ac mortales egrediantur de gremio materiæ, ut eorum uerbis utamur. De intellectiua autem, cum adhuc apud eos dubiũ sit an sit mortalis, uel immortalis, nec undè ueniat determinarunt, sed eorum Princeps dubius loquens ait: Si est aliqua forma ueniẽs deforis, ipsa est anima intellectiua: sed nescio uerè, quomodo quis imaginari poßit, quòd forma educatur de materia, nisi sit uera opinio Anaxagoræ ascripta, ꝙ quodlibet sit in quolibet. Sed dicunt, quòd inest potentia in actum aliquando deducenda. Sed ô Peripatetici, quis illam dedit materiæ in potentia, & quis in actum deducit? Natura (inquiunt) materiæ & subiecto hoc tribuit, & particulare agens uirtute seminaria deducit in actum. Quid autem sit hæc natura (ut alibi diximus) non determinant, sed aliud esse non potest, nisi primus opifex operans omnia in omnibus, aut secundariæ causæ agentes ad imperium eius, & uirtute ipsius.

Peripate.

Aristote.

Anaxa.

Ipse est ergo primum agens, & primus formarum dator, à quo omnis uita, forma, & ordo. Sed cum nemo det, quod non habet (ut ipsi Peripatici docent) necesse est ergo, ut omnis forma sit in opifice, à quo processit: Et formæ ibi ex stẽtes ideæ sunt, ad quarum metas habemus particulares formas, & esse: Et cum illud esse continuè fluat ab ipso, qui dedit, habemus ab ideis, secundum quas tribuit, undè sustentemur, ne defluamus in nihilum: cũ nostrum esse continuè fluat: Et quod fluit, necesse est, ut in aliquo permanente sustentetur: Fluunt enim tempus, & motus, & sustentantur in cœlo permanente: Fluit calor naturalis, & sustentatur cibo: Fluit aqua in fluuio, & sustentatur alueo: Fluit denique omnis creatura in nihilum, & sustentatur diuino uerbo: in quo omnia condita sunt.

Paulus *Hoc est, quod inquit Paulus de Patre omnium bonorum fonte: Portans omnia uerbo uirtutis suæ. Hinc habemus: undè intelligamus ab eis, quæ inuariata, & immutata permaneant: Nam ex his continuè fluentibus, & nunquam permanentibus in eodẽ statu nihil sciri potest, ut opinabatur Heraclitus Ephesius, Cyrillus, Paron, & multi alij: quia cum forma rerum transmutabilium continuè fluat, existimabant illam non esse semper eandem, neque habere determinatum esse: adeo, quòd neque diffinitio, quæ est permanentium, & necessariorum, de eis haberi potest: Quamobrem & Parmenides asserebat nihil sciri de inferioribus, nisi inquantum à supremo, de quo est uera cognitio, dependent: Qui postquam de diuinis decantauit de inferioribus subinfert.*

Heracl. Cyrillus Paron Parmen.

Hactenus & ueri mentem, intemeratáque uerba.
Nunc res mortales carmen quoque sumite fallax.

Ecce quàm piè, quàm iustè, & quã eleuata mente uocat diuinorũ cognitionem ueram scientiam, & sermonem de eis intemeratum: quia stabilia, & firma sunt: Inferiorum autem, & transmutabilium opinionem, fallacemq; sermonẽ diiudicat: Quæ nõ uidit, aut uidere noluit Aristoteles, & Auerrois: quia noluerunt excitare, & assumere oculum, quem (ut Plotinus ait) habent quidẽ omnes, utuntur uerò perpauci: aut noluerunt admittere: quæ docentur solummodo in scriptura illa sacra bipartita: ex qua, tanquã ex uero thesauro extrahi possunt noua, & uetera, quæ nouo, & ueteri decãtamus cãtico: Quod perpẽdẽs Aug. ex sacris eloquiis collustratus, & diuino subuectus spiritu, quid de ideis dicat, per quas habemus esse, & cognitionẽ, audiamus: In ideis est tanta uis, ut nisi eis intellectis nemo sapiens esse possit. Quæ cũ in uerbo incarnato sint, nõ immerito Paulus de ipso depromit: Ibi sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ abscõditi. Cũi sententiæ fauet Philon sapiẽtissimus in libro, quẽ scripsit, ꝙ peiora melioribus insultare solẽt, dicẽs: Decet omnes, qui sciẽtiã quærũt, ad Deũ patrem mentem erigere: Si uerò nequeunt, ad imaginem saltem eius, scilicet uerbum sacratissimũ. Faciũt etiam ideæ necessariò ad numerum: quia in rebus transmutabilibus, & continuæ uariationi subiectis non potest uerificari, aut stabiliri annumeratio. Neque aliter omnia disposuit Opifex in numero, pondere, & men-

Aristo. Auerrois Augusti. Paulus Philon

sura, nisi quatenus in uerbo annumerata, ponderibus suis librata, & mensurata sunt. Septuaginta hebdomades (dixit Gabriel ad Danielem) determinatæ sunt super populum istum, pro quo nos habemus abbreuiatæ: Determinata sunt enim ibi non tantum hebdomades, sed omnia, quæ in hoc mundo fiunt, & facta sunt: pōderanturque, ut harmonica sint: Nam (ut Pythagoras primo, & post eū multi comprobarunt) à ponderibus uera harmoniæ ratio deprehēditur: quæ tamen in numeris fundatur. Et isti numeri uocales simul cum naturalibus, uel formalibus, & rationalibus à diuinis procedunt, sine quibus, tanquā primariis fundamentis illi penitus nihil essent. Gabriel Pythag.

Quòd omnis harmonia à uerbo procedit. Cap. XI.



Cum in uerbo omnia numerata, & ponderata sint, & harmonia à numero, pondereque dependeat, facilè concludimus cuncta consequi suam harmoniam ab ipso uerbo, in quo numerati, & distincti sunt rerum gradus concinni: Qui & necessariò harmonici sunt, si uera docet academicæ doctrinæ illustrator præcipuus Proculus: quod omnis multitudo ab aliquo uno descendens harmonia indiget: qua uidelicet inter se, & cum ipso uno conueniat. Verum omnia ab illo uno uerbo emanarunt, & facta sunt utique harmonica, prout ab eodem unico uerbo accipiunt, & eius uirtute in unitatem primi tendunt: & eius attractu conducuntur. Hinc accepta fuit portio illa, de qua inquit Plato in Timæo: Vnam in principio accepit opifex ex uniuerso portionem: Ex fonte enim uniuersi, & totius esse accepta est una portio, quæ est (ni fallor) ipsum esse omnium rerum communicatum ab eo, qui dixit: Ego sum, qui sum; habens uidelicet esse à meipso: & ab inuidia semotus omnibus illud communico, suis tantum distributum gradibus. Quæ communicatio: cum sit facta materiæ primæ ab eo ad extra productæ, ideo sequitur Plato, quòd ab illo uno primo emanat binarius ipsi materiæ attributus: quia primo dualitatem consequuta est: Nam sicut ab unitate primus numerus emanans est binarius (si numerus censeri potest) sic ab illo summè uno esse communicatum primo determinatum fuit in materia: Et hunc binarium congeminat usque ad cubum, trinam uidelicet dilatationem, ultra quam non datur alia: Quod ex ista Platonis officina Aristoteles tradit in principio libri de cœlo. Ex alio uerò latere, quod formæ competit secundo productæ, & tertiæ à producente per ternarium procedit, usque etiam ad eius cubum: in quo omnigenam formam concludit: per quam materia reducitur in actum, & redit in primum. Vndè inest forma, tanquam medium inter perfectissimum & imperfectissimum utrique familiaris, & symbolum quoddam habens cum summo & infimo, ut hoc reducat in illud: Quo ternario forma, & ipse dator formarum gaudet: ideo hic, secundum nostram diuinissimam Theologiam, in ipsam diffunditur, æqualiter nobis eam communicans: Quod academici ipsa ueritate excitati profitentur: Proculus nanque dicit animam hoc potissimè numero lætari, sen- Procul. Plato. DEVS. Aristo. Academ. Procul.

Plotinus. tiens quodam modo conuenientiam cum illo, cuius gerit imaginem. Plotinus autem, cui semper curæ fuit nuda palæstra, & expedita ab ænigmatibus, truncis tamen, & obscuris uerbis proponere, quæ antiquiores sui academici: & Pythagorici uelaminibus ænigmatum obuoluerunt, in libro de tribus substantiis inquit: Aeternum illud, atque perfectum, æternum semper, perfectumq; generat: quo CHRISTVS. genitore genitum minus est, iuxta illud quod genitus ait: Pater maior me est. Se Plotinus quitur Plotinus: Ab ipso enim primo procedit, quod omnium maximum est post ipsum primum: Et hoc ipse uocat intellectum, intelligentiam, mentem, & Dei uer Mercur. bum, Sic & Mercurius uocat ipsum Dei uerbum, & mentem: Sed Zoroastres Zoroa. Pythag. mentem: Pythagoras simul cum Psalmographo uocat ipsum Dei primogenitum Dauid Ecclesia sapientiam, iuxta illud Ecclesiastici: Ego ex ore altissimi prodij primogenita an Orphe. te omnem creaturam: Orpheus uerò, poëtico more, uocat ipsam palladem de cerebro Iouis natam: Nam sapientia est supremi intellectus germen. Sequitur de Plotinus inde Plotinus: Genitum ei, qui genuit, usque adeo cohæret, ut sola alteritate ui Theolo. deatur esse discretum. Verum Theologi nostri dicunt, quòd relatione reali differt, non tamen essentia, uel substantia: quamuis aliqui per absoluta quædam opinentur ipsos distingui. Sed his dimissis ad negotium nostrum reuertamur. Iam ex Plotino habemus duo in diuinis, generantem, & genitum, non quidem generationi animali, quam iubet procul astare, cum de sempiternis sit sermo: Et cum adhæsionem, connexionemque doceat inter generantem & genitum, confitetur etiam Spiritum sanctum: quem nexum, & amorem mutuum dicimus. Ecce quomodo confitētur Trinitatem in diuinis, qui ipsam ueritatem uenantur: Sed melius perciperent, si ipsum susciperent, & audirent, qui omnia, quæ audiuit à Pa Plotinus tre, nota fecit secretioribus discipulis. Postea ad animam descendit Plotinus: quam dicit uerbum diuinæ mentis eius gerentem imaginem: Nam ipsa, & omnia alia producta sunt Dei uerbo existentia, & ipsa uerbum non quidē illud essentiale, & Dei filius, sed expreßiuum quoddam conceptus idealis: Sicut enim uer bum, quod uoce proferimus, manifestat cogitationem, quam mēte concepimus, sic creatura producta, quasi uerbum quoddam manifestat, quod Deus mēte cōceperat: Et quamuis quodlibet creatum posset hoc modo dici Dei uerbum, nullū tamē habet imaginē, nisi anima: Ideo & ipsa gaudet ternario, quo & eius progenitor: Et quæcunque sit rerum trinitas, est à primo ternario, à quo ꝑ uerbū omnis effluit multitudo: In qua cum sit similitudo, & dissimilitudo, paritas, & Boëtius Nicame. imparitas, hinc tibi resultat harmonia, quæ est (authore Boëtio, & Nicomacho) parium, impariumque, aut similium, dissimiliumque uocum in unum redacta concordia. Ecce igitur quomodo & omnis harmonia à uerbo ipso procedit.

Quomodo istæ ideæ intelligantur à nobis. Cap. XII.



St dogma Platonicum, quòd naturalia sunt discēda, moralia usu cōparanda, sed diuina cum reuerentia ab oraculis suscipienda: quia ad ea non possumus, nisi quantum ipsa suprema lux nostros collu-

straverit oculos: Vndè nec angelus, cuius intellectus non est materia præpeditus, sine luce illa diuina Dei fabricam intelligere ualet. Ideo Moses (ut sentit Augustinus) miro artificio innuit, quomodo omnia, quæ producebantur, manifesta fiebant mentibus angelicis successione quadam illius luminis coruscantis, dicens: Sicut ratio, qua creatura conditur, prior est in uerbo Dei, quā in ipsa creatura, quæ conditur, sic & eius rationis cognitio prius fit in creatura intellectuali peccato non obnoxia per lumen uerbi, postea in genere proprio. Ex quibus binis cognitionibus eodem lumine, tanquam ex mane & uespere, integratur dies: Et esto quòd incipiat scriptura à uespere, illud facit resumendo successionem à posteriori parte. Multa prosequitur Augustinus, quibus demonstrat angelos nō intelligere illa arcana, nisi quatenus fuerint diuina luce perfusi: multominus nos grauati mole corporea subuehi possumus ad illa spectacula, nisi diuina gratia noster emundetur oculus, & suo lumine collustretur: Ideo hæc absconduntur à sapientibus, & prudentibus huius sæculi: & reuelantur paruulis malitia effectis discipulis ueræ lucis, & ueritatis æternæ, quæ omnia condidit, & ordinauit. Et mirum quippe est, quòd nolint multi credere de mundi, & rerum particularium genitura progenitori, & opifici earum, & credant Aristoteli, & Auerroi, qui nec fabricarunt, nec eorum artificem, nec ipsam fabricam cognouerūt, nisi quatenus subest animalibus sensibus. Satis eis fuit stare intra limites suæ Philosophiæ naturalis: quæ de rebus, prout motui multiplici subiiciūtur, pertractat: Quæ autem à Deo effecta sunt, relinquunt his, qui ipsius Dei scholam frequentant: & aliquando ad eius penetralia introducuntur: ut non tantum audiant, sed uideant, & manibus contrectent ea, quæ latent extrariò: Quomodo uidelicet ab ipso uno ꝓcessit hæc numerosa multitudo, Ab ipso bono cūcta hæc ualde bona, Ab ipso uerò, ut hæc omnia uera sint: Ab ipso uerbo, & intelligentia suprema, ut cognoscibilia sint, & cognoscantur: Ab ipsa uita, ut uiuant: Ab ipso sancto, ut sancta sint, quæ sanctificari uolunt: Ab ipso pulchro, ut pulchra sint: Quod in parte sua benignitate manifestauit ipsum Dei uerbum dicens: Ego sum uia, ueritas, & uita: Et summatim concludens ait: Omnia dedit mihi Pater: qui est fons omnium bonorum immensus, ut per me uidelicet producātur, & cognoscantur.

Augusti. CHRISTVS.

Rerum necessitas, & omne esse ab ideis dependet. Cap. XIII.

EX officina itaque summi architecti habemus, quòd ab ipsis ideis non tantum suscipimus formas, & esse continuè fluens, cognitionemque, & numerum rerum, pondus, atque mensuram, & consequenter, ut concinna sint omnia, sed habent, undè sint, & necessaria sint: quod probare possumus: Nam omnibus notum censemus, quòd nullus habet ea, quæ acquirere, & conseruare satagit: Quærimus enim ueritatē, & sapientiam, quia eam non habemus à nobis: Quærimus bonitatem, & uoluptatem, & uirtute proficere, & præfici, cum hæc in nobis non sint, sed aliunde com

paranda: Laboramus & ipsum esse conseruare, cum illud continuè ab alio hauriamus: & tandem, quicquid boni est, acquirere procuramus, tanquam aliunde proueniens: Deus autem nihil quærit, cum bonorum nostrorum non indigeat, inquit propheta: Cum quo Aristoteles in Politicis ait: Teste Deo, non est fœlicitas in rebus exterioribus: quia ipse est fœlix absque aliquo extra seipsum, Cum Deus igitur omnia habeat à se, nos autem nihil, omnia suscipere expectamus ab eo, qui tribuit secundum mensuras illas æquissimas, quæ sunt in archetypo: Quas nonnulli sapientum Hebræorum ideas esse docēt, ut nomina cōsonant: Nam idea est exemplar, meta, & mensura rei faciēdæ: Aequus enim & iustus distributor mensurat, & ponderat, quæ distribuit: ut unicuiq; tribuat secundum propriam uirtutem, aut secundum id, quod meretur: Sic & opulentissimus largitor Deus, esto quòd sit interminatæ bonitatis, tamen influit secūdum exigentiam recipientium: sed in primæua distributione secundum quod requirebat ordo uniuersi. Hinc posita est cortina in medio aquarum superexcelsarū, quæ immensæ sunt, & inter aquas has inferiores, & terminatas. Per cœlos itaque supramundanos mensurātur omnia donanda, ne plus detur recipienti, quàm conueniat: sed omnia mensurata, & librata distribuantur illis ponderibus, & mensuris, quæ non sunt in rebus mensuratis (ut ex doctrina Augustini supra diximus) sed in mensurante: Et istæ sunt ideæ, & exemplaria rerum æterna, à quibus unumquodque recipit esse, & donatiua, secundum gradum, & terminū, qui præteriri non potest: Vndè ex ordine ab opificè dato, & ab idea eius sigillante, iuxta mandatum regis, est ipsarum rerum recipientium & ipsum esse, & necessitas essendi, secundum formam datam.

Dauid
Aristote.
Augusti.

Ibidem sunt etiam ideæ uirtutum, & regulæ, quibus conformiter uiuere debemus. Cap. XIIII.



Leges, regulas, & metas uiuēdi descriptas esse in uerbo, satis erat ad comprobandum illud uerbi æterni, & infallibilis Veritatis dicentis: Ego sum ueritas, & uia: à qua uidelicet emanat, undè omnia creata sint uera entia, & undè unusquisque rectum uiuendi tramitem teneat: & à qua omne iudicium rectum sit: Nihilominus & Augustinum adducemus explicantem, quæ Christus paucis uerbis complicata tradidit, Hæc enim in suo de trinitate ait: In libro lucis illius, qui ueritas dicitur, scriptæ sunt regulæ, quibus uidetur quemadmodum quisque uiuere debeat: & ibi quid sit iustum, & iniustum agnoscit: Ibi cernit habendum, quod non habet: Inde omnis lex iuxta describitur, & in corde hominis, qui operatur iustitiam, non migrando, sed tanquam imprimendo transfertur, sicut imago ex anulo in ceram transit, & aurum non relinquit: Nam illæ æternæ, & immutabiles sunt. Et cum de ciuitate superna ageret, docet has regulas etiam angelos dirigere dicens: Incommutabilis ueritas tanquam lex æterna in illa eorum curia superna ab angelis consulitur: Neque enim sibiipsis sunt ueritas, sed creatricis participes ueritatis

CHRISTVS.
Augusti.
Idem

tis: ad quam mouentur, tanquam ad uitæ fontem: à qua si declinauerint, & ipsi iniqui, & filij mortis efficientur, ut ipsa Veritas perhibet dicens. Ille homicida ab initio in ueritate non stetit, quia non est ueritas in eo: Vndè oportebat, ꝙ aliunde, id est à uerbo susciperet: de quo incarnato inquit Paulus: Nihil putaui me scire inter uos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum: quia tunc impleuit omnem ueritatem aperiendo uiam ad finem: in quem tendimus, complendo prophetias, & legem, attrahens omnia uirtute sua, præbensque doctrinam uiuendi consummatissimam: Quod ut declararet, clamans ait: Consummatum est, omne uidelicet mysterium, & completa ueritas, quam obtenebratæ mentes non cognoscunt, nec undè ueniat, neque à quo emanet. Ex scriptura quoque antiqua edocemur, quòd in Christo Dei filio, & sapientia humanata est omnis regula uiuendi, & iudicandi, ut ipsamet in Prouerbiis Salomonis loquitur dicens: Per me reges regnant, & legum conditores statuta decernunt: Per me principes imperāt, & potentes decernunt iustitiam. Et paulo inferius: Nunc ergo filij audite me: Beati qui custodiunt uias meas: Audite disciplinam: & estote sapientes, & nolite abiicere eam. Beatus homo, qui audit me: & qui uigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostij mei. Necnon in carne existens dixit: Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur. Vndè sequitur: Qui me inuenerit, inueniet uitam, & hauriet salutem à Domino. Ex Vaticinio quoque Ieremiæ hæc de ipso habemus: Hic adinuenit omnem uiam disciplinæ, & tradidit eū Iacob puero suo, & Israël dilecto suo: post hæc in terris uisus est, & cum hominibus conuersatus est, unitus uidelicet carni humanæ. Ecce igitur quomodo hoc uerbum incarnatum, qui est Christus, & Messiah, omnem legem, & omnem ueritatem tradidit: quæ in utroque continetur testamento.

CHRISTVS. Paulus CHRISTVS. Salomon CHRISTVS. Baruch.

Ibi sunt rationes moderantes honestas, & turpes actiones. Cap. XV.



Cum igitur in uerbo diuino sint omnes regulæ bene, rectéque uiuendi, à quibus discrepare peccatum est, merito eidem, in quo sunt istæ regulæ discretio bene, aut malè actorum committitur, sicut ipsemet ait: Omne iudicium dedit mihi Pater. Ipse enim iudicabit uiuos, & mortuos, qui discernere omniū merita, & flagitia nouit. Quod & Isaiæ oraculū perhibet, dum de Filio nascituro de Virgine (qui Himanuel uocandus erat) pertractat dicens: Butyrum, & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum. Comederunt quippe butyrum, siue lac, & mel omnes prophetæ, & patres illi, quibus data est promissa terra fluens lacte, & melle, & qbus datū est sugere ubera illa excelsa: Sed nullus tātū comedit, ut posit plenissimè discernere malum à bono; nisi noster Himanuel, qui non tantū opus, sed corda hominum cognoscebat, sicut ait Ioannes: Ipse nouerat omnes. Nec opus ei erat, ut quis testimoniū perhiberet de homine: Ipse enim sciebat, quid esset in homine. Cui incarnando etiam regius propheta cum summa reuerentia loquebatur dicēs: Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es: mirabilia ope

CHRISTVS. Isaias Ioan. Dauid

ra tua, & anima mea cognoscet nimis. Inter quæ mirabilia hoc enumerat, quòd omnia abscondita uidet, subinferens: *Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto, & substantia mea in inferioribus terræ: Imperfectũ meũ uiderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur.* Sic & omnium merita, & flagitia connotantur in eodem libro, qui citra omnem controuersiam, uerbum diuinũ, & sapientia illa est, quæ unita cum humanitate facit nostrum Meßiam, & Christum.

Christus est uerus homo diuinitate plenus. Cap. XVI.

SI Christus fuerit uerus homo, cum omnes paßim confiteantur, superfluum est disputare: Vndè, cur uoluerit redimere genus humanum in humana natura assumpta, nobis restat percurrendum: Cuius rei prima ratio sit, quia cum in primo homine totum genus humanum præuaricatum sit, æquum erat, ut & satisfactio tribunali summæ iustitiæ Dei fieret per hominem, stante ipsius Dei lege, quòd quisque puniri debet,
Exodus per quæ & peccauit: & satisfactio facienda est p æquiualens, sicut in Exodo,
Deuter. & in Deuteronomio legimus repetitum, quòd nocens alicui reddat animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionẽ pro adustione, uulnus pro uulnere, liuorẽ, pro liuore: Ideo homo pro homine exponi debuit: sed homo quidẽ cœlestis, & innocens, & innoxius à peccato pro homine terreno, transgressore, & flagitioso: ut non tantum sumeretur
Paulus debita pœna, sed legitima redemptio fieret à non obligato pro se: Quod Paulus suis reboantibus uerbis intonat dicens: *Quoniam quidem per hominẽ mors, & per hominem resurrectio mortuorum: Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes uiuificabuntur.* Neque enim satisfactio, quæ pœnam exigit, fieri potuit, nisi per eum, qui paßioni esset subiectus. Præfici insuper debuit is unicuiq; operi, qui in eo expertus sit: Hinc homini fragili, & multis subiecto poßionibus cõueniens fuit princeps in huiusmodi instructus, & assuetus,
Idem ut inquit noster Paulus cum Hebræis disserens: *Non enim habemus põtificem, qui non poßit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato:* ut regat cum debita clementia, & dolore de malo alieno: & piè iudicet expertus infirmitatem iudicandorum: Quod ipse Christus
CHRISTVS. hic uerbis innuit: *Potestatem dedit Pater Filio hominis iudicium facere: quia Filius hominis est,* conscius uidelicet per experientiam conditionis eorum, qui iudi-
Lucre. candi sunt. Constitui quoque debuit caput corporis, qui eiusdem rationis esset cum corpore, ne fieret chimæra, de qua dicitur: *Prima leo, postrema draco, media ipsa chimæra.* Est enim collectio omnium Deo seruientium corpus quoddã,
Paulus cuius caput Christus est, ut inquit Apostolus: *Ipse est caput corporis ecclesiæ:* & alibi: *Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem mẽbra nõ eundem actum habent, ita multi unum sumus in Christo: singuli autem alter alterius*

membra. Cum insuper paratum sit nobis cœleste regnum à constitutione mundi, & ad ipsum obtinēdū instituti simus, ut iure hæreditario illud acquiramus, erexit Pater hominem adeo plenum Deo, & filiali diuinitate, ut non tantum faceret eum primogenitum, sed per eum daret omnibus uolentibus piè uiuere, non secundum carnem & sanguinem, ut & ipsi filij Dei efficerentur. Et hic primogenitus uniuoca, & cōgenea ratione debuit esse frater cum aliis, si primus eorū numerari debebat: Quod horum arcanorū conscius Paulus non tacuit, sed ait: Paulus
Quos præsciuit, & prædestinauit cōformes fieri imagini filij sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus: Et iterū: Si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. In hunc insuper hominem uenit, in quo per ipsius rebellionem contaminata erant omnia, ut omnia in ipso purgās, omnia restitueret ad pristinum statum: Affuit enim in homine tanquam fermentum, non quidem corrumpens massam totam, sed perficiens: destruens uerò, & expellens corruptum, & deterius: Aut tanquam uirtus perfecta auri fuit, quam lapidem philosophorum uocant, quæ (ut aiunt) omne metallum statim in aurum conuertit, sic iste ea, quæ per peccatum conuersa erant in scoriam, in aurum uel argentum immutauit. Hinc per Isaiam dicitur: Et conuertam manum meam ad te, id est Filium, qui nunc manus, nunc brachium dicitur æterni Patris: & excoquam ad purum scoriam tuam: & auferam omne stannum tuum. Et per Malachiam: Et sedebit conflans, & emundabit argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum: & erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia. Et per Isaiam iterum, cum de Meßiah futuro longo progressu ageretur, aperta uoce intulit: Et scias, quia ego Dominus saluans te, redemptor tuus, sanctus Israël: Pro ære educam aurum, & pro ferro educam argentum: ponāque uisitationem tuam pacem, & cætera, quæ sequuntur: Quòd & si dispositiuè in omnibus, effectu autem in quibusdam fecit in primo aduentu, plenius & perfectius faciet in secundo: ut Apostolus ait: Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem, qua posit subiicere sibi omnia. Tandē cū homine uniri uoluit, & per ipsum genus humanū redimere, & purgare, ut ipse Deus homo uiā faceret ad diuinitatē: ad quā consequendā instituti sumus, sicut ipsemet testatur dicens: Ego sum uia: Ego sum ostium: per me si quis introierit saluabitur: & ingredietur, & egredietur, & utrobique pascua inueniet. Venit itaque Deus ad hominem, ut hominem deduceret in Deum: Ideo cum in forma Dei esset, non rapinā arbitratus est esse se æqualem Deo, & homines deos facere, cum ad hoc essent instituti: Propter quod conducendum ipse Deus exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus ut homo: humiliauit semetipsum factus obediens usque ad mortem: propter quod, & Deus exaltauit illum: & dedit illi nomē, quod est super omne nomen. Exaltabit quippe etiam illos, qui uoluerint secum uniri,

Idem (beside "mogenitus in multis fratribus")
Isaias (beside "tum immutauit")
Malach. (beside "ad purum scoriam tuam")
Isaias (beside "in iustitia")
Paulus (beside "perfectius faciet")

dans eis nomen diuinitatis, quod est super omne nomen: Ideo inquit Ioannes: Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filij Dei nominemur, & simus.

Sicut Christus in eo, quod Deus, continet omnia uirtute, sic in eo, quod homo, continet eadem omnia in eundem excellentissima nota collecta. Cap. XVII.

Paulus On absque profundissima doctrina, & sacramēto Paulus ex intimis penetralibus, ad quæ aliquando fuerat introductus, affert nobis celeberrimum Christi elogium dicens: Complacuit Deo patri in eo reconciliari, siue recapitulare omnia: ut expresse sentit, Hieron. & longo progressu disserit Hieronymus in epistolam ad Ephesios, dolens, quòd traductio Latina habeat instaurare pro recapitulare: Recapitulat utique Christus omnia in se omnia cōtinens: Nam sicut in summaria, & extrema repetitione orationis orator omnia recapitulat, & cōplectitur, quæ diffuse, & singillatim in tota oratione pertractauerat, sic summus opifex productis omnibus creaturis distinctè, in sexto & ultimo die hominem produxit, in quo continentur omnia. Sic etiam in ultimo hoc tempore, & ætate erexit, & mundo monstrauit filium suum Christum Iesum, in quo continentur eadem omnia multo maiori excellentia, quàm in aliis hominibus: Continet enim in eo, quòd Deus, ipsum Patrem CHRISTVS. æternum: Pater (inquit) in me est, & ego in eo: Continet Spiritum sanctum, de quo ait: Ille de meo accipiet. Et iterum Mittam uobis eum. Sed non mittit, nisi qui producit, dicunt Theologi nostri: nec producit, nisi illud in se primo contineat. Continet omnes perfectiones diuinas, ut idem ipse clara uoce profite- Idem tur dicens: Omnia dedit mihi Pater. Et iterum: Omnia tua mea sunt. Quæ sicut infinita, & immensa sunt, sic impossibilis eorum explicatus: Continet enim pietatem, iustitiā, clementiam, fortitudinem, pulchritudinem, imperium, regnum, omnia attributa, & omnia charismata, omnemque uirtutem fabricandi: Vndè dicitur Idem & ipse fabricator mundi, & per quem omnia facta sunt, & fiunt. Hinc ait: Pater meus usque modo operatur, & ego operor. In eo autem quòd homo, continet omnia, quæ in homine connectuntur, sed perfectiori nota: sicut & ipse homo Deo unitus pefectior est, imò perfectissimus omnium. Hinc dicitur primogenitus omnis creaturæ nō tantū tempore, sed dignitate, & perfectione: Et per symbolum omnium rerum, quod assumpsit, omnia perfecit, & purificauit, ut Petrus hospitans apud Simonem coriarium edoctus fuit per uisionem animalium quadrupedum, & uolatilium existentium in uase, quæ ante Christum reputabātur immūda in antiqua lege, sed cœlesti oraculo purificata declarantur, tempore uidelicet Christi, qui omnia purgauit: Nam & si hoc in typum gentilitatis purificandæ demonstratū fuit, non decidunt tamē à ueritate rei. Hinc permissi Christianis sunt cibi, qui dicebantur, & erant immundi ante Christi aduentū: Quod Idem & ipse declarauit, dum dixit: Non quod intrat in os, coinquinat hominem: quia uidelicet iam per ipsum mūdabantur. Si enim per Noë purificata fuit terra ma

ledicta in peccato Adæ, ut inducitur à sacra scriptura Lamec dicens, postquam genuit Noë: Iste consolabitur nos ab operibus, & sudoribus manuum nostrarũ, a terra cui maledixit Dominus, adeo, ut sicut fructus terræ maledicta infensus, & odibilis erat Deo ante diluuium, undè reprobatæ fuere oblationes, & munera Chain ex fructibus terræ maledictæ, & non purificatæ, sic post Noë suscepit Dominus, imò requisiuit in lege primitias omnium fructuũ terræ, à qua per Noë sublata erat maledictio, ut diffusius tractant sapientes Hebræi. Multo itaque magis, & perfectius terræ fructus, & omnia purificari, & mundari debebant per eum, de quo dicit Apostolus: Pacificauit per sanguinẽ crucis eius, siue quæ in cœlis, siue quæ in terris sunt. Nec pacificasset, nisi prius purificatis ab omni immunditia rebus, ex qua reddebantur Deo odibiles: Cui adstipulatur illud Ioannis: Misit Deus filium suum, non ut iudicet mundum, tanquam reum uidelicet, & immundum, sed ut saluetur mundus per ipsum, eum, scilicet purificantẽ, & mundantem: Quod & ipse Redemptor innuit, dum ait: Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius, ut omnia cõtineat, sanctificet, & possideat: Sicut enim homo in se continet elementa & elementata omnia perfectiori nota, quam in seipsis existant, ita eadem omnia perfectissimè continentur in Christo perfectissimo omniũ hominum, & omnium creaturarum: quia tabernaculũ illud Dei (inquit Apostolus) fuit non manufactũ, id est nõ huius creationis: quia non manu, aut uirtute humana genitum, & fabricatum, sed Spiritu sancto, & uirtute altissimi obumbrata Maria genuit, & peperit Iesum, non secundum hãc productionem, aut generationem carnis, & sanguinis, sed secundum Deum, qui dedit ei fœcunditatem, aut formando portionem illam incontaminatam, quæ ex primo parente per Patriarchas traducta tandem fuit in Mariam, ut forsitã non insulsè opinatur Petrus Lombardus, aut per nouam portionem extractam (ut ait Damascenus) ex purissimis uirginis sanguinibus: quæ incontaminata nullatenus uidit corruptionẽ. Sed hæc, & omnia alia committimus iudicio, & determinationi sanctæ matris ecclesiæ in Spiritu sancto congregatæ, à quo omnis, infallibilis, & inconcussa ueritas.

Lamec

Sap. heb.

Paulus

CHRISTVS.

Paulus

Pet. Lób. Damasc.

Christus est vita, & sustentaculum omnia viuificans, & omnia ad se trahens. Tonus secundus



Vltiplex, & vnica est vita omnium. Ca. Primum.
Vndè omnia sortiantur vitam. Ca. II.
Quid sit arbor vitæ. Ca. III.
Vbi plantata sit hæc arbor. Ca. IIII.
Qualiter sit formata ipsa arbor. Ca. V.
Quibus, & quomodo communicata. Ca. VI.
Quando, & cur vetita sit arbor. Ca. VII.
Quomodo omnia in ea arbore, & consequenter in Christo viuant. Ca. VIII.
Christus est sustentaculum omnium. Ca. IX.
Cur non omnes sustententur ab eo. Ca. X.
Quomodo à terra fuerit exaltatus. Ca. XI.
Qualiter exaltatus omnia traxerit ad seipsum. Ca. XII.
Quomodo uirtutes, & numina in plura videbantur diffusa. Ca. XIII.
Christus liberans ab hac calamitate humanum genus deiecit tricipitem illam bestiam. Ca. XIIII.
Quomodo aduocauerit ad se omnia alia numina. Ca. XV.
Hoc dominium obtentum, & attractio omnium numinum ad se, probantur euidenti facto. Ca. XVI.
Eadem comprobantur vaticiniis. Ca. XVII.
Quomodo distrahentia omnia tandem amouebit, vt ad se vnum omnia perfectè attrahat. Ca. XVIII.
Quòd tandem trahet omnes attrahendos. Ca. XIX.

MVLTIPLEX, ET VNICA EST VITA *omnium.* *Caput primum.*



ISI Sol, quem Deus ad declarandam suam maiestatem accendit, & anima, quam tanta excellentia fabricauit, me docerent, quomodo unū poßit esse multiplex aut plura, nō auderē equidē dicere uitā esse unicā simul atq; multiplicē. Est nanq; sol unicus in se, multiplex in radiis, unicus in essentia, uirtute tamē omnigenus. Est etiā anima unica in se, sed multiplex in operatione: Audit enim in auribus: uidet in oculis: odorat in naribus: gustat in ore: palpat, & operatur in manibus: intelligit in cerebro: diligit in corde: graditur in pedibus: digerit in stomacho, hepate, & aliis mēbris digestiuis: generat in deputatis ad hoc instrumētis, adeo, ut uideatur multiplex, cū tamē unica sit. Nec ex hoc, ꝙ in aliquo mēbro pati uideatur defectū, diminuta est: Nā si debilis esset oculus, uel manus, non inde minor est in cerebro, uel corde. Ex quibus facilè dignoscetur, quomodo uita illa unica multiplex esset in membris, si admitteremus mundum esse animal, ut multi sapientes conueniunt, etiam illi, qui sacra eloquia uenerantur, cum ipsa obstare minimè uideātur: ut excitatißimi ingenij, & excellentis doctrinæ Augustinus decernit: undè & huic sententiæ assentire uidetur. Origenes autem in hanc eandem sententiam currit expeditis pedibus: quā & rationibus, & sacræ scripturæ testimonio probare nititur dicens in suo de principiis: Quamuis diuersis officiis sit ordinatus mundus: non tamen dissonans, atq; discrepans ipsius intelligendus est status: sed sicut corpus nostrū unū ex multis membris aptatum est, & ab una continetur anima, ita & uniuersum mundū animal quoddā esse immēsum, & immane opinādū existimo: quod quasi ab una anima uirtute Dei & ratione teneatur. Quod etiā à sacra scriptura indicari arbitror per id, quod à propheta dicitur: Nōne cœlū, & terram ego impleo, dicit Dominus? Et iterū per aliū Vatē: Cœlum mihi sedes est, & terra scabellū pedū meorū. Quod etiā Saluator cōfirmat, dū ait: Nolite iurare, neq; per cœlum, quia sedes Dei est: neq; per terrā, quia scabellum pedum eius est: Sed & illud, quod Apostolus, cum apud Athenienses concionaretur Arati approbans sententiam, dixit: Quoniam in ipso uiuimus, mouemur, & sumus. Et quomodo id est, nisi quia Deus uirtute sua uniuersum constringit, continet, & uiuificat mundum? Quomodo etiam cœlum sedes Dei est, & terra scabellum pedū eius, nisi quia in cœlo, & in terra replet uniuersa? Hucusque Origenes, Cum quo Eusebius Pamphilus in solutionibus Theologicis de summo opificè ratiocinans ait: Vita illic est, & mens, ut ipsi uitæ perpetuo ens permaneat, menti autem effigiet, & contineat ea, quæ sunt. Hinc primum ens uitale esse oportet, & intellectile: Vndè omnis essentia, uita, & intellectus participatione magis quā specie nominatur: Illud nāq; ipsum esse per se uita, & per se intellectus: Quod

Augusti. Orige. Ierem. Isaias CHRISTVS Paulus Aratus. Euseb.

stro: Is enim inquit: Quod factum est in ipso uita erat, & uita erat lux, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Quod intelligere possumus in duplici sensu: aut quòd nihil factum est sine ipso, aut quòd illud quod factum est sine ipso conseruante, replente, & uiuificante, nihil est. Cum his Orpheus in sua theologia longo progressu decantat Deum esse, & conspici in omnibus mundanis membris: Quæ ad unguem prosequens Manilius canit. Orphe. Manil.

Cum spiritus unus
Per cunctas habitet partes, atque irriget orbem
Omnia peruolitans, corpusque animale figuret:
Quod nisi cognatis mēbris contexta maneret
Machina, & imposito pareret tota magistro,
Ac totum mundi regeret prudentia sensum,
Non esset statio terris, non ambitus astris:
Hæreretque uagus mundus, standóque rigeret.
Nec sua dispositos seruarent sydera cursus:
Noxque alterna diem fugeret, rursumque fugaret:
Non imbres alerent terras, non æthera uenti,
Non pontus grauidas nubes, nec flumina pontum,
Nec pelagus fontes, nec staret summa per omnes
Pars, sed per partes æquo digesta parente:
Vt neque deficerent undæ, nec sydera nobis,
Nec cœlum iusto maiúsue minúsue uolaret:
Motus alit, non mutat opus: sic omnia toto
Dispensata manent mundo, dominumque sequuntur.
Hic igitur Deus, & ratio, quæ cuncta gubernat.

Platonici autem omnes istud idē una uoce affirmant: eorū enim peculiare est dogma, Et ex multis rationibus, quibus itidem asseuerabant, hanc tantū à Platone educemus: Huic enim placebat duos esse motus, unū propriū, alterum externum: Esse autē diuinius, quod ex se sua spōte mouetur, q̄ quod pulsu alieno agitatur: Hūc autē motū in solis animis collocabat, ab hisque principiū alterius motus deduci putabat. Quapropter, cū ex mūdi ardore motus oriatur omnis, & hic ardor non alieno impulsu, sed sua sponte mouetur, ut animus sit, necesse est: Ex quo intelligimus animantem esse mundum: atque ex hoc quoque intelligi poterit, in eo esse intelligentiam. Sed meritò quis dubitaret, cum mundus sit animal, cur non alteretur, aut infirmetur, aut deficiat, sicut cætera animantia. Placet hic Chalcidij solutio, qui in Timæum ait: Quod à Deo instituitur, ab immutatione ætatis, morbis, senectute, & occasu immune est: ut omnes academici consentiunt, & deductione comprobatur, si bene perpenduntur ea, quæ à Deo immediate, & quæ per secundas causas producta enarrantur à sapiētissimo Philosopho Mose. Nec instetur de homine manibus Dei fabricato: quia Platon. Chalci. Moses.

nec ipse sine puluere, aut terra subiecto intermedio, formatus est: Sicut cœli, & tota machina: quæ ex nihilo à Deo immediatè facta est, ideo ipsa, quo ad partes subiectiuas, & immediatè fabricatas à Deo est ꝑpetua, & indefectibilis: sic & anima hominis sine medio ab ipso Deo ꝓducta. Extat & alia ratio: quia cōstat mūdus ex omnibus partibus, ut nulla, uel minima quidē pars alicuius corporis extra mūdi ambitū relicta sit, quæ ab extrinseco accedēs calida, uel frigida moueat ægritudinē mundo: qui in se proportionatissimus est, esto ꝙ partes eius uideantur aliquando alteratæ, ratione tamē totius consonantes sunt. Est insuper mundus totum corpus, ut nihil extra se, quod effluat, dimittat, & minuatur, aut detrimentū suscipiat: quod ex perditione partiū, quæ in aliud quid resoluūtur, procedit: Intra mundū enim degūnt omnia: undè fluūt partes, & nō fluunt: cum nihil extra eius terminos sit: in quo fluant. Partes igitur ipsius, quæ aliquando fatigatæ fluunt, ad naturam uniuersi tandem recurrunt recreatæ.

Vndè omnia sortiantur uitam. Cap. II.



Ierem. Vm unicus sit fons duplicis uitæ, q in Ieremia ait: Me dereliquerunt fontem aquarū uiuentium Dominū, necesse est, ut omnes & naturalē, & spiritualē uitā, & quæcunq; alia sit, hauriant ab illo fonte, à quo procedit fluuius, de quo in Genesi dicitur: Et fluuius egrediebatur de loco uoluptatis, qui Deus est, ad irrigandū primo ipsum paradisum, id est totū archetypū per diuersos canales rerū nobis cōmunicādarū: Et istæ sunt aquæ supramūdanæ, quæ supra cœlos à Mose, & Dauid esse dicūtur. Postea diuisus fluuius in quatuor capita irrigat uniuersam terram. Quæ aquæ uitæ prius sunt in paterno fonte, postea in Filio, qui & ipse est fons apud Patrē existens, ut in psalmo canitur: Quoniam apud te est fons uitæ. Apud Patrē enim est Filius, cui Pater omnia dans & ipsum fontem cōstituit, ut meritò dicere possit: Ego sum uita, utramq;, naturalem uidelicet, & spiritualem, omnibus tribuēs: Quādo enim dicimus omnia, quæ facta sunt, in ipso uita, erant, de naturali intelligitur uita: Sed cū ipse ait, Ego sum resurrectio, & uita, de spirituali intelligitur: Quæ ꝑpetuata fit uita æterna: quā & ab ipso Filio Dei habemus, sicut ipsemet plærisq; in locis testatur dicens: Ego uitam æternam do eis. Et iterū: Si qs biberit ex aqua, quam ego dedero, fiet in eo fons aquæ salientis in uitam æternā. Extat & alius fons uitæ in illo sanctissimo archetypo, qui Spiritus sanctus est, & hic aliquando dictus Spiritus uitæ, sicut in Ezech. legimus: Et spiritus uitæ erat in rotis. De quo & in psalmo canitur: Emitte spiritū tuū, & creabūtur, ea quidē, quæ mortua, & destructa erant. Ii tamen tres fontes unus sunt in fonte illo uitæ, & essentiæ diuinæ, sine qua nihil uiuit, & nihil est, ut pulcherrimè, & piè Apuleius Madaurensis ea, quæ ex officina Platonica collegerat, depromit dicens: De rectore omnium, quantum dicere fas est (quia de ipso multa loqui uetus opinio probibet, cum omnem captū humanū aufugiat) hæc primo decernimus: In cogitationes omnium hominum incidere Deum esse, & suæ ori-

Margin notes: Genesis. — Moses, Dauid — Idem — CHRISTVS. — Idem — Ezechi. — Dauid — Apule.

ginis non habere authorem: Denique esse salutem, & perseuerãtiam earum rerum, quas effecerit: Neque ulla res est tam præstantibus uiribus, quæ uiduata Dei auxilio, sui natura contēta sit: Hanc opinionem secuti uates, profiteri ausi sunt omnia plena Deo. Et paulo inferius: Quæ priora sunt, amplius trahunt, undè corpora illa cœlestia, quanto finitima sunt ei, tanto amplius de Deo capiunt: Minus quæ ab eo secunda sunt: & sic usque ad terrena pro interuallorum modo indulgentiam Dei ad nos usque, beneficáque suscipiunt: Sed cum credamus Deum per omnia permeare, & ad nos, & ultra potestatem sui nominis tendere, quãtum abest, uel imminet, tantũ existimandũ est eũ amplius, minúsue rebus utilitatis dare. Nec dissonat hæc doctrina ab ea, quam Apostolus tradit, quando, & gradus in ecclesia describit, & omnem congregationem corpori æquiparat: cuius anima, & uita plus, minúsue sese in membra diffundit secundũ eorum exigentiã, & propinquitatem, non quidem situs, sed uirtutis, & symboli. Paulus

Quid sit arbor uitæ. Cap. III.



Omnibus triuiale est Christũ, & Meßiam nostrũ multigenis mysteriis celebratum, pluribusque uocatum nominibus: Vocatur enim Agnus, Leo, Lapis angularis, Christus, Verbũ, Veritas, Vita, & huiusmodi: Sic & arbor uitæ dicitur, quæ collocata est in medio horti delitiarum, ut omnibus uitã impartiatur, sicut supra patefecimus. Sed quare dicatur arbor, nunc aperiendum restat. Est arbor in terra radicata, à qua uitæ suscipit incrementa: Et Christus est arbor radicem habens in terra uiuentium, undè primam traxit originem, quamuis corpus, & organum suæ diuinitatis traxerit à populo iam sicco, & arido, ut inquit Isaias: Ascendit ut uirgultũ de terra, & sicut radix de terra sitienti. Diuiditur arbor primo in ramos maiores, & pauciores, postea in minores quamplurimos: Et Christi plenißima uirtus, & gratia diffusa primo fuit in paucos Apostolos, sed magnos & robustos uirtute, & per illos in quamplurimos alios, quibus ideo illi meritò præferendi sunt. Haurit arbor à terra continuè uitæ incrementa palmitibus, ramusculis, floribus, & fructibus communicanda: Viuit & Christus in terra illa diuinitatis, & paterna: sicut ipsemet perhibet dicens: Sicut misit me uiuens Pater, & ego uiuo propter Patrem: Quam susceptam uitam à Patre, cæteris impartitur, ut uiuant: undè subinfert: Et qui manducat me sumendo cibum, sicut ramus à trunco, & radicè, ipse uiuet propter me. Et iterũ: Si quis in me non manserit, hauriendo scilicet à me uitam mittetur foras, sicut palmes, & arescet. Viuunt, & pulchrescunt flores in arbore, succisi autem statim arescunt, aut putrescunt: Viuunt, & flores cogitationum nostrarum in ea arbore, quæ ait: Sine me nihil potestis facere. Neque cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis possumus, inquit Apostolus Maturescunt quoque fructus in arbore ab ea suscipientes continua fomenta, sicuti ipsámet arbor loquitur dicens: Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.

Isaias

CHRISTVS.

Paulus

CHRISTVS.

Vbi plantata sit hæc arbor. Cap. IIII.



Bi autē hæc uiuifica arbor habeat suas radices, duo habemus ex diuinis prōptuariis monumenta. Alterū est, ꝙ paradisus, uel hortus ille delitiarū plantatus fuerat à Domino Deo מקדם michedem, quod à principio, uel ex antiquo significat: cum totus hortus, & omnis uera uoluptas radicata sit in antiquißimo illo Patre æterno omniū bonorum origine prima: siue plantatus est hortus in essentia illa diuina, quæ est uera terra uiuētiū: à qua omnis uita, omnesq; delitiæ, & uoluptates pullulāt. Alterū est, ꝙ lignū uitæ erat in medio paradisi: quia uerbū diuinū, quod est uera uitæ arbor, est persona media in illa sanctißima trinitate: & carne humana indutū cū hominibus cōuersans semper mediū tenuit: Nascēs enim in medio animaliū, disputās in medio doctorū, moriēs in medio latronū, resurgēs in medio discipulorū inuētus est. Et quāuis ipse, ut Verbū, ut Filius, ut Dei sapiētia sedeat ad dexteram Patris, tamē ut doctor, ut redēptor, ut Meßiah, ut arbor uitæ stat in medio archetypi: sicut uita hominis, qui est ad imaginē illius, habet sedē in corde, quod mediū obtinet in humano corpore: à quo & uita in omnia membra defluit. Et quamuis Deus sit totus ubique, non per partes, aut membra diuisus, nec cōsequenter in eo sit dextrum, & sinistrum, mediū, uel extremū his nostris corporeis legibus, est tamen diuino, & excellenti quodam modo nobis nō plenè perceptibili dispositio quædam, nō rei, quæ simplicißima est, sed influxus per respectum ad nos, secundum quam ipsius tenemus imaginem: & de qua uerificatur scriptura sæpius reiterans de dextera, sinistra, medio, oriente, occidente, meridie, aquilone, & huiusmodi dispositionibus ipsius diuini influxus, secundum quē arbor illa uitæ dicitur in medio collocata.

Qualiter sit formata ipsa arbor. Cap. V.



Sap. He. Igurant hanc uitæ arborē sapientes Hebræi eo meliori modo, quo possunt, per hastā literæ ו quæ recta est ad instar arborei trūci, cū illa superiori parte, quæ est tanq̄ litera י unita illi hastæ, supremū uitæ fontē significans Patrē æternū in Filiū influētē: quē ipsi Hebræi coronam superiorē uocant: cui uolūt dicatū esse א & י: quarū altera unū, & principiū significat: altera decē, & numerorū cōplemētū: ut innuatur, ꝙ Pater æternus sit principiū, & finis omniū. Et per cōtinuationē, & unionem cū hasta illa, quæ arborē uitæ figurat, denotatur unio, quam habet cū Filio: in quē omnia influit, ut & ipse dici poßit principium, & finis: & totū ו attribuatur Filio. Hinc magno sacramento iußit Deus in Exodo sculpi in columnis tabernaculi וויהם כסף uauehē chaseph, id est uauim eorū argentea: pro quo nos habemus cum capitibus argenteis: Quod aut ignorauit traductor, quid importet: aut noluit pandere saramentum: Columna enim tabernaculi, & totius mundi, ad cuius exemplar illud fabricatum erat, Christus, & uerbum humanatum est: quo & cœli firmati sunt, & Pater omnia portat, & sustentat. In hac igitur iussu

Dei insculpta erat litera, quæ uitam importat: ut denotaretur, quod principium uitæ collocatum erat in eo à Patre æterno: ut ipsam aliis impartiretur, sicut pate facere dignatus est ipsemet Christus dicẽs: Sicut misit me uiuens Pater, & ego uiuo propter Patrem: & qui manducat me, ipse uiuet propter me. Et distinguitur hæc arbor in radicem, truncum, ramos, flores, & fructus: Radix enim est ipsa pullulãs deitas: Truncus est uerbũ in ipsa à Patre productum: Rami sunt attributa ipsi cõmunicata ab eo, qui dedit eidem omnia: Folia, & flores sunt ideæ uiuentes in ea: Sed folia ideæ sunt rerum irrationabiliũ: quæ in obsequium intellectualiũ producta sunt creaturarũ, sicut folia ad tegendum flores, & fructus, & quasi in eorũ obsequiũ cõstituta sunt. Flores autẽ ideæ intellectualiũ rerũ, à quibus expectãtur debiti fructus: Sed sicut multi flores decidunt sine fructu, sic multi angeli, & homines absque fructu ceciderunt, & cadũt continuè: & ab illa uitæ arbore semoti aresiunt, igne inextinguibili comburendi. Fructus uerò sunt regulæ bene agendorum à nobis, & dona, atque charismata, quibus donamur continuè, ut secundum illas regulas uiuentes possimus nos quoque fructus operum nostrorum præsentare illi, qui & ipsam arborem uitæ, & nos qualiacũque arbuscula plantauit, ut ab ea arbore uitæ suscipiamus, undè debitos producamus fructus secundũ spiritum: quorum Paulus meminit dicens: Fructus autẽ spiritus est charitas, gaudium, pax, &c. quæ sequũtur. Nec ulterius progrediemur de figura illius, qui nulla figura effigiatur, dantis tamen omnibus, ut figurata sint: nec termino aliquo clauditur, cum omnia tamen in se concludat. Sed hæc pauca dicta sint, prout ex sacris literis discere potuimus. CHRISTVS. Paulus

Quibus, & quomodo communicata. Cap. VI.



Citra omne dubium habemus, quòd omnia, quæ uita gaudent, ipsam hauriunt à uitæ fonte, uel suscipiunt, & comedunt de fructibus arboris uitarum: Sed in controuersia uenit, quæ sint uiuentia: & utrum omnia uiuant. Viuunt quippe angeli, homines, animalia, & plantæ, unumquodq; sua uita, ut omnes conueniunt: sed de metallis, lapidibus, elementis, & cœlis extat apud nonnullos difficultas: quia cum eorum uita non appareat, diiudicant ipsa minimè uiuere, & inanimata uocant: Si uero mundus est animal, ut supra disseruimus, & ut conueniunt pleriq; sapientes, nulli dubiũ est, quod hæc omnia uiuunt, sicut mẽbra omnia, caro, intestina, nerui, sanguis, & ossa in humano, uel bestiarũ corpore: quãuis ossa, & huiusmodi semota uideãtur à uita priuata. In corpore autẽ crescunt ossa, mouentur, sustentãt corpus ipsum, quasi uiuæ colũnæ. Virescit caro, & redintegratur, ut uulnus & incisionẽ non timeat: & redintegrantur ossa confracta, quod mortuis rebus minimè contigit: Sic & membra magni, & mundani animalis uiuunt, unumquodque sua uita, ut Mercurius in eo tractatu, quem de communi appellat, inquit: Totum, quod est in mundo, aut crescendo, aut decrescendo mouetur: Quod autem mouetur, id propterea uiuit. Et cum omnia moueantur, etiam terra, Mercur.

maximè motu generatiuo, & alteratiuo, ipsa quoque uiuit. Sed ueniamus ad superiora membra, de quibus dubitatur, an uiuant: & hæc sunt cœli, quos qui dubitat uiuere (inquit Theophrastus) non censetur philosophus. Nec defuerunt, qui dicerent cœlos animalia esse: Quod ex motu rationali, & cõtinuo influxu probare nituntur, quia non possent uiuentem præstare uim, nisi & ipsi uiuerẽt. Ad inferiora uerò descendendo, Lapides ideo dicuntur uiui, quia uiuunt: Crescunt enim condensantur, durescunt, & uarios effectus habent eorum quamplurimis qui non possunt procedere, nisi à uiuente. Viuunt metalla (ut diximus) superiori uita, quibus infunditur spiritus quidam occultißimus à luminaribus, & cœlis: Quod etiam nonnulli naturæ æmuli efficere gestiunt, existimãtes posse stannum, æs, aut argentum uiuum in aurum, uel argentum transmutare, immittendo in ea spiritum, & uitam auri uel argenti, ut aiunt. Viuit aqua, cui potißimè attributum est germen animalium, in eo, quod dictum est: Producant, uel serpant aquæ serpituram, uel genituram animæ uiuentis. Viuit & terra, ut diximus: cuius uitam facilè comprobamus, dum uidemus eam fœcundißimam plantarum uiuentium. Et unà pars feracior est quàm alia, quod esse nequit, nisi quia uiuacior. Huius quoque terræ uita dignoscitur ex craßitudine, & pinguedine quadam, quæ augetur fimo animalium ex animali uiuo decidẽte: undè secum aliquo modo uitam ferens, terræ, cui commiscetur, impartitur fauens generationi plantarum uiuentium: quæ à non uiuente prouenire minimè possent. Aër autem tantum de uita continet, ut Hebræi ipsum sæpius spiritum uocent, spiritum inquam continentem, & copulantem cætera elementa. De igne uerò nihil dicam, cum omnes antiqui fateantur uitam esse ignem quendam, & ipsam ab igne, luceq; procedere. Et hæc omnia simul cum eis, quæ patenti uita uiuunt pro captu suo uitã suscipiunt ab authore uitæ: qui nunc fons, nunc fluuius, nunc arbor uitæ dicitur: quæ sese diffundit in totum mundanum corpus, sicut anima particularis in omnia membra corporis sui, ut omnes operationes, quæ fiunt per aliquod ipsius corporis membrum, ab anima uiuificante, & mouente proueniant: Sicut enim homo loquitur in ore, in oculis uidet, in auribus audit, in pedibus ambulat, & cætera huiusmodi, sic Deus prima omnium uita in sole illustrat, & calefacit, in syderibus uariis diuersa influit, in nubibus pluit, in aëre spirat, in terra germinat, in aquis, piscibus, & animalibus diuersa operatur: Sic & in diuersis hominibus operatur (inquit Paulus) omnia in omnibus. Et hic Deus, & uita est natura illa cõmunis operãs, quam Aristoteles uidetur à Deo distinguere, dum ait: Deus & *natura, quasi sit socia,* & *cõiunx Dei. Nec est alia natura uniuersalis, nisi Deus qui in omnia diffusus, omnibus dat, ut operentur: Quod (ut refert Socrates in Phædone) docet Anaxagoras cœli contemplator in principio libri, quem de mũdo ædidit, dicens: Mens omnium causa est fabricator & moderator, omnia exornans, atque replens. Et dolet Socrates, quòd rationem & modum eorum, quæ ab ipsa prima mente fiunt, non declaret. Academici uerò omnes animam mundi*

Theop. — Hebræi Antiqui. — Aristo. — Socrates Anaxa. — Academ.

*profitentur uno ore, qua omnia uiuunt: Et hanc maior pars eorum opinantur es-
se Deum. Porphyrius enim (Cyrillo referente in antiiuliano) Deũ primo sum- Porphy. Cyrillus
mum bonum dicebat, secundo Creatorem, tertio animam mundi: ut primo es-
set in se, secũdo res crearet, tertio repleret, & uiuificaret omnia. Numenius au Nume.
tem ulterius forsitan progrediens, quàm expediat, inquit: Deus primus in se sub-
stans est, secundus autem, & tertius unus cum primo est: Sed ille secundus inhæ
rens materiæ, quæ binaria est, ab ipsa dissecatur: Ipse tamen cum tertio uitam
rebus infundit: Quæ tamen, sanè intelligendo, conueniunt cũ Theologia nostra
in qua dicimus Patrem primum omnium principium, & ab eo non quidem secũ
dum Deum, sed secundam personam nostro modo loquentes, quæ inhæsit mate-
riæ, dum carnem humanam assumpsit, aut dum exiuit in opus imprimens formas
in rebus secundum exemplaria in ipso existentia, secundum quæ formans res di
uersas, quasi in eas dissecatur: non tamen minuitur, nec aliquid ab eo decidit. Et
hi simul cum tertio, id est cum tertia persona, qui tamen omnes unus Deus sunt,
uitam rebus infundunt: Nã & Filius dicitur uita, & arbor uitæ, & tertia per-
sona dicitur spiritus uitæ: quia ambo rebus inferioribus uitã infundunt: Sed uer
bum, & Filius dat rebus uitam, ut uiuant: Spiritus autem, ut operentur opera
uitæ: Quod innuit propheta dum dicit quòd uerbo cœli, & consequenter omnia Dauid
formata, & stabilita sunt, sed spiritu oris eius est omnis uirtus eorum, in operan
do uidelicet, sicut & in libro Sapiẽtiæ legimus: Spiritus intelligẽtiæ sanctus mo Sapien.
bilis est, id est faciẽs alia moueri ad opus: Quod ut melius exprimat, subinfert:
Omnem habens uirtutem. Sic & Paulus diuidit opera diuersorum secundũ spi- Paulus
ritum, tandem concludens: Hæc autem operatur unus, atque idem spiritus diui-
dens singulis, prout uult.*

Quando, & cur uetita sit arbor. Cap. VII.



*Xpressam doctrinam habemus in sacris eloquiis, quòd Deus post
Adæ trãsgressionem dixit: En Adam factus est, sicut unus ex no
bis, cognoscens bonum, & malum: Et nunc, ne fortè extendat ma-
num suam, & accipiat etiam lignũ uitæ, ut uiuat in æternũ, eiicia-
mus eum: Quod & factum est. Nec miretur quispiam, quòd uideatur Deus æ-
grè tulisse Adam effectum esse boni & mali cognitorẽ: Non enim de profectu,
sed de arrogantia uindictam sumpsit: cum uellet discernere bonum, & malum,
& decernere quid iustum, & iniustum: quod Elohim, & iudicum est: in quorũ
synagoga & cætu astat Deus diiudicãs: quia id homo sine ipso Deo facere ne-
quit: Aut quia uoluit assumere gradum, & locum Meßiæh: qui (ut alibi dixi-
mus) est uera arbor scientiæ boni, & mali. Prohibuerat igitur, ne quispiam, fi-
lij Dei, & Meßiæh dignitatem æmulãdo sibi uendicaret, qui est ueræ uitæ trũ
cus, & arbor scientiæ boni & mali. Sed hoc altius est mysterium, quàm fari li-
ceat, Ideo aliam rationem aßignemus: quæ ab omnibus intelligatur: Et ea est,
ne homo peccato infectus indignè uitæ fomẽtum susciperet in sui perniciem: Nã*

si in immunditiam deuenisset, perpetuò stetisset, & staret immundus, si immunditia cum illa uita stare potest: Vel ne indispositus suscipiens uitæ nutrimentũ, ei cederet in malum, sicut optimum uinum febricitãti, & delectißima caro quãuis bene condita pleuretico nocet. Et hoc est, quod inquit Paulus de comesuro panem uitæ: Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calicè bibat: Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit, Quod enim erat primis parentibus arbor uitæ, nobis est panis uitæ: qui interdicitur indignis, sicut & illa arbor interdicta fuit præuaricatori Adæ, & cuicũque indigno, & aliquo scelere fœdato interdicitur: Quia cum scelus, & peccatum sit opus mortis, conuenire cum uita minimè potest.

Idem

Quomodo omnia in ea arbore, & cõsequẽter in Christo uiuãt. Cap. VIII.

Ioan.



Terata sæpius est illa celeberrima Ioannis sententia, quòd omnia, antequam fierent, erant uita in uerbo. Nec opinãdum est, quòd in formas proprias explicata destituãtur ab illa uita creatricè, qua in opificis mente uiuebant: Sed ultra hanc alias acquirunt uitas pro captu suo: Multiptex etenim est uita, ideo celebri nota dicitur hæc arbor עץ חיים ez haiim, id est arbor uitarum, uel uitæ in singulari. Viuunt itaque omnia, illa uita creatricè: uiuũt & propria uita naturali: quæ tamẽ ab illa summa uita dependet, & est radius, uel scintilla ipsius, in quo uiuimus, mouemur, & sumus. Viuit quoque homo ultra naturalem uitam multiplicem uita quadam spiritus, de quo dicitur: Spiritus est, qui uiuificat. Et hic duplici uitæ fauet: Naturali, iuxta illud Ezechiëlis: Et spiritus uitæ erat in rotis, omnia uiuificans: Spirituali, de qua idem propheta: A quatuor uentis ueni spiritus, & insuffla super interfectos istos, & reuiuiscant: Mortui enim erant peccato, & indigebant uita spiritus: de qua Paulus: Si spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis: Quæ utraque uita, & si à spiritu uitæ subministratur, prouenit tamen ab arbore uitæ, quæ est ipsum uerbum Dei humanatum, quod ait: Qui credit in filium Dei habet uitam æternam. Et iterum: Sicut enim Pater uitam habet in semetipso, sic dedit Filio uitam habere in semetipso. Et sæpius repetens affirmat, quòd est uita, aliis quoque pro gradibus suis cõmunicanda: per quos gradus prætendit nos deducere in uitam illam beatam, & æternam, ultra quam non est alia: Ego (inquit) uitam æternam do ouibus meis: Et iterum: Oportet exaltari Filium hominis, ut omnis, qui credit in illum non pereat, sed habeat uitam æternã. Cuius uitæ fons est Pater, qui ait: Me dereliquerunt fontem aquarum uiuentium. Filius autem est fluuius uitæ de Paterno fonte procedens, aut arbor uitæ plantata in terra uiuentium. Spiritus uerò est, tãquam piscina, uitæ aquam suscipiens à fonte, & fluuio uitarum in nos quoque eam diffundens: Quod Origenes in Matthæum longo sermone disserit.

CHRISTVS. Ezechi. Paulus CHRISTVS. Idem Ierem.. Orige.

Christus est sustentaculum omnium. Cap. IX.


T si Christum diuinitate sua, & uerbi uirtute sustentare hāc mūdanam fabricā supra tetigerimus, tamen clarius explicantes prosequemur: Paulus enim id aperto sermone depromit, primo cum Hebræis dicens: Portat omnia uerbo uirtutis suæ. Et iterum cum Colossensibus ait: In ipso cōdita sunt uniuersa, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt. Et prosequens rursum ait: Omnia in ipso constant. Quod & Isaiæ uaticinio roboratur, dum ait: Et factus est principatus, scilicet totius machinæ super humeros eius, constituens eum hæredem uniuersorum, per quē fecit & secula, Hanc igitur machinam mundanæ domus, & omnes eius hospites sustentat, ut columna: regit, ut princeps: pascit, ut pastor cibo uitæ tam corporis, quàm spiritus: Si enim omnia per ipsum facta sunt, igitur & escæ per idem cōtinuè producuntur: Sed pro uita spirituali seipsum in edulium præbuit dicēs: Ego sum panis uiuus, qui de cœlo descendi, si quis manducauerit ex hoc pane, uiuet in æternum: Et iterum: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis uitam in uobis: Et rursum: Caro mea uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus. Sed quia continuè labamur, & nostris iniquitatibus corruimus, ideo & huic ruinæ se supposuit sustentaculum, purgationem peccatorum faciens, & portans omnia peccata nostra, ut iusserat Pater, sicut in Isaia legimus: Posuit in eo Dominus iniquitates omniū nostrum, & liuore eius sanati sumus. Nec contentus nos expurgasse ab omnibus coinquinamentis, sed ut uirtutes construeremus, seipsum præbuit fundamentum stabile, quod totum nostrum sustentaret ædificium. Nemo (inquit Paulus) potest ponere aliud fundamentū, nisi quod positum est Christus Iesus: Quod & Isaias antè prædixerat: Loquens enim sub Redemptoris, & Christi patientis persona multa commemorat, quæ passus est, dicēs: Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas uellentibus: Faciem meam non auerti ab increpantibus & spuentibus in me. Postque multa commemorata ad ignauum, & obcæcatum populum conuersus, ait: Qui ambulat in tenebris, & non est lumen ei, speret in nomine Domini, in quo solummodo est salus: & innitatur supra Dominum Deum suum, qui uidelicet in humana carne saluauit mundum. Nec super alio, quàm super baculo isto, qui consolatur, & sustentat omnes, inniti possumus. Hoc est, quod de regina cœlorum, & mundi Imperatricè dicitur: Innixa supra dilectum Filium.

[Margin: Paulus; Idem; Isaias; CHRISTVS; Isaias; Paulus; Isaias]

Cur non omnes sustententur ab eo. Cap. X.


T si Christus ad omnium productionem, conseruationem, & prouisionem simul cum Patre conuenit, in omniumque redemptionem datus est, dicente Paulo: Pro omnibus nobis tradidit illum: Et esto quòd positæ sint in eo iniquitates omnium nostrum, & saluati dicamur eius liuore, nihilominus nec omnes uitam spiritualem ab ipsa uita Christo

[Margin: Paulus]

suscipiunt, nec eius fulcimento sustentantur, ne pereant: Quod non mediocrem difficultatem affert nobis, an scilicet hoc sit, quia non omnes sunt prædestinati, aut electi, an quia non tribuitur uita, & sustentaculum, nisi uolentibus: Sed illud derogat clementiæ diuinæ, & authoritati scripturæ sacræ, quæ ait: Deus uult omnes homines saluos fieri: Hoc autem inferre uidetur calumniam electioni diuinæ, dum dicimus eam dependere à consensu, & uoluntate nostra: Sed (ni fallor) ab utroq; procedit, salua clementia, & dignitate diuinæ electionis: Quæ à nostro consensu non dependet, sed uult nos cooperatores in his, quæ spectant ad nostram salutem: Nam sicut corona regni parata est nobis à cõstitutione mũdi, non tamen coronabitur, nisi qui legitimè certauerit, pari modo nec uitam suscipiunt omnes ab arbore, uel fluuio uitæ existente, siue fluente in medio paradisi omnibus communicando, nisi qui se disposuerint ad ipsam uitam suscipiendã: Quæ ideo clamat in calce Apocalypsis: Qui sitit, ueniat: & qui uult, accipiat aquam uitæ gratis. Nec solummodo consensum, & uotum nostrum exquirit à nobis, sed etiam strenuitatem nostrã: qua bellando uincamus, sicut in principio eiusdem reuelationis describitur: Vincenti dabo edere de ligno uitæ, quod est in paradiso Dei mei. Et dum in carne mortali degeret, clamabat in templo: Si quis sitit, ueniat ad me, & bibat. Satis quippe est, quòd uitã nobis procurauerit, & eam dare paratus sit, & quòd tulerit iniquitates omnium nostrum, consensum à nobis exquirens, & ut ipsi cooperatores simus in negotio nostro: Qui igitur non uult audire uocantem, nec acquiescere attrahenti, nec à donante munus suscipere, meritò à tanto beneficio secluditur: ut ingenuè, & constanter dixerũt Paulus & Barnabas ad Iudæos, sicut legimus in Actibus Apostolicis: Vobis oportebat primum loqui uerbum Dei, sed quoniam indignos uos iudicastis æternæ uitæ, ecce conuertimur ad gentes. Et ipse Dominus in euangelio à Matthæo, & Luca annotato, cum parabolam de nuptiis, prandio, uel cœna proponeret, subintulit, quòd multi se indignos tanto conuiuio iudicarunt, contemnentes scilicet uocantem nuntium, ideo seclusi sunt. Et ubicunque fit sermo de acquirendo regno cœlesti, aut habendo Christi suffragio, & patrocinio, noster exquiritur consensus: undè sapienter, & doctè Augustinus inquit in uolumine, quod de ecclesiasticis dogmatibus inscribitur: Initium salutis nostræ Deo miserante habemus: ut acquiescamus salutari inspirationi, hoc nostræ est potestatis: In omni enim loco, prouincia, & regione Deus uoce prophetarum, prædicatione Apostolorum, euangelio diuulgato, Angelorum suggestione, internoque afflatu quẽlibet nostrum inuitat: ut Paulus cum Romanis differens ait: Non est distinctio Iudæi & Græci: Nam idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illũ: Omnis enim quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Quomodo ergo inuocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo audient sine prædicante? Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum: Verba quidem Apostolorum,

Margin notes: Idem — Apocal. — Ibidem — [CHRI]STVS DEVS. — Paulus Barnab. — Matth. Lucas — Augusti. — Paulus

& prædicantium, uerba angelorum internè loquentium, & præbentium ducatum, uerba Christi, & Spiritus sancti intrinsecus loquentis, & inspirantis. Omnia enim tentat Christus, & sustentaculum nostrum, ut habeat à nobis consensum pro suscipienda gratia, & salute, quam ipse conferre intendit: ut ad electum populum aperta uoce, & consequenter ad omnes ait: Quoties uolui congregare filios tuos, sicut gallina cōgregat pullos suos sub ala, & noluisti. Ad omnes enim est sermo illius, qui uult omnes homines saluos fieri. CHRISTVS.

Quomodo à terra fuerit exaltatus. Cap. XI.



OPortet (inquit ipse Deus Filius) exaltari Filiū hominis, ut omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat uitam æternam. Magnū quidem est hic sacramentum, quòd uita æterna donetur in exaltatione Filij hominis, & quòd ipse exaltatus dicatur à terra, sicut serpens in deserto. Nec opinor hoc intelligendum de exaltatione corporis, quando in ligno appensum à terra, & monte, in quo fixa erat crux, subleuatum fuit. Nec arbitror hoc intelligi de illa exaltatione, qua semper apud Patrem excelsus est in dextera ipsius sedens: sed de ea exaltatione, quæ fit in conspectu nostro, quā-do uidelicet sublimitas diuinitatis eius hominibus aperitur: ut uidentes ipsum qualis sit uenerentur, exaltent, & magnificent, Sicut in eius morte Centurio, & qui cum eo erant uidentes aërem præter ordinem naturæ obscuratum, terram tremere, lapides scindi, mortuos resurgere, exclamauerunt dicentes: Verè Filius Dei erat iste: Aut de illa exaltatione, qua per ipsam crucē meruit Christus homo præfici omni creaturæ, sicuti Apostolus aperto sermone loquitur dicens: Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster Iesus Christus in gloria est Dei Patris: Quod & ipse saluator confirmat dicēs: Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam: Quibus uerbis apertè demōstrat se, inquantum homo est, acquisiuisse gloriam, & regnum per opus consummatum in passione, & cruce: Sed exaltatus dicitur à terra, quia & opus, quod operatus est, & regnum sublimè, & excelsum, quod obtinuit, nō erat terreum, sed cœleste, sublime, & altum: regnum (inquit) meum non est de hoc mundo, sed est illud, quod parauit Pater à constitutione mundi: Cuius possessionē pro nobis, pro se autem imperium obtinuit in cruce. Cur autem exaltatio Christi in cruce facta æquiparetur exaltationi serpentis, quem erexit Moses, iubente Domino, satis aperta habetur litera in libro Numerorum: ubi legitur, quòd cum peccasset populus stomachando cibum à cœlo delatum, misit Deus serpentes ignitos in populum: qui percussus ab eis, & plagatus uenit ad Mosem supplex, rogansque ut tollerentur serpentes illi: Quapropter oranti Mosi pro populo dixit Dominus:

Paulus

CHRISTVS.

Idem

Num. 21.

Fac serpẽtem æneum, & pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, uiuet: quod & factum est. Sic & percussi quocunque genere peccati quo serpens antiquus, & eius satellites solent uulnerare mortales, si intuentur Christum in ligno pendentem, ubi omnium sanitatem, & salutem obtinuit, eius exposcentes suffragium, sanantur. Sed hîc latet mysterium, cur Deus uoluerit serpentem exaltari, qui est imago hostis humani generis: & cur Christus eidem assimiletur: Quid enim serpens ad sanitatem confert? Quæ cõuentio figuræ principis tenebrarum cum Principe lucis: Quod symbolum Christi cum immundo & diabolico illo reptili? Non est quidem hic conuentio, aut symbolum, nisi in erectione: Sanitas autẽ confertur modo uario, imò penitus opposito: Sanantur enim intuẽtes Christum ab ipso effectiuè, qui tanquam uerus medicus omnibus nobis attulit sanitatem, iuxta illud propheticum: Misit uerbum suum, & sanauit eos. Sanabantur uerò intuentes serpentem occasione sumpta, non quidem ei adhærentes, aut ab ipso sanitatem efflagitantes, sed abhorrẽtes: Nam uidentes figuram serpentum, qui missi fuerant à Deo in pœnam peccati, compũcti reuertebantur ad cor, & ad ipsum Deũ deprecantes pro sanitate, & remedio cõtra serpentum morsus: Sicut & apud nos pingitur diabolus horrendus, & terrificus aspectu, ut deformitatem, & truculentam eius rabiem uidentes, & contemplãtes populi ipsum perhorrescant, & ei inimicentur, quoad possunt. Alia secretiora mysteria de serpente prosequi possemus aperientes, cur omnium malorũ suggestor in primo congressu cũ homine serpentis effigiem induerit: & quomodo per eandem imaginem figuratiuus populus obtinuerit sanitatẽ corporis, quæ typus erat sanitatis utriusque hominis donatæ à Christo ipsi serpenti assimilato: sed hæc pauca dicta sufficiant, cum non omnia fari liceat.

Dauid

Qualiter exaltatus omnia traxerit ad seipsum. Cap. XII.



EXaltatus itaq; meritò omnia traxit, quia tũc omnimodam uim attrahentem induit: Attrahit enim bonitas, & amor, adeo, ut uniat simul amantes. Sed quis maior, quis intimior, & intensior amor ostendi potuit, quàm uitam, & animam dare pro dilecto? Maiorẽ enim charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis, inquit ipse Christus, ut omnibus significaret: quantum uirtutis attractiuæ susceperit in cruce exaltatus. Trahit item sapientia, atque facundia. Hinc sapiens Salomon traxit reginam illam à finibus terræ, & lectores sapientes trahunt discipulos undequaq; ad suum auditorium. Nec minus ad facundum concionatorem conueniunt undiq; audientes. Sed ecce plusquã Salomon, & plusquã Demosthenes, aut Cicero, Christus rex noster in cruce exaltatus, in quo (ut inquit Paulus) sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi. Et iterum: Nos prædicamus Christum crucifixũ, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem uocatis Iudæis, atque Græcis, Dei uirtutem, & Dei sapientiam. Quam absconditam cum omnes non uideant, nec cognoscant, existimantes

CHRISTVS.

Salomon

Paulus

illud opus stultitiæ, & non sapientiæ, nõ attrahuntur: Attrahunt quoq; diuitiæ, & pecuniæ, quibus omnia obediũt, etiã usq; ad mortem, ut patet in his, qui militiæ stipendia accipiunt: Ad quæ tanto frequentius undiq; confluunt, quanto maior est copia in cõducente ad militiam. Sed adeo ueris diuitiis repletus fuit crucifixus noster, maximè in cruce, ut de plenitudine eius omnes accipiamus, & diues sit in omnes, qui inuocant illum: Qui & clamat ad quẽcũq;: Suadeo tibi emere, uel acquirere à me aurum ignitum, ut locuples fias: Gloria enim & diuitiæ copiosæ sunt in domo eius. Trahit etiam potentia, & uictoria: Nam uincenti, & magno, atque potenti principi adhærent multi fauẽtes: & etiam inimici perterriti deditionem faciũt. Sed nulla maior uictoria, nullus gloriosior triũphus isto, quem Imperator Christianæ militiæ in duello habito in cruce reportauit de hoste humani generis, sicut ipse prædixerat pauloante quàm crucem subiret. Nũc (inquit) princeps huius mundi eiicietur foras. Quo debellato spolia diripuit: captiuos redemit: subegit mundum uincendi omnibus facultatem tribuẽs: tot millia attraxit, ut non sit numerus eorum, qui ipsum imitantes uitam dederint, ut uincerent: Quod minimè fecissent, nisi attracti uirtute morientis in cruce. Est quodq; inter attractiua nouitas, ad quam & uulgus & cuiuscunq; grauitatis uiri ducũtur: Sed nulla maior nouitas ea, quam Christus in cruce exaltatus effecit, ut diceret sedens in throno post uictoriam: Ecce noua facio omnia: ut refert Ioãnes, prout uiderat, & audierat in illis supremis, & recõditis penetralibus: De quibus innouatis agere curamus in hoc nouo cantico. Est etiam de maximè attrahẽtibus liberalitas, & larga distributio, potissimè eorum, quæ indigentibus necessaria sunt: Christus autem in patibulo illo suspensus omnia nostra delicta donauit: & pro nobis æterno Patri omne debitum soluit: Cum enim omnes essemus debitores, nullo excepto, omnibus indulsit, omnibus donauit, ut inquit Apostol. Cũ essetis mortui in delictis, conuiuificauit uos donans uobis omnia delicta, delens, quod erat aduersus uos, chirographum decreti, affigens illud cruci. Et de Patris liberalitate cum Romanis inquit: Qui proprio Filio suo nõ pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo nobis omnia donauit? Hucusque locuti sumus de multiplici ui attrahendi, quam Christus in cruce moriens sibi comparauit: quæ in multiplici uirtute acquisita radicatur: Nunc autem prosequemur de eius propria uirtute attrahente, quæ ei connaturalis est & consubstantialis: Omnes enim comprobant, quanta sit uis attractiua in lapidibus. Magnes omnibus uidentibus ferrum attrahit: & balagius, atq; electrum confricaum allicit paleam, & multa huiusmodi. Quid igitur dicemus de illo lapide pretiosissimo collocato in capite anguli, ab hominibus quidem reprobato, à Deo autem electo, & honorificato? ut ait Petrus: Siquidem in eo non tantũ uirtus balagij, magnetis, adamantis, & omnium lapidum pretiosorum, sed uirtus plantarum omnium, metallorum, animalium, hominum, angelorum, & etiam ipsius Patris æterni, qui dedit illi omnia: Ideo meritò omnes attrahit, maximè

CHRISTVS.
CHRISTVS.
Idem
Paulus
Idem
Petrus

electos, & qui symbolum uolunt habere cum illo: Quod quidem habere possumus, si uoluerimus suscipere eius instituta, & *monumenta, sacra quoque, & omnia, quæ docuit ad expiationem, & purificationem nostram: Aut si dignabitur Pater æternus sua interminata uirtute trahere nos ad Filium, cui adhærent ritè purificati. Sed ad alia transeamus.*

Quomodo uirtutes, & *numina in plura uidebantur diffusa.* Cap. XIIII.



Eus, ut probauimus, in omnibus mũdani corporis membris operatur, omnibus præstans, ut ipsi cooperentur, ne partes mundi dissectæ, absque uniente uirtute deficerent, uel sibi inuicem adeo repugnarent, ut stare minimè possent. Sed hoc unitatis sacramentũ non percipientes antiqui existimabant multigena numina, secundum rerum pluralitatem multiplicata, ut colligit Porphyrius, *& post eum* Eusebius *Cæsariensis ex iis, quæ antiqui uates sparsim, & plærisque in locis decantarunt: Quæ breui sermone perstringemus. Vniuersi quidem aëris uirtutem Iunonẽ (quia mortales iuuet) appellarunt: Sed aërem effœminatum Iunonem inferiorem, cum nihil mollius: Eius autem aëris inferioris uirtutem, qui lunari luce illustratur, Latonam dixere à latendo, quia latere facit, & obliuisci animas eorum, quibus institutæ erant, antequam lunarem orbem descenderent: ut uideantur, tanquã tabulæ rasæ in hunc inferiorem aërem ingressæ. Telluris autem uim Vestem appellant: quia herbas, floresque producit: quæ sunt tanquam uestes, & ornamenta ipsius terræ. Et quia uirtus hæc ferax est, in mulieris specie eam denotare uoluerunt. Rheam uerò (quam* Opem *Latini dixerunt) lapidosæ, atque montanæ terræ uirtutem esse arbitrati sunt: Cererem autem feracis planæ: sed seminum uirtutem Persephonem uocarũt: Plantarum uerò omnium Dionysiũ promiscuũ, quia herbæ sunt semper utroque sexu cõbinatæ: Quam uirtutẽ Aegyptij Irim, & Osirim nominarunt: Est etiam (ut ait* Plato *in* Cratylo*) Dionysius, quasi didus inon, id est uini dator, & consequenter cæterorum fructuum, ipsos maturãs sua ignea uirtute, non quidem elementari, sed solari: Ignis enim elementarem uirtutem Vulcanum nuncuparunt: Sed ignis edacis uim dixere Vestam, & hac infœcundam: Vndè Poëta.*

Nec tu aliud Vestam, quàm uiuam intellige flammam:
Nataq́ue de flamma corpora nulla uides.
Iure igitur uirgo, quæ semina nulla reliquit.

Sed ut Plato *sentit Vestem, quam & Vestiam dicunt, uocarunt rerum* οὐσίαν *id est essentiam: quia ipsa omnia uestiuntur. Et sterilis est, quia essentia non generat, nec generatur, sed indiuiduum generat,* & *generatur, nõ quidem ratione essentiæ, sed ratione uirtutis generatiuæ existentis in generante: cui respondet potentia passiua in genito. Sed prosequamur. In Sole igitur hæc uirtus ignea dicitur* Apollo, *à motu radiorũ, uel quadruplici etymologia (ut* Platoni *placet) se-*

Porphy. Eusebius

Plato.

Idem

cundum quadruplicem uirtutem ipsi dedicatam, musicam, medicinam, uaticiniũ, & sagittandi peritiam. Hinc Apollo dicitur ab *hemopolon, id est simul uertens omnia,* & *harmonia quadam conducens ad temperamentum: Vel ab apolyon, quod est abluens, & purificans: & consequẽter sanans: quod quidem medici est: Vel ab aplon, quod est simplex, & rectum, & uaticinantium est: qui rectè diiudicant futura: uel quia simplici mente, & recto corde suscipitur uaticinium: Vel ab aiballon, quod est perpetuus, uel fortis iaculator. Verum progrediamur. Atym porro, atque* Adonidem *ad fruges,* & *fructus pertinere diiudicant:* Sed Atys *ad flores, qui antequam ad fructum ueniant, defluunt.* Hinc *pudenda ei abscisa dicuntur, quoniam flores defluxi nec semina, nec fructus producunt:* Adonis *autem perfectos fructus respicit.* Silenum *uerò spiritalis motus dixere symbolum:* Aquarum *effectiuam uirtutem* Oceanum: *Sed symbolum eius* Thetym, *id est quasi scaturiẽtem fontem, ut* Platoni *placet: Eius autem aquæ, quam bibere possumus, uirtus* Achelous *dicitur: marinæ* Neptunus: *Sed in quantum generat* Amphitrites, *apud* Aegyptios Nilus: *Aquarum quippe dulciũ particulares uirtutes* Nymphæ, *maris uerò* Nereides *nũcupantur:* Ad *solem reuertendo, eius robur* Herculem *nonnulli appellarunt ei tribuentes duodecim certamina propter decursum per duodecim signa* Cui *aßistere dicunt nouem musas, id est nouem cœlorum orbes, in motu & uirtute consonantißimos:* Qua *uerò ratione anni tempora circũuolutus conficit,* Chorus *dicitur.* Lunã *uero* Dianam *uocarunt, &* Lucinam: *quæ confert mulieribus parturientibus ex nouilunio.* Et *quod* Apollo *in sole est, id in* Luna Minerua. *Et rursus* Luna Hecate *dicitur ꝓpter uarias corporis sui figuras: cui parcæ associantur* Clotho *ad generãdum,* Lachesis *ad nutriendũ,* Atropos *quasi sine conuersione ad pietatem neci præsidet, non quia Luna sola hæc faciat, sed quia effundit immediatè influxus, quos à superioribus, tanquam matrix suscipit effundendos.* Saturni *autem uirtutem, quoniam frigida & tarda est, tempori attribuerunt senem pingentes, quia tempore omnia senescunt.* Martem *igneum bello præfecerunt, ex impetu, quem in bili præstat:* Venerem *cũ suo* Cupidine *generationi & amori.* Orationis, *& interpretandi uim* Mercurium *nũcuparunt.* Multa *prosequitur* Plato *de horum nominũ etymologia, quam conatur demõstrare rebus congruã, pro quanto illud patitur idioma:* Et *ante eum* Hesiodus, *ubi de genealogia deorũ pertractat, & plærique posteri,* Quæ *omnia lõgũ esset adducere, nec nimiũ necessaria existimo, nec multum congrua, quia duriusculè applicata sunt:* Imitari *enim uoluit* Plato *etymologiã primæ linguæ, in qua protoplastes nomina rebus imposuit accõmodatißima.* Sed *tãtum differt cõueniẽtia nominũ cum rebus in lingua* Hebræa *ab ea, quæ est in idiomate* Græco, & Latino, *quãto ipsa lingua* Hebræa *sacratior, & diuinior est istis, quæ illã prosequũtur, longis tamen paßibus, & longioribus* Latina *quàm* Græca: *quia hæc immediatè ab* Hebræa, Latina *autẽ à* Græca *deducta est.* Sed *prosequamur.* Vniuersi *symbolum* Panã, *id est totũ dixere.*

Plato. Aegypt. Plato Hesiod.

DD

Et hoc diffusum in plurima membra existimabāt multiplicata numina: Hinc pro diuersis indigentiis, hæc quæ diuersa opinabantur numina uariis orationibus, multigenis sacrificiis, & suffumigiis deprecabantur: Sapientiam etenim à Minerua efflagitabant, quam de cerebro Iouis natam numen fauens sapientiæ putabant. Vincere in bello exposcebant à numine Victoriæ, quā opinabantur progenitam ex Acheronte & Styge, id est ex afflictione, & tristitia: Acheron enim sine lætitia, uel sine gaudio, & Styx tristitiam significat: eo quòd qui uincere cupiunt, ut à multis abstineant, & sibiipsis maximam uim inferāt, necesse est: undè tristitia exoritur. Sed in puniendis flagitiosis, uictricis Iustitiæ numen implorabant, quam Nemesim dicunt. Regnum obtinere existimabant à Ioue omniū domino: Et nuptiarum fœlicem copulam ab Hymenæo: Prosperam autem nauigationē à uentis Astræi Titanis, & Auroræ filiis, quasi natis ex solis calore rarefaciente aërem, maximè in aurora, quando sol incipit radios suos super terram diffundere: Quòd sequitur Aristoteles dum in Meteoris dicit uentos produci ex calore solis: A Iunone nihilominus dicuntur habere imperium, quia non nisi in aëre (quæ Iuno dicitur) perflant. Sed undè ueniant uenti, quamuis longæ sint poëtarum, & philosophorum ambages, ueritas tamen una est: de qua inquit propheta: Qui producit uentos de thesauris suis. Sed prosequamur. Gratias comparare à Venere opinabantur, quæ sic dicitur quasi omnia uenustans, uel ad omnia ueniēs, ut Ciceroni placet. Et si aliud quippiam emolumēti sperabant accipere à terra, mari, æthere, plantis, arboribus, cœlis, & huiusmodi, inuocabant ea, quæ ipsis opinabantur præsidere numina. Vulgares autem, quorum cura est semper in multitudinem tendere, his non contenti numinibus, illa diuiserunt in plura: Soles enim quinque ex uariis effectibus credebant: quatuor Vulcanos: quinque Mercurios: Apollines quatuor: tres Aesculapios: tres Dianas: Dionysios quinque: quinque Mineruas: Veneres quatuor: Cupidines tres. Et per huiusmodi multa uagantes etiam perniciosis rebus immissis per angelos malos non tantum nomina deorum dedere, sed & etiam instaurarunt sacra: Febri enim phanum publicè in palatio Romani dedicarunt: & aram malæ Fortunæ in esquiliis, ut Plinius refert. Et ad hāc usq; insaniā deuenere, ut etiā furtorum, & scelerum uoluerint assignare numina: Et horū omniū simulachra effingentes sacra instituerūt eis, spreto unico Deo, à quo omnia. Hinc idololatrandi sumpsere causam cōponēte sibi unoquoq; (ut cū Plinio iocer) Iunones, Ioues, Genios, Lares, Penates, & deos, quos uoluerint. Ad extremā quoq; dementiā, & caliginē deducti à Principe tenebrarū nō erubuerūt etiā apud inferos deos inuenire, quos colerent, omnium miserrimū, & infimū sub tribus nominibus uenerantes: Quem à ditando dixere Ditem, & Plutonem: Nam πλοῦτος Græcè, Latinè diues nuncupatur: Cui assignarunt Cerberū tricipitem, quasi carnem uorātem: κρέας enim carnē, & βόρον edacē dicunt: Et bene, quia semp circuit, quærēs, quem deuoret, nulli parcens, sed continuè accusans, uel nocens: Vndè Poëta.

Aristo. · Dauid · Cicero · Plinius · Idem · Statius.

Dux Erebi populo poscebat crimina uitæ
Nil hominum miserans, iratus omnibus umbris:
Stant furiæ circum, uariæque exordia mortis:
Sæuáque multisonas exercet pœna catenas.

Cui & aßignarunt tridentem sceptrum, & currum trium rotarum: quem tres equi ducebant: & canem cerberum. Alij quoque ipsum pinxerunt tricipitē: Et hæc omnia, quia tribus scelerum fontibus præsidet, auaritiæ, superbiæ, & luxui: Quod à scriptura sacra non est alienum: Hæc enim ipsum uocat Amon mino in Ieremia, sed in euangelio Mamona, in quantum præest diuitiis: Azazel uerò in Leuitico, ubi nos habemus hœdum emissarium: sed in Tobia Asmodæū: Iuxta quæ trina nomina triplicem habet potestatem in mundo: de quo inquit Ioannes: Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorū, aut superbia uitæ. Et perbellè prosequūtur sæculariū literarū gnari, collocatum describentes in secessu tartari, domo quidem obscura, & liuentibus semper umbris, & dira caligine opaca: unde princeps tenebrarum dicitur: sed princeps mundi, quia suggestor est malarum concupiscentiarum, quæ uigent in hoc mundo: Habitat quippe in secessu, id est in feculentißimis rebus, quibus dominatur: Quid enim aurum, quid argentum hoc infimum, nisi fex terræ? Quid carnis concupiscentia, nisi feruor quidam, & ebullitio terreæ carnis? Et quid ambitus, nisi feculentæ huius portionis appetitus? Ad hanc igitur calamitatem deuenere mortales, ut in fece hac miserrima summersi dominum fecis ipsius adorarent: Ad quam calamitatem ferè mortales omnes deuenere, præcipuè Romani rerum domini: cum quibus tanquam præcipuis huius sceleris authoribus agens Paulus dicit: Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & uolucrum, & quadrupedum, & serpentum: propter quod tradidit eos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiā, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis: Quia commutauerunt uirtutem Dei in mendacium, & coluerunt, & seruierunt creaturæ potius, quàm creatori. Et adeo perniciosis spiritibus agitati erāt, ut seipsos mactarent dæmoniis, & filiorum sanguine scelestas quærerent placare uirtutes. Rhodij (teste Eusebio) hominem sacrificabant Saturno, non quippe bono, sed malo. In Salamina quoque (quam antiquißimis temporibus Coroneam uocabant) usque ad Diomedis tempora Graualæ Ceclopis filiæ homo cædebatur. Manethus etiam historicus Aegyptius in libro de pietate narrat homines in Heliopoli immolatos fuisse. Multáque huiusmodi prosequitur Eusebius, & apud eum Dionysius Halicarnaseus & Diodorus Siculus: Sed hæc de multis sufficiant ad hominum calamitatem miserrimam ante Redemptoris aduentum innuendam.

Ierem. Matth. Leuiti. Thobi. Ioan. Paulus Eusebius Mane. Euseb. Diony. Diodo.

Christus liberans ab hac calamitate humanum genus, deiecit tricipitem illam bestiam. Cap. XIIII.



Antum itaque errorem, scelus, & infœlicitatem miseratus Pater æternus demisit filium suum Christum Iesum, qui eripuit nos de potestate tenebrarum: & transtulit in regnũ filij dilectionis suæ. Hic igitur pugna assumpta contra totius mali suggestorem, eum debellauit: & ablata ipsius potestate, ligauit eum tartareis carceribus habens Apocal. *(ut in Apocalypsi dicitur) claues abyssi, & inferni. Et eius imperio angelus descendens de cœlo ligauit catena magna (ut ibidem dicitur) serpentem magnũ, qui est diabolus: quem in cruce exaltatus iam debellauerat, sicut promiserat di-* CHRISTVS. *cens: Nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Pro quo exultans Paulus cum* Paulus *Corinthiis ait: Absorta est mors in uictoria: Mors quippe est ipse angelus mortis, & princeps tenebrarũ, ut exponunt omnes, qui rectè sentiunt. Sequitur: Vbi est mors uictoria tua? Vbi est mors stimulus tuus? Stimulus nanque, & sagitta mortis peccatum est: quo ipse angelus mortis ferit, & occidit nos, ueluti sagitta uenenata: Sed uirtus peccati, & robur eius est lex, cuius transgreßio peccatum est: quæ si non esset peccatum, non imputaretur: Sed Deo patri gratias, qui dedit nobis uictoriam per Iesum Christum dominum nostrum. Quam tamen uictoriam non consequimur, nisi cooperemur uincenti, ut exquirit status uiæ, & pugnæ. Sed tandem (iubente Deo) ipsa mors, & angelus mortis penitus destruetur, ablata ab eo omnimoda nocendi potestate, ut paulo superius dixerat Apostolus: Oportet hunc sic regnare, donec ponat inimicos suos sub pedibus eius: Nouißimè autem inimica destruetur mors: ut clarius cũ Hebræis disserens ait: Vt per mortem destrueret eum, qui habebat imperium mortis, id est diabolum: & liberaret eos, qui timore mortis per totam uitam obnoxij erant seruituti. Et ut destrueret cupiditatem habendi, docuit uerbo, & facto detestari diuitias, protestans, quod non possumus seruire Deo, & Mamonæ. Et ut suppeditaret ambitũ dominandi, docuit nos esse mites, & humiles corde: Et inuitatus ad regnum recusauit fugiens. Et ut amoueret à nobis omnia carnis desideria, iußit nos lumbos præcingere, nosq; hortatus est castrari propter regnum cœlorũ. Nec contentus uerbo tantũmodo instruxisse mortales, facto etiã docere uoluit, ut tanquam uerus dux præiret in bellum dicẽs: Venite post me. Ductus enim à spiritu in desertum illa trina prælia sustinuit: in quibus semper feriens inimicum gladio spiritus, quod est uerbum Dei, gloriosum reportauit triumphum. Quid enim per panem fomentum præcipuum animalis hominis, nisi cõcupiscentia, & carnis illecebræ, & totum, quod ad ipsam pertinet, intelligitur? Et quid per suggestionem gloriæ comparandæ in deiectione à pinnaculo templi, nisi ambitio, & superbiæ fastus denotatur? Et quid per omnia regna mũdi ostensa, & promissa, nisi poßidendi cupiditas intelligi potest? Victor itaq; in principẽ tenebrarũ, & mortis, peccatiue suggestorem effectus, fortior illo totũ eius regnũ destruxit, spolia diripuit,*

prædamque captiuam è manibus ipsius eruit: Quo prostrato, facilè omnia, quæ suo astu, & nequitia machinatus fuerat, ut auerteret hominem à Dei cultu, demolitus est.

Quomodo aduocauerit ad se omnia alia numina. Cap. X V.



Erum, ut idololatriam, & cultum plurium numinum amoueret à mortalibus, totum numen in multa diffusum (sic iubente Patre) ad seipsum aduocauit: Quod sacramentum sanè intelligentibus patefaciens ait: Omnia mihi tradita sunt à Patre meo, id est omnium uires, omnium uirtutes, omnium numina, ut Paulus exerta uoce nos admonet dicens: Expolians principatus, & potestates, palam triumphans in semetipso, traduxit confidenter omnem aliorum uim ad seipsum: Et iterum: Euacuauit omnem principatum, & potestatem, & uirtutem, ut non ultrà ab aliis procuremus necessaria, & opportuna, sed ab eo, cui Pater omnia donauit. Hinc docuit omnes, ut de cætero à Patre peterent in nomine suo: Quæcũque (inquit) petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Et hic est principatus, qui (attestãte Isaiæ oraculo) factus est super humeros eius: qui esse solebat super humeros diuersorum principum: sed illis expoliatis, omnia collecta sunt in eum: quem prouisor summus iußit apparere in carne uisibili, ut uulgarium oculi, qui spiritualia aspicere nequeunt, nec ipsa contemplari ualent, oblatam haberent figuram, quã conspicerent: & in ea numen, & diuinitatem adorarent: quam depressæ mentes imaginari non poterant. Qui ergo sapientiam ueram, non mineruam imaginatam desiderat, Christum Dei sapientiam inuocet. Qui uult uitam, & sanitatẽ, non quidem Apollinem, uel Aesculapium imploret, sed illum, qui est uera uita, & medicus omnes sanans languores: de quo canit Regius propheta: Misit uerbum suum, & sanauit eos. Qui uult iter prosperum in terra, & mari, non Aeolum, aut Astræos, sed illum oret, qui mari & uentis imperat: & obsequuntur. Qui opulentiam frugum, aut uini appetit, nõ iam Cererem, uel Bacchũ, sed illum deprecetur, qui ex quinq; panibus statim multiplicatis satiauit uirorũ, & mulierũ turbam copiosam, & solo iussu aquam in uinum conuertit: qui etiã inquit: Ego sum uitis uera, præbens uidelicet uinũ melius, quàm Bacchus, aut Dionysius. Si uerò aqua quis indiget, non ad Oceanum, Acheloum, Nereides, Cymothoem, uel Amphitritem accedat, sed ad illum fontem uitæ uberrimum cõuolet, à quo aqua effluit: quam qui biberit, nõ sitiet iterum. Si quis autem floribus, fructibus, atque oleribus oblectari uoluerit, non iam Atym uel Adonidem inuocet, sed ueram illam arborem uitæ geminam, quæ præbet diuinos, & humanos fructus: uel pascit corticè, & medulla, ut utrobique in ea pascua inueniamus. Et si quis diuitias appetit, non iam ad Plutonem fecum terræ dominum accedat, sed ad Principem uerorum thesaurorum, qui conseruantur in cœlis: qui etiam scit remunerare in centuplum renuntiantes partem habere cum Mamona: Quibus centenariis, & millenariis pecuniis à Deo, & non à Mamona datis, li-

[Margin: CHRISTVS. — CHRISTVS. — Isaias — Dauid — CHRISTVS.]

citè uti poterimus, ſicuti fecerunt Abraham, Dauid, & alij amici Dei, qui diuitiis abundarunt. Sed ſi quis nuptiarum optimam copulam deſiderat, non iam Hymenæum coniunctionis, & amoris numen excogitatum petat, ſed ad illum, qui coniunxit ea, quæ incõnexibilia exiſtimabãtur, diuinã uidelicet & humanã naturã accedat: Qui & nos omnes ad nuptias, non tanquã extrarios, aut miniſtros, ſed tanquam ueras ſpõſas inuitat: Et qui has carnales nuptias prius copulat in cœlo, quàm coniuges iungantur in terris. Et ſi quis delitias appetit, non iã à Venere, Cupidinéque expetat, ſed ab illo, qui hortulum delitiarum plantauit ab initio: in cuius dextera ſunt delectationes ſempiternæ: & qui torrente uoluptatis ſuæ potat omnes ad ipſum accedentes. Si quis denique regnum, & primatum ambit, non iam ſupplex à Ioue expoſcat, neque Martio fauore, bello, & armis quærat, ſed ad illum accedat, qui dixit: Ego diſpono uobis regnum, ſicut diſpoſuit mihi Pater: Et qui ſe dicturũ promiſit: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum uobis regnum à conſtitutione mundi. Sed quid plura? Dicamus cum Apoſtolo: Diues in omnes, qui inuocant illum: adeo, quòd ad nullum aliud numen poſthac recurrendum eſt, niſi ad Patrem: ad quem intramus per Filium, tanquam per oſtium: & deducimur per Spiritum ſanctum, iuxta illud propheticum: Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Qui tamen tres unum ſunt in deitate, & numine: à quo ſolo quærenda ſunt neceſſaria, & opportuna, & non à diuerſis numinibus: Ad cuius unici Dei cultum ipſe prius deduxerat familiã Iſraëliticam, nunc autem totum humanum genus, eſto quòd Hebræi Meſſiã ueniſſe non admittant, & Iſmaëlitæ ſequantur hæreſes Mahumeticas, unicum tamen Deum omnes adorant: Quod uirtute Chriſti in cruce exaltati factum eſſe non ambigimus. Cur autem Hebræos in ſua obſtinatione, & Iſmaëlitas in illo errore diutius immorari permittat, alibi diſcutiendum eſt.

CHRISTVS. Paulus Dauid

Hoc dominium obtentum, & attractio omnium numinum ad ſe probatur euidenti facto. Cap. XVI.



ET ne ſolum uerbis uideamur aſtruere, quod molimur, percurremus & aliquos, qui uiſi fuerunt effectus manifeſtiſſimi hoc comprobantes: Nam mortuo Chriſto in cruce, in qua eum reportauit de hoſte triumphum, ut deiectæ fuerint tenebrarum poteſtates: adeo, ut quæ primo coli procurabant dantes reſponſa ex idolis, & templis tanquam diuina oracula, ſtatim ſiluerint, ablata ab eis omnimoda poteſtate nedũ dominandi, ſed etiam loquendi mortalibus ſub perſona Deorum, & mundi huius diſpoſitorum: Quod non modo uidemus oculis propriis, ſed (quod mirũ eſt) ipſi eorum cultores præcipui fatentur admirantes: Porphyrius enim in libro De oraculis deficientibus hæc ueritate compulſus decantat:

Porphy.

Ablata eſt Pythij uox haud reuocabilis ulli
Temporibus longis, etenim iam ceſſat Apollo,
Clauibus occluſis ſilet, ergo ritè peractis

Discedas patria, & redeas ad limina, sacris.

Et Plutarchus in eiusdem libri titulo: *Cum (inquit) dicerem ad Cleombrotũ: Narra ô amice, si placet, cur oracula, de quibus tanta dicebatis extincta sint, tacente illo præ pudore; Quid oportet (inquit Demetrius) de illis quærere, cum omnia hîc ferè præter unum defecisse prospiciamus. Sed & in Boëtia multiloca dicta propter multitudinem oraculorum, omnia quasi aquarum fluenta desiccata sunt: Quin & plus dicit Plutarchus, uocem delatam ex Echinadis insulis tempore Christi patientis, magnum Pana ipsorum mortuum esse, extincta uidelicet eius uirtute, tam in dominando, quàm in respondendo, quamuis adducatur oraculũ in cõprobationem, quòd dæmones moriãtur. Hanc autẽ uocẽ delatam celebri fama, diuulgatũ est, etiam apud Tyberiũ Cæsarẽ, qui examinatis testibus in archiuis regiis depositionem collocauit. Cessauit igitur oraculũ Delphicũ celebratissimũ: cessauit & Pythiũ, & alia omnia. Sed & paulo post mortem debellatoris dæmonũ destructa sunt tẽpla omnia Apollinis, Iouis, Iunonis, Mineruæ, Dianæ, & quorũcunq; falsorũ deorum, & erecta sunt templa Christi, & in honorem eorum, qui ipsum secuti sunt: ut exclamare possimus:* Plutarc. Demetr. Plutarc.

Ecce Deus noster CHRISTVS per sæcula regnat:
Dantque Creatori cuncta creata preces.

Et quid Porphyrius aduersus nos rabidus canis dicat in eo libro, quẽ cõtra religionẽ nostrã ædidit, audiamus: Nec miremur (inquit) si iã multis annis ciuitas peste uexatur, cũ Aesculapius, & alij Dij longè sint ab ea: Ex quo enim Iesus colitur, nihil utilitatis à diis cõsequi possumus. Mira est quidẽ ueritatis uis, ut spiculũ, quod acerrimus hostis in nos dirigit, in dirigentẽ ui ueritatis uersum, eũ, qui miserat, feriat. Si dij cesserunt Iesu ô Porphyri, nonne profiteris inuitus Iesum fortiorem tuis diis? Si dicas: Indignati abierunt: Cur (inquam) nõ deprimũt eũ, qui suam dignitatẽ occupat, & cultores ipsius? Puniunt (inquies) morbo uexantes: Sed cessante morbo, & præualẽtibus Iesu cultoribus, nunquid pœnitẽtia ducti dij tui cessarũt à uexatione cultorũ Iesu? Hũc enim colentes, à diis tuis, & Romanis principibus per multa tẽpora impugnati semper meliora incremẽta susceperere, & cultus eius adeo est ampliatus, ut mũdi principes prorsus debellati fuerint: & totius mũdi uires paucis, & paupculis euãgelij nũtiis cesserint. Insuper & Aesculapij, & Apollines, & Plutones, & Serapides, & Mineruæ, & Pallades, & Veneres, & Cupidines, & quodcũq; est portẽti genus, aut quæ erãt idololatriæ nomina, resurgẽte Christo ex mortuis, quasi audito terræmotu corruerũt: ut nec respõsa dare possent, nec cultũ exquirere: nec hominũ cruorẽ exposcere, nec auguriis, aut quibuscũq; præstigiis fauere, nec Iesu obstare nũtiis: quibus dedit potestatẽ in illos hostes facilè subiugãdos, & deiiciẽdos, ut in euãgelio, cui titulus est secundũ Lucã, ait: Videbã Satanam, sicut fulgur de cœlo cadentẽ. Ecce dedi uobis potestatẽ calcandi super serpẽtes, & scorpiones, & sup omnẽ uirtutem inimici, & nihil uobis nocebit. Sed & hanc potestatem dedit nõ Porphy. Lucas

in nominibus aliquibus inuocatis, ut solent Magi, uerum in nomine proprio ipsius uincentis, & obtinentis imperium in omnem uirtutem inimicam, sicut post resur

CHRISTVS. rectionem triumphans de omnibus ipsius cultoribus dixit: Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequẽtur: In nomine meo dæmonia eiicient: linguis loquẽtur nouis: serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & bene habebunt. Illi autẽ profecti, prædicauerũt ubiq;, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis. Quæ perpetrata ab Apostolis, & Iesu triumphantis asseclis, adeo manifesta sunt, & ubiq;

Paulus comprobata, ut nouis probationibus non indigeant. Quæ propriis oculis conspicientes mundi principes, cum negare non possent, attribuebant magicis artibus opera, & miracula illorum, qui magiam, necromantiam, auspicia, præstigia, & quicquid dæmonum arte moliebantur gentiles, toto conatu destruere satagebãt. Nec dubitandũ est de scripturæ ueritate, cum tot conueniant in diuersis mundi partibus testes, ut impossibile sit eorum conuentum esse falsum, id maximè, cũ & ipsi horum aduersarij huiusmodi facta ab eis confiteantur. Verum quid egemus testibus? Iam ipsi uidemus templa deorum destructa, oraculaq́ue extincta: Quæ statim mortuo, imò triũphanti Christo cedere cœperunt, ut & ipsi crucifixi hostes sua sponte fassi sunt: & in nostris libris amplissimè legimus. Siquidem cũ Albanam maioris Armeniæ urbem Bartholomæus ingrederetur, & intraret in templum, ubi Astarot colebatur, dæmones ulterius dare non potuere responsa: Admirantibus incolis, & ad uicinã ciuitatem, quo adhuc nõ perrexerat Apostolus, proficiscentibus, sciscitantibusq́ue ab idolo illic existente, cur in Albana responsa non haberent, fassus est cacodæmon ueritatem ui Christi compulsus, Albanorum Deum, imò cacodæmonem ob ingressum Bartholomæi in ciuitatem, & templum, cathenis ligatum, ut loqui amplius non ualeret. Confessi etiam sunt mali dæmones Cypriano tunc mago, aut necromanti Christum preualuisse in eos: Quare spretis Cyprianus uictis adhæsit uincenti. Fœlix presbyter, & martyr non modo dæmones ligauit, sed solo flatu Mercurij statuam, & Dianæ simulachrum deiecit: Arborem quoq; ubi lucus, & templum erat, solo iussu in crucifixi nomine cõminuit. Margarita proprio cingulo dæmonem ligatum in crucifixi uirtute ducebat ad nutum. Innumerabilia sunt in huiusmodi paradigmata. Sed quid moror exemplis, quorum me turba fatigat? Iam celebri fama diuulgatum est omnes potestates aëreas pauere non tantum Christum iesum, sed olim infamem, nunc autem insignem crucem, in qua triumphauit: ut iam in prouerbium uenerit: Magis timetur hoc, uel illud, quàm diabolus timeat crucẽ. Neque tacebo, quod experimento didici, nullum dæmonem, malum spiritum, uel tetram uirtutem ex his, quæ uexant, uel possident humana corpora, posse resistere, quin, uelint nolint, genuflectant, quando nomen Iesu debitè pronuntiatum ipsis proponitur uenerandum: Et quod plus est, iam experimento comprobatũ est nihil fauoris haberi posse à cœlestibus, nisi interueniat nomen, authoritas, fauor,

& assensus Iesu. Hinc Hebræi in diuinis nominibus peritissimi, nihil post Christum operari possunt, sicuti faciebant prisci eorum patres. Vndè cum aduocare nequeant cœlestia, & munda numina, ad tartareas potestates, & immundos dæmones confugiunt: & ad necromantiam illam artem omni lege, omnique religione damnatam: ut mihi proprio ore fassi sunt, qui in huiusmodi magis experti, & præcipui habebantur. Aliqui tamen, ut suam incredulitatem, & perfidiam obtegant, criminantur peregrinationem suam, in qua longè distantes à terra promissionis, & templo, nihil (ut inquiunt) authoritatis, aut uirium obtinent. Sed hæc uerba & nugæ meracissimæ sunt, cum Ioseph in Aegypto, Ezechiel in Chaldæa simul & Daniel uaticinati fuerint: Et hic etiam Dagon ibidem destruxerit: & Christi discipuli ubique terrarum in dæmones prorsus præualuerint, & mirabilia operari passim comprobentur.

Eadem comprobantur uaticiniis. Cap. XVII.

AD oracula autem, quæ huiusmodi negotium præuenerunt, uenientes, incipiemus à Mose, à quo habemus in Leuitico, quòd Nadab, & Habiu filij Aaron arreptis thuribulis imposuerunt ignem, & incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum, uel extraneum, quod eis non præceperat: Et egressus ignis à Domino, deuorauit eos, & mortui sunt corã Domino. Non sine admiratione legi potest hic textus, nisi intelligatur latens, & mysteriosus sensus. Laborauit Abrahã, Moses, Aaron, & electi illi sacerdotes, ut idololatriã extinguerent: atque omnes ad cultũ summi Dei deducerent: quod super omnia peroptabant. Hoc zelo Abraham, cũ Deum unicum doceret Chaldæos, in ur, uel fornacẽ missus fuit ab eis. Hoc zelo Elias impetrauit ignem de cœlo contra prophetas Bahal. Hoc zelo Nadab, & Habiu arrepti uoluerunt adolere cum igne alieno, id est sacra offerre pro extraneis: Sed cum arrogarent sibi maximum opus Messiæh tantũmodo reseruatum, & minimè ipsis commissum, de arrogãtia puniti sunt: Vndè cum doleret Aaron de filiis perditis ex opere, maximè bono zelo perpetrato, dixit ei Moses: Hæc dicit Dominus: Sanctificabor in proximis, uel propinquis meis, & in conspectu totius populi glorificabor. Propinquus, & proximus Deo, in primis Christus eius Filius fuit: Postea Apostoli: quorum plærique propinqui Christi erant in secundo gradu consanguinitatis secundum carnem: ut Ioannes, uterq; Iacobus, Philippus, Simon, & Thadæus: Secundum autem spiritum discipuli omnes, præcipuè Apostoli, in quibus sanctificatus, & glorificatus est in conspectu cuiusque populi & uniuersi mundi: Quam gloriam sibi uendicare uoluerunt illi duo sacerdotes, non præcipiente Domino, nec exigente tempore, ideo puniti fuere: Quod audiens Aaron tacuit, rationi, & iustitiæ cedens. Isaias autem, cũ de Messiah multa uaticinatus esset, quid de idolis deprimendis adiecerit, uideamus: ait enim: In nouissimis diebus, id est in ultima ætate, erit præparatus mons Domini in uerticẽ montium: Et eleuabitur super omnes colles. Nec enim legi-

Leuit. | Moses. | Isaias

mus, aut uidimus, quod aliquis mons proximè eleuatus sit super colles, aut alios mõtes, ad quem confluxerint gentes: Vndè mons hic eleuatus super omnes colles est ille, qui scriptus est in capite libri, & effectus Rex regum, & Dominus dominantium, prælatus, atque eleuatus super omnes principes, qui tãquam colles eleuati sunt super populos: Et ad hunc confluxerunt gentes suscipientes eius characterem, & donatiuum, & ipsum adorantes: tunc enim, ut sequitur, eleuatus est Dominus solus cõtritis penitus, & demolitis idolis: undè sequitur: In illa die proiiciet homo idola argenti sui, & simulachra auri sui. Zacharias quoq; sole clarius loquitur dicens: In illa die erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem, in ablutionem peccatoris, & menstruatæ: Qui fons (ut omnes interpretantur) Messiah est: qui abluit peccatum, & menstruata, id est actuale, & originale peccatum. Et tunc (inquit Dominus exercituum) disperdam nomina idolorum dè terra, & non memorabuntur ultrà: quod iam facto comprobamus.

Zacha.

Ezechi. Iterum in Ezechiele inquit contra Aegyptum idolis opulentam: Disperdam simulachra, & cessare faciam idola de Memphis: & dux de terra Aegypti non erit amplius: Et multa prosequitur Vates de strage Aegyptiorum, quam principes Romani, & alij executioni demandarũt. Sed hæc omittentes de idolis prosequamur, quæ primo in Aegypto, Memphis, Taphene, Canopo, Alexandria, Thebis, Heliopoli, & aliis ipsius Aegypti locis, florẽte cultu crucifixi, demolita sunt: & repleta loca Anachoritis, Monachis, & quãplurimis Iesum à terra exaltatum uenerantibus. Sed & Malachias ultimus prophetarum de abiectione Israël, & uocatione gentium per Messiæh uirtutem quàm apertè loquatur, uideamus: Non est (inquit ad populum Israëliticum) uoluntas mea in uobis, dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu uestra: Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum nomen meum in gentibus, & in omni loco adoletur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum: Quæ propheta ipse tanta certitudine cognoscebat, ut ipsa futura tanquã præsentia, more prophetico, denũtiaret: Nec enim in gentibus tunc glorificabatur nomen Domini, sed exaltato crucifixo honorari cœpit: Ad quẽ uerum Messiam tandẽ uenięt Israëlitici omnes, ut per Isaiam dicitur: In die illa erit radix Iesse, qui stat in signum populorum, in cruce uidelicet exaltatus: Ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum eius gloriosum: uel (ut habet ueritas textus) erit requies eius honor: Et adiiciet Dominus secundo manum suam ad possidendum residuum populi sui, quem uidelicet reduxit aliquando, sed plenius reducet ex uariis captiuitatibus, & ingenti dispersione, quæ impræsentiarum est ubique terrarũ, ut tãgit propheta: dũ sequitur: Quod scilicet residuũ relinquetur, & ab Aegypto, & à Phetros, & ab Aethiopia, & ab Elam, & à Senahar, & ab Emath, & ab insulis maris: Quibus uerbis tres mũdi partes præcipuas tangit, Aphricam, Asiam, & Europam: ut ex illis omnia loca intelligantur, in quibus dispersi sunt. Sequitur: Et leuabit signum in natio-

Malach.

Isaias

Idem

Idem

nes, & cõgregabit ꝓfugos Iſraël, & diſperſos Iehuda colliget à quatuor plagis terræ. Nec aliquid clariùs dici poteſt, ſicut ad uerbum completum eſt, trĩuphã-te crucifixo, & miſſo ſpiritu ſancto: Quo repleti Apoſtoli, dum loquerentur, erant (inquit Lucas) admirantes Parthi, Medi, Elamitæ, & habitantes in Me Lucas.
ſopotamia, Syria, & Cappadocia, Ponto, & Aſia, Phrygia, & Pamphilia, Aegypto, & Libya, Cyrene, & aduenæ Romani: Iudæi quoque Proſelyti, Cretes, & Arabes, & dicebant: Audiuimus eos loquentes noſtris linguis magnalia Dei. Hoc enim primo die, quo Chriſtus prædicari cœpit actũ eſt: Quæ autẽ ab illis cunabulis ad noſtra uſq; tẽpora ſucceſſere, uolumẽ noſtrum capere minimè poſſet. Multis quoq; aliis oraculis hoc idẽ corroborari ſolet, ſed quæ dicta ſunt, ad præſens ſufficiãt: Hoc tamẽ unũ ꝑſtringã, quod à Moſe, Chriſto, Paulo, & aliis prædictũ eſt, ꝙ tanq̃ omniũ immaniſſimũ ſcelus, & peſtis, atq; abominatio ſæuiſſima à IESV crucifixo cõteretur, qui ꝑ antonomaſiã antichriſtus dicetur. Multi enim (inquit Ioã.) antichriſti facti ſunt, ſed unus omnium acerrimus, Ioan.
qui eleuabitur, nõ tãtum cõtra Chriſtũ, ſed (ut inquit Apoſt.) cõtra omne, quod Paulus
dicitur Deus, aut quod colitur, ita, ut in templo Dei ſedeat oſtendens ſe, tanquam Deum: De quo Moſes inducit Bilhan uaticinantem in huiuſmodi uerbis Moſes
אוי מי יחיה משמואל וצים מיד כתים וענו אשור וענו עבר וגם הוא עדי אובד Bilham
Quod ad uerbum traductum dicit: Heu quis uiuet ab eo, id eſt à facie eius, qui poſitus eſt contra Deum? Et naues de litore Italiæ, ſupple uenient, & affligent Aſſyrium, & affligent Hebræũ: & etiam ipſe tandem peribit: Eleuabitur enim abominabilis, & affliget potiſſimè Aſſyrios & Hebræos, ubi reſidebit: & conſequenter affliget quoſcunque potuerit ſtrage, & tribulatione magna, ut etiam infallibilis Veritas proteſtata eſt dicens: Cum uideritis abominationem deſola- CHRISTVS.
tionis, quæ dicta eſt à Daniele, ſtantem in loco ſancto: qui legit, intelligat. Veh prægnantibus, & nutrientibus in die illa, in qua erit tribulatio magna, qualis nõ fuit ab initio mũdi uſque modo, neque fiet: & multa, quæ ſequuntur: quæ apertè innuunt, nunquam acriorem hoſtem in Chriſtum, & Deum, & ſalutem noſtram inſurrexiſſe, aut inſurrecturum. De quo nihilominus crucifixus noſter reportabit uictoriam, & triumphum trahens de manibus ſuis omnes, quos accepe Paulus
rit: ut ſubinfert Paulus dicens: Quem Dominus IESVS interficiet ſpiritu oris ſui: & deſtruet illuſtratione aduentus ſui eum, cuius eſt aduentus ſecundum operationes ſatanæ in omni uirtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis iis, qui pereunt, eo quòd charitatem ueritatis non acceperunt, ut ſani fierent: & meritò attraherentur à crucifixo noſtro. De eius quoque uictoria ſequitur ſumma Veritas dicens, quòd tunc apparebit ſignum fi CHRISTVS.
lij hominis in cœlo, quo ipſum ſceleſtum uidelicet debellabit. Et mittet angelos ſuos cum tuba, & uoce magna, & congregabũt electos eius à quatuor uẽtis cœli, à ſummis cœlorum uſque ad terminos eorum. Poſtea ſubinfert: Cœlum & terra tranſibunt, uerba autem mea non præteribunt. Quo debellato deſtruetur;

& inimica mors: quæ in hoc ultimo, & supremo conatu confracta peribit, triũphante Iesu, & attrahente ad se omnia attrahenda, ut statim dicetur.

Quomodo distrahentia omnia tandem amouebit, ut ad se unum omnia perfectè trahat. Cap. XVIII.



Agna quippe ex antè dictis insurgit admiratio, cur non uideamus attractum istum omnium gentium, & etiam populi Israëlitici, sicut uidẽtur prædixisse oracula: Ait enim Regius propheta: Et adorabunt eum omnes reges, omnes gentes seruient ei: Et Isaias: Surge, illuminare Ierusalem, quia uenit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est: quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te uidebitur: & ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui: Caligo enim & tenebræ operiebant populos, quando idolis, & potestatibus tenebrarum seruiebant: Sed orto Domino in Ierosolymorum agro, & uisa eius gloria, gentes cœperunt ambulare in lumine suo, & reges in splendore ortus sui, uisa eius stellâ in oriente. Sunt quoque innumera alia oracula, quibus prædictum est omnes illuminari, dirigi, & deduci debere à luce ista à terra exaltata pro illustratione, & salute nostra. Sed hoc infert speculantibus admirationem non modicam, si hæc lux (ut dictum est) omnes collustrauit, cur tot remanent obtenebrati, & illi, qui spurcißimæ bestiæ characterem suscepere, & qui eam lucem respuentes à figuris, & ænigmatibus discedere nolunt? Nonne & illi, qui nomen tantummodo suscepere, undè christiani denominentur, operibus autem illud nomen impugnant? certant enim inter se odiis, & litigiis, Deumq́ue ueluti detrusi tartareis carceribus blasphemãt, carnis illecebris obuoluuntur, idola pecuniarum adorãt, terrena sapiunt, spiritualia oderunt, castrimargiæ inseruiunt, cultum Dei contẽnunt, adeo, ut non attracti, sed expulsi penitus ab ista luce uideantur: Vndè & prophetarum oracula, & summæ Veritatis sententia de falsitate argui poße diiudicetur: quia nec ad eum confluunt gentes, nec ipsum adorant omnes populi, nec ab eodẽ omnia attracta conspiciuntur: Quibus satisfacientes, dicimus Christum omnium salutem operatum fuiße pro omnibus, traditum pro omnium liuoribus sanandis, & in lucem omnium instar ueri Solis ortum, & accensum: Non tamen omnes salutem capiunt, etiam quibus salus parata est, quousque ipsorum tempus aduenerit: Sol enim in sua primæua fabrica refertus fuit ea luce, quæ ꝑ omnibus mundi partibus illuminandis est sufficientißima non tamen partes omnes simul collustrat, sed completo circuitu, nulla remanet lucis ipsius beneficio priuata, & omnia suo tempore lumen suscipiunt. Ortus quoque est sol iustitiæ Christus luce perfecta, qua posset omnem hominem illuminare: Sed sunt tenebræ, quæ nequeunt eam comprehendere, uel nunquam uel pro tempore: Et qui nunquam eam suscipere uoluerint, tanquam lucis inimici dabuntur in sortẽ peßimam cum principe tenebrarum: Qui autem statim, uel saltem aliquando eam

susceperint, hi & in patria lucis eius beneficio perfruentur: Virtus enim Christi distributa in omnia membra mystici, & Christiani corporis diffunditur tanquam fermentum in totam massam, & tanquam ignis in plura ligna: Sed sicut massa illa tota fermentatur cum tempore, & ligna calefacta suo tempore accẽduntur, & in ignem transmutantur, sic & massa ista humani generis, suscepta Christi uirtute, tota suo tempore fermentabitur bono fermento: & calefacta igne illo diuino in ipsum transmutabitur, excepta ea parte, quæ ueluti fex, & purgamentum proiicietur ad latrinas tartareas. Sed id erit completo curriculo, quod Pater æternus decreuit pro expurgatione massæ in illum transmutandæ: de quo Sophonias ait: Expecta me, dicit Dominus, in die, quo surgam: quia iudicium meum, id est decretum mihi datum est, ut congregem gentes, & colligã regna, & effundã super eos indignationem meam, omnem iram furoris mei, quia in ira zeli mei deuorabitur omnis terra, id est omnis, qui terrena sapit, & secundũ carnem, & sanguinem uiuit: & expurgabo omnem scoriam, tam in operibus, quàm in uerbis: & tunc omnes erũt puri, & in operibus, & in uerbis: Vndè sequitur: Tunc effundam super populos labium purum, ut inuocent omnes nomen Domini, ea uidelicet sanctimonia, & puritate, qua inuocare debent. Et hoc quo ad uerba. Sed de operibus sequitur: Et seruient ei humero uno, id est unico corde, unico cultu, & conformibus operibus: Quod adhuc minimè uidimus: Speramus autem uidere, & lætari, quando congregatis gentibus, & collectis regnis effundetur furor, zelus, & sancta indignatio emũdans, & expurgans omnia immunda, & colligens omnia dispersa, reddensque unicum labium, & illud purum, & mũdum: Quod (inquiunt Hebræi) illud erit, quo lex, & oracula data sunt, & celebres hymni dictati: Vel sit sermo purus, & clarus, non secundum idioma, sed procedens à corde puro, & unico in omnibus ex colliganti charitate: Et tunc homines à multiplicitate rituũ, & cæremoniarum, in qua multoties confunduntur, ad unicum cultum reducentur: qui tunc clarè, secundum Dei beneplacitum explicabitur, cessante omni discordia, & dissidio: Quæ an ab animis natura dissidentibus, an ex corporibus ex contrariis qualitatibus compositis, an ex formis multigenis procedant, an ex uario cultu, influxu multiplici, & diuersis nutrimentis foueatur, altissima quippe ad discernendum exquireretur indago. Adsunt quidem in homine contrariæ qualitates diuersissimè commixtæ: undè diuersæ complexiones. Intercedunt quoque uarij influxus diuersissimè disponentes corpora nostra. Intersunt etiam diuersæ regiones, uarij cibi, conuersationes multiplices: ex quibus omnibus (ut Ptolemæo placet) deducitur homo ad diuersos effectus. Nec minus id procedit ab animis, qui si ab eodem fonte procedunt, transeuntes tamen per diuersa media (ut Pythagorei, & Academici autumant) diuersas induũt naturas, & inclinationes: undè dissensio exoritur. Sed cum illud, quod est summè unum, à quo omnis multitudo emanat, deducere intendat debito rerum curriculo omnem multitudinem in seipsum unũ, oportet, q̃ col-

Sophõ.

Hebræi.

Ptole.

Pythag. Academ.

ligendo multitudinem resecet, & amoueat omnia, quæ ab unitate distrahunt. Hinc (quod dictu mirabile est) etiam intelligentias ab eis, quos tuentur, tandem amouebit: Quod dicere nõ auderẽ, nisi Isaias me aperto sermone doceret dicẽs de multiplici militia præsidente Edom, & Bosra: Et tabescet omnis militia cœli, & cõplicabuntur, sicut liber, in quo chartæ multæ colligũtur, & cõplicãtur. Et hoc amplius subinfert: Et omnis militia eorũ defluet, sicut defluit foliũ de uinea, & de ficu, quoniam inebriatus est gladius meus in cœlo: Quod non de militia intellectuum beatorum intelligitur, neque de primæua expulsione principis tenebrarum: quia de militia Edom, & Bosra loquitur: quæ tum non erant, & de futuro est sermo, & non de præterito: Sic & antea clarissimè loquitur dicens: Visitauit Dominus super militiam cœli in excelso, & super omnes reges, qui sunt super terram, auferens forsitan ab hominibus, & regnis (ut aliquibus placet) omnem particularem tutelam, ut regens ipse unicus, quos regit, deducat ad omnimodam unitatem cordis, amoris, cultus, & idiomatis meliori fruge, q̃ principes angelici, esto ꝗ boni. Hinc Moses non contentus ducatu angelico, ipsum Deum uoluit habere ductorem: Reducet (inquit) plura idiomata ad unum, quæ tot sunt, quot principes cœlestes distributi per portiones signorum, ut secretiores Theologi docent: Sex enim sunt pro quolibet duodenario illo cœlesti, qui connumerati reperiuntur septuaginta duo, quot erant sapientes in consilio Sinedrim iudicantes turbam, & quot electi sunt post Apostolos duodenarios in doctores, & ductores gentium non sine magno mysterio, ut Resp. patrum antiquorum, & Christiana simulachrum tenerent Reip. cœlestis. Et cum dignabitur Princeps habere de nobis tutelam immediatam, tunc forsitan deuenient gentes ad illud millenarium, de quo Ioannes in Apocalypsi: Et uiuent, & regnabunt cum Christo mille annos, & omnes facti sacerdotes Dei, & Christi: Et iterũ: Et ipsi populus eius erunt, & ipse Deus erit cum eis eorum Deus in millenario septimo sabbatario, & quietis: In quo Deus quiescet ab operibus, quæ nobiscũ agit: & in nobis quiescet, & nos in eo, iuxta illud, quod dixit: Qui manet in me, & ego in eo: Sed multo fœlicius erimus in alterutro, & uniti perfecto amore, & quiete in patria illa, ubi dabitur perpetua mansio, & quies.

(Margin notes: Isaias; Idem; Moses.; Ioan.; CHRISTVS.)

Quòd tandem trahet omnes attrahendos. Cap. XIX.



Motis igitur omnibus impedimentis, & collecta tutela omnes attrahendos tandem ad seipsum deducet absque aliqua resistentia, aut errore, iuxta id, quod ait: Ego uitã æternam do ouibus meis, & non rapiet eas quisquam de manibus meis: Et iterum: Omnes quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam: Et rursum: Omnes, quos dedisti mihi, ego custodiui, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut scriptura impleatur, quæ multa de proditore prædixerat: Nam sicut Deus elegit, ita modum adinuenit, & uiam, qua ipsos ad se deducat, sicut docet nos Paulus cũ Ro

(Margin note: Idem)

manis differens: Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagini Filij sui, hos & uocauit: & quos uocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & magnificauit: quid ergo dicemus? Si Deus pro nobis, attrahens uidelicet, & deducens, quis contra nos distrahens & deuians? quasi dicat nullus. Et de huiusmodi attractu fortissimo sequitur Paulus dicens: *Quis ergo nos separabit à charitate Christi? An tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? Nã in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos: & qui nos attrahit, & tenet.* Ideo deprecabatur ille sapiens dicens: *Trahe me post te curremus.* Traxit quippe, & trahit Pater æternus in funiculis diuinis, sed Deus factus homo trahit in funiculis hominum, sicuti per Osee prædixit: *In uinculis hominum traham eos, in uinculis charitatis: uel in seruitute amoris, ut habet ueritas literæ. Quibus uinculis hominis extensis ab illo, qui habitu est inuentus, ut homo, quia sensibilia, quia domestica, quia maximi amoris pignora traxit multo maiorem multitudinem, quàm irretierat uinculis illis inuisibilibus,* & *non perceptis sensibus, quibus uulgariũ copiosa turba innititur. Sed hic insurgit non modica inter multos sapientes disceptatio, quænam sit maior turba, aut eorum, qui trahuntur, aut eorum, qui abiiciuntur à Christo:* Quod uolens determinare Symeon dixit: *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël, non magis unam, quam alteram multitudinem præponderans. Mouentur nonnulli & illo uerbo, quod iste attractor dixerat:* Multi sunt uocati, pauci uerò electi, *existimantes, quòd soli pauci electi ex multis uocatis saluentur: Sed quid dicemus ad Paulum, qui non contra Christum, sed pro Christo loquitur dicens: Quos uocauit, hos & iustificauit? Omnes igitur uocati in numerum electorum uenire censentur. Nec quidem à ueritate est alienum: Nam illi pauci electi non secernuntur à uocatis, tanquã à reprobis, sed tanquam consignati ab illa turba magna, quam dinumerare nemo poterat, deliguntur, ut ordine, & numero illo duodenario sacramentorum pleno aliis præferantur.* In cœna quoque illa, ad quam multi uocati fuere, unum tantummodo expulsum, & abiectum legimus, cæteris autem in nuptiis illis æternæ beatitudinis persistentibus: Vndè edocemur, quòd ex uocatis non pauci, sed pene omnes saluantur. Nec illud uerbum Christi, quo ait: *Multi sunt uocati, pauci uerò electi,* intelligi potest de illo uno tantummodo expulso, sed de illis, qui multi inuitati fuere: quamuis Hieronymus dicat per illum unum intelligi debere omnes, qui simul uniti sunt in malitia, cum Iudæis uidelicet, qui erant uocati per legem, & ex ipsis pauci nuptiarum participes sunt effecti: Ne tamen sedilia uacua remanerent, missi fuerunt nuntij ad exitus uiarum, id est ad gentilium populos, qui erant extra uiam legis, ut introducerent ad nuptias, quoscunque adinuenirent, sicuti bene interpretatur Hieronymus. Sic igitur pauci ex uocatis ꝑ legem electi fiunt, quousque dabitur tempus: ut conuertantur reliquiæ Israël, sicut edocemur oraculo Isaiæ dicentis: In ueritate reliquiæ conuertentur, reli-

Paulus
Salomon
Osee.
Symeon
Paulus
CHRISTVS.
Hieron.
Idem

qui,e inquam Iabacob ad Deum fortem: Si enim fuerit populus tuus Israël quasi arena maris, reliquiæ conuertentur ex eo: Quod & Paulus adducit cum Romanis disserens. Sed ex maxima turba gentilium omnes uocantur, omnes introducuntur, qui ubicunque sunt, reperiuntur. Sunt ergo pauci electi ex multis Iudæis uocatis, ad quos sermo Christi dirigebatur: Vel sunt pauci electi, ut aliis præferantur: Nam seruatorum est turba magna ex omnibus linguis, populis, & & nationibus: Quorum nomina, & si uulgò obscura, Deo tamē cognita, & manifestissima sunt, annotataque in libro uitæ, qui Deo semper patens est. Insuper isti diminuentes numerum saluandorum in fauorem eorum, quæ dixerant, aliud

CHRISTVS. *uerbum Saluatoris adducunt, qui ait: Angusta est porta, & arta est uia, quæ ducit ad uitam: & pauci sunt, qui inueniunt eam: Vndè uidetur satis manifestū, quòd pauci ingrediantur, aut attrahantur ad uitam, respectu multorum qui per uiam mortis, & damnationis gradiuntur. Sed attendant, quæso, isti cautum loquendi modum summæ Veritatis, quæ ait: Et pauci sunt, qui inueniunt eam: Nam si dixerimus, quòd nullus eam inuenit, non discedemus à ueritate, accla-*

Baruc. *mante Baruc: Nō est, qui possit scire uiā eius: neque qui excogitet semitas eius. Et si non possumus excogitare, minus adinuenire, nisi ostendat nobis, & ducat ille, qui scit uniuersa: & nouit eam, & tradidit eam Iabacob puero suo, & Israël dilecto suo: Postea in terris apparens docuit eam ore proprio: imò fecit se*

CHRISTVS. *uiam, & ostium dicens: Ego sum uia: Ego sum ostium, per me solum datur introitus ad uitam. Hic ergo solus uiam inuenit, & ostium, sine quo nihil facere possumus, aut excogitare: illum tamen docentem, ducentem, & præeuntem secuti sunt multi, & turba magna, quā dinumerare nemo potest. Nec arbitror fuisse tam paruæ uirtutis illum, qui uult omnes homines saluos fieri, ut salute paucorum contentus ab aliorum cura destiterit. Nec tam exigua fuit ducis uirtus,*

Paulus *ut in paucorū attractu uideatur extincta, dicente Paulo ad Romanos: Si unius delicto multi mortui sunt, multomagis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis IESV Christi in plures abundauit: Et iterum: Si unius delicto mors regnauit per unum, multomagis abundantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ accipientes in uita regnabunt per unum Iesum Christum: Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius iustitiam in omnes homines in iustificationē uitæ: Et sicut per inobedientiā unius hominis peccatores cōstituti sunt multi, ita & per unius obedientiā iusti constituentur multi. Si igitur multi, quomodo pauci? Neque contra Christum Paulus, in cuius pectore*

CHRISTVS. *Christus resonat, sed cum Christo, qui ait: Veni saluos facere, & quærere eos, qui perierāt. Et qui iterum dixit: Omnes quos dedit mihi Pater, non perdidi ex eis quemquam. Igitur omnes datos à Patre saluat. Sed nec opinandum est, quòd largissimus dator omnium bonorum ex maxima multitudine paucos dederit filio, cui omnia donauit: Nec bonitati Dei, & misericordiæ conuenit, ut plures perire sinat, quàm saluet, cum possit, & uelit omnes saluare, nisi qui salutem re-*

cusant. Dabitur quidem (Deo fauente) tempus, quando reliquiæ, quando dispersi congregabuntur, quãdo omnes seruient Deo humero uno, & quando (ut inquit Zacharias) erit Dominus unus in omnibus, & nomen eius unum: Quod erit (ut supra dixit) in die nota Domino: In qua exibunt aquæ, quæ supra cœlos sunt, de Ierusalẽ superna uidelicet, & medietas earum ibit ad mare orientale: Ad orientem quippe illum, de quo Isaias: Vocans ab oriente iustum: Et de quo Psalmographus: Ascendit super cœlos cœlorum ad orientem: Medietas uerò altera ibit ad mare, non quidem illud Syriacũ, quod facit littora Palæstinæ, ut aliqui interpretantur: sed ad Christum, qui nouissimis temporibus repletus fuit aqua illa diuina, & supercœlesti, ut pelagus effectus sua plenitudine irrigaret uniuersos: Quam aquam tam libenti animo propinat, ut publicè in templo clamet, & dicat: Si quis sitit, ueniat ad me, & bibat. Et istæ aquæ (ut sequitur propheta) nunquam deficient, sed erunt in hyeme, & æstate semper refocillantes animas. Et tunc erit Dominus rex super uniuersam terram, non quidem id temporis nouum adeptus regnum, quia iam effectus est Rex regum, & Dominus dominantium: Sed quia habebunt eum in dominum omnes, quos permisit per tempus uagari suo arbitrio: Vel erit Dominus omnium, quia cessabunt dominia & principatus aliorũ, ut paulo antè diximus: Quod suum sortietur effectum aut in secundo Christi aduentu, ut sentit Hieronymus, aut quando id ille decreuerit, cui soli hæc dies cognita est: Quandoquidem nostrum non est scire tempora, uel momenta, quæ (ut Christus discipulos ab huiusmodi inquisitione reuocans apertè reserauit) Pater posuit in sua potestate.

Zacha. Isaias David CHRISTVS. Hieron. CHRISTVS.

EE

CHristus est verus sacerdos, & verus panis, & hostia, & sacrificium omnia purgans, & omnia pacificans. Tonus tertius.



Vid sit sacerdos, & eius officium. Ca. Primum.
Quod Christus fuerit verus sacerdos & omnibus refertus, quæ ad verum sacerdotem, & summum pontificem spectant. Ca. II.
Christo tanquam uero sacerdoti omnia sacerdotalia debentur. Ca. III.
Sacerdotis vestimenta quæ sint. Ca. IIII.
Quid hæc vestimenta ad sacerdotes, atque ad antistitem maximum conferebant. Ca. V.
Quid ad sacerdotes Christi pertineant hæc figuratiua indumenta. Ca. VI.
Quid omnia illa vestimenta cum Christo, quem potissimè figurabant. Ca. VII.
Christus est sacerdos in æternum. Ca. VIII.
Cur Christus fuerit sacerdos iureiurando. Ca. IX.
Quomodo Christus fuerit sacerdos secundum ordinem Melchisedec. Ca. X.
Quanto maior, & melior sacerdos fuerit Christus, quàm Aaron, & omnes sacerdotes legales. Ca. XI.
Christus fuit vera hostia, & omnigenum sacrificium, & oblatio. Ca. XII.
Quomodo Christus fuerit verus agnus. Ca. XIII.
De virga Mosi, & cruce. Ca. XIIII.
Ad quid sacrificia, & cur hirci sorte delecti pro peccato offerri iussi sint. Ca. XV.
Cur par turturum, aut duo pulli columbarum offerri iubeantur in purificationem partus, & mulieris parientis. Ca. XVI.
Cur aues duæ offerebantur pro leproso mundando. Ca. XVII.
Cur simul cum hirco uitulus, siue bos pro peccato offerebatur. Ca. XVIII.
Quid ouis, & agnus. Ca. XIX.
Quid de panibus propositionis, placēta azyma, lagana, panibus similę, & huiusmodi oleo delinitis. Ca. XX.
Quid suffumerium, siue thuribulum, thus & thurificatio. Ca. XXI.

QVID SIT SACERDOS, ET EIVS *officium.* *Caput primum.*



ATISSIMVM *campum; & qui sese ab oculis nostris sua magnitudine tollit, intramus, dum tractare uolumus de sacerdote, qui medium inter Deum & hominem tenet: & est quasi Deus uisibilis. Et maximè summus, & uerus sacer dos Christus, cuius sacerdotium pro uirili nostra explicare inte̅dimus. Sacerdos itaque sic dicitur, quasi sacra dans: Ea enim quæ à sacrario supramundano suscipit, plebi administrat: Vndè quàm mu̅dus, quàm purus, quàm diuinus esse debeat, iudicent sapientes: Nam & si omnia sacra nobis administrare debet, septem potißimè ei necessaria ad præsens percurremus. Primo igitur orare debet pro populo, tanquam mediator, ut in Leuitico, quando agitur de perfido periuroq;, bis repetitur: Et rogabit pro eo sacerdos, & dimittetur ei: uel propitiabitur ei, aut pro remißione sup eu̅ deprecabitur, ut sonat ueritas literæ, quæ sic habetur* וכפר עליו הכהן *uecaper alau hacohen. Sic, & ubi tractatur de purificatione mulieris post partu̅, dicitur: Et orabit pro ea sacerdos, & mundabitur, & in quacunque expiatione, aut propitiatione lege iubetur, q̄ interueniat sacerdos, tanq̄ medius, & impetrator ueniæ, & remißionis. Sic & Iacobus ait: Infirmatur quis in uobis, inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum. Debet quoque secundo loco offerre sacra, ut Paulus cum Hebræis disserens nos admonet dicens: Omnis pontifex ad offerendum munera, & hostias constituitur: & paulo antè: Necesse habent sacerdotes pro suis delictis prius hostias offerre, deinde pro delictis populi: Et de hoc in lege plenißimè edocemur. Tertio doctor populi constituitur, non quidem uanæ, & curiosæ doctrinæ, sed legis, & eorum, quæ Dei sunt: ut in Aggeo dicitur: Interroga sacerdotem legem: Et per Malachiam: Labia sacerdotis custodiunt scientiam: & legem requirent ex ore eius: quia Angelus exercituum est, id est dux exercitus Domini. Vndè consequenter quarto loco dux diuini exercitus constituitur: ut dirigat, corroboretque debiliorem populum, & hostium impetum primus sustineat: ut aperto sermone docemur in Deuteronomio: Si exieris (inquit) Dominus ad bellum contra hostes tuos, & uideris equitatus, & currus, & maiorem, quàm tu habeas aduersarij exercitus multitudinem, non timebis eos: quia Dominus Deus tuus tecu̅ in medio uestri: Et hoc interuenie̅te sacerdote: Vndè sequitur: Appropinquabit sacerdos ad populum & dicet ad uos: No̅ pertimescat cor uestrum, nolite cedere, nolite formidare eos, quia Dominus Deus uester uadit uobiscum, & præliabitur pro uobis contra aduersarios, & saluabit uos. Quod & factu̅ est in Phinee zelantißimo sacerdote, qui iubente Deo constitutus fuit dux exercitus duodecim milliu̅ electoru̅ ex omni tribu Israël, contra magna̅ multitudinem Madianitaru̅: de quibus gloriosum reporta-*

Leuiti. Iacobus Paulus Aggeus Malachi. Deute.

runt triumphum. Id quoque facere debet contra omnes hostes uisibiles, aut aëreas potestates quilibet sacerdos: quando imminet periculum plebis, & diuini cultus: Et pugnare debent potius zelo, & oratione, & gladio Spiritus, quod est uerbum Dei, quàm armis: ut in antiqua lege fecit Samuel, Eliseus, Moses, & Aaron: pugnāte enim populo contra Amalech, orabat Moses pro populo manibus eleuatis: Quas nutantes sustinebant Aaron, & Hur qui unà cum eo orabant: Et præualente oratione, præualebat populus Dei contra hostes. De quibus, & aliis sic pugnantibus, inquit Paulus: Fortes facti sunt in bello, castra uerterunt exterorum, effugauerunt aciem gladij. Et post Christum Martinus non adhuc constitutus, sed futurus sacerdos sese obtulit securus in ipsius Christi uexillo hostiles cuneos inuasurum. Leo primus Pontifex Maximus commiserescēs populo inuaso ab Attila Hunnorum regè, ad ipsum intrepidè Dei Spiritu confortatus accessit: qui coram rege orans animum immanissimum barbari adeo emolliuit, ut omissa Italia, ad propria redire promiserit. Et admiranti toti exercitui, & sciscitanti cur id faceret, respondit: (ut fama est) Non id feci Præsulis ratione allectus, sed perterruerunt me duo, qui strictos mucrones tenentes ei astabant, necemque mihi, ac exercitui comminabātur. Hi uerò Petrus & Paulus fuisse creduntur: Vel fuerint angeli, sicuti astiterunt Eliseo circundato in Dotaim à militibus Assyriis, ut caperent eū: quos timenti ministro, & acclamanti, heu, heu, heu, domine mi quid faciemus? dixit: Noli timere, plures sunt nobiscum, quàm contra nos: Et orante uiro Dei, ut aperirentur oculi ministri uidit montem plenum equorum, & curruum igneorum in circuitu. Insuper adhuc orā te propheta, ut percuteret eos Dominus cæcitate, obcæcati fuere, ut ducerentur ab Eliseo in Samariam terram quippe hostium suorum. Nouissimè Capistranus ille cum uexillo crucis pro Pannonibus irruens in hostes in tantam fugam conuertit, ut sempiternus terror ipsius apud eos, qui rem uiderant, & audierant, remaneret. Quinto loco sacerdos ducere debet populum ad ipsis destinatum finem, sicuti in libro Iosueh legimus figuratiuè factum, quòd uidelicet dum Israëlitæ Iordanem transirent perrecturi ad promissam terram, sacerdotes pergebant ante populum diuidentes Iordanem: Cuius pars aquarum retrorsum resilibat, pars uerò alia in mare salsum rapido fluxu diffugiebat: Sic uerus sacerdos sub IESV pontifice summo uolens introducere populum in ueram promissionis terram præcedit per Iordanem, illum uidelicet in quo (ut ait Apostolus) omnes baptizati sumus, faciens aquarum diuisionem in baptismate administrato: Nam pars in sua dulcedine firmiter, & constanter permanet, in his uidelicet, qui opere cōplent, quod in baptismate promiserunt: Altera uerò, quæ in amaritudinē cōuertitur, est eorū (ut cū dolore loquamur) qui illecebris carnis, & mūdi uitiis inquinati dulcissimū gratiæ donatiuū in amaram damnationem conuertunt. Sexto, sacerdotum est iudicare: ut in Deuteronomio dicitur: Si difficilè, & ambiguum iudicium apud te esse perspexeris, inter sanguinem & san-

Paulus

Iosueh

Paulus

Deutet.

guinem, causam & causam, lepram & non lepram, & iudicium intra portas tuas uideris uarium, surge, tanquam uidelicet pro ultimo remedio, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, ueniesque ad sacerdotes leuitici generis, & quæres ab eis: Qui indicabũt tibi iudicij ueritatẽ, unde facies, quæcunque dixerint: Et docebunt te iuxta legem Domini, & sequeris sententiam eorum, & non declinabis ad dextram, neque ad sinistram. Non autem admittebantur tunc ad sacerdotium, nisi peritissimi in lege, & in omnibus iudiciis, sed heu infœlicia tempora, in quibus multoties feces ignorantiæ, & cloacæ turpitudinis deliguntur ad sacerdotium, nec habentes ungulam fissam, nec comedentes aliquando butyrum, & mel, ut sciant reprobare malum, & eligere bonum, nec ruminantes uel minimum iota, nec in uero sensu legis meditantes. In exodo quoque tanti Deus facit sacerdotes, & ueros iudices, ut eos Deos uocet dicens: quòd damnificantes proximum debent applicari ad Deos, id est iudices, qui præcipuè ex sacerdotibus deligebantur, ut iã ex testimonio Deuteronomij comprobauimus. Vltimo loco, debet sacerdos tanquam bonus pastor curã habere de ouibus suis, sacramenta ministrare, inuigilare super gregem, & omnia exponere pro salute plebis commissæ, etiam animam, si opus esset: quia bonus pastor dat animam suam pro ouibus suis. Hæc sunt, quæ potissimè pertinent ad officium sacerdotis. Exodus


Quod Christus fuerit uerus sacerdos, & omnibus refertus, quæ ad uerum sacerdotem, & summum pontificem spectant. Cap. II.


Hristus IESVS unctus in regem, prophetã, & sacerdotẽ præ omnibus cõsortibus suis, merito fuit Rex regum, propheta prophetarum, Sacerdos sacerdotũ, aut Pontifex põtificũ. Sed primis duobus dimissis loco suo declarandis, quàm bene functus sit officio sacerdotis uideamus. Primo enim orauit pro populo, non semel tantum, sed pluries, & toto tempore uitæ suæ, nunc in monte, nunc in spelunca, nunc publicè, nunc secretè, ut ab euangelistis plærisque in locis recitatur. Nec Paulus tacuit, Paulus
sed cum Hebræis disserens ait. In diebus carnis suæ obtulit preces cum lacbrymis, & clamore ualido, & exauditus est pro sua reuerẽtia: Et potissimè in extremo uitæ ostendens quantum in fine dilexerit eos, sumpta mysteriosa & ultima cœna orauit Patrem dicens: Pater sancte conserua eos, quos dedisti mihi: nunc autem pro eis rogo: Et iterum: Ego rogabo Patrem, & alium Paracletũ CHRISTVS.
dabit uobis. Et rursum orauit pro tota ecclesia, ut habemus in euangelio, cui titulus est secundũ Lucam: Ego, inquiens, pro te rogaui Petre, ut non deficiat fides Lucas.
tua. Sed & nunc in gloria triumphans interpellat uultui Dei pro nobis, ut inquit Apostolus. Sacra quoque obtulit Deo, & sacratissimũ omnium sacrificiorum, seipsum uidelicet Agnum immaculatũ: De qua oblatione, cũ multa disseruisset Paulus cum Hebræis, tandẽ subintulit: Hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet ad dexterã Dei, Cuius hostiæ semel oblatæ Paulus Idem

uirtus præstat, ut nos quotidianum, & perpetuum sacrificium offeramus. Et quid effecerit hac sua oblatione Petrus innuit dicẽs: Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, offerens se uidelicet æterno Patri, iustus pro iniustis, ut nos offerret Deo mortificatos quidem carne, uiuificatos autem spiritu. Doctorem insuper se exhibuit docens eam doctrinam absconditam à sapientibus mũdi, quã susceperat à Patre luminum: Mea (inquit) doctrina non est mea, sed eius qui misit me Patris. Ea etenim erat, ut etiam puerulus in stuporem induceret audientes, ut habemus in euangelio, quod est secundum Lucam: ubi dicitur: Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia, & responsis eius. Hæc quippe sua doctrina est, qua maior à quocunque ingenio excogitari non possit. Nec mirum, cum in ipso essent omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi: Quam doctrinam huc & illuc peragrando ore proprio docebat prædicans in synagogis Galilææ, & in templo: De qua doctrina (Deo fauẽte) sequenti Tomo disseremus. Contra hostem etiam in certamen stricto mucrone perrexit, quẽ primo expugnauit in deserto pro se, postea pro omnibus nobis obtinuit uictoriã, dum modo uelimus eam sequi. Deo autem gratias (inquit Paulus) qui dedit nobis uictoriam per IESVM Christum Dominum nostrum: Hic enim de omnibus inimicis humani generis triumphauit expolians principatus, & potestates, palam triumphans in semetipso. Dux etiam fuit regens, & ducens, ut à Matthæo extat adductum Michεæ uaticinium, quo de Bethlehem loco natiuitatis Christi ait: Et tu Bethlehem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim egredietur dux, qui regat populum meum Israël. Et Isaias, postquam Dei uicem gerens inuitauerat sitientes ad aquas, & uinum, & lac gratis comparandum, sequitur: Et feriam uobiscum pactum sempiternum, misericordias Dauid fideles: Ecce testem in populis dedi eum, ducem, ac præceptorem gẽtibus: Per quem Dauid omnes interpretantur Christum plærisque in locis figuratum, & denotatum per filium Isai, & meritò: Nam hic non rexit, nec dux, uel præceptor fuit in gentibus, sed in solo populo Israëlitico. Christus ergo noster datus est in præceptorem gentium, quas in Dei cultum deduxit eis prædicans nõ tantum ore proprio, sed in Paulo, cæterisque Apostolis, & prædicatoribus: Pro quibus omnibus prædicantibus in ueritate inquit idem Paulus: An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus? Curam tandem animarum eam habuit uerus Sacerdos sacerdotum, pontifex pontificum, & Princeps principũ sacerdotum, ut bonus, & optimus pastor animam daret pro ouibus suis, peccata dimittens, redimens eas non in sanguine hircorum, aut uitulorum, sed in proprio sanguine, introiens quidem pro nobis in sancta non manu artificis fabricata, sed excelsa, cœlos penetrans, & super omnes creaturas conscendens ad eũ, qui habitat lucem inaccessibilem, Patrem uniuersitatis: cui præsentauit ouẽ deperditam, id est naturam humanam, portans eam humeris suis.

Petrus | CHRISTVS. | Lucas | Paulus | Matth. | Michε. | Isaias | Paulus

Christo tanquã uero sacerdoti omnia sacerdotalia debentur. Cap. III.



Acerdoti (lege iubente) dabantur primitiæ cum omnibus, quæ offerebantur in sanctuario: Item hostiæ omnes, & à populo iubebantur honori, & reuereri. De primo in libro Numerorum dicitur ad Aaron: Omnes primitiæ, quas offerunt filij Israël, ad sacerdotem pertinent: & quicquid in sanctuarium infertur à quocunque, & traditur manibus sacerdotis, ipsius est: Sed postea in capite decimo octauo ait Dominus: Ecce dedi uobis custodiam primitiarum mearum, ac si diceret: Primitias meas ad custodiendum tradidi, ut bene sentit Origenes: Quod ad legem literæ applicari minimè potest: quia hæ consumebantur in cibo, & digestæ (ut in euangelio dicitur) in secessum ibant: Vndè ad legem spiritus necessariò referendum est, secundum quem primitiæ conseruari possunt: Illæ utique, de quibus ait Apostolus ad Romanos: Nos autem primitias spiritus habentes: Quod dupliciter intelligi potest: Aut primitiæ, quas Spiritus sanctus in primitiua ecclesia donauit Apostolis, dona uidelicet, & charismata multiplicia: Aut per has primitias intelligimus initia bona nostrorum operum, seu bonas inspirationes: & has conseruare debemus, & offerre illas Christo sacerdoti magno ab ipso sua gratia conseruandas, suisque augendas meritis, ut eas Patri gratissimas repræsentet. Hæ autem dicũtur offerendæ solummodo à sanctificatis Israël, id est ab illis, qui principes Dei effecti pugnare incipiunt in hostem, contra quem pugnauit & noster IESVS Pontifex Maximus, & ab his qui initiati, & consecrati sunt Deo per baptismum, & alia sacramenta. Primitiæ autem fructuum operum nostrorum sunt initia dilectionis, & charitatis: qua Deum & proximum complectimur: Siquidem inter fructus spiritus charitas prima à Paulo collocatur: Quam & noster maximus Antistes, tanquam ueras primitias, & decimas, super omnia alia exquirit, concludens in ipsa, ueluti in primario fundamento, & fine decorante omnia alia præcepta, & totam legem, & prophetas, mandans peculiari præcepto, ut ipsa omni diligentia obseruetur dicens: Hoc mando uobis, ut diligatis inuicem: Et iterum: In hoc cognoscent homines, quòd eritis mei discipuli, & oues mihi bono Antistiti creditæ, si dilectionem habueritis ad inuicem. Sed ut omnia opera fiant in charitate, & Deo grata, consecranda sunt initia Christo, sicut Paulus nos in Colossensibus docet: Omnia (inquit) quæ facitis in nomine Domini nostri Iesu Christi facite. Primitias igitur, & omnia, quæ inferuntur in sanctuarium, debemus huic summo Põtifici præsentare: ut ipse eadem conspersa suo sanguine, & cõdita suis meritis grata præsentet Patri æterno præsentatione sempiterna. Et hoc est, quod dicitur: Hæ erãt pro officio sacerdotali, statuto sempiterno. Sed cum huiusmodi defecerint in sacerdotio legis, ne soluatur scriptura, oportet, ut compleantur in nostro uero sacerdote Christo, in quẽ, & in suos posteros, presbyteros uidelicet seu sacerdotes translatum est omne sacerdotiũ legis: Debẽtur quoq; huic Antistiti non tantum primitiæ, quas

[Margin notes: Numeri. — Ibidem — Orige. — Euange. — Paulus — Idem — CHRISTVS. — Paulus]

Hebræi תרומה terumah dicunt, sed terumah de terumah, id est primitiæ primitiarum: Quæ sic deligebantur: Populus ex centum decem offerebant sacer-
Nume. dotibus: Sacerdotes uerò ex decem unum offerebant Deo, ut in libro numerorũ legimus. Deo itaque simplicißimo dabatur unum, populo tanquam materiali cẽtum: Sacerdoti autem, qui medium tenet inter Deum & populum, decem: qui est finis numerorum, & principium denariorum, mediusque inter unum, & centũ. Christo autem nostro summo sacerdoti debentur unum, & decem: Decem quidem tanquam homini sacerdoti, Vnum autem tanquam Deo: Est enim mediator, & finis quietans, & reficiens. Sacerdoti insuper nostro debentur non tantum primitiæ uirtutum, sed hominum. Et ij fuere innocentes primi pro ipso occisi, de quibus Ioannes: Ii empti sunt ex omnibus, primitiæ Deo, & Agno. Nec ex hoc quidem alios respuit, dummodo uelint ei offerre primitias, & decimas, id est initia, & complemẽta operum suorum: Vndè inquit: Qui perseuerauerit usque in finem, hic saluus erit: Perseuerantia enim est uerarum decimarum oblatio. Exquirit etiam primitias dierum: Nam in antiqua lege contẽtus erat Deus, ut sanctificaretur ultimus dierum & septimus in hebdomada: Christo autẽ simul cum Deo Patre damus primum, qui ex eo, quòd est Domino consecratus, dies dominica dicitur: In qua & mundo dedit exordium, simul & uitæ spirituali, resurgente Christo ipso die, ut in eo principium daret beatæ uitæ, sicut in eo exorsus est fabricam suam. Hinc dicũt nonnulli hunc fore ultimum diem, quo Deus claudet statum peregrinationis nostræ, ueluti in diapason perfecto dedu-
Dauid cto ex multis octonariis curriculis: Pro qua octaua Dauid nonnullos celebrauit hymnos, ut patet in eorum titulis. Sacerdoti quoque debentur hostiæ, sicuti
Leuiti. ex libro Leuitico edocemur, ubi dicitur: Sicut pro peccato, ita & pro culpa, uel pro delicto, ut habet nostra traductio, ad sacerdotẽ pertinet hostia: Duas enim hostias hic meminit textus: Altera est ꝓ peccato cõmißionis uidelicet, ubi est aliqualis uoluntaria culpa: Altera est pro delicto, id est peccato omißionis, ut sen
Orige. tit Orig. Sed si bene perpẽdatur ueritas literæ, est pro culpa cõmissa ꝑ errorẽ: Quod sacrificiũ אשם assam Hebræi uocãt, ut patet ĩ quĩto capite eiusdẽ Leuitici, ubi dicitur. אשר שגג והוא לא ירע ונסלח לו׃ אשם הוא אשם אשם ליהוה quod ad uerbum interpretatum dicit: Quia errauit, & ipse non cognouit, & propitiabitur, uel parcetur ei, culpatarium ipse offeret in culpatarium Domino, id est in sacrificium culpæ commissæ per errorem. Tales & aliæ hostiæ sacerdotis erant, ut ipsas suscipiens in se, susciperet & delictum, & peccatum, & culpam quãcunque, pro qua erant oblatæ: & intercederet apud Deum pro offerentibus: In quo penitus figurabatur Pontifex Maximus Christus: in quo Pater posuit, & ipse suscepit, iniquitates omnium nostrum: & effectus ipse Agnus, &
Paulus uera hostia tulit peccata totius mundi, sicut & Apostolus cum Hebræis inquit: Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata: Et iterum: Sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel: Et rursum cũ Ephe

sus ait: Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis. Et plærisque in locis habemus de oblatione facta à Christo uerò Pontificè pro nobis, adeo, ut non amplius necesse habeamus offerre animalia, aut alias hostias, quàm nosmetipsos in agnitionem tāti beneficij, & ut nos ipsi uero sacerdoti oblatos sanctificet, purget, & præsentet æterno Patri. Et de prima oblatione Apostolus cum Hebræis agens inquit: Per spiritum offeramus hostiam laudis semper Deo, id est fructum labiorum cōfitentiū nomini suo: talibus enim hostiis promeretur Deus. De qua & in Psalmographo dicit Deus: Sacrificium laudis honorificabit me. Et hoc tam in confessione, & laude sui nominis, quàm in gratiarum actione. De secūda uerò oblatione idē Apostolus nos in Romanis docens inquit: Obsecro uos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora uestra hostiam uiuētem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium uestrum. Si etiam ad particularia descendere uoluerimus, in Leuitico legimus, quòd sacerdoti dabatur pectusculum pacificorum, & armus eius dexter: In pectusculo extat cor: & armus in Hebræo dicitur שוק *quod apud nos armum significat, & concupiscentiam. Cor itaque quod residet in pectusculo, & armus in quo est concupiscentia, & appetitus sacerdoti dantur iudicandi, & mūdandi. Hinc & nos exponimus sacerdoti in cōfessione cogitationes, & affectus nostros, & omnia ea mala, quæ (ut Christus ait) de corde exeunt, & mala concupiscentia fiunt: ut ipse ea diiudicet, & absolutione & pœnitentia iniuncta expurget, & mundet. Et ualde quidem proficuum est, ut quisque habeat cor, & affectum in manu boni, & sapientis sacerdotis, à quo semper expurgetur, & dirigatur in bonum: Nam (ut supra diximus) iudicium causarum difficillium, & cognoscere inter lepram & lepram, & expurgare ipsam (quod difficillimum est) ad sacerdotem pertinet: qui minimè iudicare potest causam cordis, nisi illud ipsi præbeamus apertum. Et quia sacerdos Dei uicem tenet in terris occulta diiudicans, & ea, quæ ad diuinum iudicium spectant, ideo ex diuino præcepto ipsi quoq; debetur honor, ut in Deuteronomio dicitur: Qui superbierit, & noluerit obedire sacerdotis imperio, qui eo tēpore ministrat domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur ille, & auferes malum ex Israël, cūctusque populus timebit audiens, ut nullus deinceps intumescat superbia: Quod summatim resumendo dico, quòd Deus iubet, ut sacerdos, quia eius minister in tanta reuerentia habeatur à populo, ut contemnens illum moriatur: Cui adstipulatur illud Regij prophetæ: Nolite tangere Christos meos, & in pphetis meis nolite malignari: Et hoc, quia quicquid agit sacerdos in terris sacerdotali officio fungens, id facit uicem Dei gerens: ut clara uoce Christus protestatur dicens: Quæcunque solueritis super terram, erant soluta & in cœlis: & quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis. Inest insuper in sacerdote aut character quidam (ut dicunt nostri Theologi) aut numen quoddam, uel terror impressus, quem cæteri timeant, sicut & in principibus, & in regibus mū*

Paulus | Idem | Dauid | Paulus | Leuitici | CHRISTVS. | Deuter. | Dauid | Theolog.

danis est quoddam, quod populus timens reuereatur. Est quoque, aut esse debet in sacerdote insigne quoddam uirtutis, & consequenter diuinus fauor, ut omnes Origen. *eum reuereri debeant.* Hinc Alexander *(ut refert* Origenes *in* Cælsum*) dū bellum ageret contra* Darium, *sacerdotem* Dei *magnum* Hebræum *reueritus est, sicut edoctus fuerat nocturno oraculo.* Theodosius Imperator *reueritus est* Ambrosium *ipsum increpantem.* Attila*(ut diximus) perterritus est à* Leone Pōtificè. *Sed longum nimis esset omnia adducere, quæ de his & huiusmodi scripta reperimus. Verum dolendum nobis est de calamitate horum temporum, in quibus (cum rubore, & stomacho loquar) sacerdotes adeo sese uilibus, & turpibus immiscuerunt, scelestis, & non cœlestibus inseruientes, ut iam ludibrio sint* Deo, *angelis, & hominibus.* Christo *autem uero, & maximo sacerdoti stigmatizato non communi charactere sacerdotali, sed pontificatus maximi, & imperij super omnes doctrina, sapientia, & sanctitate præ omnibus fulgenti debetur honor, & gloria præ cæteris: Vndè non solum in nomine eius flectitur omne genu cœlestium, terrestrium, & infernorum, sed etiam insensibilia eum reuerētur, & ad eius nutum contremiscunt omnia: Imperat enim mari, & uentis, & obediunt ei: Panem benedicit, & mirum immodum statim multiplicatur: Iubet impleri hydrias aqua, & uinum efficitur: Animas euocat ab inferis, & reuniuntur corporibus: Imperat febribus, & cessant uexare: Et ut breuiter concludamus, omnia eum reuerentur: omnia ipsi obediunt: imò & potestatem dedit nobis super omnem uirtutem inimici, dummodo sequi uelimus eius uestigia, & effici ueri sacerdotes consecrantes nosmetipsos* Deo *in odorem suauitatis.*

Sacerdotis uestimenta quæ sint. Cap. IIII.



T *uideamus, quàm legitimus, & uerus sacerdos, & Pōtifex fuerit* Christus *noster, opportunum duximus adducere, quæ uestimenta præordinata sint à* Deo *pro sacerdotibus, & pontificibus antiquæ legis: quæ omnia figuram, & typū gerebant nostri summi pontificis* IESV, *& eorum, quæ in sacerdotio euangelico constituit. Vestimenta itaq; (prout ex diuersis locis scripturæ collegimus) octonaria sunt: Quorum quatuor ad sacerdotes, simul & pontifices pertinent: Aliis autem quatuor utebatur solūmodo summus* Pontifex. *Primū est* מכנסי *micnese,* Græcè περισκελῆ, Latinè *uerò feminalia, uel bracæ usq; ad genua: quæ de bysso retorta (in-* Ioseph. *quit* Iosephus*) texebantur, ut fortia essent. Aliud est* כתונת *cetonet,* Græcè χιτὼν, Latinè *tunica, uel camisia stricta dicitur absque ruga. Tertium est* אבנט *abnet, quod nos cingulum, baltheū, uel zonam dicere possumus: Et est quasi pellis colubri, qua exuit senectutem, textum sub tegmine cocci, purpuræ, & hyacinthi, & stamine byßino ob decorem & fortitudinem: atque ita polymita ar-* Hieron. *te distinctum (inquit* Hieronymus*) ut diuersos flores, & gemmas artificis manu non textas, sed additas arbitreris: Quo baltheo, qui est quatuor digitorū in la-*

titudine, linea tunica perstrigebatur inter umbilicum & pectus. Quartum uestimenti genus est pileolus rotundus, quasi sphæra media, quod Græci & nostri τιάραν *tiaram, & alij galerum uocant, sed Hebræi* מצנפת *miznephet: Nec habet acutum in summo, nec totum caput tegit tertiam partem à fronte inopertam relinquens: & est in occipitio uitta constrictus, ut non facilè labatur ex capite: & est byßinus sic affabrè opertus linteolo, ut nulla acus uestigia appareant. Reliquorum autem indumentorum, quæ propriè pontificum sunt, primum est* מעיל *mahil, id est tunica talaris tota hyacinthina ex lateribus, eiusdem coloris assutas habens manicas, & in superiori parte, qua collo inducitur, aperta: quod uulgo caputium dicitur, oris firmißimis ex se textis, ne facilè abrumpantur: In lumbo autem pedes uersus sunt septuaginta duo tintinnabula, & totidē malagranata sibi inuicem, alternisque succedentia, ut totus uocalis in templum accederet, ne moreretur. Sextum est* אפוד*, quod septuaginta* ἐπωμίδα*, id est superbumerale appellāt: Aquila* ἐπένδυμα*: Sed Hieronymus suo proprio nomine ephod nominat: quod duplex est: alterum sacerdotum, & hoc simplex lineum, quo usus est Samuel leuita, & sacerdos: Vsus est & Dauid rex quando uoluit consulere Dominum, an deberet persequi latrunculos, qui succēderant Sicelech, & deprædauerant eam: tunc enim dixit ad Abiatar sacerdotē: Applica mihi ephod: quo uestitus consuluit Dominum, & clarum respōsum habuit: Alterum est ephod, ex sæpe in lege repetitis quatuor coloribus hyacinthino, byßino, coccino, & purpureo, contextum ex auro cum subtegmine hyacinthino, coccino, & purpureo, & cum stamine byßino, mira pulchritudine habens in utroque humero geminos lapides clausos, & insertos auro, qui Hebraicè dicuntur* שהם *soham: quod septuaginta transtulerūt smaragdum, Iosephus Sardonychum, Aquila autem, Symmachus, & Theodotio onychinū, & bene, ut suo loco declarabimus: & in unoquoque illorum sena Patriarcharum nomina: In dextro humero maiores filij Iahacob, in sinistro uerò minores inscripti erant. Septimum uestimentum est mensura paruū, sed cunctis prædictis celebrius: quod Hebraicè dicitur* חושן *hossen Græce* λόγιον*. Hinc Latinè traductum est rationale: Pannus quidem breuis ex quatuor antedictis coloribus intextus, habens magnitudinē spithamæ per quadrum, & duplex ne facilè rumperetur: Habebatq; quatuor ordines, uel lineas, in quorum quolibet erant tres lapides pretiosi: In primo sardius, topatius, & smaragdus: In secundo carbunculus, sapphyrus, & iaspis: In tertio lyngurius, achates, & amethystus: In quarto uerò chrysolithus, onychinus, & beryllus: In quibus cælata erant duodecim nomina duodecim filiorum Israël. In cuius rationalis quatuor cingulis erant quatuor annuli aurei correspondentes quatuor annulis, qui erant in superhumerali copulati uittis hyacinthinis, & cathenis aureis: ut ligatura firma esset, & una textura uideretur. Erat quoque (quod maximè importat) in ipso rationali iudicij, iussu Dei positum,* האורים ותומים *haurim ue tumim, quod nos habemus interpretatum, doctrinam, & ueritatem. Et*

Hiero. Dauid Septua. Ioseph. Aquila. Symma. Theod.

hæc erant ſuper cor Aaron, pro quo nos habemus ſuper pectus Aaron: quando ingrediebatur in templum coram Domino, ut portaret Aaron iudicium filiorũ Iſraël ſuper cor ſuum: quando ingrediebatur coram Domino ſemper. Octauum ornamentum erat lamina quædam aurea, quæ Hebraicè dicitur ציץ זהב *ziz zahab, in qua inſcriptum erat nomen magnum Dei quadriliterum* יהוה. *Et hæc erat ſuper pileolum lineum cõmune omnibus ſacerdotibus. Põtifici autem ſtringebatur in fronte uitta hyacinthina: Et his omnibus coronabatur, & protegebatur caput ſacerdotis mira pulchritudine uiſibili, & intrinſeca uirtuali, & diuina, quæ eſt ſecundum Platonicos participatio diuinæ pulchritudinis. Hæc ex* Platon. *multis de ſacerdotalibus ueſtimentis excerpta ſunt: Quid autem ſignificent, uideamus.*

Quid hæc ueſtimenta ad ſacerdotes, atque ad Antiſtitem maximum conferebant. Cap. V.



Vo myſterio, quaue figura hæc indumenta à Deo maximo iuſſa ſint fieri, diſcutere uolentes non contemnemus ea, quæ doctores Hieron. *Hebræi pro ſenſu myſtico declarando exponunt: Quos & Hieronymus, tanquam in hoc negotio peritiſſimos non erubuit imitari: Poſtea amoto uelamine, & diuino lumine illuſtrati declarabimus in ſenſu myſtico, quid in noſtris ſacerdotibus, & quid in ſummo Pontificè noſtro Chri-* Sap. He. *ſto, ad quem omnia tendunt, repræſentent. Dicunt igitur ſapientes Hebræi, ꝙ quatuor colores ad quatuor elementa referuntur, ex quibus uniuerſa conſiſtũt. Byſſus, qui ex terra gignitur, terræ deputatur: Purpura mari quæ ex eius concheolis tingitur: Hyacinthus aëri propter coloris ſimilitudinem: Coccus quaſi ardens igni, & æthери. Aequũ enim adiudicarunt, ut Pontifex ſummi opificis gratias ageret illi, qui & ipſa elementa, & quæcunque ex eis fabricata ſunt, produxit: repræſentaretq; ipſa elementa, & conſequenter elementata omnia opifici ſuo. Primum itaque ueſtimentum, quo pudenda cooperiebãtur lineum erat terram ſignificans, à qua traximus, undè genitalia nobis cooperienda ſunt: quia inde uoluptatem ſentimus, ad quam nullatenus condeſcendere debet ſacerdos: nec cum ipſis membris aliquid agere, niſi quatenus neceſſitas, quã ex terra deduximus, cogit. Sed de terrenis paulatim ad excelſa erecti, à capite uſque ad talos cooperiebantur ueſte hyacinthina: quæ aërem indicat à cœlis uſque ad terram diffuſum: Cui appenſa erant tintinnabula, & mala punica. Quorum ſtrepitus, tonitrua, & fulgura, quæ in aëre fiunt, comprimebant, aut ſuo ſonitu terrebant aëreas poteſtates: Vel (ut melius dicatur) repræſentabant harmoniam, & conſonãtiam elementorum, & omnium, quæ ex eis compacta ſunt. Quod & malorum punicorum compoſitio, & ordo mirabilis ſignificat. Altius quoque conſcendentes dicunt, quòd per ſeptuaginta duo illa tintinnabula, & totidem malogranata citabant etiam ſeptuaginta duos principes idiomatum, ſex pro quolibet ſignorum cum omnibus ipſis creditis, ut intereſſent ſacrificio, quod fiebat*

à summo Pontifice Domino uniuersorum. Sed si uera est hæc eorum sententia, citatio illa erat figuratiua per tintinnabula quasi præludio quodam sonantia, ut indicarent ea, quæ in aduentu ueri Pontificis summi effecta sunt: ut statim declarabimus. Aurum uerò, quo intexti erant colores, aut colorata illa uitale uinculum, quo elementa connectuntur in compositis, repræsentat. Superhumerale uerò hemisphærium superius resignat, in quo sunt duo lapides Onychini, id est duo luminaria magna desuper rutilantia. Zonam autem, quà sacerdotis pectus ártatur, & linea tunica aliqui Occeanum, alij uerò zodiacum significare uolũt: sed utrumque dicere possumus: In eo enim, quòd uestis linea, id est terra cingitur, Oceanus est terram circundans: In eo autem, quòd circumuoluitur pectus sacerdotis, quod mundi minoris meditullium est, Zodiacus intelligitur, omnia mũdi maioris centralia circumcingens. Rationale in medio pectore positum terrã, & eius ornatum edisserunt floribus, herbis, & fructibus uestitam: Quæ meditullium tenens huius mũdani corporis suscipit uirtutes duodecim signorum, quæ duodecim lapides in eo rationali fixi repræsentant. Quatuor uerò ordinibus, in quorum quolibet sunt tres lapides, quatuor anni tempora, quibus terra uariè disponitur, distinguũtur, dãtes cuilibet tẽpori mẽses tres. Vel per quatuor ordines quatuor signorũ naturæ repræsentãtur, cũ tria in cuiuslibet elementi proprietate reperiantur. Et ut omnia, quæ in pectorali sunt, terræ applicentur, uolunt etiam ut per urim ue tumim claritates, & perfectiones significentur: quæ in terra, ubi effectus secundarum causarum apparent, passim dignoscuntur: Hic enim aliqualiter cõprehendimus quàm clara, & quàm perfecta sint opera Dei, & suorum ministrorum. Pulchrè igitur hoc ipsum, quod in medio est, rationale appellatur: quia in terra hac media ratio causarum secundarum, & effectuum summi Dei ab expurgatis mentibus percipitur: Ratione enim cuncta hic plena sunt, terrenis ad cœlestia correspondentibus, & colligatis. Hinc rationale cum ephod, id est suphumerale cõstrictũ dicitur. Et illud urim ue tumim clarius explicantes dicunt significare ueritatẽ, & perfectionem rerum, ueritatem quippe, quia omne, quod est, ipsum quoq; uerũ est: ut Metaphysici dicũt: Pari modo & omne, quod est, bonum est, dicente scriptura: Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant ualde bona, id est perfecta in suo genere. Nec ab re in sacerdote summo Opifici sacrificanti ipsius opificium figuratur, adiecta ueritate, uel claritate, & bonitate in eo, qui splendore doctrinæ, perfectionisque bonorũ operum erudire populum debet: adeò, ut gressus eius (ut inquit Hieronymus) motus, & uniuersa, quæ agit, uocalia sint. Veritatem itaque, & diuinum splendorem mente suscipiat, & toto eum habitu resonet, & ornatu, ut quicquid agit, quicquid loquitur, sic doctrina populorum. Cidaris autem, & uitta hyacinthina citra omnem controuersiam cœlum monstrat: quod debet semper esse super caput sacerdotis, & oculis eius obiectum, nec aliquando deponi: In quo est lamina aurea inscripta nomine magno Dei: Ex qua addiscimus in cœlo esse magnũ nomẽ Dei

Metaph. Genesis. Hieron.

Abraham insculptum, præsidens, & sigillans omnia duodecim signa; & omnes mundi angulos, sicuti docemur in libro de formatione, qui Abrabæ inscribitur: A quo nomine uniuersa suscipiunt uim, & fomentum. Sed inscriptum dicitur nomen in lamina ex auro, quod uitam naturalem, & spiritualem significare comperimus: Et non inconcinne, quia solare est, & cum sole cœlesti conueniens, qui dator uitæ naturalis dicitur, & cum sole supramundano, qui uitam largitur spiritualē. Pontifex itaque omnium creaturarum, & mundi totius uestigium portans indicabat, cum Deo sacrificaret, cuncta indigere misericordia, & fauore ipsius, à quo debent expiari, & foueri: Et sic non pro liberis, parentibus, ac propinquis tantum, sed pro omni creatura, uoce, & habitu precaretur. Et huius pontificis

Exodus Leuitic. uestimenta in Exodo iubentur fieri, sed in Leuitico à Mose (Deo iubente) Aaron ipsis induitur: quia à lege hæc addiscenda sunt, & Deo iubēte assumenda:

Paulus Nemo enim sibi assumere debet honorem, nisi (inquit Apostolus) uocatus à Deo tanquam Aaron: nec præsumere debet diiudicare, quæ Deo sunt placita, nisi ipso dictante.

Quid ad sacerdotes Christi pertineant hæc figuratiua indumenta. Cap. VI.



CVm omnia in figura patribus illis contingerent, & cuncta hæc sacra (ut Origenes inquit) ad Christum Pontificem maximum referantur, & ad ea, quæ à suis Christicolis fieri iubet, uidebimus primo, quomodo hæc omnia in usum Christianorum sacerdotum deueniant, postea discutiemus, quomodo hæc eadem omnia in Christo cōclusa, & resoluta sint. Sed hic illud præmittendum censeo, quòd sacerdotes, & pontifices priusquam induerent aliquod illorum uestimentorum, lauabantur, ut in

Leuiti. Leuitico legimus: Vbi habetur, quòd ex Domini præcepto aduocato Aaron, & filiis eius ad ostium tabernaculi cum uitulo pro peccato, & duobus arietibus, & canistra azimorum, conuocatóque cœtu filiorum Israël ante fores tabernaculi, ait Moses: Iste est sermo, quem iussit Dominus fieri: Statimq; obtulit Aaron, & filios eius, & lauit eos, & uestiuit pontificem subucula linea, accingens eum baltheo, & induens tunicam hyacinthinam, & desuper humerale imposuit, quod astringens cingulo aptauit rationali, in quo erant urim ue tumim. Cidare quoque texit caput, & super eum contra frontem posuit laminam auream consecratam in sanctificationem, sicut præceperat Dominus. Lauabatur itaque sacerdos antequam indueret uestimentum aliquod, sed lotio illa erat uirtute, & iudicio legis, quam dedit Dominus per Mosem, ideo dicitur, quòd lauabatur à

Hieron. Mose: Quod tamen (ut inquit Hieronymus) mundi purgationem figurabat, & baptismi sacramentum, uel pœnitentiæ: in quibus abluimur, antequam induamus

Paulus illam sacram uestem, de qua inquit Paulus: Induimini Dominum nostrum Iesum Christum: quinimmo & ipse uoluit lauari in Iordane, & indui, atq; repleri Spiritu sancto, qui super eum egredientem de lauacro ascendit in specie columbæ,

antequam intraret in sacra, & in expiationem generis humani: Quàm baptizatus statim cœpit, assumpta pugna in eremo contra hostem humani generis, prosequendo postea docens, & sanans, & tandem offerens se in sacrificiũ. Lotus itaque *sacerdos induebatur primo subucula, aut feminalibus, quia sacrificaturus hoc primum obseruare debet, ut succingat lumbos suos, quando nec uxori iure matrimonij seruiẽs potest Deo, & sacris bene uacare, nisi ab actu uxorario abstineat.* Hinc Apostolus *docẽs uxoratos, ut alter alteri redderet debitum (quia neuter habet potestatẽ sui corporis, sed alter alterius) subiungit:* Nisi ut *uacetis orationi ad tempus:* Quod *nihil esset, nisi præsupponeret non posse quempiam seruire rei uxoriæ, & orationi, aliisque sacris simul:* Quia *sicut non possumus* Deo *seruire, & mamonæ, ita nec spiritui* & *carni, ambitui mundi, &* Christi *iugo.* Succingebatur *postea balthеo cõfecto ex quatuor coloribus, p quos (ut diximus) quatuor elementa primaria, & omnia ex eis composita intelliguntur, denotans, quòd omnia hæc, quæ dicuntur mundi huius, & ex elementis corruptibilibus sunt, femori & parti inferiori alligari, & stringi debent: ut ibi dimissa non præpediant partem superiorem sacerdotis, quando in sacris agens* Deo *est sacrificaturus.* Induitur *postea tunica hyacinthina, ut ex colore discat totus cœlestis fieri:* Nam *hic tendens in sapphireum cœlum sacerdotem ad cœlestem mãsionem inuitat, quam uidit* Ezechiel *esse sapphirini coloris:* Et *hoc magno mysterio suo loco declarando.* Imponebatur*que superhumerale ex eisdem coloribus, quibus* & *balthеus, superintextum, ut iam elemẽtis istis alterabilibus cũ suis elementatis ad animalem partem dimissis, ad meliora elementa cœlestia, atque diuina (de quibus supra diximus) erigat animum:* Quod *& lapis* שהם *soham, id est onychinus astrictus auro in utróque humero designat:* Est *enim hic lapis circa centrum terreus, in superficie autem sapphireus: quo docetur, ut terrenis iam conclusis in cẽtro, & circa ima sacerdos ubique cœlestis appareat.* Et *quia sacerdotis est tanquam hierarchæ medij deducere infimum in supremũ, & plebem ipsi creditam in* Deum, *ideo dicitur, quòd in lapidibus illis inscripta erãt nomina filiorum* Israël, *& consequenter tribuum cunctarum ex illis descẽdentiũ, ut totum populum in sacrificio* Deo *præsentans, cum ipso eundem reconciliaret.* Quod *autem maiorum nomina in dextera, minorum autem in sinistra collocata dicuntur, id significare existimo quòd potiora dantur maioribus, non quidem ætate, sed uirtutibus & meritis: & minora minoribus, & minus merentibus dãtur.* Multa *possent dici de particularibus filiis, & tribubus: & quomodo,* Deo *iubente, in castris figuratiue locabantur: & quid importatur per dextrum & sinistrum, quæ non sunt præsentis speculationis, ideo ueniamus ad ea, quæ portare debent sacerdotes nostri temporis: qui non nomina filiorum* Israël, *& quadriliteri portant, sed nomina* Apostolorum, *qui stant pro filiis* Israël *in ecclesia, & nomen* IESV *in quo est tetragrammi uirtus.* In *fundamẽtis sanctæ, & nouæ ciuitatis descendentis de cœlo (inquit* Ioannes*) scripta erant nomina* Aposto

Paulus

Ezechi.

Ioan.

lorum, & Agni: Vndè quilibet sacerdos huius ciuitatis fungens officio ueri sacerdotis habere debet hæc nomina, id est uirtutem, & fauorem eorum, qui iecerunt ipsius ciuitatis primaria fundamenta. Hinc sacerdos celebraturus in canone missæ post Deum Patrem, & Iesum Christum filium eius, Apostolos, & aliquos, qui si non prima saltem secundaria iecere fundamenta, nominat implorando eorum suffragia. Appendebatur postea rationale omnium sacratissimum cũ duodecim lapidibus pretiosis, & urim ue tumim: Et ligabatur rationale cum superhumerali, utrunque duodenarium: In superhumerali enim inscripta erant duodecim nomina filiorum Israël duobus lapidibus onychinis: In pectorali uerò uel rationali erant duodecim lapides pretiosi, in quatuor ordinibus cum duodecim nominibus cælatis correspondentibus magno mysterio duodenis nominibus existentibus post tergum: Quod magno sacramento factum fuisse non ambigimus: Nam duodenarius inferior respondet duodenario cœlesti, quem alibi quamplurimum cebratum demonstrauimus. Aequatur & duodenarius euangelicus figuratus in lapidibus pretiosis pectoralis cum duodenario legali: qui continebatur in duobus lapidibus superhumeralis. Lapides igitur duodecim pretiosi existentes in pectorali ephod duodenos principes Apostolicos repræsentãt cum duodena familia duodecim millium electorum, habentes singulos duodecim fructus, quos arbor uitæ producit: Qui nominantur à Paulo fructus spiritus: Nam idem est uita & spiritus, cum spiritus sit uita, & aliis uitam præbẽs. Sed alij sunt fructus, quos Dei gratia producimus in terra, & alij, quos colligemus in æterna beatitudine: Et istis supernis respõdere debent illi, quos in terra producimus, & duodenarius terrestris duodenario cœlesti, & duodena familia euangelica duodenæ familiæ figuratiuæ, & colligari ad inuicem, sicut pectorale cum superhumerali, eo quòd Pontifex noster Christus fecit ex utraq; unũ: Quod suo loco relinquimus declarãdum. Erant insuper in illo pectorali, uel rationali urim ue tumim, quod, nescio quo modo, interpretati sunt doctrinam, & ueritatem: Nam אורים ab אור uenit, quod lucem significat: Vndè urim claritates, & illustrationes doctrinæ, & spiritus mihi significare uidentur: quas habere debet sacerdos, qui mediatoris inter Deum, & hominẽ officio fungitur, & ducatũ in Deum populo præstat. Nec enim sciet dux, aut poterit dirigere quẽpiam in uiam, quã nescit: Nec cæcus alteri bonũ poterit præstare ducatũ: Nec propitiationem adinueniet cum Deo, qui nõ est suæ gratiæ lumine collustratus: quia nec Deum nec diuina absque eius lumine cognoscere possumus. Clarus itaque, & collustratus debet esse pontifex doctrina, scientia utriusque testamenti, & spiritu, ut sciat, quid faciat, & intelligat, per quam uiam plebẽ deducat, & cognoscat, quid Deus expetat à nobis pro purificatione, & sanctificatione nostra. Hoc mysterio portare dicũtur põtifices nostri bipartitam illam mitram, ut denotetur uidelicet peritia, quã habere debent ipsi pontifices in utróque testamẽto: quamuis in plærisque nostri temporis res nimium deficiat à sacramento. Esse

Paulus

quoque debet pontifex purus, mundus, & perfectus, ne Deo inuisus ponat potius inter Deum ipsum, & populum offendiculum, quam propitiationem: Et hoc *significat illud* תמים *tumim, quod immaculatum, perfectum, completum, simplicem, & sine defectu possumus interpretari. Hinc tanta diligentia iubetur ut sacerdos non modo caueat à peccatis, sed sit impollutus etiam à mortuo, à muliere etiam, quæ corpus suum alteri uiro concessit: Item quòd sit liber à lepra, à fluxu sanguinis, ab hernia: sitque integer in omnibus mēbris, nō cæcus, non claudus, nō gibbus, non naso nimis grandi,* & *deformi: quæ omnia in aliis tolerātur, in sacerdote uerò nequaquam: quia completus esse debet omni perfectione intrinseca, & extrinseca. De primo in Leuitico dicitur ad uerbum: Sacerdos magnus sit* Leuit. *de fratribus suis, in cuius caput fusum est oleum unctionis, & manus impletæ, scilicet bonis operibus ad uestiendum, uestimenta uidelicet sacerdotalia, caput suum non discooperiat, & uestimēta sua non scindat, & ad omnem animã mortuam nullo modo ueniat, etiam in patre suo, & in matre sua nō polluatur:* Et de *sanctuario non egredietur,* & *non prophanabit sanctũ* Dei *sui: quia* נזר *nezer, id est nazareus, hoc est separatus, à turba uidelicet, uel coronatus, corona scilicet sanctitatis:* Oleum *chrismatis* Dei *sui super eũ:* Ego Dominus. Plena *sacramentis sunt uerba hæc: Sed quid significent, breuiter percurramus:* Oleum, *quod effunditur super caput sacerdotis, diuinitas est, qua perfusus debet esse sacerdos præ turba, in capite præcipuè, ubi residet portio illa suprema animæ, quæ diuina est: & qua Deum intelligimus, & ea operamur, quæ ipsi Deo grata sunt, dummodo sit sua gratia irrorata.* In Pontificibus *itaque,* Regibus, & *prophetis, qui ungebantur, esse debet particulari effusione comspersa. Impletio uerò manuum multitudinem bonorum operum significat, quibus refertus esse debet sacerdos. Diuinitate ergo perfusus, & diuinus effectus, plenusq; bonis operibus habitum quoq; sumat diuini ministerij, qui pontificalis, seu sacerdotalis est:* Caput *nō discooperiat deponens cidarim, quæ (ut diximus) hemisphæriũ superius significat: quo caput sacerdotis obtectum esse debet.* Et *ut clarius lo-* CHRISTVS. *quamur, nunquam deponat cœlestia, sed illis semper mente, animóque intendat:* Nam *si omnibus à Christo indictũ est semper orare, & nunq̃ deficere, semper & unusquisq; animũ, & mentē in cœlum habere debet, cum nō oret mēte, qui eã non habet in Deum eleuatam:* Oratio *(inquit Damascenus) est eleuatio mentis* Damas. *in Deũ. Multo magis igitur sacerdos, qui orat pro se, & pro populo habere debet semper mentem, & caput in cœlum erectum, & diuino tegmine obumbratum.* Vestimentũ *quoque non scindat. Duplex est genus uestimenti, quod uestire debet quilibet Christianus:* Alterum *est baptismatis, de quo inquit* Hiero- Hiero. *nymus:* Vestem *Christi* Romæ *suscepi: De baptismo enim loquebatur:* Alterũ *est pœntētiæ, quæ est secunda uestis cooperiens nuditatem in his qui perdiderũt uestimentum baptismale:* Et *hanc uestiuit Deus protoplasten, & quotquot in peccata lapsi saluantur: de quibus inquit propheta:* Beati *quorum remissæ sunt* Dauid

iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Et hoc duplici genere uestimenti utebatur noster Pontifex maximus Christus non pro se, sed pro omnibus, quorum peccata tulit: Altera enim erat tunica inconsutilis, quæ baptismi uestem significat indiuisibilẽ, & nunq̃ reiterandã: Altera erat diuisibilis per partẽ, & partẽ: Et hæc significat uestẽ pœnitentiæ, toties resumendam, quoties homo peccat, dicente ipso Christo ad Petrum, cui præcipuè facultatem dederat hanc uestem induendi: Non dico tibi septies, sed septuagies septies, id est toties, quoties, ut omnes exponunt: Vtitur autem uterq; numero septenario remissiuo, sed Christus multiplicat per denarium, & per illum ex completo denario deductum septenarium quadrat, nõ sine mysterio suo loco declarando: Ex quibus omnibus reiratis uicibus pœnitentiæ conficitur una tãtummodo uestis, quæ unica est: quamuis eo modo, quo diximus, diuisibilis. Nullam autem istarum sacerdos, & pontifex scindere debet, sed utramq; tenere inconscissam, ne unquam appareat eius ignominiosa nuditas ueste per peccatum conscissa, eo ꝙ ipsius est uestire denudatos. Impollutus itaque esse debet, sanctus, & mundus. Nec obstat, quòd offerat primo pro peccato suo uitulum, arietes duos, & canistrum azymorum, cũ nullus dicatur mundus à sorde, etiam infans unius diei: quia omnes nascimur filij iræ, & peccato obnoxij. Siquidem sunt peccata, quæ uenialia dicuntur, nec scindunt uestimenta, & digna facilis ueniæ: à quibus nihilominus mundus debet esse sacerdos agere uolens cum Deo sancto, mundo, & puro. Vndè sequitur, quòd ad nullam animam mortuam accedat, ne polluatur, & coinquinetur super mortuo, esto quòd fuerit ipsius pater, uel mater: Ex quo habetur, quanto maior mundities exquiratur in pontificè, quàm in sacerdote, cum isti concedatur in principio capitis accessus ad funus patris, matris, filij, filiæ, fratris quoque, & sororis uirginis: Pontifici autem summo interdicitur accessus ad quodcunque funus. Et quid fœditatis cõtineat funus, ut possit coinquinare accedentem ad ipsum, non est præsentis tractatus: Hoc tamen dicam, ꝙ antiqui Patres in rebus spiritualibus peritiores quàm hi, qui in relationibus, & quidditatibus inueniendis phantasticantur, quas nunquam inueniunt, non sine causa ordinarunt, ut cadauer sepeliatur in loco sacro, lumine associetur, quousq; super terram extiterit, aqua benedicta aspergatur, & incenso thurificetur: Quæ omnia nõ frustra, ut uulgus opinatur, sed ad expiationẽ cadaueris, quod ualde immũdũ est, ordinata sunt: Et q̃uis ista fœditas nõ grauet fœdatũ de mortali, imò cũ merito contrahitur, quando quis charitate mortuũ sepulchro demandat, nihilominus ab ista etiam fœditate iubet Deus sacerdotem esse immunem. Iubet etiam, ut nunquam de sanctuario exeat, sed semper (si fieri potest) sanctus sit, qui sancto sanctorum ministraturus est: Nazareus est enim, id est separatus à turba coinquinata, & à uulgaribus operibus fœdantibus dignitatem suam: Aut Nazareus, id est coronatus diademate sanctitatis, & perfusus diuinitatis oleo. Subinfert Deus post omnia hæc: Ego Dominus, id est ego adonai,

CHRISTVS.

uel quadriliterus, qui uidelicet sanctissimus, & purissimus sum, ideo exquiro ministros meos puros, & sanctos, sicuti alibi clara uoce ait: Sancti estote, quoniã ego sanctus sum. Nec ullusq; fœdetur sacerdos cum muliere uidua, repudiata, sordida, aut meretricè, sed habeat uxorẽ uirginem, cũ qua copulatus sacramentũ teneat unicæ copulæ, quã cũ Deo habere debemus nuptiis, ad quas plerisq; in locis scripturæ sacræ inuitamur: Quod & in sacerdotibus nostris obseruatur, & dicũtur irregulares ex digamia, qui duobus mulieribus copulati sunt, aut cũ muliere, quæ ab alio uiro cognita est: ne uioletur sacramentũ bifario matrimonio. Sed heu infœlicia tempora, & perditos mores, quãdo uerba statuti, & legis præcepta seruantur tãtũmodo in corticè deprauato fructo, & putrefacta radice. Nõ admittũtur ad sacerdotiũ huiusmodi digami, nisi à Põtifice, & gerẽte uicem Dei in terris contra Domini statutũ dispensetur. Et meretrices, & cinædi passim admittuntur à sacerdotibus, qui uiolati, deturpati, cõinquinatiq; ad põtificatũ, & sacra peragẽda absq; dispẽsatione, & punitione, nudata fronte accedunt. Insuper & gibbi, & claudi, & herniosi, & spurij, & habentes nasum tortum, & immodicũ, & omne genus monstrositatis: Quæ secũdum sensum mysticum intelligentes uitia, & defectus in anima denotant, quibus diminuti nõ possunt portare tumim, quod perfectiones, & cõplemẽta significat, tam in naturalibus, q̃ in spiritualibus: Nã portare uerũ urim ue tumim est habere lumẽ Dei, & uerã perfectionẽ in opere: ut de Ioãn. inquit Christus sub aliis, sed his similibus uerbis, dicẽs: Ille erat lucerna ardẽs, & lucens: Lucebat quippe doctrina, & ardebat charitate simul cũ bonis operibus. Cidaris uerò, quæ iubebatur portari in capite, pro quo amictũ nos gerimus, est cœlũ, & cœlestia, quæ semper speculari debet sacerdos actu, uel uirtute: ut dicunt Theologi nostri. Hinc Nazarei non tondebant capillos, aut comas: quæ (ut in Canticis dicitur) iunctæ esse debent canalibus, p quos ueniunt influxus, & charismata superiora ad nos. Nec adhuc didici, cur nobis sit indicta denudatio capitis, & rasura contra id, quod Christus obseruare uoluit, qui capillos nutriuit, & barbam. Dicunt aliqui: Hoc fit, quia Petro barba, & capilli in Antiochia rasi fuere. Sed miror, cur ignominiam Petro illatam repræsentare curamus, & ad ea, quæ Christus magno sacramento, & sapientia maxima fecit, nõ attendimus, id maximẽ præcipiẽte lege in Leuitico: Nõ tondebitis comam in rotundum, nec radetis barbam. Insuper miror, si Petrũ rasum imitari uolũt, cur permittant, q ubiq; pingatur cũ barba, & capillis: quæ indicãt, q Petrus ipse post illusionẽ illã nutriuerit capillos, & barbam. Ad Apostolũ confugiẽt, qui cum Corinthiis ait: Vir nõ debet uelare caput suum, quoniam imago, & gloria Dei est: Nã uir orans, aut prophetans uelato capite deturpat caput suum, quod uidelicet Christus est: cui debet homo esse expositus atque apertus. Et iterum: Vir si comam nutriat, ignominia est illi: Quibus dicere possumus: Non iubet Apostolus caput radendum, uel barbam, sed dicit non nutriat comam, curiose uidelicet: Nec uelet caput ornatu munda-

Ioan.
Theolo.
Canti.
Leuitic.
Paulus
Idem.

no, & pompatico, cum nullam gloriam ex mundanis ornatibus capiti cōparare poßint, quod Christum significat. Vel dicamus, quòd hic sermo est ad communes homines, & mulieres, non ad pontificem, uel sacerdotē: ut inde concludi poßit rasuram esse necessariam pontifici, aut sacerdoti. Sed quicquid sit, Deo, & Sanctæ ecclesiæ me, & mea omnia committo. Posita tandem dicitur lamina aurea super caput sacerdotis, in qua descriptum erat nomen magnum Dei: Quod & inscriptū est in fronte uniuscuiusq; credentis: ut in Apocalypsi dicitur: Qui uicerit, scribam super eum nomen Dei mei. Et ad numerum ueniens Ioannes peculiarium electorum dicit: Vidi supra montē Sion Agnum stantem, & cum eo centum & quadraginta quatuor milia habentium nomen eius, & nomē Patris eius scriptum in frōtibus suis. Qui centum & quadraginta quatuor milia sunt collecti ex illis duodenis milibus, ex qualibet tribu, magno mysterio suo loco declarando: Quod nomen Christi, & Dei, si omnes milites portant, tanquam characterē, & stigma, aut insigne Christianæ religionis, quanto magis portare debet Pontifex maximus, simul & sacerdotes, qui sunt tanquam angeli, & duces diuini exercitus? Sed Pontifex summus & maximus tanquam dux totius militiæ Imperatorúe, cæteri autem sacerdotes instar ducum priuatarum legionum seu cohortum. Quid autem hæc cum Pontifice maximo Christo agant, in quem ipsa omnia tendunt, uideamus.

Apocal.

Quid illa omnia uestimēta cū Christo, quē potißimè figurabāt. Cap. VII.



Iam ad Christum nobis deueniendum est, in quem omnia tendunt, & ad quem omnia respiciunt, tanquam ad dominum rerum, propter quem illa omnia ordinata sunt, & in quo omnia uerificari debent: Quia semper Moses cum Christo, & lex cum euangelio: Ideo erroris notatur Petrus, qui in monte Thabor, quando Moses affuit Christo, uolebat facere tria tabernacula, cum unum sufficeret Christo, Mosi, & Eliæ: Nam unum sunt lex, prophetia, & euangelium: & unum alteri adeo correspondens, & connexum, ut idem penitus sint: Quod uidere possumus, dummodo Deus sua benignitate auferat à nobis uelamen, ut reuelata facie ualeamus gloriam Domini contemplari, transformati & nos in eandem imaginē ueri Filij Dei, qui primo sub ænigmatibus legis, & prophetarū continebatur: Quem nobis iam exhibitum contemplabimur ascendentes à claritate legis in claritatē euāgelij. Dicitur in Leuiti. ꝙ congregata multitudine ad ostiū tabernaculi, Aaron constitutus est sacerdos à Mose. Qui eum citauerat illuc cum filiis, & cum uitulo pro peccato, & duobus arietibus, & canistro, azymorum: Nónne & Christus uolens offerre unicum sacrificium pro peccatis totius mūdi, exhibens seipsum hostiam pro peccato, pro delicto, pro errore, pro iniquitate, pro transgressione, pro rebellione, & pro omni scelere, quod legis sacrificio non purgabatur, uenit extra portam magna Hebræorum, Romanorum, & omnium gentium comitante caterua, institutus sacerdos nō quidem à Mose, id est à lege, sed à Deo

Leuiti.

Patre, qui iurauit, & non pœnitebit eum, ut esset sacerdos in æternum, seipsum tandem obtulit in hostiam ipsi Deo Patri *placentem, aduocans in se uirtutẽ, mysteria, & significata uitulorum, hircorum, azymorum, & omnium: quæ à sacer dote legali offerebantur?* Nónne, *& antequam ad altare crucis conscenderet, lotionem præmisit meliorem quàm* Aaron? *Lauari quippe uoluit à* Baptista *in* Iordane *faciens seipsum lauacrum, quo diluerentur omnes sordes.* Nec *adhuc hac lotione cõtentus lauare uoluit pedes discipulorũ eo lauacro, quod iam seipsum fecerat:* Quod *mysteriũ non intelligẽti* Petro *dixit:* Quod *ego facio, tu nescis modo, scies autem postea, quando uidelicet intelliges, quo sacramento, quo lauacro, qua aqua lauerim te.* Intellexit *quippe docente* Spiritu *sancto, qui suggessit, & declarauit omnia, quòd antequam aliquid agamus cum* Deo *mundißimo, oportet, quòd baptizemur, & mundemur lauacro baptismi confecto ex aqua, qui est ipse filius* Dei: *qui lauit nos (inquit* Ioannes*) à peccatis nostris per uerũ baptismum:* Et *lauat ab affectibus significatis per pedes uerbo, & amore, iuxta id quod dixit:* Vos *mundi estis propter sermonem, quem locutus sum uobis, plenum uidelicet doctrina, & amore.* Lotione *itaque præmissa uestimẽta suscepit, imò seipsum uestimentum fecit, quo operiret nuditatem nostram, sicut se fecerat aquam, qua lauaremur, & hostiam, quam pro nobis offerret, panem, quo nos pasceret, & ostium, per quod intraremus:* Factus *est igitur feminale coope riens turpitudinem, quam patefecerat humanum genus per peccatum, ut in* Iere mia *loquitur* Dominus *dicens:* Nudaui *femora tua contra faciem tuam: & apruit ignominia tua.* Tegit *autẽ ignominiam nostram ueste confecta ex suaipsius pelle, qui est uerus* Agnus *tollens peccata mundi:* Quibus *sublatis cooperta est ignominia.* Et *hæc est illa pellicea tunica, quam* Deus *uestiuit* Adam: *cuius peccati ignominia non poterat tegi, nec tolli, nisi uirtute, & merito istius* Agni, *qui tollit peccata mundi.* Extat *& tunica byßina:* Quæ *ex terra facta, terrãque significans (ut omnes affirmant) carnẽ terream, quam assumpsit, ut in ea nos red deret* Deo *placato, absq; dubio repræsentat:* Qua *indutus habitu fuit inuẽtus ut homo.* Et *hæc retorta erat uirtute diuinitatis, ut nequiret rumpi: aut scissurã aliquã præbere peccato, & sensualitati:* Quod *in nostro summo* Põtificè Christo *tãtummodo locum habet.* Et *hæc stricta fuit baltheo ex quatuor coloribus, quos diximus significare quatuor elementa, ex quibus compositum, artatum, & compaginatum fuit corpus illud* מצנפת Miznephet *uerò, id est pileolus, uel tiara, quod significare cœlum diximus, quo inuolui, & cõtegi caput debebat sacerdos,* IESV *nostro præ omnibus cõuenit: qui cœlestis fuit totus, atq; diuinus, cœlo,* Deóq; *sine aliqua intercapedine semp incũbẽs: iuxta illud quod dicitur, ꝙ sacerdos illud tegmentũ nunq̃ deponere debet.* מעיל Mabil *quoq;. i. palliũ hyacinthinũ nõ dicã sumpsit, sed effectus est cũ tintinnabulis, & malogranatis:* Fuit *enim non solum colore cœlestis, ut hyacinthus, sed re & opere, sicut dicit* Apostolus. Secundus *homo de cœlo cœlestis.* Quinimo *(ut idem* Apostolus *ait)*

CHRISTVS.

Ioan.

CHRISTVS.

Ierem.

Paulus

cœlos penetrauit melior ipsis effectus. Cœlũ etenim fuit supremum figuratũ p coopertoriũ arcæ, alias dictum propitiatoriũ, quia inde fiebãt ppitiationes, sicut in Exodo legimus: Pari, & meliori modo ex corpore nostri Pontificis. i. ex eis quæ tulit in corpore suo, fiunt remißiones omnibus nobis. Mente autem cœlos penetrauit conscendẽs ad dexterã Patris in excelsis, ut mediator esset inter ipsum Patrem uniuersorũ, & nos: Et appẽsa tenebat malogranata, & tintinnabula utraque septuaginta duo: Quæ tintinnabula diximus significare septuaginta duos principes præpositos septuagintaduobus idiomatibus cũ populis ipsis creditis, figuratis in totidem malogranatis, eo ꝙ omnia illa numina, & intelligẽtiarum ipsarum uirtutes ad se aduocauit sibi omnia subiiciẽs, ut Aposto. ait: Quia in ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, ut sicut per ipsum Deũ, & in ipso omnia creata sunt, ita in corpore caput esset ecclesiæ in omnibus primatũ tenẽs: Et cũ Hebræis asserẽs de Christo dictũ fuisse illud prophetæ: Omnia subiecisti sub pedibus eius, adiũgit: In eo enim ꝙ omnia subiecit, nihil reliquit ei nõ subiectũ. Prĩcipes esse puinciarũ, & populorũ nemo ex his, q sacris literis student, ambigit, ut docemur plerisq; in locis, maximè à Diony. & Daniele: qui angelũ principẽ Persarũ commemorat, & Michaëlem stantẽ pro populo Israëlitico. Sed ij omnes aduenienti Christo cesserunt, imò ipsi subiecti, quicquid deinceps faciunt, eius perpetrant imperio. Populi quoq; ipsis crediti significati per malogranata Christi pontificis nostri disponuntur arbitrio. Hinc ipse non tãtũ Israëliticam familiam curat, sed ex omni natione, quæ sub cælo est, & ex omnibus populis (ut inquit Ioã.) & ex omnibus tribubus, & linguis suam collegit ecclesiam. Bene itaque portauit superhumerale cum lapidibus, in quibus scripta erant nomina filiorum Israël: quia in humeris suis portauit totam familiam Israëliticam, & purgans, & saluans eam: Et quod durum uidetur, inquit: Non ueni, nisi ad oues, quæ perierant domus Israël: Quod tamen intelligendum est de utraque familia, figuratiua uidelicet & uera: quæ est ecclesia, & collectio omnium fidelium, sicuti infra (Deo fauente) declarabimus: Et ideo dicuntur colligata pectorale, & superhumerale catenis suis per annulos quatuor utrinque transeuntibus: Vndè innuitur utraque familia colligata quaternario magni nominis, quo omnia ligantur, & in quo omnes saluantur. Sed hæc nomina scripta dicuntur in lapidibus onychinis, qui inferius circa centrum sunt terrei, in superficie autem cœlestes: in quibus innuitur, quòd totã illam familiã, quæ terrestris, & animalis erat, prætendit facere cœlestem. Suscepit & חשן chossen, quod logion Græci dicũt, id est rationale: & est pectorale ornamentũ, in quo erãt duodecim lapides pretiosi cũ duodecim nominibus filiorũ Israël. Nomina autẽ illa portabantur cælata in duobus lapidibus superhumeralis, & in duodecim lapidibus pectoralis: Vndè expresse demõstratur noster Pontifex maximus Christus: qui altare crucis conscendit oraturus, & sacrificaturus pro utraque familia duodenaria: Quarum figuratiua erat à tergo contenta duobus lapidi-

Margin notes: Exodus; Paulus; Idem; Dauid; Diony.; Daniel.; CHRISTVS.

bus onychinis, uera autem inscripta duodecim lapidibus pretiosis, & uariis: Hoc ideo, quia illa Patriarcharum familia non erat collecta ex omni natione, quæ sub duodecim signis cœlestibus continetur, sed ex genere uno, & ex Patre uno Iahacob progenita: Bipartita tamen dicitur, quia ex eadem familia sunt, qui collocari debebãt à dextris, & qui collocari debebant à sinistris. Ista autem noua familia, & noua sponsa descendens de cœlo, collecta fuit à nostro summo sacerdote IESV ex omni tribu, lingua, populo, & natione, quæ sub cœlo est, diuisa præcipuè in duodecim partes contentas sub duodecim signis cœlestibus: Ideo inscripta dicitur in duodecim lapidibus pretiosis: quia omnia, quæ in hac familia gesta sunt, pretiosa meritò dici possunt. Verum ad unumquemque lapidum applicare possemus duodenam partem istius nouæ familiæ cum suis duodenis principibus: Sed hoc suo loco faciendũ (Deo fauente) reseruabimus. Cur autem ipsum pectorale ex quatuor coloribus sæpe antedictis dicatur intextũ, facilè enodare poterimus, si meminerimus nos dixisse quatuor illos colores significare quatuor elementa, ex quibus omnia cõponuntur, & in quæ etiã ipsum cœlũ dicitur partitum, & ex ipsis cõpositũ, nõ quidem ex his elementis defecãtibus, sed melioribus. Hinc illius signa tria dicũtur terrea, tria aquea, totidem aërea, reliqua uerò ignea: Quibus omnia eis correspondentia conueniunt, adeo, ut omnia tam cœlestia, quàm terrestria distribuãtur illis elementis significatis per quatuor colores: Ideo typus utriusque familiæ per illos quatuor colores distinguitur: Illa autem duo sacramenta, quæ dicuntur urim ue tumim, adeo Christo nostro Pontifici summo conueniunt, ut ipse non tantum portet, sed eadem penitus sit, quæ per illa significatur, interpretẽtur quomodocũq;: Si enim traducatur doctrina, & ueritas, iã ipse publicè clamat: Ego sum ueritas: & doctrina mea nõ est mea origine, sed eius, qui me misit, mihi autem sic cõmunicata, ut uerbo, & facto sim populorũ doctrina: quia omnis Christi actio nostra instructio fuit. Si uerò interpretentur claritatem & perfectionẽ, ipse fuit lux illuminans omnem hominem, & adeo immaculatus, & perfectus, ut nos sua gratia, & meritis immaculatos Deo Patri repræsentet. Et si totũ pectorale dicatur logion, id est uerbale, uel rationale, nõne ipse est uerbũ, in quo sunt omnes regulæ tam rerũ creatarũ, quàm eorũ, quæ facere debemus? Ipsum quoq; omnibus rationẽ intelligẽdi, & operandi præbet: Et duplex dicitur, quia ibi duæ fuere naturæ: in quarum qualibet pascua rationis, & intelligentiæ inuenimus. Erant quoq; ligata pectorale & superhumerale uittis hyacinthinis, & catenulis aureis in binis quatuor annulis, qui erant quatuor in uno, quatuor in altero, sibi inuicẽ correspõdẽtes: Sed quæ melior uitta hyacinthina, & cœlestis, quàm ille totus cœlestis, qui de cœlo descendit, ut nos faceret cœlestes? Et quæ est catena hæc aurea, nisi charitas, & amor, quo ligare nos uenit noster Pontifex maximus, ad hoc tendens omni uerbo & opere suo? Ligauit itaq; utrãq; familiam, antiquã, & nouã: ligauit cœlestia, & terrestria: ligauit creaturã cũ Deo, sicut in ipso erãt ligatæ duæ

CHRISTVS.

naturæ, & factum est ex utraque unum. Ligauit tandem omnia membra ipse caput existens, & neruorum compactio. Restat lamina aurea, in qua scrip tum erat nomen magnum Dei quadriliterum: quod explicatur in nomine quadragin ta duarum literarum, in quo Deus mundum fabricauit, sicut conueniunt omnes, qui de huiusmodi nominibus tractant: Quod nomen conueniens, & combinatũ cum nomine nostri maximi Antistitis ישו cuius literæ omnes reddunt. 316. in nu mero: Cui si addantur quadraginta duo, conscendetur ad. 358. quantum reddit nomẽ huius rationalis, quod est חשן ש enim dat. 300. נ. 50. & ח 8. quæ suppu tata dant mihi. 358. Ex quibus concluditur à peritioribus huius artis sacræ, scilicet arithmetices diuinarum literarum, quòd illud pectorale mysteriosissimum, in quo erant duodecim lapides pretiosi inscripti cum nominibus electæ familiæ, & cum urim ue tumim sacratissimis, in quibus splendebant omnia intelligẽda, & facienda, Christum uerè repræsentabat: in quo est uirtus mundi creati, dicente

Ioan. Ioanne: Omnia per uerbum facta sunt. Ecce igitur quàm bene nomen illud quadraginta duarũ literarum, in quo fabricatus est mundus, cõuenit cum IESV: Sed in tot & tanta intramus sacramenta, quòd si uoluerimus omnia explicare, quæ hic occurrerent, nec meæ uires suppeterẽt ad dicendum, nec lectores perciperent, quæ scriberentur. Nec conueniens est, ut ea, quæ sunt ore communican-

David da inter paucos sapiẽtes, publicis literis committantur: Abscondi (inquit prophe ta) in corde meo eloquia tua, ut non peccem tibi. Ne tamen ieiuni lectores peni tus dimittantur, aliqua uel pauca perstringemus. Si omnes illi electi & cõsignati dicuntur habere nomen Agni, & nomen Patris sui scriptum in frontibus eorum, non mirum est, si dicimus ipsum Filium Dei primogenitum in multis fratribus, & cui omnia dedit Pater, habere nomen ipsius Dei in se. Et hic aduertant, quæso, legentes, cur ipse Pontifex noster maximus in diebus carnis suæ dixerit:

CHRISTVS. Quicquid petieritis Patrem in nomine meo dabit uobis: cum postea resurgens dicat: In nomine meo dæmonia eiicient: & cætera quæ sequuntur: Vbi attenta indagine aduertendnm est, cur de nomine magno Dei taceat, in quo Moses, Patres & prophetæ omnes ab eo usque ad Christum, quicquid mirandi faciebant, operabantur: Et quod à diuo citharœdo tanta celebritate plærisque in locis decantatur: Et hoc nihilominus silentio prætermisso noster Iesus suum tantummodo proponit nomẽ, in quo Patrem rogare, & petere docet, quicquid habere cu pimus. Nunquid uoluit sibi arrogare, quod non debebat? Absit: Non enim rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Id autem fecit, quia sensit uirtutẽ magni nominis sibi à Patre donatam, atque in nomine suo proprio conclusam. Dedit itaque potestatem hominibus, qui perpetrarẽt miracula, loquerentur linguis, & huiusmodi, quæ fiebant uirtute magni nominis quadriliteri. Sed hoc nostro temporis curriculo à Iesu citrà, portare debemus nomen ipsius Iesu, & consequenter nomen magnum Dei in ipso nomine Iesu inclusum: & hoc in frontibus nostris ligatum uitta hyacinthina, & cœlesti, id est uita, cõuersatione, & mente

cœlesti, & spirituali: quia (ut inquit Apostolus) Nemo potest dicere Dominū Iesum, nisi in Spiritu sancto. Non ergo nominando Iesum polluto ore, aut tanq̃ nomen hominis cuiusdam, uel etiam indiuidui assumpti à diuinitate, illud ore ꝑfitendo, & illud intelligentes secundum doctrinas hominū, facere possumus miracula in uirtute ipsius nominis: sed uocantes, illud in Spiritu sancto mente expurgata, & animo feruenti consequemur ea, quæ promissa sunt in nomine isto; maximè cognitione præuia, iuxta illud propheticum: Protegam eum, quoniã cognouit nomē meum. Nunc itaque in nomine Iesu fiunt mirabilia, & datur salus, quia nō est (inquit Petrus) aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat homines saluos fieri, nisi istud: de quo & de uirtute illius, & quomodo alia nomina sint conclusa in ipso, cui pater dedit omnia, loqui uolentes possemus illud Pauli adducere: Grandis est nobis sermo, & interpretabilis ad dicendum, & multi imbecilles facti ad intelligendum: illi potissimè, qui in sacratissimis Dei arcanis uolunt habere duces, Aristotelem, & Aueroim: Nam ista non addiscūtur in scholis, uel gymnasiis gentium, sed à Spiritu sancto: & à diuino lumine suscipiunt hi tantummodo, qui à Patre æterno ad huiusmodi sunt electi, dicente Filio: Pater manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi. Nomen dixit tuum loquēs cum Patre, & suum manifestauit Filius, qui loquebatur: Hoc ideo, quia in suo nomen Patris includebatur: Quod nomen, & quomodo unum in altero sit inclusum, nec totus mundus simul intelligere posset, nisi ipso reuelante: quia abscondita sunt hæc sapientibus, & prudentibus, & reuelata paruulis, & his, qui sunt puro, & mundo corde.

Petrus. CHRISTVS.

Christus est sacerdos in æternum. Cap. VIII.



Verus itaque Sacerdos, & Pōtifex maximus est noster Christus, fungens æterno sacerdotio, ut Paulus cum Hebræis ait: Alij quidē plures sacerdotes facti sunt secūdum legē, idcirco, quia morte ꝓhiberentur permanere: Hic autem, eo ꝙ maneat in æternū, sempiternum habet sacerdotium: Vndè & saluare in perpetuum potest accedens per semetipsum ad Deum, semper uiuens, ad interpellandum pro nobis. Hinc prædixit Dauid Spiritu prophetico: Tu es sacerdos in æternum. Nec morte præpeditur, quin fungatur ꝑpetuo sacerdotio: imò in morte obtulit seipsum hostiã Deo Patri consecratam, & per resurrectionem mutatam in melius: Vndè permanēs, atque indefectibilis effecta, semper, perseuerãterq; assistit corã deo, ut sit æterna propitiatio pro peccatis nostris: Per quam præsentatam æterno Patri, & diuino tribunali, interpellat pro nobis impetrans ueniam ea mediante, & solutionem à debitis: Omnia enim soluit sanguine suo sparso, quo & mundos de die in diē nos præsentat Deo, quos sua morte, & sacrificio semel oblato expurgauit: Hoc quidem (infert Apostolus) fecit se semel offerendo. Et talis effectus est pōtifex, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis sanctorum minister, & tabernaculi ueri, quod fixit Deus, & nō homo. Fūgitur ergo Christus sacerdo-

Paulus. Dauid. Paulus.

tio æterno in cœlo, meliori quàm Michaël, de quo dicitur, quòd est sacerdos, & princeps super omnes animas suscipiẽdas, nec minus super corpora: Nã & pro corpore Mosi altercatus est cum diabolo, ut refert Thadeus in epistola sua canonica: Diabolus enim uolebat illud auferre, tanquã peccato obnoxium: sed Michaël ex aduerso illud præsentare uolebat Deo, tanquam lege purgatum, & purificatum ex diuino consortio: undè ad tantam claritatem deduxerat faciem, ut nõ possent intẽdere filij Israël in eam ob splendorem uultus eius: Quod & merito nostri æterni sacerdotis, de quo ipse Moses multa dixit, factum esse credimus, ut animã, & corpus illud iam expurgatum potuerit Deo præsentari. Pugnauit itaque Michaël tanquam uerus sacerdos, & Angeli, id est ministri eius cum eo pro animabus omnium, contra serpentem antiquũ: qui eas continuè quærit, ut deuoret: Sed præualuit Michaël, & eiectus est draco. Nec minus nunc, & cõtinuò est in adiutorium populo Dei, ut in Daniele legimus: Michaël princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui, id est pro electis. De hoc canit ecclesia, ꝙ cõstitutus sit princeps super omnes animas electas à Deo suscipiendas. Si igitur Michaël fungitur perpetuo sacerdotio habẽs cõtinuam curam animarum, quanto magis filius Dei, & summus sacerdos Christus, cui data est ipsarum animarũ omnimoda redẽptio, & qui suo oblato sacrificio iuge, & perpetuo æternam pro nobis inuenit redemptionẽ, debet fungi æterno sacerdotio interpellans cõtinuè uultui Dei pro animabus omnibus, pro quibus seipsum obtulit sacrificiũ, & hostiam? Et hoc est, quod inquit Ioannes: Siquis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, & non pro nostris tantum, sed pro totius mundi.

Daniel.

Ioannes

Cur Christus fuerit sacerdos iureiurando. Cap. IX.

Paulus



Hec tacuit noster Paulus ad pedes Gamalielis eruditus, & instructus in tertio cœlo, quomodo Christus constitutus fuerit sacerdos iureiurando, dicens ad Hebræos: Alij quidem sacerdotes sine iureiurando facti sunt, hic autem iureiurando per eum, qui dixit ad illum: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternũ. Sed quid hoc iuramentum importet, & quomodo omnes iurantes liget, ut nõ possint à iuramento sine causa discedere, reconditũ est hoc arcanũ. Dicunt secretiores Hebræi, ꝙ iuramentum multa connectit, maximè septenarium illum excelsum, à quo proueniunt omnia, sicut & uocabula iuramenti, & septenarij idem sunt in eorũ lingua, adeo, ꝙ השבע hasbah, quod iurauit significat, uenit à שבע quod significat septem, ut secundum eorum sensus sit, Iurauit, id est septenauit, uel per septem obtestatus est, & illa septem adduxit in testimonium: Quod uolens significare Abraham, quando pepigit fœdus cum Abimelech statuit septem agnas in testimoniũ: per quas septem agnas repræsentare intendebat septenariũ illud excelsum, iuxta quod stant septẽ spiritus, qui in cõspectu throni Dei sunt: Vndè trãsgressio iuramenti est quodammodo uelle facere illos testes menda-

Dauid

ces, & priuare seipsos ab influxu illorũ, à quibus omne bonũ. Iurauit igitur Dominus Christo obtestans illi per septenarium illud, & communicans omnimodũ eius influxum septenarium, iuxta illud Isaiæ oraculũ, quo de Christo facto sacerdote hoc iureiurando inquit: Egredietur uirga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus cõsilij, & fortitudinis, spiritus sciẽtiæ, & pietatis: & requiescet super eum spiritus timoris Domini: Ac si diceretur, iuxta illud septenarium, requiescet in eo spiritus intelligentiæ, & culparũ remißiuus: Item gratia uel pietas, iustitia & terror, pulchritudo & rectitudo, uictoria & perpetuitas, decor & ornatus, uita & regnum, ut non sine causa dixerit: Omnia dedit mihi Pater. Quod ponderans Origenes scribens in illud Isaiæ, Apprehendẽt septem mulieres uirum unum, ait: Supra multos fuit Spiritus sanctus cũ suis donis, sed in nullo requieuit, nisi supra IESVM: qui est ille unicus sponsus, quem apprehenderunt septem mulieres, id est septenarius ille excelsus indissolubili uinculo: Nam uenit spiritus sapientiæ cum cæteris donis, in Mosem, sed non requieuit, maximè quando errauit in percußione petræ, propter quod oblatus fuit ab eo ducatus populi ad promissam terram: Venit super Aaron, sed in peccato uituli receßit: Venit & super Isaiam, sed quid ait? Immundus labiis ego sum: Venit & super Dauid, sed sentiens se id commeruisse, quo foret iure priuandus, clamabat dicens: Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Et cum nullus sit, qui non peccet, nullus est, à quo non recedat spiritus Domini ad tempus, nisi solus Iesus, de quo dictum fuit Ioanni: Super quem uideris spiritum descendentem, & manentem in eo, hic est Filius Dei, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto, potens ipsum spiritum, quem firmiter poßidet, & aliis impartiri: Et quia uidi (inquit Ioannes) Spiritum descendentem, & manentem, testimoniũ perhibui, quia hic est Filius Dei. Mansit itaq; spiritus, mansit & septenarius ille super Iesum firmiter, & sine aliqua intercapedine, & absq; aliquo recessu: Sed quare hoc? Quia iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: Iurauit, ut esset sacerdos in æternum: Iurauit, ut esset Pontifex maximus: Iurauit, ut esset sanctus, purus, mũdus, & segregatus à peccatoribus, ut omnium peccata tollere posset. Et quia iurauit, ideo quieuit super eum spiritus, & illud maius omnibus, quod dedit ipsi Pater: Vndè æquatur illud tertiũ, scilicet שבת Sabat, quod Hebræi dicũt cõuenire cũ iuramento, & septenario: & quietem significat. Quieuit igitur septiformis spiritus in eo & septenarius ille excelsus, quia iurauit Pater omnipotẽs ad eũ, ut semper sanctus, & diuinus permanens alios sanctificaret, & diuinos faceret.

(Margin: Isaias · CHRISTVS. · Origen. · Isaias · Moses. · Aaron. · Isaias. · Dauid · Ioann. · Hebræi.)

Quomodo fuerit sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Cap. X.



Qui iureiurãdo constituit Christum nostrum Pontificem maximũ statuit eum secundum ordinem Melchisedech: Quod cũ omnibus innotescat, uideamus igitur quis sit ordo Melchisedech, secundum quem Christus constitutus est. Discußis itaque his, quæ in Genesi Genesis.

Paulus legimus, & his quæ à Paulo cum Hebræis pertractantur de hoc Melchisedech, quinque reperimus, in quibus Christus noster cum ipso conuenit: Quatuor tanguntur à Paulo, quorum primum est: quoniam Melchisedech inducitur in scriptura sine patre, & matre, neque initiū dierum, neque finem habens, sic filius Dei constitutus est sacerdos sine principio, & fine dierum, cū sit æternus: nec in eius Idem sacerdotio assignatur pater, aut mater: Ideo inquit Paulus: In hoc Melchisedech Rab. Sal. Hebræi Hieron. Sem assimilatus est filio Dei. Dicit tamen Rabbi Salomon, & cum eo multi sapiētes Hebræorum, quibus consentit Hieronymus, ꝙ Melchisedech est nomen appellatiuum, & significat regē iustū, cuius nomen proprium est Sem: ille utique filius Noë: & sic habemus patrē eius, quamuis non expressè à scriptura: Sic & Christi nostri habemus patrem, quamuis non expressum, ubi de sacerdotio eius agitur. Secundum est; quia fuit rex Salem, id est pacis, Christum nostrum Pontificem, & regē ueræ pacis significans: qui uenit dare, & relinquere eā uerā pacē nobis: quam mundus dare non potest: Ideo introëunte ipso in mundum ministri eius cantabant: Et in terra pax hominibus bonæ uolūtatis: Et relinquens mundū CHRISTVS. ipsemet dixit discipulis suis: Pacem meam do uobis, pacem relinquo uobis, non quomodo mundus dat, ego do uobis. Tertium est nominis interpretatio, quæ est Isaias rex iustitiæ, quadrans cum nostro Christo, de quo Isaias ait: Et regnabit rex, & sapiens erit: & faciet iudicium, & iustitiam in terra. Quartum, quod ex hoc infertur, quia sicut Melchisedech fuit rex & sacerdos, sic & Christus: Qui ideo uenit de tribu regali Iehuda, ut & regnum assumeret hæreditario iure secundum carnem, sicuti & à Patre cœlesti acceperat, quod etiam nobis daret si- Ioan. mul cum sacerdotio. Hinc Ioannes in Apocalypsi: Et fecit nos regnum, & sacer- Petrus. dotes Deo, & Patri suo: Cum quo Petrus scribens aduenis dispersis Ponti, & Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ dixit: Vos estis genus electum, regale sacerdotium. Quintū, quod magis pondero, est oblatio, quæ facta repitur ab isto Melchisedech in solo pane, & uino, nulla mentione habita de animalibus, aut aliis quibuscunque rebus: Ritus quidem conuenientissimus Pontifici nostro Christo Iesu, qui omne sacrificium conclusit in solo pane, & uino, tanquam in primaria substātia humani cibi: Cui sacrificio omnis sanguis, & occisio animalium, & quodcunquē aliud offerebatur in lege, cessit: cum modo non indigeamus sanguine, in quo mundemur: quia iam in sanguine Christi perfectè mundatum est humanum genus: & omnia, quæ erant inmunda tunc: quia nostra lex est gratiæ, & aquea, undè non intramus amplius in hanc legem, aut in christianam familiā per sanguinem circuncisionis, sed per aquam baptismatis, tum etiam, quia nihil expressius figurat corpus mysticum uniuersalis ecclesiæ, cuius Christus est caput, quàm panis: Hic enim conficitur ex multis granis, & est communis, & uniuersalis cibus omnium nationum: sicut hoc corpus mysticum conficitur ex multis indiuiduis cuiuscunque nationis, quæ sub cœlo est. Hinc dicitur congregatio ista ecclesia catholica, id est uniuersalis. Et nihil magis consonum uitæ, quam Chri-

ſtus uenit nobis daturus, quàm ſanguis in quo potiſſimè reſidet uita, ut multi ſapientes affirmant & ex ſcriptura ſacra ſatis clarè coniicere poſſumus. Hic eſt igitur ordo Melchiſedech, in quo Chriſtus noſter cõſtitutus eſt ſacerdos, & Põtifex maximus. Et huic tanquam ſummo Pontifici detulit Abraham dans decimas de omnibus, & accipiens ab eo benedictionem. Ex quo concluditur Melchiſedech maiorem fuiſſe quàm Abraham, per argumentum Pauli, qui ait: Sine ulla contradictione, qui minor eſt à meliori benedicitur. Cum igitur acceperit decimas ab Abraham, & conſequenter à Leui: qui adhuc (inquit Paulus) erat in lũbis eius, & benedixit ei, maior fuit quàm Abraham, & Leui: & eius ſacerdotium maius quàm ſacerdotium leuiticum, & legale: id maximè (ut ponderat Apoſtolus) quia legale ſacerdotiũ in illud Melchiſedech transferri debebat, id eſt in ſacerdotiũ Chriſti, qui cõſtitutus fuit ſacerdos ſecũdũ ordinẽ Melchiſedech: Ideo ipſe Chriſtus non fuit de ſacerdotio Aaron, neque de tribu Leui, ſed de tribu regali Iehuda: ut intelligatur, ꝙ ſacerdotiũ Chriſti fuit regale, & ſecũdũ uerum ordinem regis iuſti: Vndè hæc conteſtatio, Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, reprobatio quidem fuit prioris mandati, & ſacerdotij, tanquam infirmi & inutilis, cum ad nullam perfectionem deducat lex. Ceſſare igitur debebat ſacerdos, qui ſecundum legem mandati carnalis factus erat, & ſurgere ille, qui ſecundum uirtutẽ erat uitæ indiſſolubilis: Hæc ex Paulo deduximus. Cur autem Chriſti ſacerdotium æternum figurabatur in ſacerdotio Melchiſedech? Ad hoc reſpõdens dicam cum Hieronymo: Si uas electionis ſtupet ad myſterium, & de quo diſputat ineffabile confitetur, quanto magis nos uermiculi, & culices ſolam debemus ſcientiam inſcitiæ confiteri, & ampliſſimam domum paruo quaſi foramine uidiſſe? Grãdis enim eſt ſermo, & interpretabilis ad dicendum, cur ſine genealogia inductus ſit Melchiſedech. Et ſi uerum dicunt Hebræi, ꝙ fuerit Sem, quid importat hoc nomen Sem, quod interpretatum Latinè nomen ſignificat? Illud fortè nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ſicut quando dicitur uirgo, intelligitur Virgo, quæ eſt ſuper omnes uirgines: Et Apoſtolus ſuper omnes Apoſtolos: & Pater ſuper omnes patres, & ut breuiter ex omnibus cõcludamus, in Melchiſedech erat aliquid diuinũ, & permanens, in quo repræſentabatur ſacerdotium Chriſti æternum: de quo (ut inquit Paulus) effari non licet, ideo ad alia ueniamus.

Paulus | Idem | Idem | Hieron. | Paulus

Quanto maior, & melior ſacerdos fuerit Chriſtus quàm Aaron, & omnes ſacerdotes legales. Cap. XI.


Erum quantum Chriſtus noſter Pontifex maximus alios omnes ſacerdotes leuiticos, & legales exceſſerit, Paulus cum Hebræis diſſerens apertè demonſtrat: Vbi, poſtquam multa enarrauit de ſacerdotio legali & tabernaculo, ſubintulit: Chriſtus aſſiſtẽs Põtifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id eſt non huius creationis: Neque per ſanguinem hircorum, aut uitu-

Idem

lorum, ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta. Sex à Paulo tanguntur, *in quibus Chriſtus fuit perfectior, & excellentior pontifex, quàm legalis & figuratiuus:* Primo *quia illi impetrabant propitiationem à Deo, qua placatus faueret in bonis temporalibus, ut patet in tota promiſsione legis, qua dicitur:* Si *audieritis me, bona terræ comedetis:* Et *poſſidebit ſemen ueſtrum portas inimicorum ſuorum:* Et *unus ex uobis fugabit mile & duo decem milia, & huiuſmodi:* Q*uæ omnia temporalia erant, quamuis eſſent figura æternorum.* Ad *quæ ſapientiores aliquando introcedebant loquentes de ſæculo futuro, de beata uita, & de uero paradiſo delitiarum:* Ad *cuius ſtatum non deueniebatur per ſacrificium, ſed per meliorem ſortem, & pretioſam mortem ſanctorum, ſicut deuenerāt prophetæ.* Sed *loquamur de ſacrificio, per quod tantummodo expiabantur peccata aliqua, & non omnia:* Vndè *ab illis expurgati nō merebantur præmium æternum, ſed ea quæ ſecundum præſens ſæculum promittebantur.* Noſter *autē Pōtifex factus eſt (inquit* Paulus*) futurorum bonorum, ideo per amplius & perfectius.* Secundo *loco ſacerdos leuiticus introibat tabernaculum manufactum, imò ligneum, poſteà lapideum erecto templo:* Sed *noſter* Pontifex *introiuit tabernaculum non manufactum, id eſt non huius creationis:* Per *quod tabernaculum* Origenes *cœlum intelligit:* Q*uod confirmari poſſet teſtimonio* Pauli *dicentis:* Habemus Pontificem *maximum, qui penetrauit cœlos,* Ieſum *filium* Dei: Et *iterum:* Talem *habemus pontificem, qui conſedit in dextera ſedis magnitudinis in cœlis ſanctorū miniſter, & tabernaculi ueri, quod fixit* Deus, *& non homo.* Ipſe *autem* Origines *dictum ſuum roborat teſtimonio diui* Citharœdi *dicentis:* Hæc *recordatus ſum, & effudi in me animam meam: quoniam ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, uſque ad domum* Dei: Et *iterū in alio pſalmo:* Domine *quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?* Q*ui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam.* Et *quis eſt locus tabernaculi admirabilis, ex quo peruenitur uſque ad domum* Dei? Et *quod eſt illud tabernaculum, cuius memor factus propheta effuſa eſt in ipſo anima eius, ueluti quodam intolerabili deſyderio reſoluta?* Non *quidē erat illud ex pellibus caprinis, & cortinis byſsi, purpuræ, hyacinthi, & cocci:* Nec *illud quod ab* Allophylis *captū eſt:* Nec *illud, quod à filio fabricādū erat:* Sed *tabernaculum* Paternum, *quod diuiſum in plures manſiones in plurali nominatur à* Chriſto *dicente:* Facite *uobis amicos de mamona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiāt uos in æterna tabernacula.* Et *à* Regio *propheta in pſalmo:* Q*uam dilecta tabernacula tua* Domine *uirtutum; concupiſcit & deficit anima mea in atria* Domini. Tabernaculum *igitur hoc non manufactum eſt cœlū, quod non manu hominum, ſed uirtute & iuſſu* Dei *fabricatum eſt.* Eſt *& aliud tabernaculum, in quo* Deus *habitare delectatur, quod templum* Dei *uocatur à* Paulo *dicente:* Templum Dei, *quod eſtis uos.* Anima *igitur uniuſcuiuſque mundata & purificata eſt templum, &* tabernaculum Dei: Et *hoc non manufactū,*

[Margin notes: Paulus; Dauid; CHRISTVS.]

& non huius creationis, uel fabricè, qua scilicet materialia hæc omnia fabricata sunt, sed modo quodam singulari Dei ore insufflatum. Tertio quia legalis põtifex accedebat in sancta in sanguine hircorum, uitulorum, arietum, agnorum, passerum, & columbarum, uel in cinere uitulæ asperso, & huiusmodi: Quæ omnia animalia sunt, & ad animalem hominem expurgandum pertinentia: Christus autem introiuit per proprium sanguinem in sancta, ut omnia emundaret tanto melius, quanto sanguis, non dicam hominis, sed filij Dei sanctissimi pretiosiorem, quàm sanguis animalium, quo mundabatur animalis homo: Et consequenter tanto perfectius sacerdotium Christi mundantis in sanguine proprio, quàm sacerdotium legale mundans in sanguine animalium. Cur autem omnia penè (ut inquit Apostolus) mundentur in sanguine (pene inquit, quia uasa metallorũ purgabantur igne, & alia uasa & uestimenta aqua mundabantur, ut in libro numerorum legimus) id in causa esse existimo, quia peccatum trahit originem à sanguine & carnæ, ideo expiatio fieri debebat per sanguinem: Tribunal enim iustitiæ Dei exquirens pœnam, ubi fuit peccatum, uult ut sanguis effundatur, & comprimatur caro, quæ fuerunt fomenta peccati: Sed in sacrificio legali & figuratiuo, quod non plenè expiabat, fiebant expurgationes in sanguine figuratiuo animalium. Veniens autem Christus, promittens, & dans cœlestia, effectus caput omnium membrorum huius mystici corporis, sanguinem non humanum peccato obnoxium, & non animalium, sed pretiosissimum quoque super omnes sanguines, qui erant in hoc mystico corpore pro expiatione omniũ fudit. Hinc Paulus noster ait: Necesse erat, ut exemplaria cœlestium illis animalium sacrificiis mũdarẽtur: hæc autem cœlestia melioribus hostiis, quàm istis, id est sanguine Redemptoris, ut inquit Ioannes in epistola: Sanguis Iesu Christi emundauit nos ab omni peccato: Et in Apocalypsi: Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo: Iamq́ue omnibus notum est, ꝙ Christus patiens non in sanguine animalium figuratiuo, sed in proprio sanguine satisfecit tribunali iustitiæ diuinæ. Quarto quia sacerdotes legales toties, quoties pro peccãtibus ad ipsos recurrentibus impetrare uolebant propitiationem, introibant in sancta, mactabãtq́ue animalia: Noster autem Pontifex Christus introiuit semel in sancta: quia semel in crucem ascendit offerens se Deo Patri, & satisfaciens pro omnibus nõ figuratiua, sed uera satisfactione, etiam pro præcedẽtibus patribus: Quia hæc oblatio facienda iam accepta fuit à Patre ante mundi constitutionem, & in ea expiabantur quotquot salui fiebant: ut expressè inquit Ioannes in Apocalypsi: Adorauerunt bestiam omnes, quorum nomina non sunt scripta in libro uitæ agni, qui occisus est ab origine mundi. Et Petrus: Nõ corruptibilibus auro, & argento redempti estis de uana uestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi, & incõtaminati, præcogniti quidem ante mũdi constitutionem, manifestati autem nouissimis temporibus. Quibus uerbis citra omnem ambiguitatem declaratur sacrificiũ huius Põtificis no-

Paulus | Idem | Ioan. | Apocal. | Ioan. | Petrus

stri Iesu factum de seipso praeordinatum fuisse ab aeterno, ut ipso mundaretur etiam Hebraicus populus à coinquinationibus, à quibus non poterant per sacrificia animalium emundari. Quinto in eo, quod ait: Aeterna redemptione inuenta: Quae uerba duplicem possunt habere sensum: Alter est, ꝙ simus redempti à peccato & ducti ad aeternam gloriam: Alter, ꝙ noster Pontifex Iesus adinuenerit redemptionem, quae unica est & aeterna, adeo, ut alia non indigeamus, sicut indigebant illi Patres antiquae legis, qui expectabant hanc redemptionem: Et hoc interim plures faciebant redemptiones: Redimebant enim primogenita certo pretio: Nam primogenitum asini redimebant oue, & facultates uenditas, & libertatem redimebant anno iubilei. Sed & ipse populus totus redẽptus fuit de Ægyptiaca seruitute, iterum captiuandus: Et pluries redempti sunt aliquãdo generaliter, aliquando uerò particulariter, nunc ab una, nunc ab alia seruitute, nunc à peccato, nunc ab obligatione: Christus autẽ semel redemit nos aeterna redemptione inuenta: Redemit inquam propriè, & non emit: quia iam antè per naturã ipsius eramus, licet admodum nostris ab eo auersi delictis. Redẽptis quidem omnibus nihil deest, nisi ut consequamur effectum huius redemptionis: Quem consequi possumus, si tamen uolumus, quia fons baptismatis, ubi illum effectum consequimur, omnibus iam patens est. Patet & aerarium gratiae, & remissionis: Nam facta redemptione ministros, & executores ipsius reliquit tribuens eis omnimodã eiusdem redemptionis distribuendae potestatẽ dicẽs: Quorum remiseritis peccata, remittẽtur eis. Et iterum: Quaecunque solueritis super terram, erunt soluta & in caelis. Ex quibus omnibus sextũ infertur maximè põderandum, ꝙ ex sacrificiis legis non iustificabatur homo, sed per Christum, ut Paulus Romanis scribens aperta uoce testatur dicens: Ex operibus legis, tam naturalis uidelicet, quàm scriptae non iustificatur omnis caro coram illo: Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi, in omnes, & super omnes, qui credunt in eũ: Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei, iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Iesu: quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostẽsionem iustitiae suae propter remissionem praecedentium delictorum: quae punire decreuerat, nisi uidelicet mediator redemisset satisfaciens tribunali iustitiae: Quã satisfactionem iustus & clemens Deus acceptauit iustificans eos, qui ex fide Iesu Christi sunt, & non per legem naturalem, aut scriptam: Nam cognitio peccati fit per legem, naturalem uidelicet, ut cõcordes interpretantur Hieronymus, & Origenes: quia ex ea quilibet diiudicare potest, quid iustum, & quid iniustũ, ut idem Paulus paulo superius dixerat: Cum enim gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt faciunt, eiusmodi legẽ non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostẽdunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationum accusantium, atque defendentium. Et hac lege obstruitur omne os, & subditus fit omnis mũdus Deo: Quod de lege scripta

CHRISTVS.

intelligi non potest, cum non ligaret omnes, nec obstrueret omnium ora: quae tantummodo Israëliticis data erat: Quae nec iustificabat, nisi à peccatis commissis per errorem & aliis uel paucis, quae secreta erant, & non ueniebãt morte mulctanda: Scelera autem, rebelliones, & iniquitates, quae sunt acriora peccata, nõ remittebantur in lege neque per sacrificia, neque per orationem sacerdotis, sed morte propria expiabantur: ut patet de blasphemo, homicida, adultero, coëunte cum bestiis, & contra naturam: Qui omnes lapidari, aut cõburi iussi sunt, ut in diuersis locis librorum legalium legimus: Ideo inquit Apostolus cum Hebraeis: Paulus
Impossibile est in sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum noster Pontifex maximus, & Dei uiui Filius dicit: Hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi, in quo, scilicet offerrẽ sacrificiũ pro omnibus: Holocaustomata & pro peccato tibi non placuerunt, tũc dixi: Ecce uenio: In capite libri scriptũ est de me, ut facerẽ uoluntatẽ tuã, Deus meus uolui: iuxta illud Isaiae: Oblatus est, quia ipse uoluit. Supius dixerat, quia hostias, Isaias.
& oblationes, & holocaustomata, & pro peccato, scilicet sacrificiũ peccatariũ noluisti, tunc dixi, ecce uenio, ut faciã uoluntatẽ tuã. Aufert primũ, scilicet sacrificium legis: ut sequens statuat, Christi uidelicet oblationem: undè sequitur: In qua uoluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel. Et omnis quidem sacerdos praesto erat quotidie ministrans, & easdem semper offerens hostias, quae non possunt auferre peccata: Hic autem unam pro peccatis offerẽs hostiam, in sempiternum sedet ad dexteram Dei de caetero expectans, donec ponantur inimici eius scabellum pedum ipsius: Vna enim oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos: Quae adeo clara sunt, ut expositione nõ indigeant: Ideo Dauid, qui commiserat adulterium, & homicidium, sciens huiusmodi sacrificiis emundari non posse, clamat, & dicit: Quoniam si uoluisses sacrificium dedissem, utique holocausta non uoles: pro quo habemus: holocaustis non Dauid
delectaberis. Et cum nihil aliud facere posset, nisi dolere de peccato expectans redemptionem à coelo, aut in aduentu Messiaeh, aut in sua passione praeuisa, dicit: Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies. Sed quia non erat exhibita passio, ideo supplicium mortis effugere non potuit, sed ei dictum est per Idem
Natam prophetam, ut patet in secundo uolumine Regum: Quare contempsisti uerbum Domini, ut faceres malum in conspectu eius: Vriam Etheum percussisti gladio, & uxorem illius accepisti in uxorem tibi, & interfecisti eum gladio filiorum Amon: Quamobrem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum: Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam mulieres tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & iacebit cum mulieribus tuis in oculis solis huius. Hoc tantum impetrauit, ut mortem non subiret, forsitan merito Christi uenturi, quem maximo affectu decantauerat fore redemptorem, & saluatorẽ mundi, caetera autem mala ipsi praedicta sustinuit: Expulsus enim fuit à filio stupratis eius mulieribus, uidit mortem Amõ, & Absaló filiorum suorum: Natam Li. Regũ

Adonias autem statim post eius mortem, iubente Salomone, neci traditus est. Hic autem noster Pontifex maximus omnia scelera expurgauit, & omnia peccata tulit per sacrificium, quod tulit: ut pulchro Isaiæ oraculo prædictum fuerat והוא מחולל מפשעינו מדכא מעונתינו. Et ipse infirmatus est propter impietates nostras, & attritus est propter iniquitates nostras: Quæ impietas, & iniquitas Hebraicè dicta עון hauon, & פשעה passah, non remittebantur per sacrificium legale: Ideo clementissimus Pater hæc omnia posuit super humeros Filij sui, qui sese offerens in sacrificium omnia tolleret. Et quia non omnes huius expiationis beneficium consequi uolunt, ideo sequitur: Et ipse peccata multorum tulit, illorum uidelicet, qui saluari uolunt: Et pro transgressoribus orauit, faciẽs, quod in se est pro omnibus: Qui si non consequuntur salutẽ, ipsis imputetur: quia nolunt eam sibi acquisitam complecti.

Christus fuit uera hostia, & omnigenum sacrificiũ, & oblatio. Cap. XII.



Oblatus itaque pro nobis effectus est uera hostia, holocaustum, sacrificium, peccatarium, culpatarium, pacificorum cherbona, id est oblatio, munus, & quicquid in lege offerebatur. Hostia enim & uictima est illa, quæ offertur (ut docẽt authores nostræ linguæ) quãdo quis aggreditur hostes aut de eis uictoriam, uel triumphũ reportat: ut Poë-
Ouidius. ta in huiusmodi peritissimus decantat: Victima, quæ dextra cecidit uictrice uocatur: Hostibus à domitis hostia nomen habet. Christus itaque aggressus hostem humani generis seipsum obtulit Patri hostiam uiuam, & eum deiiciens, & debellans se in uictimam mactauit, ut simul uictoriam reportaret, & se in ho-
Paulus stiam de hostibus debellatis offerret: Ideo inquit Paulus cum Ephesiis: Christus dilexit nos. & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo
Idem in odorem suauitatis, ut nos, debellatis hostibus, eriperet ex eorum manibus: Et iterum cum Hebræis ait: Nunc autem semel in consummationem sæculorum, ad
Orige. destructionem peccati per hostiam suam apparuit. De qua hostia Origenes multa disserit in epistolam ad Romanos. Fuit quoque Christus holocaustum, quod apud Latinos totum combustum significat: Hebraicè autẽ dicitur העולה haholah, quod propriè interpretatum dicitur ascendens: Combustus enim fuit totus igne amoris, & consumptus, & transmutatus in naturam spiritualem. Hinc demonstrans qualis futurus erat, transfiguratus fuit ante eos, mutato corpore passibili, obscuro, & graui in corpus agile, lucidum, & impassibilè: Sed non stetit, quia non adhuc oblatus in holocaustum erat uerè combustus, & transmutatus: Post factum autem holocaustum in cruce suscitans se ostendit (ut erat) penitus transmutatum, intrans clausis ianuis, apparens quando uolebat, & se occultans ad nutum: & tandem leuissimus effectus multis uidentibus ascendit gloriosus: Vndè accommodatè dictus est עולה holah, id est ascendens. Cõbustus igitur, & uirtute diuini ignis in naturam ipsius ignis, & spiritus trans-

mutatus ascendit ad Patrem, præstita primo fide discipulis per quadraginta dies de ueritate suæ resurrectionis: Et ascendens in altum quamplurimos conscẽdere noluit secũ, iuxta illud prophetæ: Ascendẽs in altum captiuam duxit captiuitatem. Fuit quoq; sacrificiũ oblatum pro peccato, quod Hebræi חטאת batat uocant, & propriè interpretando nihil accõmodatius dicere possumus, q̃ peccatariũ ab חטא bata, quod est peccatũ: De quo sacrificio, inquit Paulus cũ Corinthiis: Qui non nouit peccatum, pro nobis peccatarium se fecit: pro quo mendosi codices habent, pro nobis peccatum fecit: Quomodo enim qui nõ nouit peccatum, potuit facere peccatũ? Et quẽ fructũ nobis attulisset faciẽs peccatũ? Nec placet illa expositio à nonnullis data: fecit peccatũ, id est se obtulit pro peccato: quia & si conueniunt in sententia, non tamẽ illa interpretatio conuenire potest. Fuit igitur peccatariũ, id est pro omniũ peccatis oblatũ. Fuit etiã culpatariũ, sacrificiũ uidelicet oblatũ pro culpa, aut pro errore, ut propriè loquamur: Quod sacrificium in lege אשם assam dicitur: quod nos traductum habemus, pro delicto: In quo à sacerdote, uel uncto peccante, & à turba offerebatur uitulus, à principe uerò hircus: Sed uulgaris anima capram offerebat, uel ouem, ut in Leuitico legimus: Et sanguine partim intincto digito sacerdotis aspergebatur cornu altaris, partim ad ipsius basim fundebatur: Quæ omnia plena sunt sacramentis: Vitulo enim hirco, & capra placabatur tribunal diuinæ iustitiæ, cui omnia illa correspondent: quæ etiam significant in homine partem illam, in qua est fomes peccati, ut non sine causa suscepturi sententiam, & Dei iustitiam punitiuã à Saluatore comparentur hœdis, qui sunt caprini, & hircini generis: Per quæ animalia cæsa, & sacrificata facilè placabatur Deus, errore in parte excusante: Et aspergebatur cornu altaris erecti ante ipsum tribunal sanguine ipsius animalis oblati ad placandas cœlestes uirtutes, quæ sanguinem exquirunt ab his, qui peccant secundum carnem, & sanguinem, ut secundum rectitudinem iustitiæ quisque puniretur per ea, per quæ & peccauit. Et hoc fiebat digito sacerdotis, qui tanquam mediator interuenit ad placandum Deum cũ homine peccante. Christus autem non solũ Sacerdos, & Pontifex, sed etiã hircus, uitulus, ouis, agnus, & omnimodum sacrificium effectus, ut statim declarabimus, ipsemet fundens sanguinem proprium in quolibet cornu altaris crucis peramplius, & perfectius placauit Patrem æternum, & tribunal iustitiæ suæ, quàm fiebat sanguine animalium. Nec uacat à mysterio sanguis, qui fundebatur ad basim altaris, in multo maiori quantitate, quàm is, quo aspergebatur cornu altaris, quia multo plus est sanguis, & meritũ per effusum sanguinem acquisitum, quod superabundat, & reseruatur, q̃ ille sanguis, uel meritũ expositũ ad cornu altaris digito ueri sacerdotis in purificationem peccantis: Sãguis enim Christi, & meritum eius suffecisset, & sufficit pro millibus & millenis millibus mundis, ut dicunt nostri Theologi. Maior est igitur pars, quæ superabũdans reseruatur, q̃ illa, quæ in nostram actualem expurgationem exponitur. Sed hoc quoque aduertẽdũ est,

David

Paulus

Leuitic

quòd hæc pars, qua emũdamur, digito sacerdotis aspergitur: quia merita Christi dispensantur nobis per manus sacerdotis, ut in Actibus Apostolicis legimus: Per manus autem Apostolorum fiebant signa, & prodigia multa, data uidelicet ipsis potestate per sanguinem, & meritum Christi. Hinc Paulus ad Timotheum: Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum: Et in priori epistola ad eundem: Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per impositionem manuum presbyteri. Et iterum in actibus Apostolicis dicitur: Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritũ sanctum: Quæ omnia dicta sint ad denotandum, quòd merita, & dona Christi dispensantur per manus sacerdotum, & ministrorum suorum, largè & apertè, sicut sanguis figuratiuus parcè aspgebatur solo digito sacerdotis legalis. Quòd autem uitulus, hircus, capra, uel ouis oblata pro peccato Christum figurarent, habemus ab Isaia dicente: Omnes nos sicut oues errauimus, unusquisque in uiã suã declinauit: & posuit Dominus in eo iniquitates omniũ nostrũ: Oblatus est quia ipse uoluit: Tanquam ouis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente ipsum, non aperuit os suum. Ecce quomodo nunc ouis, nunc agnus dicitur oblatus, pro expurgandis peccatis. Fuit etiam hostia pacificorum, quæ in lege dicitur זבח השלמים zebab aselamin: Quod clarissimè reseratur à Paulo scribente ad Colossenses: Pacificans per sanguinẽ crucis eius, siue quæ in cœlis, siue quæ in terris sunt. Et uos cum essetis aliquando alienati & inimici sensu in operibus malis, nunc reconciliauit in corpore carnis huius per mortem exhibere uos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso, si tamẽ permanetis in fide fundati, & stabiles, & immobiles à spe euangelij, quod audistis, & quod prædicatum est in uniuersa creatura, quæ sub cœlo est. Quæ uerba Apostoli ponderanda sunt, & attendenda quàm clarè excludant à benefico effectu perpetrato à nostro Pontificè maximo Christo in cruce pro nobis eos, qui nolunt ipsius cooperatores esse, consentientes & firmiter custodientes ea, quæ ipse donauit: quia (ut sæpius diximus) uult, ut simus cooperatores eius: ut pretiosius sit nobis præmium, & illi iustius, quod dat nostris interuenientibus operibus. Fuit etiam munus quod קרבנה cherbonah, & apud nos oblationem sonat: in quo quam optimè denotatur Christus, qui sponte sua oblatus est, ut inquit Isaias: Et Paulus de eo cum Ephesiis dicit: Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem: & hostiam Deo in odorem suauitatis: Et iterum cum Hebræis: Sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel. Fuit etiam munus, quod מנחה minha dicunt Hebræi, & aliud genus doni, & ipsum sponte oblatum significat, quasi in signum amoris sine aliqua obligatione: Et differt à cherbonah, quod dabatur quodammodo in signum feudi, & subiectionis. Hoc igitur donum in signum amoris datum quàm optimè Christum significet, explicat Paulus cum Romanis dicens: Deus proprio filio non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum: Et cum ipso, qui continet

Act. Ap. — Paulus — Idem — Act. Ap. — Paulus — Isaias. — Idem

omnia, omnia donauit, ut subinfert Apostolus inquiens: Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Et cum nihil habeamus, quod non acceperimus, æquum est, ut & apophoreta reddamus distribuentes hæc pauluscula, & uilia bona terrestria suis patientibus membris, & egentibus: cor autem, & animum, atque amorem demus illi, qui omnia nobis dedit, id maximè ipso acclamante: Date, & dabitur uobis: Date de terrenis unum, & dabo de cœlestibus centum: Date uos mihi uiles, & seruos: & dabo uobis meipsum Dominum. CHRISTVS.

Quomodo Christus fuerit uerus agnus. Cap. XIII.



Rimum sacrificiorum, quod mactauerunt filij Israël, fuit agnus, quem iussu Dei præparauerunt pro paschate, id est pro transitu de Aegypto celebrãdo: Cuius præparatio hæc fuit, sicut in Exodo legimus. Mensis iste Martij, quem Hebræi ניסן nisan uocant, erit uobis primus in mensibus anni. Bene quippe primus cum in ipso datum fuerit principium nouæ uitæ, non primus, eo quod in ipso fuerit mundus fabricatus, quia ex lege, & clarius à sapientibus Hebræis habetur, quòd mundi fabrica facta fuit in mense Septembris, eo uidelicet tempore, quo sata maturescũt, & arbores suos fructus reddunt, ut sicut homo introductus fuit in domum iam pleno ædificio constructam, ita adinueniret matura, & præparata ea, quæ ad uictum humanum pertinent: Quod tempus celeberrimum habent Hebræi, & dies remißionis uenerantur: Quibus sicut Deus munificus fuit in fabricando, ita esset in remittendo. Hinc conuenienter denominatur hic mensis Septembris à numero septenario remißiu: Sed ab Hebræis תשרי tisri quasi dirigens, & æquilibrans omnia. Celebrant quoque eodem mense festum tabernaculorum, sed de his aliàs. Dictus ergo fuit ille mensis primus, non respectu creationis, sed reuouationis ipsius mundi. Sequitur edictum Dei: In decima die mensis tollat unusquisque Agnum per familias, & domos suas: Qui denarius numerus quidem completus denotat plenum curriculum uitæ, & consummatum opus, quod tunc expleuit author uitæ: in cuius typum agnus legalis immolari, & comedi iubebatur. Nec attenditur hic numerus materialis, sed ratio formalis cõplementi, quæ est in denario: ad quod potißimè spectant, qui philosophantur, & theologizantur per numeros. Iussus itaque fuit tolli agnus per familias, & domos eo numero, & distributione, quæ sufficeret uescentibus: & ipsi totum uesci possent, ut nihil remaneret abiiciendum, nec deficeret comedere uolentibus. Iam incipiunt sacramenta rerum spiritualium, quæ omnibus accipientibus, quotquot sint, sufficiunt: nec aliquid proiiciendum restat: in quorum figura illud de agno typico datum erat præceptum. Sitqueagnus anniculus, qui mensium, & totam reuolutionem cœli susceperit, ut plenus sine macula, & perfectus eum meritò figuraret, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus, aut error uel defectus in ore, uel operibus eius. Iuxta quem ritum tolles & hœdum,

Exodus

qui ad sinistram dicitur collocandus, sicut agnus ad dexteram: undè innuitur, q Christus per illa duo animalia figuratus medium tenet de utróque latere participans, regnans in domo Iahacob media inter Abraham & Isahac: In quo com
Dauid pletum est illud Dauidici oraculi: Misericordia & ueritas obuiauerunt sibi: iustitia & pax osculatæ sunt: Iustitia enim & ueritas cum hœdo in latere sinistro Archetypi collocantur: misericordia autem & pax cum agno in dextera: medium uerò locum tenet mediator Christus Iesus. Seruari quoque iubetur agnus usque ad uesperam quartidecimi diei, quo immolaretur adueniente quintodecimo die & plenilunio: à nouilunio enim incipiebat mẽsis. Sed quid expectabatur Luna in iis quæ significabant Christum, & Dominum, qui nec Lunæ nec Soli, nec stellis subiicitur, sed omnium fabricator omnibus imperat? Dicimus quòd non expectabatur plenilunium huius septimi erratici sideris, sed superioris: cuius hoc simulachrũ gerit. Luna quoq; domum figuratiuã significat, quæ habuit suam plenitudinem in Dauid, qui fuit quartusdecimus ab Abraham, à quo cœpit illa domus, & in Salomone, qui fuit quintusdecimus, in quo perfectum fuit plenilunium, & fœlicitas familiæ illius: A Roboam autem Salomonis filio deficere cœpit usque ad omnimodam occultationem, quæ facta fuit tempore Ieconiæ per captiuitatem Babylonicam. Duo itaque duces figurarunt istud plenilunium, Dauid scilicet & Salomon: sub quibus regnantibus habitus est cultus plenißimus Mosaicæ & figuratiuæ legis, qui & ambo figurauerant Christum sed
Idem. diuersimodè: Dauid enim multa perpessus imago fuit Christi patientis in car-
Salomon ne: Salomon autem fœlicißimè regnans typus fuit Christi resurgentis, & fœlicißimè post resurrectionem regnantis. Hinc ambo de ipso Christo prophetantes loquebantur sub persona propria, tanquam gerentes Christi imaginem, sed ille patientis, hic autem triumphantis. Plerique sacræ scripturæ loci hoc cõprobant, uerũ duo tantũmodo exempl' gratia subiiciamus: Ait enim Dauid: Foderunt manus meas & pedes meos: & alia quæ ibidem, & alibi prosequitur: quibus expreßißimè pingit Christũ patientem. Salomon autẽ ait: Venite & uidete Regem Salomonẽ diademate coronatum: & multa quæ in canticis de Christo triumphante canit sub uariis ænigmatibus, & hoc sub propria persona, quæ suo loco relinquimus declaranda. Plenilunium itaque, & consummatum opus legis expectauit figuratum per plenilunium, quod fuit sub illis duobus regibus: Altius autem conscendendo (ut theologiam Hebræorum prosequamur, qui diligentius de hoc pertractant) Luna est mensura infima archetypi nobis domestica: quæ nunc uacua, nunc semiplena, nunc plenißima dicitur, prout charismata suscipit à superioribus nobis communicanda. Hoc itaque plenilunium plenißimam illam innuit mensuram gratiarum, & omnium bonorum, quæ ab ea in se
Ioan. suscipiens Christus nobis per paßionem communicaret, iuxta illud Ioannis: De plenitudine eius omnes accepimus. Tunc igitur sumi præcipitur de sanguine ipsius Agni, & liniri uterque postis, & superliminaria domorum, in quibus

comedebant Agnum. Domus autem in qua comedimus, ecclesia Christi est: ostium ipse Christus, qui ait: Ego sum ostium. In quod non datur introitus nisi linitis postibus, & superliminari sanguine ipsius Christi ueri agni: quia per sanguinem eius datur introitus (inquit Paulus) ad Sion, & ad sanctam ciuitatem, & ad omnem salutem. Et tunc edent carnes nocte illa assas igni. Nobis quoque iussum fuit sub interminatione uitæ æternæ denegandæ, ut comederemus carnes huius agni, qui tulit peccata mundi: Nisi (inquit) manducaueritis carnem filij hominis, nõ habebitis uitam in uobis. Comedimus autem assas igni, illo utique igni, de quo dicitur: Ignem ueni mittere in terram. Et azymos panes cum lactucis agrestibus: Neque Deus adeo ponderat fermentum, ut iubeat exterminari animam de populo, quæ azymum non comedit, & habeat uel modicum fermentum in domo, sed propter ea, quæ fermentum significat, sub tanta comminatione prohibuit: Fermẽtum enim malitiam significat, quæ uel minima nõ admittitur in his, qui transitum uerum facturi sunt in Deum: quia modicũ fermẽtum (inquit Apostolus) totam massam corrumpit, & coinquinatio uel modica prohibet accessum ad Deum. Vult igitur Deus in hac solemnitate transitus ad nouam uitam spiritualem significari per trãsitũ illũ de Aegypto, ut comedantur azymi synceritatis, & ueritatis, & מרור merur, id est amaritudines, pro quo nostra traductio habet lactucas agrestes: Amaritudines enim comedendæ sunt: quia non potest fieri transitus ad meliorem uitam, nisi moriatur homo uita hac animali: Sed cum hoc fieri nequeat absque uiolentia, inde sequitur dolor, & amaritudo. Et hoc est, quod dixit uerus Dux huius transitus: Regnum cœlorum uim patitur, & uiolenti rapiunt illud. Violenti uidelicet deprædatores, & oppressores, atque homicidæ animalis hominis comprimendi, nullo respectu habito ad dolorem inde sequentem. Caput cum pedibus & intestinis uorabitis, & nõ remanebit ex eo quicquam usque manè. Totum igitur comedere debemus, sicuti manet totus sub utraque specie, ut omnibus partibus assumptis, secundum quoque omnes partes; ipso fauente, in eundẽ transformari ualeamus, & caput rationis, & pedes affectuũ, atque omnia interiora cordis migrent in ipsum Christũ, quẽ sumimus. Nec potest quis esse spiritualis, & diuinus, nisi secundũ totum: quia qui deficit, aut offendit in uno (inquit Iacobus) factus est omnium reus. Hoc autẽ diuinũ & sacrum conuiuiũ oportet, ꝙ fiat in uespere ipsa transitus, ut corroborati ualeamus transitũ perfectum facere. Quod autem dicitur, ut nihil relinquatur in manè, significat, quod de sacramento figurato nihil relinqui debet non assumptum, sed totum assumi: ut perfectè, & secundum omnes partes (ut diximus) transformemur ipsum. Si quid tamen remanebit, quod assumens non adhuc bene corroboratus comedere nequeat, comburatur igne amoris, fidei, & bonæ uoluntatis: quæ pro facto sufficit, quando quis non potest perficere, quod desiderat. Alienigena autem, à fide uidelicet, & peregrinus nõ existens de ecclesia nõ comedat, sed tantummodo illi, qui continentur in domo ecclesiæ: Vnde sequitur:

CHRISTVS. Paulus CHRISTVS. Paulus CHRISTVS. Iacobus

In una domo, id est in una ecclesia, & in una fide comedetur: Non enim profe rendæ sunt carnes, passimq́ue infidelibus exponendæ. Nec os illius confringetis:
Ioan. Quod Ioannes de ipso uero Agno crucifixo ad literam interpretatur dicẽs: Ad Iesum autem cum uenissent, ut uiderunt eum mortuuum, non fregerunt eius crura, ut scriptura impleretur: quæ dicit: Os non comminuetis ex eo. Si uerò ad corpus mysticũ referre uoluerimus, id quidẽ significat, ꝙ de mẽbris illis electis per ossa denotatis nullũ debebat comminui, iuxta illud, quod dixit uerus agnus: Om
CHRISTVS. nes quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquã. Si qui autem confracti sunt, ut filius ꝑditionis, illi non erant de ossibus suis, nec de ouibus suis: Nam ossa eius integra manserũt: & de ouibus inquit: Oues meæ uocẽ meã audiunt, & ego cognosco eas: & sequuntur me, & uitam æternã do eis: & non peribũt in æternũ, & non rapiet quisquam de manu mea. Postea tradens modũ comedendi aït: Sic autem comedetis illum. Renes uestros accingetis tenentes baculos in manibus, & comedetis festinanter: est enim phasce, id est transitus Domini. Quibus uerbis docemur, quòd primo debemus totam carnis uoluptatem comprimere, quæ potissimè in lumbis uiget, si aptè uolumus comedere cibũ, quo trãsmutemur in naturam spiritualem. Postea ꝙ habeamus calciatos pedes affectuũ, quos Christus uoluit etiam esse lotos, antequam comederetur agnus ille. Tenere insuper debemus in manibus, id est in operationibus baculum crucis, ut meritò in ea facientes opera nostra sint Deo grata: Comederéq; debemus festinãter: quia maledictus
Ieremi. homo, qui facit opus Dei negligenter, inquit Ieremias. Sed potissimè excussi debemus esse à negligentia in hoc opere, in quo tota summa negotij nostri concluditur, ut scilicet transformati in meliorem sortẽ Deo uiuamus, undè sequitur: Est enim phasce, id est transitus Domini, de seruitute Aegyptiaca ad regnũ: de tenebris ad uisionem pacis: de angustia ad regiones lætas, de palea, luto, & latere, ad mana, legem, & sapiẽtiam rerum diuinarum: de uita bestiali ad diuinã. Hinc sequitur: Et transibo per Ægyptũ nocte illa: percutiamq; omne primogenitum in terra Ægypti ab homine usq; ad pecus: & in cunctis diis Aegypti faciam iudicia: Ego Dominus. Primogenitus occidendus in hoc transitu est ille, de
Paulus quo Paulus: Prius quod animale, deinde quod spirituale: Prior enim natus est Esau, quem odit, postea Iahacob, quem diligit. Occidendus est ergo animalis homo, & Aegyptiacus, qui spiritualem opprimit, si uolumus facere uerum transi-
Idem tũ, & uiuere meliori uita: iuxta illud Apostoli ad Colossenses: Mortificate mẽbra uestra: quia cum mortui fueritis, uita uestra erit cum Christo. Et clarius cũ Romanis hoc (inquit) sciẽtes, quia uetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, & ultrà nõ seruiamus peccato: Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato: Si autem mortui sumus cũ Christo, credimus, ꝙ simul etiam uiuemus cum illo. Quo animali nostro mortuo fit iudiciũ in cunctis diis Aegypti, id est in his, quæ adorabat animalis homo, ut sequitur Paulus dicens: Non ergo regnet peccatum in uestro mortali corpore, ut obediatis cõcupiscen-

tiis eius: Sed neque exhibeatis membra uestra arma iniquitatis peccato: Peccatum enim uobis non dominabitur: An nescitis, quoniam cui exhibetis uos seruos ad obediēdū, serui estis eius cui obeditis? Dij igitur seruiētium peccato sunt, aut uenter, iuxta illud Pauli: Quorum Deus uenter est: Aut auaritia, quæ est idolorum seruitus: Aut diabolus, cui obediunt seruientes peccato: Quæ omnia iudicabit Deus, dicēte Apostolo: Esca uentri, & uēter escis, & Deus destruet hāc, & illum simul cū suggestore eorū. Et talis est differentia inter seruientes Deo, & inter seruientes peccato, qualis erat inter filios Israël, & inter Aegyptios: quia uidelicet illorū ædes erāt linitæ sanguine agni: Nam serui imò amici Dei, & hi qui iustificantur à peccato, habere debent superliminaria linita sanguine agni, qui tollit peccata mundi: quo mereantur tutelā ab angelo percutiente, gratiam bene operandi, & introitū ad cœleste regnum: Seruiētes autē peccato priuati illo sanguine uera omniū tutela occiduntur ab angelo percutiente, cū nō uideat in eis pignus reconciliationis: ideo sentiunt & primogènita, & omnem uirtutem eorum collisam, & tandem se in mari suffocatos, & penitus destructos. Paulus

De uirga Mosi, & cruce. Cap. XIIII.



Ltra agnum typicū affuit in illo trāsitu Israëlitici populi sacramentalis uirga, primo in conspectu Pharaonis admodum prodigiosa, postea in omnibus miraculis perpetratis in mari, deserto, & locis omnibus, quousq; intraret populus in terram promissionis insignis ualde: Quæ uirga, quamuis Mosi diceretur, uirtus tamen Dei citra omne dubium fuit: super quam sustentabatur Moses nulla propria uirtute confisus. Et inter alia, ipsius uirgæ auspicio perpetrata hoc insigne prodigium fuit, quod in terram proiecta in colubrum se erexit: Cuius cauda cum à proiiciēte foret apprehensa, iterum uirga apparuit: Vndè docemur, quod proiecta Dei uirtute, non operatur quis, nisi fauore colubri, qui præstigiorū author facillimè pro uirga subintrat fauens ad præstigia, cum ad uera miracula conuenire nequeat. Ad quorum præstigiorum exitum, qui semper malus est, aspicere debet sapiens, ut illa, & eorum authorē contemnens Deo uero operatori adhæreat: Ideo iussum fuit Mosi, ut apprehenderet per caudam, id est ad finem attenderet, & exitum uenenatorū, & letaliū præstigiorum, & ipsa fugans soli Deo inniteretur: Quod etiam indicant discalciamenta pedum, & pastura gregum post desertum: Iusserat enim Deus, ut pedes affectuum, quos calciatos habebat Aegyptiorum doctrinis discalciaret: quia locus, & terra, aut status, ad quē deuenerat, sanctus erat: Nō enim amplius in deserto loco uacuo diuinorum influxuum morabatur, sed post desertum magicæ, & Aegyptiacæ artis: Pro quo nos male habemus, ad interiora deserti: Non enim tunc in deserti penetralibus, sed post ipsum desertum morabatur, in Arabia uidelicet fœlice, in monte Sina multo influxu diuino irrigato: In cacumine enim illius montis, qui Oreb nuncupatur, cum Elia domesticè locutus est Deus: Et in alio uerticè eiusdē montis denominato Sina Mo-

si legem dedit multa cum eo familiarißimè agens, multáque ostendens prodigia, ut non desertum, sed locus irrigatißimus esset. Quæ etiam uirga diuinæ uirtutis proiecta coram Pharaone serpens uisa fuit, maximè ipsi, & suis sapientibus assuetis magicis artibus: qui omnia sua præstig. a uirtute antiqui serpentis perpetrabant. Hinc opinantes uirtutẽ Mosi præstitam ab ipso antiquo serpente processisse, opposuerunt ex aduerso uires, quas uerè à serpente malo acceperant, & uersæ sunt in serpentes: Sed uirga Mosi, id est uera diuina uirtus, quãuis serpens uideretur, uirgas illas, & uirtutes necromanticas deuorauit: ut indicaretur quòd uirga, id est uirtute diuina, quæ omnem uim dæmoniacam superat, miracula in Aegypto, mari rubro, & deserto perfecerit. Fœlicius autem uerus, & uniuersalis redemptor Christus uirga crucis sublimiora, & excellentiora prodigia peregit, quàm legislator Moses: cum ista uirtus Christi non solum uirga fuerit unica extẽsione cõtenta, sed & per transuersum transiens, quasi texturam quandam fortem & amplam ex stamine & subtegmine confecerit. Virga enim Iabacob & Mosi erecta erat tantũmodo in altum; sed hæc Christi ad omnem partem extensa fuit, in longum, latum, sublime, atque profundum: Id non tantum ad liberandum unicum populum Israëliticum præualuit, sed in totũ humanum genus, & aëreas potestates, has debellans, & illos sustentans, ut nihil remanserit, in quod non præualuerit eius uirtus. Et de hac loquitur Apostolus dicens: Vt poßitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas, atque profundum, scientiæ uidelicet supereminentis charitatis, & uirtutis Christi in cruce affixi: Cuius extensio, & intensio indicatur per ramos & ipsorũ angulos: Rami enim in altum, & profundũ, & per transuersum extendũtur, ut in diuersas, & omnes mundi partes protensi innuant uirtutẽ illã ubique diffusam. Sexdecim anguli, quatuor scilicet in quolibet stipitis capite, innuunt quantum sit eius uirtus intensa: Nam sexdenarius est primus numerus auctus ex duodenario primo crescente, & quo (ut supra diximus) crescentia omnia distributa sunt. Sed & hoc obseruandum est, quòd unus quaternarius in terra occultatur, fixo stipite in ipsa terra, uel lapide: & apparent patentes duodecim anguli in tribus patulis ramis: Qui duodenarius numerus insurgens per ternarium conductum à quaternario, uel per quaternariũ multiplicatum ex ternario, quorum hic diuinus, & ille elementaris, expreßè indicat diuina, & terrena omnia in ipsa cruce cõciliata esse, cũ in duodenario alter per alterum conducatur, & uterque in ipso connexus sit. Et hoc est, quod inquit Apostolus: Cõplacuit, scilicet Patri omnem plenitudinem in ipso habitare, & per eum reconciliari omnia pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt. Sic & in cœlo partito hoc duodenario conciliãtur spiritualia, & corporalia, aßistentibus illic intelligẽtiis influentibus per illa duodenaria signa corporea. Quaternarius autem augmenti occultatus fructum ipsius crucis significat occultum nostris sensibus, & iudiciis, sed eum tamen, qui sit radix, & fun-

Paulus

Paulus

damentum omnium fructuũ, & meritorum, sicuti quaternarius est radix omniũ numerorũ. Duodenarius quoque ille, alio non mediocri mysterio conducitur, ex quatuor uidelicet capitibus ipsius crucis, tribus clauis, & quinque plagis in ea patientis: Vbi duodenarius ipse resultat ex quaternario materiali, ternario diuino, & quinario conglutinatiuo: Nam hic denotatur apud Hebræos per literã ה in qua dicunt mundum fabricatum, & conglutinatum, & quæ est sigillum illius opificis spiritus, qui nexus dicitur. Et hæc crux uisa fuit aliquando serpẽs, non quidem præstigiosus & letalis, sed salutaris: de quo dicitur: Sicut Moses exaltauit serpentem in eremo, sic oportet exaltari Filium hominis, in cruce uidelicet, & in modum crucis extensum, ut ipse quoque fuerit crucifixus, crux, & serpens, non in perniciem, sed in salutem expositus, undè sequitur: Vt omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat uitam æternam. Sicut enim caro serpentis medelã affert uulneri uenenoso, undè fit thiriaci, quæ est antidotum ueneni, ex carne thiri, sic caro Christi sanitatem & uitan præstat omnibus, quos momordit non ipse Christus, sed malus serpens: Ideocontra huius uenena ipsa caro nobis comedẽda est. Et quia ipse sibi uisus fuit uulneratus, leprosus, & maculosus serpens, ideo cœpit pauere, tædere, & mæstus esse, & tandem dicere: Pater si possibile est, trãseat à me calix iste. Erat quppe, & cognoscebat possibilẽ, undè illud si pro quia (ut aiunt) accipi potest: Alium enim ordinem succurrendi nobis peroptabat (ni fallor) utiliorem: Neque à caritate summa deficiens sensitiuæ parti condescendebat, ut opinantur nonnulli, cum semper corpus & animã pro ouibus suis exponere paratus fuerit: Sed longiorem moram contentus erat nobiscum trahere, ut opus excellentius perficeret. Hinc non dixit, ut amoueretur calix, sed ut transiret, & differretur usque ad illud tempus, quo compleret illud, quod inquit Apostolus horum sacramentorum conscius: Nouissimè autem inimica destruetur mors, id est angelus mortis, sicut alibi clarius explicat dicẽs: Vt per mortem destrueret eum, qui habebat imperium mortis, id est diabolum: & liberaret eos, qui timore mortis per totam uitam erãt obnoxij seruituti. Noluit tamen acquiescere Pater, non quidem spernens orationem supplicantis, quẽ semper audiebat, sed ut omnia librarentur suis ponderibus, & distribuerentur suis tẽporibus, & momentis, quæ ipse Pater habet in sua potestate cum magno sacramento, ut nec nostrum nec Apostolorum istæc nosse sit: Sed quod in primo aduentu non perfecit, in secundo citra omne dubium perficiet. Verum ut, undè digressi sumus, reuertamur, quamuis horrorẽ senseri ex terrifica passione, & mortè oblata, nihilominus apprehendens per caudam, id est ad finem gloriosum aspiciens, iterum uirga insignis & celeberrima apparuit: Quæ iterum coluber uisa fuit pharisæis, & maliuolis qui dicebãt: In Beelzebub principe dæmoniorũ eiicit dæmonia. Verum ostendit uirtutem illam diuinam, quæ deuoraret omnem uim diabolicam, probans quòd dæmon non à dæmone, sed à digito & uirtute Dei eiicitur. Qua uirtute multis miraculis in Ægypto huius mundi perpetra-

CHRISTVS.

Idem

Paulus

Pharisæi

tis,in donatis ſanitatibus, ſuſcitatis mortuis pane multiplicato,aqua in uinũ trãſmutata, & huiuſmodi innumeris non in Aegyptiorum perniciem, ſed ſemper in beneficium & emolumentum: Tandem mare,aquam uidelicet baptiſmi ſanctificauit,per quem tranſitus datur nobis ad diuinum conſortium in Sina, ubi legẽ audimus,& Deum ſentimus familiariter agentem,& meliori quàm roratico illò paſcimur pane,qui uidelicet uiuus de cælo deſcendit, oblatus & coctus in clibano crucis: Qua deniq; doctor noſter Chriſtus nos introduxit in ueram promiſſam terram, uero lacte & melle manantem: Quod facere nequiuit Moſes, nõ enim potuit introducere pepulum ad figuratiuam terram uirga illa,qua abuſus erat percutiens ubi,& quando non debebat.Fœlicius igitur uirgæ crucis & Chriſti,quàm Moſi & Iahacob nobis innitendum eſt, quia illis innixi,aut deficiemus in uia,aut ad umbratiuam terram tantummodo deueniemus,ſed hac ſuffulti ad terram, & ueras manſiones uiuentium applicabimus ducem ſequentes, qui errare non poteſt. Hinc Iahacob dum nouiſſima uerba proponeret, quibus penè omnia negotia tam figuratiuæ, quàm ueræ familiæ ſummatim prædixit,non iam baculo ſuo, quo tranſiuit iordanem,ſed huic meliori uirgæ innitebatur,in cuius uirtute illa omnia efficienda proſpiciebat:Dicitur enim in textu: Et collegit pedes ſuos,id eſt affectus אל המטה El bamitah: Quod quamuis bene traductum habeamus ad lectum, poteſt etiam intelligi ad uirgam: Nam מטה uirgam & lectum mutatis punctis ſignificat. In ſenſu igitur literali ad lectum, ſed in ſenſu allegorico aptius rasfertur ad uirgam,quæ eſt crux, cuius uirtutẽ non minus præſentiebat,quàm antiquorum nonnulli,qui ante Chriſtũ ſignũ crucis uenerabantur:ut non mediocræ authoritatis uiri ſcribunt: Quod erat aut natura,aut ſpiritu dictante,aut à ſapientioribus intelligentius edocentibus,quæ nouerant quanta per crucem fieri debebant.

Iahacob

Ad quid ſacrificia,& cur hirci ſorte delecti pro peccato offerri iuſſi ſint. Cap. X V.



Vm ad ſacrificia inſtituẽda deueniret Deus, multa præcepit pro diuerſis,uariſque expiationibus offerri: Quod quidẽ prima frõte durum uidetur & extraneum, Deum uidelicet delectari ſanguine animalium fuſo,carnibus aſſatis, aut combuſtis, & horum atque aliarum rerum odoramentis,ut pleriſque in locis dicitur: Et odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis. Ideo hæc inter maxima habentur ſacramenta: Pro cuius aliquali explicatione id pro conſtanti tenendum eſt, quòd Deus ſummus nullis odoribus,nullis ſaporibus oblectatur, nec cibis paſcitur materialibus ex carnibus animalium,aut panibus confectis,& oleo linitis,aut adipe aliqua perfuſis,quamuis hæc omnia fieri iuberentur in lege: Et hoc, aut in ſacramẽtum eorum, quæ à Chriſto uerè fieri debebant, & eorum, quæ conſequenter à nobis peragenda ſunt,mortificando uidelicet, iuxta apoſtolicum præceptum,membra noſtra, & offerendo in ſacrificium acceptabile ea, quæ in nobis ſunt, quorum

Paulus

illa figuram gerebant: Vel ut uirtutes illæ, quæ nos continuè de criminibus à nobis perpetratis, & omnibus bonis omißis accusant, ad tribunal Dei placarentur peractis his, quæ figurabant ueram oblationem illam, per quam plena expiatio fieri debebat omnium peccatorum: Aut ut accepta (quod asserũt doctores Hebræi) portione, quæ ad eos spectat, & in qua pascuntur, & oblectantur, quiescerent. Pascuntur enim uirtutes illæ his craßioribus cibis ex terrea materia confectis, sicuti à Deo serpenti antiquo indictum est, ut in Genesi legimus: Terram comedes omnibus diebus uitæ tuæ. Et per Isaiam etiam, quando dabitur perfecta requies electis, dicitur: Et serpenti: Puluis panis eius: Puluis autem est animal nostrum, sicuti scriptum est: Formauit Deus hominem puluerem de terra, pro quo nos habemus, de limo terræ: Qui puluis est animal, non quidem in melius transmutatum, & surgens spirituale, sed corruptioni derelictum, aut terra, & puluis, atque fex dimissum in cibum serpentis, quia, ut inquit Apostolus: Et si omnes resurgemus, non omnes immutabimur, remanentibus uidelicet aliquibus in cibum serpentis: quos etiam in hac uita comedere studet: ut decantat propheta: Catuli leonũ rugientes, ut rapiant: & quærant à Deo escã sibi. Catulos enim leonum omnes cõmuniter interpretãtur aduersarios nostros, qui (ut Petrus inquit) circũeunt quærentes, quem deuorent. Et dicuntur quærere à Deo escam, quia nihil sibi possunt assumere, nisi quantum Deus permittit. Et huiusmodi dantur, quæ in nobis animalia, & deturpata sunt, aut quia Deus permittit diabolo, ut tollat, quod diabolicũ est, sicut de proditore dicitur: Vnus ex uobis diabolus est, Aut quia nos spõte relinquimus, & damus diabolo, quod suum est, ut reddamus Deo quod Dei est, iuxta edictũ saluatoris dicentis: Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari: & quæ sunt Dei Deo. Quæ autem diaboli sint ex scriptura sacra luce clara docemur: Nam summus doctor uocat diabolum principem mundi huius: Quæ autem mundi sunt Ioannes breuiter ad tria reducit, ad cõcupiscentiam oculorum, & carnis, & superbiam uitæ. Sed hoc, tanquã spirituali quodam ad præsens dimisso, ueniamus ad alia duo, quæ sunt caro, & diuitiæ: à quibus uouent se abstinere, qui Deo penitus uacare prætendunt, aut ut ab ipsis exuantur, omni diligentia student. Primo à diuitiis, dicente Christo: Nemo potest Deo seruire & mamonæ: Et iterum: Nisi quis renunciauerit omnibus, quæ poßidet, nõ potest meus esse discipulus. Postea à carnis illecebris iuxta Apostolicum præceptum: Qui Christi sunt carnem suam crucifixerunt cum uitiis, & concupiscentiis. Dum igitur distribuuntur diuitiæ, quæ mamonæ sunt, & crucifigitur, domatur & sacrificatur caro (quæ quãtũ ad pruritũ, & repugnantem uim à nobis debellandam, Azazelis est, qui idem à sapientibus censetur cum mamona) ut reddatur Deo purificatum, quod ipsius est: Tunc (ni fallor) Christi monumentum seruatur, quo ait: Esto consentiens aduersario tuo citò, dum es cum eo in uia: ne fortè tradat te iudici: Qui quidem consensus est in erogando, uel relinquendo, quod ad ipsius iurisditionem spectat, uel sacrifican-

Genesis. Isaias. Paulus. Dauid. Petrus. CHRISTVS. Ioan. CHRISTVS. Paulus. CHRISTVS.

do animal nostrum, quod sedes potißima ipsius aduersarij est, ut ipso sanctificato, & mundato nō reperiat ingressum in ipsum, facta satisfactione tribunali diuinæ iustitiæ, & sanctifiato ipso animali, ut non amplius diaboli, sed Dei sit, relictóq; diabolo, quod pruritui, oblectamēto, uel corruptioni erat obnoxium, & à

Leuitic. nobis penitus euulso. Quod magno mysterio in Leuitico præfiguratū legimus, ubi iußit Deus deligi duos hœdos, & ut super eos iacta sorte, alter Deo sacrificaretur, alter uerò dimitteretur in deserto Azazeli principi omnium desertorū: Qui hœdus, caper, uel hircus destinatus Azazeli dicitur emissarius in traductione nostra, non quidem, quia tanquam equus detur ad grauidandas fœmellas, sed forsitan, quamuis minus accommodatè, dicitur emissarius, quia emittebatur: Et hic caper, antequam mitteretur in eremum, statuebatur coram Domino uiuus, ut fusis primo precibus super eum, mitteretur in solitudinem ad accusatorem humani generis, ut comprimeretur os ipsius accusantis. Et ut aliquid de incluso hic sacramento aperiamus, animal illud quod mittebatur, Hebraico idiomate dicitur שעיר sahir, quod significat caprum, hœdum, pilosum, diabolum, malam cogitationem, turpitudiuem, malam mentem, turbinem: ut intelligamus, quod ad desertum, & diabolum destinatur, quod malum est, diabolicū, uersutum, turpe, pilosum, & hispidum. Hinc Iahacob lenis dilectus fuit à Domino, primogenita à fratre abstulit, benedictionem suscepit, dominum in fratres cōparauit, semper & ubique diuino fauore suffultus: Esau autem pilosus, & hispidus eiectus est cum omnibus ducibus, & familia ab ipso egrediente ad montem Sehir, locū quidem denominatum in mysteriosa lingua eo uocabulo, quo nominatur omne illud, quod illuc destinatur. Duo enim sunt in nomine, alterum spirituale, & alterum animale: Et in animali iterum duo, alterum quod diabolo relinquitur, alte-

Paulus rum quod transmutatur in melius, & spirituale, dicente Paulo: Seminatur quod animale, & surgit, quod spirituale. Cuius rei simulachrum habemus in semine plantarum, de quo aliquid mutatur in plantam uirescens, & fructum producēs: aliquid uerò corrumpitur breui in terram resoluendum: Quæ duo significātur per hos capros, quorum alter Domino offertur, alter uerò proiicitur Principi

Origo. corruptionis, & mortis: Vel sint ij duo hirci (ut sentit Origenes) duæ familiæ Dei, & diaboli: quarum altera oblata Domino sacrificatur in hostiam immaculatam, uiuam, sanctam, Deo placentem: altera uerò dimittitur diabolo, cui uixit: sicut de diuite, & Lazaro mendico legimus, quòd hunc angeli deportauerunt coram Domino: & ille sepultus est in inferno denotato per eremū, quæ est locus desertus uirtutibus, desertus Deo, desertus iustitia, desertus Christo, desertus omni bono. Illud quoque aduertendum est, quòd animalia, quæ hic, & ubicunque offeruntur in sacrificiis, non immunda sed munda sunt: quamuis alterum illorū tanquam immundum proiici uideatur, ut intelligantur hæc eorum tenere figuram, qui non modo extra fidem sunt, sed qui oblati sunt Deo per baptismū: quorum aliqui ipsi Deo reseruantur, alij uerò iterum immundi effecti diabolo tra-

dũtur magis cruciandi: quorum cuilibet dici potest dũ Deo oblati sunt: Iam amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Quando igitur iubetur dari hircus pro peccato, reddi præcipitur scoria, fex, & quod suum est ipsi diabolo: ut quod Dei est, purum, & mundum Deo reddi poßit: Figuratiua enim, sicut & cæteræ, erat oblatio illa: Aut dicamus quòd pro re capraria, quæ est in nobis male gubernata, & quæ pasci iubetur in Canticis, non ab re, iuxta tabernacula pastorum, datur caper, non quidem iustificans, quia (teste Paulo) nemo ex operibus legis iustificatur, sed in expiationem quandam figuratiuam, ad obturandum os accusantis nos apud Deum, quousq; ueniret ille qui offerens uerã expiationem penitus accusatorem nostrum expelleret, ut in Apocalypsi inquit Ioannes: Nunc facta est salus, & uirtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius: quia proiectus est accusator fratrũ nostrorum, qui accusabat illos antè conspectum Dei nostri die, ac nocte. Relinquenda igitur sunt diabolo omnia, quæ cum ipso re, & nomine conueniunt, mala uidelicet cogitatio, turpitudo, quicquid pilosum, & hispidũ in nobis est: quæ omnia sabir appellantur, sicut & diabolus, & animal quod in huiusmodi expiationem offerri iußum est. Si autẽ hæc uoluerimus (ut debemus) referre ad Christum, qui est omnium sacrificiorũ armarium, nexus, uirtus, & ueritas, possumus quidem. In ipso enim erat diuinitas, quæ nec sacrificabat, nec sacrificabatur: Erat quoque humanitas ex duobus resultans, anima uidelicet, & corpore, aut ex animali, & spirituali: Et horũ utrũq; oblatum est pro peccato, ut dicitur de illis duobus capris: Anima nanque Deo oblata est pro peccatis populi, iuxta illud Isaiæ: Si posuerit pro peccato animã suam. Posuit quidem, ut ipsemet testatur dicens: Ego animam meam pono pro ouibus meis. Oblatum quoque corpus traditum est uoluntati, non dicam diaboli, sed membrorum eius, dicente Luca: Iesum autem tradidit uoluntati eorum, quantum uidelicet ad corpus crucifigendum. Et sicut is, qui portabat hircum in desertum, tradebatque ipsum potestati deserti, rediens lauabat uestimenta sua, sic Pilatus illius aliquale simulachrum gerens, cum tradidisset Iesum potestati tenebrarum, lauit manus suas. Vel sit caper illud, quod crucifigendum, conterendum, & mortificandum tradidit ipsemet Iesus, ponens super illud, iubente Patre, iniquitates omnium nostrum, quas portaret in solitudinem, ut de figuratiuo hirco dicitur. Solitarius quippe erat ille Caluariæ locus, quo conductus est Iesus: quia ibi in patibulo pendens ille, qui pro omnibus suscipere solebat plenißima charismata nobis communicãda, tunc adeo desertus fuit, ut clamaret ad Patrem, qui est omnium confugium, & pro omnibus semper patentißimus fons: Vt quid dereliquisti me? Qua oblatione à Christo exhibita, & facta satisfactione pro omnibus, amouit penitus figuratiuas omnes illas oblationes, & expulsa atque foras eiecta omni uirtute, & potestate immunda, aduocataque, & attracta ad seipsum exaltatum à terra omni uirtute munda, nihil reliquit, cui deberetur caper, uel animal aliquod, aut oblatio quæuis, nisi illa, quam de seipsa

Cantic. Paulus Ioan. Isaias CHRISTVS. Lucas.

fecit is, qui fuit sacerdos, & hostia Christus Iesus, Deo patri æterno: Quam & nos recolere iussit in illius memoriam, quamuis semel facta fuerit in plenissimam remissionem omnium peccatoum: Et hanc reuocationem oblationis, quæ fiebat Azazeli, uel cuicunque huiusce generis potestati, Moses (iubente Deo) Moses. *prædixit post textus trigintatres, more Hebræorum, quos ipsi passuchim appellant, innuentes, quòd post trigintatres annos uitæ Messiæh ipsa reuocatio fieri debebat: Ait enim: Et non sacrificabunt amplius sacrificium Sabarim, post quos fornicati sunt, adeo uidelicet ipsis condescendentes, & obnoxij effecti, ut eisdẽ aliquid deberent, quousque ueniret plenissimus liberator. Sequitur: Et hoc statutum sempiternum erit in generationem, & generationem, nunquam uidelicet re*CHRISTVS. *uocandum, sicuti liberator dixit, dum illud nouum sacrificium institueret: Hic calix noui, & æterni testamenti est in meo sanguine: Aeterni inquit, quia ultra illud non dabitur aliud, ut sapientes exponunt. Sequitur: Et ad eos, id est ad populum dices: Quilibet de domo Israël, aut de peregrinante in medio eius, qui obtulerit holocaustum, aut sacrificium, & non deduxerit ipsum ad hostiam tentorij testimonij, ut offerat illud Domino, abscindetur uir ille de populo suo. Liberati itaque à seruitute diaboli Deo tantummodo uacemus offerentes preces, & & sacrificia, & oblationes nostras omnes ad illud ostium testimonij, qui dixit:* Idem *Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur. Et est ostium testimonij, cũ* Ioan. *ipse sit (ut inquit Ioannes) testis fidelis: Ad hoc enim ostium offerimus preces, & oblationes, quando Patri dicimus, per Iesum Christum dominum nostrum, tanquam per medium, quo introducimur, & impetramus quicquid petimus. Et quia dicitur, quòd odorabat Dominus illa sacrificia in odorẽm suauitatis, tanquam ipsi oblata, & ueluti oblectaretur odore rerum crassarum, dicimus pro aliquali satisfactione, quòd omnia illa sacrificia ad Dei honorem in primis offerebantur, quamuis daretur portio uirtutibus uariis, prout exigentia exquirebat: Et odorabat ipse Dominus, non quidem illos crassos fumos, sed oblectabatur suauitate resultãte ex ordine, quo distribuebatur unicuique, prout cõueniens erat.*

Cur par turturum, aut duo pulli columbarum offerri iussi sint in purificationem partus, & mulieris parturientis. Cap. XVI.



N partus uerò purificationem, cur præcepto diuino offerebatur par turturum, aut duo pupilli columbarum, perscrutari pulchrũ est: Id enim (ut à sapiẽtioribus accepi) in causa est, quia & si matrimonium à Deo indictum est, cum difficultate tamen maxima, stante lapsu naturæ humanæ, exercetur absq; culpa: Quod fit, quando cohabitant coniuges, ut prolem generent in Dei honorem, & augmentum generis humani: Sed hoc rarissimè fit, condescendente unoquoque concupiscentiæ, & pruritui, & explendæ libidini, & consequenter inficienti diabolo per hæc media, per quæ contrahitur immunditia. Pro hac igitur expellenda, & purificãdo se-

nitne ſuſcepto ex bino parente, patre ſcilicet & matre ambobus infectis offertur par turturum, qui fideliſsimi coniuges ſunt atque grandi puritate gaudentes, aut duo pulli columbarum, aues quidem & ipſæ ſimpliciſsimæ atque omni puritate refertæ, nullique nocentes, maximè pulli, qui iubentur offerri. Et tanta puritate donatæ ſunt, ut Saluator Dei ſapientia munditiam, & ſimplicitatem, quam exquirit à nobis, per ſimplicitatem horum animalium, tanquam nihil haberet ſimplicius, indicauit dicens: Eſtote ſimplices, ſicut columbæ. Et in Canticis puriſsima ſponſa columbæ comparatur à ſponſo, qui ait: Amica mea, columba mea, formoſa mea. Quæ etiam tanta ſimplicitate, & rectitudine uolat, ut propheta eius alis perferri in Deum appetat dicens: Quis dabit mihi pēnas, ut columbæ: & uolabo, & requieſcam? Et quod maius eſt, Spiritus ſanctus nulli animali aſsimilari uoluit, niſi ſoli columbæ, ut in Matthæo legimus: Et ecce aperti ſunt cœli, & uidit ſpiritum Dei deſcendētem, ſicut columbam, & uenientem ſuper ſe: Et Baptiſta apud Ioannem euangeliſtam inquit: Vidi ſpiritum deſcendentem, & manſit ſuper eum. Deſcendit nanque ueluti columba, quæ fixo, & magno impetu uolat ad ima: Vel in ſpecie columbæ, ut nonnulli dicunt ſuffulti uerbis Lucæ, qui ait: Apertum eſt cœlum, & deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie, ſicut columba, in ipſum: Sed adhuc non concluditur, quod fuerit in forma columbæ: quādoquidem columba deſcendens ſuper hominē non intrat in ipſum. Videtur igitur, ꝙ illa comparatio ſit potius ad uolatum, uel proprietatem, quàm ad formam: Vel ſi inſtetur, quòd etiam in figura effigiabat columbam, dicemus, quòd figura illa quamuis corporea, non tamen craſſa erat, ſed tenuis: ut nihil obſtaret ad introitum eius in hominem, ſicuti flatus, uel ignis deſcēdit, & introiuit in Apoſtolos. Comparatus eſt itaq; columbæ ſimpliciſsimæ, & puræ ille, qui omnes purificat, ut in Actibus Apoſtolicis dicitur: Deus miſit illis Spiritum ſanctum, qui fide purificaret corda eorum. Hoc itaq; animal cū Spiritu ſancto purificante conueniens accommodatè offertur in purificationem partus, figurans purificationem faciendam uirtute ipſius Spiritus ſancti, qui purificator dicitur omniū flagitiorū. Et quia turtur, & columba in eadē puritate conueniunt, ideo indifferēter alteræ earum iubētur offerri à pauperibus, quibus nō eſt facultas offerendi agnum: qui eadem puritate refertus, qua aues illæ, lege iubente, offerebatur à ditioribus. Nec ſine myſterio eſt, ꝙ turtures iam fideliſsimo matrimonio cōiugatæ iubētur offerri, ſed columbarū pulli ſimpliciores, quia hi prolem, illæ autem parentes purificandos indicant. Et quia ad unius purificationem alter quoque purificatur, ideo alterum par iſtorum animalium indifferenter offerri præcipitur. Sed cur in fine quadraginta dierum hæc purificatio indicatur, nō uacat à myſterio: Sicut enim quadraginta diebus ſemē embryo factum uegetatur & transformatur, quouſque in corpus organicum perfectum ſuis debitis, & harmonicis menſuris conducatur, ut diſpoſitum ſit ad ſuſcipiendam animam maſculeam, quæ eſt potiſsima hominis ratio, ita quadraginta die-

CHRISTVS. Canti. Dauid Matth. Baptiſt. Lucas Actus

bus decurrit mulier post fœtum æditum, ut adaptentur muliebria in partu commota, antequam purificetur. In columba itaque, aut turtute Deus per sacerdotem (figara tamen quadam) purificabat fœtum, & mulierem parturientem, ut totus sanctus genitus esset, innuens ueram purificationem faciendam per summum Pontificem Christum in Spiritu sancto, qui uenit uelut columba, ad quem spectat (ut diximus) purificare homines: Nam quando dedit nobis potestatem purificandi homines à coinquinatione peccati, dixit: Accipite Spiritum sanctũ, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: Nam spiritum hunc Deus mittit
Paulus per Filium suũ, dicente Paulo: Misit Deus spiritum Filij sui in corda uestra clamantẽ Abba Pater, spiritum quidem sanctificantem, ut alibi dicit idem Apostolus: Christus prædestinatus est in uirtute secundum spiritum sanctificationis: Se-
Isaias. cundum quem, & purificationem, & multa alia bona nobis tribuit, ut Isaias sub eius persona antè prædixerat: Spiritus Domini super me, euangelizare pauperibus misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem cõtritis indulgentiã, & clausis apertionem, & annum placabilem Domini.

Cur aues duæ offerebantur pro leproso mundando. Cap. XVII.



Cum originale peccatum, & eius concupiscentia purificari iussa sit animalibus puris, quia puer simplicissimus purificabatur simul cum matre, non à malitia, sed ab ea, quæ in generatione prolis intercessit concupiscẽtia maior, quàm exquirebatur, lepra, quæ indicat peccatum, uaria & multiplici dispositione contractum aliis auibus, uel indifferentibus expiari iussum est: quamuis in traductione nostra exprimantur passeres illæ aues, quæ ad purificandos leprosos offerri iubebãtur: Nam צפרים Zipurim indifferenter aues significat, ut ex multis locis scripturæ sacræ comprehendere possumus, & particulariter ex præsenti textu, ubi dicitur: Præcipe sacerdoti, ut accipiat duos zipurim uiuos, mundos, pro quo traductio nostra habet ex his, quæ mandi possunt: Si enim Zipurim significaret passeres signanter, non oportebat addere mundas, aut ex his, quæ mandi possunt. In com-
Orige. muni igitur aues iubentur assumi, quas Origenes existimauit gallinas. Sed quæ quæ sint, scriptura clarius non exprimit, ideo aues in communi illas fuisse admittentes ad alia mysteria explananda ueniamus. Duæ aues iubebantur offerri, quarum altera immolabatur, aut iugulabatur in uase fictili super aquas uiuentes: Altera autem uiua cum ligno cedrino, & cocco, & byssopo intingebatur in sanguine passeris immolati, quo aspergeretur, qui mundandus erat à lepra, septies: & dimittebatur auis uiua super faciem campi. Duæ quidem aues in leproso duas conditiones carnis indicant: Nam pars quædam carnis uiuit, pars autem alia adeo mortua est, ut si quis eam pungat, non sentiat leprosus. Auis igitur, quæ uiua dimittitur, purificationem, aut signum uiuacis carnis, & non plenè infectæ indicat. Altera uerò occidebatur in purificationem & reuiuificationem illius carnis præmortuæ. Fiebat quoque hoc

ſuper aquas, primum & præcipuum omnium ſordium lauacrum, & uiuas, quia aquæ mortuæ communiter putridæ ſunt, coinquinantes potius, quàm lauantes. Iugulabatur autem in uaſe fictili, & terreo, quod corpus ſignificat, in quo purgari debet per mortificationem ſpiritus ille animalis uolatilis inficiens carnem ipſam, quam præmortuam dicimus. Viua autem auis, quæ dimittebatur in agrum, carnem illam ualidiorem, aut ſpiritus non adhuc infectos, uel meliorem animam ſignificat. Sed ad ſenſum allegoricum conſcendendo, duæ aues duo indicant ſignora, quæ obtulit in expiationem noſtram ille ſummus purificator Christus Ieſus, hominem uidelicet ſpiritualem, & animalem: Et hic occiſus fuit, ut noſtram concupiſcentiam expurgaret. In uaſe autem fictili dicitur iugulatus, quia in corpore ipſius de terra fabricato immolatus fuit: Et hoc ſuper aqueam uirtutem miſericordiæ, cuius ſignum ſimul cum ſanguine, iuſtitiæ uidelicet ſigno, exiuit de latere ipſius morientis. Auis itaque occiſa eſt corpus, uel uirtus eius animalis in uaſe corporis ſui extincta: Auis autem uiua eſt ſpiritus, uel anima eius, & ipſa oblata in expiationem noſtram, iuxta id, quod ait: Et animã meam pono pro ouibus meis. Sed tamen cum occidi non poſſit, dimiſſa fuit uiua in agrum, aut campum illum ſupremum, unde omnia trahunt originem: qui eſt Pater æternus, cui moriens & ſpiritum dimittens ait: Pater in manus tuas cõmendo ſpiritum meum. Hanc autem animam, uel ſpiritum dimiſit aſperſum ſanguine auis iugulatæ, & etiam ſanguine eorum, pro quibus iugulata erat auis, ſicuti per Iſaiam loquitur dicens: Et aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper ueſtimenta mea, Quẽ ſic aſperſum uidentes angeli (ut diuinus Dionyſius exponit) dicebãt: Quis eſt iſte, qui uenit de Edom aſperſis ueſtibus de boſra, id eſt de uindemia, quam ſcilicet fecit de animabus per aſperſionem ſanguinis ipſius? Et iterum dicebant: Quare rubrum factum eſt ueſtimentum, tuum, ſicut calcantis in torculari? Reſpondet: Torcular calcaui ſolus: quia ſolus in ſanguine proprio operatus eſt ſalutem humani generis. Illa autem aſperſio fiebat cum ligno cedrino figurante uerum aſperſorium crucis fabricatæ (ut dicitur) ex cedro præcipuè. Addebatur coccus & hyſſopus: Coccus quidem uermiculus eſt, qui Hebraicè dicitur תולעת tolahat: Ille utique uermiculus, qui in pſalmo inquit אנכי תולעת anochi tolahat, id eſt: Ego ſum uermis, & non homo. Additur שני ſeni, quod noſtra traductio aliquando habet bis tinctum, ſed propriè ſecundarium, aut geminum ſignificat: Quod aptiſſimè Chriſto competit, qui ſolus hoc habuit, ut duplici natura gauderet, diuina ſcilicet & humana: Quæ ambo aſperſæ fuerũt ſanguine illius ueræ auis pro humana ſalute iugulatæ. Sed diuina natura aſperſa erat in ueſtimento naturæ humanæ: de qua Paulus: Habitu inuentus, ut homo. Ideo dicebant angeli: Quare rubrum & conſperſum eſt ueſtimentum tuum? Hyſſopus uerò aut libanotis (ut alibi declarauimus) planta quidẽ eſt omnium excellentiſſima, ut ſapientibus notum eſt, & aſperſioni aptiſſima, cum ramuſculos habeat ligneos, denſiſſimis, & minutis foliis. Hinc ipſa iubeban-

[Margin notes: CHRISTVS. — Idem — Iſaias — Diony. Angeli — CHRISTVS. — Paulus]

tur fieri aspersiones effigiantes ueram aspersionem faciendam planta, aut uirgulto omnium arbustorum optimo: de quo inquit Isaias: Et ascendit, ut uirgultũ, uel planta coram eo. Sanguine igitur occisæ auis aspergebatur mundandus septies, numero quidem (ut alibi diximus) remißioni, & expiationi aptißimo. Nec frustra additur in textu: Et mundus erit ipse: quia multa lauacra pro mũdatione, & multæ medicinæ pro curatione frustra expenduntur: Sed hæc una inanis non fuit, maximè in figurato generi humano leproso, quod totum absque dubio mundatum est sanguine illius ueræ auis Christi, qui sicut de cœlo uolauit ad nos, sic nobis purificatis, iterum reuolauit ad cœlum: Quem mundatorem ille uidẽs Ioãnes in fronte suæ celeberrimæ uisionis ait: Christus dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, melius & efficacius expurgans, quàm infecerit protoplastes.

Isaias

Ioan.

Cur simul cum hirco uitulus, siue bos pro peccato offerebatur. Cap. XVIII.



Ro peccato autem offerri iubetur hircus, pater uidelicet hædorum, qui in sinistra reponentur iudicandi, ut per hircum oblatum hircina, aut hædina pars, quæ est in homine, expietur: Est enim lasciua portio in homine similis hirco, aut hædo, uel capræ matri eius lasciuienti & demolienti uineas: Idcirco expiandus, comprimendus, uinciendus, & deducẽdus est in seruitutem melioris portionis, sicuti de alio animali huic simili dicitur in Canticis: Capite nobis uulpes paruulas, quæ demoliuntur uineas. De hædis quoque ibidem dicitur: Pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum, illorum uidelicet, qui in scriptura dicti sunt bene pascere oues: quorum princeps est ille, qui ait: Ego sum pastor bonus, & animam meam do pro ouibus meis. Offerendi igitur, & castigandi sunt huiusmodi appetitus, qui demoliuntur uineam, illam utique, quæ (ut Isaias ait) domus Israël est, & cœtus electorum, atque hæreditas Domini: de qua in parabolis loquẽs Christus inquit: Ite & uos in uineam meam, in quam intrare nequit caro, & sanguis, ac portio illa lasciuiens: Ideo in hirco ueniebat offerenda, & expianda: in quo est maior, & magis inueterata lasciuia, quàm in hædo: adeo, ut ualde fœteat, sicut & carnes nimium lasciuiẽtium, & multo magis, quàm carnes castè uiuentium. Nec uacat à mysterio barba, quam habet hoc animal offerendũ pro peccato: Barba enim robur significat, quod multiplex est, & aliquando bonum, & conseruandum, & aliquando malum, & omnino resecandum. Est nanque robur, & uirtus Græcorum (inquit Origenes) in sapiẽtia humanis ingeniis acquisita: Et est robur Assyriorũ, & Chaldæorum in cognitione stellarum, & in influxu inde suscipiendo: Est quoq; robur, & uirtus Persarum, & Aegyptiorum in secretiori Philosophia, usq; ad fœdera cum malis spiritibus: Est quoque robur dominorum temporalium in pecuniis, militibus, & bellicis instrumentis: Est tandem robur carnalium uis ipsa generatiua: Et similia multa cũcta

Cantic.

CHRISTVS.

Isaias

CHRISTVS.

Orige.

significata in barba, non utique illa Nazareorum, quæ nunquam abradi, nec diminui, neque pessundari debet, sed illa, quæ robur significat eorũ, qui extra gremium bonorum sunt; & ultra flumen diuidens inter collectos in sinu Abrahæ, & eos, qui sepulti, aut sepeliendi sunt in inferno, sicuti præsentientis Isaiæ edocemur oraculo: Qui ubi de partu Halmæ & Himanuel comesuro butyrum, & mel, ut inde discat discernere inter malum & bonum, uaticinatur, subinfert: In die illa radet Dominus nouacula conducta in his, qui sunt trans flumen, in rege Assyriorũ, caput, pilos pedum, & barbam uniuersam. Robur itaque, & uirtus, quæ est secundum carnem, & sanguinem abradenda est, aut offerenda in sacrificium: ut hac debilitata, aut mactata, altera pars, melior scilicet robustior fiat: Quod & in Deuteronomio clarius explicatur, cum dicitur: Si quis ex alienigena uoluerit aliquam assumere in uxorem, radetur ei cæsaries, circumcidentur ungues, & deponat uestem in qua capta est, ut uidelicet denotentur omnia deponenda fore, quæ ad gentilitatis, & carnalitatis robur, & uirtutem pertinent, ab his, qui in electorum gremium assumendi sunt. Hæc igitur barba hircina, aut radenda & auferenda à nobis, aut offerenda in sacrificium cum eo, in quo est ipsa uirtus. Offerendus quoque uenit pro peccato uitulus, uel bos armentorum rex, fastus uidelicet, & superbia animalis hominis, qui gloriatur in malitia, & lætatur, cum male fecerit: Quæ duo, lasciuia scilicet & fastus, procedunt à duobus præcipuis fontibus scaturientibus in deteriori homine, concupiscibili uidelicet & irascibili, quæ ab homine pergente ad Deum ipsi Deo offerenda sunt, ut longo & egregio sermone disserit Origenes super Numeris: Deduxit (inquit) Dominus populum suum in manu Mosi, & Aaron, hoc ideo, quia alterius manus tantũmodo non sufficiebat: Moses enim scientiam legis indicat, Aarõ uerò sacrificandi Deo, & immolandi peritiã: Nã si exiens de Aegypto, & conuersus ad Deum superbiam abiiciam: taurum ipsi Deo per manum Aaron sacrifico: sed uitulum, si adhuc tenera superbia, & elatio est: Si uerò petulantiam, lasciuiamq́ue peremero, hircum Domino iugulasse me quoq; Aaron manu credam: Quæ manus Aaron rectè nullatenus offert, nisi à lege regulata, ideo & Mosi manus exquiritur. Nec iudicium legis sufficeret, nisi perficiatur opus per uerum sacerdotem, qui iuxta Apostoli sententiam, offert seipsum hostiam uiuentem, sanctam, Deo placentem, cum rationabili obsequio, discretione legis uidelicet. Ecce igitur, quomodo utraque manus Mosi, & Aaron exquiritur, ut introducatur electus populus in promissam terram, & transmeetur per desertum huius arentis sæculi: Quod Christus perfectissimè effecit, iuxta eum, qui præcesserat typum: Ipse enim legem obseruans usq; ad minimũ i, iod minutissimum apicem, obtulit seipsum summus Sacerdos hostiã uiuã, pro uitulo, pro hirco, & pro quocunque holocausto: cum ipse sit totum, & omnia continens, ut suo loco latius declarabimus. Et inter alia obtulit barbam, robur uidelicet, hominis inferioris, ipsum penitus mortificans in se, qui est caput omnium, ut in

Isaias. Deuter. Origen. Paulus

CHRISTVS. omnibus membris idem mortificaret, iuxta illud, quod dixit: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: Si autem mortuum fuerit, multũ fructum affert. Et hoc est mysterium mortis Christi figuratæ per mortem omnium animalium, quæ, iubente lege, in sacrificiis offerebantur, ut ex illa morte uitam, atque omnes fructus uitæ nobis tribueret.

Quid ouis, & agnus. Cap. XIX.



ET si lege iubetur offerri hircus, uitulus, ouis, agnus, uacca, passeres, turtures, & huiusmodi, alia tamen, & alia est offerendi ratio: Pro partus etenim purificatione agnus, uel turtures, siue duo pulli columbarum: In purificationem leprosorum passeres: Pro peccato autem uitulus, & hircus: Vacca uerò rubea pro uniuersali, & ingenti scelere primorum parentum, & adorati uituli: Sed oues, atque agnos nullibi reperio offerendos, nisi pro purificatione partus, & pace conducenda hominis cum Deo. Ratio autem huius mysterij tam sublimis est, & eleuata à nostro contuitu, ut uix de ipso fari audeamus. Sed id præmittere opportunum duxi, quòd צון zon totam familiam ouinam significat, oues uidelicet, arietes, agnos, & agnas: כבש chebes, uel כשב chesseb, quod idem est, agnum, uel agnam tenerrimam, & aliquando (semper tamen cum mysterio) in scriptura ponitur zon, & aliquando alterum istorum duorum: Cuius rei sacramentum subticentes pro nunc, aliud præmittamus, quòd agni, uel oues, quamquam in dexteram iudicis collocabuntur suscepturi benedictionem, & uitam, ab altiori tamen loco est eorum origo, ut non sine mysterio Redemptor noster, qui à Patre progressus est, nunc agnus, nunc ouis dictus fuerit. De altero inquit ille, quo non surrexit maior, loquens de Christo: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.
Ioã.Bap.

Isaias. De utroque autem ait Isaias: Tanquam ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tõdente se. Et quia curauit facere nos omnes oues, ipse ex oue, & agno effectus est pastor bonus, adeo ut animam suã poneret pro ouibus suis. Bene igitur ouis, uerus typus illius, qui pacificauit omnia per sanguinẽ crucis eius, offertur in pacificationẽ hominis cum Deo: Nullus enim æquè bene poterat pacificare nos cum summo Patre, sicut ille, qui est in sinu Patris, & ab eo procedit, expreßius effigiatus per ouẽ & agnum, tũ quia nulli nocent, quin semper benefici sunt multigeno beneficio: tũ etiã ex proprietate intrinseca, & origine, de qua ad præsens fari nõ licet. Hinc nõ immerito tanti existimatur ouis, ut maximi uiri, & Deo gratißimi pastores ouiũ fuerint, sicuti Abel primus iustitiæ nomine, etiã filij Dei testimonio decoratus, Abraham Pater fidei, & multarũ gentium, Iahacob Pater electæ familiæ, & princeps, atque hæres Dei, Moses legislator, & Deo super omnes ꝓphetas domesticus, Dauid electus secũdũ cor Domini, primus Rex de tribu Iehuda, Spiritus sancti concentor, & sacratißimi cultus reparator, & fautor: Et tãdẽ ipse omniũ Redẽptor & Filius Dei summi: ꝗ etiã perhibet se uenisse tantũmodo ad quærendas oues perditas Israëliticæ, &
CHRISTVS.

electæ familiæ: Pro cuius eductione de Aegypto, id est de peccato angustiante, & obtenebrãte, ueluti ouis, & agnus oblatus est, sicut ille typicus iubente lege immolabatur. Quod *quidem mysterium explicare per singula, quamuis difficillimum sit, adumbrando tamen aliquid percurremus. Iubetur in lege, ut unaquæque familia tollat agnum immolandum, & penitus comedendum, adeo, ut si una familia, quia paruula, nõ sit sufficiens ad esum eius, assumat uicinum in conuiuã:* Omnis enim *familia assumere debet agnum, ne aliqua remaneat priuata fauore ueri* Agni, *cuius ille typum gerebat.* Totus *quoque comedi iubetur, ne aliquid remaneat pessundandum, iuxta illud ipsius ueri* Agni: Colligite *fragmenta, ne pereant: quia rerum pretiosarum nihil perire debet nostra incuria:* Panis *enim & agnus pari ab his, qui sciunt, æstimantur precio: ideo* Redemptor *peculiariter panis & agnus nuncupari uoluit.* Masculus *esse debuit, in quo uirtus nobilior, & fortior uigeret:* Anniculus *uerò, id est perfectus toto decursu solis, qui & ipse redemptorem significat fœcundantem duodenarios principes: quos constituit super duodenas tribus electorum, sicut ille in anno fœcundat duodena signa cœlestia. Sine macula quoq; esse debebat, ut significaret diuina, quæ omnia integra sunt, iuxta illud prophetæ:* Magni Dei *perfecta sunt opera:* Et *noster* Agnus *inquit:* Totũ *hominem saluum feci.* Additur, *ut eodẽ ritu sumatur & hœdus, qui (ut nuper diximus) offerebatur pro expiatione animalis hominis, sicut agnus, & ouis ad cõfœderandum meliorem hominem cum* Deo, *ut totus homo perfectum transitum faceret ad ueram promißionis terram. Sed cum agnus immolari iubeatur decima die, hœdus seruabatur usque ad quartamdecimã, nõ sine sacramento:* Nam *consummato uitæ cursu designato per denarium numerum completum protrahitur adhuc perfecta expiatio animalis, & quadrielementalis hominis: quia beatificato spiritu, & restituto ad* Deum, *qui dedit illum certo tẽporis curriculo à* Patre *determinato, prorogatur releuatio animalis hominis, & quadrifarij corporis à corruptione, & transitus eius in cœlestẽ, beatãq; naturam.* Vt *igitur indicetur totus homo trãsiturus de* Aegypto *ad ueram promissam patriã cœlorum, totus homo expiatur, sed primo melior pars per agnũ, postea reliqua quadrifaria per hœdũ, qui ideo post quartũ diem immolandus reseruatur.* Verũ *agnus iubetur maiori obseruãtia atq; celebrioribus cæremoniis immolari, & comedi: quia diligẽtior cura habẽda est de cœlesti homine sanctificãdo: ad cuius sanctificationẽ subsequitur & terreni sanctificatio.* Et *ut tribuatur patẽs introitus utriq; homini, iubetur ex sanguine immolati agni intingi uterq; postis, per quos uterq; homo intrare debet: melior quidẽ homo p dexterũ, alter autẽ p sinistrũ, sicuti & ouis illũ pacificãs dicitur reponẽda in dextera, & hœdus hũc expiãs collocabitur in sinistra.* Altißima *quippe sunt hæc mysteria, nec uerbũ, nec minimũ iod uacat à sacramento.* Linitur *autem uterq; postis sanguine, quia (ut* Apostolus *ait)* Omnia *penè mundantur in sanguine, & sine sanguinis effusione nõ fit remißio:* Cauetur *insuper ne crudum quicquam comeda-*

CHRISTVS; Moses CHRISTVS; Paulus

tur, aut coctum aqua, sed tantummodo assum igni, per quem quoq; fit expiatio, sicut ait Apostolus: Saluus fiet sic quasi per ignem, quamuis ab igne detrimentũ patiatur, id uidelicet quod deterius est: cuius pars & si in scoriã collata proiici tur, quicquid tamen boni auri retinet, expurgatur: & cum meliori iam purifica ta unitur. Iubetur insuper, ut comedatur totus agnus, qui nunc caput, nunc totũ corpus mysticum repræsentat: Cuius nullum membrum proiici, aut cõtemni debet, sed per dilectionem suscipi, comedi, & in seipsum traiici, ut seruetur præcep

Lex tum, quo dicitur: Diliges proximum tuum, sicut teipsum. Et cum caput super omnia membra diligi, & suscipi debeat, ideo primo fit de capite mentio, & dicitur: Caput cum pedibus & intestinis comedetis: Et ut diligenter obseruemus, ne aliquem excludamus à dilectione, & cõmunione nostra, iubetur, ut nihil remaneat non comesum: Si uerò aliquid remanet, illud detur igni, ut comedat, & transmutatum offerat Deo: quia si quis est, cui non poßimus beneficium dilectionis impẽdere, & actuale obsequium, illum offeramus Deo igneo amore decoctum, & oratione commendatum. Comedere autem debemus cum azymis panibus, id est cum syncera charitate: in qua non sit uel modicum fermentum nequitiæ, & malitiæ, aut simulationis corrumpens panem dilectionis. Et quãuis sic putrefactus panis gustui uideatur suauior, continet tamen malitiam corruptionis: Quæ, sicut & alia omnia, in figura iubebantur patribus illis. Adduntur lactucæ agrestes, ut habet nostra traductio, uel indiuia, ut alij uolunt, sed מרור marur, sicut habet litera Hebraica, quod amarum, uel acrem saporem significat: qui appetitum disponit, sicut uersa uice dulce tollit, ut uidelicet comedatur cum affectu, & appetitu: qui faciat ad digestionem bonam, & transmutationem comesi in comedentem: Aut cum amaritudine, & mortificatione animalis hominis, ut spiritualis sit fortior, & ad digerendũ aptior: Quod clarius exprimitur in his, quæ sequuntur: Subnectitur enim, Renes uestros accingetis, ne quid uidelicet carnale sentiatur, aut cogitetur in hoc edulio. Et ne affectus offendãtur ab aliquo extrinseco, & deuiante obiecto, ulterius subinfertur, ut scilicet calciati sint pedes: qui communiter in scriptura affectus significãt. Baculus quoque in manibus teneri iubetur, id est uirtus præstita meliori homini à Deo, in cuius uirtute omnia facimus: Hunc autem baculum tenere debemus, ut ipso percutiamus omnem uirtutem inimicam, & impedientem opera, & iter nostrum. Et hic est baculus, aut uirga, qua semper utebatur Moses, & in qua Iahacob transiuit Iordanem:

CHRISTVS. Quam uirgam Mosi tribuit Adonai, nobis autem præstat noster IESVS, qui ait: Ecce dedi uobis potestatem super omnem uirtutem inimici, dummodo ipsam conseruare nouerimus. Comedi tandẽ iubetur festinanter, ne maledicatur quisquam faciens opus Dei negligenter: & ut citò suscipiamus citò transeuntem, si-

Isaias cut in Isaia dicitur: Eleuabit signum, crucis uidelicet, in nationibus procul, quando, scilicet exiens à Patre uenit in mundum nos educturus de Ægyptiaca angustia, & quando perfecto opere transire debebat de hoc mundo ad Patrem. Se-

quitur propheta de illius aduentu dicens: Ecce festinus uelociter uenit, iuxta illud Regij prophetæ: Velociter currit sermo eius. Quam Domini consuetudinē Dauid noscens angelus, qui ad Petrum liberandum de carceribus uenerat, ipsi ait: Surge uelociter, ne transeat uidelicet tēpus fauoris: Nam quamuis Dominus sua benignitate semper præsto sit, ut nobis succurrat, faueatque, Spiritus tamen eius CHRISTVS. ubi, & quando uult, spirat, ut ipsemet ait in euangelio, cui titulus est secundū Ioannē: Quod & ipse Dominus iubens clarissimè explicat dicēs: Est enim Phasce id est transitus Domini, sic enim in Hebræo scribitur פסח pascah, à uerbo פסח Pascah, quod est transiuit: Transit autem, ut & nos transire faciat: Sed festinat, ut & nos festinos reddat ad ingressum in terram promissam, ubi datur uera requies, de qua Apostolus: Festinemus ingredi in illam requiem. Festinandū Paulus quippe est, quia periculum est in mora, sicut infert idem Apostolus: Ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum: in quam incredulitatem incidit populus ille trahens longam moram in deserto.

Quid de panibus propositionis, placenta azyma, lagana, panibus similæ, & huiusmodi oleo delinitis. Cap. XX.

Sed cum de carnibus diuersorum animalium offerendis satis dictum sit, restat, ut etiam de panibus aliquid percurramus: Qui offerri iubentur sub diuersis figuris, & modis, non sine profundo mysterio à paucissimis percepto: De quibus & si in plerisque locis pertractetur, pro nunc tamen explicabimus tantummodo ea, quæ de panibus facierum, pro quo nos habemus panes propositionis, & ea, quæ tanguntur in septimo capite libri Leuiticorum, quem Hebræi uaicra appellāt in tractatu, cuius titulus apud eos est צו, id est præcipe: Vbi & uaria forma panis describitur, & multiplex modus conducendi ipsum cum maximo mysterio: Ad quod omnia, quæ alibi pertractātur, mysteria de panibus reduci possunt: Iubetur enim primo accipi חלות מצות halot mazot, quod nostri traductum habent azymos panes. Sed erat placenta, aut collyrida azyma, & hæc subacta oleo. Postea exiguntur רקיקי rechiche, quæ laganas significāt: Et eæ iubentur tantūmodo oleo liniri. Postea offerri præcipitur סולת מרבכת חלות solet murbebet halot, id est simila addita cū placēta; & illud totum simul subactum, & inuolutum oleo: Quæ nostra traductio tam implicatè, & confusè habet, ut nec factum, nec mysterium, nec sacramentū, quod magnum est, percipi possit: Hæc enim simul cum his, quæ de panibus facierum dicuntur reconditissima sunt arcana, & symbolum habentia cum eo sacrificio, quod unicum summus Pontifex noster Christus Iesus offerri iussit in cibum, uitamque nostram, atque in sui commemorationem: Sacramentum autem est, quia per illum panem unicum compactum ex diuersis granis, atque transmutatum in corpus ipsius innuit nos omnes, qui sumus membra eius, primo conficiendos fore in unum corpus per charitatem, & amorem, postea offerendos Deo in hostiam sanctam, ipsique Deo placētem, ut tandem inde transformemur in Chri-

stum,ut dicamus: Viuo ego, iam non ego, uiuit uerò in me Christus: Qui Pontifex summus, sicut in terris uisus, totum sacrificium carne, & pane conclusit, ueluti præ omnibus magis exprimens corpus nostrum couniendum cum capite nostro Christo, & animam in Deum transformandam, ita dum olim loqueretur Israël dilecto suo figuratiuum sacrificium in huiusmodi, carne uidelicet & pane conclusit. Et primo ordinauit panes quosdam reponẽdos super mensam in arca ante faciem Domini ibi existentis, undè panis facierum, id est coram Domino propositus dicebatur: De quo nõ licebat comedere, nisi sacerdotibus, & his, qui erant mundi à mulieribus, & coinquinatione corporis à die tertio citra, sicuti patefecit Achimelech Dauid flagitanti panem illum in extrema necessitate constituto, pro qua tantummodo illis qui sacerdotes non erant comedere permittebatur. Qui panis sanctus expressè significabat panem illum, qui de cœlo descendit: quique est uerus panis facierum, quia introducens ad uitam, in qua uidebimus Deum facie ad faciem. Et sicut ille non pertractabatur, nisi à solis sacerdotibus, nec dabatur nisi mundis, ita hic nõ pertractatur nisi à sacerdotibus:
Paulus *& prohibetur dari immundis sub comminatione maxima, dicente Paulo: Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit: Imò, si bene perpẽ-*
Petrus *dimus, nõ datur nisi sacerdotibus: quia datur solummodo christianis, quibus Petrus ait: Vos estis regale sacerdotium: Sumus enim membra illius, qui constitutus est sacerdos secũdũ ordinẽ Melchisedech, id est regis iusti: quia omnes obtulimus nos in baptismate mortificatos quidem carne, sed Deo hostiam uiuentem.*
Leuitic. *Et ut Deus perficeret mysteriũ de panibus, in Leuitico iubet addi oleum, quod (ut alibi diximus) significat diuinitatem, qua ungebantur, & perfundebantur reges, uates, & sacerdotes offerentes sacrificia. Vngebantur quoque panes significantes in nobis ea, quæ perfundenda sunt diuinitate, animas nostras uidelicet: Caro enim illa animalium significabat corpus Christi: primo, quod traxit de purissimis sanguinibus Virginis, postea corpora nostra simul offerenda cum eo, cuius membra sumus: Panis uerò effigiat primo animam illam Pontificis nostri, qui de cœlo descẽdit, & consequenter animas nostras perfundendas de plenitudine diuinitatis ipsius, ideo illi panes hæc significantes iubebantur oleo perfundi. Sed obserua quæso huius perfusionis ordinem: Primo enim offerebatur placenta azyma oleo subacta, postea lagana tantummodo illita oleo, postremo placentæ addebatur simila, quæ simul cum placenta subigebatur oleo, & azymus panis: quibus denotatur egressus animæ per panẽ signatæ à Deo, progressus in uita, & debitus redditus in ipsum Deũ. Anima nanque nostra dum egreditur à Deo, sentit naturam parentis, & Dei ipsam insufflantis, undè dicitur inuoluta, atque subacta diuinitate: Cuius signum est, quia nocere nescit, diuina libenter gestit, & aspirare uidetur ad Deum, cuius semen retinet adhuc recens, quousque obtenebretur, & fuget hospitem Deum admittens oblectamenta rerum inferiorum, & peccati: quibus subintrantibus recedit Deus. Sed quia non*

penitus destituitur anima, quamuis sit in peccato, & affectibus terrenorum ple na, adhuc tamẽ christiana, id est uncta, ideo designatur per laganam tãtũmodo oleo illitam. Si autem laborat homo reuerti in Deum; & effici filius eius, iuxta potestatem ab eo ipsi traditam, tunc iterum linitur oleo diuinitatis, & repletur de plenitudine christi, sicut contigit priscis illis patribus, de quibus dicitur: Repleti sunt omnes spiritu sancto: Et tunc reuertitur homo ad illũ statũ, & conuen tionem cũ Deo, qua eramus, quando ab ipso exiuimus: Quò optat nos deuenire cœlestis doctor: imò ut illuc deueniamus hortatur comminando etiam; dum ait: Nisi efficiamini, sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum: Quod innuitur per placentam uel collyridam, quæ subacta oleo tertio loco offerri iubetur. Simila autem, id est deflorata farina, & reliqua parte candidior, ex qua oriẽ tales solent albißimas spiras conficere, indicat eam meliorem sortem diuinitatis; quam in Dei seruitio puro, mundo, atque fideli, diuina præstãte gratia, comparamus: Quod signatur per quinque, uel duo talenta acquisita ultra illa bono ne gotiatori à principio tradita: Non enim talento præstito stare debemus contenti, ne ut torpentes, & ingrati ab eo qui tradidit, arguamur. Additur adhuc huic placentæ, & similæ fermentatus panis cum sacrificio laudis, in pacificatione offerentis uidelicet. Quod fermentum non quidem est nequitiæ, & malitiæ totã massam corrumpens, sed melius fermentum transmutans uidelicet hominem in sortem, & gradum superiorem, & in eãdem imaginem, quæ est filius Dei, existens uerus lapis, non quidem philosophorum, aut medicorum, sed cœlestis, & di uinus, qui Christus est: Ideóque intrat in nos, ut diuinos & cœlestes nos efficiat, de quo inquit Petrus: Ad quem accedentes lapidem uiuum ab hominibus quidẽ Petrus. reprobatum, à Deo autem electum, & honorificatum: Qui nunc fundamentum nostrum est, nunc uirtus quædam sanctificans, & transmutans, ideo sequitur Pe Idem trus: Et ipsi tanquam lapides uiui superædificamini in domos spirituales, ecce primum: Postea de secundo sequitur dicens: In sacerdotium sanctum offerentes spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum, qui uidelicet uirtute sua transmutat nos in ueros sacerdotes, & Dei filios: ut cohæredes simus regni, & gloriæ ipsius. Quam uirtutem, & potestatem nobis contulit, sicut & seipsum tradidit comedendum: ut ingrati in ipsum transformemur effecti & nos in panem cœlestis diuinitatis oleo subactum, & fermentatum gratia, & uirtute ipsius.

Quid suffumerium, siue thuribulum, thus; & thurificatio. Cap. XXI.



Ec uacat à mysterio suffumigatio, quæ in sacris fieri iubetur: q̃d æquum est, ut & Deus colatur, & homo interior nutriatur omnibus poßibilibus modis: Colitur enim Deus auditu, dum orationibus, & laudibus ipsum, quantum possumus, complemus. Nutritur homo per aures cibo uerborum omnium, quæ procedunt de ore Dei, & eius David internis locutionibus, de quibus inquit propheta: Audiã quid loquatur in me do

minus Deus. Colitur Deus cibo, quem apponimus, quando ipse intrat ad nos cœ

CHRISTVS. naturus nobiscum: Et hic cibus est conuersio, & attractio animarum nostrarũ, sicut ipsemet testatur loquens de Samaritis conuersis cum discipulis, & dicens: Alium cibum habeo mãducare, quem uos nescitis. Nutritur & homo per os pane illo, qui de cœlo descẽdit, & carne agni ꝑ nobis oblati, illius quippe, qui tulit peccata mũdi. Colitur Deus cognitione & meditatione nostra: de qua canit re

David gius Vates: Beati qui scrutãtur testimonia eius, in toto corde exquirũt eũ: Et iterũ: Et meditabor in mandatis tuis, quæ dilexi. Nutritur & melior oculus noster ea luce, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mũdum. Colitur Deus multiplici suffumigatione, ut plerisque in locis dicat scriptura: Odoratus est Dominus odorem suauitatis. Nutritur & melior homo per nares, per quas infusa est anima illa melior quæ spiraculum uitæ, sed uitarum dicitur in ueritate literæ, eadem suffumigatione thuris, & thymiamatum, quæ ab eo loco proueniũt, à quo & ipsum spiraculũ infusum: ut cõgeneus sit cibus cum eo, qui cibatur: & is, qui colit, cum medio quo colit conueniat, & utrumque simul cum eo qui colitur: Prouenit nanque anima à supremo fonte bonorum, & uero datore forma-

CHRISTVS. rum per eum, per quem facta sunt omnia, sicut ipsemet testatur dicens: Pater meus usque modo operatur, & ego operor, aut de nouo creando, ut dicunt nostri Theologi, aut infundendo id, quod ab ipso fonte emanat, ut alij asserunt. Ab eodem loco originem, & uim suscipiunt & thus, & huiusmodi odoramenta, quæ in lege adoleri iubentur, ut dicunt secretiores Theologi: Nam unaquæque res, ut ipsi docent, habet in archetypo particularem locum, unde uim & originem trahit. Hinc suscipit Dominus in odorem suauißimum huiusmodi, quæ ipsi restituuntur ab anima purificata, & iam disposita simul conscendere cũ illa suf

David fumigatione: cum qua optabat diuus Citharœdus, ut saltẽ eius cõscenderet oratio, dum cecinit dicens: Dirigatur Domine oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo. Condelectatur in huiusmodi odoramentis & anima nostra ipsius Dei proles, suscipiens ea per illas nares, per quas & ipsa intrauit in inferiorem hominem: per quas etiam aliquando emittuntur spiritus uiuacißimi, qui retineri nequeunt in corde, bile, aut labore exæstuante. Hinc existimatur à quibusdã odoratus ipse uiuacior, & spiritualior cæteris sensibus: Thus autem, quod in lege adoleri iubetur, uariis componebatur aromatibus, & gummis, tanta arte, & sacramento conductis, ut magna comminatione iubeat Deus, ne compositio illa ad alios usus conuertatur, aut alteri adoleatur quàm ipsi Deo, sicuti habetur in fine trigesimi capitis libri Exodi, ubi dicitur: Sãctum sanctorum erit uobis thymiama illud uidelicet: Quod nullatenus facietis in usus uestros, quia sanctum tibi erit Domino. Vir quicunque fecerit tale thymiama pro odoratu sensuali uidelicet, abscindetur à populo suo. Quæ autem ingrediebãtur compositionem illam, & quomodo conducebatur, non adhuc perfectè exploratum habeo, quamquam aliqui iactitant de scientia illius compositionis, & gummarum, atque aro-

matum ingredientium ad thymiama illud conducendum: Varias quippe inuenio sententias, atque interpretamenta de gummis, & aromatibus istud conficientibus נטף Nataph enim in nostra traductione uersum habemus staclen, sed alij nõ ignari asserunt, quod sit balsamum, alij opobalsamum, שחלת Sachelet, quod nostra traductio habet onychã, apud alios habetur ambracã. חלבנה Helbena; quod traductor noster interpretatus est galbanam boni odoris, alij asserunt esse masticen. Item quamuis dicatur in textu, quòd omnia ista sumantur in aequali pondere simul cum thure lucidißimo, aut transparenti, tamen de modo componendi nihil dicitur, sed tantum, quod fiat arte pigmentarij: Qualis autem illa sit Deus nouit: Nouerant & illi patres, qui huiusmodi odoramenta solebãt Deo adolere: Nobis autem, in quibus figura cesßit ueritati, diligẽtißimè curandũ est, ꝓ sacrificiis animaliũ, & delicato thymiamate, ut offeramus nosmetipsos Deo in hostiam sanctam, ipsi placentem, & in thymiama ex diuersis uirtutibus compositum, gratia, & arte summi pigmentarij nostri Christi Iesu, ut dicere possimus cum Apostolo: Christi bonus odor sumus. Deo uidelicet & hominibus.

Christus est summa ueritas, & lux omnes docens, & omnia collustrans. Tonus Quartus.



Quid sit ueritas. Cap. Primum.
Christus est ueritas. Cap. II.
Christus est legis ueritas. Cap. III.
Quomodo iota unum, aut unus apex legis non praeteribit non cõpletus, & non uerificatus in Christo. Cap. IIII.
Christus legem perfecit. Cap. V.
Quid sibi uelit uitula rubea, & eius cinis in sacris, & in expiatione coinquinatorum. Cap. VI.
Qualiter doctrina Christi est summè uera. Cap. VII.
Quid cum ueritate legis ea, quae Christus docuit. Cap. VIII.
Qua ueritatis rectitudine Christus Deus regat mundum. Cap. IX.
Quae in ueritate de credendis Christus docuerit. Cap. X.
Quòd sola fides, quae est pura credulitas, minimè sufficiat ad salutem. Cap. XI.

QVID SIT VERITAS, Caput primum.



ANTVS est ueritatis splendor, ut omnes debiles oculos opprimat, & paruam potentiæ uirtutem excedēs offendat: Hinc uulgarium animi, & non adhuc bene expiati magis crasso mendacio, quàm subtili ueritate oblectātur: quia ueritas est rectitudo sola mēte perceptibilis, ut communi sententia diffiniunt Sapientes: Et si sola mente percipitur, non igitur deprehenditur ab iis, qui mentē ipsam nullatenus possidēt, qui nec sapiunt ea, quæ Dei sunt, qui est fons totius ueritatis: Cuius propria uis est concordia, & conuenientia medij cum principio, & fine. Hinc mysterio non modico in antiquissima lingua (quæ sancta dicitur) ueritas sic describitur אמת. In quo uerbo prima litera alphabeti, media, & extrema connexæ conueniunt: Nam א Aleph est prima ת Tau ultima מ Mem uerò media, & cū earū punctaturis profertur emet: Quibus literis indicatur tota rerum textura, egressus uidelicet à principio in rē ipsam, atque reuersio in finem: Et hæc est propriè ueritas, & rectitudo, quæ ad ueritatem spectat. Insuper ad denotandam firmitudinem, stabilitatemq́ue ueritatis, eius nomen componitur ex literis bifariè quadratis, figura uidelicet & numeris: Figura enim ipsarum literarum ea est, quæ firmos habeat pedes, & bases, quibus stet quælibet earum seorsum, & fortius omnes simul, sicuti econtrario nomen significans mendacium scribitur eis literis, quæ nullam habent stabilitatem, nec stare possunt seorsum, neque simul iunctæ, ut uerum sit adagium, mendacium breues pedes habet, imò claudos, & debiles: Sic enim illud nomen scribitur שקר quod proferentes nostra lingua dicimus secher. In numeris quoque omnes literæ, ex quibus componitur nomen ueritatis, importāt numerum quaternarium solidum, & firmum: א Aleph enim unum significat, & mille: Quod unum est principium solidum, & essentia omnium numerorum: Mille quoque est cubus denarij numeri completi, מ mem autē significat. 40. qui est numerus deductus per denarium numerum completum, & per quaternarium numerum radicalem, & solidum fundamentum omnium numerorum. ת Tau uerò significat. 400. numerum deductum per denarium, & quadragenarium, siue per quaternarium, & centenarium, qui est quadratus denarij: Decies enim quadraginta, aut quater centum constituit. 400. sicq́ue numeri, atque figuræ literarum, quæ continentur in nomine ueritatis, semper solidæ sunt: In literis autem, quibus componitur nomen mendacij, nec figuræ (ut diximus) nec numeri importati per eas continent aliquid soliditatis: undè innuitur quòd ex se mendacium facilè corruit. Insuper aduertendum est, numeros literarum mendacij multum discrepare à numeris denotatis per literas ueritatis: In istis enim una litera significat (ut di

Sapien.

ximus) unitátem, & millenarium, alia quatuor denarios, tertia uerò quatuor cẽtenarios, indicans quòd ipsa ueritas deprehendit, & colligat res diuinas denotatas per א aleph, cœlestes per מ mem, & quadragenariũ, & terrestres per ת tau, & quatuor centenarios: ut patet iis, qui sciunt ueram mathematicam formalem. Litteræ autem, ex quibus componitur nomen mendacij, omnes important centenarios, numeros quippe addictos rebus inferioribus, & crassioribus, ubi uiget mendacium, & falsitas: Nam illarum literarum ק coph dat centum, ר res ducentos, & ש sin trecentos.

Christus est ueritas. Cap. II.



EX antedictis facilè deprehditur, quomodo Christus sit ueritas; qui non modo conuenire facit medium cum principio, & fine, sed est ipsum medium, principium, & finis, sicuti ipsemet attestatur loquens Ioanni in pathmotica uisione dicẽs: Ego sum α & ω, alpha & omega, principium & finis: Græco enim sermone loquebatur sicuti & reuelatio ipsa fuit tota Græco idiomate conscripta, & perinde est ac si dixisset Hebraico sermone: Ego sum א aleph & ת tau: Harum enim una est prima, altera uerò ultima litera, sicuti in Græco alphabeto alpha est prima; & omega postrema. Nulli igitur relinquitur dubium, quin Christus sit primus & ultimus, principium & finis: Qui iterum dixit: Ego principium: Et iterum: Omnia traham ad meipsum, tanquam uidelicet ad finem. Hoc quidem solum testabar, ut medium quoque constitueretur. Hinc (ut suo loco explicabimus) in mediũ, & mediatorẽ multifariè effectus est. Ecce igitur elegantissimam rationem quare scilicet Dei uerbum humanitatem, & corpus, atque totum hominem omnigenam creaturam assumpsit: ut uidelicet principium existens, mediumque assumens, id est hominẽ; qui est medius inter Deum, & creaturas alias, omnes ipsas continens, deduceret ipsum, & omnia, quæ in eo sunt, in debitum finem: Atque hoc modo conuenire faciens extrema, & medium cum utróque, meritò ueritatis nomen sibi uendicaret, & diceret: Ego sum ueritas. Insuper ueritatis nomen sortitur, quia in ipso sunt regulæ æternæ, quibus conformari omnes debẽt in uita, & moribus: Vndè ipse moderator est omnium factus uia, ostium, uitis, truncus, regula, doctor, magister, regulator, omnes dirigens, & ueritate complens, quia ipse plenissimus est, iuxta illud Ioannis: Vidimus eum plenum gratiæ, & ueritatis, de cuius plenitudine omnes accepimus.

CHRISTVS. Idem. Idem. Ioan.

Christus est legis ueritas. Cap. III.



IN hunc quoque Christum nõ tantum omnis creatura colligitur, sed adeo tendit tota lex & prophetæ, ut ipse sit ueritas ipsius legis: quia per ipsum, & in ipso tota lex uerificatur: Et hoc est quod Ioannes ait: Lex per Mosem data est; gratia & ueritas per Iesum Christum facta est, complendo uidelicet, quæ in lege de ipso scripta erant: Et in hunc sensum Philippus de ipso, qui non adhuc compleuerat scripturas, in-

Idem. Philipp.

CHRISTVS. quit: Quem scripsit Moses in lege, & prophetæ, inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazaret: Et ipsamet Veritas ait: De me scripsit Moses, uolés inferre ea, quæ in lege scripta sunt, in ipso uerificari: Quod uerum est, sed diuersimodè: Nam aliquando retexitur eius genealogia, aliquando scriptura de ipso loquitur typicè, & figuratiuè, alibi per effectus exhibitos in uirtute Christi uenturi, alicubi uerò uaticinatur promittens ipsum uenturum, & plerisque in locis ipsius dignitatem, gloriam, uirtutem, & opera præclarissima multigena exarat: Et hæc omnia eo uelamine reclusa, ut nisi amoueatur, nullibi clarè percipi posſit, ubi Moses de Christo scripserit: Sed reuelata facie aliquid de gloria Domini speculari poterimus: Quod sua benignitate cõcedat ille, qui (ut Lucas narrat) incipiẽs à Mose, & prophetis, sic interpretabatur scripturas duobus comitibus, ut dicerent, Nónne cor nostrum ardens erat in nobis, dum in uia aperiret nobis scripturas? Genealogiam enim texere incipit à protoplaste, proceds per totum Pẽtateucum, & per libros ducum, iudicum, & regum, & per libros dierum, quos paralipomenon dicunt: Vndè Matthæus, & Lucas assumpserunt, quid de ipsius genealogia perstrictè recenserent: Et quamuis ij duo discordes aliquando uideantur, non tamen falsa enarrant: cum alter naturalem genesim, alter uerò legalem describat, sicuti Hieronymus, & Augustinus longa serie disserunt. Per figuras uerò, & similitudines in locis penè innumerabilibus hunc nostrum Christum depictum habemus: In tota enim serie tabernaculi, sacrificiorum, & sacerdotij Melchisedech, atque Aaron (Paulo interpretante) ipse magnis sacramentis discribitur, ut aliqualiter suprà adumbrauimus. Non secus de Iona misso ad Niniuitas, qui fugiens in Tharsim in mare poiicitur, & tandẽ per prædicationem Assyrios ad pœnitentiã impellit, sicut ipsamet Veritas negotium illud in ipsius typum, & signum exhibitum fuisse referat. Itidem quoque in tota historia Abrahæ, qui (sicut Paulus cum Galatis disserens interpretatur) duos filios genuit, significantes duo testamenta: alterũ quippe in seruitute legis, alterũ autẽ in libertate spiritus. Et filius ancillæ fuit prior natu, sicut & testamentum seruitutis: Posterior autem & hæres filius liberæ, sicut & testamentũ libertatis in spiritu hæreditatem ueram, & sempiternam promittit. Et sicut tunc filius ancillæ persequebatur filium liberæ, sic & à multis temporibus citra descendentes à filio ancillæ, qui Ismaëlitæ dicuntur, persecuti sunt, & persequuntur cohæredes Christi, quousque dabitur tempus, quo fiet unum ouile, & unus pastor: Et tunc omnia clara luce completa uidebuntur: Quod tempus (ni fallor) propinquissimũ est: Effectus autem, qui in uirtute Christi exhibiti narrantur in lege, sunt penè infiniti, ex una tamen radice prodeuntes omnes: Quæ radix est redemptio, siue liberatio, clementia, pietas, misericordia, condonatio delicti, iuxta illud Apostoli: Cum mortui essetis in delictis, cõuiuificauit uos, donans uobis omnia delicta, delens, quod erat aduersus uos, chirographum decreti, quod erat contrariũ nobis. Et ipsum tulit de medio affigens illud cruci: Imò tota Pauli doctrina hac ra

Idem Lucas. Hieron. Augusti. Paulus Idem

dice pullulat, sæpius, & plerisque in locis repetens gratiam, quàm nobis acquisiuit Christus, & omnia pietatis obsequia, quæ nobis exhibuit. Et ut aliquid de *antiquis effectibus percurramus, id indicauit uestis illa pellicea, quam Deus eius clementia uestiuit primos parentes peccati ignominia denudatos.* Hoc innuit *quælibet promissio facta* Patribus *de benedicendis omnibus tribubus terræ in semine* Abrahæ, Izahac, Iahacob, & Dauid: Hoc liberatio Abrahæ de Vr Chaldæorũ, *benedictio* Iahacob, & *uictoria deducta:* Hoc *deductio posteritatis eius de* Aegypto, & *cibus de cœlo ministratus in deserto, & aqua propinata de petra, quæ (ut clarè inquit Apostolus) erat* Christus: Quem Moses in *petra percutiens grauiter peccauit, non confidens de aqua misericordiæ gratis tribuendæ, absque ipsius petræ percussione.* Et secundum gratiam à Christo im*petratam dictum fuit* Dauid *per* Natam *prophetam:* Distuli *peccatum tuum:* Et de Achab *dictum est ad* Isaiam: Nónne *uidisti* Achab *humiliatum?* Ideo nõ *inducã malum in diebus eius.* Omnia *itaque huiusmodi, quibus* Deus *se clementem, & misericordem præbebat, erant effectus* Christi *uenturi: in cuius uirtute aperta est ianua pietatis, & clementiæ: quæ brachium dextrum à secretiori bus* Theologis *nũcupatur:* De quo Isaias: Et *brachium* Domini, *cui reuelatũ est?* Et *cœlorum regina in Cantico:* Fecit *potentiam in brachio suo: potentiam quippe, quia non minor uirtus requirebatur in restaurando, & redimendo, quàm requisita fuit in creando.* Tunc *quoque lex, quæ erat ignea, & à sinistris terrificans, & occidens, deducta est in dexteram pietatis, sicuti præcinuit* Moses, *antequam benediceret filios* Israël, *dicens:* Dominus *de* Syna *uenit, & de* Sehir *ortus est nobis: & hoc, quo ad legem, in qua uisus est oriri apparens in igne, quando ipsam dedit, & sensibiliter loquens, ac in tabernaculo habitans, atque legis doctrina (sub uelo tamen quodam) contentus.* Sequitur Moses: Apparuit Dominus *de monte* Pharan, *uel uel ut melius dicamus iuxta literam, de monte* פארן Paaran, *id est de monte pulchro, & gloria pleno:* Qui *mons est* Christus *noster, de quo alibi dicitur:* Mons *coagulatus, mons pinguis, mons, in quo beneplacitum est* Deo *habitare in eo, iuxta illud paternæ uocis:* Hic *est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Ex *monte igitur hoc pleno gloria, & gratia apparuit iterum* Dominus, *& cum eo sanctorum milia, qui (ut* Matthæus *inquit) introierunt cum eo in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.* Tunc *uisa est in dextera eius ignea lex:* Quia *tunc ignis zeli, & excandescentiæ diuinæ deductus fuit in dexteram, & conuersus in aquam sapientiæ, & pietatis:* Ideo Christus *uenit in aqua, & per aquam dicitur nos regenerasse:* Et *hoc quia (ut sequitur) dilexit populos nõ ultra puniẽs, & terrificãs, sed ut benignus* Pater *diligens, purificans, pascens, & dans seipsum in redemptionem pro multis:* Per *quos omnes effectus habemus* Christum *prænuntiatum in lege, decantatum à prophetis, & attestatum ab* Apostolis, & Euangelistis: Vaticiniũ *autem factum de ipso, à* Mose *potissimè, semper occultũ fuit, adeo, ut in cortice*

Paulus | Natam | Isaias | Idem | Btã Vir. | Moses | Idem | Psalm. | DEVS. | Matth.

literæ nullum uideatur. Si autem quis amoto uelamine introſpexerit, ſentiet cor in uia ardere ſummopere: Et ut aliquã feneſtrenulã aperiamus, narrat Moſes hominẽ ſolertiſſimo artificio fabricatũ cum imagine, & ſimilitudine Dei utroq; ſexu decoratũ, ſicut de opifice atteſtatur Mercurius, ut alibi diximus: Et ipſum deſcribit prælatum omnibus creaturis, ſicuti ad uerbũ de Chriſto interpretatur Paulus: Et hoc antequã (ut ipſe Moſes ait) eſſet homo, qui operaretur ſuper terram: De cuius hominis fabrica ſtatim ſubintulit dicens: Formauit igitur Dominus Deus hominẽ puluerem de terra, & cætera, quæ ſequuntur: Vndè clariſſinè habemus primam deſcriptionẽ humanæ fabricæ (ut nonnulli ſapientes aſſerunt) fuiſſe de Chriſto: Qui ſicut (teſte Ioan.) occiſus fuit ab origine mundi, ita quoq; ab origine mũdi productus fuit, & omnibus prælatus, iuxta illud Pauli: & cum introduceret Primogenitũ in orbẽ terræ, dixit: Et adorent eũ omnes angeli eius. De ipſo quoq; loquitur Moſes, aut lex in Iabacob dicens: Veniet Silo id eſt Meſſiah, & ipſe erit expectatio gentium. De ipſo quoq; dicebat ipſe Moſes, dum eligeretur à Deo liberator populi: Mitte, quẽ miſſurus es. Innumerabiles ſunt huiuſmodi loci, in quibus Chriſtus præcinitur: Et pleraq; ſunt, in quibus dignitas, gloria, uirtus, & egregia opera ipſius enarrantur quãplurima, ut illud Iſaiæ: Et factus eſt principatus ſuper humerũ eius, & uocabitur nomẽ eius admirabilis conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis, multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis, ſuper ſolium Dauid, & ſuper regnũ eius, ut confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iuſtitia amodo, & uſq; in ſempiternũ: Et illud, quod in Geneſi antea uaticinatus fuerat Iabacob dicẽs: Non auferetur ſceptrum de Iehuda, donec ueniat Meſſiah: Et ipſi congregabũtur omnes gentes, aut populi: Quod clarius regius propheta decantauit in ſecũdo hymno dicens ad ipſum ſub nomine Patris: Poſtula à me, & dabo tibi gentes in hæreditatem tuam: Nam (ut inquit Paulus) factus eſt hæres uniuerſorum, ſicuti per ipſum facta ſunt ſæcula, id eſt machina hæc tota, atque omnes hoſpitantes in ea: Ideo ſequitur propheta: Et poſſeſſionem tuam terminos terræ. Sic & in pleriſque pſalmis, maximè in ſeptuageſimo primo, & octogeſimo octauo multas de Chriſto cantat regius propheta egregias laudes: Et ut breuiter me expediam, nulla eſt legis, aut prophetarũ enarratio, quæ non referatur aliquo modo ad Chriſtum, ſiue immediatè, ut tetigimus, ſiue mediatè, ſicuti myſterium de ueſtimentis ſacerdotum, quæ ſacramenta habent in ipſis Sacerdotibus induẽdis: Item in noſtris, & tandem in Chriſto, ad quem omnia referuntur, ſicuti in ſuperiori tono explicauimus. Et omnia denique adeo referuntur ad Chriſtum, ut nullum ſit iota, aut apex, qui non compleatur in ipſo, ut patet ſanè intelligenti: Sed omnia exarare ſingilatim labor quidẽ eſſet inexplicabilis: Ne tamẽ uideamur hæc ſine fundamento aſſerere, aliqua percurremus, in quibus etiam minimũ iota, uel apex locum habuit in Chriſto, ut ex paucis adumbratis cætera facilius poſſint credi, & aliqualiter attingi.

Mercu. Paulus Ioan. Paulus Moſes. Idem Iſaias Iabacob Dauid Paulus Pſalm.

Quomodo iota unum, aut unus apex legis non præteribit non completus, & non uerificatus in Christo. Cap. IIII.



IOta minima est alphabeti litera, apex uerò punctus, siue accẽtus: Quæ omnia in scriptura debito numero, pondere, & sacramento collocata sunt, adeo, ut Rabbi Symeon Ben Iochai & post eũ Elchana, & alij, non solũ sententias, & uerba interpretari conati sunt, sed etiam rationem reddere de literis, & ipsarum figuris, cum apicibus sub, & supra positis: Et ut aliquid exempli gratia adducamus in medium, primum uerbum legis, quod est בראשית Beresit interpretantes quærunt primo, cur lex, & descriptio fabricæ incipiat à ב Bet: Respondent: Quia ב Bet significat domum, & indicat sapientiã superiorẽ: in qua omnia collocata erãt prius, quàm in proprias formas educerentur & per ipsam producta sunt omnia iuxta illud Psalmographi: Omnia in sapientia fecisti: Cui adstipulatur Ioannes, qui dixit omnia præfuisse in uerbo, ueluti uitam quandam creatricem: & postea omnia per ipsum uerbum facta fuisse. Quæritur secundo, cur sequens litera sit ר res: Et ut omittamus ea multa, quæ tangit Elchana, dicunt aliqui, quoniam cum Bet ב importans duo in numero denotet primum productum in diuinis, qui est Filius, & secũda persona Trinitatis ר res importans duo centenaria innuit primã rem productam in rebus crassissimis, materiam uidelicet, quæ apud Pythagoreos denotatur per dualitatem. Tertio loco ponitur א Aleph litera quidem diuinitatis, & primi fontis omnium bonorum, innuens quoniam producta materia interuenit formarũ dator, qui (ut Elchana ait) influens in ב Bet & ר res dat, ut materia formetur, & uiuificetur per filium, qui est sapientia creatrix, & omnium rerum uita: Et ꝙ pulchrum est, iunctò א Aleph cum ב fit אב ab, quod patrem significat, qui pater non potest esse sine filio. Ecce igitur, quomodo doctores Hebræi reserantes mysteria literarum confitentur Patrẽ, & filium, & consequenter totã Trinitatem: Nam de Spiritusancto nulla est apud eos ambiguitas: Qui primus dator formarũ deducens in materiã formam, quæ præerat in filio, tanquã idea, & uita rei producẽdæ, causat ש sin, quæ litera ternariũ cẽtenariorũ importat, innuẽs expressè illis, qui huiusmodi mysteria norũt, ꝙ in materia illa crassa producta sit forma. Et cũ nihil possit stare in mũdo, nisi repleatur diuinitate, iuxta illud propheticũ: Auferes spiritum eorũ, quẽ scilicet uiuificantem dedisti eis, & deficient: ac in puluerẽ suũ reuertentur: aperiente autẽ te manũ tuã omnia implebuntur ubertate: ideo quinto loco ponitur י iod, quod nostri proferũt iota, Quæ litera quoq; diuinitatẽ significat rebus infusam, & omnia replentẽ, iuxta illud, ꝙ habetur in Ieremia: Cœlũ, & terrã ego impleo. Quæ plenitudo prius fuit ĩ Christo, dicẽte Paulo: Quoniã placuit Patri uidelicet omnem plenitudinẽ habitare facere in eo. Omnibus itaq; sic productis coaceruata est massa generis humani, & separatus electorũ cœtus dictus populus Israël, ad quem solum reparandũ uenit Mesiah. Et ut etiam hunc cõplecteretur, in pri

Symeon Elchana

Dauid Ioan.

Elchana

Pythag.

Elchana

Dauid

Ieremi.

Paulus

mo uerbo legis, & historiæ mūdanæ fabricæ, addidit ת Tau, quod cōgregationem Israël significat, sicuti Elchana exrepsè ait: Quorū omniū summarius sensus est: In sapiētia, quæ est uerbū, & Filius summi Patris, producta est prima materia omniū rerū, postea à fonte omniū bonorū data est forma rebus, & cōsequēter omnia sunt bonitate cōpleta: & tandē genus hominū, præcipuè electorum, propter quos facta sunt omnia, innuitur productum. Quæ cuncta, cum reduci debeant ad illud primū, à quo prodierūt, prima litera secūdæ dictionis iterum est ב Bet, sigillū quippe sapientiæ, quæ Christus est, & est principiū ברא Bara, quod creare, purificare, & innouare significat, innuēs omnia resumēda à Christo, atq; purificanda per lauacrū, quod in paßione effudit, & tandē renouāda per ipsum suscitatū, & reducētē hominē renouatū, & per ipsum omnes creaturas in eo cōtentas, in Deū Patrē, signatū per א Aleph: Creatura autē reducenda signatur per ר res, quod ducentos importat, sicut א Aleph unū, & mille, ut expresse dicitur in fine Canticorū: Aleph tibi selomo, & ducēti iis, qui custodiūt fructus eius, id est creaturis omnibus, quāuis mēdosi codices habeant: Mille pacifici tui. Ecce igitur quomodo omnes literæ illorū uerborū referūtur, & cōplentur in Christo, etiā minima litera, quæ est י iod: cuius spinula superior, quādo bene formatur, subtilißima est, & extenditur quousq; aufugiat aciem oculi nostri, innuens inuisibilem diuinitatē: à qua (ut dicit Elchana) repletur illud iod, id est Christus per ipsum denotatus, qui benedictionem illam, & influentiā susceptam influit inferius, ut expreßè inquit Ioan. Vidimus eū plenū gratia, & ueritate: de cuius plenitudine omnes accepimus. Ideo non sine causa illud iod ponitur in principio nominis ישו Iesu. Aliud quoque mysteriū cōtinetur in literis cuiusq; dictionis, quoniā si reuoluātur p modū apud Hebræos celebrē q dicitur sirupb diuersa inde extrahuntur mysteria, ut exēpli gratia, in dictione חמר Hamor, quæ asinū significat: quē non sine mysterio ascēdere uoluit Christus in die palmarum, quando ex pietate, horridam prouinciam redimēdi humanum genus aggressus est: in quo uerbo si pponatur ultima litera, habebimus רחם Rehem, quod pietatem, & clementiam significat, qua potißimè usus fuit ab illo die, usq; ad extremum paßionis pro nobis toleratæ. Hinc quoq; diuina dispositione factum est, ut in illa die pueri semiuates prosternerent ante ipsum ramos oliuarū: ut denotaretur opus pietatis, & misericordiæ, quod tunc assumere incipiebat. Alio quoque ordine à literis illis excerpūtur mysteria, assumēdo uidelicet, aut primas, aut extremas literas diuersarum dictionū: ex quibus componitur nomē illius, de quo occultè loquūtur uerba oraculi, ut in exemplum adducamus illud, quod Iahacob Deo plenus in Iehuda de Christo uaticinatus est dicens: Quousque ueniet Silo, id est Meßiah, & ipsi congregabuntur populi: in Hebræo habetur יבוא שילה ולו יקהת Iabo siloh uelo: Quarum dictionum primæ literæ sunt ישו. quæ si componantur ordine, & more Hebraico, constituunt ישו Iesu, ut sit sensus: Donec ueniat Meßiah, qui est Iesu, cui congregabūtur gentes

Elchana
Cantic.
Elchana
Ioan.
Iahacob

suscipientes cultum, & testamentum eius. Simili modo in psalmo septuagesimo Psalm.
primo, in quo multa eulogia decantantur de Christo, inter quæ illud habemus:
Permanet, *aut firmatur* nomē eius, & benedicētur ī ipso omnes gētes, *ubi in* He
bræo habetur ויתברכו בו כל גוים ינון שמו *iinon semo ueit barcu bo col goim:*
Quarum priorum trium dictionum, si primæ literæ accipiantur, & ordinentur
eo modo, quo nuper dictū est, constituitur hoc nomen ישו Iesu: V*bi expresse in-*
nuitur, quòd Iesu *est nomen illius, de quo tot, & tanta decātat* Vates, *in quo be* Dauid
nedicentur omnes gentes, & in quo solummodo (ut ait Petrus*) oportet homines* Petrus
saluos fieri. Celebriori autem mysterio illud idem nomen eodem modo retexi-
tur in psalmo nonagesimo quinto, ubi propheta inuitat omnes ad celebrandum Psalm.
nouū canticū pro nouo opere, quod celebrare debebat Meßiah: Et *inter alia mo*
numēta hoc habemus: Lætētur cœli, & exultet terra: cōmoueatur mare, & ple-
nitudo eius: gaudebūt cāpi, & omnia quæ in eis sunt: Quæ uerba in Hebræo *sic*
habētur ישמחו השמים ותגל הארץ ירעם הים ומלואו יעלז שדי וכל אשר בו
Iosmehu bassamaim uetagel baarez, irham haiam, umluo iabelaz sadai, uecol
asserbo: Quæ dictiones eo modo sunt dispositæ, ut si accipiantur primæ litera
priorū quatuor, debito ordine collocatæ, constituunt nomen magnum Dei *qua-*
driliterum, quod est יהוה. *Si uerò accipiantur primæ literæ trium dictionum se*
quentium habemus idem nomen sine ultima litera, quæ est ה: *& hoc magno my*
sterio: Nam per illud ה *probant in eo libro, qui dicitur sepher temunot, uerbum*
& diuinitatē uniendā cū carne, ex qua unione constituitur Iesu: *in quem uirtus*
magni nominis Dei *diffunditur, ut quasi uideatur cedere* Iesu: *quo solo nomine*
datur nunc homines saluos fieri: & datum est nobis operari ea mirabilia, quæ
solebant fieri in uirtute illius magni nominis quadriliteri, sicut alibi diximus.
Hinc mirando ordine sequuntur aliæ tres dictiones, quarum primæ literæ de-
bito ordine collocatæ constituunt nomen ישו Iesu. *Quia igitur erectum est hoc*
nouum nomen, quod os Domini *nominauit, ideo incipit hic propheticus hymnus:*
Cantate Domino Canticum *nouum. Hinc inuitantur cœli, mare, terræ, campi,*
& omnia, quæ in eis sunt, ad depromendas laudes huius nostri Christi, *cui* Pa
ter dedit nomen, quod est super omne nomen. Longum quippe esset omnia lo-
ca sacra scripturæ retexere cum eorum mysteriis, cum nullus à suo sacramen-
to uacuus sit: Ideo *his paucis adductis in exemplum, ad apices ueniemus, qui*
bifarij sunt: Inferiores *enim qui pro maiori parte puncta dicuntur,* Hebraicè
autem נקודות *necudot, uiuificantem spiritum significant, atque uolitantem,*
& incubantem super omnia membra, tam mundani, quàm mystici corporis,
de quouis loquatur scriptura. Quod uidens Ezechiel *dixit:* Et *spiritus uitæ e-*
rat in rotis, mundana uidelicet, atque humana, utramque uiuificans: Superiores
autem apices, qui à nobis accentus dicuntur, Hebraicè *autem* טעמים *spiritum*
diuinum, & sanctum significant, sanctificantem, & in Deum *redeuntem:* De
quo bifario spiritu, qui tamen unus est, loquitur Origenes *in* Peri *archon nō in-* Origen.

docte: Nam quamuis multiplex sit diuini spiritus uirtus, hæc tamē bifaria præcipuè est, ex qua dicitur spiritus uitæ, & spiritus sanctus: Et cum iste sit spiritus Iesu, ideo opera ab eo perpetrata dicūtur opera Iesu, & consequenter ea, quæ in spiritu completa reperiuntur, de Iesu intelliguntur completa: Et hoc est, quod dixit noster Iesus, ille de meo accipiet, & annuntiabit uobis: Et iterū. Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille uos docebit omnia, atq; omnia uidelicet perpetrabit in nomine meo. Et cum nihil fecerit, neq; faciat Iesus, nisi in Spiritu sancto, imò teste Paulo, nemo potest ritè nominare Dominum Iesum, nisi in Spiritusancto, ideo nō reperitur aliqua litera in scriptura innuens, & signās nomen Iesu sine eius apice, & punctatura: Pari ratione nō reperitur aliqua syllaba sine eius accentu. Et hæc sufficiant dicta de apicibus abstinendo ab ulteriori reseratione: quia ulterius loqui non licet: Sed huiusmodi communicanda sunt inter perfectos, aut spiritu contemplanda, dicēdumque est cum propheta: Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.

CHRISTVS. Paulus David

Christus legem perfecit. Cap. V.

NEque tantummodo uerificauit legem complens omnia, quæ in ipsa continentur, sicuti ipsemet testatus est dicens: Non ueni soluere legem, sed adimplere, sed etiā perfecit, & deduxit ad meliorem gradum per Euangelium, quod bonum nuntium significat, ueluti si quis acciperet characteres plumbeos impressorum cōpositos in tabella ad exprimenda aliqua dura, & eosdem rursum coaptaret ad exprimenda uerba dulciora, & sublimiora, eadem tamen manente figura characterum: Pari modo fecit Christus non adinueniens aliam, sed perficiens eandem legem, & deducēs in eam meliorem sortem, ut uideatur alia, cū tamen non sit, sed eadem, sicuti pannus quando tingitur uermiculo, aut aliquo colore pretioso, perficitur, & nō mutatur. Perfecta igitur fuit lex tincta, & colorata sanguine Christi multo fœlicius, q̄ respersa sanguine animaliū, sicut inquit Apost. Christus aßistens Pōtifex futurorum bonorū, peramplius & perfectius tabernaculum, qui uidelicet ipsemet Christus erat, uerum, & uiuens, non quidem manufactum, id est non huius creationis: neque per sanguinē hircorum, aut uitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta: Ex quibus uerbis liquidò habemus, quòd Christus in proprio sanguine ampliauit, & perfecit legem: Ampliauit quidē, quia ea lex, quæ obseruabatur ab unica familia Israëlitica, & paucis aduentitiis in paruulo Iudeæ, & Phœnicis loco, p Christū diffusa est in uniuersum orbē, & in omnes gentes, sicuti in psalmo canitur: Et adorabūt eū omnes reges, & omnes gentes seruiēt ei: & aliis plærisq; in locis. Perfecit quoq; & adeo immutauit, & mitiorē, atq; benigniorē reddidit, ut adultera, quæ lege lapidari iubebatur, ab ipso Christo facilè absolueretur: & publicanus, ac famosa meretrix ꝓtegeretur: & alter in Euāgelistā & Apostolū, altera autē in hospitā eligeretur. Latroni,

CHRISTVS. Paulus Psalmus

dũ ipsi adhæret, paradisum promittit. Et ut breuiter cõcludamus, in omnes peccatores misericordiã ostẽdit aperto sermone dicẽs: Nõ ueni uocare iustos, sed peccatores: Et quod grande uidetur, permisit Deus omnes incurrere peccatum, & indignationem, ut omnes sentirent misericordiam impetratam per Christum, & non per legem, per quam (inquit Paulus) nemo iustificatur: Quod asserere minimè auderem, nisi me idem Apostolus doceret, dũ ait: Omnia conclusit sub peccato, ut omnibus misereatur: quamuis Apostolus dicat, conclusit in incredulitatem: Nam ipsa est fons omnium peccatorum, & uera alienatio à Deo. Et adeo ponderat Apostolus hoc uerbum, quamuis sciat esse uerum, ut statim clamando subinferat: O altitudo diuitiarum, sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incõprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles uiæ eius. Verum si alicui illa secreta credita sunt, ea tamen lege id factum est, ut indignis non pandantur. Hinc Paulus fidelis in commissis arcanis non explicauit, sed innuit, cur Deus id fecerit, dicẽs: Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso facta sunt omnia: uoluit enim inferre: Quoniam sicut per ipsum Dei uerbum facta sunt omnia, ita ipsa deprauata per idem restaurarentur, ut ab ipso tanquam à capite, omnes influxus, & omnia bona cognosceremus suscipi: Ideo subinfert: Non plus sapere, quàm oportet sapere: quia unusquisque habet, sicut Deus diuisit: Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, sic etiam habemus donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes. Et ꝙ uita, & operationes omnium membrorum proueniant à Christo, longo sermone reserat cum Corinthiis, & Ephesiis inter alia dicens: Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi iuxta id, quod dicitur: Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatẽ, dedit dona hominibus: Nã dedit quosdam esse Apostolos, alios autem prophetas, & cætera, quæ sequuntur. Voluit itaq; Pater, ut omnia, quæ habemus, suscipiamus per filiũ, & ipsum esse, & munera omnia, & charismata, atq; salutem, & misericordiã cõsequamur. Hinc dixit Zacharias ad filiũ præcursorẽ Domini nuper æditũ: Præibis ante Dominũ parare uias eius, qui scilicet uenit ad dãdã salutẽ plebi eius in remissionẽ peccatorũ eorũ per uiscera misericordiæ suæ, quibus uisitauit nos oriẽs ex alto, Nõ igitur ꝑ legẽ quis iustificatur, aut per sanguinẽ animaliũ, sed per eũ, in quo posuit Dominus iniquitates omniũ nostrũ, cuius liuore sanati sumus. Et Paulus nedũ homines, sed & omnia deducta esse in debitũ concentũ per sanguinẽ Christi reserat dicẽs: Pacificans per sanguinẽ crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt. Magnũ quippe tangit mysteriũ, dum etiã ea, quæ in cœlis sunt pacificata attestatur per Christi sanguinem, cum omnes asserant angelos malos à cœlo expulsos sine spe reditus. Quæ igitur restabant in cœlo pacificanda Christi sanguine, nisi intelligamus de Patre æterno, & de omnibus cœlestibus numinibus nobis pacificatis, quando Christus soluens pro nobis debitũ in passione Patri nos cõciliauit, qui prouocatus fuerat trãsgressione protoplasti: Nam ut Apostolus cũ Corinthiis ait: Sicut unius delicto mors

Paulus | Idem | Idem | Zachar. | Paulus | Idem

regnauit per unum, multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ suscipientes in uita regnabunt per unum Iesum Christum: in quo, & non in lege sanantur, iustificantur, & perficiuntur omnes, non tantum in carne, ut fiebat in lege, sed in spiritu, & in operibus, ut Paulus prosequitur cum Hebræis di-

Paulus cens: Si enim sanguis hircorum, aut uitulorum, & cinis uitulæ aspersus coinquinatos sanctificat ad emūdationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundauit conscientiam nostram ab operibus mortis ad seruiẽdum Deo uiuenti? Et cum de sanguine animaliũ plerisque in locis dictum sit, percurrendum est etiam aliquid de mysterio cineris uitulæ ruffæ, quo aspergebantur inquinati.

Quid sibi uelit uitula rubea, & eius cinis in sacris, & in expiatione coinquinatorum. Cap. VI.



T quamuis omnes expiationes à Summo legislatore fuerint miro ordine constitutæ, mysterium tamen uaccæ rubeæ excellentissimum, & super alia sacrificia celeberrimũ æstimabatur, cum id ordinatum esset in expiationem immanissimorũ scelerum, & trãsgressionis primorum parentum, & conflati uituli, erectique ab Aaron, & à populo in deserto: In expiationem inquam, pro quanto patiebatur figuratiuum sacrificium: nam omnia uerè plenè expiantur in Christo, ut nuper tetigimus: & quanto hoc mysterium de uacca rubea excellentius opus redemptionis præfigurauit, tanto celebrius est. Si autem id ordinatum fuerit pro expiatione delicti erecti uituli, uideamus: Nam educti filij Israël de Aegypto, & soluti à iugo dominij illius, qui regebatur ab ariete, adhuc tamen timentes influxum illũ, ductore eorum priuati (ut rebantur) uoluerunt asciscere uirtutem fortiorem illa Aegyptiorũ tauri uidelicet, qui supersedet in cœlesti circulo arieti: Vndè arte quadã secretiori dispositis rebus, liquefacto de more metallo fabrefactus est uitulus: Illumque erigentes rerum diuinarum adhuc ignari opinabatur haurire uirtutem superiorem arieti, & inde præualere (si opus foret) contra eos, qui ab ariete regebantur: Sed hic fuit error, & peccatum maximum, dũ attribuere uoluerunt tauro cœlesti fauorem, quem à Deo uiuo suscipere debebant, sicut illucusq; susceperant. Auctus quoque fuit error, quia erexerunt imaginem bestiæ contra præceptum Dei adiutoris eorum: Cui sceleri, & uulneri, ipso Deo iubente, duo sunt adhibita remedia: Alterum, quia iussi fuere expiari multi in sanguine proprio: Quod effectum est per filios Leui, undè meruerunt benedictionem, qua priuata erat illa familia ob scelus perpetratum in sichimitas: Alterum remedium fuit uitula hæc rubea: Cuius mysteriũ aliqualiter percurramus: Obserua, quæso, ordinem: Vacca, siue uitula eligitur contra peccatum uituli adorati, ut expurgatio fiat per id, per quod quis peccauit: Sed debilior sexus assumitur, ne credamus expiationem fieri ex uirtute ipsius animalis: non enim ex animali, sed ex diuino numine influebatur, undè expurgatio fieret: Hinc nõ dignius

animal, sed debilius in sexu secernitur: Et ut comprabaretur fauor hauriendus, non ab ipso animali, sed à cœlo, iussit Deus *ipsum cum omnibus eius extis comburi, igne illo uidelicet, qui è cœlo ministrabatur ad holocausta suscipienda, ut ex plerisque locis scripturæ discere possumus, & celebri fama apud* Hebræos *diuulgatum est: Qui in his (ut aiunt) dabatur è cœlo in toto tempore primæ domus, sed etiam in secunda aliquando subministratus fuit, ut ex secundo uolumine* Machabeorum *habemus: ubi legitur, quòd ueniens* Neemias *de* Perside, *ut sacrificaret, quæsiuit ignem cœlestem reconditum, & non inuenit, sed aquam crassam: qua iussit aspergi sacrificia, cum ignē non haberet à cœlo ministratū.* Elias *autem tempore primæ domus, ut comprobaret cultum* Dei *sui meliorem, quàm cultus prophetarum* Baal, *exposuit sacrificium suum igni de cœlo subministrādo, exquirēs, ut & ipsi prophetæ* Baal *itidem facerent:* Et *cum ignis nequaquā absumeret sacrificium illorum pseudo prophetarum, sed sacrificium* Eliæ *combureret, & transmutatum in ignem cœlo præsentaret, comprobatus fuit cultus* Eliæ *uerus, & bonus, ut habetur in tertio uolumine* Regum. Hoc *igitur igne cōbusta uacca cum omnibus intestinis eius, ex illis cineribus conspergebantur inquinati, iuxta illud* Pauli: *Si enim sanguis hircorum, & taurorum & cinis uitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, & sanguinis uidelicet, secundum quæ prouenit peccatum in hominem, ideo peccatum sapit naturam rubei sanguinis: undè* Esau *peccator* Edom, *id est rubeus dictus fuit, & pro quodam rubeo uendidisse primogenituram. Primus quoque parens, per quem intro ductum fuit peccatum in omnes, nominatus fuit* Adam, *qui terra rubea (ut dicunt) in lingua nostra significat. Sed si bene perpendimus characteres illos, illud nomen significat quid sanguineum diuinitate conspersum: Componitur enim ex* א Aleph, *quæ est litera diuinitatem innuens, &* דם, *dam, quod sanguinem significat. Hinc potissimè pro expiatione peccati non solum adorati uituli, sed etiam protoplasti deligitur uitula rubea, sapiens uidelicet non ruborem carnis & sanguinis, sed meliorem, de quo dicitur in* Canticis: *Dilectus meus candidus, & rubicundus: candidus quidem innocentia, rubicundus charitate, & igneo feruore.* Et *sicut* Adam, *per quem inductum fuit peccatum in inferiorem mūdum, dictus fuit rubeus uel terra rubea, quia tractus ab* האדמה *adama, quod terram rubeam significat, ita* Dauid *electus secundū cor* Domini *dictus fuit* אדמוני Admoni, *id est rubens, uel ruffus, ut habemus in primo uolumine* Regum: *Et Christus ab eo descendēs, homo quippe de cœlo cœlestis, reparator peccati inducti à primo homine terreno, rubeus fuit, si pictura nos uerū docet, & ij, qui eius physiognomiam describunt: Cuius rubor adeo efficax fuit, ut sicut candor corporis ipsius transfigurati redundauit in uestimenta, ut apparerent alba sicut nix, sic & feruor eiusdem patientis diffusus fuit in uestimenta, adeo, ut (* Dionysio *teste)* Angeli *admirantes dicerent illud* Isaiæ: *Quare rubeum factum est uestimentum tuum? Non mirum igitur, si ad figurandam expiationem faciendam per*

Neemias

Paulus

Cant.

Regum

Isaiæ

hominem ruffum cœlestem à peccato contracto per hominem rubeum terrenum, iubetur eligi uacca rubea: Sed hæc perfecta esse debebat, & nulla macula deturpata, nullumq; iugum inferioris seruitutis portare, ut plenè indicaret expurgationem, quæ debebat fieri in lege libertatis, & perfectissima ab eo, qui ab omni seruitute nos liberauit. Et ut facilius susciperet cœlestem influxum, si quis tūc dabatur, qui declinat à coinquinatis & aliqua deprauatis macula, ut in lege clarius edocemur. Iugulabatur quoque uitula extra castra, ut de ipsa, & de uerò

Paulus holocausto inquit Apostolus cum Hebræis: Quorū animalium infertur sanguis pro peccato in sancta, horum corpora cremabātur extra castra: Propter quod & Iesus, ut sanctificaret per sanguinem eius populum, extra castra passus est, ut expiaret eos, etiam qui per peccatum extra cœtum iustorum exclusi erant, iu

CHRISTVS. xta illud quod summus Redemptor ait: Non ueni uocare iustos, sed peccatores: Et iterum per alium Euangelistam: Venit Filius hominis quærere, & saluum facere, quod perierat. Ex sanguine quoque iugulatæ uitulæ sacerdos intincto digito aspergebat contra fores tabernaculi septies, numero quidem remissionis, ut indicaret remissionem faciendam in sanguine ueri holocausti, qui etiam solus ostium est, per quod ingredimur ad salutem, & uitam. Postea cremabatur igne illo à cœlo ministrato, ut conueniens esset medela, uel saltem figura medelæ, contra maculam ex inferiori igne, & rubeo deductam. Denique ex cineribus combusti animalis aspergebātur non sine mysterio coinquinati, quia nihil magis sanctificat animal, & rubeum nostrum, quàm eius mortificatio, & combustio facta à sancto illo igne, quem redemptor uenit mittere in terram. Sed mirandū sacramētum occurrit: Nam si cinis ille coinquinatos sanctificabat, & mundabat, cur inquinabatur sacerdos, qui ipsum cinerem extra castra portabat, uel qui eū cōburebat? Vndè de isto cinere dicebatur, quòd purgaret coinquinatos, & fœdaret mundos. Ex his infero, quòd cum sacramentum huius uaccæ, & aliorum sacrificiorum sit multigenum, & profundum inter omnia, quæ habentur in scriptura sacra, hinc multipliciter, & pro diuersis sensis resoluitur quæstio. Aliqui igitur dicunt, quòd inquinatio illa & mundities contrahebatur in sacerdote illam comburente, quia sacratior erat res, quam gradus ille sacerdotalis, sicut contigit laico, aut mulieri tangenti sacra, & corpus Christi, quod à solis existentibus in sacris pertractandum est: Alij, quia sacra suscepta cum deuotione, & reuerentia mundificant, irreuerenter autem pertractata, aut curiosè inuestigata inquinant: Alij uerò dicunt, quòd pro quanto litera sonat immundus erat comburens eam, id est tāgens, quousq; per ignem illud animal expiaretur: & qui pertractabat illos cineres extra castra, aut quomodocunque, tanquam morticinum quisque illa pertractaret: undè statim sequitur: Qui tetigerit cadauer hominis, immundus erit septem diebus: sed aspersus aqua cum illis cineribus die tertio & septimo mundabitur: Alij dicunt, quòd locus ipsorum cinerū erat in castris, ideo tangens illos extra castra immundus erat, sicut consecratis in loco non cōueniē-

ti. Si autem ulterius hoc negotium perscrutari uoluerimus, & reserare aliquid de recõditis mysteriis, dicemus quòd hæc uitula rubea est beata Virgo de progenie ruffi Dauid per quam inducta est benedictio expellens maledictionẽ; & infectionem diffusam per Euã in humanũ Genus. Et ne erubescamus id sine ratione asserere, uideamus breuiter quanta consonantia omnia in hunc sensum cõueniant. Eua rubea terrestris, Maria rubea cœlestis, & plena igneo spiritu, plenáque gratia, & uirtutibus, sicuti cœleste perhibet oraculum, ut dicere posßit illud Ecclesiastici: In plenitudine sanctorum detentio mea: Ideo dicitur, quòd uitula illa eligenda erat perfecta, integra, & sine aliqua macula: Quæ nec fuerit pressa aliquo iugo, sicut & Virgo cœlesti nuntio protestata est dicens: Quoniã uirum non cognosco. Huius quoque uitulæ sacrificium, & omnia eius mysteria celebrata fuere extra castra, & communem cœtum etiam electi populi, sicut & Mariæ mysteria omnia celebrata sunt extra communem legem: Fuit enim ab angelo denuntiata, à Spiritu sancto obumbrata, à uirtute diuina grauidata, & repleta gratia non communi, sed ea quæ erat apud Deum primarium fontem omnium bonorum: peperitq́ue filium sine dolore seruato claustro uirginitatis, semper procedens ultra naturæ leges. Hinc Salomon quærens, & inuestigans de ipsa in Prouerbiis dicit: Mulierem fortem quis inueniet? Et ne quæsisse uideatur desperans, subdit prophetando: Procul & de ultimis finibus, aut de penetralibus (ut habet ueritas literæ) pretium eius. Et ut aliquid de mysteriis secretioris Theologiæ reseremus, obseruabimus etiam quanto sacramento numeri literarum uitulæ, & Mariæ conueniant: Nomen enim Mariæ, quæ in Hebræo sic scribitur מרים dat mihi 290: Vacca autem, quæ Hebraicis characteribus sic exaratur פרה dat in numero 285. Cui si restituatur he ה siue quinarius à שרה Sara ablatus, iubente Domino, quæ prius dicebatur שרי Sarai, cõsurgit 290: Qui numerus fuit etiam ablatus à prima muliere per Adam, quando uocauit eam אשה Issa, ubi pasßim habetur uirago, quoniam de uiro assumpta erat: Vbi aduertendum est, quòd nomen uiri, quod est איש Ais, dat 311: sed nomen mulieris, quod est אשה Issa, dat 306, deficiens per quinarium à nomine uiri. Hoc igitur quinario restituto uitulæ, ut sit perfecta, & quadam uirilitate plena, dat 290, quantum reddit nomen Mariæ, quæ plena fuit omni uirtute, & uirilitate, ut pareret sine uiro, mysterio quidem occultißimo: quod à nemine adhuc in scriptis explicatum uidi. Aderat quoque in illa expiatione altißima larix uel cedrus, ut habet traductio nostra, & minima omnium hyssopus, quæ aut ipsa rosmarinus est, aut species quædam ipsius, ut de mente quorũdam alibi diximus, qui est minima arbor, uel maior plantarum, & forsitan de utroque participat, sicut in aliis cõtingit, quod alias tetigimus: Intererant itaque suprema, & infima arbor: illa, ut denotaret eminentißimum culmen excellentiæ Mariæ, secũdum quod dictum est: Benedicta tu inter mulieres: hæc autem, ut innueret ipsius profundam humilitatem, de qua ipsamet ait: Quia respexit humilitatẽ an-

Ecclesiã.

Salomon

cillæ suæ. His itaque aspergebatur populus, quasi quodam præludio ueræ, & cõsummatæ expiationis, quæ debebat fieri in Christo: Cui tandem mediatè, uel immediatè respondent cuncta legalia, & cætera quæque. Sed de isto sacrificio, tanquam celebriori, & profundiori sacramento pleno, spiritu nobis suggerente, & impellente aliquid percurremus explicantes qualiter illud sit uerificatum in nostro Christo, ut per ipsum etiam cætera uerificata intelligantur. Nec me carpat quispiam, quia dixi uitulam combustam in expiationem peccati significare Beatam Virginem, quasi uelim innuere hanc expositam in expiationem nostram: Non hoc sentio, cum unicus tantũmodo sit expiator, & redemptor omnium: Sed id uolui innuere, quòd sicut peccatum exordiũ habuit à muliere præ-
Angelus. uenta ab angelo mortis, ita & expiatio exordiretur ab angelo lucis, & uitæ,
Matth. qui ipsi à cœlo hoc detulit oraculum: Ecce concipies, & paries filium, & uocabis nomen eius Iesum, qui (ut in alio Euangelista dicitur) saluum faciet populum suum à peccatis eorum, sed ad alia transeamus.

Qualiter Doctrina Christi sit summè uera. Cap. VII.



N Christo non solum lex uerificata est, ut de milibus aliqua adũbrauimus, sed etiam ea, quæ docuit, uerissima comprobantur,
CHRISTVS. Primo, quia emanauit illa eius doctrina à fonte ueritatis, qui est Pater, sicut ipse explicauit dicens: Qui misit me uerax est: Et iterum: A me ipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar. Hæc igitur doctrina emanans à paterno fonte descendit per primum canalem ueritatis faciens profundissimum mare altissimæ
CHRISTVS. sapientiæ, qui est filius, ut Hebræorum more loquamur. Hinc iterato sermone ipse ait: Mea doctrina non est mea: mea quippe, quia mihi hæreditario iure tributa: mea, quia à me edocta: sed non mea, quia aliũde traxit originem: Hinc ue-
Augusti. ra quia concors, imò eadem cum illa supremi fontis ueritatis. Idcirco semper uera, quia in Filio existens effecta est meta, linea, & regula eorum omnium quæ in mundo facta sunt, cum ipsa omnia in ipso præexisterent, & examussim per ipsum facta sint, prout in eodem erat ipsorum idea. Et quia ea est regula omniũ agendorum, tam à nobis, quàm ab intelligentiis, quæ ipsam consulunt (ut ait Augustinus) tanquam uitæ & ueritatis fontem, ideo quanto quis cum ea sapientia, & regula magis conuenit, tanto perfectius in ueritate est: & quanto quis ma-
CHRISTVS. gis ab ea elongatur, tanto longius à ueritate discedit. Hinc de diabolo dixit ipsa ueritas: Ille homicida, siue occisor, & ipsa mors effectus ab initio in ueritate non stetit: Hoc ideo, quia recessit à Christo, imò præsumpsit contra eum insurgere, ipsumque deuorare, quando præostensus fuit in cœlo nasciturus de muliere amicta sole, & coronata duodenis stellis. Vera insuper fuit, quia nullum in eius uerbis aliquando contentum fuit mendacium: Quod persentiens ipse omniũ cognitor dixit: Cœlum, & terra transibunt, uerba autem mea non præteribunt: Nam (ut diximu) nullus fuit propheta, quem aliquando non fefellerit opinio,

præter Christum, in quo nullus error: Hoc enim priuilegio decoratus fuerat à Patre, qui semper erat secum complens omnia, quæ dicebat, iuxta id, quod ait: Qui misit me mecum est, & non relinquit me solum, quia ego quæ placita sunt ei, facio semper. Nam omnes nos (inquit Isaias) quasi oues errauimus, sed ipse iniquitatem nunquam fecit, nec dolus inuentus est in ore eius. Vera denique fuit, quia deducta semper ex primo & omnium uerissimo principio, quod ait: Ego principium, qui loquor uobis: Principium quidem omnium rerum, principium totius perfectionis & salutis, principium quoque cunctarum ueritatū: Cui omnes facilè assentiunt notis terminis, cognito uidelicet quomodo illud principium significat eum, per quem, & in quo facta sunt omnia, & in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi, atque omnes ueritates, quæ de quacunq; re demonstrari possunt, ut meritò de ipso dicat Abacuch. Hic inuenit omnem uiam disciplinæ, & tradidit eam Iabacob puero suo, & Israël dilecto suo: Post hæc in terris uisus est docens & explicans, quæ per ora Prophetarum antè prædixerat.

Isaias

CHRISTVS.

Abacuch

Quid cum ueritate legis ea, quæ Christus docuit. Cap. VIII.

Sed cum lex iam data sit à Deo summa ueritate per angelos ueritatis in manu mediatoris, non insulsè quærendum est, quid ueritatis contineant, & quem conuentum habeant cum lege ea, quæ Christus docuit: An sit aliquid contra legem, an aliud à lege, an ex ipsa, an interpretamenta, & perfectio legis. Non quippe continet aliquid contra legem doctrina illius, qui uenit adimplere legem etiam usque ad minimum apicem: Nec aliud à lege, cum ipse ad legem remiserit eos, qui salutem quærebant: Nec ipsa lex ad unguē, quia superflua fuisset duplex legis traditio, & simplex reiteratio, imò ea, quæ Christus docuit, uidentur quid aliud à lege ex doctrina illius, in cuius pectore ipse Christus resonat: qui ponens differentiam inter legem, & euangelium inquit cum Romanis: Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro: per legem enim cognitio peccati: nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est, testificata à lege, & prophetis. Si autem lex dat cognitionem peccati, & non iustificat, euangelium uerò iustificat, & id sine lege, quamuis illud prædictum fuerit in lege, euangelium omnino est aliquid aliud à lege, nec tamen diuersum, cum de euangelio testetur lex. Hæc itaque fuit locus umbra, & obscuritate occupatus, quousque illustraretur succedēte luce, quæ dit: Egò sum lux mūdi: de qua Isaias quoque uaticinatus erat, dum diceret: Populus, qui habitabat in tenebris, uidit lucem magnam: & habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis: Sed quando? Quando paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis: cuius nomen est admirabilis consiliarius, Deus fortis, Princeps pacis, Pater futuri sæculi: qui est Christus noster, à quo regenerati, & edocti sumus. Est igitur euangelium lux collustrans, & interpretans legem: Est quoque dulcissimus fructus duri trunci, & amaræ radicis legis: Amara quippe hæc fuit, dicēte Pau

Paulus

CHRISTVS.

Isaias

Paulus

lo: Lex iram Dei operatur, quia ubi non est lex, nec præuaricatio: Et iterum, quod durum summopere uidetur: Lex subintrauit, ut abundaret delictum: Ergo lex mala, lex peccatum est? Absit inquit Apostolus: Nam peccatum cognoui per legem, à qua ipsum accepit occasionem, ut subintraret: Lex quidem sancta, & mandatum iustum, & bonum: Et iterum: Lex spiritualis est: Et si malum cognosco per legem, ergo lex non est mala: Et si, quod nolo, illud facio, consentio legi, quia bona est: cui uidelicet uolens consentire nollem malum illud facere, quia cõtra legem. Non igitur lex mala, sed amara, quia inde sentio amaritudinem peccati: Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces: Sine lege enim peccatum mortuum erat: Et tunc uiuebam sine lege: Sed cũ uenisset mãdatum, peccatum reuixit, quod uidelicet contractum fuit per legem, qua primo parenti dictum est: De ligno scientiæ boni & mali ne comedas. Nec alij ligabãtur lege aliqua, nisi ea, quæ scripta erat in cordibus eorum, quousque publicatũ est mandatum, quod ligabat familiam illam Israëliticam, & alienigenas quosdam, qui legem susceperant: in quibus peccatum reuixit data peccati occasione: quia uirtus peccati lex: Quæ adeo fuit amara, atque mortifera, ut ex ipsa morti omnes mancipati sint, sicut primo Progenitori, ex cuius semine omnes prodierunt, dictum fuit: Quacunque hora comederis, morte morieris. Sauißimus autem fructus legis est euãgelium, in quo faustè annuntiatur, & declaratur Christus: cui qui credit, reputatur id sibi ad iustitiã: Nac hæc uox (teste Paulo) non solum propter Abraham, sed propter nos omnes delata est, quibus reputatur ad iustitiam credentibus in eum, qui suscitauit Dominum nostrum Iesum Christum à mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, & surrexit propter iustificationem nostram. Iustificati ergo ex fide, pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum: per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam, per quam stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei: Quam gloriam, & consolationem habemus in Christo, qui est fructus legis, atque uerum legis ipsius interpretamentum, uerãque perfectio ipsius: Nam ex illa sapiẽtia habemus, undè iustificemur à peccatis contractis per legem, & undè liberemur à seruitute legis, & undè consequamur misericordiam, & gratiam: quæ sunt inficientis legis antidota: A lege enim contrahimus culpam, ab euãgelio medicinam: A lege sentimus punientem iustitiam, à Christo autem & euangelio gratiam, & misericordiam, A lege delictum, ab euangelio undè delictum condonetur: Per legem omnes, tanquam oues errauimus, per Christum, qui est uia, ueritas, & uita diriguntur pedes nostri in uiam pacis: A lege, undè iniquitates nostræ, sicut onus graue grauentur super nos: in Christo uerò posuit Pater iniquitates omnium nostrum: Per legem uulneratur, & infirmatur anima: Christi autem liuore sanati sumus.

Paulus

Qua ueritatis rectitudine Christus Deus regat mundum. Cap. IX.

SEd antequam deueniamus ad ea particularia, quæ secundum ueritatem docuit, uideamus, qua rectitudine regat mundum ille, cui Pater dedit omne iudicium, omnemque potestatem in cœlo, & in terra, quamuis contrarium uideatur iis, qui non plenè percipiunt ea, quæ Dei sunt: & quàm occulta sapientia summus ipse moderator permittat multa mala, ut inde extrahat maius bonum, & appareat sapientia, & bonitas ipsius moderantis: Qui sicut à principio in mundana fabrica posuit malum contra bonum, inuersum, & obliquum contra rectum, tenebras contra lucem, passiuum contra actiuum, frigus contra calorem, & huiusmodi multa, pari modo in membris ueri, & mystici corporis, alterum contra alterum collocauit, in illo dextrũ contra sinistrum, in hoc autem angelum tenebrarum contra angelum lucis, malos contra bonos: Ex his nonnulli eleganter connumerantur à Clemente in recognitione Petri: Cain scilicet contra Abel, Gigantes contra Noë, Pharao contra Abraham, & contra eius à Deo electam familiã, Philistiim & Gerarites cõtra Izahac, Esau cõtra Iahacob, Magos itẽ adducit cõtra Mosem, Tẽtatorẽ cõtra Redemptorem, Simonem magum contra Petrum, Gentes contra fideles, filium iniquitatis contra Christum: Ideo iam ab omnibus antichristus uocatur, quasi contra Christum. Et sic omnia habent eorum contraria, ut quasi per quandam antiparistasim concentus mundani, & humani corporis suauior habeatur: Vndè Dionysius in eo, in quo tractat de diuinis nominibus, de malo differit, tanquã de aliquo pertinente ad Diuinam prouidentiam, & ad concinam rerum dispositionem. Hinc & Amos magna confidentia prorupit: Non est malum in ciuitate, quod non faciat Dominus: Et Isaias sub Dei persona loquens ait: Ego sum creans malum: Nec tamen Deus creat pœnam, ut aliqui exponunt, quia malus eam generat ex dissonantibus moribus, & turbato animo: cum omnis inordinatus animus (ut rectè sentit Augustinus) sibiipsi pœna sit. Est itaq; Deus creãs malum, quia creauit materiam, quæ ex ipsius natura mala est, & omnia ei immixa, & adhærentia trahit ad malum, quia facit recedere à primo, & summo actu, qui est ipsa regula boni, & ueritatis: Facit quoque omne malũ, qui fecit naturam uertibilem, & materiæ annexam, undè efficitur prona ad malũ: Nec inde censeri potest ipse opifex malus, cum multo maius remedium bonitatis præparauerit, & præstet uolenti illud, quàm sit pronitudo ad malum. Nec poterat aliqua creatura produci, quæ suapte natura nõ distaret à prima regula, à qua, & moribus, & uoluntate discrepans peccat. Hinc Anselmus, & alij eum sequẽtes, dicunt Deum non potuisse facere naturam impeccabilem: quia non potuit facere alium Deum, qui esset prima regula omnium. Sed cum nolim esse censor diuinæ potentiæ, & asserere an Deus potuerit hoc, uel illud facere, necne cum ipse possit multa facere, quæ nos intelligere nequimus, ideo ab illa censura nos abstinentes dicamus, quòd omnino in primæua distributione rerum exquirebatur,

Clement. Diony. Amos Isaias. Augustinus. Anselm.

ut congrua limitatione daretur unicuique mensura bonorum, ne aliquis sibi uen dicare præsumeret, quod à summo datore tributum erat: Vndè quia plus æquo fuerat donatus primus apostata, superbia grandi intumuit dicens: In cœlum ascendam, super astra Dei, id est super omnes electos, exaltabo solium meum: sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, illarum uidelicet superiorum, in quibus solet Dominus habitare: & similis ero Altissimo: Et dum præsumebat propriis uiribus assimilari Deo, ab ipso recedebat peccator, & dissimilis penitus effectus: Ideo ad eius collidẽdam, & puniendam superbiam subinfertur: ueruntamen ad infernũ detraheris in profundum laci. Conueniens insuper erat, ut seipsam cognoscens creatura omnis rationalis diceret cum Augustino: Quando steti, per te steti: Quando cecidi, per me cecidi: Et cum cecidissem, semper in luto iacuissem, nisi tu me erexisses. Postremò iterum cõdecebat unumquodque sic regi, ut eorum moderator proprios motus agere sineret: Si autem ipsa deciderent moderatoris prouidentia ad debitum ordinem conducerentur. Et in primo uidetur opifex sapientissimus distributor, in secundo benignus & liber conseruator, in tertio ex affluẽtia bonitatis optimus reparator. Fecit itaque Deus omnia ualde bona, & ordinata: & tamen nullum malum est, quod ipse non faciat naturam tribuens uertibilem, & ad casum proprio pondere inclinatam, nisi ab ipso summo bono sustententur, à quo & condita sunt, ut discant omnia eundem esse conseruatorem, & auxiliatorẽ, qui & conditor fuit: Et sic bifariè ei teneremur, & quia opifex, & quia conseruans, & perficiens. Non igitur est malum aliquod propriè, aut formaliter (ut aiunt) à summo bono: sed illud, in quo fundatur malum, natura scilicet uertibilis, & illud à quo trahimur ad malum, quod est materia penitus elongata à bono, id maximè impellente nequissimo suggestore, qui penitus elongatus à Deo, secum colligere affectat omnes ad cẽtrum suæ nequitiæ, & diuellere eos à sphæra boni, & fœlicitatis: Inter quæ duo, summum uidelicet bonum, & nequissimũ peruersorem collocatus est homo in tanta libertate, ut Deus nolit boni, aut mali cẽseri patrator, iuxta illud Ieremiæ in lamentationibus: Ex ore altissimi non egredietur bonum, neque malum, ut uidelicet alicuius illorum integer sit perpetrator quamuis sit cooperator cuiuslibet bene operantis. Nec malum aliquod reperitur à Deo effectum, quod concupiscens homo peccatum faciat: quia nihil extra uniuersum: & ea, quæ in ipso reperiuntur sunt ualde bona, propriis tamen limitibus contenta, & ipsorum gradibus distributa: sed malũ perpetratur, quando spreto maiori bono minori adhæremus. Hinc Dionysius, & Vgo eius interpres, omnesque ueri sapiẽtes conueniunt, quòd peccatum tam in angelis, quàm hominibus fuit, & est quando quis discedens à summo bono uel maiori, oblectari uult in minori. Hinc totam peccati summam complectitur ipse Deus, dum inquit per Ieremiam: Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquarũ uiuentium Dominum, & foderunt sibi cisternas dissipatas: quæ continere non

Augusti. Ierem. Diony. Vgo. Sapien. Ierem.

ualent aquas, Nec tantummodo peccatum est, quando præeligitur bonum creatum summo bono, sed etiam quando existentibus duobus bonis creatis, præeligitur minus, sicuti præponens commodum proprium publicæ aut multorum utilitati: A quo errore declinans Apostolus aiebat: Non quærês quod mihi utile est, Paulus
sed quod multis: Pari modo, quando bonum, & delectatio corporea præponitur oblectamento spirituali. Est (ut denique concludamus) peccatum, & error, quando debitus peruertitur ordo, ut uerum sit illud Augustini: Malum est priuatio ordinis, aut debitæ rectitudinis. Augusti.
Hic autem error, aut peruersio ordinis non est ex aliqua uirtute à Deo tributa, sed ex debilitate, aut obscuritate nostra ignauia contracta, quam saluator, & cum eo Dionysius, & Damascenus uocat noctem, uel tenebras dicens: Qui in tenebris est, nescit quo uadat: Et iterum. Saluator Diony. Damasc.
Qui sequitur me, summum uidelicet directorem, non ambulat in tenebris, peccatorum uidelicet: Quas tenebras sequitur sempiterna nox inferni: de qua iterum ait: Veniet nox, quando nemo poterit operari. Et sicut nox, uel obscurũ est priuatio lucis, ita error est priuatio rectitudinis: Vndè concluditur, ꝙ proprium esse peccati est priuatio boni: in quam currit homo aut peruertendo ordinẽ in electione, aut præsumendo à se, quod à summo doctore recognoscere deberet. Itaque culpa non est à Deo, sed à uoluntate malè eligente, aut nimis præsumente: Sed bene est à Deo illud, quod malè præeligitur, & uoluntas, quæ propria culpa errat in eligendo. Restat igitur Christus, & homo Deus, siue Deus homo uerus optimus moderator, dum hortatur & fauet ad bene, rectéque uiuendum, sicuti in eius doctrina, & gestis clarissimè comprobamus.

Quæ in ueritate de credendis Christus docuerit. Cap. X.



QVæ autem de credendis summus Doctor noster tradiderit, omnes conueniunt in eos, qui dicuntur articuli fidei: In quibus expressè trinitas iam à Christo explicata cotinetur: Nemo enim ante ipsum apertè reserauerat trinitatem clarè exprimens Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, & ipsarum personarum (ut aiunt) circumincessionem, sicuti Christus docuit dicens: Ego in Patre, & Pater in me est. Et de ipsarũ productionũ nullus antea uel uerbũ fecit, sed Christus apertè explicauit dicẽs: Exiui à Patre, tanquã filius uidelicet ab eo progenitus. Et de Spiritu sancto, ꝙ à Patre procedat, inquit: Spiritus qui à Patre ꝓcedit: ꝙ etiã ab ipso filio progrediatur, cõtra id, quod nõnulli scioli Græci malè intelligẽtes dicta patrum suorũ falsò asseuerãt, ait: Ille de meo accipiet: Nõ utiq; tantũmodo doctrinã accepit ipsius uerbi discipulus effectus, ueluti puerulus instructus in scholis, sed esse accepit simul atque intelligentiam, qua Apostolos, & antea prophetas instruxerat: Non enim sapientia, & intelligentia diuinarum personarum, atque aliæ ipsarũ proprietates uel attributa (ut dicunt) distinguuntur, nec ueluti accidẽtia

de nouo infunduntur: undè quicquid dicitur una persona ab alia accepisse, statim concluditur accepisse totum, quod ipsa est, & omnia ipsi attributa: cum nec separari, nec successiuè illa recipi possint: Idcirco, sicut filius fatetur se exisse à patre, & ab eodem ita doctrinam accepisse, ut ipsam doctrinam Patris nũcupet & non suam, pari modo fateamur Spiritum sanctum à Patre, & Filio esse simul cum doctrina, & doctrinam simul cum esse personali suscepisse. Et cum ex uerbis nostri doctoris Christi satis clara luce didicerimus ea, quæ unicuiq; personæ attributa sunt, & ea, ad quæ ipse Christus perpetranda uenerat, facilè cum Apostolis articulos fidei profiteri, uel decantare possumus: Nam cũ didicerimus Patrem esse primum fontem, à quo filius, spiritusque processerunt, ipsi tanquam præcipuo opifici mundi fabricã attribuere possumus dicentes: Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli, & terræ, uisibilium omniũ, & inuisibilium. Et cum didicerimus Filio attributam esse sapientiam, in qua & mundus, & nos conditi sumus, & per quam omnes illustramur: dicaturque uera aqua non tantum supercœlestis, sed supramundana, huic meritò totius fabricæ, & potissimè hominis restauratio attribuitur, ut omnia eadem sapientia restaurarentur, qua & condita sunt: & lauaretur humanum genus lauacro illo emanante à supramũdano fonte, cum à mundano ablui nequierit, eo quòd totum hoc infectum penitus erat: Hanc autem restaurationem profitemur, dũ redemptoris gesta præcipua reteximus, conceptum uidelicet ipsius de Spiritu sancto, natiuitatem, passionem, sepulturã, descensum ad inferos, ut inde captiuos educeret, resurrectionem, atque ascensum, & reditum ad Patrem, à quo exierat, ut illuc omnes eius asseclas fœliciter eueheret. Et cum Spiritui sancto doceamur attribuere amorem, & nexum: hinc cum ipsum spiritum professi sumus, statim subiũgimus: Et sanctam ecclesiam catholicam, uniuersalem scilicet communionem, & nexum fidelium. Et cum iterum didicerimus remissionem dari per Spiritũ sanctum dicente doctore nostro, Accipite Spiritũ sanctũ, quorũ remiseritis peccata remittuntur eis, ideo quoq; subnectimus, Remissionẽ peccatorũ. Et perbellè & colligatio fideliũ in unam ecclesiam, quã matrẽ uocant, & remissio peccatorũ à Spiritu sancto prouenire dicũtur: quia idẽ est locus utriusq; in archetypo, &

Theolo. Spiritus sancti remittentis, & matris filiorũ lætantis, ut docẽt antiqui theologi: de quibus in huiusmodi mysteriis non initiatis per singula fari non datur. Et cũ ad Patrẽ, undè digressi sumus, reuerti debeamus, & cũ ipso uniri, sicuti à nostro docemur doctore, necessaria est nobis corporis transmutatio in melius: ideo profitemur Carnis resurrectionem, & renouationẽ, antequam deueniamus ad uitam, quæ est ultimus & æternus finis noster. Et quamuis alia Patri, alia Filio, aliáque eorum, quæ profitemur, Spiritui sancto attribuantur, non tamen se-

Idem iungũtur personæ diuinæ in operando circa nos, ut Theologi nostri omnes cõueniũt: Nã & si mũdi fabrica Patri, tanq̃ præcipuo parẽti attributa est, nõ defuit tamẽ Filius, in quo Pater omnia produxit, & portat. Nec exterus fuit spiritus

ille, qui uolitãs sup aquas incubabat, & informabat omnia. Pari modo, q̃uis mũdi restauratio, & humani generis lauacrum adscribatur Filio, ueluti immediato restauratori, & seruatori, nõ defuit tamen uirtus Patris luminũ, à quo omne datum optimũ, & qui est primus fons, à quo Filius aquam suscepit in nostrã lotionẽ effusam: Nec alienus fuit Spiritus sanctus, cuius uirtute fœcundata est uirgo, & unitum uerbũ cũ natura illa assumpta, per quam totam massam humani generis repararet. Hæc quidẽ à nostro doctore edocti legitimè profitemur. Sed & aliud restat nullatenus prætermittendum, quod etiam summa obseruatione profiteri debemus, unicum uidelicet esse omniũ redemptorem, in quem credentes salui efficiamur dicente Petro: Non est in aliquo alio salus: Non enim est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat homines saluos fieri, nisi istud. Quod & ipse redemptor reserauit in eo euangelio, cui titulus est secundum Ioannẽ dicens: Sic Deus dilexit mundũ, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in illum, non pereat, sed habeat uitam æternam: Et iterum: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui uerò nõ crediderit, cõdẽnabitur. Ex quibus uerbis, & aliis plerisque in locis descriptis habemus, quòd nobis credendum est in filium Dei conceptum de Spiritusancto, de uirgine natum, passum propter delicta nostra: ut uidelicet per mortem suam omnigenam culpam nostram expiaret, & antidotum afferret omnibus uenenatis à letali uulnere antiqui serpentis: Et surrexisse propter iustificationem nostram: & ut daret principium nouæ uitæ, quam expectamus, & in qua beari possimus: Quod & si in symbolo nostro uirtute continetur, non tamen clarè explicatum habemus. Hic enim uidetur conclusum totum hominis, redemptionis, & fidei negotiũ: quòd fuerit uidelicet productus primus homo de terra terrenus, qui diaboli, & mortiferi serpentis uenenum imbibens recessit à Deo trahens secum in radice totam arborem generis humani in seruitutem diaboli, & in pabulum mortis, secundum quod dictum fuerat: Quacunque hora comederis, suasu, scilicet serpentis, morte morieris. Bene enim nouerat sapientissimus Opifex hominẽ inuadendum, & tentandum à mortis angelo, & uirulento serpente, undè fuit uulneratum humanũ genus letali, & irreparabili uulnere: quia peccatum fuit (ut alibi diximus) quodãmodo in spiritum sanctũ. Hinc medela afferri debebat ab homine, qui non esset de illa stirpe infecta, sed descenderet de cœlo cœlestis: Cuius pelle primo tegeretur nuditas hominis terreni per peccatũ (ut legimus) inducta: Postea carne ipsius melioris serpentis à nobis comesa sanaremur à uulnere inflicto à serpente illo nequissimo. Et hoc est, quod noster bonus serpens & cœlestis homo ait: Sicut exaltauit Moses serpentẽ in deserto, ita oportet exaltari Filium hominis, ut omnis, qui credit in illum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Bonũ quidẽ fuit antidotũ serpentis caro cõtra serpentis uenenũ: Et si unusquisque serpens habet antidotũ ꝓprij ueneni, fœlicius habet melior & optimus serpẽs, qui nõ solũ curauit nos à ueneno, sed dedit potestatẽ nobis calcandi sup serpẽtes, & scorpiones, & sup

Pet. i act.

CHRISTVS

Idem

Lucas omnē uirtutē inimici: ut dicitur in euāgelio, cui ti. est secundū Luc. Postremò cre dēdū est, q̄ uenerit ea magna uirtute, qua posset nos eripere de imperio mortis, Petrus & à potestate tenebrarū, & facere nos credentes (ut Petrus ait) genus electū, regale sacerdotiū, gentē sanctam, populū acquisitionis, siue acquisitū, & ereptū de perditione inducta per peccatū, & detrahentē nostram terream sortē impel lente ad casum illo mortifero angelo, qui iam à fœlici sorte sua deciderat. Hæc quippe sunt, quæ profitenda docuit nos doctor noster Christus, dūmodo opere cōpleamus, quæ profitemur, & credimus: Et quia aliqui nō modo hac nostra tē pestate, sed etiā retroactis tēporibus pertinaciter asserere conati sunt solā fi dē sufficere ad salutē, ideo quid in hoc pro cōstanti tenēdū sit, ex sacris eloquiis breuiter enucleare tentabimus: Nam aliunde id exprimere nequimus, cū ratio nes sint minus sufficiētes, nec aliis credendū est de iis, quæ in secreta curia prin cipis petractantur, nisi iis, qui sunt à secretis ipsius principis: Cuiusmodi fuere in nostro negotio Apostoli, Euangelistæ, prophetæ, & ipsemet princeps Christus, & doctor noster supremus, cui omnes fidem indubiam debent adhibere.

Quòd sola fides, quæ est pura credulitas, minimè sufficiat ad salutem. Cap. XI.



Verunt quidē non solū hac tēpestate, sed lōgè antiquiores, etiam apud Hebræos, qui asserere uoluerunt solam fidem sufficere ad salutem: Et illi dicti sunt Rabini: quia sequebantur opiniones quorūdam magistrorū: contra quos ex aduerso insurrexit alia secta, quæ dicebatur Carienorum: quia sequebatur tantūmodo lectionē, & textum scriptu ræ sacræ nullas admittendo opiniones hominum, nec sophisticas rationes magi strorū: Quorū rationes, & adinuenta impræsentiarū omittentes ueniemus ad Nouitiores. coæuos nostros, qui innixi multis autboritatibus Euangelij, & Apostolorū, quæ idē asserere uidentur, ausi sunt tantū tribuere fidei, ut opera quodāmodo dam nent: imò asseuerare uidentur fidem non posse subsistere cum operibus, quia si per opera quis iustificari præsumeret, hoc esset in duas partes claudicare, Ado rare Baal, & manum osculari: quod est iniquitas maxima, ut Iob inquit, Adhuc subinferentes dicunt: Cum incipis credere, simul discis omnia, quæ in te sunt, Paulus esse prorsus culpabilia, peccata, & dānanda, iuxta illud Apostoli: Omnes pec Psalm. cauerunt, & egent gloria Dei: Et iterū: Nō est iustus, nō est qui faciat bonū, om nes declinauerūt, simul inutiles facti sunt? Et multa huiusmodi ꝓsequētes tādem hæc inferūt: Quare cuiuslibet christiani prima cura esse debet, ut posita operū opinione sola fides magis ac magis roboret, & p eādē crescat in cognitione nō operū, sed Christi Iesu ꝓ ipso paßi, & suscitati: in quē ut (ait Petrus) credentes exultabitis lætitia inenarrabili, reportātes finē fidei uestræ salutē animarū ue strarū. Sic & Christus, q (ut narrat Ioā.) cū interrogaretur à Iudæis, qd facerēt, ut operarētur opa Dei, Ipse operū multitudine, qua illos uidebat turgere, re pulsa unū eis præscribit dicēs: Hoc est opus Dei, ut credatis in eū, quē misit ille:

Habet enim fides secum uniuersam salutem, seruans ab omni malo, sicut ipse author fidei breui sermone explicat in calce euãgelij, cui titulus est secundũ Marcum, dum ait: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: Qui uerò non crediderit, condemnabitur. Adstipulatur Paulus, qui cum Romanis disserens ait: Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris: Et iterum: Finis legis est Christus ad iustitiã omni credẽti: Et antea adducẽs prophetæ, & oraculi sententiam ait: Iustus ex fide uiuit: Multæque aliæ sententiæ euangelij, & Apostolorum possent adduci, quæ idem sonare uidentur, quas etiam ipsi non adduxerunt: sed hæ pro tempore sufficiant. Adducamus quoque in medium, quomodo sophisticè saluare conãtur, per solam fidem satisfactum iri tot operibus demandatis, cærimoniis legis, & omnibus præceptis affirmatiuis: Dicunt enim ad interiorẽ hominẽ aliud pertinere minimè, nisi fidem, sed ad exteriorem expedire opera, quibus mortificetur, & subiiciatur interiori credẽti: Deniq; iterũ scripturã bipartitam faciunt, præcepta scilicet & promissa, & præcepta docere quædam dicunt à nobis faciẽda, quæ nõ possunt fieri: uerũ ad id ordinata, ut cognoscat homo impotẽtiam propriam, & de suis uiribus desperet: Nam lex dicit: Non concupisces: Nemo tamẽ est, qui poßit nõ concupiscere: & pari modo de aliis præceptis: Vndè cũ moneatur de impotẽtia propria ad legẽ obseruandã, cuius uel minimũ iod, aut apex præteriri nõ debet nõ obseruatũ, inde desperet, ad nihilũq; redigatur in oculis propriis, nec audeat accedere ad alterã partẽ scripturæ, quæ sunt promissa, quibus annuntiatur gloria Dei, & ibi audiat: Si uis legem adimplere, ut ipsa exigit, uade ad Iesum, in quo promittitur tibi gratia, pax, iustitia, libertas, & omnia, quæ habebis, si credes, si non credis, carebis. Hinc promissa Dei donãt, quod præcepta exigunt, & implet ibi, quod lex iubet: & sicut tactu Christi sanabatur infirmus, sic fide, & uerbo Christi tenerrimus in fide iustificatur, uerificatur, sanctificatur, pacificatur, liberatur, omni honore-pletur, & efficitur filius Dei credens in nomine eius: Et hanc sententiam longo prosequuntur sermone, & persuasionibus repetẽtes, & affirmantes, aliis, & aliis uerbis asseuerãtes id, quod sæpius dixerant: Nam & Abrahæ ut prosequuntur, fides reputata fuit ad iustitiam, non opus aliquod: Idem de aliis sentiendum adiudicant: Quæ omnia repetere reor superfluum, cum eadem sententia posimus omnibus adductis, & eodem fundamento adducendis facere satis.

Eliminatio illorum fundamentorum. Cap. XII.



AD euellenda omnia illorũ malè collocata fundamẽta, primo runinãdũ admonemus illã Iacobi sentẽtiã, Fides sine operibus mortua est: Et iterũ: Dæmones credũt, & cõtremiscũt: In quibus cõcluditur fides sine opibus penitus extincta. Sed si his uerbis, tanquã dubij ambobus, stare noluerint, ueniamus ad euãgeliũ, & ad sentẽtiã Iesu Christi, qui est testis fidelis: Hic enim quid dixit? Qui crediderit, & baptizatus fuerit,

salutis erit: Alibi quoque dixit: Si uis ad uitam ingredi, serua mandata: Et quod maius est, totum negotium salutis, & beatitudinis consequendæ conclusit in operibus dicens: Ab his duobus mandatis tota lex depẽdet, & prophetæ: Nec quippe dixit, à fide dependet lex, & prophetæ, sed à dilectione Dei, & proximi: quæ in opere consistunt, & non in pura credulitate: Quid igitur ad hoc dicent noui dogmatizantes? Deuicti enim hac, & similibus summæ Veritatis, & discipulorum eius sententiis laudent opus, cum secludere illud non poßint, sed statim adhibito ueneno subinferunt, quòd opus faciendum est tantummodo, ut mortificetur rebelle corpus, & subiiciatur spiritui, sed ad salutem nihil ualere opus, magnificare opinantes in hoc Christi redemptoris obsequium, cui omnia attribuunt: Maximè quidem efficaciæ fuit oblatio illa, & oratio pro nobis facta, ac sufficientißima pro salute omnium: Ea tamen fuit, ut ipse offerens uelit nos cooperatores eius, iuxta illud Apostoli: Dei enim adiutores sumus. Hinc ipse Redemptor dispensatis censibus in opere redemptionis acquisitis (quos in Matthæo talenta, in Luca autem mnas uocat) subinfert: Negotiamini, dum uenio: Vbi duo attẽdenda occurrunt, Primo pecunia, aut munera præstita ex ærario suæ clementiæ, & plenitudinis acquisitæ in opere redẽptionis, Secũdo innuitur cooperatio nostra dum dicitur: Negotiamini. Et quod magis obseruãdũ est, nisi negotiando reddamus lucrum, comminatur de pœna, ei uidelicet qui abscondito talento nihil lucri cooperando reportat. Si igitur opus necessarium non est, cur tanta comminatione à nobis exquiritur? Cur eum, qui cooperari negligit in talento præstito, eiici iubet ad tenebras exteriores? Dicite, quæso, noui theologi, qua iustitia puniuntur omittentes ea, ad quæ nullatenus obligantur? Quomodo stat sententia uestra cum sententia ueritatis? Summa Veritas ait: Qui non operatur secundum gratiam præstitam, eiicietur ad tenebras exteriores, id est damnabitur, salutéque priuabitur: Vos uerò dicitis, Fides saluat sine operibus: Alterutri proculdubio errant: Non quidem summa Veritas: Vos igitur erratis, qui nimis contra, & supra tot sapientes sensa euangelij interpretantes præsumitis. Nec mirũ, si in apertũ errorem irruitis, cũ à summa Veritate familiariter cũ Patre loquẽte sit illud decretũ rememoratũ: Abscõdisti hæc à sapiẽtibus, & prudẽtibus, in oculis ꝓpriis uidelicet, & alios cõtẽnẽtibus, & reuelasti ea paruulis, qui malũt humiliter aliis cõsentire, ꝗ ut singulares uideantur, fastu & arrogantia elati simul cum negligẽtibus operariis ad tenebras interiores, & exteriores deduci. Si iterũ Redemptor noster non exigit opera nostra, tanquã necessaria ad salutẽ: cur eius præco iã in doctrina euãgelica instructus clamat, & protestatur dicens: Facite dignos fructus pœnitẽtiæ? Et esto, ꝙ pœnitentia sit reuersio ad Deum (ut asseritis, & sicut indicat uocabulũ Hebraicum תשובה, quod reuersionẽ significat); cur ultra pœnitentiã requiruntur fructus? Qui enim sunt isti fructus, nisi bona opera perpetrata ab eis, qui iã ad Deũ reuersi perfectã pœnitentiæ uiã prosequuntur? In quos sic cũ Deo adaptatos sub-

intrat ipsius Dei spiritus grauidans animam ad producendos iterũ fructus meliorum operum quos commemorat Apostolus cum Galatis dicens: Fructus autẽ spiritus est charitas, gaudiũ, pax, patientia, benignitas, modestia, continentia, castitas, &c. Si igitur fides hic enumeratur, tanq̃ singularis fructus, & pars eorũ, quæ exigit à nobis spiritus: Quomodo fides sola, tãquam mediũ sufficiẽs est ad complenda ea, quæ spiritus sunt? Audite hæc & intelligite uos, qui cæteros cõtemnentes uobis tãtummodo scientiam spiritus, & euangelij uẽdicatis, atq; perpendite quàm longo itinere à spiritualibus semitis aberratis. Nec hic tantummodo errabundi uagamini, sed etiam matrimonia, à quibus Paulus hortatur abstinere eos, qui orationi uacare prætendunt, extollitis, continentiam, & castitatẽ, & abstinentiam à fomentis carnalibus contẽnitis, quamuis paucis uerbis huiusmodi cõmendetis, ne ueniatis ab omnibus cõtemnendi: Vno enim uerbo Pauli, adeo connubia, & liberum ciborum usum commendatis, ut dãnatos penitus existimetis eos, qui cœlibatum, & ciborum abstinẽtiam, saltem certis temporibus obseruant, ut fomentis carnalibus aliquantulum semotis, liberius in solennitatibus subsequentibus dies ieiunij, & abstinẽtiæ Deo uacare poßint christicolæ. Cur quæso, adeo uno Apostoli uerbo ducimini, ut mille alia cõtrarium asserentia cõtẽnatis? Nõne ipse Apostolus luxũ carnis, & comesationes, liberas uidelicet cõnumerat inter opera carnis, quæ semper cõtrariantur spiritui? Manifesta igitur (inquit cũ Galatis loquẽs) sunt opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immũditia, impudicitia, luxuria, dissensiones, sectæ, ebrietates, comesationes, & his similia, quæ prædico uobis, sicut prædixi, quoniã qui talia agunt, regnũ Dei nõ cõsequũtur. Nec futurum uidelicet regnum dandum his, qui à dextris erunt in extremo examine: Nec præsens, quod Christi testimonio intra nos est, comparandum tamen, & augendũ ui nobisipsis illata, dũ cohibemus nosipsos ab oblectamẽtis, & uoluptatibus carnis: Quod regnũ cœlorum, & Dei proculdubio est Deus habitãs in nobis, siue per gratiam, ut multi habẽt in usu, siue per lucem, quæ (ut inquit Ioã.) illuminat omnẽ hominẽ, siue per uim, & chrisma quoddam, quod est ipse Deus perfundẽs, & liniẽs nos sua clemẽtia, & bonitate: qua primo ꝓfusus fuit ille, qui per antonomasiã dictus est unctus Latinè, Christus Græcè, & Meßiah Hebraicè: siue quocunq; alio nomine, siue sub quacunq; metaphora describatur, ipsum regnum Dei est ipse Deus habitans in his, qui non solũ credunt in nomine eius, sed operantur secundũ fidẽ susceptam, sicuti ipse cœlestis doctor perhibet dicens: Si quis sermonem meum seruauerit, Pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionẽ apud eum faciemus: Sermo enim eius non solum est de fide habenda in eundem, sed de dilectione, & obseruatione mandatorum, quæ operis est, & non solius fidei. Hoc itaque Dei regnum, & Deum hospitantem in nobis tanto melius, & amplius suscipimus, quanto magis elongamur ab operibus carnis, & seruamus cœlibatum, quem uos impudicè contẽnitis. Hinc Paulus cum Romanis inquit: Non in comesationibus, & ebrietatibus, non in cu-

Paulus

Idem

bilibus, & impudicitiis, sed induimini dominũ Iesum christum, & carnis curam non feceritis in desideriis, oblectando uidelicet in huiusmodi, quia hæc oblectamẽ
Petrus ta, & carnalia desideria (ut inquit Petrus) militant aduersus animam. Innumeræ sunt huiusmodi Apostolorum sententiæ, quibus suademur pugnare cõtra carnem & sanguinem repugnantẽ spiritui: Quod fit per abstinentiam ciborum, & omnis luxus, & per uerum cœlibatum, quem uos spernitis. Sed reuertamur, undè digressi sumus: Venite, & audite omnes, qui spretis operibus solam fidẽ ex-
CHRISTVS tollitis, quid Christus constitutus omniũ iudex remunerare promittat, & dãnare comminetur, an solam fidem, uel incredulitatem, an opera ipsa: Hæc enim se dicturum protestatur: Venite benedicti Patris mei, possidete paratũ uobis regnum: Et rationem huius remunerationis subinferens ait: Esuriui, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: &c. quæ sequuntur. Econuerso autem comminatur se puniturum non fidei, sed operum defectum subnectẽs: Ite maledicti in ignem æternum, quia non pauistis me, neque dedistis mihi potum, non uisitastis, non uestistis, non curastis, non fecistis denique opera charitatis. Quo fugient noctuæ istæ à rutilante & clarissima hac iudicis, & ueræ lucis mandi sententia? Nec equidem uideo, qua fronte quis audeat excludere opera, & attestari ipsa non requiri à iudice, & non fore necessaria ad salutem, & regnum consequẽdum. Nónne hoc est temerariè contra iudicis edictũ præsumere? Cur, quæso, tantum attribuere uultis fidei, ut postergetis opera, quæ iam introductis in domum Christi per ostium fidei, tanto affectu ab ipso Christo exquiruntur, ut omnia in eis, maximè in charitate omnium bonorum operum radice conclude-
Ioan. re uideatur dicens: Hoc mando uobis, ut diligatis inuicem. Et iterum quasi omnium aliorum oblitus repetit: Hoc est præceptũ meum, ut diligatis inuicem: Hoc sæpius repetit, & confirmat in epistolis suis discipulus ille, quem diligebat Iesus:
Paulus & qui præ omnibus aliis erat eius secretorũ conscius. Et Paulus, in cuius quoque pectore Christus ipse resonabat, Charitatem præfert fidei dicens: Nũc autem manent tria hæc, Fides, Spes, Charitas: Maior autem horum est charitas: Et ulterius prosequens asserit, quòd etiam suprema fides, & adeo grandis ut etiã per ipsam montes transferãtur, nihil est sine charitate. Quid ad hæc dicetis noui dogmatizantes: Forsitan, ꝙ charitas sit fides: Sed hoc non est secundum doctrinam Apostoli, qui illas uirtutes cõnumerans aliam ab alia penitus distinguit, adeo, ut aliquando cessante fide remaneat charitas, quæ nunquam excidit. Cũ igitur charitas distinguatur à fide, illa inter opera computatur, id maximè stãte communi omnium distinctione, quòd ea, quæ pertinent ad legem, & euãgeliũ, & totum negotium nostrum inter credenda, & operanda diuiduntur. Charitas igitur, quæ fidei præponitur, opus est, cum omnibus quæ in ipsa charitate fiunt. Et ipsa charitas simul cum contemplatiuo amore, & opera omnia in charitate perpetrata fœlicissima illa pascua sunt, quæ inuenit omnis, qui ingreditur per ostium fidei ad diuina pascua ipsa, & egreditur quoq; ad pascua dilectionis, &

operis in proximum exhibendi: quæ pabula minimè gustabunt, qui morantur tan tummodo super ostio fidei.

Quomodo intelligantur authoritates, quæ fidei tantum tribuere uidentur. Cap. XIII.



Vthoritates igitur omnes, quas noui dogmatizantes in nimium fauorem fidei adduxerunt, quòd non obstent ueræ doctrinæ, quam omnes bene sentientes profitentur, neque faueant hæresi ipsorũ; unica possemus comprobare solutione dicentes; ꝙ omnes illæ attestantur fidem necessariam, tanquam ostium, & principiũ salutis, & ueluti semen bonorum operum, atque eorum radicem: Vndè omnia opera meritoria, ac Deo grata in fide perpetrata fuisse ab Apostolo asseuerantur: Sed summus doctor exerta nos admonet uoce, quòd uerbum Dei, cui credere debemus, est semẽ bonorum operum: Quomodo igitur ò Aquilonares Theologi fides excludit opera? Quid enim nobis ostiũ sine domo, aut radix, & stirps sine fructu? Quid iterum claudicat, qui iustificari cupit & Deo gratum sese exhibere ex fructibus simul cum radice, & semine? Claudicatis uos, & passim labentes ruitis, qui uno tantum pede contenti alterum, & summè necessariũ spernitis: Nos enim utroque pede, fidei uidelicet & charitatis ambulare uolumus solidiori gressu, quàm uos monipedes. Nec manum nostram osculari oblectamur, sed Dei, cuius auxilio fræti opus quodcunque nobis destinatum aggredi confidimus: Non enim nos soli, sed gratia Dei nobiscum Apostolum imitantes operari conamur bonum, dũ tempus habemus. Et hoc est: quod credentes discimus: quia nos omnes nascimur filij iræ, & indigemus non tantum gloria, sed & gratia Dei, ut operemur bonũ in fide, quam suscepimus. Cognoscimus insuper procliuem naturam, frequentem casum, imbecillitatẽ nostrã, ac proinde quo fauore indigemus, ut possimus operari bonũ. Nec deponẽda est opinio operum, imò aspirandũ ad ipsa per gratiã Christi pro nobis passi, suscitati, & merito suo semper fauentis: In quo exultamus lætitia inenarrabili reportantes finem fidei nostræ salutem animarum nostrarum: Et id dummodo fides ipsa perficiatur per charitatem, cum qua producantur fructus bonorum operum, pro quibus promittitur remuneratio. O bone Deus, qua fronte, quo ausu, qua (ut uerum dicam) temeritate isti gloriosi recentiores theologi opera excludere præsumunt, cũ regius propheta denunciet, Apostolus proclamet, & ipse omnium iudex profiteatur, quòd ueniens cum angelis suis, ut negotio humano finem imponat, reddet unicuique secundum opera sua: Obmutescite igitur, & nolite acquiescere spiritui erroris, sed cedite prophetæ; cedite Apostolo, cedite Christo, & Spiritui sancto, quo inspirati loquuti sunt sancti Dei homines: Qui & si fidem extulerunt, non tamen excluserunt opera, nisi ea, quæ facimus absque fauore illius, qui dixit: Sine me nihil potestis facere: Qui Iudæis nondum initiatis, & qui adhuc semen fidei non susceperant, neque radicem collocauerant bonorum operum, dixit: Quoniam opus Dei erat,

Paulus (margin, beside "Sed summus doctor")

DEVS: CHRI (margin)

ut crederent in eum,quem ille miserat, qui & semen bonũ fidei seminat in agro animæ nostræ, ut fructum producamus bonorum operum: Qui ostium est, per quod intramus in uineam, & agrum Domini fructum inde reportaturi. Et hoc pacto habet secum uniuersam salutem,tanquam ostium, & semen,per quod (ut
Petrus Petrus inquit) generamur in ipso Christo: quod innuit,dum ait: Qui crediderit, & baptizatus fuerit,saluus erit: Qui uidelicet tanquam terra bona, & bene irrigata susceperit uerbum Dei,quod est semen fidei: Sunt enim qui ueluti arida petra suscipiunt ad tempus credentes, & in tempore tentationis recedentes,eo quòd non habeant humorem gratiæ uidelicet irrigantis, per quam operamur bonum. Ecce igitur,quòd ex hoc uerbo Euãgelico, quod sic magnipenditis aliquid aliud exquiritur à Christo, quàm fides: Semen enim ipso interpretante est uerbũ Dei,cui credere debemus. Sed ultra hoc exquiritur & terra bona: exquiritur & irrigatio,quæ fit p uerã baptismatis aquã: Quæ aqua est sapientia salutaris: est & gratia,atque fauor bene operandi impetrata à Christo: Qui omnibus in templo clamat dicens: Si quis sitit,ueniat ad me,& bibat: Et iterum ad samaritem: Siquis biberit ex aqua, quam ego dedero,fiet in eo fons aquæ saliẽtis in uitam æternam. Nec dicant idem esse fidem, & baptismum,quia hæc duo primo seiungit,postea copulat attestans utrũque necessarium: quia copulata sententia est. Per hanc uiam currit illud Pauli: Si cõfitearis in ore tuo dominum Iesum,& in corde tuo credideris,quòd Deus illũ suscitauit à mortuis,saluus eris: quia iam habes salutis arram, & semen fidei suscepisti non utique in petra sine humore,quia huiusmodi à Christo excludũtur,sed in terra bene irrigata & producente fructum tempore suo. Et hoc est credere Christum suscitatum, & suscitantem nos ad bona,atque cœlestia opera conducenda, iuxta illud apostoli:
Paulus Si consurrexistis cum Christo,credentes uidelicet ipsum suscitatum,quæ sursum sunt quærite,quæ sursum sunt sapite. Quærite quidem affectu, & sapite gustu, quando uidelicet illa perpetrabitis, quæ sursum spectant. Non igitur hic excluduntur,sed includuntur opera. Confitemur insuper cum Apostolo Christũ esse finem legis ad iustitiam omni credenti,finem utiq;,quem lex,& ipsius legis præcepta operibus comprobata desyderant, & ab eo suscipiuntur,ut uiua sint ipsa opera secundum legem perpetrata: Quæ,nulli dubium,mortua erant sine arbore uitæ,sine pane uitæ,sine denique uita ipsa,quæ Christus est: ubi nec sola fide potest satisfieri cærimoniis,& operibus demandatis in lege, atque præceptis affirmatiuis: Satisfit enim per fidem Christi omnibus,quæ ipsum Christum præfigurabant,atque in ipso completa,imò perfecta sunt: cuiusmodi sunt sacrificia,sacramenta, uestes,ornatus,tota tabernaculi ac templi fabrica,omnes denique cærimoniæ,quæ in figuram Christi contingebant eis. Præcepta autem nequaquam adimplentur sola fide, alioquin non dixisset Christus: Si uis ad uitã ingredi,serua mandata: sed dixisset: Si uis ad uitam ingredi,crede me. Si igitur obseruatio mandatorum est conditio adeo necessaria ad salutem, ut per ipsam ab authore

salutis promittatur nobis salus, quomodo opus pertinet tantummodo ad exteriorem hominem? Nunquid exterior, aut inferior homo solummodo saluatur? Hæc quippe dogmata mulierculis delirantibus, & uulgò tantummodo persuasibilia sunt, nemini tamen persuadenda. At forsitan inquient: Mortificare exteriorem *hominem esse necessarium, ut ad uitam quis ingrediatur:* Damus: *Est igitur necessarium hoc opus, est necessaria quoque manus simul cum corde:* Sed plus dicimus, *quòd non uidetur sufficiens cor credens simul cum lingua confitente, cum ipsa ueritas, & summus* Iudex *dicat:* Non omnis, *qui dicit mihi* Domine Domine, *credens uidelicet, & confitens, intrabit in regnum cœlorũ: sed qui fecerit uoluntatem* Patris *mei, qui in cœlis est.* Qui *iterum protestatur seruum inutilem, & qui operari neglexerit, cum pecunia accepta à domino suo eiiciẽdum ad tenebras exteriores, atque à* Deo, *& salute anathematizandum.* Et *quòd lucrũ exquirat, statim declarat subinferens: ut minimi, & membra eius cibentur, uestiantur, & huiusmodi, quæ opera sunt, & non sola fides.* Et *quòd præsupponũt* Deum *præcepisse impossibilia, hoc secundum* Hieronymum *anathema est:* Sed *plus dicam:* Impium *est, blasphemia pessima est, damnare* Deum *est, si præcipit, & exquirit à nobis impossibilia, cum id nullo ordine, nulla æquitate, nulla ratione sustentari possit, ut* Dominus *exquirat, & uelit à seruo, quod impossibile est:* At *inquient:* Supplet Christus *meritò, & gratia sua:* Iam *hoc sciunt omnes, & delirantes uetulæ.* Quid *igitur proponitis hæc tanquam uestra adinuenta?* Hoc *enim iam declaratum erat* Christo *dicente:* Sine *me nihil potestis facere:* Hoc *comprobatur à* Paulo, *qui ait:* Non ego, *sed gratia* Dei *mecum.* Nec *potestis aliud innuere per promissa, ut dicitis: nouo enim utimini uocabulo, ut noui uideamini, & nouitate moliri ualeatis, quod prætẽditis: sed cõfido in spiritu* Christi Iesu *recto, quòd deducet in meliorem sortem, quod forsitan obliquo animo astruitur:* Quid *enim est, non potest quis legẽ implere sine* Christo, *nisi sine adiutorio* Christi? Hoc *iam concessimus:* Et *cum dicunt,* Non *potest quis accedere ad* Christum *sine fide, ergo fides sufficit, illatio est falsa, & incõgrua, & præmissa sententia dubia, cum ipsemet* Christus *dicat:* Nemo *uenit ad me, nisi* Pater *meus traxerit eum:* Quæ *attractio an sit ipsa fides, an aliquid aliud, isti noui dogmatizantes nõ adhuc declararunt:* Non *enim dubitamus an fides sit necessaria, ut accedamus ad* Deum, *quia ea est aperta sententia* Pauli, *si ab eo edita sit epistola ad* Hebræos, *ubi ait:* Sine *fide impossibile est placere* Deo: Credere *enim oportet accedẽtem ad* Deum. Sed *quòd hæc sola exquiratur, hoc negamus:* Nam *attractus quis à* Patre, *& introductus in domũ, & familiã* Christi *per ostium fidei statim suscipit talenta, uel mnas, siue quocunque alio nomine uocetur donatiuum illud, ut statim incipiat operari, & lucrum reddat donatiui accepti.* Nec *opus erat ô nouitij theologi multis uerbis offuscare ueritatem iam omnibus manifestam, & ab omnibus acceptam, ut uel uideremini quid noui attulisse in medium, aut ut moliremini aliquod scandalum, quod adhuc è pectore*

CHRISTVS Paulus

nestro non euomistis: Quid enim est damnare opera nisi peruertere totam uitã euangelicam, & præparare se cum Sardanapalo, & aliis spurcissimis non dicam Epicureis, sed bestiis ad omnimodam uoluptatem? Id enim proculdubio sequitur, si in sola fide confidunt, ne non damnentur uigiliæ, ieiunia, castitas, austeritas uitæ, opera charitatis, & omnis cælibatus, ut facitis, Nec innitamini uerbis illis, quibus dictum est: Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam: Nam quamuis fides illa fuerit opus iustitiæ, nõ tamen fuit tantummodo iustitia, per quam fuerit tam Deo gratus, ut fuerint ei tot & tãta repromissa, le-
Gene. 26 gatur (si placet) liber Geneseos cap. 26. & hæc inuenies ad uerbum dicta ad Izahac filium ipsius Abrahæ: Tibi enim & semini tuo dabo uniuersas regiones has, complens iuramentum, quod spopondi Abrahæ patri tuo, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli: dabóque posteris tuis uniuersas regiones has, & benedicẽtur in semine tuo omnes gentes terræ: eo quòd obedierit Abraham uoci meæ, & custodierit præcepta mea, & mandata mea, & cærimonias, legemque seruauerit: uel ut habet ueritas Hebraica, & custodierit custodiam meam, ea uidelicet, quæ tradidi custodiẽda præcepta mea, statuta mea, & legẽ meam. Si igitur fides sufficiebat, cur addita est legis obseruatio? Cur nunc per fidem, nunc per obseruationem legis cõmendatur Abraham, & fit ei tam pulchra promissio? Non quidẽ, quia idẽ sit fides & operatio, sed quia utraq; præsupponit, aut trahit alterã, nec potest altera sine altera esse ꝑfecta: Fides enim ut uiuat, ad opus cõducit, opus uerò fidẽ præsupponit: Abrahã igitur in utraq; perfectus commẽdatur, & aliquando seorsum de fide, & aliquando de obseruatione mandatorum: Quæ reserata fuerant à Deo ipsi Abrahæ non minus quàm Mosi, quamuis hic iubente ipso Deo populo tradiderit, & scripturæ commendauerit. Et sic Abraham seruauit legem, præcepta, & statuta, ergo hæc possunt obseruari: Quid igitur garritis dicentes, ꝙ lex obseruari nequit, & quòd Abraham ex sola fide, & non ex opere iustificatus sit? Scrutemini scripturas, & sententiam sententiæ coaptetis, si uultis ueritatem percipere. Reputata quidẽ fuit fides Abrahæ ad iustitiam, reputata fuere & opera, propter quæ promissa fuit benedictio omnium gentium in semine eius, id maximè, quando obtulit filium Izahac in sacrificium: quem & si in fide obtulit (ut inquit Apostolus) illa tamẽ oblatio non erat ipsa fides, sed opus fundatum in fide, quæ est fundamentum spiritualis ædificij.

Solutio magnæ difficultatis, quam afferunt dicta Pauli in Epistola ad Romanos. Cap. XIIII.



Ed ne aliquid relinquamus intactũ, quod nos in hoc negotio urgeat,
Paulus ueniamus ad ea, quæ Paulus agens cũ Romanis scribit in Cap. 4. ubi adeo apertè deponere uidentur pro fide, ut magis angustẽt uerba ipsius, quàm alia, quæcunque sint à nouis dogmatizantibus adducta: Ait enim. Si Abraham ex operibus legis iustificatus est, habet gloriam,

sed non apud Deum: Quid enim dicit scriptura? Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam: Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum: Ei uerò, qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impiū, reputatur fides eius ad iustitiam, secundū propositum gratiæ Dei: Vndè & David decantat beatitudinē hominis, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: Beatus uir, cui non imputauit Dominus peccatum: Et paulo post: Non enim per legem promissio Abrahæ, aut semini eius, ut hæres esset mundi: Si enim q ex lege hæredes sunt, exinanita est fides, abolita est promissio: Quæ uerba & si nouo dogmati fauere uidentur, non tamen sunt aliena ab ea, quæ plerisque in locis contraria prædicat Apostolus: Non enim ille, in cuius pectore Christus resonat, adeo delirat, ut nunc unum asserat, & statim palinodiam canere incipiat: Sermo nanque erat ad sedandos Hebræos, atq; Romanos: quorum illi in circuncisione, & lege confidebant, isti uerò in præputio, & baptismate: Vndè nunc pro illis, nunc pro istis pientissimum se exhibet defensorem: Et iis, in quibus illi, uel isti nimia elatione turgentes confidebant, acerrimus obuiat impugnator: Inter eos etenim sese collocat eorundem quæstionū diremptorem, ut Hieronymus optimè sentit, Conatur quoque demonstrare, q salus allata à Messiah non confertur neque ex circuncisione, neque ex lege, neque ex operibus, quæ fecimus nos, sed ex gratia, & munificentia Dei, qui per suam misericordiam, & clementiam misit ad nos saluatorem: Nihil enim feceramus, quo extorqueremus, aut disponeremus Dei clementiam ad dandum redemptorem, & ad impetrandum agnum tollentem peccata nostra: Qui ex decreto patris occisus fuit (ut inquit Ioannes) ab origine mundi pro uniuersali salute omnium, sed ex mera Dei gratia id factum est: Vt autem quis ex hac uniuersali affluentia salutis suscipiat portionē aquæ, & benedictionis in propriam, & particularem salutem, necesse est, ut per fidem adhæreat propinanti & afferenti aquam salutarem, ut bibat, & mediante ipsa operando crescat in immēsum, & fiat in eo fons aquæ salientis in uitam æternam: Vndè non standum est in sola fide, sed ulterius progrediendum ad opera, quæ exposcit ipsa fides suscepta. Si autem quis operari nequiuerit, uoluntas pro facto reputatur, & in hunc sensum intelligitur illud Apostoli: Ei autem, qui non operatur, credenti uerò in eū, qui iustificat impiū, reputatur fides eius ad iustitiam secundum propositū gratiæ Dei, qui uoluntatē suscipit, quando adest operandi impossibilitas. Et hæc est gratia singularis, & beatitudo quædam, iuxta id quod sequitur. Dauid dicit beatum hominem, cui Deus acceptam fert iustitiam sine operibus: Beati quorū remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Posset utique Deus, qui uult omnes homines saluos fieri, omnes saluare, etiam sine operibus, sed nec omnes saluat, quia non omnes ei obediunt, nec omnes uolunt operari iuxta fidem susceptam, de quibus dicit idem Apostolus: Non coronabitur, nisi qui legitimè

Dauid

Ioan.

Paulus

certauerit: Et *iterum*: *Dum tempus habemus, operemur bonum, tempore enim*
Paulus *suo metemus*. Audite ô contemptores operum quid dicat Apostolus: Non enim inquit, *credamus & metemus, sed ait, operemur & metemus*: Et hoc secundum mensuram operum, sicut alibi dicit: *Qui parce seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*, in benedictionibus quidem gratiæ præstitæ ad cooperandum, sicut subinfert: *Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in uobis, ut in omnibus omnem sufficientiam habentes abundetis in omne opus bonum*: Et ad quid hoc opus bonum? Non utique, ut tantummodo corpus subiiciatur spiritui, sed ut mercedem accipiamus, si manserit opus, quod superædificauimus, ut docet in priori epistola ad Corin-
Idem thios: Sed ad priora uerba Apostoli redeuntes, confitemur nullum ex operibus legis iustificari, nec iustificatum fuisse, quia peccatum primi parentis, & consequēter totius generis humani id erat, ut nullis humanis uiribus posset auelli, nec naturali, siue legali medela expurgari, neque uelari poterat ignominia illa aliqua ueste rerum inferiorum: Hinc non suffecit folium fici ad tegendam nuditatem protoplastorum, quamuis ficu Isaias sanauerit Ezechiā regem à plaga particulari. Hinc clementissimus Deus miseratus humanum casum, amoto tegmento ex ficu folio consuto, & accepta tunica pellicea uestiuit eos, tunica utique cōfecta ex pelle agni illius, qui sustulit peccata mundi: Qua ueste diuina clementia non modo tegit nuditatem primorum parentum, sed omnium, quos adiudicauerat dignos illo tegmento: Quod opus, & quam uestem nec lex præstare poterat, nec sacrificium, nec sacerdos quispiam, nisi ille, qui sacerdos, hostia, & agnus existens occisus fuit pro omnibus ab origine mūdi, ut omnibus prodesse posset. Cum igitur lex siue legis obseruatio id minimè conferre posset, ideo ex operibus legis nullus iustificabatur: Nec Abraham, nec quisquam alius ex patribus ex operibus legis iustificatus fuit, ut habuerit gloriam apud Deum, qui iustificationem, & purificationem iussit fieri per illum, qui omnium peccata portauit, & per sanguinem ipsius, non autem per sanguinem animalium: Cui Redēptori credidit Abraham, reputatumque fuit illi ad iustitiam, quia non in propriis meritis, nec in seipso, nec in operibus legis confidebat, sed in uero expurgatore, in quē uenturum credebat: Et sic contingit omnibus, qui operabantur, & operantur secundum legem, quibus datur merces secundum meritum illius regulæ, qua dicitur: *Reddet unicuique secundum opera sua*: Sed cum illa opera, quæcūque sint, non sufficiant ad salutem, quæ datur per gratiam impetratam à Christo, ideo
Idem inquit Apostolus, quòd non imputatur ei secundum gratiam, sed secundum debitum iuxta euangelicum illud denuntiatum ad seruos, qui complent opere ea, quæ
CHRISTVS. mandantur in lege: *Cū hæc omnia feceritis, dicite, serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus*: Nec inde acquirimus gratiam filiorum Dei, nisi adiuuemur per illum, qui obtinuit, & dedit nobis potestatem, ut efficeremur filij Dei: In cuius nomine æquum est, ut credamus: & nō sequamur natiuitatem, quæ est

secundum carnem, & sanguinem, sed illam quæ est secundum Deum, & spiritum, secundum quam & operemur, cum ociosi stare non possimus, nec filij Dei constituti secundum carnem & sanguinem operari debeamus: ad quem gradũ, & ad præmium secundum illum reportaturi de condigno (ut aiunt) aut secundum proportionem æqualitatis, & arithmeticam peruenire nequimus, sed per gratiam, & in proportione geometrica: ut si pro uno dantur centum, pro duobus dari debeant ducenta, & pro decem reddantur mille. Hic plura seruantur, quæ prima fronte uidebantur malè conuenire: Hic enim saluatur, quomodo non sunt condignæ passiones huius temporis, & opera nostra ad futuram gloriam: quia illa per numeros perpetrantur, hæc autem per centenaria redditur. Saluatur etiam quomodo gratia Dei sit uita æterna: cum per opus quod perpetramus in pondere, uel mensura unius, nõ possimus per illud unum attingere ad remunerationem faciendam per centenarium, nisi faueat gratia illius, qui est diues in omnes, qui inuocant illum. Hic etiam explicatur, quomodo saluamur per fidẽ, cum adhærere debeamus ei, qui id effecit, ut opera nostra exhibita per unitates remunerentur per centenaria. Hic denique reseratur, quòd & si per gratiam saluamur, & fidem, & licet non sint condigna opera nostra ad futuram gloriã, æquus tamen iudex in remunerando reddet unicuique secũdum opera sua: quia hæc remuneratio fit æqua proportione, intercedente nihilominus semper gratia Redemptoris promissi in lege, & prophetis: Et in hunc sensum intelliguntur illa uerba Pauli: Si qui ex lege hæredes sunt, exinanita est fides, abolita est ꝓmissio. Id enim apud omnes clarissimũ est, quòd salus nõ est data ꝑ legẽ, aut sanguinem animaliũ, sed per Christũ, & Messiam: cui respondent sacrificia, prophetæ, & tota lex: & in quo complacuit Patri omnem plenitudinem inhabitare facere, & per eum reconciliari omnia. Et id, dummodo accipiamus nos crucem nostram, laborantes, decertantes, operantes, & uim nobis inferentes, ut à uitiis abstineamus: & operemur bonum pro uirili nostra: Reliquum autem supplebit ille omnium bonorũ plenissimus, adeo, ut de plenitudine eius omnes accipiamus. Hæc est uera doctrina à Christo, & Apostolis plerisq; in locis prædicata, omnibus syncerè proclamata, & quæ omnes sentẽtias ab eodem spiritu per ora diuersorum, & plerisque in locis æditas conuenire facit in unum. Ad hoc igitur dogma diaboli astu aliâs persuasum, & Dei prouidentia iam sopitum, denuo suscitatur, ut perniciosum scandalum, & scisma emergat: & ut retrahantur fideles à bonis operibus, pro quibus uita, & salus promittitur.

Paulus.

CHRISTVS Pater omnium per ueram regenerationem effectus, & caput corporis mystici in omnia membra influit. Tonus Quintus.

Quomodo Deus sit pater omnium. Cap. Primum.
Quomodo Christus in natura humana iterum nos regenerans effectus sit uerus Pater. Cap. II.
Cur in hac regeneratione exigatur à nobis fides. Cap. III.
Vndè generetur masculus, fœmina, uel androgynus. Cap. IIII.
Vndè similitudo perficiens imaginem generantis in genito. Cap. V.
Quomodo Christus omnes, quos generat, pascat. Cap. VI.
Quomodo, ut nauseam tolleret, hos cibos decoxerit. Cap. VII.
Hic, qui genuit, & pascit, etiam ueluti bonus pater nos instruit. Cap. VIII.
Quam doctrinam nos docuerit. Cap. IX.
Breuis epilogus eorum, quæ docuit Christus de negotio hominis. Cap. X.
In quo gymnasio, & qua cathedra non instruxerit. Cap. XI.
Quibus thesauris ueluti bonus pater ditet nos Christus. Cap. XII.
Quo peculio ditauerit filios. Cap. XIII.
Quod tandem legatum fecerit. Cap. XIIII.
Quibus, & quanta legauerit. Cap. XV.
Quanta solennitate hoc testamentum celebrauerit. Cap. XVI.
Quomodo testamentum confirmatum sit. Cap. XVII.
Quomodo Christus nō tantum Pater, sed caput omnium effectus sit. Cap. XVIII.
Qualiter Christus tanquam uerum caput influat in omnia membra. Cap. XIX.
Quam curam habeat Christus parens noster de nobis filiis, quos genuit, in subministratione rerum temporalium. Cap. XX.

QVOMODO DEVS SIT PATER OMNIVM. Caput primum.



QVALITER *primo Pater æternus, postea Christus dictus etiam sit pater omnium, si explicare uoluerimus, nõ erit ineptũ repetere ea, quæ à sapientibus naturalibus dicũtur de uniuscuiusq; animalis genitura, hominis potißimè, cum in his inferioribus sint simulachra, & imagines rerum diuinarum.* Existimauit itaque Hippocrates partẽ *spumosam,* Hippo *& carnosam seminis emanare à cerebro:* Aristoteles *à corde, quod est præcipua* Aristo. *animæ sedes:* Galenus *ab hepate, cum in eo uirtus naturalis digestiua, & generatiua situata sit:* Sed Auicena *à tribus membris principalibus, à corde uidelicet, cerebro, & hepate, ut omniũ admittat sententias, & rationes, effluere profitetur.* Aliqui uerò (ut Aristo. meminit) *opinãtur ipsum semẽ ab omni mẽbro,* Aristot. *quo ad utrãq; partẽ, decidere, quia delectatio tũc in omnibus mẽbris sentitur: tũ quia ex quolibet stigmate alicuius mẽbri paterni simile generatur in filio, tum etiã quia in multis quælibet pars geniti effigiatur cũ similitudine patris: undè cõiicitur, ꝙ à qualibet parte generãtis secũdum idolũ in ea existens semen defluit: Quod totũ forti imaginationi aliqui, & falsò attribuere uoluerũt: tum quia id euenit absq; imaginatione generantis, tum etiam quia ex nimia decisione seminis quodlibet membrũ ipsius generantis debilitatur.* Dicant igitur *alij pro exercitio ingenij, quicquid uelint: mihi uidetur, ꝙ à quolibet mẽbro decidat portio seminis, undè ex ipso formetur filius cum generantis imagine, quæ totum repræsentat, & membra omnia:* Et *sic cor geniti est à corde generantis, cerebrum à cerebro, oculus ab oculo, manus à manu, & sic de unoquoque: esto ꝙ uirtus, & spiritus præcipuè sit à cerebro, corde, & hepate, tãquã à principalibus, & magis spiritualibus mẽbris.* A *cerebro itaq; descẽdẽs uim trahit rationalẽ, & transiẽs per uenas, quæ sunt post ambas aures, ad micã, cui continuantur, pergit per renes usq; ad uasa seminaria, & testes:* A *corde uerò progrediens, & ab hepate uim deducit, & spiritũ amoris, & dilectionis.* Sic *&* Christus Dei *filius, perfecta* Patris *imago, & sapiẽtia emanauit ab omnibus, quæ in* Patre *sunt, omnia secũ trahẽs, ideo dixit:* Omnia *mihi tradita sunt à* Patre *meo, sicut uidelicet ab omnibus processit:* Ab *essentia enim pietate, clemẽtia, iustitia, bonitate, infinitate, & à toto fonte omniũ bonorũ emanauit, & emanat, sed ꝓcipuè in eo, qđ sapiẽtia est,* CHRISTVS. *processit à cerebro, id est à mẽte paterna, ut nõ incõcinnè dixerit* Orph. *& post* Orph. *eũ* Theologi *gentiliũ,* Palladẽ, *id est uerã sapientiam è cerebro* Iouis *natam:* A *corde uerò & intimo penetrali paterno traxit, undè simul cũ* Patre *spiritũ dilectionis produceret:* Ad *cuius exemplar & nos geniti fuimus primo ab æterno* Patre, *per filiũ tamen, in quẽ semen ideariũ perfusum erat:* Postea *iterũ regenerati sumus per filiũ hominẽ factum:* Hæc *enim nostra seminaria uirtus primo*

LL

uenit à cerebro paternæ mentis, à quo uerbum & armarium omnium rerũ creatarũ: Nam in ipso ideata sunt, tanquam in uirtute seminaria, uniuersa, siue quæ in cœlis, siue quæ in terris sunt, uisibilia, & inuisibilia: Explicantur'que ista cum imagine, uel simulachro Patris generantis, prout perfectio eorum exigit: undè & emanant, & decidunt ab omnibus, quæ repræsentant. Hinc cum homo habeat patris imaginem, ut totum, quod est in patre repræsentet, formatur ex omnibus, quæ sunt in parente generante, nõ tamen ea perfectione, quã filius, sed lõgiori & obscuriori imagine, sufficienti nihilominus ad hoc, ut dicatur filius, qui debet esse similis generanti, ut docet Aristoteles in sermone secundo de anima. Cum his omnibus igitur propheta hilari spiritu exultans decantat: Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes. Et Moses quasi de ingratitudine reprehẽdens populum ipsi creditum, & consequenter totum humanum genus, ait: Nunquid non est ipse Pater tuus, qui fecit te, creauit te, & possedit te? De qbus & ipse Deus in Malachia conqueritur dicens: Si ego Pater sum, ubi est honor meus? Et iterum admonens mortales omnes fratres esse, inquit: Nunquid non Deus unus creauit nos? Nunquid non Pater unus omnium nostrum? Sed & ille regenerator noster præponens ipsum uerum omnium Patrem Deum, ac si omnes alij essent patres similitudinarij, inquit in Euangelio, cui titulus est secundum Matthæum: Nolite uocare patrẽ super terram, unus est enim Pater uester, qui in cœlis est: Ad quẽ quoque magna confidentia nos docet accedere, dum oramus, dicens: Cum oraueritis dicite: Pater noster, qui es in cœlis. Quem etiam Patrem non tantũ creaturarum rationabilium, sed omnium rerum Paulus uocat, dum ait: Ex quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur.

Aristo. Dauid Moses. Malac. Matth. CHRISTVS. Paul.

Quomodo Christus in natura humana iterum nos regenerans effectus sit uerus pater. Cap. II.



DIximus filiũ, qui similis est generanti, & producenti: Ideo cum facti fuerimus in imagine, & similitudine Dei summi omnium opificis, dicimur præ omnibus productis ab eo filij Dei: Sed imagine deturpata, & similitudine penitus deperdita non dicebamur meritò filij summi Patris, nisi iterum regenerati reformaremus dehonestatam imaginem, & recuperaremus similitudinem penitus abolitam: Ideo dixit ille, qui regeneraturus nos uenerat, ad Nicodemum: Oportet nos nasci denuò: Sed non intelligens mysterium Nicodemus, dixit: Quomodo possunt hæc fieri? Nunquid potest quis in uentrem matris suæ iterato introire & renasci? Respondit nouus Pater nouam docens generationem, affirmans, & declarans, quæ dixerat: Amen amen dico uobis, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei: Aquam aßignat principium regenerationis, sicut & primæuæ generationis animaliũ, aquæ fuisse à Mose dicuntur: dũ inducit Deum iubentem, atque dicentem: Producant, uel serpant aquæ serpituram animæ uiuentis: Quod & indicat semẽ animalis aqueum. Tanquam igitur

CHRISTVS. Nicod. CHRISTVS. Moses.

optimus philosophus, & bene gnarus antiquæ generationis filius Dei, *de secunda ueluti primæ conformi dixit, quòd oportet nos renasci ex aqua, ut sicut ab aquis supramundanis, & cœlestibus emanauit prima genitura, etiam ab eisdem proueniret regeneratio.* In Dei *itaque filio, qui uera aqua supramundana est, condita sunt uniuersa, & in eodem regenerantur omnia: Neque enim de aqua elementari loquebatur: quando dixit:* Nisi *quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto:* Nam *quid aqua hæc feculenta cum sancto, & diuino illo spiritu?* Quomodo *possunt hæc penitus diuersa conuenire, ut sint unum principium regenerationis?* De *aqua igitur loquitur, quæ est filius* Dei, *qui simul cum spiritu sancto regenerat homines:* Quorum *sacramentum est hoc elementum aqueum, quod supra caput regenerandi extrinsecus ponitur, simul & uerbum hoc foris sonans:* Quorũ *alterum semen, alterum uerò uim propagandi significat.* Et *quia in hac regeneratione ex spiritu ignea, & excalefactoria, atque dispositiua uirtus spiritus sancti exquiritur, ideo & ipse per sensibilem uocem, tanquam per sacramentum à ministro, & regenerando signatur, dum fides, & abrenuntiatio diabolici & mundani impedimenti exquiritur, & promittitur, quando à sacerdote interrogatur baptizandus:* Quid *petis ab ecclesia?* Et *abrenuntias diabolo, mundo, & pompis eius?* Protestatur *regenerandus illis omnibus renuntiare, ut amoto amore rerum inferiorum totus colligetur per spiritum sanctũ in amorem* Dei. Fidem *quoque exigit, & donum ipsius sancti spiritus, quo firmiter adhærere poßit illi, à quo generatur, & cum eo connecti eodem spiritu, qui nexus & uinculum amoris dicitur.* Regeneramur *itaque à filio, & spiritu sancto in baptismo, quorum regenerantium signa,* & *sacramenta sunt aqua, uerba, & illa, quæ extrinsecus fiunt:* Quæ *non tantum effectum, & gratiam donandã significant, sed ipsum regenerantem, tanquam ueram efficientem causam.* Sed *quia in generatione naturali exquiritur pater generãs, semen, quod infunditur, & mater illum suscipiẽs, posset meritò quis hic dicere:* Patrẽ *habeo, qui est* Christus *regenerans, & semen, quod est aquea uirtus ipsius, & efficax seminarium, matrem autem non cognosco, quæ semen suscipiat.* Nec *mihi satisfacit quod cõmuniter dicunt,* Ecclesiam *esse coniugem formatam de latere* Christi *dormientis in cruce, quia* Ecclesia *nihil est, nisi relatiuũ quoddã aggregationis, aut fideles ipsi cõgregati:* Qui *cũ generẽtur, nõ possunt esse mater generans, & filij generati:* Et *minus aggregatio, aut relatiuũ illud potest cõcipere, & generare homines secundũ carnẽ, uel spiritum.* Huic *difficultati duplici possumus uia occurrere,* Primo, *ꝙ sicut* Pater *æternus in generatione illa æterna, & diuina filij nõ exegit matrẽ, neq; in primæua mũdi, & hominis genitura, ita nec* Christus, *q regenerat nos genitura spirituali, & diuina, exigit matrẽ.* Sed *si cõtẽdatur, ꝙ omniũ uoce* Ecclesia *dicitur cõiũx* Christi, *& mater nostra, dicemus, ne sit cõtẽtio, ubi esse nõ debet:* Primũ *matrimoniũ, qđ fuit inter* Adã *&* Euã, *magnũ qdẽ sacramẽtũ (inqt* Paul.) Christi *&* Ecclesiæ *docet nos, quõ hæc se habeãt:* Ibi *enim*

CHRISTVS.

Paulus

mulier primo fuit filia, quia accepta de costa Adæ, tanquam de materia magno mysterio ipsi proportionata: Postea uerò uxor ex costa eius formata genuit filios. Sic & prima Christi cõiunx ecclesia .i. collectio Apostolorũ fuit formata in uitam spiritualẽ ex costa .i. ex dilectione cordiali, quia eos elegit de mundo: uel ex aqua gratiæ, & uirtutis baptismalis fluentis ex latere, & ex corde Christi, maximè dormientis in cruce: Quibus formatis, & instructis misit per omnes mundi plagas grauidos semine, & uirtute generandi filios, quã eis præbuit, dum ait: Euntes in mundũ uniuersum prædicate euangeliũ omni creaturæ, baptizãtes eos in nomine Patris, & filij, & spiritus sancti. Et sic ex eis, quos primo fundamenta, & ecclesiã, & cõsequenter matrẽ constituerat omniũ generandorũ, cæteros filios ecclesiæ genuit. Ideo Apostolus tanq̃ tenera mater Galatis blandiens dixit: Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in uobis, ut .s. possitis & uos ab ipso Christo grauidi gratia, & uirtute alios parturire. Iterũ dicit, iuxta illud Christi: Oportet uos nasci denuò. Fuere igitur Apostoli prima fundamẽta ædificij spũalis, fuere & primogeniti, & primò Christi sponsa, ex qua regenerati sumus. Nec enim legitur, ꝙ Christus aliquẽ baptizauerit, nisi Iohannẽ: Baptizauit (ut creditur) etiã Apostolos, & matrẽ, in quos, & oẽs uicẽ ipsorũ tenẽtes ĩfudit seminariã uirtutẽ, qua ꝑ uniuersum mũdũ cæteros de nouo parturirẽt, præstãtes regenerationis, & noui partus sensibilia signa, quæ sacramenta dicũtur, id est, sacrarũ rerũ signa, & eorũ quæ non uidẽtur: Quæ sacramẽta an sint tantũmodo signa, uel etiã instrumẽta, aut efficaciter operẽtur, disputatur seriosius à Theologis nostris: Sed (ni fallor) per seipsam soluta est difficultas, & tota ablata ãbiguitas, si attendimus ad illud, undè prouenit tota uis: Hæc enim est à generãte nos Patre nostro Dei filio, sicut semẽ habet uim ab eo à quo decidit: Sed continetur hæc uirtus, aut signatur per extrinseca, & sensibilia signa, ut percipere possint aliqualiter mysteriũ ij, qui tantũmodo sẽsibus exterioribus innituntur, nõ habentes adhuc interiores sensus exercitatos ad discretionem rerum spiritualiũ. Quia igitur filius Dei, & Redemptor noster sic nos regenerat, tanq̃ uerus Pater, ideo uaticinando Isaias ipsum alloquitur dicẽs: Tu autem Pater noster, redẽptor noster, à sæculo nomen tuum. De quo paruulo loquens iterum ait: Et uocabitur Deus fortis, princeps pacis, & pater futuri sæculi, id est pater regenerationis, per quã frui possemus futuro sæculo: Cum semine enim suo, quod ab ipso decidit, descendunt & spiritus genitiui, qui sapiunt naturam diuinam, & faciunt regeneratos capaces futuri sæculi.

CHRISTVS. Paul. Isaias. Idem.

Cur in hac regeneratione exigatur à nobis fides. Cap. III.



ET si in quolibet matrimonio carnali exquiritur fides, tanq̃ unum de præcipuis bonis eius, qua & alter alteri coniugum fidelis sit, & credatur successura posteritas: In hoc etiam matrimonio, & regeneratione spirituali exigitur fides, nõ solũ à formata cõiuge, sed etiam à regenerandis, tanquam principium, & dispositio accessus in Deum:

Et etiam (ut aliquid de intimis penetralibus educamus) exquiritur tanta diligẽtia à baptizando fides per ministrum, ut firma adhæsione intẽti ad ea, quæ peraguntur in nobis, ex forti imaginatione per illam regenerationem melius assimilemur generanti: Multum etenim operatur fides, quæ est firma adhæsio, & fixa intentio cooperantis in quacunque re, aut suscipientis seminarium doctrinæ, & instructionis sanitatem, aut generatiuum semen. Opinabatur enim Aristoteles natum assimilari generanti ex forti imaginatione tam concipientis, quã ipsius generantis. Et Auicena tantum tribuit imaginationi, ut non solum in proprium subiectum, & fœtum, sed etiam in externum multoties operetur, si est intensa: In quam sententiam alibi descendit etiam Aristoteles, & cum eo Algazel Saracenorum sapientissimus, atque Galenus: Quorum primus opinionem suam comprobat per id, quod triuiale est: mulierem generasse filium A Ethiopẽ ex forti imaginatione, quam habebat ad picturam æthiopis existẽtem in cubiculo: Galenus autem hortatur, ut tali imagini à concipiente fixi teneantur oculi, & ex consequenti mens ad effigiatum, qualem fœtum esse desiderat: Si enim formosum expetit, Polycretum, uel Absalonem ante mentem, & eiusdem statuam ante oculos habeat: si militem strenuum, feratur in Cæsarem, Alexandrum, Hannibalem, uel aliquem huiusmodi. Si expetatur philosophus, Aristotelem, uel Platonem consideret. Qui sapientes forsitan didicere ab integerrimo philosopho nostro Mose, qui narrat Iabacob uirgas iniecisse canalibus, ubi potabãtur oues, quales fœtus peroptabat, albos, nigros, aut uarios. Nec aliud est fides firma, & certa, quam à nobis exigit parens noster Christus non solum in baptismate, sed in quocunque opere, quod perpetramus, quàm stabilis adhæsio, & uehemens applicatio ad ipsum cooperantem, & dantẽ uim, & ad opus, quod facere intẽdimus, adeo, ut fiat quodãmodo in nobis idolum uirtutis suscipiendæ, & rei à nobis, uel in nobis faciendæ. Et quia in infantulo non potest esse hæc fides, hinc in baptizãdo nõ adulto requiritur fides in patrinis, ut ipsi in eũdẽ tenerum infantem operẽtur disponendo, & cooperando matri, id est ministro concipienti, atq; parturienti, & præcipuo genitori Christo, cuius uirtute regeneratur infans. Prodest itaq; ualde hæc firma adhæsio cũ genitore, aut præcipuo cooperatore Deo, aut Christo IESV, adeo, ut Paulus omnia opera egregia a magnis uiris perpetrata fidei attribuat, sicut patet in his, quæ longa serie cum Hebræis recitat. Sed potissimè hæc fides exquiritur in suscipiẽtibus diuinum semen in agro animæ, & mentis suæ, ut totus in Deum occupatus per firmam fidei adhæsionem cum eo, superueniens inimicus hominis nullum uacuum reperiat, ubi superseminet zizaniam. Quanto enim plenior diuino semine est ager animæ nostræ, tanto minor locus relinquitur hosti humani generis, qui procurat superseminare zizaniam: Ideo non sine causa exquiritur fides, quæ esse debet non tamen in pura credulitate, sed firma & fortis mentis adhæsio, & tota applicatio animi in seminantem, & regenerantem.

Aristo. Auice. Alga. Gale. Galen. Moses. Iahacob. Paulus

Vndè generetur masculus, fœmina, uel androgynus. Cap. IIII.



Lara experientia comprobamus in naturalibus generationibus aliquos esse fœtus masculinos, aliquos fœmininos, & aliquos (quis rarò) promiscui sexus: Sed undè hoc sit, uaria est inter sapientes opinio. Aliqui id influxibus cœlestibus attribuunt: aliqui uasi matricis dicentes, quòd si in casula residente ad dexteram recipiatur semẽ, fœtus erit masculus: si autem ad sinistram, concipitur fœmina: Sed placet hic sententia Galeni, & Haliabbatis, quòd hoc proueniat à seminè: Nam si semen uirile superabundauerit, patri similior erit fœtus, & masculus: Si uerò præualuerit semen fœmineum, concipietur fœmina matri similior: Si uerò consequenter æquè permixtum, androgynus erit conceptus. Quod pulcherrimè ad nostrum sensum mysticum differit Plato in conuiuio: Quando (inquit) homo adhæret solis lumini uidelicet, & semini diuino, masculum generat, fœminam si terræ, androgynum uerò, quando Lunæ commiscetur. Ad uerum nanque solem suspicit homo, & cum ipso generat, quando suscipit lucem, quæ omnem hominem illuminat, & semen suscipit, qui melius omnes rationales mentes grauidat, quàm hic, quem uidemus lucere super terram, grauidet sydera, tanquam cœlorum gallus. Superiori igitur Soli adhærentes efficimur duo in spiritu uno, dicente Paulo: Qui adhæret Deo, unus spiritus efficitur cum eo. Et tunc suscepto eius semine opus egregium, & masculeum generamus: Si uerò inhæret quis terreo animali eidem condelectatus, opus animale, & infimum concipiens, quod fœmineũ dicitur, effœminatur & ipse, ut in scriptura sacra dicitur: Qui etiã iubẽtur exterminari de terra, tanq̃ deturpatores, & cõtẽptores suæ dignitatis. Si autẽ naturali innititur lumini, quod lunare dicitur, immiscẽdo se ciuilibus cõtentus philosophia naturali, & morali, androgynũ parit opus inter diuinũ, & animale mediũ. Diuinũ igitur cũ habeamus præ manibus Patrẽ, qui nos generat, pascit, & instruit Christus, & habeamus animal nostrũ, qđ nobis blanditur, ut ad infima trahat, & deturpet, & habeamus ciuile mediũ, quod nos agitat, & turbat circa plurima: & distrahit à meliori, & optio libera nobis data sit, ut adhærere possimus, cui uoluerimus, cauẽdũ est, ut bene eligamus: Si enim animali, & ipsius illecebris adhærere maluerimus, effœminati fœmineũ opus cõcipiemus, quod uirũ decipiẽs præuaricari illũ faciet, & diuellet à statu suo, in quo per regenerationẽ positus erat, sicut & collocatus fuit in primæua generatione. Si uerò diuinũ semẽ in bona terra seminatũ præualuerit, masculi effecti masculeũ & uirile opus, imò diuinũ generabimus, quo digni efficiamur filij Dei, iuxta potestatẽ illis traditã, qui credũt in nomine eius ipsi penitus adhærẽtes, & qui nõ ex sanguinibus, neq; ex uoluntate, aut concupiscentia carnis, sed ex Deo nati sunt. Si autem circa ciuilia soliciti ibi præfixerimus terminum, androgyni effecti promiscuũ cõcipiemus opus, iuxta illud Pauli: Qui seruit uxori, solicitus est quæ sunt mundi, & quomodo placeat uxori, & diuisus est. Vt igitur partus noster, gene-

Galen. Haliab. Plato. Paulus

rante Christo, sit masculeus, diuinus, & fœlix, dum regenerari prætendimus, interrogat nos, qui à secretis est, & nũtius patris regeneraturi dicẽs ter: Abrenuntias diabolo, mundo, & pompis eius, ut totus Deo uacans, & ipsi soli inhærens ualeas fœlix regenerari? Respõdet ille ter, promittens uidelicet corde, ore, & opere, Abrenuntio, promitto, & spondeo firma adhæsione me dedicare patri regeneranti, semoto omni alio, quod me ab ipso distrahere queat. Tũc sic dispositus suscipiens saluificum illud semen fœlicissimè regeneratur tanto fauore, ut dehinc diabolo cedere nequeat, dicente Ioanne: Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo est, & non potest peccare: quoniã ex Deo natus est: Et iterũ: Omnis, qui natus est ex Deo, nõ peccat: sed generatio Dei cõseruat eũ, & malignus nõ tangit ipsum: Et rursum: Omne, quod natũ est ex Deo, uincit mundũ. Et non admirari nequeo, cur ij, qui etiam minutissima theologiæ nostræ in neutrà problemata, & questiones deducunt, non discusserint, quomodo uera dixerit Ioannes, cuius testimonium uerum est, quòd natus ex Deo uincit mundum, diabolum, & peccatum: cum uideamus tot in baptismate regeneratos scelestos, iniquos, peccatis obuolutos, mundo, & diabolo seruientes, imò diaboli effecti, ut de proditore dixit parens noster Christus: Vnus ex uobis diabolus est, cum tamen ille cũ cæteris Apostolis (ut consentaneum est) baptizatus, & regeneratus fuerit à Christo. Hic (ni fallor) dicendum esse diiudico, quòd homo non renascitur per aquã, & uerbum sacerdotis, quæ sunt sacramenta, & exteriora signa eorum, quæ Deus in internis operatur, sed per semẽ illud diuinum, ut inquit noster Ioannes: Quod (ut diximus) aqueum est ex aqua illa supramundana confectum, quod non datur, nec permanet in aliquo, nisi per fidem adhæreat regeneranti, & fide stabilitus, firmáque adhæsione conseruet, quod suscepit: Qua fide cõseruans illud semen, præualet in mundum, diabolum, & peccatum, ut clarè infert Euangelista: Hæc est uictoria, quæ uincit mundum, fides nostra. Si autem quis fide non adhæret, suscipit quidem sacramentum, sed non rem, aut uirtutem ipsius: Datur quippe etiam indignis, non in fauorem, sed in præiudicium, sicuti proditori datum fuit in nouissima cœna sacramentum corporis, & sanguinis ab ipsomet Christo. Idẽ euenit his, qui suscipiunt semẽ illud cũ fide, sed in tẽpore credunt, & in tempore tentationis recedunt à fide: quæ uictoriam præstat, in qua semen Dei fit fœcundum, efficax, & operans ea, quæ Ioannes enarrat: Tantum enim quis est uerus filius Dei, quantum in fide, & firma adhæsione adhæret ipsi Deo, ut idem Euangelista ait: Dedit potestatem filios Dei fieri iis, qui credunt in nomine eius. Qui igitur à fide recedunt corde, uel opere, nec filij, nec serui, nec amici Dei, & Christi regenerantis sunt: sed delentur de libro filiorum, & curialium cœlestium in peiorem sortem labentes, quàm si nunquã regenerati fuissent: quia iurisiurandi & sacramenti in baptismate præstiti uiolatores, & rei criminis læse maiestatis omni supplicio ueniunt puniendi. Nec mirum igitur, si nec Spiritussanctus in baptizatis conspici-

[Margin notes: Ioan. (beside "ut dehinc diabolo…"); Idem (beside "quoniã ex Deo natus est…"); CHRISTVS. (beside "imò diaboli effecti…"); Ioan. (beside "illud diuinum…"); Idem (beside "& peccatum, ut clarè…"); Idem. (beside "firma adhæsione…")]

tur, nec sentitur, sicut tempore Apostolorũ, nec uisio angelorũ datur, sicut Tyburtio, & Valeriano ab Vrbano episcopo baptizatis, nec uictoria præstatur aliqua contra antiquum hostem, quia nec habet quis eam dispositionem firmæ fidei, & inhærentiæ, quam Christus, & eius minister exigit, nec ea, quæ spondet, uel in minimo obseruat. Hinc abit uirtus seminis, nulla relicta patris imagine, nullóque uestigio, ut tantummodo falsum restet christianitatis nomen.

Vndè similitudo perficiens imaginem generantis in genito. Cap. V.



PVlchrum quidem est, quando filius est bono patri similis omnimoda similitudine, quæ multiplex est: Effigiatur enim filius ad parẽtis formam primo in ratione specifica ex natura ipsa proueniens in generatione uniuoca: in qua genitus secundum speciem generanti simillimus dicitur filius: Effigiatur quoque filius, cum patris simulacbro in liniamentis, figura exteriori, uoce, loquela, gestu, & huiusmodi, quæ à forti imaginatione, & idolo existente in corde generantis (ut diximus) prouenire potest: Vel à uehementi uirtute seminis, & spiritus emanantis à generante per ipsum semen: Aut est (ut aliqui opinantur) à cœlorum influxu, qui symbolo quodam fauent generanti, & genito. Aßimilatur insuper filius parentibus in moribus, quando eos æmulari studet: Quibus omnibus modis Christi filius potest, & debet patri aßimilari. Primo itaque ipsi similis est in generatione spirituali, natura ipsa sic exigente, ut inquit Apostolus: Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis: Qualis terrenus, tales & terreni: Qualis cœlestis, tales & cœlestes. Sicut igitur portauimus imaginem terreni, portemus & imaginẽ cœlestis. In effigie quoq; Christianus aßimilatur patri, dũ formatur semine deciso à patre Christo pleno Spiritusancto, & diuino quo refertus est genitus: Ideo dixit præcipuus doctor huius regenerationis: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritusancto, ex semine uidelicet pleno diuino spiritu. Neque uerò deficit imago in patre nostro regenerante, qui præuia perfectißima cognitione, pleno affectu generauit, & regenerat nos utrobique ex perfectißimo idolo: Nam in prima generatione nos ad idolũ ideale cõfinxit: In secũda uerò ad illud idolũ, quod pictum est in libro prædestinationis & uitæ, id est in uerbo nos regenerante, in quo scribuntur omnes: & ad cuius perfectionis gradum deducendi sunt, nisi rebellent inscripti, adeo, ut de ipso libro uiuentium deleantur. Nec solum habent illic nomen, & idolum pictum, sed inde uim quandam accipiunt, sicut filij à parentibus per semen ab eis diuulsum. Suscepta igitur perfecta patris imagine in primæua generatione, & restaurata in regeneratiõe, adhuc exquiruntur opera nostra, & mores, in quibus ultra imaginem habeamus etiam similitudinem parentis generantis, & regenerantis: Quæ in uitæ perfectione est, iuxta illud paternum monumentũ: Estote perfecti, sicut Pater uester cœlestis perfectus est. Sed quia difficilè nimis est cõformari Patri summo, qui nõ uidetur, exhibitus est nobis pater sensibilis habitu inuentus, ut homo: cui facilius

Paulus

CHRISTVS

Idem

assimilari possimus, dicente Paulo: Dedit nobis conformes fieri imagini filij sui, quando uidelicet eius opera imitamur, sicuti ipsemet inuitat dicens: Exemplum enim dedi uobis, ut quemadmodum ego feci, & uos faciatis: Quod in lege quoque antea iussum fuerat sub typo tabernaculi formandi: Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est: In monte etenim in quo Christus cruci affixus est, demonstratum est nobis exemplar tabernaculi animae nostrae formandi hospiti similis, & cõdigni, ut in eo habitare cõdelectetur: Quãuis enim semper parens noster Christus se praebuerit exemplar à nobis imitandum, potissimè tamen id fecit in cruce: ad quam breui conscensurus omnes inuitat ad sui imitationem dicens: Qui uult uenire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Quem examussim sequentes non tantum eius nobis similitudinem comparamus, sed transformamur in eandem imaginẽ, quae est ipse Dei filius uera aeterni Patris imago. Paulus CHRISTVS. Exodus CHRISTVS.

Quomodo Christus omnes, quos generat, pascat. Cap. VI.



NEc satis fuisset piëtissimo Patri nostro nos generasse in spiritualem hominem: nisi & cibos ipsi conuenientes praeparasset: Non enim minor ei cura fuit de homine spirituali pascendo, quàm de animali, pro quo tantam rerum copiam praeparauit: Aërem nanque, mare, & terram animalibus in eius escam compleuit: hancque multiplicibus caelorum influxibus fœcũdauit, addens uentorum, roris, & pluuiarum fomenta: ut herbas, & fructus multiplices, & abundantissimos in eiusdem cibum produceret. Restabat pro meliori quoque homine cibos praeparare. Hinc paradisum uoluptatis multigenis arboribus omnium fructuum fœcundissimis consitum praeparauit: Insuper & lignum uitae in eius meditullio non pro animali, sed pro meliori homine collocauit: & prope lignum scientiae boni, & mali, bonum utique ad uescendum, pulchrum oculis, aspectúque delectabile: Et ad omnes arbores irrigandas erat fluuius egrediẽs de loco uoluptatis, qui diuisus postea in quatuor capita etiam partes inferiores omnes potaret: Quae arbores, qui fructus, qui latices omnes fuere homini concessi praeter lignum scientiae boni & mali, quod Christus est, ut alibi diximus: Cuius gradum nec aemulari debebat homo, nec ipso, aut ligno uitae, quod idem est, pasci, quousq; afforet tempus praefinitum a Patre, quo maturatus fructus nobis praeberetur in cibum. Id uerò tum fuit, quando dixit: Accipite, & manducate, hoc est corpus meum: praebuitque non tantum fructum: sed totam arborem, absque tamen sui diminutione. Nec tamen à protoplaste usque ad Christum relictus est homo spiritualis absque cibo: dedit enim sacrificia, & orationes, quae primo Abel obtulisse legitur: Dein & posteri omnes id iussu Dei faciebant, ut bene coniiciunt omnes, qui rectè sapiunt: quia nõ attentasset quispiam Deo offerre sacrificia, & munera à Deo non requisita. Verum tempore captiuitatis, quo non dabatur eis sacrificandi locus, & modus, orationes habebãt in cibũ illi, quorũ cura erat pascere spiritualẽ hominẽ. Egres Idem Abel.

sæ autem familiæ diuinæ de seruitute Aegyptiaca additũ fuit mana, cibus quidem angelorum, aut fortium, sicut in ueritate literæ continetur. Auctum quoque fuit sacrificium, data lex, & celebrati hymni: Quæ omnia sunt ueri cibi pro spirituali, & meliori homine: A qua familia degenerante, & multis sceleribus obuoluta subtracti fuere cibi, destinata ipsa ad captiuitatẽ Babylonicam: à qua soluta, sed non plenè restaurata satis debilis deuenit usque ad Christi tẽpora: In quibus pientißimus, atque munificus Pater regenerauit eam, & totam humani generis massam, præparans meliorem cibum, quam ille umbraticus, ut ipsemet arcanum reserando ait: Amen amen dico uobis, non Moses dedit uobis panem de cœlo: Ego enim sum panis uiuus, qui de cœlo descendi: Patres uestri manducauerũt mana in deserto, & mortui sunt: Ego autem sum panis uiuus, qui de cœlo descendi, siquis manducauerit ex hoc pane, uiuet in æternũ. Concessa est igitur nobis arbor, & fructus uitæ, quem ne primus homo tangeret, expulsus fuit à loco illo uoluptatis: & nobis edẽdus oblatus est sub mortis interminatione, dũ dicitur: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, quæ idem est, quod panis uitæ, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitã in uobis. Solicitißimus igitur fuit pro utroque homine pascendo uterque Pater, & ille, qui primo nos genuit, & hic ab eo missus, qui nos regenerauit: Hic enim de homine animali dixit: Nihil soliciti sitis animæ uestræ, quid manducetis, aut corpori uestro, quid induamini: Respicite uolatilia cœli, quæ neque serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater uester cœlestis pascit illa: Nónne uos pluris estis, quàm illi? Quid ergo de Patre diffiditis? Quid de sua prouidentia in eius iniuriam dubitatis? Quando uidistis eum curam filiorum neglexisse? Si ea omnia, quæ ad hominis seruitium producta sunt, tanta prouidentia curat, ut nihil eis deficiat, quid dubitatis de filiorum prouisione? Nec solum animalibus escas præparauit & uestes, sed ad flores agri adhuc uiliores descendit dicens: Videte lilia agri, aut rosas, quomodo crescunt: non laborant, neque nent, & tamen pretiosius uestiuntur, quàm Salom[illegible] in omni gloria sua: quia hic uestimento artificio intexto, & coloribus aduentitiis picto utebatur: Flores autem, quæ natura præparauit, induunt uestimenta, & coloribus pinguntur à natura comparatis, quæ nobilior est, quàm ars: Et subiungit: Si fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic uestit, quanto magis uos minimæ fidei? Ab hoc itaque doctore edocti poßumus & nos arguere: Si corpus uermibus tradendum tot, & tantis exquisitißimis epulis pascit, quanto magis spiritualem hominem, quem ex suis uisceribus genuit in paternæ hæreditatis cohæredem assumendum, ac ipsi perpetuo consortio uniendum? Pro hoc igitur meliori homine peculiares cibos de cœlo missos præparauit, cœlestes, atq; diuinos, quibus ipse homo uescens totus efficiatur diuinus: Quos cibos sub pane, carne, & uino conclusit, tanquam sub præcipuis humanæ uitæ cibis, & potu. Verum sanguis adhuc in maternis uisceribus decoctus, & in lac mirabili metamorphosi transmutatus infantibus, &

CHRISTVS.


tenerulis administratur: Adultis uerò & grandioribus idem sanguis, in quo est uita cœlestis, mutatus in cœleste uinum propinatur, iuxta illud Apostoli: Vobis tanquam infantibus lac præbemus: Perfectorum autem est solidus cibus, eorum, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni, & mali: Cui Petrus adstipulatur dicens: Quasi modo geniti infantes sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem: quia tunc gustare poteritis quàm suauis est Dominus: Et sic idem potus, qui infantibus datur in lacte pro cibo & potu, adultis datur sub uino & sangnine, non utique illo, in quo residet bestialis anima, & qui regnum Dei possidere non potest, sed in quo residet diuina uita, quã uiuere debet spiritualis, & diuinus homo: Et hic præparatus fuit in peculiare donum in nouissima cœna, dum diceret: Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus noui, & æterni testamenti, qui pro uobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum: à quibus per ipsum mundati uiuatis diuina uita. Hinc concluditur, quòd sanguis ille fuit lauacrum, & potus: Cui potui conformẽ dedit panem, & carnem, & hæc igne decocta, ut nauseam tolleret, sicut statim dicemus: Quem panem alibi uerbum uocauit, quod procedit de ore Dei, in quo etiam dixit, hominẽ uiuere, & nõ in solo pane: Quia in hoc uiuit homo animalis, & in uerbo spiritualis. Si autem per hunc panem intelligitur ille uitæ, & spiritualis, tunc dicere possumus, quòd hoc pane sustentatur uita spiritualis hominis: in quantum autem est uerbum, & sapientia, pascitur portió illa intellectiua: Idem tamen est diuersas proprietates induens: Idem enim Christus in corpore est panis, in diuinitate est uerbum, in anima est sanguis, & uinum: In unoquoque tamen est cuiuscunque uirtus, undè qui suscipit panem, suscipit quoque uirtutem sanguinis, & diuinitatis, sicut edocemur cõmuni ritu ecclesiæ, quæ diiudicat laicos spiritualiter cibari sumendo tantummodo panem, & corpus, ueluti cõtineatur in eo, & uirtus sanguinis, & diuina: Qui parẽs noster declarãs, qs sit hic multigenus cibus, dixit: Ego sum panis uiuus, qui de cœlo descendi: Et iterum. Caro mea uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus. Effectum quoque huius cibi manducandi subiungit dicens: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Se quoque non tantum uinum esse docet, sed uitem, ex qua nascitur, dicẽs: Ego sum uitis uera: Dixitque rursum: Ego sum ueritas, id est uerum Dei uerbũ, in quo pascitur homo noster interior. Omnia itaq; quæ ad hanc nouam doctrinam, nouumque cibum pertinent ipsemet exprimere uoluit sciens, quód alium doctorem, qui hæc doceat, habere nequimus.

Petrus

CHRISTVS

Idem

Quomodo, ut nauseam tolleret, hos cibos decoxerit. Cap. VII.



Ed ne stomachbarẽtur suscipientes, pientissimus Pater hos cibos decoquere curauit, ut in figuratiuis cibis fœlici præsagio obseruatum fuit: Facturis enim Israëliticis typicũ transitum iussit Deus, ut agnum figuratiuum igne assarent. Et offerentibus panem in lege in-

dictum fuit, ut nullatenus crudum, sed coctum clibano præsentarent: Ideo Pater & sacerdos noster maximus Christus omnia, quæ in lege præmissa sunt usque ad minimum apicem obseruans & complês, omnem cibum quem præparauit, decôxit in clibano crucis illo igne, de quo ait: Ignem ueni mittere in terrã, & quid uolo, nisi ut ardeat? Ardet quippe, non ut consumat, sed ut decoquat cibos præparatos: ut conflet nos in unum: ut erudiat, & transmutet, iuxta illud Ieremiæ in Trenis: De excelso misit ignem in oßibus meis, & erudiuit me: aut dissoluit liquefaciens, ut habet ueritas literæ: uel acquisiuit me, transmutatum uidelicet de animali in spirituale: וירדנה uairdenab enim & acquisiuit, uel & dissoluit interpretatur. Dissoluit itaque nos hic ignis, ut conflet, & transmutet in melius, ut non incongruè exclamet ad hunc ignem Lateberacensis dicens: O fœlix flamma ardens, & non urens, illuminans, & non incinerans, sic omnes, quos tangis, in te transformas amantes, ut meritò Dei uini nomine appellentur: Calefecisti Apostolos, & omnia præter te relinquentes filii Dei effecti sunt: Calefecisti martyres, & sanguinem fuderunt, ut ille eorum mixtus cũ tuo sanguine unum quid efficeretur: Calefecisti uirgines, & igne amoris ignem fœtoris extinxerunt, ut legitimæ efficerentur sponsæ tibi coniungendæ: Calefecisti confessores, & duris sese carceribus manciparunt, ut tibi soli uacãtes facilè tecum unirentur. Omnis itaque creatura huius ignis beneficio uiuit, ut non sit, qui se abscondat a calore eius: si cupit Dei habere consortium. Ignem igitur hunc diuinum accendit in coquendis cibis præparatis, adiiciens fomenta lignorum ipsi conuenientium: Quæ figurata sunt per ligna crucis ueri clibani, ubi hi cibi coquũtur. Et hæc ligna fuere cedrus, cupressus, oliua, & palma, ut paßim asseritur: Prima igitur est cedrus corruptionis inscia, & semper durans, denotãs affectum, & effectum indefectibilem, & bonitatem ignei amoris fomentum semper durans: quia etiã bonus amore semper ardet. Cupressus olens odorem significat uirtutum ipsius expurgatis naribus semper fragrantem, ut illum persentiens dicat: In odorem unguentorum tuorum currimus. Variis quippe (inquit Origenes) Deus Pater eum ungens unguentis fecit illum Christum, & medicum. Fecit quoque ipsum uirgulam fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & uniuersi pulueris pigmentarij: Quibus odoribus oblectatus inflammabatur desiderio, ut ipsis nos cõspergeret, & redolẽtes nos faceret, iuxta illud Apostoli. Christi bonus odor sumus. Odore quidem fragramus: quãdo Deo offerimus opera nostra, & nosipsos hostiam uiuam, Deo placentem, quam suscipit in odorem suauitatis: Et hoc fuit fomentum excalefactorij amoris, quo accensus est ad conducendum opus redemptionis nostræ. Oliua præ se fert misericordiam, & benignitatem, qua in nos semper beneficus ardenti fertur amore. Palma uerò triumphum reportandũ de antiquo hoste designat, cuius etiam amore accendebatur: Nam palma martyres portant in signum constantiæ, & triumphi, eo quòd quanto magis eius ramus est onustus fructibus, tanto magis erigitur nunquàm flexus. Hæc igitur quatuor ligna sunt,

IESV — Ieremi. — Gui. Lo. — Orige. — Paulus.

quæ illi diuino igni fomentũ præstabant, quo perfectus, decoctus, & conditus redemptor noster cõductus est in optimum panem, & carnẽ nobis pro edulio subministrandam. Insuper eodem igne in nobis diffuso, tanquam bonus panifex, & artopta nos decoquit, & parat in panem, & cibum ab eo mãducandum. Intrabo (inquit in Apocalypsi) ad mihi aperiẽtem, & cœnabo secum, & ipse mecum. CHRISTVS.
Effectus est enim homo, ut hominem faceret Deum: Se quoque fecit hominis cibum, ut hominem cibum suum efficeret, & ambo pranderent, & cœnarẽt simul in cœna illa ultima, & æterna: in qua decocti, & semper excalefacti cibi igne illo diuino appositi sunt indefectibiles: Vbi etiam est uinum illud nouum productum ab ea uite, quæ ait: Ego sum uitis uera: Et expressum est ĩ torculari crucis Idem.
ab eodem, qui dixit: Torcular calcaui solus & de gentibus non est uir mecum. Solus quippe calcauit uinum meriti, quia solus meruit gratiam, qua bene operaremur, & præmium gloriæ, quod nobis datur. Hos itaque cibos diuino igne decoctos præparauit pro cibandis filiis ex diuinis illis, & sacratissimis femoribus genitis, ne deficiant. Vt sicut animalis homo uiuit pane siligineo, bordeaceo, triticeo & hoc attolagano primario, secundario, uel subcineritio, & huiusmodi, cũ carnibus multigenis, piscibus, fructibus, & oleribus uariis, potaturq́ue uino multiplici, & uario latice, sic spiritualis homo pasceretur pane de cœlo præstito omne delectamentũ in se habente, & omnium ciborũ uirtute referto, subactoq́ue dulci sanguine ueri Agni: cibareturq́; carne, in qua omniũ carnium uirtus excellentissima quadam nota conclusa est, non solum, quia est caro hominis omnes alias excedens, sed quia caro Principis, quia caro immaculata, arca existens diuinitatis, quia caro illius, qui est omnium creaturarum uinculum. Pascitur etiam lacte, uel butyro, quod qui comederit, scit reprobare malum & eligere bonum: Quod lac expressum est ab illis uberibus excelsis, de quibus dicitur in Cãticis: Cantica.
Meliora sunt ubera tua uino: Et iterum: Ibi dabo tibi ubera mea. Bibitur quoq; aqua sapiẽtiæ salutaris propinata ab illo hospite, qui nobiscum peregrinans clamabat dicens: Si quis sitit, ueniat ad me, & bibat: Et iterum: Qui biberit ex hac CHRISTVS.
aqua, quam ego dedero, fiet in eo fons aquæ salientis in uitam æternam. Aderit etiam mel, quod est gustus, & dulcedo sacrorum eloquiorum, & sapientiæ diuinæ tunc clarissimè manifestatæ: Quod persentiens aliquantulũ Propheta in hac peregrinationis uia, dicebat: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel David
ori meo. Sed de his cibis comedẽdis in cœlestibus nuptiis diffusius suo loco disseremus.

Hic, qui genuit, & pascit, etiam ueluti bonus pater nos instruit. Cap. VIII. Eccles.

Filij tibi sunt (inquit ille sapiens) erudi illos. Hinc omnium sapientissimus, F & optimus pater IESVS post genituram, & cibum summa diligentia curauit nos instruere in omnimoda doctrina non solum uerbis, sed factis, & exemplis edocta. De doctrina uerbo facta, omnia euangelia plena

sunt, ubi pluries habetur qualiter aperuerit os suũ & docuerit, & prædicauerit in synagogis Galilææ, & Iudææ, ut doctrina in mundi meditullio seminata facilius ad mũdi extrema omnia deduceretur. Perfudit quoq; Apostolos, & discipulos sancto spiritu promisso, qui suggerens eis omnia, edocuit ipsos omnia, ut per totum mundum diffunderent doctrinam, quam susceperant, & ad metam euangelicam, & diuinæ sapientiæ omnia deducerent, ut præcinuit diuus Citharœdus dicens: In omnem terram exiuit sonus eorum, aut linea eorum, *ut habet ueritas textus, omnia uidelicet regulans, &* in fines orbis terræ uerba eorum: *uel, & melius iuxta literã, conciones eorum. Nec fuerunt idiomata aliqua, in quibus non audita fuerint uerba eorum, quibus datum fuerat in nomine* IESV *parentis, & doctoris nostri loqui omnium linguis, ut ab omnibus doctrina illa intelligeretur, & in confirmationem, quòd doctrina illa erat à Spiritu sancto, sicuti & donum linguarum, & consequenter à doctore nostro Christo, qui miserat illum. Docuit etiam factis, & exemplis, iuxta illud, quod dixit:* Exemplum enim dedi uobis, ut quemadmodum ego feci, & uos faciatis. *Et adeo factis docuit, ut dicant nostri sapientes, quòd omnis eius operatio fuerit doctrina & instructio nostra. Ipse igitur sapientia Patris, & Dei summi expreßit, & manifestauit seipsum uerbis, factis, uestimẽtis, discipulis, ĩternis inspirationibus, & per diuinũ lumen, quo multoties melius docet, q̃ uerbis, ut nõ sine causa dixerit* Ioannes: *quòd erat lux uera illuminans omnem hominem uenientem in hunc mundum. Quomodo autem per diuinum lumen nos alloquatur, & doceat, Dionysius in suo de diuinis nominibus amplißimè tractat. Per uerba igitur mystica, & per hoc lumen docuit nos eam doctrinam, quæ (ut inquit idem Dionysius in de mystica Theologia) superincognita est, superlucida, & supremus uertex sapiẽtiæ: Quia in ea sunt mysteria simplicia, & absoluta ab omni infima disciplina, cõtenta, & inuellata insuperlucida caligine, & in tenebrosißimo lumine, edocta magis occulto silentio, quàm uerbis publicis: Nihilominus quæ, & quanta sit, aliqualiter percurremus.*

Dauid | CHRISTVS. | Ioan. | Diony. | Idem.

Quam doctrinam nos docuerit. Cap. IX.

Ioannes.



Hanc etenim doctrinam si uoluerimus explicare, nec uires nostræ debiles suppetẽt, nec tempus, neque charta & atramentum sufficient, sed (ut uerbis Ioannis utar) nec totus mundus capere posset eos, qui scribendi essent libri, si exararentur per singula ea, quæ docuit IESVS: *aut exponerentur etiam illa, uel modica, quæ ab euangelistis texuntur simplicibus quidem uerbis, sed longè sublimioribus, & profundioribus sensibus, ut omnes quamuis sapientes non pertingant, & acerrima ingenia hebescant, ut ipsemet doctor protestatur dicens:* Confiteor tibi Pater Domine cœli, ac terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus. *Diuina tamen opitulante gratia, quantum ipsum lumen & lux uera* IESVS *nostros di-*

gnabitur collustrare oculos pro uiribus Euangelistarum uestigiis inhærentes aliquid inuenimus de his mirabilibus, quæ continentur sub cortice literæ utrinsq; paginæ: de quibus dicebat propheta: Reuela oculos meos, & consyderabo mirabilia de lege tua. Quæ quidem lex plena sapientia primo data est Mosi, sed à Christo conuoluta, & conducta in melius: quemadmodum si figulus eandem massam, quæ erat sub figura bouis, arietis, uel agni conduceret in figuram hominis nihil addito, nisi noua forma, substantia & materia eadem permanente. Noster itaque pater, & doctor IESVS eam legem, quæ prius subacta erat sanguine animalium pro sanctificando homine animali rursum subegit, tanquam massam aliquam, proprio sanguine circumuoluit, & conduxit pro sanctificando homine spirituali, & meliori nihil perdens, nihil relinquens, quod ad substantiam legis pertineat, sed figuram tantum, & effectum commutauit in meliorem sortem: & hoc est quod dixit: Iota unum, aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant, & compleantur uidelicet per euangelium, & euangelij asseclas, quæ in lege dicta sunt. Iota quippe est minima alphabeti litera, ex qua (inquit Hieronymus) ostenditur, quòd ea, quæ minima putantur in lege, sacramentis spiritualibus plena sunt, & quòd omnia recapitulantur in euangelio. Est etiã apex, id est punctus, & accentus: Quæ duo simul cum literis de substantia sacri eloquij sunt, ut dicunt secretiores Theologi: Nam literæ corpus legis faciunt, puncta animam tribuunt, & mobile reddunt corpus illud, accentus autem dant spiritum, uitam cœlestem, & consonantiam harmoniæ cœlorum conformẽ: undè illa tria complent, & perficiũt legem facientia eam quodammodo uiuam, iuxta illud Pauli: Viuus est sermo Dei, & efficax. Viuus quidem, quia penetrat usq; ad interiora animæ, & spiritus, & ad penetralia cordis omnia prospiciens. Efficax autem, quia diuidit spiritum ab anima, animali uidelicet uniens illum cum portione superiori, ut tãdem deducat etiam animalem animam iam spiritui subiugatam in Deum, ut canitur in Psalmo: Lex Domini immaculata, id est perfecta conuertens animas, ad creatorẽ suũ uidelicet, à quo processit, & sapientiam præstãs paruulis, malitia scilicet & astutia humana, sicuti doctor noster postquã de ista sapientia occultata prudentibus mundi locutus est, subiunxit: Et reuelasti ea paruulis: Qui immunes a peccato, & mundo corde admittuntur ad hanc doctrinam, sapientibus mundi, tanquam immundis porcis, & canibus denegatã: De qua loqui uolens Paulus cum Hebreis inquit: Grandis est nobis sermo, & interpretabilis ad dicendum, maximè quoniam multi imbecilles sunt ad audiendum: Et hi sunt, qui indigent, ut doceantur, quæ sint elementa exordij sermonis Dei, & quibus tanquam infantibus lac præbendum est, non solidus cibus, qui perfectorum est. Quæ autem sint hæc elemẽta prosequens declarat, dum ait: Si ferri uultis ad perfectam Christi doctrinam, omittendus est sermo inchoationis, in quo uidelicet tractatur de principiis, & fundamentis diuinæ sapiẽtiæ. Quæ sunt de pœnitentia ab operibus mortuis, de fide, de baptismate, & sacramentis, de

Dauid
CHRISTVS
Hieron.
Paulus
Dauid
CHRISTVS
Paulus
Idem

authoritate absoluendi, & impositione manuum, & de resurrectione mortuorum, & iudicij æterni: Quæ omnia habentur in cortice euangelij, & pertractatur à scholasticis Theologis quotidie in scholis, & in problemata discutiẽda deducuntur: Sed inter perfectos (ut ibidem Paulus innuit) hæc pertinentia ad meliorem sapientiam pertractantur: Quod sit donum cœleste; & manna absconditum, quod nemo scit, nisi qui accipit, ideo non pertractandum de eo, nisi inter expertos: quia alij capere non possunt: Insuper quomodo homo sit particeps spiritus Dei, & unum & idem cum ipso: Quomodo etiam degustatur bonum, & melius uerbum Dei quàm id, quod foris ad aures sonat, & plebeis in parabolis disseminatur, iuxta illud nostri doctoris dictum ad secretiores discipulos: CHRISTUS. *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis: Quæ insuper sunt uirtutes sæculi futuri, & fœlicitatis, quam expectamus, quam nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, nisi subuectus fuerit quis uirtute Spiritus sancti ad ea cognoscenda, quæ homo propriis uiribus indagare* Isaias. *non potest, sicut cautè loquitur Isaias dicens: Non uidebit Deus absque te, quæ præparasti diligentibus te: Demonstrata tamen hæc fuere primo parenti, dum* Theolo. *existeret in paradiso uoluptatis, quem secretiores Theologi simul cũ Paulo uo*- Paulus *cant sæculum futurum, id est restituendum nobis, qui illud perdidimus: A quibus dependet cognitio perfecta de origine, & fine animæ, de angelicis spiritibus, de conditione, & qualitate illius immensæ gloriæ, de ratione illius paradisi uoluptatis descripti penitus sub metaphoris: Quæ omnia in medulla, & nucleo euãgelij includuntur: Ad quæ deuenit, qui scit auferre corticem, & frãgere nucleũ:* Idem. *Cuiusnomi erat ille, qui dixit: Nos autem reuelata facie gloriam Domini speculantes. Hanc autem doctrinam, quæ nõ reseratur literis, aut uerbis, nemo scit, nisi qui dono peculiari accipit, dimittentes pertractandam inter perfectos, & eos, qui ipsam degustauerint, percurremus aliquid de ea quæ potest propalari doctrina, & maximè de hominis conditione quid docuerit doctor noster Christus melius quàm omnes mundi sapientes.*

Breuis epilogus circa ea, quæ docuit Christus de negotio hominis. Cap. X.



Vinaria sunt de homine instituta à sapiẽtibus mundi, maximè ab his, qui nunc habentur præ manibus, tacta, & non decisa, à Christo autem clarißimè definita: Qui sumus: Vndè uenimus: Vbi habitamus: Quo tendimus: Per quam uiam. Quis sit homo, hoc tan- Peripate. *tum à Peripateticis determinatum habemus, quod sit animal, & hoc rationale* Academ. *productum ab homine, & à sole: Ab Academicis autem (prout ex prophetica officina deduxerãt) additur, quòd ultra animal, & rationẽ in homine est quod*- Plotinus *dam diuinum, quod Plotinus intellectum nominat, aut lumen intellectuale, quo mediãte cognoscere possumus Deum, & bonum operari ipsi Deo gratũ: Quod*

& Pythagoras ex eadem officina depromit dicens in aureis uerbis: Confide, quoniam diuinum genus hominibus inest. Sed Christus ulterius trãscendens docuit, quòd sumus filij Dei, dum prophetam commendat, qui dixerat: Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes. Sed quia ab hac dignitate cecidimus, adeò, ut nullum ipsius in nobis remanserit uestigium, nec adinuẽtus sit, qui de ipsa aliquid uel docere, uel scire possit, I E S V S doctor noster non tantum docuit, sed potestatem dedit (inquit Ioannes) ut filij Dei fieri possemus, mortificata carne, & sanguine, quæ nos ab illa dignitate diuulserant: Qui & alibi exultans ait: Videte qualẽ charitatem dedit nobis Deus, per Christum uidelicet, ut filij Dei nominemur, & simus. Docuit iterum, ut efficiamur filij Dei per suauem concordiam cum ipso, dicens: Beati pacifici, quoniam filij Dei uocabuntur: Quæ pax non est quidẽ illa Octauiani, aut quam mũdus cupit, ut absque prædonibus, uel sicariis potiri poßit unusquisque suis bonis securius: sed illa, quam cum Deo habere debemus: quæ in omnimoda consonantia, & concordia cum ipso consistit: ut nihil optemus, nihil peragamus, nisi quatenus ipsi gratum sit, suppeditatis penitus uitiis, & concupiscentiis, debellatis hostibus, & pacatis affectibus: Quod facere nec sciebamus, nec poteramus, nisi per I E S V M Christum patrem, & doctorem nostrum, dicente Paulo: Deo autem gratias, qui dedit nobis uictoriam per I E S V M Christum dominum nostrum. Quæ pax, & uictoria stat cum omnimodo bello extrinseco, persecutione, & martyrio: In quo uexatus Vincentius dicebat. In sublimibus agor, ideo tormenta tua non timeo: Docuit insuper conditionẽ humanam angelicæ tandem assimilandam, dum ait: Et erunt in cœlo, sicut angeli Dei, maiori forsitã nedum similitudine, sed identitate, quàm existimetur. Declarauit quoq; animæ pretiũ, dum ipsam toti mundo prætulit dicens: Quid prodest homini, si uniuersum mundum lucretur, animæ uerò suæ detrimentũ patiatur? Quæ omnia, & his similia, siquis bene perpenderit, intelliget ea definita de hominis conditione, quæ sapientes mundi huius minimè declararunt. Secũdũ est: Vndè uenimus: Quod ab Aristotele discere nequimus, cum nõ determinet, undè egrediatur rationalis anima, an de ipsius gremio materiæ, an ueniat deforis, sed dubitatiuè, & palpitando loquitur dicens: Si est aliqua forma ueniens deforis, ipsa est anima intellectiua. Pythagoras autem ex antedicta officina (Alexandro, & Laërtio referẽtibus) aliquid celebrius protulit dicens: Anima est immortalis, cum illud quidem à quo auulsa est, immortale sit: Vbi duo profitetur, Alterum, quòd anima sit immortalis, Alterum, quòd à Deo emanauerit: quorũ utrũq; ab Arist. relinquitur dubiũ, quia non curauit addiscere à gymnasio cœlesti, undè omnis ueritas: in quo præ omnibus edoctus Christus aperta uoce instruit nos à Deo ꝓgenitos, dũ docet, ut magna cõfidẽtia recurramus ad Deũ uocãtes ipsum Patrẽ, sicuti est, imò nullũ aliũ cognoscamus patrẽ, dum ait: Nolite uocare nobis patrem super terram: Vnus est enim Pater uester, qui in cœlis est: Et de seipso ait: Exiui à Patre, & ueni in mũdum. Sed cum fratres simus potius ex

Pytag. · Dauid · Ioan. · Idem. · CHRISTVS. · Paulus · Vicent. · CHRISTVS. · Aristo. · Pythag. · Alexan. · Laërti. · CHRISTVS. · Idem

patre, quàm ex matre, & nos ab eodem absque dubio exiuimus, non tamen eadē perfectione, & gradu: Quod minimè cognoscimus, sic nos primorū parentum obtenebrante peccato, undè ignorantiæ, aut obliuionis pœnā incidimus: Proinde

Poëtæ
Thc. Gē.
Philo.

confinxerūt Poëtæ antiquiores, & gentium Theologi nos bibisse de Lethæo gurgite. Tertiū est ubi habitamus: Circa quod adhuc uagātur Philosophi naturales, An hæc sit nostra patria, ubi consequi poßimus intellectum adeptum, in quo (ut ipsi opinantur) beari poßimus, An sit hospitium hic locus peregrinationis no

Peripate.
Brach
Academ.

stræ, & an hæc sit mansio amica, uel hostilis: Circa quod, quid senserint Peripatetici, nondum exploratum habeo: Brachmanæ autem & Academici diuinam doctrinam, quam Christus explicandam uenerat, olfaciētes aliquid ueritatis in

Didy.

huiusmodi protulerunt: Non sumus (inquit illorum rex Didymus) huius mundi incolæ, sed aduenæ. Et Academici suum Platonem sequentes fatentur alias mansiones tam pro bene, quàm pro malè merentibus, ut expreßè in Phædone disse-

Plato.
Mercur.
Chald.

rit ipse Plato. Mercurius quoque à suo Pymādro edoctus, & in mentē erectus, dū moreretur (Chalcidio referente) dixit: Hactenus fili pulsus à patria uixi peregrinus, & exul: nunc uerò patriam repeto: Cumque paululum à uobis uinculis corporeis absolutus abscessero, uidetote ne me quasi mortuum lugeatis: nam ad illam optimam, beatamque ciuitatem regredior, ad quam uniuersi ciues mortis concione uenturi sunt. Noster autem doctor Christus, quomodo se habeat no

CHRISTVS.

biscum hic, quem habitamus, mundus, ante omnes apertè declarauit dicens: Ego testimonium perhibeo de mundo, quia opera eius mala sunt: Et iterum: Si mundus uos odit, scitote, quia me priorem uobis odio habuit. Et multa huiusmodi tangit, ex quibus cognoscimus mundum, & hoc hospitium, in quo peregrinamur, no

Iacobus.
Ioannes.

strum esse acerrimum inimicum: Quem secuti Iacobus, & Ioannes dixerunt: Qui uoluerit esse amicus huius mundi, inimicus Dei constituetur. Sed Ioannes paterna charitate nos blandiendo admonet dicens: Filioli nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt, quia in eo non sunt, nisi nobis inimica omnia, concupiscentia carnis, atque oculorum, & superbia uitæ. Ostendit insuper noster doctor, & Pater factis magis, quàm uerbis hanc non esse patriam nostram, sed peregrinationis diuerticulum, dum tanquam peregrinum se exhibuit

Dauid

discipulis, sub cuius persona dicit propheta: Aduena ego sum, & peregrinus, sicut omnes patres mei. Hinc concluditur mundus non esse diligendus, sicut nec diuerticula peregrinationis, imò cautißimè aduertendum, ne expoliemur, dilapidemur, & uulneremur. Quartum, quod magis mirum est, quia cum continuè peregrinemur, nullus tamen sapientum mundi declarauit, quò properemus, nisi qui

Pythag.

à diuinis eloquiis didicerunt, ut Pythagoras, cuius sententia ad metrum redacta hoc resonat: Corpore deposito cum liber ad æthera perges, Euades hominē factus Deus ætheris almi. Cum quo Plato eadem disciplina imbutus in Phæ-

Plato.

done inquit: Qui piè præ cæteris uixisse inueniūtur, hi ex his terrenis locis, tanquam è carcere soluti, ad altiora transcendūt, puramq; supra terram habitant regio-

nem, ubi præmium pulchrum est, & spes ingens. Sed noster doctor Iesus nos de hoc aperto sermone docet, dũ ait: Hæc est uita æterna, ut cognoscant te Deũ Patrem, & quem misisti filium tuum: Quæ cognitio cum haberi nõ possit in hac peregrinatione, quando habebitur, declarauit dicens: Quando uenerit filius hominis in sede maiestatis suæ, congregabuntur ante eum omnes gentes: quibus separatis, dicet iis, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum uobis regnum à constitutione mundi: In quo regno erit patens uisio Patris, & opificis: erit fruitio omnium bonorum: erit denique status omnium bonorum aggregatione perfectus, qui est status ueræ beatitudinis: Quis autem Philosophorum aliquando declarauit paratum esse nobis regnum? Quis ausus fuisset ipsum petere, aut sperare, nisi ipsius regni Dominus declarasset, & promisisset? Quis iterum declarauit nos inuitari ad illud regnum, tanquam ad nuptias, nisi doctor noster, ut patet in parabola de nuptiis? Vltimũ, qđ omniũ difficillimum est, qua uia in illum finem pergendum sit: Nullus est (inquit Baruch) qui illius regni uiam scire possit: nec est, qui excogitet semitas eius: Nec gigantes, qui fuerunt à principio statura magna, & uiri nominis: Nec aliquis principum huius sæculi, qui destruuntur: Nec philosophorum quispiam, quamuis in exquirendo ætatem consumpserint, & tempus (ut longo sermone disserit Lactantius) simul & industriam perdiderint, quousque iste doctor noster, & Pater uisus fuit in terris, & cum hominibus conuersatus: Qui non tantum docuit, sed fecit seipsum uiam, non inquam illam præceptorum, per quam currebat Dauid dilatato eius corde, nec uirtutum tantummodo, quamuis eam omnimodam plenissimè docuerit, sed fecit se uiam, & baculum, cui innixi pergeremus ad Patrem, nedũ sustentans, sed ducens, attrahens, & portans, ut in parabola de oue perdita, & humeris pastoris portata docemur: sub cuius psona inquit Augustinus disputãs contra quinque hæreses: Cum esses inimicus Patri meo, reconciliaui te: Cum errares inter montes, & syluas, quæsiui te: inter lapides & ligna, quæ adorabas, inueni te: humeris meis portaui te usque ad Patrem, cui te reddidi. Omnia quoque pondera peccatorũ nostrorum in se suscepit, ut exonerati facilius pergeremus, aut portaremur. Docuit etiam, quomodo renouari, & transmutari debeamus, ut leuiores effecti non deficiamus in altissimo & difficillimo itinere, & ne in effigie bestiæ, quam per peccatum assumpseramus, apparentes in curia illa mentium, & intellectualiũ spirituum expelleremur multò seuerius, quàm eiectus dicatur à nuptiis ille, qui non habebat uestem nuptialem. Cuius transmutationis principium fit per sacramentale semen, quo concipimur in baptismo, & renascimur secundum spiritum: Sed per resurrectionem complementa suscipimus perfectæ regenerationis, de qua dicitur: In regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ cum angelis suis, uos, scilicet Apostoli, sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israël: Sed alij omnes, qui reliquerint domum, fratres, uel sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios,

CHRISTVS.

Baruch. 3

Lactan.

Augusti

uel agros, centuplũ accipient, & uitam æternam poßidebunt. Quis enim de hac regeneratione ante ipsum sermonem habuit, uel excogitauit? Cuius regenerationis, quæ fit in resurrectione, ipse fuit principium, & uia, dicente Paulo: Christus surrexit à mortuis primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum: Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes uiuificabuntur. Et hæc est uera uia uitæ, quam docuit doctor noster Christus, sicut prædixerat propheta: Notas mihi fecisti uias uitæ, quæ (inquit Ambrosius) antea habebantur ignotæ: Quem præuidens in spiritu Isaias lætabundus ait: Venite, ascendamus ad montem Domini, montem utique illum eleuatum super uerticem montium, & super omnes colles, id est super omnes sublimes in potẽtia, sapientia, & sanctitate, & ad domũ Dei Iabacob, de qua egressus est secũdũ carnẽ iste Doctor noster IESVS, & docebit nos uias suas: & ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exibit lex, & uerbũ Domini de Ierusalem, Lex quidem proximè subacta (ut diximus) & uerbum Domini, quod est factum caro, & docuit nos potißimè in templo, quod est in Ierusalem, & in cruce fixa ante portam ipsius.

Paulus

Dauid

Ambros.

Isaias

In quo gymnasio, & qua cathedra nos instruxerit. Cap. XI.



ET quamuis iste Pater, & Doctor noster docuerit nos in templo, in montibus, in synagogis Galilææ, & in diuersis locis, totam tamen doctrinæ summam, & efficacius tradidit in cruce, ut meritò dicat Augustinus: Crux Christi patientis fuit cathedra magistri docentis. Quod cognouit & ille, qui dixit cum Corinthiis: Nihil putaui me scire inter uos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum: quia in cruce positus nobis omnigenam doctrinam dedit: quam in superficie percurrentes dicemus, ꝙ ab elementis melioris, & mysticæ grammaticæ incipiens deduxit nos usq; ad summos apices profundißimæ theologiæ nullam doctrinam intermediã relinquens intactam. Primo enim docuit uerbũ æternum concordare cum nomine illo, quod est super omne nomen, datum quidem ei per uirtutem crucis, si uera docet Paulus: qui de hoc uerbo incarnato, qui cognominatur Christus, inquit: Factus est ꝑ nobis obediẽs usq; ad mortẽ, mortẽ autẽ crucis: propter quod & Deus exaltauit illũ: & dedit illi nomen, quod est super omne nomẽ, ut in nomine IESV omne genu flectatur, cœlestium, terrestriũ, & infernorũ: Cuius nominis uirtus, & si data in cruce est, id tamẽ intuitu diuini uerbi uniti, & perfundentis hoc nomen IESVM, & ipsum nominatũ, adeo, ut per antonomasiã cognominetur Messiah, & Christus, id est unctus præ omnibus participibus suis. Hinc docuit & participiũ, id est captã ex utraq; natura portionẽ, qua cõstituitur ipse Christus. Aliud quoq; participiũ explicauit in cruce, dũ participauit nobiscum gratiam, gloriam, & meritum, quod acquisiuit in ea, ut nos suiipsius participes faceret, & secum uniret. Pronomen uerum est illud cognomen Christus, quo utimur loco nominis IESV, & uocamur Christiani à Christo, sicut deberemus dici Ie-

Augusti.

Paulus

Idem.

ſuani à Ieſu: Aut dicamus, quòd & ſi Ieſus eſt nomen, poteſt tamen eſſe pronomen, quia ſtat nobis pro nomine magno Dei, quod exprimi non poterat, quouſque exigeretur opus crucis: in qua (ut diximus) data eſt uirtus huic nomini, quod inuocamus pro nomine magno Dei, ſicut ſupra declarauimus. Præpoſitionem autem docuit, dum nomen ſuum tradidit in omnibus operibus noſtris præponendum, ſicuti expreſſit Paulus dicens: Quæcunq; facitis, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti facite. Docuit quoq; nos præponere crucē ſequendam dicens: Qui uult uenire poſt me, abneget ſemetipſum & tollat crucē ſuam, & ſequatur me, qui cruci affigendus ſum præbens ipſam uobis, tanquam baculum, & ſignum præuium in omnibus operibus proponendum. Explicauit quoque aduerbium, matrem uidelicet ſtantem iuxta uerbum, quando dixit diſcipulo, & conſequenter omnibus nobis: Ecce mater tua, quam relinquo locò mei, ut mediante ipſa: quæ ſtat cōtinuè iuxta me, & antè faciem Patris, poſsitis à Patre, & à me obtinere quicquid uultis: Ideo tunc diſcipulus nomine ſuo, & nomine omnium noſtrum accepit eam in ſuam tutelam, & refugium pro Chriſto, & ſimul cum ipſo. Sed & interiectiones maximas docuit nos facere, præbens undè ſuſpiria & omnes dictiones dolentis emittamus. Poſtremò coniunctionem illam, ad quam omnes inſtituti ſumus, cum Deo uidelicet nos beatificante: Nam ſentiens quid in cruce breui facturus erat, ut efficacius operaretur, poſt nouiſsimam cœnam Patrem orauit dicens: Rogo Pater, ut ſicut ego & tu unū ſumus, ita & iſti unū ſint in te. In logica uerò meliori inſtruxit nos quàm Ariſtoteles, cum longè clarius ſciamus per ipſam diſcernere uerum à falſo, quàm per hanc, quam in ſcholis & Peripateticis gymnaſiis iuuenes inſtruuntur: In doctrina enim crucis (ſiquis bene perpendere uoluerit) abſque dubio diſtinguet inter uerum & falſum, iuſtū & iniuſtum: In ea nanque homo efficitur ſpiritualis, & conſequenter (ut docet Paulus) iudicat de omnibus: Ibi comeditur uerū lac, & butyrum, quo ſciat unuſquiſque reprobare malum & falſum, & eligere bonum & uerū. Summā quoque Rhætoricam docuit, imò omnem efficaciam orationi tribuit, dum meruit, & is effectus eſt, per quem omnia impetramus à Patre: Nomen enim hoc IESV (in quo petere docemur, quicquid cupimus) habuit (ut paulo antè diximus) efficaciam à cruce, ex qua acquiſiuit illud nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Duo etiam præbuit gratiſsima ad reconciliandum auditorem Patrem, ad cuius præſentiam ſemper orare debemus: Alterum eſt diligens cura, quam habere debemus, ut repræſentetur anima pura & munda Deo Patri, à quo ipſam accepimus, quod facto efficere docuit, dum ait: Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum: Alterum eſt dilectio inimicorum, in qua ſingulari efficacia præbuit ſe imitandum dicens: Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt, excuſans eos de ignorantia. Inſuper & ad orationem pro nobis factam deueniens obtulit (inquit Paulus) preces cum lachrymis, & clamore ualido nos inſtruens, ut idem faciamus orātes, cū clamore uidelicet cordis, magis q̄ oris. Nec Arithme-

Paulus — CHRISTVS. — Idem — Ibidem — Paulus — CHRISTVS. Paulus

ticam prætermisit, quin eam profundè doceret, dum multitudinem ab uno emanantem in idem conducere studuit in eo, quod ait: Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum, unicũ uidelicet principium, à quo emanarũt. Sed & multiplicare docuit, quando instruxit nos coniungere pauca merita nostra cum suis abũdantissimis, ut debita ratio inueniri posit. Docuit & diuidere animam uidelicet à spiritu per gladium spiritualem, quod est uerbum Dei nobis creditũ, & habens efficaciam potissimè per crucem, & Christum crucifixum. Subtrahere quoque demonstrauit debita à meritis nostris, ut uiderentur, qui fructus ex nostris restarent operibus. In Geometria uerò docuit illud, quòd omnes, ut inueniant, frustra & incassum laborant, quomodo uidelicet quadretur circulus: Et hoc, dum sphæram intellectualem, & naturæ diuinæ quadrauit in corpore quadrifarij elementi præbens & nobis eisdem elementis quadratis, undè possimus conuenire cum sphæra illa diuina. Et hæc est unica uia, ut prẽmamur sub torculari crucis, & ex quadrariis, atque corporeis efficiamur sphærei, & diuini: Non enim potest ritè dari sphæra quadrati, aut cubi, nisi resoluatur figura illa quadrataria: & reducatur in circulũ: Ideo oportet dissolui corpus hoc corruptibile, & quadrãgulare, uel quadrifarium per crucem mortificãdum, si debet fieri sphæricum & diuinum induendo (ut inquit Paulus) incorruptionem, & immortalitatem, atq; naturam illam unigenam, & spiritualem: Dedit nãq; per crucem nobis potestatem filios Dei fieri, per ipsam carnem & sanguinem mortificando, & per uirtutem Christi patientis renascendo, ut supra diximus. Musicã adiecit, docẽs eam, & sonans cũ tympano corporis extensi in cruce, pulsante anima, & reboante spiritu tanta suauitate, ut longè melius, quàm de Orpheo dicatur trahere ad se etiam longissimè distantes in omnibus mũdi partibus: Cõsonantiã nãq;, & concordiã inibi cõduxit rerum inferiorũ cũ cœlestibus omnia cõcilians, omnia pacificans per sanguinẽ crucis eius, ut inquit Paul. Quod nemini antea, uel pòst efficere datum est. Docuit insuper uerã, & meliorẽ astrologiã cũ effectu ꝑducẽs, & diffundẽs cœlestes, & diuinos influxus in nos omnes: Imò seipsum uerũ cœlum aperuit, ut de plenissimis suis charismatibus in nos oẽs diffunderet. Exposuit etiam ueram philosophiam, quæ docet abstrahere intellectualia, & spiritualia à sensibilibus, dum docuit hæc cõtẽnere, & illa appetere: Ad quẽ doctorem inuitat nos Paulus dicens: Occurramus in oppositum nobis certamẽ suspiciẽtes in authorem fidei, & consummatorem IESVM: qui postposito sibi gaudio, mundano uidelicet, & sensibili, sustinuit crucem ignominia cõtempta, quæ inde sequebatur, ut potiretur cœlestibus, & diuinis deliciis. Medicinam autem docuit, & exercuit gratis effectus omnium languentium medicus, donans etiam medicinas, atque unguenta, quibus uariis delibutus ubique fragrabat suauitatis odorem. In philosophia uerò morali adeo omnes excessit, ut uirtutes, quas docuerunt ij, qui de moribus tractant, umbræ sũt tantummodo, & picturæ in comparatione uirtutum perfectissimarum, quas docuit in cru-

CHRISTVS. Paulus. Idem. Idem.

ce: Ibi enim charitatem palàm ostendit super omnem charitatem, & dilectionem exponens corpus, & animam pro amicis suis: Ibi humilitatem, cum humiliauerit semetipsum usque ad extremum gradum ignominiæ: Ibi obedientiam factus obediens usq; ad mortẽ, mortem autem crucis: Ibi fidem, quando crucẽ conscensurus dixit discipulis: Creditis in Deũ, & in me credite, qui sum autbor, & consummator fidei: Ibi patiẽtiam, & spem futurorum bonorum cum innumeris, & immanibus lacessitus iniuriis stetit, tanquã agnus coram tondente ipsum, & non aperuit os suum. Verum tandem summum apicem Theologiæ docuit, dum omnia cõpleuit, quæ in tota scriptura sacra, lege uidelicet. & prophetis continentur, adeo, ut ritè omnibus perfectis alta uoce exclamaret dicens: Consummatum est, & completum, omne uidelicet, quod de me scriptũ erat, & de redẽptione humani generis, & de reseratione ianuæ cœlestis, & de omnibus, quæ hominẽ, & consequenter omnem creaturam in debitum finem conducunt. Quæ uniuersa latent eos, qui non habent sensus interiores exercitatos in agnitione ueritatis. His autem, qui collustratos habent oculos manifesta sunt, sicuti dicebat Apostolus: Nos prædicamus Christũ crucifixũ, Iudæis quidem scandalũ, gentibus autẽ stultitiã, ipsis autẽ uocatis, & illuminatis Iudæis, atq;, Græcis Christũ Dei uirtutẽ, & Dei sapientiã: Quia quod stultũ est Dei, sapientius est hominibus: & quod infirmũ est Dei, fortius est hominibus: qui magnipendunt sapientiam, & doctrinas humano ingenio excogitatas, quæ nihil sunt apud Deũ. Nam infimus gradus diuinæ sapientiæ, quæ stultitia quædam existimatur, maior est omni sapiẽtia mundi, adeo, ut in omni gradu sapientiæ suæ perdantur mundi sapiẽtes, sicut scriptum est in Isaia, & allegatum à Paulo: Perdam sapientiã sapientũ, & prudentiam prudentum reprobabo: Vbi sapiens, ubi scriba, ubi inquisitor huius sæculi, qui intelligat mysterium crucis? Ibi enim sunt thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi, sapientiæ quidem non huius sæculi, neque principum mundi huius, quæ destruitur, sed est sapientia in mysterio abscondita, quam prædestinauit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quã nemo principum huius sæculi cognouit: Ad quam percipiendam sæpius Deus stultos huius mundi elegit, ut confundat sapientes, & infirma, ut confundat fortia, & ignobilia mundi & contemptibilia elegit, & ea, quæ non sunt, in conspectu hominum uidelicet, aut ea, quæ nõ sunt, ut faciat, & destruat ea, quæ sunt, & non glorietur omnis caro in conspectu eius: Qui constituit Christum IESVM nobis sapientiam, iustitiã, sanctificationem, & redemptionem, ut qui gloriatur se scire, uel posse aliquid, in Domino Christo IESV glorietur, qui est uera sapientia, uerus doctor, & nobis omnia administrans: Qui docuit suos electos non longo temporis spatio, nec tot uigiliis, & assiduis laboribus, quot solent iuuenes addiscere doctrinas gentium, sed sola unctione Spiritus sancti eos in omnibus instruxit, sicut promiserat dicens: Ille suggeret uobis omnia, & docebit uos omnia: Et Ioannes in epistola: Vnctionem habetis à sancto, & nostis omnia: Et iterum: Non necesse ha-

CHRISTVS. Idem. Paul. Isaias. Paulus CHRISTVS. Ioan.

betis, ut aliquis uos doceat, sed sicut unctio eius docet uos de omnibus, ita uerum est. Nec dubitandũ est de doctore, & doctrina eius, quia nõ est mẽdaciũ in eo.

Quibus thesauris, ueluti bonus pater, ditet nos Christus. Cap. XII.



On sufficisset parenti nostro nos generasse, & continuò pascere, & instruere, nisi & nos diuites faceret, & accommodaret in omnibus: Diuitiæ enim dicuntur (*ut docet* Marcus Varro, & *alij grammatici*) *quia diuos nos faciant, nullóque egentes, sicut Deus est:* Ad *quem statum nos conducunt ueræ diuitiæ*. Sed tantus error inoleuit in *hominibus, ut diuites sese facere existiment in his, quæ inferioribus regnis tanquam feces & expurgamenta dicata sunt:* Habet enim & Pluto antideus suas *diuitias ex terra effossas, undè Dis dicatur, quia semper his terrenis dies, ut* M. Var.

Clàudi. *inquit ipse* Pluto in Claudiano: *sempérque tenemus, Quod superi tenuere semel.* Qui Pluto (*ut diximus*) Mamona à Saluatore *nominatur, simul & diuitiæ quas possidet:* Quæ *diuitiæ ueris opponuntur, sicut & princeps eius Mamona opponitur* Patri *nostro uerò diuiti non tantũ pro se, sed pro omnibus aliis, ut in-*

Paulus *quit* Apostolus: *Diues in omnes, qui inuocant illum:* Et tãta *est inter ipsos discrepantia, ut nemo posit utrique inseruire, sicuti testatur ipse summus doctor no-*

CHRISTVS. *ster dicens:* Non potestis Deo *seruire, & mamonæ: qui opponuntur, tanquam uerum & falsum.* Et ideo *nos admonet falsas contemnere diuitias, & ueras appetere:* Nolite *(inquit) thesaurizare uobis thesauros in terra, ubi ærugo, & tinea demolitur: & ubi fures effodiunt, & furantur: sed thesaurizate uobis thesauros in cælo, ubi nec ærugo, nec tinea demolitur: & ubi fures nec effodiunt, nec furantur:* Qui *thesauri, & diuitiæ ex multis peculiis coaceruantur.* Est e-

Paulus *nim thesaurus gratiæ, de quo inquit* Apostolus cum Ephesiis: Habemus *remissionem peccatorum secundum diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis:* Et *iterum:* Deus, *qui diues est in misericordia propter multam charitatem suam, qua dilexit nos, conuiuificauit nos in* Christo, *cuius gratia estis saluati:* & *coëxcitauit,* & *conscendere fecit in cælestibus, in* Christo IESV, *ut ostenderet in sæculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos.* Et *non sine causa commiscet* Apostolus *diuitias misericordiæ Dei, gratiæ, & bonitatis: quia omnia illa ex eodem ærario supramundano proueniunt.*

Idem. Est *quoque thesaurus sapientiæ, ut cum* Colossensibus *ait:* In Christo *sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ communicati amicis suis, ut* Corinthios *alloquens dicit:* Diuites *facti estis in illo in omni uerbo, & in omni scientia:* Quos *thesauros dispensandos sibi creditos esse* Ephesiis *declarat, dum ait:* Mihi autẽ *sanctorum minimo data est gratia hæc, in gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias* Christi, *& illuminare omnes, quæ sit dispensatio mysterij abscondi ti à sæculis in* Deo, *qui uniuersa creauit: ut innotesceret nunc principatibus, & potestatibus in cælestibus per ecclesiam multiplex sapientia* Dei *secũdum præ-*

finitionem sæculorum, quam fecit in Christo Iesu domino nostro. Erãt enim hæ diuitiæ absconditæ in Deo omnibus retroactis sæculis, quousque per Christum fuerunt reuelatæ, & creditæ Apostolis dispensandæ. Quas cum omni reuerẽtia distribuere uolens Paulus subinfert: Huius rei gratia flecto genua mea ad Deum patrem Domini nostri Iesu Christi: ex quo tanquam metro, & mensura, atque origine omnium paternitatum omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur. Nec est enim aliquis pater, qui non sit primo genitus à Patre summo; & ab eo habuerit fœcunditatem, undè poßit effici pater. Hunc igitur rogo (inquit) Paulus, ut det uobis secundum diuitias gloriæ suæ, quas uidelicet ego dispẽso, corroborari per spiritum eius in interiorẽ hominem, habitare Christum per fidem in cordibus uestris, in charitate radicati, & fundati, ut poßitis cõprehẽdere cũ omnibus sanctis, quæ sit lõgitudo, latitudo, sublimitas, & profundũ, sapientiæ uidelicet Dei, & scire supereminentem charitatem Christi, in qua scilicet ditißimus fuit, ut de plenitudine eius omnibus erogare poßit, undè sequitur: Vt impleamini in omni plenitudine Dei. Est quoque ditißimus gloria, ut idem testis cum eisdem loquens deponit. Precor continuè in orationibus meis, ut illuminati oculos cordis uestri sciatis, quæ sit spes uocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius: Et iterum: Det uobis corroborari per spiritum in interiori homine, secundum diuitias gloriæ suæ: Sine quibus diuitiis Christi, quamuis potiamur inferioribus & terrenis, pauperrimi sumus, ut ipsemet aperta uoce insinuat dicens: Tu dicis, Diues sum, & locupletatus, & nullius egeo, & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & cæcus, & nudus. Suadeo itaque tibi emere à me aurum ignitum probatum, ut locuples fias secundum ueras diuitias. Et iterũ in euangelio, cui titulus est secundum Lucam: Facite uobis sacculos, qui non ueterascunt, & thesaurum non deficientem in cœlis, loco quippe ueris diuitiis pleno, ut canit diuus Citharœdus: Gloria, & diuitiæ in domo eius.

Paulus. Idem Paulus Apocal. Lucas.

Quo peculio ditauerit filias. Cap. XIII.



NEc Pater iste noster contentus est habere filios, sed uult quoque habere filias, ut utroque sexu compleatur debitus naturæ concentus, sicut & ipse est (teste Mercurio) utriusque sexus fœcunditate munitus; Quæ filiæ sumus nos, qui aliquãdo filij, milites, & ministri eius dicimur, aliquando filiæ, & sponsæ, ut in Canticis legimus: Egredimini, & uidete filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eũ mater sua in die desponsationis illius, quando uidelicet multas accepit sponsas, ut paulo inferius dicitur: Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, adolescentularum non erat numerus. Omnes utique descriptæ magno mysterio in figuram accipiendarum à Christo, quod relinquimus suo loco declarandum: Hic enim non tantum illas reginas, concubinas, & adolescentulas accepit in sponsas, sed etiam totam fidelium collectionem innumerabilem: Quam Ioannes dicit uidisse paratam, tanquam sponsam ornatam uiro suo, ut unaquæque sit sponsa, &

Mercur. Canticis. Ibidem. Ioannes.

tota simul collectio sit sponsa, & filia, uel filius, sicut eadem forma etiam apud grammaticos diuersis rationibus dicitur animus, & anima in utroque sexu, sicuti etiam in scriptura habemus dictũ fuisse, antequam produceretur mulier, Masculum & fœminam creauit eos, id est creauit hominem utroque sexu gaudentem, ut tangit Mercurius in Pymandro, & seriosius explicat Plato in Symposio: Et hoc, quia aliquando ueluti fœmina semen suscipit, & grauidatur, iuxta illud Isaiæ: A facie tua Domine concepimus, & peperimus: Aliquando autem uiriliter agens alios grauidat semine uerbi Dei disseminato. Sunt & qui dicunt, quòd anima dicitur, qua uiuimus accipientes uitam à superis, & animus quo sapimus, redire uidelicet in eum, à quo uenimus. Dum igitur filij sumus, ditamur à Patre, & hæreditate donamur: dum uerò filiæ existimus dotamur ab eodem Parente, qui est Pater, & Spõsus, sicuti primus homo fuit pater, & maritus primæ mulieris. Dum ergo anima est filia, dotatur primo gratia præueniente, qua non tantum introducatur ad nuptias, sed ut interesse posit conuenienter ornata, ut tantus sponsus exquirit: Et hoc quousque coniungatur sponso: Ad quam coniunctionem cum peruenerit, aliam partem dotis suscipit, quæ est gratia cooperans, qua mediante uestit & filios, ut habitu nuptiali uestiti admittantur ad nuptias, & in aulam regiam: Ipse est enim qui operatur omnia in omnibus, & qui esurientes replet bonis. Præbet itaque in dotem uestes, quibus operiant animæ nuditatem, ne expellantur à nuptiis, & dicatur: Quomodo huc intrasti, non habens uestem nuptialem? Quam uestem ipse confecit (ut diximus) ex propria pelle. Donat & omnia ornamenta opportuna spõsæ tanti uiri, quæ à prophetis, præcipuè Ezechiele memorantur, prout, Deo fauente, explicabimus. Præbet aurum, argentum, lapides pretiosos, & omnes ueros thesauros affluenter tam filiis, quàm sponsis. Nec dubitet quispiam de tanto coniuge, quasi non possint suppetere tot sponsis ipsius diuitiæ, ut dona & cætera quæ ad negotiũ matrimonialè spectant abundè subministret, quia ipse est diues, & potens satisfacere omnibus, qui illi adhærent: cum plenitudo diuitiarum sit in eo nunquã deficiens, quoniam complacuit Patri (ut inquit Apostolus cum Colossensibus) omnem plenitudinem habitare facere in eo: Et iterum: In ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis, quæ de se est infinita, & immensa.

Mercur. Plato. Isaias. Matth. Ezechi. Paulus

Quod tandem legatum fecerit. Cap. XIIII.


Optimus autem hic Pater & si semper dilexit filios, in fine tamen maiora dilectionis pignora reliquit, non tantum in eo, quòd uitam exposuit, sed quia opulentissimum testamentum fecit, in quo legauit illud, quo maius excogitari nõ potest: Legauit enim æternum, & fœlicissimum regnum beatitudinis, quod statim se daturum promisit latroni ei commiserenti, dum ait: Hodie mecum eris in paradiso. Et paulo antè Apostolis, & consequenter omnibus nobis promiserat dicens: Ego dispono uobis regnum, sicut disposuit mihi Pater. Et quamuis hanc hæreditatem statim non possideamus

CHRISTVS.

est tamen in loco tuto reposita statim assignanda; quando adimpleuerimus testamentum: Cuius rei fideiussores sunt Petrus, Paulus, Ioannes, & cæteri, qui eam uiderunt, & attestati sunt: quorum primus ait: Benedictus Deus, & Pater Domini nostri I E S V Christi, *qui regenerauit nos in hæreditatem incorruptibilem conseruatam in cœlis, paratam reuelari in tempore nouissimo, in quo exultabitis: Sed modicum nunc oportet contristari in uariis tentationibus, ut probatio uestræ fidei multo pretiosior sit auro, quod per ignem probatur.* Et tandiu *oportet nos esse sub tutoribus, & actoribus sub seruitute præceptorum, donec (inquit* Paulus*) euadamus in uirum perfectum in ætatem plenitudinis Christi: ut iam non simus paruuli fluctuātes, & circumacti ab omni uento, sed compaginati & firmi per omnem iuncturam, & in mensuram uniuscuiusque mēbri correspondentis præceptis diuinis, ut alibi declaratum est. Si qui tamen sunt non adhuc adulti, supplebit Christus, prout tanta hæreditas possidenda exigit.* Ioannes *quoque his adstipulatur dicens:* Vidimus *gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à* Patre, *plenum gratiæ, & ueritatis.* De *cuius plenitudine omnes accepimus, ut possimus cohæredes effici illius unigeniti summi Patris.*

Petrus

Paulus.

Ioannes.

Quibus, & quanta legauerit. Cap. XV.



Vm hæc, quæ in ciuilibus fiunt, consentanea sint diuinis, & cœlestibus, & una respublica sit alterius simulachrum, aptissimè ex his, quæ nobis domestica sunt, addiscere possumus diuina. Testator ciuilis plura pluribus legare potest, si tamen hæres aliquis institutus sit, à quo hæreditaria legata (ut Iureconsulti *asserunt) debeantur.* Pari *modo* Christus *effecit, ut bene disserit* Ambrosius *dicens:* Author *pietatis in cruce pendens testamentum condidit, singulis pietatis opera distribuens,* Patri *spiritum,* Virgini Paranymphum, Nicodemo *corpus terræ tradendum, Apostolis persecutionem,* Peccatori *infernum, Christianis pœnitētibus crucem, Latroni paradisum, & omnibus fidelibus filiis hæreditatem uitæ æternæ:* De *qua loqui non datur, cum ipsi, qui eam uiderunt, protestentur, quòd non licet homini loqui, & ipsemet testator dicat:* Nemo *scit manna, & symposium, quod præparaui dandum, atque delicias distribuendas, nisi qui accipit.* Hinc *satagenti Augustino, & sciscitanti, quæ gloria & lætitia beatis præparata sit, illuxit lux, & insonuit uox dicens:* Augustine, Augustine *quid quæris?* Putásne *immittere uasculò mare totum?* Breui *includere pugillo terrarum orbem?* Cœlum *firmare, ne usitatos exerceat motus?* Quæ *oculus nullius hominum uidere potuit, tuus uidebit?* Quæ *auris nulla hausit, hauriet tua?* Quæ *cor humanum nullatenus intellexit, intelliget tuum?* Infinitæ *rei quis erit finis?* Immensa *qua mensura metieris?* Infinitū *quippe est obiectum, quo ciues illi fruūtur: infinita erit duratio illis beatis per successionem: infinitus erit eorum progressus, quia nunquam terminabitur: nec finem adinuenient eorum bonorum, in quibus oblectantur, aut illius boni om*

Ambros.

nia continentis tanta excellentia, ut in propria forma cuncta umbratica dici possint ratione singularis excellentiæ, quam habent in fonte omnium bonorum: In dextera enim ipsius sunt iucunditates æternæ, pro quo nos habemus usque in finem. Has præsensit regius propheta, dũ prophetico spiritu afflatus cecinit: Ad- (Dauid)
implebis me lætitia cum uultu tuo, quando uidelicet ostendes mihi faciem tuam, adimplebis me lætitia dans de iucunditatibus æternis, quæ sunt in dextera tua. Sed ne dubitaremus de hac gloriosa hæreditate, ipsam præostendit, antequam testaretur, & post: Siquidem ante eam demonstrauit tribus Apostolis: ex quibus Petrus ait: Audiuimus, cum essemus cum ipso in monte sancto, uocem huiuscemodi allatam à magnifica gloria, Hic est filius meus dilectus: Cuius faciem uiderunt splendescere, instar solis, & uestimenta alba, instar niuis ex gloria, in cuius statum transfiguratus erat. Ioannes quoque ait: Vidimus gloriam eius: Et iterum: Quod audiuimus, & uidimus, & contrectauimus de uerbo uitæ, annuntiamus uobis. Condito uerò testamento Stephano protomartyri ipsam gloriam ostendit, Luca attestante in actibus apostolicis, ubi inquit: Cum esset Stephanus plenus spiritu sancto, intuens in cœlũ uidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris uirtutis Dei, iam uidelicet in possessionem ingressum, tam pro nobis, quàm pro se: De qua certus dixerat latroni: Hodie mecum eris in paradiso. Et ne quis suspectos haberet ipsos attestantes, tanquam consanguineos, aut familiares amicos, assumpsit quoque in testem Paulum persequutorem, & inimicum, atque acerrimi ingenij uirũ, ne quis de credula simplicitate eum posset criminari: Quẽ subuexit usque ad tertium cœlum, ubi secundum Hebræorum theologiam splendet decor, & gloria Dei, & ubi sunt ubera, quæ lactare solebant prophetæ, & ibi ostendit, & credidit eam gloriam, & arcana, quæ non licet homini loqui: Pro rei tamen ueritate attestanda uitam, & caput exposuit. Sic & pro huius gloriæ ueritate (prout diuino lumine collustrati perfecta in mẽte, & corde diffinitione sentiebant) uitam tradiderunt alij quamplurimi, qui martyres, id est testes dicuntur. Et horum tanta fuit copia, quòd usque ad tempora Constantini supputata fuerint triginta duo milia milium, qui uitam exposuerunt pro attestãda ueritate gloriæ præparatæ animæ nostræ, & toti composito post resurrectionem corporum, quod nullatenus fecissent, nisi Spiritu sancto edocti, & aliquo modo certiores essent effecti de his, quæ tanto uitæ discrimine cõprobabãt. Omnes autem instituit hæredes huiusmodi gloriæ & regni cœlorum, qui tamen uoluerint fieri filij eius, & regenerari eius semine. Exhæredantur uerò hi, qui uolunt uiuere secundum carnem, & sanguinem, qui regnum Dei posidere non possunt: & quos neque inuitos arrogat tartareus princeps, de quibus aliquando dixit testator noster: Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris uestri uultis facere: quia eius mores suscipientes faciunt eius opera: quæ omnia in mẽdacio fundata sunt, cum ipse sit mendax, & mendacij pater instruens filios in mendacio, & deceptione: Neque enim promittere, aut agere potest nobiscum, nisi

(Margin: Petrus; Ioan.; Lucas. Stepha.; CHRISTVS.; Idem.)

in mēdacio, & dolo, cū nihil dare possit, nisi pœnam, luctū, horrorem, tenebras, & huiusmodi, quæ homo natura ipsa abhorret: Ideo opus est, ut aliqua falsitate alliciat eos, quos ad se trahit. Offert igitur uoluptates, tāquam lenocinia suæ fraudis, ut illis illecebris, quæ regnum Dei possidere nequeunt, allecti mortales auellantur, & diuertant ab illo regno, & hæreditate, à qua ipse expulsus est: Quæ pro nobis parata est à cōstitutione mundi, & legata in celeberrimo testamento filij Dei.

Qua solennitate hoc testamentum celebrauerit. Cap. XVI.



IN testamenti celebritate requiritur (ut dicunt Iureconsulti uel ut fieri solet) testator habilis, bonæ & sanæ mentis, tabellio habens authoritatem, testes, & hæredes. Testator fuit Christus filius æterni Patris cōstitutus iampridem hæres uniuersorum cum plenissima authoritate testandi, legandi, hæredesque instituēdi, ea assis partitione, quæ unicuique (optimi patris iudicio) congruere uidebitur. De hoc testamento nimirum prædictum fuerat in oraculo Baruch prophetæ huiusmodi uerbis: Statuam illis testamentum alterum sempiternum, ut sim illis in Deum, & ipsi mihi in populum. De quo etiam in Ieremia dicitur: Ecce dies uenient, dicit Dominus, & feriā domui Israël, & domui Iehuda fœdus nouum non secundum pactū, quod pepigi cum patribus uestris, pactum quod irritum fecerunt: Nam hoc erit pactum, & testamentum nouum, & æternum, & non amplius amouendum, neque uetustandum. Dicendo enim nouū (inquit Paulus) inueterauit prius: Et quod antiquatur, & senescit, prope est interitum. Cum igitur testamentum illud antiquum fuerit, debebat in nouū mutari, & mutatū est in id, ultra quod ulterius non expectatur. Nec conturbet aliquem, quòd Ieremias dicat fœdus, uel pactū, quia pro eodem accipitur fœdus, pactum, & testamētum, ut ex progressu Pauli cum Hebræis discere possumus: Sic etiam dicebatur arca fœderis & testamēti. Et passim illa promissio facta in lege, & confirmata morte animalium, dicitur testamentū uetus. Fuit igitur iste testator habilis, testatusque est adeò optimæ & sanæ mentis compos, ut nullus ei æqualis aliquando fuerit, ut patet ex celeberrima eius doctrina, & in his, quæ prudentissimè gessit, quando testamētum condidit. Fuit quoque non unus solummodo, sed quatuor tabelliones omni exceptione maiores, Matthæus, Marcus, Lucas, & Ioannes, constituti à summo Imperatore: qui scripserunt uitam, doctrinam, gesta, atque testamentum huius nostri Patris. Testes fuerūt innumerabiles ex omni natione, quæ sub cœlo est: Ad hoc enim spectaculū conuenerāt Parthi, Medi, Elamitæ, Mesopotamij, Cappadoces, Phrygij, Ægyptij, Arabes, Cretenses, & cæteri, qui in Actibus Apostolicis nominantur, sed præcipuè ex tribus celebrioribus idiomatibus Hebræo, Græco, & Latino, in quorum quolibet supra scripta fuit causa ipsius testatoris: Qui omnes audierunt, quæ uir magnus IESVS ante mortem ordinauerit in suo testamento: & uiderunt ea signa, & mirabilia, quæ in eius corrobo-

Baruch.
Paul.
Idem.
Actus

rationẽ perpetrata sunt, & tũc, & postea. Hæredes sunt omnes, qui ex Deo nati sunt, & renascuntur nolentes uiuere secundum carnem, & sanguinem. Nam si
Paulus quis nõ est filius, nec hæres: si autem filius, & hæres, inquit Paulus: Nos autem cum simus filij non quidem ancillæ, & spurij, sed liberæ, & legitimi, sumus ex consequẽti hæredes. Et paulo antè: Omnes filij Dei estis per fidem in Iesu Christo, quicunque in Christo baptizati estis: Et iterũ cũ Romanis: Si autẽ filij, &
Petrus hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autẽ Christi: Et Petrus: Vos saluos facit baptisma Iesu Christi, qui est in dextera Dei deglutiens mortem, ut uitæ æternæ hæredes efficeremur: Deglutiuit enim & destruxit mortẽ, quæ nos impedit, & amouet ab illa hæreditate.

Quomodo testamentum confirmatum sit. Cap. XVII.



Ttriusque Iuris consulti, & omnes qui de re testamentaria tractant, in hoc unum cõueniũt, quòd testamentum stabilitur in morte testatoris, ut Paulus exerta uoce attestatur dicens: Vbi enim
Paulus. testamentum est, necessariũ est, ut intercedat mors testatoris: Testamentum enim in mortuis confirmatum est: alioquin non ualet, dum uiuit, qui testatus est: quia uoluntas humana est deambulatoria usque ad mortem, & in quamlibet partem mutabilis: Nec potest quis imponere sibiipsi legem, à qua nõ posit recedere: Et cũ mutari posit testator, quousque uiuit, & destruere, quod iam confecit testamentum, ideo nullũ robur habet, nisi testator deueniat ad mortem, post quam amplius mutari non potest. Nec dicat quispiam antiquum fuisse uerum testamentum, in quo legauit terram fluentem lacte, & melle, & tamẽ nulla morte confirmatum, quia iam satisfecit Paulus dicens: Nec primum quidem
Idem. testamentum sine morte, & sanguine dedicatum est: Lecto enim mandato legis à Mose uniuerso populo, accipiens sanguinem uitulorum, & hircorum cũ aqua, & lana coccinea, & hyssopo ipsum quoque librum, & omnem populum aspersit dicens: Hic sanguis testamenti, quod mandauit ad uos Deus. Testamentum autem figuratiuum confirmabatur morte animalium figurãte mortem illius, qui per illa animalia quoque repræsentabatur, undè sequitur Apostolus: Necesse erat ergo exemplaria cœlestium his mundari, ipsa autem cœlestia melioribus hostiis, quàm istis, morte uidelicet propria ipsius ueri testatoris: Ideo in ultima cœna dixit: Hic calix noui, & æterni testamenti est in meo sanguine: Æterni quidem, quia ultra illud non dabitur aliud, cum sit sufficiens, & immutabile promittens hæreditatem non figuratiuam, quæ in ueram tendit, & terminatur, sed ipsam ueram, ultra quam aliam non expectamus. Nec prætereundum censeo, cur
Ioan. utrumq́ue testamentum confirmatum dicatur non solum in morte, sed in sanguine, cum suffecisse uideatur mors testatoris, ut præsuppositũ erat: Id fuit (ni fallor) ut habiles fierent hæredes, & capaces relictæ hæreditatis: nam fœdati, & coinquinati illam posidere non possunt, dicente Ioanne: Nihil coinquinatum in-

troibit illuc: Nec uiuentes secundum carnem, & sanguinem ad illam hæreditatẽ poterunt peruenire: Vt igitur nos mundaret à coinquinante sanguine, uoluit testator sanguinem suum purissimum fundere, quo mundaremur à coinquinatione nostri fœdantis sanguinis, & iterum inquit Ioannes: Qui lauit nos à peccatis in sanguine suo. Neque erat secundum diuinam iustitiam alia uia, qua institueret filios, & essent capaces tantæ hæreditatis. Sed nonnullos conturbat, dum dicitur, quòd homo spiritualis mundatur sanguine, qui corporeus est: & quòd illo mundantur etiã mentes angelicæ, dicente Paulo: Pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt: Quibus satisfacientes dicimus, quòd cum uita sit (docente scriptura) in sanguine, ideo uita Christi in sanguine existente, purgantur angelici spiritus, & animæ: qui tamen sanguis effundi debet, tãquam totius peccati occasio: Sanguis enim & materia illa terrea, & sanguinea est fomes omnium peccatorum, ut Dionysius in de diuinis nominibus definit: Nam peccatum est ex propria complacentia usque ad contemptum Dei, ut optimè censuit Augustinus: Sed complacẽtia, quæ nos separat à Deo est ex parte materiæ, id est sensibilis appetitus, cui homo cõplacere uult, undè ligatur lege mẽbrorũ: pro quo Paulus suspirans dicit: Video aliã legem in mẽbris meis repugnantẽ legi mentis meæ: & ducere me captiuatũ in legẽ peccati, ut non quod uolo bonum, hoc faciam, sed quod nolo malum: Sic & in angelis pondus, quod eos diuertit à Deo est materia, quæcunque sit illa, secundum quam sibi complacere uolentes recesserunt ab illo actu purissimo, qui est Deus. Et in habentibus organizatum corpus, & sanguinem concupiscentia potissimè residet in sanguine, quæ non potest habere hæreditatem in regno Christi, & Dei, quousque per purissimum Christi sanguinem expurgatus sit sanguis noster coinquinatus, iuxta legẽ, qua in libro sapientiæ decernitur: Per ea, per quæ quis peccauit, per ea & punietur. Expurgatur itaque sanguis noster in sanguine Christi, cum omnes unum corpus effecti simus, & ipse omnium caput. Vndè sicut medicina, quæ sumitur à capite per os, expurgat totum corpus, sic & medicina sumpta à capite Christo sanauit omnia mẽbra: Traxit enim ad se omnes iniquitates nostras per suũ sanguinem expurgandas, ut illud Isaiæ adimpleretur oraculum, quo dicitur, liuore eius sanati sumus.

Ioan. Paulus Augusti. Paulus Sapien. Isaias

Quomodo Christus non tantum pater, sed caput omnium effectus sit. Cap. XVIII.



FVnctus itaque Christus omni paterno officio, generans, pascens, instruens, ditans, dotans, & legans, non adhuc contentus uoluit omnes nos unire simul in idem corpus, qua unione non datur maior: cuius ipse caput effectus omnia membra regeret, & in ipsa influeret: Quod sacramentum Paulus Colossensibus tam clarè explicauit, ut declaratione non egeat, dum ait: Ipse est caput corporis Ecclesiæ, nosque membra eius: Paulus

& ne superna crederētur exclusa, iterum ait: Ipse est caput omnis principatus, & potestatis: Et iterum cum Ephesiis: Et ipse dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur. Et quomodo nos omnes simus membra huius corporis, satis explicatum habemus Paulus *ab eodem Paulo, ubi cum Romanis, & Corinthiis differens ait: Sicut unum corpus est, & membra multa habet, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita & Christus: In uno etenim spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue gentiles, siue serui, siue liberi, & omnes in uno spiritu potati sumus. Quæ mēbra prius diuiduntur partitione generali omnibus nota, & à multis explicata: Quæ in suis libris legenda relinquētes ueniemus ad aliqua particularia ab aliis nō tacta. In corpore habemus duodecim præcipuas iuncturas: tres in dextera, ad spatulam uidelicet cubitum, & manum, & totidem in sinistra: quæ sunt sex: Tres quoque in quolibet pede, unā ad coxam uel femur: aliam ad genu, tertiam ad uertebrum pedis, ubi est clauicula: Quæ geminatæ senariæ sunt, & simul cum senariis illis brachiorum duodecim reddunt, quot sunt iuncturæ præcipuæ in corpore cœlesti: Iungitur enim Aries cum Tauro, hic cum Geminis, & sic deinceps usque ad duodecimam iuncturam, quibus articulis præsunt duodecim angeli, ut alibi diximus, & Deo fauente, dicemus. Vt ergo corpus hoc Christi mysticum conforme esset corpori cœlesti, & humano, duodecim uoluit habere præcipuos articulos, & membra to-*DEVS *tius corporis: Quorum unus, qui locum calcanei tenebat, præuaricatus est, iuxta illud, quod prædixerat Deus à principio: Ponam inimicitias inter te, & mulierem, & inter semen tuum, & semen illius: Et ipsum scilicet semen mulieris, nō ipsa (ut mendosa habet traductio) conteret caput tuum: Nam Christus ex semine primorum parentum genitus debellauit, & contriuit caput diabolici draconis. Et sequitur: Tu insidiaberis calcaneo, id est Iudæ, qui & ipse erat unū de duodenariis membris huius mystici corporis: Qui admittens insidias, & bibēs uenenum letale ab hoc serpente propinatum utraque morte periit. Sed ne auulso illo membro, corpus monstrosum esset, loco ipsius suffectus est Mathias. Vlterius autem progrediens huius mystici corporis institutor, elegit & septuaginta duos discipulos, iuxta numerum articulorum omnium patentium: Nam in unoquoque digito, tam manuum quàm pedum sunt tres articuli, & digiti omnes sunt uiginti, undè consurgunt articuli sexaginta: qui si coniunguntur cum illis duodecim, septuaginta duo resultabunt. Hinc opinor, ut utrūque corpus sit conforme, Apostolos fuisse de numero septuaginta duorum. Et si instetur per illud, quod* Lucas. *scribit Lucas, Designauit dominus IESVS & alios 72. Respondeo, quòd illa litera sic posset intelligi, quòd aucto numero discipulorum ultra illos duodenos, tunc designauit alios, qui tamen omnes erant 72. Per hos igitur expressa est tota textura corporis mystici, sicut ꝑ duodecim fundamenta designatur tota structura supernæ ciuitatis: Et sicut omnes stellæ cōtinētur in duodecim signis, par-*

tito quolibet in senas partes, ut sint ad summã partes 72. quibus præsident septuaginta duo principes, sic & tota familia huius mystici corporis, & omnes electi stellis à Paulo comparati continentur, sub duodecim Apostolis, & discipulis ipsis adiunctis. Et quamuis aliqui diuidant signa per denarios attribuentes cuilibet signo decanos tres, doctior tamē est hæc partitio per sex quinarios, quorum quilibet fauet uni idiomati tanta efficacia, ut aliqui temporibus nostris periculum fecerint coram multis peritis astronomis dignoscendi ex mera physiognomia, cuius idiomatis unusquisque esset. Verum ad id, quod cœpimus, redeamus, unum est ex omnibus membris corpus, cuius caput Christus est, & collum uniens bustum cum capite est beata Virgo, ut bene sentit Hieronymus: Cuius colli iunctura cum capite, & busto est ultra illas 72: nã collum est ultra, & supra totum bustum, & supra ipsum collum est caput: Sic beata uirgo est super omnes angelos, & sanctos: Christus autem super beatam Virginem: Quos si cœlis comparare uoluerimus, erit beata Virgo tanquam nona sphæra supra octauam, & stelliferum cœlum: in quas stellas influit, sicut beata Virgo in omnes nos diffundit de plenitudine gratiæ, quam immediatè inuenit apud Deum: Christus uerò utraque natura, diuina scilicet & corporea gaudens empyreo cœlo comparatur, quod est semidiuinum, & semicorporeum, sentiens naturam denarij. Paulus Hieroni

Qualiter Christus tanquã uerũ caput influat in omnia mẽbra. Cap. XIX.



Hristum esse caput totius mystici corporis iam probauimus, restat, ut uideamus quomodo in omnes articulos, & artus influat uitæ nutrimentum, regimen, motum, & quicquid ad ipsius coporis sustentaculum, & fomentum pertinet. Et quamuis uita, & motus (ut nonnulli sapientes existimant) sit principaliter in corde, tamen ex sententia Galeni, Haliabbatis, & aliorum, qui de natura, & conditione corporis humani scripserunt, omnis uirtus motiua, sensitiua, & rationalis est in capite: Motiua enim ab ipso capite descendit per neruos, qui à posteriori parte cerebri ortum habent, & diffunduntur per diuersa membra. Nec motus esset regulatus, & rationalis, nisi à loco ubi residet ratio, aut simulacbrum rationis procederet: simulachrum dico, quia hoc in bestiis pro ratione existit. Sensitiua patet in oculis, auribus, ore, & naribus, omnibus in capite situatis. Et quamuis tactus sit principaliter in manibus, non abest tamen à capite, & à toto corpore: Et ad hoc, quòd sit circa pertractata rationale iudicium, necesse est, ut totus referatur ad caput, ubi residet iudicium rationis. Sunt quoq; in capite omnes interiores sensus, communis, uirtus phantastica, imaginatiua, cogitatiua, & omnium dux intellectus, & ratio: undè membra dicuntur à capite regi, tanquam à duce, & repleri uirtute, ueluti riuuli, & aluei replẽtur à fonte: Quæ omnia secundum spiritalem influxum prouenire à nostro capite Christo minimè ambigẽdum est: In ipso enim sunt, & ab ipso replentur omnes sensus interioris hominis, cũ nec gustare, nec uidère, nec odorare, nec audire poßimus, quæ Dei sunt, nisi p Galeni Hali.

NN

Paulus uirtutem huius capitis Christi, dicente Paulo: Gratia Dei sum id, quod sum: Quæ gratia emanat in nos per Iesum Christum, Hinc Philippensibus ait. Gratia uobis, & pax à Deo Patre, & Domino nostro Iesu Christo: Ab utroq; recognoscit, Patre æterno, & Christo, quia ab utroque emanat. Sed neque ratio, neque intellectus, neque lumen ad cognoscēdum diuina in nobis existit, nisi subministretur à nostro capite, quæ est lux uera omnes illuminans. Nec ad opus aliquod moueri possumus, nisi ipso præstāte, qui ait: Sine me nihil potestis facere. Nā sicuti abscisso capite nihil, quod in trunco remanet, aliquid operari potest, sic abscedente Christo ab homine, abscedit uita, & ex consequenti omnis operatio, & motus qui ad ipsam uitam spiritualem pertinet. Quicquid igitur fauoris pro interiori homine habere uoluerimus, ab eo efflagitare necesse est, de cu-
Ioan. ius plenitudine (ut inquit Ioannes) omnes accepimus. Verum quia hæc paßim ab euangeliis, & apostolis satis edocemur, his dimißis ad alia ueniamus.

Quam curam habeat Christus parens noster de nobis filiis, quos genuit in subministratione rerum temporalium. Cap. XX.



T nos totos diuinos faceret, omnem uoluit solicitudinem rerum tēporalium amouere à nobis, onus & prouinciam assumens subministrandi, quæcunque necessaria sunt, Patrem in fideiussorem huius liberalitatis adducens, ut in euangelio, cui titulus est secun-
Matth. dum Matthæum, inquit: Nolite soliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, uel quo operiemur? Hæc omnia gentes inquirunt: Scit enim Pater uester cælestis, quibus indigetis: Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur uobis. Hic tribus rationibus probat amouendam esse omnem solicitudinem. Prima ratio est, quia hoc gētium est, eorum uidelicet, qui non admittunt Dei prouidentiam, sed casui, aut ingenio, & prudentiæ propriæ omnes euentus ascribunt. Secunda: quia Pater optimus omnia curans solicitus est pro nobis, scitque indigentiam nostram, undè si prouidet uolatilibus, cæterisque animantibus, æquum est, ut nobis fælicius prouideat. Postrema ratio est, quia ordo & rectitudo iustitiæ exquirit, ut quæramus primo regnum Dei, & iustitiam eius, ut omnia hæc ipsi succedentia parata inueniamus: Quod
Plato. & Plato ex prophetico symposio docet in primo de legibus dicens: Si quis maiora susceperit, minora quoque poßidebit: si autem illis caret, utroque priuatur. Maiora autem & diuina bona sunt iustitia, pietas, cæteræque uirtutes, quæ deducunt in Deum: Humana uerò bona sunt uires, forma, sanitas, di-
Cicero uitiæ, ciuiles quoque uirtutes. Quem sequens Cicero in suo de officiis ait: Qui præponunt commoda uirtutibus, ordinem, & fundamentum naturæ peruer-
Macro. tunt. Quæ fulciuntur his, quæ Macrobius in de somno Scipionis adducit. Rerum omniū, & actuum naturā Plato inspiciēs aduertit in omni sermone suo de Reip. institutione proposito infundendum iustitiæ amorem, sine qua non solum resp. sed nec exiguus hominum cœtus, nec domus quidem parua constabit. Et

antè Platonē ex eodē fonte potatus Pythagoras dixit in symbolis uerba sacro euangelio satis cōfinia: Ne sedeas (inquit) super modiū, uel super chœnicem (ut est rei ueritas) id est super cibū diurnū, ut bene interpretantur Hierony. Laërtius, & Suida: Quod idē est, ac si diceret: Nolite cogitare de crastino, quamuis Plutarch. & alij aliter locū illū intelligāt. Ex antedictis igitur omnibus cōcluditur, ꝙ omnis cura uictus, & uestitus collocāda est in summo patrefamilias, ut docet Petrus dicēs: Omnē solicitudinē uestrā proiicite in Deū: quoniā ipsi cura est de uobis. Quod cōprobamus multis experiētiis: Esculēta enim multigena terra, Deo iubēte, producit, ne dū pro necessitate habitātiū in ea, sed etiā ad largissimā opulentiam. Itidē de lignis pro ædificiis, & igne cōfouēdo, & de lana, lino, & serico ad uestimētorū copiā, affluētiam uberrimam efficit: neq; aliter de metallis in usum pecuniarū & aliarū rerū. Et quod mirandū est, cōtinuè suffoditur aurū & argentū ad cudēdā pecuniā, nulla tamē maior est in præsenti nummorū copia, q̄ multis retrò sæculis fuerit. Quæ omnia ab uno prouisore disponi necesse est: dispositáq; sunt tanto ordine, ut melior excogitari nō possit. Quòd si secus quis opinatus fuerit, ei dicā illud Chrysippi: Doceas, q̄d melius sit: Quod cum nunquā docere potueris, si id attētaueris, aut deterius facies, aut quod fieri non potest, desiderabis. Quæ seriosius disserenda suo loco relinquimus.

Hierony. Laër. Suida. Plutarc. Petrus. Chrysip.


Christus est finis & complementum omnium operum omnibus dans, ut operentur. Tonus Sextus.



CHRISTVS est author, & finis fidei. Cap. Primum.
Christus non tantum fidei, sed cunctarum rerum causa omnia sua diuinitate replet. Cap. II.
Christus nō est pars, neque totum, est tamen totum, & pars. Cap. III.
Ex sacris eloquiis habemus Christum esse omnia. Cap. IIII.
Quòd adhuc ex scriptura sacra habeamus ipsum Christum multorum artificialium nomina sibi uendicasse. Cap. V.
Quòd etiam absque rapina Christus Iesus uendicauerit sibi omnia diuina nomina. Cap. VI.
Quō in noīe Iesu omnia tā ꝓducta, q̄ diuina noīa includātur. Cap. VII.
Cur solū Iesu nomē hodie inuocetur à ueris Dei cultoribus. Cap. VIII.
Quomodo ex scriptura sacra præfiguratum habeamus Christū esse fontē totius meriti, gratiæ, & gloriæ. Cap. IX.
Idem comprobatur uaticiniis. Cap. X.
Quam clarè Isaias hæc omnia unico reserauerit oraculo. Cap. XI.
Ex omnibus antedictis concluditur Iesus fuisse complementum non tantum operum Dei, sed nostrarum quoque operationum, atque meritorum, & cōsequēter dans, undè operemur. Cap. XII.

CHRISTVS EST AVTHOR, ET FInis fidei. Caput primum.

Paulus



OT VIDENTVR Credenda, quæ non sunt Christus IESVS, ꝙ nullatenus dicere auderē ipsum authorem, & finem fidei, nisi id me doceret Paulus, in cuius pectore ille resonat: Qui cum Hebræis disserens in eis omnes cohortatur dicens: Occurramus in opposi tum nobis certamen suspiciētes in authorem fidei, & cō summatorē IESVM. Id autē hac de causa dictū fuisse arbitror, quia cū ad cæteros articulos aliquas possemus adducere rationes, ad eos autē, qui de Christo IESV tractant, nullas penitus, nisi rationes conuenientes, & has quantū ex diuinis docemur oraculis: Deū enim esse naturali discursu indagare possumus, & eūdem omnium opificē fuisse, quāuis Aristo. tanquā Physicus, & per sensata procedens hoc non admittat: Experrectus tamen à sensatis ipsis, non discrepat ab aliis sapientibus, qui fatentur Deum mundi totius opificē. Quod autē per uerbū incarnatum, qui est Christus IESVS, hæc omnia fecerit, id tantūmodo habemus ex sacris eloquiis simul cū cæteris articulis ad ipsum pertinentibus, adeò, ut quidā de nouitioribus theologis asseruerint Christū esse subiectum, circa quod uersatur tota nostra theologia, cū omnes articuli ad ipsum Christū referri uideantur: In primo enim dicitur: Credo in Deū Patrem: Nec quidem pater potest esse sine filio, qui est Christus IESVS. Secūdus autē est: Et in IESVM Christū filiū eius unicū dominū nostrum. Tertius: Qui cōceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria uirgine. Quartus: Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus est. Quintus: Descēdit ad inferos. Sextus: Tertia die resurrexit à mortuis. Septimus: Et ascēdit in cœlū, sedet ad dexterā Patris. Octauus: Inde uenturus est iudicare uiuos & mortuos. Nonus: Credo in Spiritum sanctum. Et quia hic à Patre, Filióq; procedit, nec haberi, nec intelligi potest sine filio. Decimus: Sanctā ecclesiā catholicā, Sanctorū cōmunionem, remißionē peccatorum. Quæ omnia cū ad corpus mysticum, cuius caput est Christus, pertineāt, nequeūt omnino sine ipso Christo fieri, aut haberi, id maximè, cū & gratia uniens, & uita, qua communicant omnia mēbra, & meritum, undè remißionem consequantur, sit ab eodem Christo IESV. Vndecimus: Carnis resurrectionem: Quæ non potest esse, nisi resurrexerit Christus, qui est primitiæ dormientium. Duodecimus: Vitam æternam, quæ datur à Christo, ꝗ ait: Ego uitā æternā do eis, Ecce igitur quomodo omnia credēda, aut sunt circa Christū, aut emanant ab ipso, aut ad eundē referuntur: Facienda uerò, & mandata omnia, quamuis extranea, & disparata uideantur ab eo, nihilominus sine ipso conduci nequeunt, qui ait: Sine me nihil potestis facere. Christus itaque est author, & consummator fidei, & omnium, quæ ad ipsam

(Margin: Aristo. — CHRISTVS. — Idem.)

pertinent tam in credendis, quàm in peragendis. Si autem theologiam Hebræorum admittere uoluerimus, extant & eorum denaria elementa, & multa in lege descripta, quæ reuelata sunt per uerbum Domini, & Dei sapientiam tandem diffusam in homine, qui est Christus I E S V S, *iuxta illud Baruch: Hic adinuenit omnem uiam disciplinæ, & tradidit eam Iabacob puero suo, & Israël dilecto suo: Post hæc in terris uisus est, & cum hominibus conuersatus est, idem dãs instituta in testamento nouo, qui etiam tradiderat in ueteri: Nam ueritas omnis tandem per* I E S V M *Christum facta, & explicata est. Est itaq; ipse author, & consummator fidei, & omnium, quæ credere, & operari debemus: & est author, & dator fidei, quæ est habitus, & uirtus: Hinc Paulus ait: Quomodo credent in quem non audierunt? Et quomodo audient sine prædicante? Et infert: Ergo fides ex auditu: auditus autem per uerbum Christi. Ecce igitur quomodo est author fidei. Consummator uerò, quia in ipsum fides nostra dirigi debet, qui & præmium fidei tribuet: quod utrumque ipsemet explicat, dum ait: Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, uiuet: & omnis, qui credit in me, non morietur in æternum: Et iterum: Qui credit in me, habet uitam æternam: Et rursum: Oportet exaltari filium hominis, ut omnis, qui credit in illum non pereat, sed habeat uitam æternam: Et Ioannes. Qui credit in Filium Dei, habet uitam æternam. Nec etiam prisci patres absque hac fide saluabantur, ut de Abraham dictũ est: Credidit Abrahã Deo, & reputatũ est ei ad iustitiam: Sed quid credidit, & cui credidit? Credidit utique (inquit Paulus) in eum, qui iustificat impios. Nec propter eum tantum scriptum est, quia reputatum est illi ad iustitiam, sed propter nos, quibus etiam reputabitur credentibus in eum, qui suscitauit* I E S V M *Christum à mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, & surrexit propter iustificationes nostras. Ecce quomodo Paulus dirigit fidem Abrahæ, & omnium credentium in Christum* I E S V M, *tanquam in uerum authorem, & consummatorem fidei: Cui adstipulatur illud, quod sequitur: Iustificati ergo ex fide pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum* I E S V M *Christum, per quem habemus accessum per fidem ad hanc gratiam, in qua stamus, qui antè iacebamus per peccatum. Per Abraham itaque patrem fidei, qui credidit in eum, qui iustificat impios, omnes cerdentes intelliguntur, qui & in sinu eius colligi dicebantur. Sed uideamus, quid credidit. Dictum ei fuerat: In semine tuo, quod est Christus, benedicentur omnes gentes terræ, hi uidelicet, qui credent in nomine eius, qui est author, & consummator fidei.*

Baruch.

Paulus

CHRISTVS.

Ioan.

Paul.

Christus non tantum fidei, sed cunctarum rerum causa omnia sua diuinitate replet. Cap. II.



Tsi explicauimus, quòd in Dei uerbo, & per ipsum facta sunt omnia, undè & meritò omnium causa dicitur, non minus tamen replet eadem omnia, quàm ille, de quo dicitur: Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Replet quoque simul cum Patre, qui Sapien.

Ieremi. aut tota trinitas simul inquit per Ieremiam: Cælum, & terram ego impleo. Sed diuersimodè secundum diuersa ipsis appropriata. Suprà diximus de mente Originis, quòd à Patre habemus, ut simus: à Filio, ut intelligamus: cætera autem, ut ordinata sint: A Spiritu sancto uerò, ut sancti simus: sed à spiritu uitæ, ut uiuant omnia. Si autem antiquos theologos sequi uoluerimus, qui dicunt unũ præcedere ipsum esse, illud unum attribuemus primo, qui est Pater prima omnium origo: esse autem Filio, ut expressè habetur in eorum theologia, quòd uidelicet esse est supremæ sapientiæ, quæ est Filius: esse utique illud communicabile, sicut & sapientia nobis communicanda attribuitur Filio, quæ, ut in Patre existit, dãda est solummodo ipsi Filio: Et hoc est, quod dixit: Nemo nouit Patrem, nisi Filius, & cui uoluerit Filius reuelare. Ecce quomodo expressè habemus sapientiam primo esse in Patre, postea in Filio, deinde per ipsum aliis communicari. Sic & esse, antequam aliis communicetur, est in Filio, & in sapientia suprema, tanquam in armario, ubi sunt omnia per rationem idealem secundum esse simpliciter, antequam in proprias formas habeant esse determinatum. Vnitas itaque à Patre emanans omnia replet, ut unumquodque unum sit, & mediante illa unitate annumerentur: Esse uerò à Filio, & per Filium omnibus communicatur, ut fiant, & sint: quia omnia per uerbum facta sunt, inquit Ioãnes: Et, ut Paulus ait, in eo condita sunt uniuersa: A spiritu autem omnia replentur bonitate, iuxta illud prophetæ: Aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate: Manus enim est spiritus Dei, per quem tanquam per omnium artificem, aut manum operantem omnia in nobis peragit. Et sicut unum, ens, & bonum idem sunt, ut dicunt hi, qui tradunt elementa dialecticæ disciplinæ, ita Pater, Filius, & Spiritus sanctus unũ sunt in essentia, quãuis ipsorum relationibus distincti. Sed prosequamur de Filio, qui replet omnia esse, & ueritate, sicut Pater replet unitate, & Spiritus sanctus bonitate, & quilibet eorum, & omnes simul replent uirtute diuinitatis. Sed de IESV nostro inquit Hierotheus apud Dionys. de diuinis nominibus: Omniũ causa, & adimpletiua est Iesu Deitas: & est eorũ, quæ sunt causa, esse, & uita, ut suprà dixerat: eorũ autem, qui à Deo prolapsi sunt, reuocatio, atque resurrectio: sed eorum, qui lapsu quodam diuinam in se effigiem perdiderunt, renouatio, atque reformatio: Rursum eorum, qui prophana quadam agitatione quatiuntur, confirmatio sacra, ne collidantur: permanentium uerò tuta securitas: ad eum quoque proficiscentium porrecta manu productio: illuminatorum fulgor, eorum, qui perficiuntur principatus ipse perfectionis, uel eorum, qui deificantur, thearchia: eorũ qui simplices sunt, ipsa simplicitas: qui in unum conueniunt, similiter unitas: & occulti sacratissimi, quãtum fas est, benefica distributio: Et ut simpliciter dicam: Viuentium uita, existentiũ substantia, omnis uitæ, & substantiæ principium, & causa. Quæ omnia à diuinis eloquiis se accepisse profitetur. Sed particularia omittentes ueniamus ad illud Pauli, quo cum Ephesiis loquens ait: Et ipsum dedit caput super omnem eccle-

Marginal notes: Orige. (beside "riginis"); The. ant. (beside "uant omnia"); CHRISTVS. (beside "lius, & cui"); Ioannes, Paulus (beside "fiant"); Dauid (beside "lud prophetæ"); Hieroth., Diony. (beside "te diuinitatis"); Paulus (beside "Pauli, quo")

ſiam, quæ eſt corpus ipſius, & eſt plenitudo eius qui omnia in omnibus adimplet. Et iterum cum Coloſſenſibus: Omnia in omnibus Chriſtus, quia omnia complet plenitudine unicuique conuenienti. Quomodo autem iſte Chriſtus ſit quoddam ſeparatum ab omnibus, & omnia in omnibus, uideamus.

Chriſtus non eſt pars, neq; totum, & tamen eſt totum, & pars. Cap. III.



CVm igitur Chriſtus ſit omnia in omnibus, meritò quæri poſſet, an ſit tanquam pars cuiuſlibet, aut totum in partibus omnibus, aut numen quoddam omnia complens. Veneratus hic Dionyſius Hierothei ſententiam ait: IESVS neque pars eſt, neque totum: Et tamen eſt totum, & pars, omnium partem, & totum in ſeipſo accipiēs, & præhabens: Quod declarans ait, IESV deitas perfecta quidem eſt in imperfectis, ſicuti perfecta gemma in capſula lignea putrida, quæ debet eſſe in auro: Non tamen æquè bene fulget, nec ita perfectè operatur, ſicuti ſi ligata eſſet in metallo, uel in re ipſi proportionata: In rebus uerò perfectis non perfecta perfectione, qua illa perfecta ſunt, ſed ſupraperfecta, & præperfecta, omnem uidelicet perfectionem inferiorem excedens: Eſtq; forma faciens, & inducens formā in his, quæ ipſa carent, tanquam uerus dator formarum, & princeps formæ non exiſtens forma, determinata uidelicet, ſed ſuper omnes formas, ſicut Sol fauet ad omnes herbas, & animalia producenda non exiſtens ipſe animal, neque planta, ſed habens uirtutem ſuperexcellentem ad omnia illa producenda: Et eſt ſubſtantia omnibus ſubſtantiis ſuperueniens omnes illas colluſtrans abſque ſui coinquinatione: quia ab omni ſubſtantia ſegregata, ſicut ſolares radij nullatenus coinquinantur perfundentes cœnum, lutum, & quodcunque uile, quia ab ipſis ſeparati: Et eſt ordinans omnia principia, determinans omnes ordines, collocata tamen ſuper omnem ordinem, & omne principium, & ſuper omnē principatum, ſicuti Imperator ordinare debet omnes ſuos duces ſupra omnem ducatum exiſtens, & ſicut Papa ordinat omnes epiſcopos exiſtens & ipſe epiſcopus, ſupra omnem tamen epiſcopatū: Et hoc eſt, quod ait Apoſtolus cum Coloſſenſibus: Ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant, cum ſit caput corporis eccleſiæ: Et eſt menſura omniū exiſtentium exiſtens duratio ſupra omnem durationē, quia æternitate gaudet, quæ eſt tota poſſeſſio ſimul: Et eſt metrū totius pfectionis: Ideo quātò quis magis ipſi appropinquat, tantò perfectior eſt: Et eſt plena mēſura in minus habentibus ex parte ſua non deficiens, quin omnia ſua plenitudine repleat: In plenis autem non euacuatur eius plenitudo, ſed eſt ſuper omnem plenitudinē: & adeo excedit, ut ſit nobis ineffabilis, & inexplicabilis, & ſuper omnē mentē: Et eſt uita omnia uiuificans, non tamē uiuens uita inferiori, ſed ſuprema ipſa uita exiſtit, quæ eſt ſuper omnes uitas: & omnia naturalia ſupernaturaliter habet: Vndè quāuis ſua benignitate uſque ad noſtrā naturā uenerit, & uerè ſubſtantia humana, & homo factus ſit, & uir ſummus, Deus tamē appellatus eſt:

Diony. Hierot.

Et quamuis acceperit propria naturæ nostræ, semper tamen extitit supernaturale quoddam, & supersubstantiale, nullam prorsus passus iniuriã in sua dignitate ex illa ineffabili exinanitione, quæ inuariabiliter, & inconfusè nobis se communicauit: Vndè fuit nouitas omnes nouitates supereminens, existens in naturalibus nostris supernaturaliter, & in substantiis nostris supersubstantialiter, omnia nostra super nos habens, & continens, omniáque perficiens, ut suprà diximus: Estque (ut inquit Apostolus) uinculum, fundamẽtum, & substẽtaculum omnis creaturæ, omnia ligans, omnia connectens, omnia complectens, omnia uiuificans, & implens. (Paul.)

Ex *sacris eloquiis habemus Christum esse omnia.* Cap. IIII.

G*Enerali quadam uia demonstrauimus Christum esse quoddam totum in omnibus partibus, sed quæ testimonia de huiusmodi in particulari reddant sacræ literæ, breuiter percurremus: Et ab infima omnium rerum formatarum incipientes dicemus, quòd Deus est terra, illa quippe uera fluens lac sapientiæ superioris, & mel diuinitatis, aut gustum rerum diuinarum, de qua cecinit propheta: Etenim dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum. Est etiam aqua, ut suprà latius explicauimus. Est etiam aër, & flatus, quo insufflans in discipulos inquit: Accipite Spiritum sanctum: Neque enim eum daret, nisi haberet. Est ignis, quem uenit mittere in terram, ut ardeat. Est granum frumenti, & germen terræ dicens de seipso: Nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, nullum fructũ affert: secus autem, si mortuum fuerit: Ex quo frumento confectus est ille panis uiuus de cœlo in nostram salutem descendens. Est arbor (ut diximus) scientiæ boni & mali, & arbor uitæ præbens ligna ad contignationem, & coassationem totius ueri ædificij à nobis construendi. Est quoque lapis, & petra, dicente Paulo: Petra autem erat Christus: Super qua fundata est Ecclesia, & etiam posita in angulo compaginauit totum ædificium, & est petra, quæ præbuit nobis aquam in lauacrum, & potum. Est aurum, quod uendere spondens ait: Suadeo tibi emere à me aurum ignitum. Est argentum iuxta illud propheticum: Eloquia, aut uerba Domini, uerba munda, argentum igne examinatum, purgatum septuplum: Et quid est uerum Domini uerbum, nisi Christus, qui est uerbum caro factum? Inter animalia est leo ferarum rex, de quo in Apocalypsi: Vicit leo de tribu Iehuda, radix Dauid. Est uitulus, aut bos armẽtorum princeps, ut communiter exponunt doctores illud, quod habetur in euangelio secundum Lucam: Et occîdit uitulum saginatũ. Est agnus inter mansueta animalia præcipuus, ideo Baptista horum sacramẽtorum guarus ipsum ostendens inquit: Ecce Agnus Dei. Est quoque aquila auium regina, cuius progressum in cœlum oculis irreuerberatis solem intuentis Salomon inter quatuor difficillima connumerat. Et bene aquila fuit, quæ pullos portat in dorso, extentis alis contra sagittarios, suscipiens in se uulnus, ut filios præseruet: Ideo de Christo inqt Isaias: Ipse uulneratus est pro-*

(Margin: Dauid; CHRISTVS.; Idem.; Paulus; Apocal.; Dauid; Lucas; Baptista.; Isaias)

pter scelera nostra: Et Moses in cantico: Sicut aquila prouocans ad uolandum pullos suos super eos uolitans: expandit alas suas, & assumpsit eos, atque portauit in humeris suis. Est etiam Sol & Luna præcipui planetarum, sicut diuus Citharœdus canit: Thronus eius, sicut Sol in cōspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidelis: iuxta illud Ioannis in Apocalypsi: Et à IESV Christo, qui est testis fidelis. Hic à Malachia dicitur Sol iustitiæ nasciturus timentibus nomen Domini: iuxta quod Ecclesia frequenti usu dicit ad Virginem: Quia ex te ortus est Sol iustitiæ Christus Deus noster. In eo quoq;, quòd cœlestis est, & totum cœlorum globum continet, dicitur oriens, pars uidelicet præcipua cœli innuens ad orientem archetypi, à quo uenit, iuxta illud Zachariæ: Ecce uir oriens nomen eius, sub quo ædificatur templum Domino, quod uidelicet sumus nos. Possemus quoque adducere, quomodo omnium planetarum nomina meritò sibi uendicare posset, cum omnium influxus, & effectus eminentia quadam habuerit. Interpres enim fuit rerum diuinarum melius quàm Mercurius, qui Hermes & interpres diuinorum dicitur: Et quàm excellens interpres Christus fuerit, ipsemet paucis uerbis explicat dicens: Omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci uobis: Et tanquam superior, & bona Venus ipsius effectum, amorem uidelicet, & dilectionem præ omnibus nobis ostendit, animam & uitam dans pro dilectis, Sed & in recessu suo in præceptum, & testamentum amorem reliquit dicens: Hoc mando uobis, ut diligatis inuicē. Est quoque uerus Mars, acerrimus malefactorum punitor, quia omne iudicium dedit ei Pater: Ideo inquit Petrus in actibus Apostolicis: Constitutus est iudex uiuorū, & mortuorum. Est Iuppiter æquus benignitate, atque pietate plenus, iuxta illud, quod inquit Ioānes: Gratia & ueritas per IESVM Christum facta est. Est denique uerus Saturnus, & uerum sabbatum ab ipso emanans, in quo quiescere debemus, sicut promiserat dicens: Tollite iugum meum super uos, & discite à me, & inuenietis requiem animabus uestris: Quæ requies erit in me, qui reficiam uos omnes, qui laboratis, & onerati estis. Nec conturbetur quispiam, si dicimus Christū sibi uendicasse planetarum nomina, cum uoluerit & animalium, quæ planetis inferiora sunt, nominibus uocari. Dicitur quoque mons eleuatus supra uerticem montium: Mons utique coagulatus, mons pinguis, mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: Etenim Adonai habitabit in finē, aut iugiter, quia nunquam diuinitas ab eo separabitur. Dictus fuit quoque angelus in Malachia, ubi postquam de Ioanne angelo præcedente faciem Meßiæh locutus est, de ipso Christo subinfertur: Et statim ueniet ad templum sanctum suum dominator, quem uos quæritis, & angelus testamēti, quem uos uultis. Fuit enim uerus angelus testamenti, & pacis, quamuis melior angelis effectus, & angelorum Dominus. Est enim uerbum, per quod facta sunt omnia: Vndè à Dionysio dicitur ons, id est ens omnia entificans, supereminens causa, existens fundatrix, & principians omnia. Hunc Plato on, & Hierotheus in libro elementorum su-

Moses. David. Ioan. Zachar. CHRISTVS. Idem. Petrus. Ioan. CHRISTVS. Mala. Diony. Plato. Hieroth.

persubstantiale ens uocat omnes producẽs essentias, & substentans omnia: To-
Diony. tum esse (inquit Dionysius) in se pariter ambiens, & superapprehendens: Idcir
co rex sæculorum dicitur, & in quo, & circa quem totum esse, & ens, subsistẽs-
Plato. q; uersatur. Quod Plato in epistola ad Dionysiũ tangit minimè explicãs: Quæ
omnia Christo applicata secũdũ meliorẽ sensum dicta sint, ut sit elemẽtũ, metal
lum, animal, cœlum, & huiusmodi supracœleste, & supramũdanũ omnium uirtu
tes excellentissimè continens, undè in omnes influat. Per hæc igitur multigena no
mina innuunt ipsum esse quoddam totum, & quodlibet, cui illa nomina compe-
tunt, cum & ipsis, & huic uera nomina imposita sint non à casu, sed à consilio,
Genesis iuxta proprietatem nominati à protoplaste, ut in Genesi legimus: Quod percipi
tur à bene scientibus proprietatem linguæ primæ, quæ Hebræa nunc dicitur, in
qua imposita fuere illa accommodatissima nomina: Hæc Græci, tanquam simiæ,
Plato. aliquantulum imitati sunt, ut demonstrare conatur Plato in Cratylo. Hic igitur
Christus, quia omnigenus, & omnia continens, omnigena nomina sortitus est nõ
solũ in naturalibus, infernis, & cœlestibus, sed etiã in artificialibus, & diuinis.

Quòd adhuc ex scriptura sacra habeamus ipsum Christũ multo-
rum artificialium nomina sibi uendicasse. Cap. V.



Væ etiam artificialium nomina sortitus sit, ex eadem scriptura
discere possumus: Est enim domus magna Dei, in qua collocatæ
fuere omnes rerum formæ, & imagines, antequam in propriis ap
pareret subiectis: Vndè sigillum ipsius, & sapientiæ supremæ in
theologia Hebræorũ assignatur ב, quod explicatum domum significat: Et hæc
domus typicè fabricata dicitur absque serra, securi, malleo, & omni genere fer
ramenti, quia tota est referta clementia, pietate, beneficentia, absque aliqua du
ritie ferrea: In qua domo offeruntur Patri sacrificia, oblationes, & orationes:
quod innuitur in eo, quod dixit: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, da-
bit uobis: Nam in nomine eius petere, est in uirtute eius, & intra ambitũ ipsius
operari. Dicitur quoque tabernaculum melius quàm illud manufactum, disponẽ
te Mose, prout Deus iusserat: Est enim Christus tabernaculum non manufa-
ctum, id est non huius creationis: Quod non tãtum cœlum est, ut alibi diximus,
sed ipsemet Christus non minus, imò melius tabernaculum Dei existens, quàm
Paulus nos, de quibus inquit Apostolus: Templum Dei, quod estis nos. Et est ostium, ut
CHRISTVS. ipsemet ait: Ego sum ostium, si quis per me introierit, saluabitur. Estque uera
arca fœderis, & pacti inter Deum & nos, uerusque mediator existens: undè
& arcus fœderis dicitur. Est quoque non tantum frumentũ, sed panis subactus
& confectus arte summi artificis. Est etiam uinum expressũ à calcante in tor-
culari crucis. Dicitur insuper uestimentum, quo teguntur peccata omnium, iu-
Paulus xta illud Apostoli ad Romanos: Induimini dominum nostrum Iesum Christũ.
Est etiam liber uitæ, in quo omnes saluandi scripti sunt, iuxta illud, quod canit

propheta: Et in libro tuo omnes scribentur. Nominatur etiam altare, & hostia, David
quæ super illo altare offertur. Estque (ipsomet teste) uia perpolita, & recta, per quam in Deum pergere possumus. Est scala media inter Deum & nos, per quam in ipsum Deum scandimus: Quæ olim demonstrata fuit Iahacob defixa in terrea carne, & cacumine diuinitatis tangens cœlum, non quidem hoc, quod uidemus omnes, aut illud tertium, quod Paulus in suo raptu intuitus est, sed supremum illud, de quo simul, atque de terra, super qua erat scala, inquit propheta: Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum: Ad quod cœlum, quia non conscenditur, nisi per Christum, ideo meritò dicitur scala, qua uidelicet ad Deum conscenditur. Est insuper omne, quod in arca fœderis continebatur, manna uidelicet illud suauissimum diuinitatis, quod nemo scit, nisi qui accipit. Sunt quoque in eo tabulæ legis, quia sicut ibi, tanquam in libro omnes creaturæ scriptæ sunt, ita tota lex, & omnis sapientia, iuxta illud Pauli: In eo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Et est uirga Aaron florida, id est uirtus sacerdotalis florescens, & germinans, cum omne sacerdotium tetenderit in Christum, & efficaciam habuerit ab eo, qui iureiurando constitutus fuerat sacerdos in æternum secundum ordinem Melchizedech, sacerdotio quidem regali, & diuino. Est tandem uerum candelabrum diuini luminis, undè Isaias lætabundus ad hoc capescendum excitabat Dei familiam clamans: Surge illuminare Ierusalem, quia uenit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est, id est Christus, qui est gloria Patris: ad quem loquens propheta subinfert: Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui.

Paulus (margin, beside "quod Paulus in suo raptu"); Isaias (margin, beside "undè Isaias")

Quòd etiam absque rapina Christus IESVS uindicauerit sibi omnia diuina nomina. Cap. VI.



AD supramundana autem ueniendo, quamuis Deus sit unicus, & maximè unus, multis tamen uocatur nominibus, non quidem, ut illis exprimantur plures essentiæ, aut deitates eius, sed proprietates, quæ & si ab eodem fonte deitatis emanant, ibidem tamen radicatæ unum semper sunt, sed plures dicuntur ratione habita ad nos, in quos multa beneficia, & diuersa munera per diuersos canales distillant. Quapropter Deus ipse unitissimus sortitur diuersa nomina, de quorum decem Hieronymus ad Marcellam breue compilauit opusculum. Dionysius autē ulterius progrediens quadraginta quinque nomina Dei, & Christi nostri colligit. Doctores uerò Hebræi ex quodam textu, qui habetur in quartodecimo capite Exodi, septuaginta duo nomina deducunt ex nomine (ut aiunt) septuaginta duarum literarum. Alij autem adhuc ulterius progredientes tot innuunt diuina nomina, ut tam eorum numerus, quàm ea, quæ significant, sint nobis penitus ignota, sed loquitur unusquisque pro captu suo, quia non omnibus sunt arcana omnia reuelata: Nec de ipsis aliquid dicere auderemus, nisi quatenus à Deo sunt nobis sua

Hieron. Diony. Doc. He. Exod.

benignitate reuelata, ut docet nos Dionysius, & cum eo cæteri sapientes non modò catholici, & Hebræi, sed etiã Plato, qui in Cratylo: Diuina nomina habita sunt à barbaris, id est Hebræis, qui habuerũt à Deo, sine quo nullatenus capere possumus ueros sermones, uerá que nomina, quibus Deus nuncupatur. Nos itaque pro quanto diuina lux effulserit, de aliquibus perstringemus, quæ omnia
Diony. Christo conueniunt, ea tamen lege, quam Dionysius docet, ut nullatenus præsumamus exponere supremam illam, ineffabilem que substantiam, quam neque sensus, neque phãtasia, neque sermo, neque tactus, neque sciẽtia nostra attingit: quia inuocabilis, supernominabilis, & supersubstantialis deitas est, contenta in remotissimò suæ diuinitatis recessu, ac solitaria retractatione, in abysso suarum tenebrarum se contegens: In supersubstantiali quoque thearchia ab omni habitu, motu, deliberatione, nomine, uerbo, intellectu, collocatione, statione, & fine excellenter segregata cognitionem nostram & expositionem penitus refugiens: quam
Hebręi. Hebræi infinitam uocant causam causarum, & substantiam super omnem substantiam: Nec aliud de ipso loqui præsumunt, quia infinitus, & nullatenus ab
Isaias intellectu nostro perceptibilis: quem (ni fallor) Isaias non explicare, sed uix innuere uoluit generali quodam uocabulo, dum ipsum inducit in hæc uerba loquentem: אני יהוה הוא שמי וכבודי לאחר לא אתן: id est Ego Dominus, ipsum scilicet quod est, est nomen meum, gloriam meam, hãc uidelicet alteri, aut extraneo à me non dabo: Pro quo nostra traductio habet: Hoc est nomen meum, ut uideatur illud relatiuum hoc, aliquod nomen referre: nullum enim nomen indicat, sed tantummodo innuit illud, quod summè est, & à se, à nobis que penitus inexpressibile, sicut melius interpretatũ habemus paulo inferius, ubi inqt כי אני הוא id est chi ani hu: Quia ego ipse sum, à me uidelicet & per essentiã, undè sequitur: Ante me nõ est formatus Deus, & post me nõ erit, à quo uidelicet possim de
Dauid pendere, & esse suscipere: Sic & illud Dauiticũ ואתה הוא ושנותיך לא יתמו ueata hu nesenoteca lo iitamu, congruè uersum est: Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Illud itaque הוא non est relatiuum illic, sed innuens id, quod est, à se uidelicet, & primum esse, quod est per essentiam: De quo nomine & nominato nihil omnino ulterius fari permittunt secretiores Theologi, nisi quòd est à se, & infinitum. Cum autem ipse Deus incipit fontẽ suæ bonitatis aperire, & diffundere ad intrà (ut aiunt) & ad extrà, tunc alia sortitur nomina quamplurima: De quibus loqui uolentes protestamur id tantummo
Diony. do efficere ea lege, qua Dionysius agit cum Timotheo: ut auribus indignorum non perfundantur arcana, sed inter sapientes collecta custodiantur ea qua decet reuerentia. Est itaque primum nomen Dei producentis, אהיה אשר אהיה ehieh asser ehieh tantis mysteriis fœcundum, ut omnia ab ipso producantur: Est enim nomen attributum coronæ superiori, & fonti, bonitati, & origini omnium, quem Christus docuit nos uocare patrem: Qui adeo est nostrum captum fugiẽs, ut nemo nouerit ipsum, nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare: A quo nostra

traductio breuiter se expediens interpretatum habet, Ego *sum,qui sum : Quod melius ad ueritatem literæ sonaret: Sim,qui sim,uel ero, qui ero,cum uerbum illud repetitum bis in Hebræo futurum sit : Nihilominus multò longiora mysteria includit,quàm ad uerbum posit interpretari : Sed per superficiem tantummodo percurrentes dicemus, quomodo ex illo* אהיה *formatur illud magnum nomen* Dei *quadriliterum, aut tetragrammaton* יהוה *attributum filio:ut sicut filius à* Patre *procedit,sic & nomen eius à patris nomine producatur :* Cum *enim* אהיה *datur* אשר *quod ex uno numero minori ; & duobus maioribus dat mihi sex , qui numerus signatur apud* Hebræos *per* ו *& ponatur hoc in loco* א*, & hoc si præponatur , constituitur tetragrammum* יהוה*:* Quod *est nomen filij tribuens uitam inferioribus:* Quod *innuitur per illum* ו *characterē uidelicet uitæ susceptum à* Patre *, à quo omnia ipsi tradita sunt:*Et *sic , qui unicus erat in* Patre *signatus in* א *quæ est prima litera unum significans, efficitur* ו *uita uidelicet; & senarius communicans esse, & uitam omnibus rebus in senario illo denotato in operibus sex dierum:*Omnia *enim per uerbum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.*Et *ne credatur* Filius *segregatus à* Patre*, illud nomen quadriliterum filij includitur in domus,mensuræ,uel* Paternæ *mansionis sigillo,quod est* א *formatum ex* ו *& duobus* י *quæ literæ in numero computatæ reddunt 26.quantum dat nomen quadriliterum,quod est filij:*Per *quos numeros non intelligimus uocales , aut naturales,uel rationales,sed diuinos ; & diuinitatis proprietates, quæ sunt adeò reciproca communione in* Patre,& Filio,*ut dicat ipse filius:*Ego CHRISTVS.
in Patre,& Pater *in me est.* Et *ex præfato nomine* אהיה *mutata una litera* ה *uidelicet in* ל *&* ם *quæ literæ in mediis numeris reddunt septem, id est septem denarios,constituitur* אלהים *quod est nomen* Spiritus *sancti,cui semper tribuitur septenarius:*In *quo connectitur ternarius cum quaternario,ad denotandum quòd uirtus* Spiritus *sancti unit quaternaria corporea cum diuino ternario.*Ad *denotandam quoque connexionem, quam habet* Spiritus *sanctus cum* Filio*, accipit duas literas,quæ tam in nomine* Patris*, quā* Filij *reperiuntur* י *uidelicet, atque* ה*:*Hinc *ait* Filius *de ipso spiritu:*Ille *de meo accipiet.* Et *cum* Filius *acceperit à* Patre,*ideo à* Patre,Filióque *procedit, & accipit.*Et *cum omnia illa nomina includantur in quadrilitero,quod est nomen* Filij *, idcirco uendicat sibi absque rapina omnia prædicta nomina,& omnia alia, quæ ad diuinitatem,& archetypum pertinent:*Perfecta *itaque productione personarum aperit fontanum splendorem suæ bonitatis in creaturas producendas à* Patre *in* Filio,*& per* Filium,*perque* Spiritum *sanctum,tanquam per immediatum opificem:ideo semper nomen eius operans , & disponens inducitur à* Mose *dicente :* Et dixit Elohim*,* Mose.
& fecit Elohim. Et *ut denotetur etiam* Filius *in hac productione intercessisse,in epilogando omnia,quæ facta sunt,utriusque nomen tam* Filij*, quàm* Spiritus *sancti inducit dicens :* Hæ *sunt generationes cœli, & terræ creatæ in die,qua fecit* Adonai Elohim *terram , & cœlum.*In *hac igitur productione* Deus *opifex, qui*

est in Christo IESV, sortitur alia plura nomina, sed septem præcipua: nam cũ sola bonitate, & amore inductus fuerit ad opus, & in amore produxerit, sortitur nomen clementiæ, quod est אל uel אלהי El, uel Elohe, Quòd El (ut Hieronymus docet & in frequenti usu habemus) Deum significat, clementißimum uidelicet, & pium: quamuis aliquando etiam fortem significet, ut sæpius Aquila interpretatus est. De El habemus in psalmo. 49. secundum nos, sed 50. secundum Hebræos אל אלהים יהוה El elohim adonai diber: quod interpretatum habemus, Deus deorum Dominus loquutus. De Elohe habemus in Exodo יהוה אלהי העברים נקרה עלינו Adonai elohe abibrim nicrah halenu, id est, Adonai Deus Hebræorum inuocatus est super nos: pro quo nos habemus: Vocauit nos: Et utrunque nomen El & Elohe sunt pietatis, & clementiæ. Et quia non tantum pietas, misericordia, clementia, & benignitas exquiritur, sed aliquãdo iustitia, & seueritas in flagitiosos, & improbos, ideo est aliud tribunal Dei, quod dicitur iustitiæ seueræ, & punitiuæ, timoris, & roboris: & tunc Deus uocatur אלהים גבור Elohim gibor, id est, Deus robustus, ordinans, & coaptans omnes culpas per pœnam, & punitionem, sicut ordinauerat prius in fabricando omnia suis gradibus distribuens. Quæ duo nomina, si Iesu cõueniant, uideamus: Ipse enim est dator gratiæ, & misericordiæ, pius, & clemens, factusque iudex omnium, ut etiam omnes culpas ordinet per inflictam pœnam: Hinc dicitur collocandus in medio hœdorum, & ouium, ut in nos gratiam, & clementiam, in illos autem iudiciũ, & seueritatem exerceat: Ideo utroque nomine uocatur in Isaia, qui de eius natiuitate vaticinando inquit: Paruulus natus est nobis, & uocabitur nomen eius admirabilis consiliarius אל גבור El gibor: Nam El ad tribunal pietatis, & gratiæ pertinet: Gibor uerò ad mensuram iudicij & iustitiæ seueræ. Nec tantum his duobus extremis Deus agit nobiscum, sed medio temperamento harmonizans, & pulchrifaciens omnia aliud sortitur nomen, & dicitur תפארת tipheret: Quo sæpius nominatur in sacra scriptura, maximè à Dauide plerisq; in locis, ut in psalmo. 96. עוז ו תפארת במקדשו hoz ue tipheret be michdaso: Pro quo habemus interpretatum: Confeßio, & magnificentia in sanctitate eius: sed melius diceretur: Virtus & pulchritudo, uel gloria in sanctuario eius: Tipheret enim collocatũ in medio archetypi repræsentatum est per sanctum sanctorum, in quod introibat sacerdos legalis: In illud autem supramundanum, & non manufactum introiuit Iesus factus sacerdos in æternum: Vndè & habetur in secretiori theologia Hebræorum, quòd in mensura, uel mansione ipsius tipheret est sacerdos, Christus uidelicet Iesus omnia expurgans, glorificans, & pulchrifaciẽs: hinc dicitur gloria, & pulchritudo. De altero inquit Paulus: Nos autem reuelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur. Sed cũ imago idem sit quod gloria, filius igitur, qui est imago, est etiam gloria. De altero autem dicit Augustinus in sermone: Vbiq; Christus Dominus pulcher occurrit: pulcher in cœlo, pulcher in terris, pulcher in patre

Margin notes: Hieron. — Aquila. — Psalm. — Isaias — Dauid — Paulus

uerbum, pulcher in matre caro: Et adeò pulcher hic noster Iesus nazareus, ut omnes suos pulchros faciat, ut in Trenis dicit Ieremias, quòd scilicet nazarei eius sunt sapphyro pulchriores, id est pulchriores cœlo per sapphyrum indicato. Huic quoque mensuræ, quæ dicitur tipheret, assignatur nomen magnum quadriliterum, & aliud nomen, quod scribitur ודעת *uaudahat, id est uita innotescēs, aut uita scientificans. Et quid aptius illi, qui dixit: Ego sum ueritas & uita, dās uidelicet scientiam ueritatis, & ueram uitam? Nominatur etiam nomine magno quadrilitero, ut clarissimè habemus à Ieremia dicente: Hoc est nomen, quod uocabunt eum* יהוה צדקנו *Adonai zidchenu, id est tetragrammus iustus noster: de Christo enim uaticinabatur propheta, ut patet in antè dictis. Gaudet itaque Christus etiam hoc nomine collocato in medio illorum duorum, scilicet* אל & אלהים*: Et sic exponunt Hebræi illud uerbum Micheæ, quod habetur in tertio uolumine Regum: Vidi Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum cœlorum à dextris, & à sinistris: à dextris enim* אל *& omnis militia, quæ dependet à proprietate significata per* אל*: à sinistris autem* אלהים *& omnes, qui dicuntur filij Elohim: & qui dependent à proprietate significata per illud nomen. Et quia summus princeps tam secundum pietatem, quàm secundum seueritatem iudicij aliquando remissius agit, & secundum ordinem ab æterno constitutum, adsunt & aliæ duæ mensuræ, uel proprietates, undè immediatius & remissius influat: Quæ etiam dicuntur duo ubera, quibus propinat lac sapientiæ diuinæ & mel domesticis suis. Et aliquando ambo simul uocātur tertium cœlū, ad quod dicitur raptus fuisse Paulus, & multa imbibisse arcana pertinētia ad lac diuinæ sapientiæ: & sic Deus uocatur* יהוה צבאות & אלהים צבאות *Adonai zeuaot, & Elohim zeuaot: Habet enim utrumque tribunal pietatis & iustitiæ suum exercitum, eorum uidelicet, qui militant sub eo in pace, & clementia; in pugna, & iustitia: quæ duo exercuit Christus nobiscum agens: Pugnam, dum contra hostem humani generis bellans maximam reportauit uictoriā pro se, & pro omnibus nobis, dummodo ipsam uelimus, iuxta illud Apostoli: Deo autem gratias, qui dedit nobis uictoriam per Iesum Christum Dominum nostrū. Pietate uerò, gratia, clementia, & decore refertissimus fuit, ut sæpius tactum est: imò gratia per ipsum facta, & communicata est. Effectus est itaque meritò princeps utriusque exercitus, & totius angelicæ militiæ, ut explicat Paulus horum sacramentorum conscius, & doctor, dum ait: Et cum introduceret eum primogenitum in orbem terræ dixit: Et adorent eum omnes angeli eius. Quia uerò Deus omnibus uitam communicat, & præstat, undè omnia uiuant, sortitur aliud nomen, quo dicitur* אל חי *El chai, id est Deus uiuus. Vocatur quoq;* שדי *Sadai, id est sufficiens pro omnibus, aut sufficienter dans esse, uitam, & omne bonum: Et Christus noster non tantum uocatus est Deus uiuus; sed uita, præstās non modo uitam communem, sed meliorem dicens: Ego uitam æternam do ouibus meis, id est electis merentibus, & credentibus in me. Agens tandem Deus*

Ieremi. Idem. Miche. Paulus Idem Ibidem CHRISTVS.

domesticè & generali quodam influxu cum omnibus, dicitur, מלך & אדני Melech & Adonai, id est Rex & Dominus omnium omnia gubernans, Et Christus à Ioanne in Apocalypsi dicitur Rex regum, & Dominus dominantium, & princeps regũ terræ. Multa sunt alia nomina pertinentia ad diuinitatẽ, quæ possemus adducere, sed hæc sufficient: quæ in scriptura sacra celebriora sunt, & à quibus alia omnia depẽdẽt, imò (ut dicũt secretiores theologi) omnia diuina nomina deducũtur ex quadrilitero, uel tetragrãmo: quo cognito omnia alia cognoscuntur: Et quo cõcluso in nomine Iesu, omnia alia intelligũtur in eodẽ conclusa.

Ioan.

Quomodo in nomine Iesu omnia tam producta, quàm diuina nomina includantur. Cap. VII.



Nisi uirtus omnium nominum includeretur in nomine Iesu, non diceret Apostolus: Dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Magnum quippe uerbum est, quo ait: Dedit illi nomen quod est super omne nomen: Est quidem super omne nomen rerum omnium creatarum, etiam Angelorum, ut alibi dicit Apostolus: Tanto melior angelis effectus quanto differentius præ illis nomen hæreditauit. Et quia uirtus omnium nominum diuinorũ includitur in nomine Iesu, cũ reuerentia dicemus, ꝙ hoc nomen sit super omnia nomina exprimentia attributa, uel proprietates particulares: Nam sicut omnia dedit ei Pater, sic etiam ipsi donauit nomen importans illa omnia, ut sit ipsum nomen conueniens nominato. Quanto etiam artificio omnia includantur in nomine ישו aliqualiter pecurramus. Apud eos, qui periti sunt in arithmetica formali, numerus simplex indicat diuina, denarius cœlestia, centenarius crassiora & corruptibilia, millenarius uerò iterum diuina, & Deum, quem tandem omnia repetunt: Ideo in fine Canticorum dicitur: Mille tibi Selomo, id est tibi, qui es pax tua, & ducenti iis, qui custodiunt fructus eius, id est nobis in carne corruptibili uiuentibus, qui custodire quærimus mandata eius, ex quibus capimus fructus uitæ æternæ: Quam doctrinam sequuntur sapientes Hebræi, dum declarant mysterium illud teruma, quod nos decimationem dicimus: in qua centenarius est populi: denarius uerò, qui est decima centenarij dabatur sacerdotibus uiris utique cœlestibus: decima autem huius denarij, quæ est unum, dabatur Deo. Ecce igitur, quòd numerus simplicior datur Deo, centenarius crassiori populo adhuc rudi, & corruptioni obnoxio, sed denarius sacerdotibus mediantibus inter utrunque: Hæc autem omnia intelliguntur conclusa in nomine Iesu: componitur enim ex tribus literis, quarum una importat numerum simplicem, scilicet ו: alia, quæ est י denarium, alia autẽ id est ש centenarios includit. Nec mirãdum est, si litera importans numerum non unitatem, sed senarium referat, quia non sine sacramento factum est: Nam cum opifex summus deuenerit in fabricã per senarium, numerum utique primo perfectum, conueniens est, ut includatur in nomine uerbi incarnati, per quod facta sunt omnia. Sed quãto mysterio egressus in fabricam fuerit per senarium, præter ea, quæ alibi dicta sunt, hæc pauca

Paul.

Canti.

perstringemus. Monas, & summè unum fœcundum est, ideo alterum producit, unde binarius consurgit: & inter producentem & productum est relatio mutua, ecce ternarius: complica modo tria, dabuntque senarium sic faciendo, unum & 2. faciunt tria: quibus si adduntur tria, faciunt 6. quorum primus ternarius collectus ex producente, producto, & relatione mutua, uel amore reciproco est in Deo: alter autem ternarius est in rebus creatis, cum omnia contineant uestigium Dei etiam in numero: habent enim materiam, & formam, ex quibus resultat compositum, quod tertium quoddam uocant. Nec instetur de angelis, quia etiam illi suam materiam, & suam compositionem habent. Est quoque alius ternarius in unaquaque creatura, principium uidelicet medium, & finis. Et bene inter literas significantes numeros in nomine Iesu ponitur ו per quod arbor uitæ designatur, cum ipse fuerit & ipsa arbor uitæ, & uita, & omnibus donãs uitã. Ecce igitur quàm bellè in hoc nomine Iesu indicãtur omnia inclusa fuisse in nominato, ut inquit Apostolus: Quoniam complacuit, Patri uidelicet, omnẽ plenitudinẽ inhabitare facere in eo, & per eũ recõciliari, aut recapitulari omnia. Sed cũ producta quælibet cõtineãtur in Christo homine, etiã rationes producentes, & operãtes, quæ sunt in archetypo continentur in Christo Deo: De quibus omnibus exarare longum nimis esset, & ulterius progrederemur, quàm præsens exigat opus. Quomodo autẽ principalia nomina Dei, & quæ frequentius in scriptura sacra apertè reperiũtur, in hoc nomine יהשוה Iesu cõtineãtur, adumbrabimus. Hoc nomẽ quadriliterũ est celeberrimũ, & frequẽtatissimũ, quod sic scribitur יהוה nec exprimi potest: sed quãdo legitur, pronuntiatur Adonai. Huius itaq; nominis duæ literæ præcipuæ י uidelicet atq; ו cõtinẽtur in nomine יהשוה Duo uerò ה maximò mysterio mutãtur in ש: Dicũt enim secretiores theologi, quòd summus opifex Deus spiritualia omnia produxit per quandã uim significatam in priori ה Corporalia uerò per uirtutẽ signatã in posteriori ה. Et cũ omnia per uerbũ humanatum, quod nominatur Iesus effecta sint, uirtutes, aut proprietates ipsæ signatæ per illa duo ה includũtur in eo. Sed quia Iesus datus, & missus est nobis tanquã redẽptor, & ductor ad uerã quietẽ, quæ est uita æterna, imò factus est ipsa quies nostra, ideo in loco illorũ duorũ ה significantiũ rationes principij in nomine יהשוה Iesu ponitur ש, quod est principiũ שבת sabat, & ipsum significat, quod interpretatur requies. Ecce quot & quãta mysteria importãtur in tribus literis huius nominis יהשוה Iesu: Nã י diuinitatẽ significat, ut est notissimũ apud ipsos theologos: ו arborem uitæ, & ש requiẽ: denotaturq;, quòd Iesus noster est Deus omnes uiuificans utraq; uita, & tandẽ beatificãs in requie illa æterna. Extat quoq; illud nomẽ quadriliterũ alio mysterio in nomine Iesu, per uiã uidelicet numerorũ adiũcto nomine matris, à qua substantiam corporis traxit: Nam quatuor literæ illius nominis reddunt in numero 26. & nomẽ matris, quod est מרים miriã dãt 290. Qui numerus iunctus cũ illis. 26. cõstituit. 316, quẽ etiam numerũ dant literæ nominis יהשוה. In quo denotatur nominatum ipsum

Paulus

à patre Deo, matreque humana processisse. Per hanc eandem uiam numerorum concludimus conclusum in Iesu illud terrificum nomē שדי sadai: cuius literæ in numero dant 314: Cui numero si addatur binarius, qui corporaturam significat, constituit 316. qui est numerus literarum nominis ישו ut nuper diximus, Da-
Dauid ta est quo huic uirtus illius nominis שדי sadai, quod semper terreficum fuit in hostes humani generis: Vndè in psalmo 90. qui factus est ad terrendos illos hostes, dicit propheta: In umbra Sadai morabitur: Pro quo nos habemus: In prote-
CHRISTVS. ctione Dei cœli commorabitur. Cum igitur Christus cognosceret ipsius nominis uirtutem in suo fuisse conclusam Apostolis mysterium reserauit dicens: In nomine meo dæmonia eiicient, & cætera quæ sequuntur. Est quoque in nomine Iesu hoc nomen אל quod Deum significat: & אלהי quod idem est cum suo plurali אלהים: quamuis aliquando hoc nomen sit singulare, & importet singularem Deum diffusum, & multiplicatum in multa creata. Hinc in mundi fabrica, quando Deus sese diffundendo in creaturas cœpit multiplex apparere, inducitur fabricans sub hoc nomine Elohim, dicente scriptura: Et dixit Elohim, & fecit Elohim, creauitque Elohim: Quod aliqui non intelligentes malè traduxerūt dicendo: Creauit Dij. Alij uerò adiungunt cum uerbo singulari nomen singulare dicentes, quòd per illud intelligitur trinitas, & pluralitas personarum: Sed uerè & propriè exponendo, per illud nomen Elohim intelligitur opifex diffundens se in multa, uel iudicans multos per ministros multiplices exequens iudiciū: Vndè in scriptura aliquando & angeli exequentes Dei iudicia, & iudices iu-
Exod. dicantes dicuntur Elohim, ut habemus in Exodo, quando fures, & damnificantes iubentur deduci ad Elohim, ut ab eis iudicētur: ubi nos traductum habemus ad Deos horum causa perueniet. Horum igitur nominum non tantum uirtutes, quæ sunt misereri, distribuere, & iudicare conueniunt in nostro Iesu, sed etiā mysteria literarum: Quæ si declarare uoluerimus, dubito ne ulterius progrediamur, q̄ scribere, aut fari liceat: Aliquid tamen, uel in superficie pcurremus: In hoc igitur nomīe אל prima litera est א, quæ explicata in suis literis dicēdo אלף mille significat, quod iam attributū declarauimus: nostro uerò Salomoni, qui est pax sibiipsi, & uerus Rex pacificus: Si uerò numerus illarum trium literarum supputetur, grande adhuc insurgit mysterium, פ enim dat 80. ל 30. א unū: Qui numeri simul iuncti reddunt 111. centenarium uidelicet, denarium, & unitatem, de quo suprà diximus. Et si attēdatur ad characteres numerorū, adhuc prospicietur mysteriū: Sunt enim tres emanātes ab uno charactere, qui unū importat, ut innuatur, quòd trinitas personarū prouenit, & cōtinetur in una unitate, sicut etiā pronuntiando ipsum א necesse est, ut explicemus in tres literas illas supradictas. Habemus igitur in א mysterium unicæ deitatis, & trinitatis: Sed huic additur ל, quod significat 30. in numero, id est tres denarios, ad denotandam uirtutem cœlestem munitam sanctissima trinitate, per quam Deus tanquam per causas secūdas disponit omnia inferiora: Quæ omnia si in Christo Iesu reperiātur,

clarum est: Est enim IESVS principium significatum per א, sicuti ipsemet testatur dicens: Ego principium, qui loquor uobis. Et est in eo ratio trinitatis, dum de Patre ait: Pater in me est: Et iterum: Ego & Pater unum sumus. De Spiritu sancto quoque inquit: Ille de meo accipiet. Ex quibus colligimus rationem trinitatis, & principium esse in eo, undè ipsi competat nomen illa duo importans. Et hinc coniicere possumus, quomodo etiam uirtus supremi nominis contineantur in Iesu: Illud enim est אהיה incipiens ab א & continens י & duplex ה, Per quod א scientibus mysteria literarum denotatur principium primũ, & finis ultimus, cum significet unum, & mille, qui est cubus denarij, & ultimi numeri simplicis: Similiter י importat principium, sicut eius interpretatio indicat, & importat finem, cum sit litera significans ultimum numerum: Vndè utraque litera diuina est, & utraque significat principium, & finem, quod idem est: quia illud, quod est principium rerum, est etiam finis earum: & una figuratur per aliam: Nam א figuratur ex duobus י interposito transuersaliter uno ו: Idcirco in nomine quadrilitero, & in nomine Iesu ponitur י pro א, & pro ipso י: Et sic habemus in nomine Iesu mysterium duarum literarum, & significata earum in ipso nominato: quia ipse Iesus est principium (ut nuper diximus) & est finis dans quietem, & beatitudinem. Sunt quoque in illo supremo nomine duo ה significantia duos exitus producentis in res productas: In quibus omnibus productionibus intercedit Filius, dempta productione suiipsius à Patre: Hinc dixit: Pater meus usque modo operatur, & ego operor, secũ uidelicet omnia producẽdo. Nec ulterius procedamus in huiusmodi mysteriis declarandis, quamuis plurima sint. Quia igitur uirtus, & mysteria omnium nominum continentur in nomine Iesu, non est mirum si Paulus dicit, quòd in hoc nomine omne genu flectitur cœlestium, terrestrium, & infernorum.

CHRISTVS. Idem. Paul.

Cur solum Iesu nomẽ hodie inuocetur à ueris Dei cultoribus. Cap. VIII.



CVm omnia nomina, atq; uirtutes omnigenas ipsorũ cõclusas declarauerimus in Iesu, & eius nomine, meritò ipsum nomẽ solũ inuocamus, iuxta Zachariæ uaticinium, quo ait: Et erit Dominus rex super omnẽ terrã, & in die illa erit Dominus unus, & nomẽ eius unũ. Nec aliquis inuenitur, qui fuerit rex uniuersæ terræ, & Dominus, nisi Iesus, sub quo destructa idololatria omnes habuerũt eũ in Regẽ, & Dominũ, paucis Hebræis dispersis exceptis, quousque insurrexit bestia illa Mahumeth: Nec tamen inde alíud datum est nomen hominibus, in quo saluari possent, nisi nomen IESV, ut dixit Petrus in Actibus Apostolicis: Quod diffundi iussit in omnes gentes, sicut quadriliterum nomen erat solummodo notum in populo Israëlitico: dixit enim ad Ananiam de Paulo: Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Israël: quod & fecit: Nã statim ex Damasco abiit Ierusalem, inde Tharsum Ciliciæ metropolim, deinde Antiochiam egregiam Syriæ urbem, Postea Phrygiam, Galatiã, Troiam,

Zachar. Petrus. CHRISTVS.

Istud Cap. ne [illegible] [illegible] in [illegible] [illegible] [illegible] ij
[illegible] sanctorum [illegible] intelligi [illegible] debet [illegible]. et [illegible]
[illegible] excludet inuocatio et ueneratio sanctorum [illegible] decreta approbata
ut in titulo de [illegible] sanctorum et tandē a Concil. trident. sess. 25.

Macedoniam, Athenasque, ubi uigebat mundi sapientia. Post haec Corinthum, Ephesum, Miletum, Con, Rhodum, & per insulas illas Achaiae, & Graeciae ulterius proficiscens perrexit ad Arabes, & uenit in Italiam: & profectus est usque ad Hispanos per Asiam & Europam portans, & diuulgans nomen Iesu: Et quod reliquum mundi erat, caeteri Apostoli nominis huius uirtute compleuerunt, ut omnes & omnia petere possent in nomine Iesu, sicuti ipsemet docuit dicens: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis: Cuius nominis tanta est uirtus, ut omnes in eo ditari possint, dicente Paulo: Diues in omnes, qui inuocant illum, id est nomen IESV, quod tam lene, tam communicabile, & diffusiuum suipsius est, ut oleo in Canticis comparetur, ubi dicitur: Oleũ effusum nomen tuum, quia eius uirtus chrismate plena diffunditur in eos, quos tangit, sicut oleum in panno: & quia sanat, quia condit, & omnia facit, sicut uerum oleum scientibus ipsum suscipere, & inuocare, sicuti Apostoli faciebant: Nã in nomine eius loquebantur linguis, daemones expellebant, infirmos sanabant: Dixit enim Petrus ad claudum sedentem ad portã speciosam templi: Argentum, & aurũ non est mihi, sed melior thesaurus, uirtus uidelicet nominis Iesu in quo praecipio tibi, ut surgas, & ambules: & protinus consolidatae sunt bases eius, & plãtae: & exiliens stetit ambulans, & intrans in templum, laudans Deum. Fluit quippe uirtus nominis illius, quãdo debitè inuocatur, sicut fluuius à fõte: Nã (ut Democritus ait, & post eũ Epicurus) uox, & nomẽ sonãs est tãquã rheuma, aut alueus cõducens uerbũ mentis, quae est tanquã fons, dans uirtutẽ uerbo prolato & cõcipiẽs ipsum: Sed ueri aluei diuinorũ nominũ sunt in idiomate Hebraeo cũ suis characteribus, quibus primo illa nomĩa etiam mysterio maximo descripta sunt: Hinc Iambl. ait: Dij, id est angeli agẽtes nobiscũ sermonẽ barbarũ, Hebraeũ uidelicet, quasi satis cõgruẽtem approbauerũt, praesertim, quia antiquior, & primus fuit modus loquẽdi: Sed addamus hoc: quia characteres illi tũ ex numeris importatis, tũ ex effigiatione rerũ coelestiũ mirabiles, & mysteriosi sunt: Idcirco & Zoroastres peritissimus in operando docet, ne barbara uerba, id est Hebraica immutẽtur in sacris: Quod & ecclesia catholica plerisque in locis obseruauit, sicuti quando iussit dicere alleluia, quod significat laudate יה Iah, quod est nomẽ diuinũ maximi momẽti, & foecundũ nominis tetragrammi, quia plenis illis duabus literis reddit in numero 26. qualis est numerus quadriliteri: Sic & illud Adonai Domine: & illud osianu, pro quo nos dicimus osana: & illud, Dominus Deus zebaot, pro quo corrupto uocabulo dicitur sabbaot: hoc enim uocabulum requies sonat in plurali: illud autem exercitus: hic enim debet dici Dominus Deus exercituum. Et nomen redemptoris nostri scribi deberet tribus literis tantummodo ipsius plenis mysterij scilicet ישו Nec addenda est litera ה combinata, ut aliqui opinati sunt, quia illae iam (ut diximus) conuersae sunt in ש. Nec apponendum est secundum ש dicendo ישוש quamuis Latinè dicatur, sic exquirente ordine declinationis grammaticalis: De quo non multum curan-

CHRISTVS. Paulus. Cantica. Petrus. Democ. Epicu. Iambli. Zoroa.

dum est, quia mysteria non sunt in idiomate Latino, sed Hebræo, ubi attendendum est, ne aliquid addatur, uel minuatur: quia multa destruerentur mysteria, quæ tã in significatis literarũ illius nominis, quàm in numeris earum, & etiam in uaticiniis correspondentibus continentur: ex quibus aliqua uel pauca percurremus. Habent pro constanti secretiores Theologi, quòd oracula multoties cõtinẽt nomina illorũ, de quibus prophetatur, in principio, fine, uel medio dictionũ: secũdum quẽ modũ nomẽ Meßiæh sæpius reperitur, ut in uersiculo psalmi septuagesimi primi: Ante solẽ permanet nomẽ eius, & benedicentur in ipso omnes tribus terræ: Nomẽ enim. ישו Iesu continetur in capitibus horũ uerborũ, permanet nomẽ eius, & benedicẽtur, quæ in Hebræo sic dicũt: ינון שמו וית ברכו inin semo ueit barcu: ubi si accipiãtur capita dictionũ, quæ sunt י ש ו cõstituũt ישו Iesu: Quod nomẽ fuit ante solẽ, & in ipso benedictæ sunt õnes gẽtes. Similiter in lib. Gen. cap. 49. ubi dicitur: Veniat Meßiah, & ipsi cõgregabũtur, capita dictionũ cõstituũt nomen Iesu, quæ in Hebræo sic dicunt: יבא שיל ולו iabo silo uelo. Capita enim sunt י ש & ו: Quæ literæ collocatæ ordine Hebraico reddũt ישו Sed mirabilius est in psalmo nonagesimo quinto in uerbis illis: Lætentur cœli, & exultet terra, contremiscat mare, & omnis plenitudo eius: Exultabũt campi, & omnia, quæ in eis sunt: In quorum uerborum capitibus habetur nomen quadriliterum completum: Et postea idem nomen absque ultimo ה: Deinde nomen Iesu ad denotãdũ, ꝙ quadriliterũ illud cõplecti debebat in nomine Iesu, tanq̃ successore suo, cui quodãmodo cedebat, quia uirtus illius nominis quadriliteri data est Iesu, cui Pater omnia dedit: Vndè probat author Sepher temunot per illud ה ultimũ ipsius nominis quadriliteri, diuinitatẽ debere uniri cũ humanitate, & effici Meßiah, in quo existeret uirtus illius magni nominis: Ideo uniuntur nomina, & succedit nomen Iesu, incõpleto illo quadrilitero, quando secũdo repetitur: Quia sicut in priori testimonio uenerabantur cõpletũ, sic in secũdo, & ultimo ceßisse innuitur (ut diximus) nostro Iesu: Verba enim Hebræa textus illius psalmi sic habẽtur ישמחו השמים ותגל הארץ ירעם הים ומלוא יעלוז שדי ובל: Quarũ dictionũ capita ordine Hebræo posita sunt יהו ה יהו ש ו. Sed postquã de literis nominis Iesu pertractamus, opportunũ existimaui explicare etiã ꝙ ex literarũ interpretatione plures literæ in illo reperiri non debeant, cũ istæ perfecte importent ea, quæ continentur in nominato per hoc nomen ישו: Nam י principium significat ו ipse ש principium sabat innuens ipsum requiem, & finem. Denotant igitur, ꝙ ipse est principium, finis, & requies omnium, sicut in Apocalypsi ipsemet ait: Ego sum α, & ω: principiũ & finis. Et cum in his uerbis omnia includantur, sufficiunt illæ literæ, neq; aliæ debẽt apponi. Completur insup hoc nomen ישו ex numero maiori, minori, & medio in denariũ, qui est numerus cõpletus: Est enim senarius, unus denarius, & tres cẽtenarij, qui simul iuncti cõstituunt decẽ, numerũ quidẽ perfectũ, & cõstitutũ ex omnibus generibus rerũ, spiritualiũ uidelicet, cœlestiũ, & terrestriũ, quæ importãtur p numeros, denarios,

Theolo. Psalm. Genesis. Se. Te. Apocal.

Paul. & centenarios, iuxta illud, quod Paulus sæpius repetit dicēs: In ipso est omnis plenitudo, & in ipso reconciliantur omnia. Sed inferiora dimittentes, ut loquamur de superioribus, dico ꝙ omnes aquæ supernæ gratiarū, & donorū collectæ sunt in ipso, tanquam in uera piscina superiori, de qua in Canticis dicitur: Canti. Oculi tui, sicut piscina in hesbon, id est in cogitatione uel uerbo, in quo omnia continebantur antè quàm crearentur: Hesbon enim cogitationes ad uerbum significat: Vnde ubi nos habemus, In principio erat uerbum, in Hebræo habetur בראשית היה השבון beresit haiah hesbon, id est erat cogitatio, uerbū, piscina, in qua continebantur omnia, antequam crearentur. Est iterum uera piscina probatica, in qua lauari debent omnes oues reponendæ in dextera summi Iudicis: Quæ piscina figurabatur per illam, quæ erat in Ierusalem terrena, in qua sanabatur unus, quisquis fuerat ille, & à quacunque detineretur infirmitate, quia unica ratione sanandi in uerbo diuino sanantur omnes à quacunque ægrotatione, iuxta illud prophetæ: Misit uerbum suum, & sanauit eos. David Hæc pauca, uel minima sunt cōparatione eorum, quæ dici possent de hoc sanctißimo nomine, quod à Deo fuit nominatum, denuntiatum ab angelo, impositū a parentibus, celebratū à mundo, ueneratū ab omni genu, positūq; omnibus in salutē, dæmonibus tamē in errorem, & operātibus in uirtutē: Nā in seraphinis ui ignea inflāmat: In cherubinis splēdet: In thronis cōpaginat: In dominationibus imperat: In uirtutibus exequitur: In potestatibus arcet: In prīcipatibus curat prouincias, principes, & magistratus: In archāgelis sacerdotio fungens dirigit mortales in Deum: In angelis omnia nostra curat: In homine omnium uinculo omnia operatur: Docet nanque, & uariis loquitur linguis in apostolis: ueritate fulget in euangelistis, & doctoribus: uirtute diffunditur in operantibus miracula: dulcedine replet contemplantes: ueniam præstat pœnitentibus: & omnigenum auxilium omnibus indigētibus. Nec ultrà procedendum est ad particulares uirtutes huius nominis, in quo cuncta nobis nunc petenda sunt: quia cū omnia in ipso includi, & ab eodem dependere demonstrauerimus, superfluum duxerim laborare per singula.

Qualiter ex scriptura sacra præfiguratum habeamus Christum esse fontem totius meriti, gratiæ, & gloriæ. Cap. IX.



VT nominatū nomini correspondeat, sicut in nomine omnia contineri cōprobauimus, sic necesse est, ut in ipso nominato cōtineatur omnis uirtus, omne meritū, & omnis gratia, à quo tanq̄ à fonte ueri paradisi delitiarū irrigetur uniuersa terra. Verū quæ de huiusmodi à nostris Theologis tractata sunt, quasi iā triuialia suis in locis legēda relinquētes ꝑstringemus tātūmodo aliqua, quæ in diuinis oraculis occultantur: Et primo ea, quæ factis præfigurata sunt: postea, quæ diuinis oraculis sunt prædicta, enodabimus: Petētibus enim Phariseis uerū signū aduētus Meßiæ respōdit CHRISTVS. Christus: Generatio hæc signū quærit, & nō dabitur ei signum, nisi signū Ionæ

ꝓphetæ: Quia sicut fuit Ionas in uētre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Attendendus est hic sermo Christi, quo non sine causa prætulit signum Ionæ cæteris signis, quia in eo illud includitur, propter quod præcipuè uenerat Christus. s. redemptio humana per plenitudinem gratiæ, & meriti: Cuius rei (prout poterat purus homo) Ionas typum elegantissimum gessit: Ideo aliis omissis, in quibus celebrata est trinitas dierum, Ionam solummodo exposuit, & adduxit in signum: Profecti enim filij Israel de monte Ephrain perrexerunt uiam trium rerum: & ambulauerunt tribus diebus per desertum Etham: Stetitque Daniel in lacu leonum, & tres pueri in fornace, & Ioseph in carcere uaticinans per trinum dierum numerum, hæc tamen signa nusquam adducuntur a saluatore in exemplum, & typum, sed solummodo Ionas, quia in eo solo celebratus est redēptionis progressus: quem ut explicemus, exordiemur a nomine: Iona enim columba interpretatur animal simplicissimum, quod offerebatur in purificationē partus mulieris maledictæ, & condemnatæ per peccatum originale, ut cum dolore, & immunditia pareret: Ideo aptè figurat Christū innocentē, & mansuetū oblatū in ablutionē, & purificationē omniū inquinamētorū, quæ cōtraximus per peccatū. Verū ingrediamur ad secretiora mysteria, Huic Ionæ præceperat Deus, ut prædicaret Niniuitis errātibus: Et Christo præcepit Pater, ut ꝑdicaret, & redimeret totū mundū deperditū. Timuit Ionas subire onus impositū, & fugere satagebat: Et Filius Dei cœpit pauere, & tædere, fugamq; procurare ad Patrē dicēs: Pater, si possibile est, trāseat à me calix iste. Confugit Ionas ad mare superexcelsum uidelicet, & ad aquas misericordiæ, & gratiæ, quā ꝓcurauit Niniuitis: Confugit & Christus ad aquas ad quas inuitabat sitiētes, & ꝑ quas saluos nos fecit, & expurgauit: In cuius expurgationis signū meritò aquā elementarē instituit. Orta est tempestas in mari ex fuga Ionæ, aut ex impetrata uenia pro Niniuitis, facta contentione antè tribunal iustitiæ diuinæ, quæ nolebat permittere, ut scelera Niniuitarum transirent impunita. Orta pari modo, & excitata est procella in cœlo, & in mundo, quia non patiebatur idem tribunal, ut liberaretur humanū genus sola intercessione redemptoris, absq; condigna pœnitentia scelerum suorum: Factum est (inquit Ioannes) prælium magnū in cœlo non solum ex rebellione draconis, & satellitū suorū, sed etiā, quia nolebāt pati, ut humanū genus redimeretur, maximè absque cōdigna pœna: Quærebāt enim à Deo escā sibi, ut scilicet deuorarēt humanū genus iuxta flagitia. Obtulit sese Ionas passurū pro Niniuitis dicēs: Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à uobis: scio enim quòd propter me uenit hæc grādis tempestas: at ego non renuo mari tradi, ad quietandos hos tumultus suscitatos contra peccata Niniuitarū, pro quorum uenia sum deprecatus, Pari modo Christus uidens totum Dei tribunal agitatum, atque expetens uindictam malè actorum à genere humano, & quòd non poterat stante iustitia mitigari, dixit ipse Filius Dei: Ecce ego, mittite in hoc

CHRISTVS.

Ioan.

mare memet paratum suscipere omnem pœnam, quæ debetur omnibus transgressoribus, qui sunt in hoc mundano mari. De oblatione hac facta ab antiquo
Isaias Euang. loquutus est Isaias, dum in eius persona dixit: Ecce ego, mitte me. Sed de eadem facto exhibita habemus in euangelio, quando ipsi timenti bibere calicem paßionis semper tamẽ parato obedire paternæ iußioni misit Pater æternus angelum, qui confortaret eum: & exponeret, quæ agitabantur à tribunali diuino: Nam
Isaias tunc ipse, sicut antea dixerat Patri, non mea, sed tua uoluntas fiat, opere compleuit offerens se (ut uaticinatus est Isaias) quia ipsemet uoluit: Et tunc suscepit iniquitates omnium nostrum, quas Pater posuit super eum: Tuncque portauit om-
Ierem. nes dolores nostros, qui tot, & tanti fuere, ut clamet Ieremias: Magna est uelut mare contritio tua. Et quãuis Ionas in se peccata Niniuitarum suscepit, & Christus peccata totius mundi, oportuit tamen, ut & Niniuitæ, & populi totius mundi susciperent aliquam partem pœnæ compatientes & ipsi, sicuti æquum erat: Ideo Ionas intrans ad Niniuitas prædicauit pœnitẽtiam protestãs, quòd ex sen
CHRISTVS. tentia iam lata usque ad quadraginta dies debebant pati pœnam subuersionis, nisi uidelicet per pœnitentiã immutaretur sententiæ executio. Ad hanc igitur immutandam saccis uestiti sunt omnes à maiori usque ad minimum, & salua facta est ciuitas; Pari modo & Christus cum missus à Patre prædicare cœpisset, sic exorsus est: Agite pœnitentiam, & appropinquabit uobis regnum cœlorum: Cuius restitutionem uobis impetraui, dummodo uelitis mecum condolere, & pœni-
Idem. tere, id est reuerti ad Deum, quod est uera pœnitẽtia. Hinc iterum ait: Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis, esto quòd fecerim, & faciam ne pereatis, quantum in me est, quia oportet (sic iustitia exigente) ut & uos cooperemini. Sed conqueritur Christus de mundo & de Hebræis præsertim præferẽs Ni-
Ibidem. niuitas, & dicens: Viri Niniuitæ surgent in iudicium cõtra generationem hãc, & condemnabunt eã, quia egerunt pœnitentiam ad prædicationem Ionæ, & ecce plusquam Ionas hic: nam ille fuit umbraticus, & figuratiuus saluator ad unũ populum tantummodo destinatus, qui relapsus tandem interiit: Christus autem uerus saluator pro toto humano genere introiuit semel in sancta, æterna redẽptione inuẽta, dans utiq; nobis continuè gratiam, qua operari poßimus ea, quæ pertinent ad salutem, & impartiens de meritis pro nobis acquisitis, & tandem tribuens gloriam accumulatißimè præparatam: undè eius gratia operamur bonum, & eius meritis deuenimus ad salutem, & gloriam.

Idem comprobatur uaticiniis. Cap. X.



NEc tantum id habemus ex figura, sed à multis etiam oraculis com
Dauid probatum: Regius enim propheta uidens humanum genus præuaricasse, & indigere redemptore, qui meritis, & gratia, atque uenia impetrata succurreret indigẽtibus, sub persona redimẽtis ait,
Paulus sicuti bene Paulus interpretatur: Quoniam, si uoluisses, sacrificium dedissem,

animalium uidelicet, sed sacrificium, & oblationem noluisti, aures autē, uel corpus (ut Paulus inquit) aptasti mihi, corpus meum uidelicet offerendum in redemptionē præuaricatorum. In capite libri scriptum est de me, ut facerem uoluntatem tuam, Deus meus uolui, & legem tuam in medio cordis mei: *In capite quidem, uel in uolumine (ut habet ueritas* Hebraica *) libri uitæ scriptus fuit* Messiah *super omnes, & præ omnibus: qui & ipse (inquit* Paulus *) prædestinatus est in uirtute. Scriptum quippe est, ut facerem uoluntatem tuam, quam faciens mererer pro me, & pro omnibus aliis. Deus meus uolui, & acquieui hoc onus subire: dixit enim:* Veruntamen non mea uoluntas, sed tua fiat: Et legem tuam, *quā iussisti peccata puniri per sanguinem, & præuaricatorem per me redimi debere, hanc tenui in medio cordis mei:* Et hanc iustitiam tuam, *qua iubes omnia peccata purgari per uerum sacrificium, & omnia debita solui per eum, qui est diues in omnes, qui inuocant illum.* Annuntiaui *non tantum in synagoga Iudæorū, sed in ecclesia, & congregatione magna omnium gentium, pro quibus meipsum obtuli in uerum sacrificium: Cuius omnes illæ antiquæ immolationes erant figuræ, non quidem expiantes, sed placantes accusatores, quousque offerretur uerū sacrificium expurgans, & iustificans: Vndè magno mysterio liber* Leuiticus, *in quo tractatur de sacrificiis, incipit* ויקרא *uaicra: Vbi non sine mysterio dicit scriptura in principio uoluminis:* Et uocauit Mosem, *non exprimens quis uocauerit, sicut dicere consueuerat:* Et uocauit Dominus, & loquutus est Dominus, & *huiusmodi: Vndè inquirendū est, quis uocauerit, cum non sine mysterio prætermissum sit in hoc principio libri, quod in toto progressu facere consueuit: Sed si supputetur numerus importatus per literas illius principij, quod est* ויקרא *mysterium incipit indagari: dant enim illæ literæ (ut patet scienti supputare) 316. adiuncto* א*: ubi innuitur* Iesu ישו *quod nomen tantumdem in numero importat: & est nomen illius, qui dedit uirtutem omnibus sacrificiis: Cui adiungitur* א Patrē *significans existentē cū* Filio, *& omnia secū operantem, sicuti ipsemet* Filius *testatur dicens:* Pater meus usque modò operatur, & ego operor: Et iterū: A meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor: Et qui me misit, mecū est. *Ab isto igitur* Messiah *pleno paterno numine incipit liber, ubi tractatur de sacrificiis offerendis ipso* Patri, *& typum gerentibus ueri sacrificij, quod ipse* Messiah *obtulit, & in uirtute cuius illa sacrificia umbratica offerebantur.* Hic est ergo, *qui existens non tantum ante Mosem, sed antequam Abraham fieret, Mosem uocauit, & excitauit, ut faceret ea, quæ ipsum præfigurabant:* & *ut de eo in capite libri scriberet, & in principio* Geneseos, *& in principio huius uoluminis:* Quod *bene nouerat ille, de quo scriptum erat: qui dixit ad legisperitos, ut habetur in euangelio* Ioannis: Si crederetis Mosi, crederetis forsitan & mihi: Ille enim scripsit de me. *Non habetur, ubi Moses clarè scripserit de eo: sed si ille, qui solus habet claues aperiendi scripturas, nobis eas commodauerit, ex mille, & pene infinitis locis aperire, & enodare poterimus, ubi Moses scripsē-*

Paulus.

Leuiti.

CHRISTVS.

Idem.

Zacha. rit de eo: sed prosequamur. Zacharias etiam idem mysterium aperit domestico sermone loquens cum redemptore, & dicens: Tu quoque in sanguine testamenti tui eduxisti uinctos de lacu: Per quem sanguinem nos redemit, omnia debita soluit, & omnem gratiā, & meritū nobis cōparauit, ut inquit Petrus: In obedientiam, & aspersionem sanguinis Iesu Christi gratia uobis, & pax multiplicetur.

Quàm clarè Isaias hæc omnia unico reserauerit oraculo. Cap. XI.

Isaias. Hieron.  Saias autem hoc negotium adeò apertè describit, ut non uaticiniū sed euangelium iam exhibitum (sicuti inquit Hieronymus) uideatur: Ait enim Parauit Dominus brachium suū, brachiumque utique dextrum, misericordiæ uidelicet, & gratiæ, in oculis omnium gentium: Quod brachium erat tantummodo in populum Israëliticum extensum: Vndè sequitur: Videbunt omnes fines terræ salutare, uel salutem, aut saluatorē Dei nostri, quē scilicet mittet pro omnibus redimendis. Postea propheta ad gentes sermonē dirigens subinfert: Recedite, recedite à cultura, dæmonū uidelicet, & idolis: Pollutū, id est idolotytū nolite tangere. Exite igitur de medio eius, cultus, scilicet idolatriæ, & mūdabimini ab omnibus inquinamētis, & pollutionibus uestris. Vos, qui fertis uasa Domini, id est qui habetis potētias receptiuas diuinitatis, adeo, ut dicamini tēplū, & habitaculū Dei: uel uos, q fungimini officio sacerdotali, nolite uasa, quæ Domino dare debetis, āplius offerre idolis uestris: uasa utiq;, in qbus locatis sacrificia, uel uasa, quæ estis uos, sicut de Paulo dixit oraculū: Vas electionis est mihi iste: Vel (ut sentit Hierony.) uos Apostoli, qui fertis uasa, id est uirtutē, in qua habetis, undè possitis baptizare populū, recedite à Iudæis obstinatis, blasphemis, & iniquis, in quorū pniciē paratus est Romanus exercitus. Nec tumultuatim recedetis, sicut olim fecerunt de Aegypto, sed præcedet uos Dominus, & princeps pacis, qui ait: Ego uobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Hoc igitur opus, quamuis aridum, fiet sine strepitu, & tumultu: quia sine strage populorum, imò cum eorum salute, quamquam plerique mortem in testimonium prædicatæ fidei, & doctrinæ sustinebunt: quia id cū pace sustinentiū fiet, ut in libro Sapiētiæ dicitur: Visi sunt oculis insipientiū mori, & existimata est afflictio exitus illorū: illi autem sunt in pace. Et hoc est, quod sequitur propheta: Quoniā in tumultu aggrediemur hoc opus, nec cum tumultu exibitis ab eo, nec cum fuga properabitis ad illud exequendū: Præcedet enim uos Dominus, & congregabit, uel sociabit uos Deus Israël. Ecce seruus meus, populus uidelicet uerè Israëliticus, intelliget, & exaltabitur, & eleuabitur, atq; sublimis erit ualde: Nā ex ipso electi sunt Apostoli, qui præfecti sunt uniuersæ ecclesiæ, constitutiq; assessores principis, qui & ipse ex eodē populo Israëlitico traxit orginē, & multi alij ex eadē stirpe diuersimodè sublimati. Et sicut obstupuerunt super te multi, quādo uidelicet extraxi te de seruitute Ægyptiaca, & præfeci super gentes, & exaltaui te in prodigiis, & miraculis multis, & dedi te super gentes, & regna, sic obstupebunt in isto Redēptore,

Margin notes: CHRISTVS. (beside "sacerdotali"); Hieron. (beside "oraculū"); CHRISTVS. (beside "sed præcedet"); Sapien. (beside "quia id cū pace")

& opere eius: Nam qui prius uidebatur inglorius, & uilis inter uiros, & aspe-
ctus eius inter filios hominum non reputabatur, hic asperget gentes multas, san-
guine suo uidelicet eos mundans: Ideo super ipsum continebunt reges mundi os
suum eum reuerentes: Nam quibus non est narratum de eo uiderunt: & qui nõ
audierunt, prophetas uidelicet loquentes, contemplati sunt hoc magnũ sacramen
tum: Quod tam magnũ, & arduum est, ut uix sperem me aliquid persuasurum,
si enarrare uoluero: Vndè sequitur: Domine quis credet auditui nostro, id est
his quæ audire faciemus? Aut uirtus, & brachium Domini plenum misericor-
dia, gratia, & pietate cui reuelatum est? ut exerceatur, & appareat in hoc, qui
ascendit tanquam uirgultum coram eo, ex terrea uidelicet carne, & sicuti ra-
dix de terra sitienti, humana scilicet natura arida meritis, & operibus, & pri-
uata influxibus diuinis, quibus posšit mereri æternam uitam. Non est ei species,
neque decor diuinitatis, aut redemptoris, cum appareat purus homo, & natus
iudicetur communi uia. Vidimus eum, & non erat aspectus aliquis, ut faceret
ea, quæ omnia alia opera excesserunt: Omnia enim innouauit, & immutauit, &
magis occultas uirtutes, & dispositiones, quàm uisibiles oculis corporeis: Bene
desiderabamus eum, sed iste uidetur despectus pauper, à patria profugus, nouis
simus uirorum: Vir utique dolorum, & subiectus infirmitatibus, & pasšionibus
naturalibus: & tormentis plenus, quibus uexantur etiã maximi sicarij. Et quia
absconditus est uultus eius, & despectus à multis, ideo non reputauimus eũ, nec
existimauimus illum esse, qui in rei ueritate erat: Sed uerè languores nostros ip-
se tulit, & dolores nostros ipse portauit habitu inuentus, ut homo: Qui sciret
(inquit Paulus) cõpati infirmitatibus nostris tẽtatus per omnia: Aut tulit infir- Paulus
mitates, & dolores, quia sanauit ægrotos & oppressos, ut exponit Matthæus in Matth.
octauo capite sui euangelij. Onus quoque nostrum, peccatorum uidelicet, quod
maximum est, ipse portauit. Et nos cogitauimus eum plagatũ, percussum à Deo,
& humiliatum, & non uoluntariè assumpsisse plagas illas ob nostram redem-
ptionem: Sed ipse infirmatus est propter scelera, aut transgresšiones nostras,
& attritus est propter iniquitates nostras: Quod maximum est: Nam ex
lege non iustificabatur quis, nisi à peccato per ignorantiam contracto, aut per
mentis surreptionem, & huiusmodi, sicuti suprà explicauimus: Ab iniquitate
uerò quam עון hauon dicunt, & à transgresšione, uel rebellione, quam פשע Dauid
pissah nominant, & ab impietate, quam רשע nuncupant, nequaquam: Ideo Da-
uid commisso adulterio, quod est iniquitas: & homicidio, quod impietas dici-
tur, sciens quòd huiusmodi non purgabantur sacrificiis, dixit: Quoniam si uo- Paulus
luisses sacrificium dedissem, utique holocaustis non delectaberis. Hinc Paulus cũ
Romanis disserens ait: Non iustificabitur quis ex lege. Huiusmodi autem iube-
bantur lapidari, uel aliquo necis propriæ genere expiari: à quibus omnibus ue-
niens Mesšiah nos liberauit: ideo sequitur propheta: Disciplina pacis id est mo-
dus reconciliationis cum Deo acquirendæ super eũ, & liuore eius sanati sumus:

Nam omnes nos, quasi oues errauimus, unusquisque in uiam suam declinauit, omnes peccatis & iniquitatibus, & eis reatibus erant obnoxij, à quibus non poterant eripi: Ideo posuit in eo Dominus iniquitates omnium nostrum: Quod opus, quamuis cum repugnantia partis sensitiuæ, tamē uoluntariè aggressus est: undè sequitur: Oblatus est, quia ipse uoluit. Hinc dixit Petro conanti eripere eū de manu capiētium: Calicē, quē dedit mihi Pater, nō uis ut bibam illum? Et cum antea abhorreret Petrus nomen, & opus crucis, dixit ei: Vade retro satana, scādalum mihi es, quia non sapis, quæ Dei sunt, sed quæ hominū. Quia igitur uolūtariè suscepit hoc opus, ideo non aperuit os suum in sui defensionē, sed tanq̄ mutus stetit corā Herode, & Pilato, qui quærebant liberare eum: undè sequitur. Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondēte se obmutescet: Agnus quidem fuit tollens peccata mundi, & scelera omnia, quæ nullo sacrificio expiari poterant, immolatus in uero paschate, & trāsitu ad meliorem uitam. De angustia igitur pro nobis tolerata, & iudicio, atque sentētia quam sustinuit pro nobis acceptus est, & glorificatus. Et cū ea fecerit, quæ quiuis homo facere nequit, igitur supra hominem esse comprobatur: unde subinfert propheta: Generationem eius quis enarrabit? Nā abscisus est de terra, non morientium, sed uiuentium, qui uiuificare nos uenerat. Propter iniquitatem populi mei plagatus est, uel plaga illata est ei, ut sit uox Patris æterni, aut prophetæ enarrantis, quāuis nos habeamus percussi eum, ut expreßè intelligatur illa esse paterna uox. Sequitur: Et donabit impiis sepultura sua, id est morte, & sepultura donabit populis peccata eorum, & ueniā impetrabit pro eis: Et diuitias in morte sua acquiret: Siquidem diues erit in omnes, qui inuocabunt nomen illud, quod dedit ei Pater: quia factus est obediēs usq; ad mortē crucis. Nec fecit iniquitatē, neq; dolus inuentus est in ore eius, necesse ipsi fuerit in expiationem propriam pati: propter nos igitur uoluit Dominus conterere eum. Et quia ipse sciebat, ꝙ si exponeret pro peccato populi animam suam, uisurus erat semen longæuum, sponte eā tradidit: undè uidit semen suum dilatatum, & multiplicatum magis quàm illud Abrahæ, quod sicut stellæ cœli, & arena maris fuit innumerabile: Nam ultra electos, & consignatos principes, turbam magnam genuit, quam dinumerare nemo poterat. Fuit quoq; longæuum semen eius, quia ipsius familia in æternum durat, & potitur perpetuo regno, ut in psalmo dicitur: Semen eius in æternum permanet, & thronus eius, sicut Sol in conspectu meo: Et iterum: Et ponā in sæculū sæculi semen eius, & thronum eius, sicut dies cœli. Sequitur: Et uoluntas Domini in manu eius dirigetur, uel germinabit, aut prosperabitur, ut habet ueritas literæ: Patri enim dixit: Non mea, sed tua uoluntas fiat: Et iterum: Meus cibus est, ut faciam uoluntatem Patris mei, qui in cœlis est: Quam etiam nobis obseruandam explicauit dicens: Omnia, quæcunque audiui à Patre meo, nota feci uobis. Sequitur: Pro eo, ꝙ laborauit anima sua, aut præ labore animæ suæ uidebit saturitatem, iuxta regulam ab eodem publicatam, Beati qui esuriunt, & sitiunt iu

CHRISTVS. Psalm. CHRISTVS.

stitiam: quoniam ipsi saturabuntur. In scientia sua ipse iustus iustificabit seruos meos multos: Descenderat enim super eum spiritus sapientiæ, & scientiæ, quâ sciens, quæ Deo placita sunt, & ad iustificationem nostram exquirũtur, illa omnia efficere sedulò procurauit portans iniquitates ipsorum seruorũ Dei. Sequitur: Quapropter diuidam, uel dispartiar ei plurimos; asſignans eos ipsi in populos, quibus ipse diuidat, & tribuat de sua plenitudine: Nam fortium, id est principum tenebrarum diuidet spolia, sicuti inquit Apostolus: Expoliãs principatus, & potestates: De quo & Regius propheta decãtat: Species, uel pulchritudo domus diuidere spolia: Quæ spolia reportauit ex uictoria habita in morte sua, ideo subinfertur: Pro eo, quòd tradidit in mortem animam suam, mortem utiq; ignominiosam, undè sequitur: Et cũ iniquis uel rebellibus connumeratus est. Sed ipse peccata multorum tulit, eorum uidelicet, qui uolũt ipsius redemptionis beneficium, & portare crucem sequentes ipsum. Et pro transgressoribus, aut rebellibus, uel crucifixoribus suis rogauit dicens: Pater ignosce illis: Nec tantum pro crucifixoribus, sed pro omnibus aliis, dicente Paulo: In diebus carnis suæ obtulit preces cum lachrymis, & clamore ualido, & exauditus est pro sua reuerentia.

Paulus. Dauid CHRISTVS. Paulus

Ex omnibus antè dictis concluditur Iesus fuisse complementum, non tantum operum Dei, sed nostrarum quoque operationum; atque meritorum, & consequenter dans, undè operemur. Cap. XII.



Vm igitur Mesſiah, & Christus noster fuerit, per quem anteà facta sunt omnia, & sit author, & consummator fidei; & omnia replens sua diuinitate, pars & totum existens, & quodammodò omnia existẽs in omnibus, omnia mẽbra mystici corporis, sicut anima humana, uiuificans, extendens se usque ad artificialia, & opera nostra, sicuti ex nomine proprio sacramentorum pleno, & eius cognominibus nõ à casu, sed ex euentibus, & accommodatis mysteriis impositis discere possumus, adeo, ut solum eius nomen à ueris cultoribus inuocetur: & in seipso susceperit omnes languores, infirmitates, & debita nostra, ut liberi expeditius operari ualeamus, meritò is effectus est, per quem operamur omnia, dicente Paulo. Omnia possum in eo, qui me confortat: Et iterum: Idem uerò Deus, qui operatur omnia in omnibus: Qui Deus est in Christo Iesu omnia disponens, undè ipsemet aperto sermone ait: Sine me nihil potestis facere: Et si quis in me non manserit, mittetur foras, & arescet, & in ignem mittent, & ardet, sicuti Deo fauente, apertius reserabimus in fine huius secundi uoluminis: Ideo ad ipsum omnium bonorum largitorem, & uerum mediatorem recurrendum est, & per ipsum omnia à Patre efflagitanda, ut ipso annuente, det nobis de plenitudine diuitiarum suarum: quibus ditati honestè apparere posſimus in conspectu tanti principis: De cuius dominio, & regno iam nobis differendum est.

Idem. CHRISTVS.

Christus est Rex regum, & summus Imperator omnia moderans. Tonus Septimus.

CHRISTVM esse verum Dominum uaticiniis Mosaicis prænuntiatum est. Cap. Primum.
Idem probatur oraculis aliorum prophetarum. Cap. II.
Cur Christus nō dicatur regnare in domo Abrahæ, cum ipsi fuerit de eo primo facta repromißio. Cap. III.
Cur nec in domo Izahac regnet, cui secundo repromißio facta est. Cap. IIII.
Cur ab oraculo dictum sit, regnabit Iesus in domo Iahacob in æternum. Cap. V.
De fructibus huius domus, in qua Christus regnat. Cap. VI.
Quæ sit hæc domus secundum sensum allegoricum. Cap. VII.
Quanta consonantia tribus illæ Apostolicæ distributę sint iuxta partitionem figuratiuę familię, & signa stelliferi cœli. Cap. VIII.
Qua distributione, & quo mysterio pro cœlorum aspectibus castra locauerint singulę figuratiuę tribus. Cap. IX.
In quot trigonos cœli distincti sint, & cui trigono, aut signo unaquęque regio sit subiecta. Cap. X.
In quibus prouinciis, & quibus signis subiectis prędicauerit vnusquisque apostolorum. Cap. XI.
De conuenientia Apostolorum cum signis cœlestibus. Cap. XII.
Conueniunt etiam tribus cum imaginibus, ad quorum aspectus castrametabuntur. Cap. XIII.
De concordia benedictionū, quas dedit Iahacob filiis suis xij. cum populis xij. quibus prędicarunt. xij. Apostoli, secundum ordinem signorum, quibus respondent. Cap. XIIII.
Digreßio, cur ordo primarius non seruabitur. Cap. XV.
Prosecutio concordię benedictionum Issacar, & Zabulon cum populis eorum. Cap. XVI.
De concordia benedictionis datę Iehuda, cum populo directo à signo ipsi correspondenti. Cap. XVII.
De aliarum duarum benedictionū tribuum huius trigoni concordia cum signis, & populis ipsis conuenientibus. Cap. XVIII.
De concordia benedictionum trium familiarum, quę castra locarunt contra tertium trigonum, cum populis ab ipso directis. Cap. XIX.
De concordia benedictionum reliquarum trium tribuum, quę castrametatę sunt contra quartum trigonum, cum populis ab ipso directis. Cap. XX.
Digreßio, quare Paulo celeberrimo Apostolo nulla fuerit aßignata particularis tribus, aut regio. Cap. XXI.
Quid sibi velit in castrametatione circa tabernaculum fœderis illa interiecta trinaria turma. Cap. XXII.
Quid innuāt septuaginta duo discipuli, quos princeps noster IESVS in euangelio elegisse dicitur. Cap. XXIII.
Quòd Christus regit & gubernat totum corpus mysticum, & mūdanum. Cap. XXIIII.
Explicatur id per oraculum. Cap. XXV.

CHRISTVM ESSE VERVM DOMINVM VAticiniis Mosaicis prænuntiatum est. Capùt primum.



T QVID DE Christi nostri dominio, & regno Spiritus sanctus per ora prophetarum prædixerit, uel in parte referemus, à Mose nobis exordiēdū est. Legigraphus enim cum de hominis genitura loqueretur, bis eius productionem exarare uidetur: Primo, quòd masculum & fœminam creauerit eos, enarrat, cum imagine & similitudine sua: Postea, ac si nihil de homine dixisset, in sequentibus ait: Nec homo erat, qui operaretur in terra, undè formauit Dominus Deus hominem de limo terræ, aut puluerem de terra, & insufflauit in facie eius spiraculum uitarum. Nec opinandum est tātum uirum in omni sapientia eruditissimum, ac Deo plenum, & Spiritu sancto perfusum, ea hebetudine percussum, ut immemor eorū, quæ paulo antè dixerat, iterum eius formationem repetat, quem iam in similitudinem & imaginem Dei effectum, atque omnium rerum Dominum constitutum prædixerat: Parique ratione postquā enarrauerat masculum & fœminam fuisse productos, statim oblitus, quæ dixerat, subiungat: Et homini non inueniebatur adiutorium simile ipsi, aut quod staret coram eo, ut habet ueritas literæ: Quis enim hanc mentis ignauiam tanto uiro ascribere posset, ut bis idem repetat frustra, qui nec iota superfluum in sua descriptione interposuit? Vt ergo à uiro Deo pleno, & à sacris eloquiis hunc, qui uidetur, errorem tollamus, ex sacratissimis promptuariis pandimus (ut affirmant harum rerum peritissimi) quòd primo Moses descripsit Messiah, & matris eius productionem: Quorum Christus est cum uera imagine Dei, & omnium primogenitus, dicente Paulo: Qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ. Et factus est ipse masculus, & ipsa fœmina in mente diuina primi, & ante, & supra omnes alios: Quibus etiam subiecit omnia dicēs: Dominamini piscibus maris, uolucribus cœli, bestiis terræ, & uniuersis animantibus, quæ mouentur super terram: Quod decantans diuus Citharœdus ait: Gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarū: Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues, & boues, uniuersas, insuper & pecora campi, uolucres cœli, & pisces maris, & qui perābulant semitas maris. Et quòd inibi decantetur de Christo, Paulus arcanorum reserator cum Corinthiis, & Hebræis aperto sermone explicat dicens illa de Christo prædicta fuisse; & deueniens ad uerbum illud, Omnia subiecisti sub pedibus eius, dicit: In eo, quòd omnia subiecit, nihil reliquit non subiectum præter eum, qui subiecit omnia, cui ille filius subiectus erat: Quem (ut sequitur cum Hebræis) uidimus propter passionem mortis suæ gloria, & honore (ut in psalmo dicitur) coronatum. Quibus masculo, & fœminæ dictum est: Crescite, & multiplicamini, non quidem multiplicatione carnali, sed spirituali, & diuina, sicuti factum est: adeo, ut de plenitu

Moses. Paulus. Dauid. Paulus. Idem.

dine meriti, & gratiæ uiri, & de plenitudine gratiæ, & misericordiæ mulieris omnes accepimus: ut passim sapiētes, & sancti attestãtur. Inducitur quoq; à Mo
Iahacob *se Iahacob uaticinãs ad filiũ suũ Iehuda, & dicēs:* Nõ *auferetur sceptrũ de Iehuda, nec dux de femore eius, aut statutor de medio pedũ eius (ut habet ueritas literæ) donec ueniat, q̃ mittēdus est: & ipse erit expectatio gētiũ: Sed melius (ut*
Onche. *habet ueritas* Hebrai.) *donec ueniat* שלוה Siloh: Quod Targõ Onchelos apũ Hebræos *celebratissimũ* Chaldaicè *habet* משיחא Messiah: *Cuius uerba sunt:*
לא יעדי עבד שלטון מדבית יהודה וספרא מבני בנוהי עד עלמא עד דייתי
Q*uod interpretando* משיחא דדיליה היא מלכותא וליה ישתם עון עממיא
ad uerbum dicit: Non *præteribit sultan de domo* Iehuda, *& scriba, aut doctor de filiis filiorum eius usque in sæculum, quousque ueniat* Messiah: *& ipsius erit*
Dau. Ki. *regnũ, & ipsi obedient populi, siue gentes.* Cui *adstipulatur* Dauid Kimhi *multa adducens, quibus probat per* Siloh *debere intelligi* Messiah. Nec *audiendi sunt recentiores* Hebræi, *qui uariè, & semper erroneè interpretantur uerba il-*
Nabuch. *la, ut suam defendant pertinaciam:* Dicunt *enim aliqui, quòd iste* Siloh *fuit* Nabuchdonozor *rex* Babylonis *missus à* Deo *ad puniēda peccata iudaicæ gentis: qui imposuit finem regno* Iehudæ *abducto* Sedechia *rege in* Babylonem *captiuo, & deuastata ciuitate, & templo: adeo, ut nunquam fuerit postea rex in* Ierusalem, *nec in domo* Iehuda: Et *dicunt, quòd iste* Nabuchdonozor *fuit expectatio gentium: quia sub ipso ampliatum est dominium, & imperium gētium:* Sed *isti uerè potius sunt ridendi, & exibilandi, quàm audiendi: quia* Siloh *non significat missum: neque fuit* Nabuchdonozor *expectatio gentium, nec ipsi congregatæ sunt gentes aliæ, quàm* Chaldæorum, Persarum, *atque* Medorum, *quæ uel modica pars sunt respectu aliarum nationum.* Nec *defecit penitus sceptrum* Iudaicum *sub* Nabuchdonozor: *quia reducto populo de captiuitate multi fuerunt duces in tribu illa.* Alij *dicunt, quòd habuit locum in* Saul, *qui fuit de tribu* Beniamim *unctus rex in* Siloh: *quia tunc gloria regni, & sceptri* Iehuda *transiuit ad tribu* Beniamin: Quod *non minus ridiculum est, quàm primum: cum non ablatũ fuerit sceptrum regni ex* Iehuda, *non enim adhuc fuerat executioni demandatum decretum* Dei, *quòd illa tribus haberet regem, sicut regalis semper fuerat ex diuina sanctione,* Ideo *(ut dicunt sapientiores* Hebræi) *magis credidit* Iahacob *promisso facto à* Iehuda *pro* Beniamim *reducendo, quam aliis decem filiis*
Genesis *fideiubentibus pro eo, ut in libro* Geneseos *legimus.* Hoc *igitur sceptrum regium tribui* Iehuda *a principio tributum a deo fuit, per modicum tempus tribui* Beniamim *concessum, & statim restitutum tribui* Iehuda *in* Dauide, *uiuente adhuc* Saule: Et *durauit regnum in illa familia per quatuordecim generationes, usque ad captiuitatem* Babylonicam: *post quam fuerunt adhuc duces de tribu* Iehuda, *ut* Zorobabel, *& sequentes.* Nec Saul *unctus fuit in* Siloh, *sed in* Cariathiarim *(ut aliqui dicunt) uel in terra* Suph, *sicuti habetur in primo uolumine regum.* Inueni *quoque nostra hac tempestate proteruè asserētes oraculum habuisse locum*

in Ieroboam: quia tunc ablatæ fuere à sceptro Iudaico decem tribus, & datæ ipsi Ieroboam, qui fuit de tribu Ephraim, sicut ei prædixerat Abias Silonites: Dicunt igitur: Donec ueniat Siloh, id est Abias de Siloh: Quod nequaquam stare potest: quia non fuit tunc ablatum regnum à tribu Iehuda, sed tantummodo diminutũ, remanente regno in Roboam, & eius descendentibus adhuc per duodecim generationes: & postea fuere duces quamplurimi: in quibus adhuc perseuerauit sceptrum: Nam שבט sebet, quod nos sceptrum interpretatum habemus, potest esse tam Ducum, quàm Regum, ut habetur in libro Iudicum, ubi dicitur: De Machir principes descenderunt, & de Zabulon, qui exercitum ducerẽt ad bellandum: uel ut habet ueritas Hebraica: Et de Zabulon trahens, uel ducẽs in uirga scribæ: ubi in Hebræo habetur שבט quod nec Latinè, nec Hebraicè stare potest pro sceptro regali, cum in tribu Zabulon nunquam fuerit regnũ, sed bene ducatus & sceptrum ducis. Fuerunt quippe in tribu Iehuda etiam post captiuitatem Babylonicam duces, & magni statutores, aut interpretes, uel doctores legis usque ad Herodem Ascalonitam, in cuius regni anno tricesimo primo natus est Christus noster: Neque ante eum post sceptrum datum populo, & tribui illi Iehuda, regnauit aliquis alienigena super eos, nec in regione illi consignata. Tunc igitur ablatum fuit ab ea tribu sceptrum, quod in captiuitate Babylonica siluerat: Nec infaustè, sed fœlicissimè à Messiah ablatum fuit: quia mutatum in melius, de temporali uidelicet & terreno in perpetuum atque cœleste: Et hoc per ipsum Messiam, qui fuit de eadem tribu, & uerus Rex regum, & Dominus dominantium, quamuis regnum suum non apparuerit in hoc mundo: siquidem, ut cœlesti regno incumberet factus omnium uerum exemplar, ab hoc temporali uacauit: quamuis in eo haberet plenum dominium, sicuti ipsemet attestatus est dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra: Qua potestate etiam in humanis agens utebatur pro libito imperans mari & uentis, multiplicans panes & pisces, expellens infirmitates & uexationes uarias, sed potissimè expolians mundi huius principem, & eiiciens eum foras. Sed multo fœlicius nunc in eo dominatur, quãuis sedem suam in cœlis fixerit: nam datum est illi nomen, cui flectitur omne genu, cœlestium, terrestriũ, & infernorum. Hic est ergo Messiah, Christus, & unctus super omnes in uerum regem, sacerdotem, & prophetã, cui congregatæ sunt omnes gentes, ut habetur in textu ולו יקהת עמים uelo ichehat hammim: quod sic ad uerbum interpretatur: Et ipsi congregabitur gens, aut populus: Pro quo traductio nostra habet: Et ipse erit expectatio gentium. Neque enim alicui de Israëlitica familia regnanti congregatæ sunt gentes, ut parerent ditioni ipsius, nisi Christo: cui totus mũdus adhæsit, & ex omni natione, quæ sub cœlo est: attrahit enim uirtute sua omnes, etiam inimicos ad se, sicut antea dixerat oraculum: Manus tua in ceruicibus inimicorum, & adorabũt te filij Patris tui, Patris utiq; cœlestis, q omnibus dominatur, & omniũ dicitur Pater. Extẽdit itaq; dominiũ, & regnũ etiã ad exteros quousq; sicuti diuus

Iudicum

CHRISTVS.

Citharœdus cauit: Iebuda Rex meus, id est Adonai; uel tetragrammus humanatus est rex meus: Nam יהודה Iebuda Hebraicè scriptum est ex quatuor literis magni nominis quadriliteri interposita ד dalet, quod quatuor importat, id est quadraturam corporeæ molis. Sequitur propheta: Moab olla spei meæ, id est expurgandus in camino, uel igne, & in olla probationis, ut sit exemplar omnibus conuersuris. In Idumæam extendam calciamentum meum, id est humanitatem, qua calciatus, & uestitus est populus Idumæus, atque totum humanũ genus expoliatum, & nudatum in protoplasti peccato, & etiam in iis, quæ unusquisque committit. Et quia gentes etiam extrariæ sunt ab ipso redemptæ, ideo seqtur: Mihi alienigenæ subditi sunt. Vndè uirga regia in tribu Iebuda coartata, adeò in Christo dilatata est, ut non tantũ in familia illa, & domo Israëlitica, sed in omnia extensa sit, cum Christo omnia sint subiecta. Tunc impletum est illud, quod sequitur: Ligabit ad uitem pullum suum, & ad ramos, uel surculos uitis fili mi asinam suam: Per pullum autem (ut rectè sentit Hieronymus) populus gentilis intelligitur nouellus in fide, & filius misericordiæ, & gratiæ, qui ligatus est ad uitem illam, quæ ait: Ego sum uitis. Asina uerò est mater ecclesia, cuius & populus gentilis, & Israëliticus est filius, sed ille nouellus, & pullus, hic autem iam longæuus, forsitan indicati per duos filios, quorum unus acceptã portionem à patre distraxit, & consumpsit in regione longinqua alienigena quadãmodo effectus patri. Horum igitur matrem ecclesiam non sine mysterio per asinam significatam ligauit ad surculos, uel ad palmites uitis, quibus ipsa subinferendo dixit: Et uos palmites in me contenti: Apostolis enim & successoribus ecclesiam cõmendauit, & subiecit, adeò, ut eorũ institutis & iudiciis ligata sit. Et quia Christo uiro purissimo, & sancto non debebat copulari sponsa idololatra, & aliis fœditatibus polluta, ideo sequitur: Lauabit in uino uestimentum suum, & in sanguine uuæ cooperimentum suum: Quod uestimentum, aut est illud confectum ex pelle Agni, & eius sanguine tinctum, & mundatum, quo cooperuit nuditatem totius generis humani: aut est populus gentilis, & omnis qui beneficium redemptionis cognoscens Christo adhæsit cooperiens ignominiã Christo in passione illatam, ne uideretur frustra tot ludibria sustulisse: Quod uestimentum lotum est in sanguine uuæ, quem propinans dixit: Hic calix sanguinis mei noui, & æterni testamenti: qui pro uobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Quod totum deprompsit oraculum, ut indicaret, undè Christus legitimũ acceperit imperium super totum genus humanum, Angelicam naturam, & cætera omnia, per passionem, & mortem uidelicet, qua omnia redemit, & subiecit. Hinc Paulus arcanorum reserator ait: Factus est obediens usque ad mortẽ, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen super omne nomen, cui curuantur, & flectuntur omnia cœlestia, terrestria, & inferna.

Hieron.

CHRISTVS.

Idem.

Idem comprobatur aliis uaticiniis. Cap. II.



QVid alij Vates prædixerint de hoc dominio, & regno dato nostro Iesu, aliqua de multis percurremus: Dauid enim sub eius pso- Dauid
na loquens in psal. secundo ait: Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te; ubi in Hebræo habetur: היום ילדתיך baiom ielidtica: per quod uocabulum baiom intelligitur æternitas sine aliquo determinato tempore, ut bene interpretatur author libri, qui dicitur, Eloquia Au.&c.
pulchritudinis. Adhuc igitur ab æternitate genitum, & natum temporaliter secũdum carnem dicit: Postula à me, & dabo tibi gentes in hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ: Postula, opere uidelicet exequendo, quod statui, ut habeas legitimum dominium in omnibus finibus terræ: Quod habuit, & habet, quamuis discissio Mahumetica diuina dispensatione, non sine ordine & mysterio permissa sit: de qua grandis esset sermo, sed tantummodo adducam, quod Paulus Dei arcanorum conscius uaticinando Thessalonicensi- Paulus
bus scribit: Ne uos terreat, aut uos seducat quispiam per sermonem, aut per epistolam, quasi instet dies Domini, quoniam non ueniet, in sedem uidelicet maiestatis suæ ostendens autoritatem sui imperij, nisi uenerit dissensio primum: quæ uerè & magna facta fuit per Mahumet: & reuelatus etiam fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersabitur, & extolletur super omne, quod dicitur Deus: unde antichristus, & antideus, id est contra Christum & Deum dicetur: Sed hunc interficiet Dominus Iesus spiritu oris sui, & redintegrabit ea, quæ per Mahumeticam bestiam scissa sunt. Tunc autem reget omnia in uirga ferrea, id est insuperabili & prorsus inuicta potestate: & tanquã uas figuli confringet eos, bestiam uidelicet cũ secta sua, & filium iniquitatis cũ patre suo diabolo, qui habet imperiũ mortis: tunc autẽ inimica destruetur mors. In alio quoq; psalmo idem propheta ait: Ipse inuocabit me, Pater meus es tu, & fortitudo, Dauid
uel rupis, aut confugium salutis meæ, Et ego primogenitum ponam illum excelsum præ regibus terræ, ut meritò dicatur (sicut inquit Ioannes) Rex regum, Ioan.
& Dominus dominantium, & princeps regum terræ, & ea, quæ sequuntur, ut suprà declarauimus. Isaias quoque ait: Et factus est principatus super humeros eius: & uocabitur admirabilis consilij angelus, uel admirabilis consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, quod omnes iusti expectant, tanquam uerum regnum, in quo perfecta pace regnare debemus: Ideo subinfert, quòd uocabitur princeps pacis: Et paulo inferius: Multiplicabitur eius imperium, & pacis eius non erit finis: Super soliũ Dauid, & super regnum eius sedebit uidelicet, ut confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iustitia, amodo & usq; in sempiternũ. Ex quo ridẽdi sunt scioli Hebræorũ, aut obstinatione excæcati, qui dicũt uaticiniũ illud in Ezechia esse completũ, cum nec Ezechiæ, nec Dauidis regnũ, familiáue secundum carnem duret, imò regalis illa prosapia olim penitus extincta Ioseph.
fuit, ut Iosephus, & Eusebius narrant, remanente sola paupercula Christi fa- Eusebi.

milia, quæ iam à regia pōpa exclusa erat, quia ad aliud regnū aspirabat, in quo uerificaretur oraculum. Christus igitur regnum Dauiticum in melius commutās iam firma, & perpetua pace fruitur. Et ut omnis tollatur ambiguitas, quòd uaticinium non loquatur nisi de Meßiah, & de Deo homine, subinfert: Et uocabitur אל אל גבור Èl gibor, id est Deus fortis: Quod dici nō potest nisi de Deo, & de Meßiah Deo & homine. Nec cauillentur Hebræi dicentes, quòd El aliquando significat fortem, quia esset nimis incongruus sermo, si diceretur: Fortis Fortis, cum Gibor nihil aliud significet, quàm fortem, & robustum. Ieremias quoq; aperto sermone hoc negotium prædicat dicēs: Ecce dies ueniunt, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, pro quo Targon Chaldaicū Ionatha ben aboziel ואקים לדוד משיחא דצדקא uaacbim ledauid meßiah dezidcha. Quod ad uerbū interpretatum dicit: Et suscitabo Dauidi Meßiah iustū, id est suscitabo in familia, aut domo Dauid Meßiam iustum. Et regnabit rex, & sapiens erit, & faciet iudicium, & iustitiam in terra. Nec delirent Hebræi dicentes hoc dictum fuisse de Iosia, aut Ezechia: quia in neutro illorū saluari potest, quod sequitur: In diebus illis saluabitur Iehuda, & Israël habitabit cōfidenter: Et hoc est nomē, quod uocabunt eū יהוה צדקנו Adonai zidchenu, id est tetragrāmus iustus noster, uel (ut Symmachus interpretatur) Adonai iustifica nos. Neq; enim tempore illorum regū saluatus est Iehuda, nec Israël habitauit cum fiducia, neque secundum regnum temporale, neq; secundum spiritualem cultum, aut æternum regnum, sicut fuit, & est in Meßiah, quo regnante stabilita est ecclesia, & cultus Christianus, qui nūquam cessabit quousq; duraturū est sæculū: Quo etiam operante dispositum est regnū, & in dies distributum, quod paratū erat à cōstitutione mūdi, sed nulli cōcessum, cū omnes rebelles, & filij iræ nascerentur: Sed reconcilians nos Christus reddidit illius regni capaces possessores. Et quod postremo subinfertur de nomine, quo uocabitur, minus illis regibus, aut alicui puro homini competere potest: quia nullus homo uocari debet nomine illo magno quadrilitero, ut dicit Moses Ægyptius in libro de directione: Vndè sapientiores Hebræi sponte fatentur oraculū loquutū fuisse de Meßiah, ut habetur in glossa quadā magistrali super Genesim, & alibi à pluribus. Dauid iterum Spiritu sancto arreptus decantat. Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Et de quo loquatur propheta, ipsemet Christus exponit, dum pharisæos interrogat, de quo loquitur propheta, de seipso ne an de alio? Non quidem uocaret seipsum Dominum suum. Cum igitur de alio loquatur, quē uocauit Dominū suum rex existēs super omnem populum electum? Non quippe aliquem de subditis suis, nec exterum quempiam, aut gentilem: Idcirco de Meßiah tantummodo loquitur, quem in spiritu uiderat Dominum suum, & rerum omnium, ut explicat Paulus cum Ephesijs apertißimo sermone dicens: Deus Pater suscitauit Christum à mortuis constituens ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum,

Ierem. Tar. ch. Ionatha. Symmā. Mos. Ae. Dauid Paulus

potestatem, uirtutem, & dominationem, & omne nomẽ quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro: & omnia subiecit sub pedibus eius: & ipsum dedit caput super omnem ecclesiam, quæ est corpus ipsius: Et iterum cum Hebræis: Ad quem aliquando angelorum dixit, Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Omnes enim sunt administratorij spiritus, non ergo domini: ideo nec ponendi sunt inimici sub scabellum pedum eorum: neque sedent à dextris Dei. Restat igitur, ut propheta loquatur de eo, qui imperat in cœlis, & dominatur super omnes reges terræ. Paulus.

Cur Christus non dicatur regnare in domo Abrahæ, cum ipsi fuerit de eo primo facta repromißio. Cap. III.



Abraham citra omnem dubitationẽ dictus fuit pater electæ familiæ, pater fidei, præses existens, ut in Euangelio edocemur, sinui, in quem confluebant omnes electi: nihilominus non dixit cœleste oraculum, cum Redemptoris annuntiaret conceptum, regnabit in domo Abrahæ, sed regnabit in domo Iabacob: Quod fuisse opinor, quia Abrahæ dictum est: Eiice ancillam, & filium eius: Gerit in hoc Abraham magni, & uniuersalis patris imaginem, qui habet filios bonos, & malos, iustos, & iniustos, super quos pluit, & solem suum oriri facit: Ideo non sine mysterio ex Abrã uocatus fuit Abraham, id est Pater multarum, & mixtarum gentium: Qui etiã in fœtura, & prole ipsius patris tenet imaginem: Habuit enim Izahac ex legitimo coniugio, & Ismaëlem ex spurio. Sed, heu me, quo ingredior? Quod erit paternæ, & diuinæ mentis legitimum, & spurium coniugium, ut ibidem Abraham poßit ipsius tenere simulachrum? Fuit quippe legitimum coniugium Patri, quando ab æterno essentiam suam tanquam propriam uxorem, uel (ut aiunt) obiectum proprium oculus ille diuinus intuitus est, & facti sunt intellectus uidens, & essentia uisa duo non in carne una, sed in mente una fœcundissima: quæ & Pater dicitur filium suum prædilectum generans, meritò Izahac, id est risum, & oblectamentum, patris uidelicet denominatum. Hic est (inquit uox illa paterna) Filius meus dilectus, in quo mihi bene cõplacui: Et hic est legitimus filius, qui naturaliter genitus omni dignitate, omníque priuilegio donatus constitutus est hæres uniuersorum, per quem fecit & sæcula. Sed quis fuerit Ismaël de spurio coniugio natus, impium est primo aspectu uel hæc considerare, quòd Pater æternus habuerit filium ex alio, quàm legitimo coniugio: Nec tamen prudentes aures offendit sermo, quamuis piæ audire pertimescant. Dicatur quæso, quomodo angelicæ mentes, cæteráque omnia extra Deum producta sint a cõmuni omnium parente: Non quippe ex legitima, & naturali unione illius paternæ mentis cum diuina essentia, quia ex illa tantummodo unigenitus ipsius prodiit, uerum ex alia proculdubio, id est complacenti intuitione ideas omnium rerum in mente produxit, ad quorum exemplarium metas omnia exteriora confinxit: Quæ idearũ cognitio, & rerũ productio spuria qua-

dam denominatione effecta dici potest respectu naturalis intuitionis, ex qua legitimus natus est filius. Prima itaque productione spuria natus est ille, de quo inquit Dominus in Iob: Ipse est initium uiarum Dei. Et hic est princeps rebellantium, ut omnes sapientes conueniunt, & ille, qui opprimere uolebat legitimum filium, Qui si ad Christum comparatur, non est initium uiarũ Dei: quia Christus nõ fuit productus quo ad diuinitatem in uiis creaturarum: Nec est (inquit Paulus) huius creationis, sed ab initio, & ante sæcula genitus est filius per modum naturæ, ut dicunt Theologi nostri. Alia autem omnia non ex naturali, sed uoluntario, & complacenti cõiugio. Vidit tamen hic primogenitus ex spuria productione, filium legitimum cum humanitate assumpta futurum hæredem omnium, quem Pater æternus proposuit ab omnibus angelis adorãdum, iuxta illud Pauli: Et cum introduceret eum primogenitum in orbem terræ, dixit: Et adorent eũ omnes angeli eius. Idcirco liuore tactus, & elatus superbia ille nequam cæpit eũ persequi, undè ex dignissima creatura draco teterrimus effectus est. Et stetit (inquit Ioannes) draco, qui est diabolus, ut deuoraret filium mulieris amictæ sole, & stellis duodenis coronatæ: Sed sublatus est filius, & dictum est in cælo: Eiice ancillam, & filium eius, id est delectationem habitam in producendo illam nobilissimam creaturam simul cum ipso filio producto: Et proiectus est draco ille magnus, qui est diabolus. Percutientur nonnulli incredibili forsitan admiratione interrogantes: Quomodo ex delectatione exteriori & Deo natus est ille, qui effectus est diabolus, quo etiam pacto ipse & delectatio, quæ erat circa eum producẽdum, & conseruandum eiecta est, cum in Deo nec externa delectatio sit, nec proiiciatur aliquid, tanquam reprobũ à summo bono? Quibus satis sufficienter respõdere possumus declarantes, ꝙ & si Deus optimus est fœlix sine aliquo bono exteriori, nullóq; bonorũ nostrorũ indigens, imò illa omnia nobis tribuens, Salomon tamen eius personã gerens canit in prouerbiis: Et deliciæ meæ esse cum filiis hominum. Et si delectatur in humanis mentibus, cõueniens est, etiam ut in superioribus, aut angelicis delectetur. Deliciatur etiam in singulis creaturis, quas produxit, ut paulò antè dixerat: Et delectabar ꝑ singulos dies, idest in unaquaq; forma apparente in creaturis meis, quæcunq; illa fuerit: Hoc enim propriũ est cuiuscunq; artificis, delectari, scilicet in operibus manuũ suarũ, in quibus imaginẽ, aut simulachrũ sui sentit, & intuetur; quod natura ipsa miram affert delectationẽ artifici. Nec alia est apud me elegãtior ratio, cur Deus tantum diligat creaturas, nisi quia aliquid de suo sentit in opere, & imaginem suam, aut uestigium conspicit. Nec est delectatio ab opere exteriori proueniens, sed ab ipso opifice fluit simul cum idea, & forma rerũ, quæ omnes ductæ sunt à superno exemplari: Quæ delectatio, cum transit in creaturas, meritò ancillæ nomen sortitur. Hanc igitur fugat à domo sua regali cum filio, quando quis immundus, aut rebellis effectus reperitur indignus tanto symposio, & regno. Expulsus est igitur primo ab illo regno ille nequã, & rebellis cum suis satelliti-

Paulus
Theolo.
Paulus
Ioan.
Salomon

bus:quia uolebat effici hæres,& opprimere legitimum filiũ: Qui spurius,id est natus ex complacenti delectatione tandiu stetit in regno paterno, quandiu legitimum filium reueritus est: Sed statim cum insurrexit in eũ,eiectus est simul cũ ipsi adhærentibus:Et tunc ablata est ab eo imago Patris,& delectatio inde cõsequens:Nam ex angelo pulcherrimo horridus coluber, & ex amico domestico inimicus atrocißimus effectus est. In hoc igitur regno non adhuc pacato uoluit Pater æternus,ut regnaret filius,qui Rex pacificus dicitur,cum oportuerit, ut primo ponerentur eius inimici scabellum pedum suorum,ut ait cœleste oraculum:Non igitur dictum fuit,Regnabit in domo Abrahæ.

Cur nec in domo Izahac regnat,cui secundo facta est repromißio. Cap.IIII.

SEcundus pater electæ familiæ fuit Izahac, in cuius etiam domo non dicitur regnare Christus: quia in eadem fuit,quẽ oderat Dominus, ut in Malachia inquit:Iahacob dilexi, Esau autẽ odio habui: Hic datus est in seruitutem fratris minoris,& ab eo supplantatus, & spoliatus primogenitura, & tandiu seruus effectus, quandiu fratrẽ indebitè persequebatur: Quæ sicut & cætera,magno mysterio descripta sunt in figuram rerum meliorum: Hic etenim & opificis gerit imaginem,qui bifarium genuit hominem,prius animalem,quem odit,deinde spiritualem, quem diligit,dicente Paulo:Prius quod animale,deinde quod spirituale. Quod & Moses innuit, dũ ait: Formauit Deus hominẽ puluerem,aut fauillam de terra: & hoc quo ad hominẽ animalẽ: & postea inspirauit, uel insufflauit in nares eius spiraculum uitarum, quod in Hebræo sonat portionem illam meliorẽ, undè dicitur homo spiritualis. Et quãuis alter alterũ præcedat, gemelli tamẽ sunt Esau & Iahacob. Et iubet progenitor,ut maior seruiat minori,dum ait homini meliori: Subter te erit appetitus tuus. Et tãdiu maiorem odit, quandiu fratri,cui subiici debet, rebellis est. Nec eum in amicitiam admittit, nec in ipso regnat Christus,nisi minori natu,sese submittat,ut cum Pilato disserẽs ait:Regnum meum non est de hoc mundo,in quo præualet animalis homo,& Esau,qui & Edõ,id est rubeus,& sanguineus dicitur:imò apertè fatetur inimicitias,quæ sunt inter eos,dũ ait: Si mundus uos odit,scitote,quia me priorem uobis odio habuit. A quo edocti duo secretiores discipuli Iacobus & Ioannes id asserunt concordes: Qui uoluerit esse amicus huius mundi, inimicus Dei cõstituetur:Et ut clarè intelligatur, de quo fiat sermo, Paulus postquã multa de homine animali, & spirituali disseruit,subinfert:Caro & sanguis regnũ Dei poßidere non possunt,nisi uidelicet mutẽtur in melius, & in naturam spiritus.ut prosequitur dicẽs: Oportet corruptibile hoc induere incorruptionẽ,& mortale hoc induere immortalitatem. Nec uacat à mysterio, ꝙ minor maiorem supplantat, & subiicit,dicente Paulo:Castigo corpus meum, & in seruitutẽ redigo. Primogenita igitur aufert, dignitatem uidelicet præeminentiæ,& cultũ Dei,qui ad spiritualẽ,non ad animalem hominẽ pertinet. Bene-

Malach. Paulus DEVS CHRISTVS. Idem. Iacobus. Ioannes. Paulus Idem.

dictionem quoque non sine mysterio præripit: quia benedicitur uera benedictione, qui Deo uacans, proximum debita charitate complectitur, ut habemus à nostro uero progenitore dicente ad huiusmodi pios quidem & benignos. Venite
CHRISTVS. benedicti Patris mei, poßidete paratum uobis regnum. Quam benedictionem præripit suasu matris Rebeccæ, id est ecclesiæ, quæ docet sanctificare hominē,
Izahac. ut capax sit benedictionis illius magnæ, quam mysticè innuit Pater Izahac, dū ait: Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, uini, & olei: & seruiant tibi populi, & adorent te tribus: Esto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ: Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus: & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur. Prima itaque portio istius benedictionis est de rore cœli, de rore utiq; illo supramundano designato p Hermon, qui anathema mœroris dicitur. Ros est distillatio à cœlo denotans irrorationem gratiæ diuinæ, aut Spiritus sancti, uel quodcunque bonum fluit à patria illa supercœlesti, ubi anathematizatus est omnis mœror, & dolor: Et hæc est prima benedictionis portio, quæ datur uero Israëlitæ. Adiungit etiam de pinguedine terræ, non quidem omnem pinguedinem, sed frumenti, uini, & olei. Frumentum uerum est illud, de quo confectus est panis uiuus, qui de cœ-
CHRISTVS. lo descendit. Vinum est expressum ab illa uite, quæ ait: Ego sum uitis uera. Oleum est, de quo diuus Citharœdus canit: Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ. Et iterum: Oleo sancto meo unxi eum. Quæ omnia, cum alibi explicauerimus, declarata prætermittemus. Seruiāt tibi populi, & ardorent te tribus: quia
Paul. uerè benedicto à Deo omnia seruiunt, cum omnia sint iustorum. Hinc Aposto-
Lib. Sap. lus ad rectè incedentes ait: Omnia uestra sunt, uos autem Christi. Et Salomon, siue quisquis fuerit author libri sapientiæ, postquam de iustis multa bona protulit, hoc quoque subinfert: Iudicabunt nationes, & dominabuntur populis. Nec perturbetur quispiam, φ boni in hac uita multoties affligantur, subiiciantur'que, nec dominētur: quia nec Iahacob statim post benedictionem dominium obtinuit, & fœlicitatem: sed prius profugus fuit in Mesopotamia Syriæ, uxores duxit, filios genuit, discordiam filiorum sensit, peregrinatus est cum tota familia in Ægypto, sub seruitute fuit eius posteritas, laborauit in luto, & latere, mare transiuit, desertum peragrauit, transuadauit flumina, debellauit gentes, & tandem regnum possedit: Quod etiam ipse sapiens tetigit dicens: In paucis uexati, in multis bene disponentur, quoniam Deus tentauit eos, & inuenit eos dignos se. Verū non sine admiratione legi potest, quod sequitur. Esto dominus fratrum tuorū. cum tantum unum habuerit fratrem, Et cum iterum populos, & tribus ipsi subiecerit, cur postea in particulari fratres submittat. Altius (ut opinor) conscendit oraculum, quàm demonstret contextus facies: Sed hæc mirabilia in lege Domini recondita denudabimus, dummodo ipse Dominus oculos nostros illustrare di-
Ioan. gnetur: Dicit Ioannes, quòd cum uellet adorare Angelum, qui loquebatur secum, ipsemet prohibuit dicens: Vide ne feceris, conseruus tuus sum, & fratrum tuorū

habentium testimonium Iesu. Nunc seruum se cognoscit eorum, qui habent testimonium Iesu, qui se prius adorari permittebat: Vndè quæso hoc? Profectò quia regnat in domo Iabacob, & nos cohæredes suos fecit ille, de quo dicitur: Et adorent eum omnes angeli eius. Vndè post Christum non amplius funditur sanguis animalium ad placandas potestates, & uirtutes cœlestes: imò omnes facti sunt administratorij spiritus (ut sequitur Paulus) in ministeriũ missi: Qui & nostri fratres sunt ex eodem Parente Deo progeniti, & seruiunt nobis: Pro qua benedictione præaccepta uehementer contristatur prior natu animalis homo, rugitque clamore magno, quia nollet subiici spiritui, quousque ueluti nouellus equus sub domitore mansuescat: Conqueritur, & rogat Patrem, ut saltem unam partem benedictionis seruatã donec, ut possit & ipse præualere in aliquo: Vel resipiscens cupit cum fratre benedici, ut cum ipso corregnare possit: Dominium fratris non recusat, nec reuocari petit, quod ipsi (Deo iubente) tributum est, sed cupit & ipse combenedici. Super quo Pater, qui uult utrunque saluare, misericordia motus ait: In rore cœli, & in pinguedine terræ erit benedictio tua: Nam si animalis homo, etiã inuitus, spiritui subiicitur cupiens cum eo benedici, fit particeps benedictionis iam minori filio concessæ, quæ est in rore cœli, & in pinguedine terræ: ut sicut quadrifarius fons est pro irrigando potissimè homine spirituali, ita ros, qui per numeros est eius cognomen, uel uagina, est ad irrigandum hominem inferiorem, ut dicunt secretiores Theologi: Pinguedo autem terræ in frumento, uino, & oleo est pro utroque: quia panis cœlestis, & uinum Deificũ assumitur ab utroque homine: sic & uterque ungitur chrismate, & oleo sancto, sicut & uterque perfunditur rore cœlesti, quamuis (ut diximus) in cõparatione aliorum influxuũ addictus dicatur homini inferiori. Benedicitur itaque etiã hic homo, dummodo cõtentus sit redigi in seruitutem spiritualis, quamuis sentiat repugnantiam magnam, ut lugeat clamore uehementi: Et tunc fit una familia, in qua Christus regnat. Nec tamen dicitur regnare in domo Izahac, ubi Esau, qui & Edom, quem interpretãtur rubeum, & sanguineum, præesse uult: quia nõ regnat, ubi præualet caro, & sanguis, quæ regnum Dei participare non possunt, nisi conuertantur in naturam spiritus, & redigantur in seruitutem eius. Si autem rebellis persistit Esau, efficitur de familia Ismaëlis, & filius illius, qui de regno illo eiectus est, ut quibusdam dixit, qui regnaturus erat: Vos ex Patre diabolo estis: Et iterum: Vnus ex uobis diabolus est. Ideo nec in ista familia, in qua adhuc sunt inimici, & rebelles, regnare debet rex pacificus, quousque ponãtur omnes tanquam scabellum pedum eius.

Paulus. Idem. CHRISTVS.

Cur angelico oraculo dictum sit, regnabit Iesus in domo Iabacob in æternum. Cap. V.



EX diuino decreto ab angelo proclamato habemus, quòd Christus regnare debet in domo Iabacob, qui ipsius typum expressissimum gessit: Fuerunt enim ambo patres duodenæ familiæ, ille quidem fi-

guratiuæ, iste autem ueræ: Et fuerunt ambo principes diuinæ, & electæ familiæ: Iabacob enim dum pugnauit cum angelo, princeps, uel hæres Dei appellatus est: sic enim Israël interpretatur: Et Christus, dum pugnauit cõtra mundi tyrannum, princeps regum terræ (authore Ioãne) meritò dictus est: Vterq; etiam familiæ suæ nomẽ dedit: Sicut enim ab Israël ipsius posteri Israëlitici dicti sunt, sic à Christo christiani: Non autem ab Abraham Abrahamitici, nec ab Izahac Izahaditici progeniti ab eis fuere dominati. In multis quoque aliis conueniunt, ut prosequendo explicabimus: Verum aliqua obscœna, & absurda præoccurrere uidentur de isto Iabacob, quæ mentem supramodum primo intuitu perturbant, & à Christi figuratione uidentur penitus aliena: quod uidelicet fratrem supplantauerit, & eius abstulerit primogenita: quòd duas sorores habuerit in uxores, nec earum coniugio contentus uel ad explendam libidinem, uel prolis amore etiam cum earum ancillis se commiscuerit: Quis quæso huiusmodi uirum Christi sacramenta præuenisse, & eundem ipsum effigiasse credat, nisi alius exquiratur sensus, quàm præbeat occidens litera? Quicquid enim circa hũc uirum gestum est, ad sacramenta altissima pertinet: Supplantauit maiorem natu, & eripuit benedictionem ab eo, qui carnem & sanguinem effigiat, sicut facere debet uerus homo spiritualis. In Mesopotamiã à patre destinatur, id est ad eleuatam uocationem, de qua dictum est: Nos ad cœlestia regna uocauit: Huic præceptum datũ est: Accipe tibi inde uxorẽ, uitã uidelicet, aut operationẽ geminã, cui addiceretur: quæ sit de filiabus Laban, albedinis uidelicet superioris, cuius ille typum gerebat, uel claræ lucis, qua indiget qui niger est, & tenebris circumuoluitur: Quod iter dum aggredi incipit homo, à patre multis benedictionibus præuenitur: Quorsum etiam tendens sopitur aliquando illo somno, de quo dicitur: In pace in idipsum dormiam, & requiescam. Et tunc uidet scalam uirtutum, aut graduum, per quos in Deum ascendimus: de quibus iterum propheta: Ascensiones in corde suo disposuit in ualle lachrymarum in loco, quem posuit. De quo loco dicitur, quòd erat pes eius in terra, id est in corde nostro ex terra fabricato: quod esse debet uallis quædam lachrymarum, cum nobis, dum terram habitamus lugendum sit, iuxta summi Imperatoris edictum, ut in patria consolemur. Cacumen autem scalæ cœlum tangere debet, quia illuc & mens, & oculus, & totus progressus figi debet: Per hanc uidentur angeli ascendentes, atque portantes ad Deũ orationes, & opera nostra, & descendentes ad nos portantes gratias, & illuminationes cœlestes. Pleraque alia arcana enarrantur, quæ duci nostro Christo, & familiæ suæ ad Deum pergenti occurrunt iucundissima: quibus pro tempore prætermissis, enodabimus, quæ sint hæ quatuor mulieres, quarum consortium habuit Iabacob, quamuis pro una tantummodo seruierit, Hîc igitur aduertẽdum est, quòd harum mulierum duæ sunt uxores, reliquæ uerò ancillæ, & concubinæ. Illæ autem duæ sorores, quas ducit in uxores spiritualis homo figuratus per Iabacob, in cuius domo Christus regnat, sunt duæ ui-

Ioan. | Paulus | Dauid | CHRISTVS.

tæ, actiua scilicet & contemplatiua: quibus applicat & coniungit duas portiones, superiorem, & inferiorem: Neque enim est homo de familia Christi, nisi se exerceat in uita actiua cum Martha, uel contẽplatiua cum Maria, aut in utraque cum Apostolis. Actiua itaque figurata est in Lia, quæ laboriosa dicitur, & lippos habet oculos, & impeditos à clara uisione indicans, quòd mens occupata in operibus exterioribus turbatur erga plurima, ut non possit perfectè uacare, & oculo interiori intendere diuinis: Contemplatiua uerò in Rachel, quæ uidẽs principium interpretatur, & pulcherrima est: quia oculus mentis, & portio illa suprema uacans contemplationi speculatur Deum omnium rerum principiũ: qui cum pulcherrimus sit, necesse est, ut oculus illum conspiciens pulcher sit, dicente Plotino: Efficiatur pulcher, atque Deiformis, si modo sit diuinam pulchritudinẽ inspecturus. Sed ordo (quæso) huius negotij obseruetur: Pro Rachele suspirat, & seruit Iahacob, & tamen primo Liæ coniungitur, eo quòd spiritualis homo pro quiete, & uisione, quæ est in contemplatione suspirat: pro qua subiit iugum seruitutis Dei: nihilominus ut Liæ, & uitæ actiuæ coniungatur primo, necesse est, antequam deueniat ad perfectionem contemplatiuam: Ideo patres illi antiqui decreuerunt, ne quis admitteretur ad uitam solitariam, & contemplatiuam, nisi exercitati per decem & octo, uel uiginti annos in operibus charitatis, & seruitiis monasterij: Hic est enim mos patriæ, & familiæ Deo uacantis, ut per opera pœnitentiæ, & laboriosa expurgatus homo conscendat ad diuinorum dulcem contemplationem: pro qua seruit iteratis septenis annis, quibus duplex homo bene expiatus, & initiatus Deo uocare possit: Est enim septenarius numerus creticus, purgatiuus, atque remißiuus. Creticus quidem, quia in eo fiũt cõmuniter mutationes, & renouationes: Nã infantulus, utrũ uicturus sit, septima hora dignoscitur: & post dies septẽ reiicit reliquias umbilici: & post bis septem incipit ad lumen uisus eius moueri: & post septies septem liberè iam pupillas, & totam faciem uertit ad metus singulos circa uidenda: Post septem uerò menses dentes incipiunt maxillis emergere: & post bis septem sedet sine casus timore: Post ter septem sonus eius in uerba prorumpit: Post quater septem non solum stat firmiter, sed incedit: Post quinquies septem incipit lac nutricis abhorrescere: In septimo anno mutantur dentes in aptiores, & eodem anno plenè absoluitur perfectio loquendi: completáque secũda hebdomade pubescit, & incipit uis generationis moueri: In tertia ostendit flores, & lanugines: In quarta diffiniuntur incrementa staturæ: In quinta completur iuuenilis perfectio: In sexta seruantur uires antè collectæ: In septima ætatem perficit, ut consilio aptus sit. Cum uerò ad decades septenas deuenerit, ubi septenarius per numerum cõpletum conducitur, tunc metam communem uiuendi habet, dicẽte propheta: Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta annis. Et per hunc septenarium numerum authores medicinæ multas alterationes in febribus fieri decernũt. Hæc perstrinximus, ut intelligatur, quòd non sine causa describitur seruitus bis septena-

Plotinus

Dauid

Auth. m.

uia facta ab homine, qui uult incumbere Deo, & cōtemplationi: Ad quam si deuenire uult, oportet, quòd bis mutetur, & transformetur à claritate in claritatem, ut possit oculum mentis figere sine ipsius offensione in æterna illa spectacula. Indicatur & per eundem numerum expurgatio facienda, cum expurgatus sit: Ideo Eliseus huius sacramenti non ignarus iussit, ut Naamā lauaretur septies in Iordane. Et in lege sancitum est, ut leprorsus mūdatus aspergeretur septies in sanguine passeris. Et quia expiatio fit in septenario, remissio quoque eundem numerum prosequitur, ut longa serie docemur in Leuitico, quòd uidelicet in septimo anno remitterentur debita, & quiescerent agri, nulla exactione facta ab eis per cultum. In septimo autem quadrato fiebat plena remissio debitorum, seruorum, & omnium, quæ alienata fuerant. Hinc Petrus cum de remissione ageret, septenarium numerum proposuit dicens: Domine quoties peccauerit frater meus, dimittam ei usque septies? A quo numero Christus respondens noluit discedere, sed ait: Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies cōducens septenarium per denarium numerum completum: Et de prudentia laudatur uillicus iniquitatis, qui centum non sine mysterio reduxit ad quinquaginta: ut inde facilius remissionem consequeretur, sicut disserit Hieronymus ad Galasium, & apud eum Theophilus. Hunc tandem numerum seruauit Redemptor in Spiritus sancti missione, qui uenit post eundem quadratum, sicut in lege dabatur in ipso quinquagenario plena remissio. Meritò igitur Iabacob hoc numero laborans expurgatus remissionem consecutus, atque in melius bis mutatus deuenit ad suam Rachelem, quæ contemplationē præfigurat. Sed redeamus ad uxores binas, quarum quælibet habet suam ancillam. Legitimæ itaque uxores sunt uita actiua, & contemplatiua, quibus duæ potentiæ Iabacob condelectātur, intellectus uidelicet atque uoluntas: uel (ut academici docent) portio illa superior intellectus, quam aliqui synderesim uocant, & portio rationalis, & discursiua, quarum hæc uitæ actiuæ inseruit, illa uerò contemplatiuæ. Sed mirandum est sacramentum, quomodo utraque illarum suam præbeat ancillam. Habet utiq; portio illa superior, & contemplatiua ancillam, qua creata hæc, & inferiora contemplans delectetur: per quæ uisibilia ad creatorem inuisibilem conscendat: Et hæc est ratio discurrens annexa sensibus, per quos sensibilia percipit: coniungiturque ipsi noster Iabacob, quando per hæc inferiora conspecta uenatur opificis magnitudinem: Coniungitur uerò Racheli, quando ipsum rerum principium, & omnium bonorum fontem in lumine ab eo emanante oculo mētis intuetur, & contemplatur. Habet etiam portio inferior, siue uoluntas, aut operatiua uirtus ancillam suam, delectationem uidelicet in rebus peragendis: cui delectationi, aut condelectanti uirtuti si coniungitur Iabacob, & spiritualis homo dirigens omnia in Deum parit & ipsa bonos fructus dignos uita æterna: Coniungitur Liæ, quando immediatè agit propter Deum. Sed & nomina ancillarum, si cōueniant, obseruemus: Rachelis ancilla est Bala, quæ absorpta, uel inueterata dici-

Eliseus

Leuitic.

Petrus

CHRISTVS.

Hieron.

Theop.

Academ.

tur: Nam contemplans homo hæc, quæ miranda producta sunt, ab eorum magnitudine absorbetur in contemplationem creatoris; ad quem suspirando uidetur ei uita longa, & tædiosa, ut clamet cum propheta: Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est: Videturque ipsi plus nimio in huiusce inferioribus ueterescere; ut accommodatè hæc consyderatio inueterata dicatur. Altera ancilla est Zelpha, quæ os hians interpretatur; id est desyderium inexplebile; quod uidelicet in rebus istis pertractandis exoritur: Et hoc etiam bonum est, dummodo Iabacob, id est spirituali homini subiiciatur. In hac igitur domo, quæ tota Deo uacat, & ex qua cuncta colligitur ecclesia, regnat noster Christus in æternum. Et hæc, quantum ad sensum moralem pertinent, dicta sint.

De fructibus huius domus, in quâ Christus regnat. Cap. VI.

SEd qui sint fructus, quos Iabacob ex istis uxoribus, & ancillis susceperit, uideamus. Primo, non uacat à mysterio, quod plures habuerit de Lia, quam de Rachele, quia plures de uita actiua, quam de contemplatiua, & tempestiuiores expectamus, quamuis amabiliores de contemplatiua. Hinc, esto quòd à Saluatore commendetur Mariæ electio, quia optima, Marthæ tamen solicitudo non uituperatur, quamuis laboriosa, & turbationes multas persentiat. Optima est quoq; pars, quæ meritum actiuæ præsupponit, & altius conscendere satagit: Ideo primus filius Rachelis dicitur Ioseph, idest augmentum ad omnia, quæ in uita priori acquisita sunt. Hinc etiam declaratur, quare nouissimi fructus sint de Rachele: quia uidelicet omnes fructus actiuæ, per quos ad contemplatiuã disponimur, præsupponuntur. Hoc quoq; prætermittendum non est, quod in ancillis non adulteratur Iabacob, neque id ægrè ferunt uxores, imò sponte ancillas offerunt: quia etsi in rebus creatis speculandis & pertractandis condelectatur homo, dummodo omnia in Deum dirigat, non peccat, imo meretur: Neque ægrè fert utraque portio, quæ Deum quærit immediatè, sed spontè offerunt uiro etiam rerum creatarum delectationem, dummodo ipsæ suscipiant proles ex ancillis conceptas: ideò dixit Rachel: Habeo ancillam Bala, ingredere ad eam, ut pariat supra genua mea, & habeam ex ea filios: Quod æmulata soror itidem fecit. Deuenientes autem ad particulares filios exordiamur a partu, à quo incipit spiritualis homo: quia longè facilius per actiuam, quàm per contemplatiuam uitam fructus producitur. Ex ea igitur generatur primo Reuben, postea Simeon, Leui, & Iehuda. Reuben, qui interpretatur uidens per medium, intentionem sanctam significat: quæ omnia recto itinere in Deum dirigit, ne declinet ad dextram, neq; ad sinistram. Et primogenita debet esse hæc intentio, si filios, & fructus dignos uitæ æternæ producere desideramus: quod exerta uoce Saluator admonet dicens: Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit, non habens aliquam partem tenebrarum, sed ut lucerna fulgoris illuminabit te, per uerum uidelicet medium aspiciens in

Rachel (margin)

CHRISTVS. (margin)

obiectum, quo tendimus: Nam oculus hic (ut omnes conueniunt) intentionem significat: post quam intentionem in rebus faciendis, & praeceptis obseruandis sequitur obedientia erga praecipientē, ut omnia ad nutum eius peragantur: Hinc secundo generatur Simeon, qui audiens, & obediens interpretatur. Subsequitur Leui, qui applicatus, additus, uel appositus dicitur: quia rectam habens intentionem cū obediendi promptitudine, restat, ut applicet manus ad opus. Et quia in cunctis, quae facimus, Deum laudare debemus inuocato nomine eius, ideo post hos nascitur Iehuda, qui laus, uel confessio à nostris dicitur: Sed uidens contemplatiua uita, aut portio illa superior partum sororis festinum, atque foecundum sanctissimo zelo inuidit: Et cum non se tam perfectam sentiret, ut parere posset, quia non adhuc expiata in Deum nequit figere oculum, ancillam praebet, id est contemplationem creaturarum, per quam à creatura mundi deuenitur ad inuisibilia, & in Deum: Quae concipit, & parit Dan, id est iudicium existimatiuum magnitudinis rerum diuinarum ex his creatis, quae contemplatur: aut iudicium, quo subtilissimè sese dānat, & expiat, ut tendere possit in Deū immediatè: Post quem statim concipitur, & paritur Nephtalim, qui dilatatio cordis dicitur: quia ex magnitudine rerum creatarum contemplata ab expurgata mente dilatatur cor, ut currere posit in Deum: Hanc aemulata soror & & ipsa praebet ancillam, delectationem uidelicet in rebus pertractandis, quae tanquam calcar, & stimulus quidam mentem nostram ad merita cumulada solicitā reddit. Hinc postea bene producitur Gad, qui succinctus dicitur, ad praedam uidelicet, & cumulum meritorum, quibus meritis ditata, & contēta quodammodo se beatam existimat: undè Asser postea suscipit: qui beatitudinē significat: Quare laeta, & iucunda adhuc animatur ad prolem, quā geminam iterum suscipit Issacar & Zabulon: Quorum alter Domini memorans, alter habitaculum fortitudinis interpretatur: idque indicat, quòd perfecta uita actiua, & ditata meritis, consummatóque opere domum mentis disponit pulcherrimo ornatu, ut suscipere ualeat caelestem hospitem, de quo semper memorans ipsi Deo per contemplationem uacet. Quiescens igitur noster Iahacob productis operibus à Lia susceptis, quae ad ipsam uitam actiuam, & ad praeambula contemplatiuae pertinent, restat, ut tantummodo Racheli, & perfectae contemplationi incumbat: ex qua primo suscipit Ioseph, qui augmentum dicitur, ad omnia uidelicet opera, & merita, quae ex Lia, & ex utraque ancilla suscepit. Quapropter (ni fallor) haec est optima pars non tantū, quia securior, & iucundior, sed quia omne uitae actiuae meritum praesupponit, & augmentum quaerit: Ideo hunc partum plus caeteris diligit, quia omnibus auctus est, & eo quòd optima quiete ipsum genuerit. Nec à mysterio uacat, quòd ad hunc partum disposita fuerit Rachel ex mandragoris: quas primogenitus Liae Reuben ei praebuerat, quem supra intentionem significare declarauimus: nam eadem intentio, quae praeuia fuit in fructibus operatiuae uitae, eadem etiam in progressu, & fructificatione contemplati-

næ exquiritur, ut utrobique per rectam, mediamque lineā in idipsum inspiciat: Quia intentione bene firmata uenit ad germina contemplatiuæ uitæ, Ioseph scilicet & Beniamin, in quorum solummodo tribubus, & familiis non sine mysterio fuerunt domus Dei: Prima enim fuit in Silo, quæ est in tribu Ioseph: Altera omniū celeberrima ædificata est in Ierusalē, quæ est in tribu Bēiamin, quo cōceptu, & partu celebrior nō expectatur. Primo itaque filio habito cœlestis cōtēplationis, & gustus, appositóq; ad omnia merita iā acquisita, alter quoq; generatur; qui Beniamin fuit, & filius dexteræ interpretatur non alium significans, quàm illum, qui sedet à dextris Dei, Iesum Christum Redemptorem nostrum: quem omnes perfecti generare debent in mente, & uisceribus: post quem, tanquam ultimam prolem parere cessent. Illud quoque aduertendum est, quòd in eius partu moritur Rachel, portio uidelicet illa superior, & diuina nobis communicata, quia iam unita cum ipso Christo in mente generato dicere debet noster spiritualis homo ei cedens simul cum Paulo: Viuo ego, iam non ego, uiuit uerò in me Christus. Ipsi nanque plenissimo, & perfecto cedit portio, quæ ex parte est, & moritur, ut uiuat in toto. Mortua itaque Rachele in partu istius Bēiamin sepelitur in Ephrata inter Ierusalem & Bethlehem, id est in abundantia, & diuitiis cœlestibus, sic enim Ephrata interpretatur: Quæ nec sine mysterio posita dicitur inter Ierusalem, quæ est uisio pacis, & Bethlehem, quæ domum panis significat: Nam qui moritur mundo, & animali homini, aut qui moritur morte osculi, quod fit in excessu mentis (ut alibi enodauimus) sepelitur in diuitiis abundantissimis, quæ dantur omnibus, qui inuocant illum, & collocatæ sunt inter uisionē ueræ, & supernæ pacis, & panem illum uitæ, quem qui manducat uiuit in æternum: Habet enim tunc principium uisionis beatificæ, & uitæ æternæ: ad quam conscendere cupit uerus Iabacob, & uerus Israëlita, qui concipit & peperit fructus illos duodenos explicatos, & descriptos à Ioanne in sua sacratissima reuelatione, ubi ait: In medio plateæ eius, id est in corde ueri Israëlitæ, & ex utraque parte fluminis, ex utraque uidelicet portione est lignum uitæ, Christus uidelicet, aut spiritus, uel gratia eius nos uiuificans, & fœcundos reddens fructibus duodenis productis per singulos menses, id est per singulas reuolutiones menstruales, & lunares, quæ continentur sub una reuolutione solari. Maxima hic occurrerent mysteria explicanda, cur scilicet sol, cæteríque planetæ in suo pleno, & proprio circuitu discurrant per duodecim signa confota (ut dicunt Theologi Hebræi) à duodecim reuolutionibus magni nominis Dei, in cuius uirtute omnia fiunt: Et cur Luna duodecies gyret per illud duodenarium in eo temporis spatio, quo Sol semel percurrit. Et quid Sol, & quid Luna in nobis significent: Plato enim in Symposio superiorem, & diuinam portionem in nobis solem nominat, inferiorem uerò discursum lunam: Et utraque producit: sed inferior uirtute superioris à uirtute diuina confotæ: pluries'que gyrat ratio discursiua, quàm superior, quæ magis fixa, & semper directa, uelut sol in diuina

Paulus. Ioannes. Th. he. Plato.

semper intendit. Et sicut utrunque luminare per duodenarium circulum influendo, & producẽdo percurrit, ita Sol, & Luna in humano mundo per hunc duodenarium, tanquam per numerum primo crescentem fructificare dicuntur. Hinc

Paulus & Paulus fructus spiritus, & uirtutum, qui in peragendis rebus producuntur, duodenarios enumerat dicens: Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, & cæteri, qui sequuntur, iuxta numerum signorum, & articulorum principalium in humano corpore, & tribuum Israëliticæ domus, in qua Christus regnat, & ad cuius oues, quæ perierant redimendas Redemptor uenit in mundũ:

Orige. Quæ (ut Origenes ait) non sunt intelligenda secundum carnem, sicuti Ebionitæ toto (ut aiunt) cœlo aberrantes senserunt, qui re & nomine pauperrimi sunt sed secundum spiritum, uel in sensu morali, de quo diximus, uel in sensu allegorico, ut nunc latius explicabimus.

Quæ sit hæc domus secundum allegoriam. Cap. VII.

SI autem à sensu morali ad allegoricum, uel anagogicum procedere uoluerimus, clarius intelligemus, quomodo Iesus regnat in domo Iabacob in æternum: Quod secundum corticem literæ intelligi nequit, cum illa amplius non dignoscatur, nisi in aliquibus reprobis & dispersis. Nec domus, aut familia Dauid (in qua particularis promißio regni facta erat) reliquit aliquod uestigium, cum eius memoria amplius nõ habeatur iã extincta tempore Eusebij, & Iosephi, ut ipsi referunt. Hæc igitur domus, in qua Iesus regnat in æternum, est ecclesia uniuersalis, cuius illa typum geßit: Quæ per totum orbem diffusa meritò dicitur domus Iabacob, quem diligit, aut Israël, id est principis, aut heredis Dei summi, qui est Christus Iesus: De qua etiam (er

Matth. rore posthabito) locutus est in euangelio, cui titulus est secundum Matthæum, dicens: Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierant domus Israël, ueræ uidelicet, & non figuratiuæ tantum: Huius quidem tribus & familias duodenas sedes duodenariæ, iudicium scilicet apostolicum censebit, ut promissum fuit à dicente:

CHRISTVS. Sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israël. Quod enim iudicium dari potuit, aut debuit Apostolis super familiam, in quam nullam penitus iurisditionem haberẽt? Quodúe dominium dari decuit filiis in progenitores suos? Apostoli enim fuerũt nouißimi filij illius tũc tẽporis nobilis, & regiæ familiæ. Neq; in istos profugos & uobis extrarios collatũ est iudicium, & do-

Paulus minium, attestante Paulo: Quid nobis de his, qui foris sunt iudicare? Nam eos, qui foris sunt, Deus iudicabit. Non ergo illi, qui duces & principes facti sunt in ecclesia iudicabunt extraneos, sed tantummodo domesticos: Forenses autem, & extrarios iudicabit ille, qui in omnibus primatum tenens Rex regum, & Dominus dominantium non immeritò dicitur. Nec quisquam sibi persuadeat, quòd ex mera uoluntate Principis datum sit Apostolis illud iudicium, & illa confessio, quia esto quòd sit prima regula omnium, & posit esse pro ratione uoluntas,

omnia tamen æquißimus Princeps, imò omnimodæ rectitudinis fons ordinatè disponit: posset quidem dare paradisum sine meritis, nihilominus milites iuxta præclara cuiusque gesta remunerare decreuit: Posset itidem remittere illatam sibi ab hostibus, & à desertoribus iniuriam absque ulla pœnitentia, iußit tamen, ut quisque peccans legi pœnitentiæ subiaceat, iuxta grauitatem delicti: Poterat etiam solo nutu tribuere filio imperium, uniuersique ditionem: non tamen id fecit, sed potius statuit, ut hæreditario, & bellico iure dominium sibi acquireret, idque debellatis, fugatisq; hostibus quietißimè poßideret: siquidem primogenitus est illius, qui cuncta fabricauit: Hinc magnanimus Imperator immanißimum humani generis tyrannum & principem mundi ad singulare certamen prouocauit, quem etiam fœlici Marte profligauit: sanguinéque ex generosis suiipsius uulneribus effluente omnem humanam fœditatem lauit, & à peßimo tyranno iniustè oppressos in pristinam libertatem restituit, summáque hac liberalitate sibi hominum genus deuinxit: Hinc dictum est: Oportuit Christum pati, pro liberandis uidelicet captiuis, & ita intrare in gloriam suam: Cuius gloriæ pars est dominium, & principatus omnium rerum. Simili etiam uia suos electos principes conduxit, quos misit in uniuersum mundum prædicare euangelium omni creaturæ, & unicuique partem mundanæ familiæ consignauit, ut eis prædicans, & docens sanguinem etiam in testimonium doctrinæ expendens meritò tribui, uel familiæ, aut genti, quam acquisierit, tanquam filiis, & quodammodo redemptis (uirtute tamen summi redemptoris) præsideret. Et istæ sunt ueræ duodecim tribus, super quas præsidentiam, & iudicium uniuersi imperator & Redemptor Apostolis repromisit: Quarum tribuum duodecim illæ Israëliticæ paruulæ simulacbrum fuerunt, & figura: & utraque familia numero duodenario distributa est: Apostolica, ut duodecim orbis partes duodecim signis correspondentes debito ordine prosequeretur: Illa uerò Israëlitica, ut duodenam ecclesiæ familiam eodem numero præsignaret. Et quamoptimè utraque partita est illo duodenario numero primo crescenti, sicut crescentia omnia (ut suprà tetigimus) annumerata sunt. Creuit enim illa typica gens breuißimo tempore in immensum, adeo, ut primo Ægyptum, postea terram illam promissam, quæ sanctæ ecclesiæ similitudinem geßit, compleret: Creuerunt & duodenæ tribus ab Apostolis edoctæ, & acquisitæ, ut breui totum orbem complerent credentibus. Aucta itaque fuit, & est utraque familia, ut æquet spatia immensæ terræ illius de qua propheta canit: Credo uidere bona Domini in terra uiuentium: Ad quam sit introitus per duodecim portas custoditas à duodecim angelis: quæ ædificata est super duodecim fundamentis: sicuti & cœlum ipsum uisibile partium est in duodecim signa plena innumerabilibus stellis, sicut in qualibet duodenaria familia fuerunt innumerabiles electi ultra duodecim milia consignatorum.

CHRISTVS.

Dauid

Quanta consonantia tribus illæ Apostolicæ distributæ sint iuxta partitionem figuratiuæ familiæ, & signa stelliferi cœli. Cap. VIII.



Llud quoque sacrarum rerum mysterium attendendum est, quòd duodenarius numerus ex quatuor trigonis, uel ex tribus quaternis nascitur, diuiditurque tanquam solidum quid in quatuor angulos: quod in hac utraque familia, & cœlo stellarum obseruatum cõperitur: Differens enim dilectus Apostolus Christi de partitione illa cœlesti, & uero hospitio electarum tribuum dicit: Ab oriente portæ tres: ab occidente portæ tres: ab aquilone portæ tres: Ad cuius similitudinem factum est tẽplum, per cuius quaslibet tres portas intrare solebant tribus tres, ut in monumẽtis Hebræorũ comperimus. Hoc eodem ordine & sacramẽto castrametati sunt filij Israël, iubente Domino, ad orientem tribus tres: ad meridiem tribus tres: ad occidentem tribus tres: & ad aquilonem tribus tres: Quæ cœlestis familia cœli ordinem consequitur, de quo dicunt Astronomi, quòd orienti aßignantur signa uel imagines tres: meridiei imagines tres: occidenti imagines tres: & aquiloni imagines tres. In regionibus autem subiectis tribus primis imaginibus, & orientalibus prædicarũt tres Apostoli, Simõ, Bartholomæus, & Matthæus: Et in regionibus directis à tribus figuris meridionalibus prædicarunt tres alij Apostoli, Thadæus, Andreas, & Thomas: Sed in plagis trium imaginum occidentalium concionati sunt Iacobus minor, Ioannes, & Philippus: Regiones uerò directæ ab aquilonaribus imaginibus creditæ sunt Iacobo maiori, Petro, & Mathiæ: Hæc sufficere possent ad eorum conuenientiam describendam cõticescendo (ut iubet Plato) à particularibus: attamen pro quanto Dominus nostros collustrauerit oculos, particularia quædam percurrere tentabimus: quæ si plena consonantia persoluerimus, gloria summo reddatur concentori: si uerò minus dixerimus, excusent quæso legentes imbecillitatem nostram, quæ nec turbatur, si supremus Dominus seruis suis indignis aliqua occultauerit, quæ electis amicis communicanda reseruat. Freti igitur gratia illius, à quo omne bonum, aggrediemur etiam particularium quorundam concordiam explicantes sub quo uerò principe unaquæque tribus militet, & per quam portam ipso duce ingredi poßit cœleste regnum, quod obtinendum sperat continua, & fideli militia: Et ut id faciamus, uidendum est primo, quo aspectu, & qua cœli plaga unaquæque typica tribus, & quo mysterio castrametata sit: Postea uidendum censemus, in quos trigonos cœlum distribuatur, cuique trigono, aut cui signo unaquæque regio dicata sit: Denique qua plaga unusquisque Apostolorum prædicauerit.

Ioan. Astro. Plato.

Qua distributione, & quo mysterio pro cœlorum aspectibus castra locauerint singulæ figuratiuæ tribus. Cap. IX.



T ne quis existimet distributiones regionum ad aspectus cœlorum (ut docent Astronomi) esse superstitiosas, & uanas, sacra scriptura perbibet, ꝙ Deus, cuius opera omnia in sapientia disposita sunt, iussit tribus illas electissimæ familiæ Israëliticæ castrametari circa tabernaculũ fœderis ad cœlorũ aspectus triarias, & triarias, ut in numerorum uolumine legimus: Præcepit enim Mosi, & Aaron, ut singuli per turmas suas signa, atque uexilla, & domos cognationum suarum castrametarẽtur per gyrum in circuitu tabernaculi fœderis: ubi Origenes: Hic formam dicimus esse præscriptam, quomodo populus Dei egrediens de Ægypto ad ueram promissionis terram, & regni cœlorum gloriam ordinibus quibusdam, & meritorum gradibus deducantur sacramento quodã mirãdo, & ordine sacro: Dicitur enim ad orientem Iebuda figet tentoria per turmas exercitus sui: princeps Nabason filius Aminadab: numerus pugnantium septuaginta quatuor milia sexcẽti: Prope ipsum tribus Issacar: princeps Natanaël filius Suar: numerus pugnatorum quinquaginta quatuor milia quadringenti. Deinde tribus Zabulon: princeps Eliab filius Helon: milites numerati quinquaginta septem milia, & quadringenti: & uniuersa multitudo huius triarij exercitus militantis sub Iebuda erant centum octogintasex milia, & quadringenti. Vexillum castri Reuben uersus meridiem: princeps Elizar filius Sedeu: computus bellantium quadragintasex milia, & quingenti: & castrametabantur iuxta eum illi de tribu Simeon: princeps Salamiel filius Zuri Sadai: summa pugnantium quadraginta nouem milia trecenti. Postea tribus Gad: princeps Eliaza filius Rebuel: numerati milites quadraginta quinque milia sexcenti quinquaginta: summa uerò omnium militãtium sub triario Reuben centum quinquaginta milia mille quadringenti, & quinquaginta, qui proficiscebantur secundo loco: Sed tabernaculum testimonij portabatur à Leuitis, qui erant in medio castrorum. Vexillum castri Ephraim erigebatur ad mare, uel occidentem: princeps Elissamab filius Hamibud: militantes quadraginta milia quingenti: Et iuxta eum tribus Manasse: princeps Gamaliel filius Pedabzur: summa bellatorum triginta duo milia ducenti. Postea tribus Beniamin: princeps Abidã filius Gedeonis: numerus pugnatorũ trigintaquinq; milia quadringẽti: Summa militantiũ sub Ephraim cẽtũ & octo milia atq; cẽtũ, & hi tertio ordine proficiscebãtur. Vexillũ castri Dan ad aquilonẽ: Princeps Abihezer filius hamisadai: Annumerati milites sexagintaduo milia, & septingẽti: iuxta quos castra locauit tribus Asser: princeps Paghiel filius Hocrã: Pugnatorũ numerus quadraginta milia, mille, & quingẽti. Post quã tribus Nephtalin: princeps Abirab filius Henan: Milites erant quinquagintatria milia, & quadringenti: summa omniũ militantium sub Dan centum quinquaginta septem

Astrono.

Nume.

Orige.

milia sexcenti: Sed summa omniũ tribuũ erat 603550, sexcẽta tria milia quingẽti quinquaginta: quot literæ radicales (ut asseritur) sunt in toto Pentateucho. Nec ideo castrametari dicti sunt ad cœli plagas, eo quòd aspectibus, & influxibus syderum subiicerentur, cum in plerisque sacræ scripturæ locis declarentur exempti, sicuti & Ptolemæus fatetur in fructu, sed ut respondeant supramundano cœlo, à quo præcipuè omnes dirigimur: & cui omnes conformari debemus: in quo etiam sunt quatuor cœli plagæ: ut ex scriptura instruimur: Oriens, de quo inquit Isaias: Nomen eius oriens: Et iterum: Vocans ab oriente iustum: Illinc enim uenit Meßiah. Auster, de quo Abacuch: Deus ab austro ueniet. Nec dißident prophetæ, cum ab utroque loco uenerit, ut notum est his, qui sciunt denominationes illas, & conuenientiam mundi inferioris cum archetypo. Occidens, pro quo communiter Hebræi habent mare, aquas illas supremas indicat, cum quibus uenit Christus, dicente Ioanne: Hic est Iesus, qui uenit in aqua, & sanguine. Neque enim de aqua elementari, sed supracœlesti & spirituali intelligi debet. Aquilo est rectitudo iustitiæ, à qua panditur, & manifestatur omne malum: quod à recto iudice primo dignoscitur, postea punitur: Qui supramundani aspectus priores sunt his, qui à cursu solis sic denominantur: Et hi ab illis omnem uim, omnéque robur suscipiũt: ad quorum aspectus magno mysterio castrametari iussæ sunt tribus non solum illius typicæ familiæ, sed ueræ, & militantis sub principe Christo, ut statim dicemus.

Ptolem. Isaias Ioan.

In quot trigonos cœli distincti sint, cuique trigono, aut signo unaquæque regio sit subiecta. Cap. X.

Astron.

EST in cœlo isto uisibili (ut omnes Astronomi conueniunt) quadruplex trigonus: Quorum primus est aëreus, & orientalis ab oriente in septentrionem uergens: cuius imagines sunt Gemini, Libra, & Aquarius: & ipsorum Domini Mercurius, Venus, & Saturnus. Geminis autẽ cũ Mercurio subiiciũtur Hyrcanica, Armenia, Mantiana, Cyrenaica, Marmarica, & inferior Ægypti regio: Libræ uerò, & Veneri Bactriana, Caspia, Syria, Thebais, Oaxis, & Troglodytica regio: Sed Aquario cum Saturno Sauromatica, Oxiana, Sogdiana, Arabia, Azania, Media, Ethiopia: & hæ regiones pro maiori parte ad Asiam interiorem pertinet. Secundus trigonus terreus est, & meridionalis, à meridie in orientem tendens: cuius imagines Taurus, Virgo, & Capriconus: Domini Venus, Mercurius, & Saturnus: Tauro cum Venere subiiciuntur Cyclades, Maritima paruæ Asiæ, Cyprus, Parthia, Media, & Persis: Virgini cum Mercurio Græcia, Achaia, Creta, Babylon, Mesopotamia, Assyria, & Elam, undè Elamitæ, Sed Capricorno, & Saturno Macedonia, Thracia, Illyria, India, Ariana, Gordiana: Quarum regionum multæ sunt in Asia minori. Tertius trigonus est aqueus, & occidentalis ab occidente in meridiem distentus: cuius

imagines sunt Pisces, Cancer, & Scorpius: Domini Iuppiter, Luna, & Mars, Piscibus cum Ioue subiiciuntur Lycia, Lydia, Cilicia, Pamphilia, Paphlagonia, Nazamonitis, & Gardmãtica. Cancro uerò & Lunæ Bithynia, Phrygia, Colchica, Numidia, Aphrica, Carthago, & tota Carchedonia. Scorpioni autem & Marti Syria, Comagene, Cappadocia, Metagonitis, Mauritania, & Getulia. Vltimus trigonus igneus aquilonaris ab aquilone in occidentem uergens: cuius imagines sunt Aries, Leo, Sagittarius: Domini Mars, Sol, & Iuppiter: Arieti & Marti, subiecta est Britannia, pars Galliæ, quæ à Græcis Galatia dicitur: Germania, Barsania, Concaua Syriæ, Idumæa, & Iudæa: Leoni, & Soli Italia, Appulia, Sicilia, Phœnices, Chaldæi, Orsenij, uel Orchenij: Sagittario & Ioui Thuscia, Celtica, Hispania, & fœlix Arabia. Hæc sunt, quæ ex Astronomis potißimè ex Ptolemæo astronomorum facilè principe certa habere possumus: Et si quæ sunt aliæ regiones, subtilis indagator eas cum istis præcipuis concordare potest. Astron. Ptolm.

In quibus prouinciis, & quibus signis subiectis prædicauerit unusquisque Apostolus. Cap. XI.



ET maxima quidem prouidentia (Spiritu sancto sic decernente) factum est, ut unicuique Apostolo aßignata fuerit regio aliqua ab uno signorum directa, adeò, quòd ipsi duodecim Apostoli prædicauerint in omnibus duodecim præcipuis cœli plagis conuenientibus cum duodecim imaginibus cœlestibus. In trigono enim orientali subiecto Geminis, Libræ, & Aquario concionati sunt Simeõ, Bartholomæus, & Matthæus: Simeon enim in Ægypto, quæ Geminis aßignata est, sortem prædicationis habuit: Bartholomæus in Bactriana, Lycaonia, & Armenia regionibus Libræ subiectis: Matthæus in Æthiopia, quæ Aquarij est. Nec dicã quemlibet Apostolũ prædicasse in omnibus regionibus, & ciuitatibus subiectis illi signo, cui respõdet, sed in aliqua illarum: Et hoc satis fuit pro collocandis in magna domo Dei duodecim fundamentis correspondentibus duodecim imaginibus cœlestibus, & duodecim intelligẽtiis præsidẽtibus, & duodenario illi sacramentorũ pleno: undè in ædificio illo supramundano, aut ecclesiæ Dei meritò uniuscuiusque Apostoli nomẽ collocatũ est in fundamẽto, sicut nomen angeli uniuscuiusque in singulis portis, ut habemus à cœlesti Ioanne, quæ suo loco (fauente diuino numine) latius explicabimus. Et aliquando unus Apostolus alterius coadiutor fuit: Paulus enim omniũ coadiutor solicitus fuit pro omnibus (ut inquit) ecclesiis, & præ omnibus laborans circunquaq; discurrit. In particulari autẽ Simeon, postq̃ Ægyptum totã peragrauit, tandem post mortem Iacobi ad Ierosolymitanũ episcopatum assumptus fuit, ut suppleret, quæ Iacobus martyrio præuẽtus perficere nequiuit: Matthæus quoque ad Macedones acceßit, qui ad Andreæ iurisditionem spectabant: qui etiam simul cum Simeone ad Persides deuenere: & Ioannes ul- Barthol. Matth. Ioan. Paulus Simeon Matth. Simeon

tra Ionios Romam quoque perrexit. In secundo uerò trigono, & meridionali assignato Tauro, Virgini, & Capricorno prædicarunt Andreas, Thadæus, &
Andreas Thomas: Andreas enim In Achaia, & Græcia uirgini supposita concionatus est: deinde transiuit ad Thraces, & Byzantios Saturno & Capricorno subie-
Metha. ctos, ut habemus ex Methaphraste: Quæ regiones in Thomæ ditione sunt collo catæ: Et inde ad Bithynicam regionem, quæ Cancro & Lunæ subest Ioanni assignatam: Et inde ad Pontum Euxinum, & Propontidis ambas partes: quæ usque, ad Astaceum sinum pertinēt: & rursum nauigatione suscepta peruenit ad Macedoniam, & Thessaliam usque ad Istrum, & tandem in Patris martyrio
Thadæ. coronatus est. Thadæus in Perside, & Mesopotamia & partibus superioribus
Thomas Ponti: quorum Persidē iam Tauro assignatā explicauimus: Thomas Indiā superiorem, quæ summopere barbaricis moribus tenebatur, in sortē suscepit: Brachmanas quoq;, & Hyrcanos subiectos Capricorno: Parthos insup, & Medos, quamuis hi sint de iurisditione Thadæi. In tertio Trigono occidentali, cuius imagines sunt Pisces, Cancer, & Scorpius, sortem habuere Iacobus minor, Ioannes,
Philipp. Ioannes. & Philippus: Hic enim in Syria dicata Scorpioni conuersatus est: Ioannes post Palestinam in Asiam peragrauit, & ingressus Ioniā morabatur in Epheso percurrens tamen aliquando per ecclesias, quæ ad Phrygiam, & minorem Asiam
Iacb. mi. pertinent Cancro & Lunæ subiectam: Iacobus autē minor quo perrexerit, aut si discesserit à Iudæa ex historiis non habemus, sed tantummodo fuisse episcopum Ierosolymitanū uirum utiq; sanctimonia, & deuotione insignem: Hic saltē
Lucas. ibi docuit, quo conuenerant (ut Lucas narrat) illi, qui erant ex Cilicia, Pamphilia, & huiusmodi regionibus, quæ à Piscibus aspiciūtur, ut & ipse gaudeat suo populo conducto in obsequium Christi. In quarto trigono aquilonari, cuius imagines sunt Aries, Leo, & Sagittarius, concionati sunt Mathias, Petrus, & Iaco
Math. bus maior: Mathiæ enim in sortem uenit Iudæa, Idumæa & cōcaua Syriæ, quæ
Petrus. Arieti subiecta est: Petro Italia, maximè Roma, quæ à Leone penitus regitur:
Iacb. mi. Iacobo uerò maiori Hispania, ubi usque ad præsens fulget miraculis immensis, quæ simul cum Celtica, Thuscia, & Arabia fœlici à Sagittario, & Marte disponitur. Quæ omnia secundum analogiam intelligantur relata ad supramundanos cœlos, aspectus, & planetas, ad quorū duodenas metas formata est utraque ecclesia: & cum utraque habeat eundem influxum, eadem censeri potest: Nam ecclesia nostra eodem influxu confota, eodem ordine collocata, & ab eodem fluuio quadrario egrediente de paradiso uoluptatis irrigata, qua Israëlitica familia, potest dici uera domus Israël, & tanto fœlicius, quanto meliori influxu gaudet, Pro hac igitur & pro ipsius ouibus, quæ perierant, dicit se uenisse Saluator: qui non mutauit, sed perfecit, cōglutinauit, & in meliorem sortem deduxit familiam, & domum ipsam: Sic & principes istius familiæ fœlicius hanc rexere, quàm principes domus illius figuratiuæ: sed utrique maxima concordia: de qua statim (duce & fauente Deo) disseremus.

De conuenientia Apostolorum cum signis cœlestibus. Cap. XII.

ET cum non sine mysterio unaquæque regio suo signo subiecta aßignata sit uni Apostolo, hinc percurrendam censeo conuenientiam quã habet unusquisq; Apostolus cum signo regionis sibi aßignatæ: quod ut faciamus, uidenda sunt propria nomina Apostolorum, prout ex monumentis reconditißimis Hebræorum excipere potui: quæ nomina cõueniunt cũ in nominibus quæ habentur in דברי הימים, id est in uerbis dierũ. Et hæc nomina sunt, Primum ipsorum Apostolorum principis שמעון הכפי Simehon bacephi, qui à nobis dicitur Simehõ Petrus: Simehõ enim audiẽs, uel obediẽs interpretatur: bacephi autẽ est petra, & nõ caput, ut aliqui decepti affirmãt: nõ enim est uocabulum Græcũ, sed Syriacũ petrã significãs. Secũdi apostoli nomẽ est אלעוזי Aleuzi, id est Deus fortitudo mea: pro quo nos habemus Andreã, qui respõdẽs pabulo interpretatur. Tertius est Iacobus maior, qui proprio uocabulo dicitur יעקבה Iabacobah, id est opprimens: sed literis inuersis more Hebraico dicendo קבעי cabab, galeã, aut galeatum significat. Quarti nomen est פוליפוס Polipos, id est humile os, aut humiliatio oris: pro quo nos Philippũ habemus. Quintus ברכיה Barachiah, id est benedictus à Domino: pro quo nescio quo modo habeamus Bartholomæum, quem filium suspendentis aquas interpretantur: Bar enim est uocabulũ potius Chaldaicũ: quàm Hebræũ, nec in nominibus Hebræis aliquando reperitur Bartholomæus. Sextus יוחנה Iochana, quẽ Ioãnem dicimus, & Dei gratia interpretatur. Septimus תמני Tamni, qui Thomas est, & geminũ, uel didymum importat. Octauus מדון Medon .i. diiudicans: pro quo nos habemus Matthæum quẽ donatũ interpretantur aliqui existimãtes nomẽ illud descẽdere à uerbo נתן natan, quod dedit, aut donauit significat. Nonus Iacobus Alphei, uel Iacobus minor, qui propriè dicitur יעקב Iabacob, quẽ supplantatorẽ, aut uestigiatorem, uel imitantẽ uestigia significat. Decimus Thadæus, qui proprio uocabulo dicitur חטיפא Chatepha, id est cõprimens, uel uim inferẽs, & non à תודה Todah, qđ laus interpretatur. Vndecimus Simõ Cananeus, qui proprio uocabulo שמאם Samam, quod interpretatũ dicitur nomẽ matris; aut destruẽs eos. Duodecimus מתניה Matan ia, id est donatus à Deo, qui sorte (Deo iubente) electus fuit in loco proditoris. Prosequentes autem ordinem castrametationis, & conuenientiam familiarum Apostolicarum cum tribubus Israëliticis, & cœlorum aspectibus, ad quos castrametati sunt, incipiemus à Samam, cui geminæ interpretationis Geminorum imago attributa est: Et bene nomen matris ipsi competit: quia (ut in quibusdam occultißimis monumentis repperi) frequentabat inuocare nomen summæ matris Mariæ uirginis, cuius fauore hostes Christi, & ecclesiæ destruebat: quem æmulans ecclesia supplex ait: Da mihi uirtutem contra hostes tuos. Et quia feruidus fuit in hostes Christi, hinc meritò Cananeus, id est Zelotes dictus est: qui etiam tanquam cœlestia Simeon Eccles.

brachia corporis mystici amplexus est fidem, honorem Christi, & ecclesiam Ierosolymitanam, quæ tunc inter omnes ecclesias præcipua erat. Pro illius itaq; defensione, & tutela fidei Christi cum ipso crucis patibulum sustinuit. Libra,
Bartho. qua æqua lance appenduntur commutanda, & distribuenda, Bartholomæo, uel Barachiæ dicata est, qui benedictio Domini dicitur: Nam benedictio Domini æquo libramine, & debita portione distribui debet, & aqua gratiarum iusta statera appendi, ut unusquisque in pace quiescat: Hinc fit per illum, qui uirtutem haurit à signo cœlesti, & influxu supercœlesti, qui membris sessionis præficitur.
Matth. Matthæus, qui Midon dicitur, & diiudicans interpretatur, Aquarium possidet qui est signum respondens cruribus, quibus bene diiudicans inter diuina, & terrena, recedens à terrenis, quibus abundat sedens in Teloneo, iter arripuit post Christum ad cœlestia, scripsitque euangelium, quod pro cruribus, & firma co-
Thadę. lumna christianæ religionis habetur. Thadæus, qui Chatepha, idest conculcãs, comprimens, aut ui rapiens dicitur, Taurum sibi uendicat collo correspondentem: quia sicut hic collo iugo submisso omnem terram quamuis asperam domat,
Thadæ. & soluit, sic Thadæus statim supposito collo iugo Christi ad inferioris Ponti regiones uenit, ubi efferas, atq; indomitas nationes, quasi beluarum more degentes suo sancto dogmate (ut in gestis eius legimus) christianam religionem erudiẽs fidei dominicæ subiugauit: durumque barbaricarum gentium ad fidem redu-
Andreas cendarum iugum portauit. Andreas, qui Eleuzi, idest fortitudo mea, Virginis regiones in præcipuam sortem habuit, existens & ipse uerus Virgo, integerrimæ uidelicet uitæ, & primogenitus illius, qui corona uirginum existens in horoscopo habuit Virginem, & de Virgine natus est. Huius itaq; fauore redegit in seruitutem regiones Virgini dicatas docens comprimere ilia, quibus Virgo præest,
Thomas & omnia uasa luxuriæ, ut seruirent Deo in munditia cordis, & corporis. Thomas, qui Didymus, aut Geminus dicitur, Capricornum possidet, qui Geminorum antisius existit, & ipse geminus, quia Sol illuc intrans incipit geminare cursum denuo ascendens. Et sicut Capricornus in Zodiaco extremum possidet locum, sic Thomas ad Indiam usque extremam terræ habitabilis regionem concionaturus accessit: Ibiq; incolarum genua durissima ad redemptoris cultum ui mirabili flexit, quam suscepit à supramundano Capricorno, qui corporeis genibus,
Iac.min. & melioribus præest. Iacobus minor Iabacob.i. supplantator, aut uestigiator nuncupatus Piscium signum, & regiones eius adeptus est: Hoc enim signum pedes respicit, à quo & melioribus piscibus uirtutem hauriens didicit, & docuit supplantare, atq; conculcare omnia inferiora, & perfectè obseruare uestigia Christi, eius pfectus imitator: Nazareus enim fuit Iesu Nazareni discipulus, nunquam tonsus, nec uiribus diminutus, templum frequentabat, & orationem,
Hieron. adeo, ut eius genua duritiem camelorum, Hieronymo teste, susceperint. Sed fœlicius intrauit in tabernaculum non manufactum, in quod Christus semel introiuit pro omnibus: Vinum & siceram non bibit, neque omne, quod inebriare po-

test, & distrahere à Deo, & diuinis: non tamẽ inde Christum excedens, qui uinum bibit, cum hic ebrietatem pati nequiuerit omnibus prædominans, à quorum multis abstinere debent, qui ipsius Christi uolunt sequi uestigia. Ioannes; *qui* & Ioan.
Iochana, *Dei gratia dicitur, cum Cancro conuenit omnium signorum sublimissimo, sicut ipse sublimissimus fuit in charitate omnium uirtutum præcipua: iuxta illud* Hieronymi: *Qui priuilegio amoris cæteris altius meruit honorari. In ipso* Hiero.
quoque uerus sol sublimissimum se ostendit, sicuti eius doctrina, & priuilegia indicant, ueluti hic sol sublimẽ se præbet in Cancro: *cuius imago pectus aspicit repræsentans illum superiorem fautorem pectoris illius, in quo dormiens* Ioannes *potauit (ut ait* Hieronymus*) fluenta euangelij.* Philippus, *qui* Polipos *dicitur* Philip.
cum Scorpione *conuenit, qui semper os humile, & depressum in terram portat, & inguini præest: qui si in malam accipitur, & uenenosi scorpionis figurã gerit, illos scorpiones malos innuit, qui blanditiis decipiunt homines, & benignitate simulata inguen, & omnia uasa lasciuiæ, & concupiscentiæ in luxuriam mouent: de quibus in* Apocalypsi: *Data est locustis potestas, sicut habent potesta* Apocal.
tem scorpiones terræ: Non quidem hæc paruula animalia, sed nequiora istis; quæ aliquantulum infrà referans ait: Et habebant super se locustæ scilicet & scorpiones angelum abyssi, cui nomen Abadon, *id est exterminator, super quos calcandos dedit* Christus Apostolis *potestatem. Si autem in meliorem sortem accipiatur scorpio, ille cœlestis uidelicet, ut fieri debet, tunc antidotum est, & medicina scorpionis huius uenenosi, sicuti serpens ille superior, cuius imaginem iussit* Dominus *erigi in deserto, in medelam fuit eorum, qui mordebantur à serpentibus uenenosis: Cum hoc igitur meliori scorpione conuenit* Philippus, *qui patrem uidere flagitabat in sanitatem incredulitatis, & uulneris illati per morsum antiqui serpentis: quod fuit potissimè obscuritas, ignorantia, & impotẽtia rerum diuinarum capescendarum. Cum ipso quoque sermonem habuit* Christus, *quando de panibus satagebat prouidere in salutẽ animæ & corporis turbæ defessæ, dum sequeretur* Christum: *Qui etiam eunuchum sanauit medela ueritatis declaratæ. Hic quoque humilis ore & corde inguina lasciuiæ bullientis comprimit: Nullus enim potest esse continens, nisi Deus det: nec donat Deus, nec audit, nisi humilem, & trementem uerba ipsius.* Mathatia, *qui &* Mathias *donum* Math.
Dei dicitur, uel donatus à Domino, quia peculiari sorte Apostolorum cœtui donatus fuit: Dixerant enim Apostoli: Domine ostende, quem elegeris ex his duobus unum. Arietem sibi uendicat Deo sæpius in lege oblatum, & donatum: Habuit autem in sortem regionem Iudææ, regionem quippe sorte distributam electo populo. Symeon, *qui* capbi, *id est* Petrus *dictus est,* Leonem, Romam, *& om* Petrus.
nia directa à Leone ferarum principe meritò sibi subiicit princeps Apostolorũ effectus: In quo uerus Sol, *sicut hic cœlestis in* Leone, *ostendit maximam uirtutem: tantam enim uirtutem ei contulit uerus* Sol, *ut sola umbra sanitatem conferret infirmis, & summum apicem in Apostolico cœtu, & tota ecclesia tenens eam po*

testatem haberet, cui portæ, & uirtutes infernales cederent: Vndè fuit uerus Sapien. Leo, *de quo Sapiens in prouerbiis ait: Leo potentissimus bestiarum ad nullius* Iacob. *pauebit occursum. Iacobus minor, qui & Iabacobah, opprimens, sed literis inuersis galeatus dicitur, Sagittarium obtinet, qui Hispaniæ præsidens effectus fuit oppressor gentilitatis salutis galea obtectus & defensor populi Hispaniarum, quem suscepit, huiusque miraculis, & magna tutela eum protegens: Nec tantū illius populi tutelam accepit, sed cunctorum, qui ad ipsum confugiunt omnibus suffragiorum beneficium præstās. Hæc percurrimus, non tantum ut demonstraremus conuenientiam Apostolorum cum signis cœlestibus à quibus absoluti, & cœli effecti enarrarunt ubique gloriam Dei, sed ut innueremus eam correspondentiam harmonicam, quam habent cum supercœlestibus signis, & cum duodecim præsidibus signorum cœlestium, ut sicut illorum præsidum nomina scripta sunt in portis supernæ ciuitatis, ita hi apostoli effecti fundamenta concinna portis, & toti ciuitati ornarent ipsa fundamenta nominibus eorum. Hauriebant enim uim suam nō à cœlestibus signis, sed simul cum tribubus duodenis à melioribus fontibus, de quibus dicitur in psalmo,* Psalm. *Benedicite Deo Domino de fontibus Israël: Ibi Beniamin, ibi principes Iuda, principes Zabulon & Nephtalim, & quicunque principes ad utrasque tribus ueras, & figuratiuas pertinent: à quibus fontibus hauriens utraque familia breuissimo tempore creuit in immensum numero, & charismatibus, sed multo fœlicius Apostolica & Christiana familia, quæ non tantum creuit in sexcenta tria milia quingentos & quinquaginta, sed in turbam copiosissimam ex omni tribu & lingua, populo & natione, quam dinumerare nemo poterat, Nec solum cum figuratiuis & umbraticis charismatibus, sed ueris & manifestis.*

Conueniunt etiam Tribus cum imaginibus, ad quorum aspectus castrametabantur. Cap. XIII.

ETsi (ut diximus) populus Israëliticus exemptus erat ab influxu syderum, nō tamen habebatur præter ipsorum ordinem, sed illis correspondebant, ut ab eorum numinibus, & à uirtute magni nominis sua circunuolutione in ipsa partiti, fauorem susciperent, & amplecterentur omnia, quæ signis illis correspondent; omnium domini effecti maximè in figurata familia. Hinc figuratiua, cui omnia in figura contingebant, castrametari iussa est ad cœlorum & signorum aspectus: Ad orientalē enim plagam, Iehuda. *ubi sunt hæ imagines Gemini, Libra, & Aquarius, castra locarunt Iehuda, Issacar, & Zabulon: Iehuda confessio uel celebritas interpretatur, quæ debet diri geminæ naturæ Messiah, aut Deo qui dedit geminam legem, quæ tamen una est, sicut illæ duæ imagines geminorum pro uno signo computātur: Quam legem* Mercur. *interpretatus est Mercurius melior, quàm ille qui Geminis præsidet: uerus enim* Abacuc. *eius interpres ille fuit: de quo inquit Abacuc. Hic est Deus noster, qui adinue-*

uit omnem uiam disciplinæ, & tradidit eam Iahacob puero suo, & Israël dilecto suo: post hæc in terris uisus est, & cum hominibus conuersatus est proprio ore ipsam legem interpretans: ad quam acceditur per ueram confeßionem fidei tam corde quam ore, dicente Paulo: Corde enim creditur ad iustitiam, oris autem confeßio fit ad salutem. Issacar mercedem significat, quæ libratur secūdum uniuscuiusq; merita, dicente scriptura plerisq; in locis: Tu reddes unicuique secundum opera sua. Hinc dicitur Issacar castra iuxta Libram locasse. Zabulon habitaculū uel terminum pulchritudinis significat, quod hospitium habemus post fidem, & merita præsentata atq; librata: Quod habitaculū erit in dextra summi & ueri tabernaculi, ad quā collocandæ sunt omnes oues præmium suscepturæ: In qua dextera sunt aquæ illæ, quæ supra firmamentum esse dicuntur, hinc iuxta Aquarium castra sua locauit. In plaga meridionali, cuius sunt tres imagines Taurus, Virgo, & Capricornus, castrametatæ sunt Tribus Reuben, Simeon, & Gad. Reuben primogenitus tētoria erexit iuxta Taurum, qui est princeps armentorum, & domesticorum animalium, atque robustißimum eorum. Ideo de Reuben dixit Iahacob in suo testamentario uaticinio. Reuben tu fortitudo mea. Interpretatur quoque filius uisionis dicente Lia: Sic uoco eum: quia uidit Dominus afflictionē meā. Castrametatus est igitur iuxta Taurum illum, de quo Moses, dum Ioseph benediceret, ait: Quasi primogenitus Tauri pulchritudo Ioseph. Accomodatè quidē aßimulatur Reuben, & participat de priuilegio Ioseph, quia uidit afflictionem eius & compassus est liberans eum, quando fratres eius uolebant ipsum occidere, sicut Deus uidit afflictionem matris paruipensæ à patre Iahacob: Vnde utrinque bene filius uisionis nuncupatur. Simeon insignia sua erexit in Virginem, signum equidem sterile, sicut & ipse satis sterilis fuit, iuxta patris oraculum quo ait: Diuidam Simeon & Leui in Iahacob, & disperdam eos in Israël: Diuisum enim fuit Robur eius in fratres, & in se diminutum. Gad, de quo pater ait, Accingetur retrorsum, iuxta Capricornum castra locauit, in quo sol accingitur ut retrorsum pergens reascendat sicut descēderat: Accinctus est enim Gad retrorsum ut habet nostra traductio, quāuis dicatur aliter in ueritate literæ: de quo alibi dicetur. In plaga autem occidentali ubi pictæ sunt figuræ Pisciū, Cācri, & Scorpionis, castra locarūt Ephraim, Manasses, & Beniamin. Ephraim iuxta Pisces aciē direxit: quod signū aqueum est & ualde fœcundum, sicuti est natura piscium & aquarum. Hinc introeunte sole in ipsum incipit terra germinare, & pisces in aquas effundere oua, aues quoque & animalia ad genituram se disponere: & bene iuxta fertile signum castrametatus est Ephraim, quem frugiferum interpretantur: Hunc benedicens auus eius Iahacob posita dextra manu super eum dixit: Crescat Ephraim in multitudinem super terram. Manasses autem quem obliuionem interpretantur ad Cancrū castra locauit, in quod signum cum intrat Sol, quasi sui ascensus oblitus retrograditur descendere incipiens. Hinc non sine sacramento cum auus eū

Paulus | Issacar. | Zabulō | Reuben | Iahacob. | Lia. | Moses. | Simeon | Gad. | Ephraim | Iahac.

benediceret, cancellatis manibus posuit dexteram supra Ephraim minorem natu, præponens illum Manasse, apertè indicans retrocessionem ipsius Manasse. Beniamin ad Scorpionem insigne erexit, signum utique occidentale de directo oppositum contra signa orientalia, in quorum uno Iehuda castrametabatur (ut in libro Numerorum & Iosue dicitur) quando terra promissionis diuidebatur. Initium sortis filiorum Iehuda est à summitate mare salsissimi, & à littore eius, quæ respicit ad meridiē: graditurq; contra ascensum Scorpionis, contra quē etiā locauit Beniamin castra, ut simul unus hinc, alius inde amplectētes Scorpionē cœlestē, præualerēt contra Scorpionē inferiorē & malū, & contra omnia uenena colubri illius, de quo dicitur: Erit Dan coluber super uiam, cerastes super semitam, mordens calcaneū equi, ut cadat equitator retrorsum. Ex Tribu enim Dan exiit serpens cerastes Ieroboam, qui uenenauit totum Israël deducens decem tribus ad idololatriam erectis uitulis in Samaria, ut habetur in iij. uolu. Regū. Contra quod uenenum præualuerunt solæ tribus Iehuda & Beniamin perseuerantes in cultu ueri Dei, & adorantes in templo Ierosolymitano. In trigono aquilonari, ubi sunt figuræ igneæ Arietis, Leonis, & Sagittarij, respondentes igni aquilonari supramundano, castra locarunt Dan, Asser & Nephtalim, & quàm optimè Dan, quod iudicium interpretantur, aciem dirigit in aquilonem, undè per seuerum iudicium panditur omne malum. Et id facit iuxta Arietem animal quidem quod offerri iubet lex ad comburendum in expiationem peccati simul cum uitulo, quod offertur pro peccato, ut cesset ipsum Dei iudicium in peccantem. Asser, qui diuitiæ interprætatur, iuxta Leonem & aquilonem, undè uenit aurum, exercitum statuit: Est enim Leo animal aquilonare, robustum, & ferocissimum. Et de Asser dixit Moses dum ipsum benediceret: Ferrum æs calciamentum tuum: Quæ denotant aquilonare robur, ut patet scientibus, & de abundantia eius, & diuitiis dixit pater Iahacob. De Asser pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus. Et de robore eius in inimicum sequitur Moses, Equitator cœli auxiliator tuus. Et iterum: Expelles à facie tua inimicum & dices: Cōtere uigore uidelicet Leonino. Nephtalim manipulos cōponit uersus Sagittarium, aut arcitenentem: sic enim Hebræi ipsum uocant: qui & ipse in parte aquilonis est, undè diriguntur sagittæ in flagitiosos: Quæ quia comprimuntur, quando pœnitentia aut meritum æqua trutina respondet peccato, flagitio, & inde iudicio punienti, ideo iuxta illud ponitur Nephtalim, qui non solum dilatationem significat, ut habetur in Chaldaicis interpretationibus, & suprà diximus, sed æquationem iuxta ueram etymologiam uocabuli. Venit enim à פתל Patal quod est æquauit. Hinc mater Rachel ei nomen imponens dixit. Comparauit uel æquauit me Dominus cum sorore mea, ideo uocabitur nomen eius Nephtalim.

Marginal notes: Manass. — Beniam. — Regum. — Dan. — Asser. Moses. — Iahucob. — Nepht.

De concordia benedictionum, quas dedit Iabacob ad filios suos duodecim cum duodenis populis, quibus prædicarunt duodecim Apostoli, secundũ ordinem signorũ, quibus respõdent. Cap. XIIII.



Am aliqualiter explicauimus concordiam utrarumque tribuum, figuratiuæ uidelicet & apostolicæ familiæ cum signis cœlestibus: Nunc uideamus quàm concinnè uaticinatus fuerit de utraque in extremo uitæ suæ pater utriusque familiæ Israël, qui de Reuben Israel. *ait: Reuben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris, aut uirilitatis meæ: prior in donis; & maior in imperio: Vel ut habet ueritas literæ: Residuum doni, aut tumefactionis, & residuum fortitudinis: Effusus es sicut aqua, non crescas; quia ascendisti stratum patris tui, & maculasti lectulum eius: Quod oraculum pro maiori parte satis clarum est: Fuit enim primogenitus, & principium fructus uirilitatis paternæ: Maculauit quoque thorum paternum, quia commiscuit se cum Bala concubina patris ipsius ancilla Rachel, ut habetur in Genesi: Quapropter fecit se penitus indignum cœlesti influxu: hinc dixit pa-* Genesi. *ter: Non descendet super te illud; quod tibi paratum erat uidelicet, quia posuisti obstaculum maculãs paternum cubiculũ: Vndè sequitur: Residuum doni, & residuum fortitudinis; quod tibi uidelicet debebatur ratione primogenituræ, nõ do: Nam effusus es uelut aqua, ideo non restat, quod uidelicet tibi dent. Pro quo nos habemus, Non crescas: & ratio est, quia posuisti obstaculum maculans thorum patris tui, & polluens uiam, aut cursum ascensus. Quæ hic dicta de Reuben cum his quæ dicentur de aliis filiis, uel tribubus, locum habent in familia genita à Patre Christo, cuius Iabacob typum gerebat. Hinc ille tanquam uerus* CHRISTVS. *pater, & redemptor ueræ Israëliticæ familiæ dixit: Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierant domus Israël. De qua domo uera, & figurata potius quàm de figurante pater antiquus Iabacob breui ad maiores suos demigraturus Spiritu sancto plenus dixit ad filios suos* האספו *beazephu. Quod non congregamini significat, ut habet mẽdosa traductio, sed augemini, & crescite meritis, atque lumine, ut possitis capere ea profunda mysteria; quæ uaticinari uolo uentura uobis in extremo tempore, id est in ultima ætate, quando ueniet Messiah. Postea sequitur* הקבצו *hicabzu, id est coniungimini non tantum uos, qui estis de stirpe mea, sed omnes, qui principari debent, aut militare sub Deo in utraque familia: Hinc notãter dixit: Audite filij Iabacob, id est uos qui de lũbis meis processistis, & processuri estis: Et iterum ait: Audite filij Israël, id est omnes, qui militaturi estis sub Deo: A longe enim sequens uestigia ueritatis sum Iabacob; Deo autem familiaris, & ab eo principatum uerum obtinens pro filiis meis nouissimis, de quibus dictum est: Constitues eos principes super omnem terram. Israël nuncupor prædicens ea, quæ uentura sunt filiis illis melioribus, & melioris familiæ principibus, qui nati sunt pro patribus suis, & constituti principes ueræ*

familiæ pro illis, qui fuerunt in figuratiua. Ad hanc itaque figuratiuam familiã dico, Reuben primogenitus meus: Dirigitur enim hic sermo ad populum respondentem primo signo cœlesti, qui est Aries, aut uirtuti angelicæ siue diuinæ ipsi præsidenti: Hic populus est habitans Iudæam, Idumæam, concauam Syriæ, Ægyptum (ut Hebræi asserunt) Britanniam, Galliam, & Germaniam. Bene profectò populus Iudaicus (ut à priori incipiam) dicitur filius uisionis, cum omnis pene uisio, & prophetia populo Hebraico data sit: qui & priuilegio primogenituræ decoratus est Dei testimonio, qui in Exodo ait: Israël primogenitus meus: Cuius præcipua, & regia Tribus fuit Iehuda: undè aliquando sumitur Iudæus pro tota familia Israëlitica, iuxta illud Pauli: Iudæo primo, & Græco. Tu fortitudo mea, & principiũ uirilitatis meæ: Quod de utraque familia figuratiua, & uera ad unguem uerificatur: Nam prima & præcipua signa uirtutis, & roboris excelsi summus Pater Deus ostendit deducens primogenitum ipsius de Ægypto, & in noua familia prima miracula, & signa fecit in Iudæa & circũ adiacenti regione: Nec defuit Ægypto, in qua primos annos deduxit. In Gallia quoque adeo robur suũ perfudit, ut Rex ipsius Christianißimi nomine decoratus sit, & præcipuam tutelam habeat pro Patre literarũ studio, & armamis. Et Germania Imperatorem eligit, qui præcipua insignia gerit principatus ad tutandam Patris Christi & Dei familiam. Verum de populo Iudaico uerificatur illud, quod sequitur: Residuum doni, & residuum fortitudinis, quod tibi debebatur tanquã primogenito, dare nequeo, sic tuis malis meritis exigentibus: maculasti enim cubile, & decorem Patris tui incusans ipsum falsò, inferens opprobria, & iniurias quamplurimas, conspirãs tandem maxima nequitia in eius necem: Ideo effusus es sicut aqua: Ex illa enim si effundatur, minus restat in uase, quàm ex quocunque alio liquore: Hinc aquæ effusæ bene æquiparatur populus Iudaicus, quia statim euacuata sunt omnia charismata ab eo: Defecit enim citò ecclesia Ierosolymitana, & ea, quæ erat in tota Iudæa, adeo ut nihil christianitatis ibi relictum sit, nisi tantummodo nomina, & aliqualis memoria locorum, in quibus celebratæ fuerunt illæ summè reuerendæ primitiæ Christianitatis: ad quæ uisitanda conueniunt hac etiam nostra tempestate nonnulli. Viuit igitur adhuc in illa regione paruulus igniculus Christianitatis, ut habeat locum illud Mosaici oraculi: Viuat Reuben, & non moriatur, & sit paruus in numero, quia paruulus est Iudææ locus, paruulusque ibi Dei cultus.

Hebræi. Exod. Paulus

Digreßio, cur ordo primarius non seruabitur. Cap. XV.



Ec mirabitur quispiam, si non semper prosequemur eundem ordinem in applicatione tribuum, & familiarum insimul cũ signis cœlestibus, & populis eis correspondentibus. cum scriptura sacra ordinem ipsum pluries immutet: In benedictione enim patris Iahacob, & in descriptione facta in lapidibus, quæ dicuntur urim ue tumim idem ordo seruatur: alius uerò in locandis castris: alius in benedictione data à Mose:

alius in Apocalypsi. Et ut uariationẽ ipsam proponamus, hîc subnectemus unũquemque ordinem seorsum.

In benedictione Iabacob.	In castrametatione.	In benedictione Mosi.	In Apocalypsi.
Reuben.	Iebuda.	Reuben.	Iebuda.
Simeon.	Issacar.	Iebuda.	Reuben.
Leui.	Zabulon.	Leui.	Gad.
Iebuda.	Reuben.	Beniamin.	Asser.
Zabulon.	Simeon.	Manasse.	Nephtalim
Issacar.	Gad.	Ephraim.	Manasse.
Dan.	Ephraim.	Zabulon.	Simeon.
Gad.	Manasse.	Issacar.	Leui.
Asser.	Beniamin.	Gad.	Issacar.
Neptbalim.	Dan.	Dan.	Zabulon.
Ioseph.	Asser.	Nephtalim.	Ioseph.
Beniamin.	Nephtalim.	Asser.	Beniamin.

Aliæ quoque uariationes factæ reperiuntur: Nam ad explorandam terram promissionis electi fuerunt principes alio ordine, & aliis in locis, sed quæ dicta sunt, sufficient ad explicationem, & comprobationem eorum, quæ diximus. Nec secus fecere qui à secretis cœlestibus erãt in enumeratione principum figuratæ, & ueræ familiæ: Hic est enim uarius ordo eorum.

In Matthæo.	In Marco	In Luca	In Actibus.
Petrus.	Petrus.	Petrus.	Petrus.
Andreas.	Iacobus Ze.	Andreas.	Ioannes.
Philippus.	Ioannes.	Iacobus Ze.	Iacobus Ze.
Bartholomæus.	Andreas.	Ioannes.	Andreas.
Iacobus Ze.	Philippus.	Philippus.	Philippus.
Ioannes.	Bartholomæus.	Bartholomæus.	Thomas.
Thomas.	Matthæus.	Matthæus.	Bartholom.
Matthæus.	Thomas.	Thomas.	Matthæus.
Iacobus Al.	Iacobus Al.	Iacobus Al.	Iacobus Al.
Thadæus.	Thadæus.	Simon.	Simon Ca.
Simon Ca.	Simon Ca.	Thadæus.	Thadæus.
Iudas.	Iudas.	Iudas.	Mathias.

Cur autem id in utraque familia suis rationibus, & sacramentis factum sit, multa dicenda forent, quæ forsitan longius abducerent, quàm præsens negotium exquirat: Sed ne id casu, aut sine ratione factum fuisse credatur, assignabimus

saltem rationem, quare Moses, dum tribubus benediceret, prætermiserit Simeonem, quasi ipsius oblitus, in cuius loco posuit filiũ Ioseph *Manassem, qui obliuio interpretatur:* In *hoc enim fuit conformis cum* Iabacob, *qui ad* Simeonem *deueniens dixit:* Simeon, *&* Leui *uasa iniquitatis bellantia: Isti quidem à robore excelso uim robustã susceperãt, sed quia ipsa abusi sunt in Sichimitas, & in fratrẽ* Ioseph, *hinc sapiens pater, & plenus* Deo *non tantum protestatur consilio, & furori eorum non assentire, sed maledixit dicens:* Maledictus *furor eorum, quia pertinax: & indignatio eorum, quia dura: quia in furore suo occiderunt uirũ,* Emor *uidelicet, &* Sichem *filium eius cum populo ipsius: corde autem & uoluntate occiderunt* Ioseph *fratrem ipsorum: & in uoluntate sua suffoderunt, uel euulserunt murum,* Sichimitarum *uidelicet, aut taurum:* שור Sor *enim murum & taurum significat.* Si *igitur pro tauro accipitur, de* Ioseph *loquitur, de quo inquit* Moses: Q*uasi primogeniti tauri pulchritndo eius.* Et *ne tam robustus furor in duabus illis tribubus collectus noceret, sequitur diuus* Patriarcha: Diui*dam illos in* Iabacob, *& dispergam eos in* Israël. Diuisa *itaque fuit tribus* Leui, *quæ pro omnibus tribubus tabernaculo seruiebat, & ex decimis ab illis oblatis alebantur.* Simeoni *quoque non benedixit, quia non erat capax benedictionis, nec terminos aßignauit illi* Moses, *uel* Iosue *minister eius, quãdo diuisa fuit promissa terra, sed locauit eum in terminis* Iebuda, *à cuius bono, & copioso influxu comprimeretur eius indignatio dura: & capax fieret ex consortio eius alicuius boni influxus.* Leui *autem, quẽ* Iabacob *noluit benedicere, benedictus fuit à* Mose: *quia redemit maledictionem sibi dãtam, & promeruit benedictionem ex zelo maximo diuini amoris, quẽ ostendit contra idololatras, & uituli cultores, ut in* Exodo *legimus:* Nam *uidens* Moses *uitulum erectum in deserto, & populum circa ipsum ludentem, dixit:* Si *quis est* Domini, *iungatur mihi:* Congrega*tique sunt ad eum omnes filij* Leui, *quibus ait:* Hæc *dicit* Dominus Deus Israël: Ponat *uir gladium super femur suum:* Ite, *redite de porta usque ad portam per medium castrorum, & occidat unusquisque fratrẽ, amicum, & proximum suũ:* Feceruntque *filij* Leui *iuxta sermonem* Mosi, *& occiderunt in die illa quasi uiginti tria milia hominum: & ait* Moses: Consecrastis *hodie manus uestras* Domino, *unusquisque in filio, & fratre suo, ut detur uobis benedictio.* Ecce *igitur quomodo compararunt sibi benedictionem: quam confirmauit* Phinees, *quando zelatus pro* Domino Deo *suo accepto pugione transfodit in membris genitalibus* Zambri *filium* Salumi *ducem tribus* Simeonis *simul cum* Cozbi Madianite *filia principis* Madianitarum, *cum qua cubabat in iniuriam* Dei Israël, *à quo recesserant multi initiati* Beelphegor, *& permixti cum* Moabitis, *&* Madianitis: *& morte unius tanto zelo illata expurgatum fuit scelus* Israël, *ut in libro* Numerorum *legimus.* Et *sicut leuiticis zelantibus restituta est benedictio, qua priuati erant ob scelus uiolati fœderis, & fratricidij, sic zelanti* Phineæ *datum est sacerdotium sempiternum.* Cum *autem* Simeon *nullo bono ope-*

Exo.

Numer.

re redemisset commissum facinus, nec à patre Iabacob, nec à legislatore benedicitur: nec confinia, nec particularem sortem in distributione promissæ terræ suscipit: Nam collocatus fuit in Iebuda, ut habemus in decimo nono capite libri Iosueh. Si igitur, & nos postponentes eum aliquo sibi conuenienti loco assignabimus, id suo sacramento, & ratione fiet. Aliæ quoque tribus non sine causa hîc præmittenda (ut assignauimus) transmutatæ sunt. Iosueh

Prosecutio concordiæ benedictionum Issacar, & Zabulon cum populis eorum. Cap. XVI.



Issacar secundus in castrametatione cum secundo signo, qui est Taurus, mihi conuenire uidetur: De illo enim inquit oraculum: Issacar asinus fortis, patiens uidelicet, & robustus in studio literarum, cui illa tribus dedita erat. Sapit etiā asinus nescio quid clementiæ, & eius influxus, à quo est sapiētia, ut dicunt secretiores Theologi: Sed hæc mysteria occultiora pro tēpore missa facientes literam prosequamur: Robustus enim exquiritur ut sit, qui in doctrina proficere debet, ideo in benedictione cum asino, in signis cœlestibus cum Tauro æquiparatur omnium armentorum robustissimo. Vidit hic requiem, & ocium studij, quia bonum, & terram in qua morabatur ipsa tribus sine discursu, quem solent facere mercatores, & milites, quia delectabilis, ideo aptauit humeros suos ad portandum magnum onus, quod in studio literarum est. Et factus est tributo seruiens: Nam seruiuit quodammodo Issacar tribui Zabulon, qui diuites, & negociatores prouidebāt necessaria illis de tribu Issacar uacantibus studio literarum, ut asserunt Hebræi Hinc dixit Moses, dum suæ benedictionis portionem distribueret: Lætaberis Zabulon in egressu tuo, quando scilicet huc & illuc proficisceris merces conducēs: & Issacar in tentoriis tuis, habitabit uidelicet, aut frequentabit, ut in mercedem emolumenta uitæ accipiat, sicut & nomen eius indicat, quod merces interpretatur. Si autem hæc uerba aptentur cum regionibus directis à Tauro, uideamus: Illæ enim sunt maritimæ, paruæ Asiæ, Persis, Media, Parthia, Cyclades, Cyprus: In maritimis paruæ Asiæ fuerunt septē ecclesiæ, quibus prophetia illa celeberrima, & unica in nouo testamēto Ioāni reuelata in Pathmo insula, quæ nunc Chios dicitur, dedicata est, ut in principio ipsius uisionis dicitur: Ioannes septem ecclesiis, quæ sunt in Asia, gratia uobis, & pax ab eo, qui erat, qui est, & qui uēturus est, & à septē spiritibus, qui in cōspectu eius sunt, ac si septē illi præcipui spiritus curā specialē ipsarū gererēt ecclesiarū, quæ sunt Ephesi, Smyrnæ, Pergami, Thyatiræ, Sardis, Philadelphiæ & Laodiceæ, iuxta quas ciuitates est insula Pathmos una de Cycladibus, quæ nūc Chios dicitur, in qua diuina reuelatio illa facta est. Et in his locis cū circūadiacētibus regionibus multū uiguit literarū humanarū studium: & multi ex eis in doctrina celeberrimi uiri prodierunt: Ex Epheso enim Heraclitus dictus Ephesius: ex Scepsi ciuitate in conti- Theolo.

nenti posita prope Antandrum iuxta Mitylenem fuere Socratici philosophi Erastus, & Coriscus, ad quos epistolæ à Platone datæ reperiuntur: Fuit & Neleus Corisci filius, Demetrius grammaticus, & Metodorus: Ex Pergamo illi uicino fuit Galenus: Ibidem cura Attalicorum regum maxima fuit constituta bibliotheca, & in ea ab Appellicone repositi fuere libri Aristotelici, & Theophrastici: Aristoteles enim bibliothecam, & scholam Theophrasto reliquit: & hic primus omnium Græcorũ libros congregauit, & Aegypti reges bibliothecæ ordinem docuit: Theophrastus quoque eam Neleo tradidit: Neleus uerò eandẽ Scepsim detulit, ac posteris dedit, hominibus quidem imperitis, quorum negligẽtia humiditate labefactati, & tineis corrosi fuere libri: sed ab Appellicone trãscripti erroribus pleni, ut refert Strabo: Vndè ab aliquibus Philosophia Aristotelica, & Theophrastica mendosa iudicatur: & non illa nitida, & casta, quam tradiderunt eius authores: Sed quomodocunque res se habeat, prima bibliotheca doctrinæ Athenarum, quæ mater studiorum erat, in Pergamo fuit erecta: Verum ex uicinitate Athenarum cum illis maritimis cum eis satis conueniebat, q̃uis in regione Græciæ Europeæ sitæ sint: Sũt enim inter illa maritima & Athenas Cyclades insulæ aliquo maris tractu ab utrisq; solũmodo disiunctæ, quæ simul cum maritimis illis à Tauro directis cõueniunt, & cum studiosa tribu Issacar: Ex quibus quamplurimi in doctrina clari traxerunt originem: Ex Co enim habemus Hippocratem, & ut aliqui pro constanti asserunt, Homerum: Inter quas est etiam Delos Apollinis templo & oraculo clara, undè antiqui eorũ sapientiæ magna suscepere fomenta. Occidentem quoq; uersus iuxta Rhodũ est Halicarnasus suo Dionysio clara: ex Mitylene uerò Pittacus unus de septẽ sapientibus egressus est. Longum foret retexere omnes uiros claros, qui ex illis locis prodiere, & q̃ãto labore incolæ eorum studio literarum operam dederũt. Ad Persidẽ autẽ accedendo, ibi Magia, quæ secretior philosophia est, undè uenerũt hi, qui primi Christũ adorauerunt: Inde Charũdas in doctrina illa præstãtissimus, & Auicena, ut aliqui asserunt. Et quamuis schola eorum fuerit equitandi & sagittãdi cultus, & ornatus, non defuerunt tamen literarum studio in rebus maximè reconditis: Vndè in sacris fuerunt diligentissimi. Omitto alia multa, quæ de studio, quod habebant incolæ harum regionum, dici possent, cum hæc pauca sufficiant ad innuendum quàm concinnè conueniat influxus cælorũ super illas cũ influentia tribus Issacar, cuius studium erat incumbere doctrinæ humanitus acquisitæ: Nã illa diuinitus reuelata Leuitis præcipuè data erat. Castrametationes uerò ut sequamur, Zabulon tenuit tertiũ locũ in plaga orientali, cui dabimus tertium signum, quod Geminorum est, & primum in triplicitate sua: cuius regiones sunt Hyrcania, Armenia, Margiana, Cyrenaica, Marmarica, & inferior Aegypti regio: & huic dictum est à paterno oraculo: Zabulon ad littus marium habitabit, & non maris, ut habet nostra traductio: Et ipse ad portum nauium, supple habebit confinia: & dilatabitur usque ad Sidonem. Bene

[Margin notes: Strabo; Char. Auicena.]

ad littus marium dicitur extendi, quia ex orientali plaga habet Getuliam & מרעלה umarbalah, quod nostri Magdalum dicunt, uel Medala. Extat & ibi Tyberias cum mari eius. Ex occidentali uerò habet Carmelum montem cum portu, qui nũc dicitur Castrum peregrinorum: Habet & portum Ptolemaidis, quæ nunc Acon nominatur: & extenditur per mare Syriacũ usque ad Tyrũ, & Sidonem, quãuis mẽdosæ figuræ assignent Ptolemaidam tribui Asser: Nam ut expressè habemus in oraculo, extẽditur Zabulon usque ad Sidonem. Nec aliud priuilegium datum legimus huic tribui, nisi maria, & portus, per quæ, & ad quos suas merces conducerent: Quæ omnia consequuntur regiones à Geminis directæ: quarum prima est Hyrcania sita ad mare Hyrcanum, uel Caspiũ: contra quod mare dirigitur etiam Armenia maior. Cyrenaica quoque regio in mare tendit contra Græciam: Marmarica autem, & Ægypti inferioris Regiõ in mare idem ferè protenduntur: Quæ omnes regiones contentæ sunt ea, quæ in ipsis fit, nauigatione, & mercibus, sicut & tribus Zabulon, cui respondent, nisi eleuemus oraculi sententias ad altiores sensus, & ad mare supramundanum, de quo non est pro nunc habendus sermo.

De concordia benedictionis datæ Iehuda cum populo directo à signo ipsi correspondente. Cap. XVII.



Parte meridionali in secundo ordine locauit primo loco Reuben aciem suam, qui tamen locus est quartus in ordine castrametationis. Sed cum in exponendis paternis benedictionibus ordinem geniture sequentes, atque patrem imitantes ipsum in primo loco statuerimus, in hoc quarto ordine locabimus Iehudã quarto loco natũ, & quarto loco benedictum in huiusmodi uerbis: Iehuda te laudabunt fratres tui, & honorabunt, uidelicet tanquã regẽ: Ipsi enim datũ fuit regiũ sceptrũ uigens occultè in ipsa tribu quousq; ueniret Dauid publicè sublimatus in illo sceptro regio, quod & durauit in regibus, uel ducibus usq; ad Siloh, id est uerũ Messiã: Qui tamẽ regnũ nõ abstulit, sed illud in melius, & fœlicius cõmutauit promittẽs illud omnibus suis ueris, & piis asseclis dicẽs: Venite benedicti Patris mei, possidete paratũ uobis regnũ. Quia igitur regnũ istud erat in lumbis Iehuda simul cũ rege illo, cui curuatur omne genu, ideo sequitur: Curuabuntur ante te filij patris tui: & uera authoritate, & uigore reglo manus tuæ erunt in ceruicibus inimicorũ tuorũ: Catulus uel terror leonis Iehuda. גור, Gur enim utrũq; significat catulũ scilicet & terrorẽ: Sed melius (ut reor) hic accipitur pro terrore, quia sequitur ad id, quod præcedit: Manus tuæ in ceruicibus inimicorũ: & ad id, quod sequitur bene cõpetit: De præda fili mi ascendisti: Quæ omnia uerificãtur potissimè in Christo, de quo inquit Ioan. Vicit leo de tribu Iehuda. Et bene Christus de tribu יהודה Iehuda, cũ hoc nomen ipsi Christo aptissimè conueniat, in quo sunt quatuor literæ magni nominis Dei, interposita, ד dalet quæ quatuor importat in numero, significãs quadrariũ corpus qđ ipse Deus assumpsit, & uestiuit se iuxta CHRISTVS. Paulus

illud Apostoli: Habitu inuentus, ut homo. Hic igitur ille fuit, qui de præda ascẽdens eduxit in sanguine testamenti sui uinctos de lacu, humiliatus primo, ut sequitur כרע carab, id est genuflexit, aut humiliauit se, & nõ quieuit, ut habet traductio nostra. Accubuisti ut leo, & sicut leena, qui quando saltare uolunt, magno impetu primo accumbunt uentre in terra: Sic Christus humiliauit semetipsum factus obediens usque ad mortẽ, inde surgens cum tanto impetu, ut omnes inimicos prosterneret, & acquireret sibi nomen quod est super omne nomen. Illud autem, quod sequitur: Non auferetur sceptrum de Iehuda (ut hîc, & alibi suprà explicatũ habemus) de nullo alio intelligi potest, nisi de Christo ex his, quæ ibi dicta sunt, & ex eo, quod seqtur: & ipse erit expectatio gẽtiũ: Solus enim Christus in salutem gentium uenit. Ligabit ad uitem pullũ suũ. Vitis super omnes arbores dat copiosum, & optimũ fructum: Ad quã ligauit Christus pullũ suũ, dũ esset uidelicet in infantia, & pueritia, & adolescentia semper comprimẽs appetitus animalis, fructificans uelut uitis, imò existens ipse uera uitis. Et ad pampinũ uuæ, siue ad ramusculũ fili mi asinam suã, id est partẽ animalẽ iam fœcũdã, & à spiritu, atq; à facie illa superna grauidatã: Vocat eã uocabulo fœmineo, quia pars ista inferior in hoc sexu, superior autẽ in masculino nũcupari solet, ut
Genes. in Genesi habetur: Masculũ & fœminã creauit eos, prout bene explicat Mercu
Mercur. Plato. rius in Pymandro, & Plato in Symposio. Lauabit in uino uestimentũ suũ, & in
Ioan. sanguine uuæ pallium suũ: Quod ad uerbũ factũ esse Ioan. perhibet in Apocalypsi dicẽs: Lauit nos in sanguine suo: Nos utique creaturas eius, qui & uestimenta ipsius dicimur, quoniam creando nos, uestiuit se uarias uestes, ut suo loco (Deo fauente) disseremus: Vel lauabit seipsum, aut nos in seipso, qui factus est uestimentum nostrum, iuxta illud Apostoli: Induimini Dominum nostrum Iesum Christum: quæ omnia cõueniũt cũ populis directis à Leone, cui respõdet ille, qui nuper & catulus leonis, & leena dictus est: Qui populi, & regiones ipsorum
Ptolem. Manilius sunt Italia (ut Ptolemæo placet) quãuis Manilius eam Libræ subiciat: Itẽ Appulia, Sicilia, Phœnicia, Chaldæa, Orsenia, uel Orchenia: Quarum regionũ habi-
Ptolem. tatores (ut Ptolemæo placet) sunt periti regiminis, & laudabiliũ omnium artiũ cultores, & præcipuè Italia multo tẽpore Imperiali maiestate, & semper Põtificia dignitate refulgens: Nã à Petro citrà semper Romana ecclesia inter alias tenuit principatum: cuius episcopus sol in canone dicitur, sicut & ipsa ciuitas præcipuo solis aspectu præfulgida semper fuit. Fuerunt quoque in hac regione oratores facundi, Poëtæ excellentissimi, & in omni facultate uiri præstãtes, ut sit hic populus elegãtissimum mystici corporis membrum, cui ea, quæ de capite sub nomine antiqui progenitoris eius dicta sunt, accommodatissimè ipsi possint aptari: Incipiendo enim à nomine, bene dici potest Iehuda, qui confessor, & laus interpretatur, quia semper Patrem Christum ritè confessus laudauit. Te laudabunt fratres tui: quia omnes Latinorũ fidem, & ecclesiam Romanã semp laudauerunt, & uenerati sunt, quis nouissimi aliq liuore, aut stulto zelo abducti

lacerent, & mordeant: sed Deo moderante piè tandem confitebuntur, quod im piè denegarent. Nec solum isti, qui nouissimè aberrarũt à uentre, & locuti sunt falsa, sed etiam qui antea discesserant ab utero matris suæ Græci, & Agareni reducti omnes ad unum ouile, & facti filij ueræ matris ecclesiæ laudabunt te lo cum capitis Christi tenentem. Te quoque adorabunt filij matris tuæ, quia omnes ecclesiæ tanquam regiam, & præcipuam reuerentur. Manus tuæ in ceruicibus inimicorum sunt, quia data est tibi potestas, contra quam inferorum portæ, & inimicorum uirtus præualere nequit. Terror quoq; huius leonis Iehuda, Christi uidelicet, aut eius locum tenentis, siue ipsum purè cõfitentis omnes inuadit, quando excitatur contra aliquẽ excommunicans, aut maledicens: Quod cõprobarunt Græci luentes pœnam maledictionis datæ ab Eugenio. ij. quoniam fictè uenerant ad concilium Florentinum, & simulatè dederant de rebus obseruãdis ibidem pertractatis sponsionẽ. Neque morabor in adducendis his, quæ contigerũt spernẽtibus ministros, & Vicarios Christi, imò ipsum Christũ dicentẽ: Qui uos spernit, me spernit. Requiescens accubuisti ut leo, per lõgum tẽpus usque uidelicet ad Constantinum magnum nihil tunc temporis publicè, plenáque iurisditione agens: Quis suscitabit eum, imperiũ uidelicet ipsius? Nullus quippe mortalium, sed diuina uirtus, quæ Imperatoris, & regũ terræ animos mouit ad amplexandam fidem Christi submittendo colla iugo, & ditioni ipsius. Non auferetur sceptrũ, pontificij uidelicet de ecclesia hac Italica, & Romana: nec legis statutor de femore, id est electione ipsius, donec ueniat aut Meßiah in secundo aduentu, aut ille, quem mittet reparatorem suarum rerum dißipatarum. Et hic erit expectatio gentium, ut sub eo fiat unum ouile, & unus pastor: & seruient omnes Christo, & Deo humero uno, & cultu uno: Ligabit tunc ecclesia quencumque pullum generabit ad uitem Christum, & ad ramusculos uitis ô fili mi asinam suam: Est enim inibi sermo uel Patris ad Christum filium dilectum, uel Christi ad uicarium suum de liganda ecclesia ad uitem, quæ ipse est, significatam per asinam fœcundam, & matrem pullorum. Lauabit quoque stolam suam in uino, & in illo sanguine uuæ, de quo dictum est: Hic calix noui, & æterni testamenti est, qui pro uobis & pro multis effundetur in remißionem peccatorũ. Oculi tui uino pulchriores, quia speculatores effecti ueri Christicolæ lactis, & rerum supernarum: quæ speculatio, & cognitio longè melior est, q̃ speculatio rerum inferiorum denotata per uinum. Et dentes illius ruminantes cibum illum cœlestẽ sunt niue candidiores: Hanc benedictionem corroborans Moses ait: Audi Domine uocem Iehuda, id est uerè confitentis, & laudantis te, & ad populum suum, collegium uidelicet electorum introduc eum. Manus ipsius Iehuda, id est uerbi incarnati pugnabunt pro eo, populo uidelicet: & adiutor illius contra aduersarios illius, qui dixit ad Petrum, cuius præcipua sedes est Italica, & Romana; Ego pro te rogaui Petre, ut non deficiat fides tua: & Italiæ pars est Appulia, & Calabria, quæ quondã magna Græcia uocabatur, atq; illi uici-

CHRISTVS.

Moses.

CHRISTVS.

na Sicilia omnes directæ à Leone: cum quibus intelliguntur omnes ecclesiæ coniunctæ, & unitæ cum Latina & Romana. Ex Chaldæis quoque sunt Maronitæ, ut ipsi profitentur, & idioma eorum indicat, qui Romanam ecclesiam sequētes eius ritum penitus obseruant super omnes orientales, dempto solūmodo idiomate: Ad quos Chaldæos pertinent etiam Orchenij, qui (Strabone teste) fuerunt quidam Chaldæorū Astronomi. Phœnices etiam de primis fuere, qui Christum susceperunt: nam inde fuit illa Syrophœnissa, de qua dixit Christus: O mulier magna est fides tua. Et hucusque laudes Dei, & Christi eius in Phœnicia persoluuntur, in Beruto uidelicet ciuitate in Phœniciæ meditullio collocata, ubi est ecclesia fratrum minorum, in quam non modo ipsi fratres, sed Maronitæ, & quotquot ritum ecclesiæ Romanæ obseruant conueniunt.

Strabo

CHRISTVS.

De aliarum duarum benedictionum tribuum huius trigoni concordia cū signis & populis ipsi conuenientibus. Cap. XVIII.



Liæ duæ tribus sunt Simeon, & Gad: cuius Simeonis oraculum iam explicatū est fuisse potius maledictionem, & diuisionē quandam, quàm benedictionē: Hinc munere, & influxu uacuus à Mose Deo pleno, & Iosueh ministro eius pientissimè collocatus fuit in tribu Iehuda, ne superno influxu destitutus, sibiipsiq; derelictus labefactaretur in totum, uel pro maiori parte. Et cum hi Simeonitæ non haberent proprios fines, neque plenam portionem partitæ regionis, uictitabant (ut Hebræi dicunt) de lucro acquisito in docēdo, asserentes non fuisse scriptorem, aut pædagogum, nisi de stirpe Simeonis: Quæ mihi uidentur habere locum in populis, & regionibus Aquario subiectis: quæ sunt Arabia, Aethiopia, Sauromatica, Oxiana, Sogdiana, Azania, & Media: Arabibus enim nulla est determinata regio, sed in aliorum finibus degūt, quamuis triplex sit Arabia, fœlix, deserta, & petrea, quandoquidem in eis non continetur omnis multitudo gentis illius, quæ inde extenditur post Syros, Phœnices, Palestinos, & Carthaginenses, semper inter maritimos populos, & deserta Persica, Aegyptiaca, uel Libyca transiens per Marmaricam & Cyrenaicam regionem usque ad fines Mauritaniæ, & mare Atlāticum; ut in ipsis habeat locum illud oraculi: Diuidam eos in Iahacob, & dispergam eos in Israël, figuratum uidelicet, qui omnem populum, & numerum electorum comprehendit. Dispersi autem, & diuisi Arabes Agareni sunt: de quibus dixit angelus Domini ad Agar (ut in Genesi legimus) loquens de eorum patre, & consequenter de tota familia: Hic erit ferus homo: è regione fratrum suorum figet tētoria: Hi etiam uictitant aliorū præsidiis arte militari, uel huc, illucq; discurrētes latrociniis, & prædis cōtinuis, atque agrorum depopulationibus ditantur, iuxta illud, quod idem oraculum ait: Manus eius contra omnes: Non enim fabricant, nec terras colunt, nec firmas habent mansiones, sed hac illacque discurrunt portantes secum domicilia, quæ quidem tentoria sunt,

Genesis

ut potius in aliorum, quàm in suis finibus collecti uideãtur. Hos sequũtur Æthio pes nati ex Cus filio Cam, qui eandẽ, & deteriorẽ uitã degũt, ut luere uideãtur maledictionẽ, quã Noë dedit posteris per progenitorẽ Cam: quoniã patrẽ calũ niatus fuerat turpiter illudẽs: Ij enim proprios filios uendũt pro uictu: & ex eis sunt aliqui nõ pleno colore nigri ex regione inter Ægyptũ & Æthiopiã proueniẽtes, qui per orbẽ uniuersum uagantur erigẽtes tẽtoria extra ciuitates in agris, & triuiis: deceptionibus, & permutationibus, atq; ꝓgnosticationibus ex liniamẽtis manuũ, & oblectãtes his fraudibus uictũ acquirũt, qui uulgari uoca bulo Cingani nũcupãtur, diuisiq; sunt & ipsi in diuersos populos. De Sauroma tis autẽ, siue Hyperboreis, quos alij Arimaspos uocãt, nõ amplius dicã, q̃ scriptũ reperiã, cũ authores nihil de eis exquisitè dixerint: sunt enim populi in Sarmatia collocati, sicut Medi inter Hyrcanos, Parthos, & Armenos, atq; Persas: Media enim inter duas partes diuisa, altera maior uocatur, cuius Metropolis est Ecbatana, qua Parthi utũtur ꝑ ciuitate regia degẽtes ibi æstate, cũ frigida sit: Hyeme uerò uitã Seleutiæ ducũt, quæ est secus Tigrim prope Babylonẽ: Altera pars Mediæ Atropatia dicitur ab Atropato duce nominata: quorum incolæ cũ Armenis cõiũcti affinitate Armeniæ ipsi Mantianæ ad orientem adiacẽtes: sed Persis potißimè confœderati adhærent: Achesuaros enim quẽ nostri Assuerũ dicũt, Rex fuit Persarũ, atq; Medorũ, ut in libro Hester legimus: Cuius ortus, & origo fuit in Susa, quã Hebræi שושן Susan, nostri autẽ Susis dicunt: Et est regio à finibus Persicæ oræ usq; ad Babylonicã regionẽ ad Tigris ostia triũ milium fere stadiorum habẽs ab aquilone Medos: De quibus relatu dignum com perio nihil, nisi quia semper didicerunt subiici aliis adhærentes. Restat Oxiana, Sogdiana, & Azania regiones inter Bactrianos, & Massagetas, Nomades, & eam, quæ Sacra regio dicitur: Quæ omnes cum obscuræ sint, nullam de se memoriam præstitere scriptoribus, nisi quia domos non habent, & pecoribus, ac lacte uiuunt, maximè equino: Vicinis autem regionibus, intra quarũ fines habitant aliquantulum nominatæ, Bactriana enim suo Zoroastre splendet: Massagetæ uerò Thomyri regina, quæ Cyrum Persarum regem debellauit: Azaniæ autem oppida simul cum memoria deleta sunt. Vltima illius trigoni familia fuit Gad, qui primus est Zelphæ ancillæ Liæ filius, Iahacob autem septimus, undè nomen eius ex duabus literis septem importantibus accommodatißimum est: Hebræi enim duabus literis tantummodo ipsum nomen scribunt hoc modo גד Gad quarum ג gimel tria, ד dalet autem quatuor in numero reddunt: qui simul iuncti septem constituunt: Nos autem castrametationis ordinem prosequentes sextum locum ipsi aßignabimus: nam omnes illorum ordines, cum uarij sint uno con textu sequi non poßumus: Huius igitur benedictio fuit: Gad fœlix, aut eufortunium fortunatos nos faciet: & ipse fortunatus erit calcaneo, uel uestigio. Et nescio quomodo traductum habeamus: Gad accinctus præliabitur contra eum, & ipse accingetur retrorsum: Gad enim non accinctum, sed fœlicem aut

Hest.

Hebræi.

bene fortunatū significat: ut explicatum habemus à matre, uel à domina ancillæ parturientis, quæ illo suscepto filio inquit בגד bagad, id est in prosperitate, uel eufortunio, siue, ut nostra traductio habet, fœliciter: Cuius fœlicitatem, aut bonam fortunam pater Iahacob declarauit in calcaneo: Moses autē ipsam deduxit usque ad uerticem dicens: Benedictus in latitudine Gad, quasi leo accubuit, & deprædabit robustus usque ad uerticem. Dilatauit quidē, & auxit Moses influxum, & bonam fortunā ipsius: quia præcessit audacter, & fideliter omnem Israël in bello cōtra gentes, quas iusserat Dominus expelli de terra ipsi po-
Nume. pulo promissa, ut in libro Numerorum legimus. Eufortunium autem ipsius non fuit sacerdotium, neque regnum, aut sapiētia, uel insigne aliquod acquisitum in-
Aristo. dustria, uel ingenio: quia (Aristotele teste) ubi hoc uiget, ibi minus est de fortuna: sed in bello, peculiis, & diuitiis, quibus affluētes uulgò fortunati dicuntur. De huius autem tribus diuitiis ibidem legimus: Reuben, & Gad habebant pecora multa, & erat illis in iumentis substantia multa: Vndè uoluerant ultra Iordanem in pascuis illis uberrimis degere: Hinc cum suo Capricorno, iuxta quem castrametatus fuerat, & cum regionibus, & populis ab eo directis conuenit: quæ sunt Macedonia, Thracia, Illyria, India, Ariana, & Gerdosia. Macedones autem fuere bello fortunati, maximè Alexandro duce: Pecoribus quoque,
Strabo & argento ditissimi: ideo (ut Strabo ait) Philippus inde maxima ex metallis, & reliqua locorum ubertate uectigalia constituit: Ad cuius Macedoniæ meridiem est Thessalonica oppidum quondam spoliis opulentissimum. Thraces quoque & Illyrici diuitiis multis abundant: Bizantio, Adrianopoli: & multis oppidis, mercibus, & diuitiis celebres. India autem Ariana ab Indo fluuio auro locupletissima est. Gerdosia uerò aut Gedrosia aromatibus tantū, maximè myrrha & nardo abundat. Ii igitur omnes benedictionem Gad consequuti ipsi in hoc particulari munere quam optime æquiparantur. Ex electione autem, & fide, si aliqua in eis est, in Israëlitica familia recensentur.

De concordia benedictionum trium familiarum, quæ castra locarunt cōtra tertium trigonum, cū populis ab ipso directis. Cap. XIX.



IN tertio Trigono castrametati sunt Ephraim, Manasse, & Bēiamin: Quorū primis simul data fuit ab auo Iahacob huiusmodi benedictio: Deus, qui pascit me ab adolescentia mea usq; in præsentem diem, angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, & inuocetur super eos nomen meum, & nomina patrum eorum, & crescāt in multitudinem super terram. Nec aliud in particulari habemus de Ephraim in benedictionibus paternis, nisi quia Iahacob cancellatis manibus posuit manū dextram super eū, cū esset iunior, dicens: Hic maior erit fratre suo minori. Cur autem præmiserit minorem, & postposuerit maiorem, id est in causa, quia pater Ioseph suscepto Manasse dixit: Obliuisci me fecit Deus laborum meorum, &

domus patris mei: Quod uerbum minus consultè dictum fuit, quia in iniuriã domus paternæ cum aliquali displicentia, non sine culpa, & perturbatione cordis proferentis illud, ideo ipsi à Iahacob Deo pleno præpositus fuit Ephraim, in cuius natiuitate meliori dispositione dixit Ioseph: Crescere, uel abundare me fecit Deus in terra afflictionis meæ: Vndè hic potius est bona, ille autem huic malam dispositionem patris: Et de utroque prosequens Ioseph subintulit: In te benedicetur Israël, atque dicetur: Fiat tibi, sicut Ephraim, & Manasse. Similiter & Moses eos simul prosequens, & benedicens ait: Hæ sunt multitudines Ephraim, & hæc milia Manasse. Et cum simul ab utroque benedicti sint, nos patres illos sequentes simul de ipsis loquemur, in quos etiam peruenit benedictio locupletissima data patri suo Ioseph, cui Iahacob ait: Filius remunerandus Ioseph, filius remunerandus, pro beneficio uidelicet summæ liberalitatis fratri, & patribus in Ægypto exhibitæ, cum fames desæuiret. Nec bene habet traductio nostra filius accrescens, cum uerbum illud פורת porat non sit Hebræum ueniens à פרה parah, quod fructificauit, aut creuit significat, sed est uocabulum Ægyptiacum remunerandum, uel dignum remuneratione importans. Et decorus aspectu, Filiæ scilicet Ægyptiorum discurrerunt, aut ambularunt supra murum, ut uiderent scilicet pulchritudinem eius: Et hoc quãtum ad literam dictum sit, quam pro nũc sequimur omissis altioribus mysteriis, quæ in penetralibus latẽt: Amaricare fecerunt eum, & contenderunt secũ sagittarij, aut patroni sagittarum, ut habet ueritas literæ, qui in malam partem à sacra scriptura accipiuntur, pro duris uidelicet, & offendentibus proximum. Et ij fuerunt fratres eius, qui uolebãt occidere eum, & tandem uendiderunt: Sed quia Dominus insontes liberat eripiẽs eos de manu iniustè opprimentium, ideo sequitur: Reuertetur in fortem, & in proiicientem, uel dirigentem arcus eius: Nam mala, quæ uolebant potentes fratres eius inducere super puerum Ioseph, redundarunt super capita eorũ: & undè id fiat, exprimit subinferẽs: Disperdetur fortis manus eius à manu fortis Iahacob, q fortis Deus est: Sequitur: Inde, à Deo uidelicet uel Israël, ueniet pastor lapidis Israël: Lapis enim uerus est ille, de quo dicitur: Et super hanc petrã ædificabo ecclesiam meam: Pastor uerò ille, qui ait: Ego sum pastor bonus: Qui non ex Ioseph, sed ex patre eius, & à Deo processit, ideo notanter dicit, inde: attribuit enim priuilegium hoc celeberrimũ patri, quod filio attribuere nequiuit: & ne iactabundus de seipso loqui uideretur, dixit quòd inde ueniet: & quia id nõ poterat fieri, nisi à Dei uirtute, ideo seqtur: A Deo patris sui, & adiutore tuo, & Sadai (pro quo nos omnipotentem habemus) erit istud uidelicet: & benediceris benedictionibus cœli desuper, & benedictionibus abyssi iacentis sub benedictionibus uberum, & uuluæ: quæ non absq; mysterio dicta credãtur: nõ enim tantũmodo de uulua, & uberibus mulierum, & de cremento in duas tribus loquitur: quia hæc paruipẽdẽda essent, sed de supernis innuit oraculum: ab uberibus enim illis supramũdanis lac suxerunt prophetæ omnes, & de uulua illa, quæ

CHRISTVS.

pietatē indicat, fuit benedictus Abrahā. Ioseph igitur cū īferior fuerit Abrahā, nec habuerit in tribu, uel in tribubus suis ꝓphetā lactētē ubera illa excelsa, ideo benedicitur tantūmodo inferiori benedictione, quæ est congeminationis familiæ suæ cū donatus fuerit priuilegio duarū tribuū: quarū una dicta fuit Ephraim, altera autem Manasse, ideo sequitur: Benedictiones patris tui roboratæ, & auctæ sunt sup benedictionibus cōcipiētis, aut cōceptus, & cōgeminationis tribus. Quæ benedictio extēdetur usq; ad desideriū colliū excelsorū, aut collium mundi, uel occultorū: quia suū desideriū erit non tantū familiæ multiplicādæ, & rerum terrenarū, sed etiam ab excelsis collibus cupiebat aliquid haurire: & hausit quantum ipsi datum erat desuper: Sequitur: Et hæc omnia sint in capite Ioseph, & in uertice Nazarei, id est separati à fratribus suis, iuxta illud quod supra dicitur: Do tibi partem unā extra fratres tuos: Aequum enim erat, ut seorsum aliquid acciperet à patre, q indebitè expulsus fuerat à fratribus: à qua benedictione, quantum fas erat, dilatata, & intra limites suos cōtenta nō discedēs

Moses. Moses ait: De benedictionibus Domini terra eius, scilicet benedicatur, de fructibus cœli, & de rore, & de abysso latēte, subter terra illa uidelicet, & rore, qui est ultimus fons benedictionis supernæ. Prosequitur benedictionē circa huiusmodi inferiora dicēs: De fructibus solis, id est à sole generatis, & de fructibus lunæ, à luna uidelicet æditis (Sol enim generat, & luna partum ædit) & de uertice mōtiū oriētis, & de fructibus colliū mundi: Mōtes enim oriētis, q in Hebræo dicitur קדם kedem, mōtes supernæ regionis significant, in qua plantatus dicitur paradisus uoluptatis. Colles autē mundi hos inferiores significāt, de quorū fructibus sequitur: Et de fructibus terræ, & plenitudinis eius, & ouiū uidelicet fœcunditate: Habitator Sina, id est habitaturus, & daturus legē in Sina, deducat super caput Ioseph, & super uerticem Nazarei eius, sicut nuper expositum est. Primogenitus tauri, illius uidelicet excelsi, quē uidit Ezechiel à sinistris supni tribunalis, est decor uel pulchritudo eius: Et cornua unicornis cornua eius: illis enim cornibus animal defendit se ab infestātibus: & his defendūtur alij à ueneno: Sic & Ioseph nō solū defensus fuit ab insidiis fratrū, sed à falsa calūnia uxoris Putiphari. Defendit quoque patrē, ac fratres ab exitio famis prævalidæ.

7 Sed ad Ephraim reuertamur. Hic castra locauit iuxta pisces: Cuius imaginis, regiones sunt Lycia, Lydia, Cilicia, Pamphilia, Phazania uel Hazania, ut alij dicūt, Nazamonitis, & Garamantica. Lycia, & Lydia, atq; Mysia sunt paruæ Asiæ regiones mediterraneæ ab olympo mōte usq; ad Pāphiliā, cui succedit Cilicia, opulētæ quidē & fertiles, sed adeò confusis terminis, ut uix extet antiqua memoria: Nam cum sæpe alij, atq; alij imperauerint, aliæ cōfusæ sunt, aliæ penitus euersæ: Capta enim Troia Phryges, ac Mysii imperauerunt illic, deinde Lydij, post eos Aeoles, & Iones, deinde Persæ & Macedones, postea Romani, postremò Turcæ, sub quibus nedum Asiani, sed alij quāplurimi populi linguas, & nomina simul amisere: Quæ regiones in ea ratione, qua fructibus & homi-

nibus fœcundæ sunt, cum Ephraim *conueniunt, qui frugifer interpretatur*. Cilicia *uero* Tharso; & Paulo *celebris: qui quamuis de tribu* Beniamin *fuerit, tamen in regione correspondente* Ephraim, *de quo est benedictio illa data patri suo* Ioseph: Inde *pastor lapidis* Israël: Fuit *enim* Paulus *uniuersalis pastor ouiũ lapidis: qui* Christus *est, & uerum fundamẽtum totius* Israël. Garamantica *autem regio in* Libya *interiori ultra* Marmaricam *usq; ad* Ethiopiam, *sub* Aegypto *usq; ad* Ammonẽ *procedit: cui similis est palmifera, & aquosa: ubi adsunt, &* Nazamones, Psylli, & Getulorum *pars*: Quorum *regiones satis fœcundæ referuntur, sed in particulari non multũ nobis cognitæ: quia illuc difficilis & rarus nostratium accessus*: Manasses *autẽ contra* Cancrum *castra locauit: cuius imaginis sunt* Bithynia, Phrygia, Colchica, Numidia, Aphrica, Carthago, & Carchedonia, *regiones quidem non maiori dignitate præditæ, quàm ferat oraculum de* Manasse: *connumeratur enim hæc inter duodecim tribus fœcunda satis, & ipsa communi portione benedictionis communicans*. Nec *aliquid magis singulare de regionibus illis dicitur, quàm de familia ista, de qua inquit* Moses: Et *hæc* milia Manasse: Quod *quidem duobus modis intelligi potest: aut quia sit numerosa tribus per illud milia expressa: aut influxus denotatur, qui est ab* א aleph, *quod mille significat, sed primo ipsum Deum, à quo omne bonum, ac si dicat*: Hæc *sunt quæ tibi concessit Deus, ut satis abũdanter, & cõmuni uita uiuas inter alios populos*. Nec *aliud insigne ipsi particulariter attribuitur*. Tertium *locum in hoc trigono tenuit* Beniamin *contra* Scorpionem, *qui regit* Syriã, Cõmagenẽ, Cappadociam, Metagonitem, Mauritaniam, & Getuliam. Eius *autem benedictio data à patre* Iahacob *hæc fuit*: Beniamin Lupus *rapax manè capiens prædam, & uespere diuidet spolia*. Sed Moses *longa distantia uidetur eam prosequi dicens*: Amantissimus *Domino habitabit confidenter, in eo quasi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet*. Verum, *ut patet bene intelligenti, in idẽ cõueniunt uerba utriusque*: Ad *literam de* Saul *unico rege de tribu* Beniamin *uterque uaticinatus est, fuit enim ueluti lupus qui occultè rapuit prædam: nam occultè introiuit in regnum, quod debebatur tribui* Iehuda, & *hoc obtinuit à mane usq; ad uesperam uitæ suæ*. Et *quod à mane usq; ad uesperam inquit* Iahacob, Moses *per totam diem innuit, cum asserit morari eum in thalamo, id est tribunali regio*: Cõpleto *enim uitæ curriculo diuisa fuit præda, quia ad domum* Dauid, & *ad domum* Iehuda *deductum fuit regnum, quod ab ea quasi præda per diem uitæ* Saul *sublatũ fuerat*: Requieuerat *enim regnum (inquit* Moses) *tempore uidelicet* Saulis, *super humeros eius*: Super *humeros quippe illos, de quibus dicitur*: Eminebat Saul *super alios ab humeris supra*. Sed *quid ad populum correspondentem tribui* Beniamin, & *qui castrametatus est iuxta* Scorpionem, *uideamus*: Est *enim sub hac imagine in* Asia Syria Cõmagenæ *continua, quæ à* Tauro *monte confinia suscipit ultra quem, & subsequentem* Armeniam *est* Cappadocia *ab eodem signo directa*: In Aphrica *ue-*

Moses. Idem.

rò Metagonia, quæ est Carthagini nouæ contigua, Mauritania, & Getulia: quarum populi manè comederunt prædam illam, de qua dicitur: Ad prædam fili mi ascendisti. Proposuit enim Redemptor mundi cœleste pabulum nobis comedendum, quasi prædam quandam, ereptum à Patre, uel de manibus hostium nos impedientium: Quod comederunt hi populi manè, quando fidem Christi paulo antè crucifixi suscepere: Sed uesperascente die euangelico malè diuiserunt spolia adhærentes spurcissimo Mahumeti tam Asiatici illi populi, quàm Aphricani, qui omnes diuisi sunt à Christo per plura tempora: In qua diuisione permodicū (ut opinor) perdurabunt, quia citò (ni fallor) ueniet iubente Deo illa dies, in qua fiet unum ouile, & unus pastor: Qui populi aliquo modo fuerunt diuisi, aliqualiter uerò minimè, sicut de antiqua illa, & figurãte familia in tertio uolumine Regum legimus, in qua diuisæ fuere decem tribus à domo Iehuda, in qua erat regnum & templum, & ab imperio Dauidicæ stirpis: Nam sicut illi penitus destituti non fuerunt, quamuis apostatæ in uitulorum adoratione reperti: siquidē ad reges mittebãtur prophetæ ad populos illos dirigendos, & instruendos, ut semper Deus in Iahacob dominaretur, Pari modo prosecutus est hanc familiã diuisam ab ea, quæ uerè Christiana est, cum adhæserit spurcissimo Mahumet: Nã ipsis relicta est utraque lex, Mosaica scilicet, & euangelica: ex quarum quali bet aliqua acceperunt, quæ obseruent Christum uenerantes natum ex uirgine, quamuis passum denegent, ut & ipse Christus dominetur in Iahacob, & in omnibus finibus terræ.

De concordia benedictionū reliquarum tribuum, quæ castrametatæ sunt contra quartum trigonum, cum populis ab ipso directis. Cap. XX.


N quarto signorum ternario castra locarũt Dan, Asser, & Nephtalim: Dan enim cum populis à Virgine directis conuenit, qui sunt Græci, Achæi, Cretenses, Babylonij Mesopotamij, Assyrij, & Elamitæ: Græcia enim latiora extẽdens confinia (ut Geographi assignant) à Bosphoro usque ad Acarnaniam, quæ Achaiam (quam Phthiã dicunt) includit, & etiam Cretam cum multis adiacentibus insulis. In quibus regionibus uiguit literarum studium humanis ingeniis acquisitum. Nec minus in Babylonica regione, cuius principiū ab oriente est Susis, ut Strabo refert, & Ptolemæus ostendit: Ab aquilone Euphrate circundatur: Ab alia parte Arabia: & à septentrione Armenis terminatur: Quæ adeò studiis incaluit, mathematicis potissimum, ut etiam in plures sectas Babylonij distenti sint: Eorum enim aliqui Chaldæi dicti Genethlialogiam profitentes in Orchenos, & Borisphenos diuisi sunt: Horū Borispheni à Borispa ciuitate Dianæ & Apollini dicata denominantur. Mesopotamia inter Tigrim & Euphratem sita est, regio quidem in pascuis uberrima, Babylonicæ prouinciæ contigua, inde & doctrinæ illius particeps. Hic enim Abraham omnium uerorum astronomorum facilè princeps diuinam astrologiam primo ab hominibus, sed perfectius diuina collustratione didicit:

Strabo. Ptolem.

Cui contigni sunt Assyrij, & Elamitæ non mediocri sapientia referti, ut in Ioanne Damasceno, Pherecide Syro, Bardassane, Eusebio Cæsariēsi, & multis aliis comprobatur: Ij enim clarissimi uiri fuere post Apostolos, & Prophetas, qui & ipsi Assyrij extitere: Sed hos cum sapientibus doctrinæ humanis ingeniis acquisitæ non connumeramus, cum eorum sapiētia longè excesserit humanam. De populis igitur istis, & principibus, qui humanæ sapientiæ uacabant, dici potest, quod de Dan inquit Iabacob: Dan iudicabit populum suum, sicut & alia tribus: Iabac. quia uidelicet in his populis erūt sapientes ad iudicandum. Idē prosequitur Moses, quamuis aliis uerbis utatur: Ait enim catulus leonis Dan. Non quippe fuit Moses. ipse leo ferarum rex, sicut Iehuda, de quo scriptum est: Vicit leo de tribu Iehuda: sed catulus leonis dicitur, quasi filius regis: Nulli enim tribui datum est uerū regnum, nisi tribui Iehuda: cæteris autem per quandam participationem illius regiæ hæreditatis. Quod autem sequitur Iabacob, dum ait: Erit Dan coluber in uia, cerastes in semita mordens ungulas equi, ut cadat ascensor eius retrorsum; hoc totum ad Sansonem refertur, qui fuit de tribu Dan, mirandum quippe atq; stupendum exemplar roboris, & fortitudinis: Hic enim momordit ungulas, & pedes equi, id est roboris Philistinorum, quando euulsis columnis palatij, quibus tāquam pedibus quibusdam sustentabatur, corruere fecit principes, & insigniores uiros Philistinorum, qui illic aderant. Sed cum hæc omnia à Deo decreta fuerint, ideo sequitur: Salutem tuam, ut uidelicet saluus fias à casibus istis, uel salutem tuam, id est fortitudinem tuam à Domino expectabis: Pro quo nos habemus: Salutare tuum expectabo domine. Quod & Moses aliis uerbis explicat dicens: Fluet, scilicet hæc tua fortitudo largiter de Bassan, id est de pinguedine illa supramundana, undè omne datum optimum. Nec desunt, qui hoc oraculum aliter interpretentur, de Antichristo uidelicet, quem de tribu Dan nasciturum existimāt, qui erit hæresiarcha, & tortuosus coluber omnes cadere faciēs, quos mordebit: Cuius uirtus fluet de Bassan, id est de siccitate gratiæ, & pinguedine rerum temporalium: utrunque enim Bassan significat. Hinc opinantur etiam hanc tribum Dan à Ioanne in signatorum supputatione posthabitam, ne tanti sceleris origo computetur in beatorum numero: Hic enim mordet equos illos, de quibus ait Abacuc: Qui ascendis super equos tuos, constrictos uidelicet chamo, Abacuc. & freno ueræ disciplinæ, & uirtute diuini nominis, de quo ad præsens fari nō licet. Asser uerò assignabimus Libram, cuius regiones sunt Bactriana, Caspiria, Syriaca, Thebais, Oaxis, & Troglodytica regio. Bactriana est ab Oxiano fluuio in aquilone, & oriente uallata: à meridie uerò Arianis conterranea intercedente Caucaso monte: ab aquilone autem Margianis, & Hyrcanis: estque dromedariis & elephantibus fœcunda, atque rerum aliarum copia satis fœlix: Insuper suo Pharaote à Philostrato, Zoroastre autem à quamplurimis celebrata. Caspiria à Bactriana non multum distat, monte & mare Caspio celebris: cuius incolæ in parentes nimis impij: quandoquidem eos, cum ad septuagēsimum

annum deuenerint, fame & inedia enecãt. Syria tota à septentrione Cilicia & Amano terminatur: oriẽtem uersus Euphrate: ad austrum fœlici Arabia: ab occidente autem Aegyptio, & Cyprio mari, regio quippe multa fœlicitate præclara. Thebais inter Nilum fluuium, & Libycos montes: Post quos Oaxites usque ad fontem Solis, & ultra extenti. Troglodytica autem regio distẽditur per lineam ad Arabicum sinum usque ad montem Elephantem: Incolarum uita pastoralis est, mulieres & filios communes habent, nisi quæ tyrannorum sunt, qui quamplurimi inter eos reperiuntur: Horum uerò uxores si quis corruperit, oue mulctatur. Sed uideamus, quantũ istis populis conueniant ea, quæ de Asser oraculum perbibet: Ait enim Iabacob: Asser pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus. Et Moses: Benedictus in filiis Asser, sit placens fratribus suis, & intingat in oleo pedem suum: ferrum, & æs calciamentum eius: sicut dies iuuentutis, ita & senectus. Pinguedo cibi ipsi attributa ad eas refertur regiones, quæ fertiles sunt, & inde placidæ inter fratres, & cõterraneos suos. Verum quod dicitur: Ferrum, & æs calciamentum eius, ad Caspicos refertur, qui crudeles, & impij in parentes dicuntur. Quod autem iuuentutis dies cum senectute æquiparantur, indicat regiones illas nullas, aut paucas mutationes fecisse, sed per diuersa tempora eosdem mores fuisse prosecutas: Idem enim cultus, ingenium, & mores apud eos quasi semp extitere. Nephtalim quippe Sagittario dabimus: cuius regiones sunt Thuscia, Colchis, Hispania, & fœlix Arabia. Thuscia inter Tyrrhenum mare, & amnem Tyberim fructibus multis nobilibus, & tempestiuis referta est, sed facilè præstigiosa. Colchica regiò est inter Iberiam, & Pontum Euxinum, & ab illa Caucaso monte disterminata: Corante autem fluuio aquilonari parte à Sarmatia Asiatica distincta: sed occidentali Moschio mõte, Trapezis autem conterranea: Ex ea quoque parte quæ est aduersus Sarmaticos cãpos omnigena sylua ditissima, maximè his arboribus, quæ fabricandis nauibus idoneæ sunt. Arabiam Fœlicem à septentrione deserta alterius Arabiæ distinguunt: ab oriente Persicus sinus: ab occidente Arabicus: à meridie mare magnum, quod extra utrunque sinu est: Fœlix quidem quamplurimis gummis, & odoribus, & tanta opulentia, ut Alexander Macedo mirum inmodum ipsa delectaretur, prout Historici meminerunt. Fœlicior autem fuit lege data in monte Sina non sine mysterio, quod Apostolus innuit, quamuis non explicet, dum ait: Sina mons est in Arabia coniuncta ei, quæ nunc est Ierusalem, quæ est mater nostra: Profundiora enim sunt uerba Apostoli, quàm in uoce resonant. Hispania ad meridiem Sardium habet mare, ab occidente Atlanticum usque ad septentrionem, à qua parte quidem syluestris, & noxia est: ab austro uerò uniuersa ferè fœcundissima, & fœlix: Quibus regionibus si elogium Nephtalim conueniat, uideamus: dixit enim Iabacob: Nephtalim ceruus emissus dans eloquia pulchritudinis. Sed Moses ait: Nephtalim abundantia perfructur, & plenus erit benedictionibus Domini: mare, & meridiem possidebit. Pro cuius literæ declaratione

Iabac.
Moses.
Nephtalim.
Paulus

sciendum est ex terra Nephtalim demessos semper primos fructus, qui tanquã primitiæ offerebantur Domino: In qua etiam oblatione persolucbantur iucundæ, & pulchræ laudes Deo, Ideo inquit Iabacob ipsum dare eloquia pulchritudinis, cum quo Moses dicit ipsum frui abundantia, & benedictionibus plenum, atque possidere mare, & meridiem, supercœlestem uidelicet, undè omnis benedictio, largitas, & affluentia: ubi etiam est reconditissima uis ceruorum superexcelsorum, qui adiurantur in Canticis: Ideo Iabacob uocat eum ceruum emissum, quia inde eius uirtus, & affluentia: qua fœcundata regio ascripta Nephtalim tempestiuiores fructus, quàm aliæ regiones præbens, primitias Deo offerendas præstabat: & inde ipsi soluebãtur pulcherrimæ laudes, & eloquia pulchra. Præbet & Arabia fœlix thura, & thymiamata, quibus solemus persoluere Deo solennes laudes, & orationes dirigere in eum simul cum ipso incenso, ut de ipsa quoque dici possit: Præbet eloquia pulchritudinis: Profert quoq; Thuscia, & Hispania tempestiuos fructus, maximè huius ea regio, quæ ad meridiem habet mare mediterraneum, iuxta illud Mosaicum: Mare & meridiem possidebit: Quod secundum literam, quomodo saluari possit, minimè uideo, quamuis aliqui minus periti in mundi descriptione inepta quædam dixerint, ipsam uidelicet tribum sortem habuisse ad mare Tyberiadis: Quod stare minimè potest, cũ inter ipsum mare & tribum Nephtalim intercidat tribus Issacar, & brachium quoddam tribus Manasse. Nec desunt, qui ineptius dicant tribum ipsam habuisse sortem ad mare Tyrrhenum, qui ridendos potius se præbent, quàm confutandos. Nec de mari Syriaco potest uerificari litera, cum illud habeat perpaucũ, & hoc in plaga occidentali: Nam tribus Dan illa maritima occupat usque ad tribum Simeonis, & Philisteam. Alibi igitur exquirẽda est ueritas Mosaici oraculi, postquam in cortice literæ haberi nequit. Secundum quippe sensum anagogicum habet mare supramundanum, & uerum meridiem, & austrum perflantẽ, à quo largam affluentiam, & tempestiuos fructus suscipit. In sensu uerò nostro allegorico Hispanam regionem significat, quæ à montibus Pyreneis usque ad columnas Herculeas gaudet illo mari Sardio in meridiana plaga, quæ etiam fertilior est cæteris Hispaniarum regionibus: quibus Hispanis oraculum quoque secundum literam, & etymologiam uocabuli accommodari potest, ut bene dicantur cerui emissi, cũ uelocissimi, agiles, & graciles sint, ueluti cerui, qđ etiã interpretatio Chaldaica indicat: Hispani enim accincti, uel expediti interpretantur. Dant quoque eloquia pulchritudinis, cum uagus, & lepidus sit sermo illorũ ex Ioue forsitan, & Sagittario, ut dicerent Astronomi. Alia multa possemus adducere pro harum rerum concordia, sed hæc pauca sufficiant ad inuenienda potius, quàm bene explicanda huiusmodi sacramenta, cum hoc impossibile sit: Nam quamplurima maiora his abscondita sunt, quæ partim non uidemus, & partim effari non licet.

Moses. Astron.

Digreßio quare Paulo celeberrimo apostolo nulla fuerit aßignata particularis tribus, aut regio. Cap. XXI.



Ec prætereundum censeo, cur Paulo, qui plus cæteris laborauit, nulla tribus, nulla familia, uel ecclesia, nullaque regio aßignata legatur: Id autẽ (ut clarè cõiicio) in causa fuit, quia ipsi non unius tantum, sed omnium ecclesiarum, tanquam uniuersali pastori, aut generali uasi electo in salutem omniũ gentium cura demandata fuit, ut ipsemet cum Corinthiis differens ait: Instantia mea quotidiana, & solicitudo omniũ ecclesiarum. Sicuti quoque regius Vates Spiritu sancto plenus in triumphanti carmine decantat dicens: In ecclesiis, nouis uidelicet ex omnibus tribubus collectis, benedicite Deo Domino de fontibus Israël, de fontibus quippe Apostolicis duodenis, quorum typum gerebant duodecim tribus, & illarum duodecim fontes Elim. Sed quia figuratiui fontes defecturi erant, bene illos effigiantes defectiui dicuntur: Elim enim deficiens interpretatur. Veri autem, & figurati fontes nequaquam deficiunt, sed (summa Veritate attestante) ex illis fluit aqua, atq; fontes uiui salientes in uitam æternam, & continuè irrigantes regiones ipsis creditas. Fons itaq; fuit Petrus, fons Iacobus, fons Ioannes, fontes deniq; Apostoli omnes unusquisque irrigans suam familiam: Paulus autem omnium uberrimus fons omnes irrigabat: Hinc sequitur Vates: Ibi, id est in omnibus ecclesiis illis, Beniamin adolescentulus in mentis excessu, & raptus usque ad tertium cœlum, & ubera illa excelsa, à quibus hausit lac, & aquam, quam propinaret omnibus ecclesiis: Idcirco omnes interpretantur hunc Beniamin pro Paulo, qui & de eius familia oriundus fuit, & quia ea, quæ oraculum profert, de eodem uerificãtur ad uerbũ: ait etenim patriarcha Iabacob: Beniamin lupus rapax manè rapiet prædã, & uespere diuidet escas: Raptor profectò fuit in primordio suæ ætatis, quando persequebatur ecclesiã Dei: sed in uespere senescens adeo diuisit escas, & spolia, ut diceret: Omnibus omnia factus sum, ut Christo lucrifaciam. Nomẽ quoq; biforme utriq; cõueniens obseruandum censeo: Ille enim postremus nostri Patriarchæ Iabacob filius dictus primo fuit Benoni, id est filius doloris mei: quia mater ipsum extremo dolore peperit: Postea à patre, Beniamin id est filius dexteræ fuit nuncupatus. Non secus Paulus fuit, qui primo fuit ecclesiæ filius doloris, dum ipsam acriter persequeretur usq; ad eius extremã internicionem, si ei permissum fuisset desuper: Sed Christi uoce admonitus mutatus fuit in uirum alterum, & effectus uerus filius dexteræ, dum ipsum uocãtẽ, cuius propria sedes est ad dexterã Dei patris, in cordis penetralibus adeo omnibus suscepit uiribus, ut non ultrà sibiipsi uiueret, sed magis hospiti dicens: Viuo ego iam non ego, uiuit uerò in me Christus. Nec ipse deinde ex se loquebatur, cum Christus ei uerba suggereret, ut alibi testatur: An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus? Hinc non sine mysterio Paulus filius dexteræ iam effectus non solum à pictoribus, quibus simul cum poëtis, Quidlibet auden-

Paulus — David — Iabac. — Paulus — Idem. — Idem. — Horati.

di semper fuit æqua potestas, sed etiam in sigillis diplomatũ apostolicorũ ad dexterã Petri collocatur. Nec opinãdũ censeo beatũ Syluestrum & priscos illos patres in ecclesiastica disciplina omnino peruigiles hunc ordinem tantorũ principũ à casu, aut inconsulto in sigillis apostolicis permisisse, sed Deo pleni sacra mysteria inspicientes de industria ad dextram posuere illum, qui bellauit bella prĩcipis dexteræ, q̃ est Christus IESVS: Fuitq; miles admodũ strenuus, & super omnes laborans Imperatori suo innumeros cõmilitones ascripsit, quos ex diuersis gentibus, nationibus, & tribubus collegerat: vndè & doctor gentiũ à summo Imperatore appellatus est: Prædicauit enim, vt ipsemet ait, euangelium Christi, vbi Christus minimè nominabatur, sicut scriptũ est: Quoniã, quibus non est annuntiatum de eo, videbunt: & qui non audierũt de eo, intelligent. Vt igitur ad gentes deferret euangelium, accessit ad Arabes, Græcos, Italos, Hispanos, & diuersarũ gentium regiones magnam orbis partem peragrans, & cũ Petro denique apostolorum principe vniuersalis ecclesiæ curam suscepit fauens virtute dexteræ diuini verbi, sicuti Petrus eandem sustentabat sinistra iudicij sibi crediti. Hinc ille gladio spiritus, quod est verbũ Dei, hic autẽ clauibus iudicij nobilibus stẽmatibus decorantur: Et ex vtraq; parte cõplexi Christum secuti sunt, qui semper meditulliũ in ecclesiastico regno tenuit, quãuis ex patris dextera prodiens illuc iterũ reuersus sit: Et quia sunt in peregrinatione cõplexi, & simul pro Christo interempti insimul quoq; regnant. Ibi itaq; Beniamin in mentis excessu, quia ad superna eleuatus vidit arcana Dei, quæ non licet homini loqui. Et cũ hoc præclaro exercitus magistro non sine mysterio connumerantur principes Iehuda, principes Zabulon, principes Nephtalim, vt per hos intelligantur principes omnes, & milites, qui pugnãt contra omnigenas nostrorũ hostiũ turmas, quæ ad triplicem aciem à Iohanne, & à nostris sapientibus reducũtur: Princeps enim militiæ fidei, & debitæ summißionis contra superbiæ aciem Iehuda decantatur. qui laus, & confeßio interpretatus eos regit, qui deum corde, & ore confitentes eum tanquam Dominũ, & omnium bonorum doctorem recognoscunt. Princeps verò turmæ spei Zabulon dicitur, qui fortitudinis habitaculũ significat, in quo collecti milites, & tutela spei muniti belli duritiem, atq; horrorem minimè timent. Princeps autem charitatis est Nephtalim, qui dilatationem, aut verius (vt suprà tetigimus) æquationem significat: Charitas enim cor, & cũcta dilatat, atq; omnia æquat: Et hæc turma contra auaritiam, odium, factiones, & omnia veræ paci inimica erigitur, sicut spei propugnacula cõtra eneruantẽ, & mollem lasciuiã. Sub magno itaq; & insigni duce Paulo, & summo Imperatore Christo omnes trinaria turma cõtra tricipitẽ hostẽ, & immanem illũ, dirũq; Cerberũ militamus: Ideo Paulo tanq̃ totius exercitus magistro nõ una particularis, sed vniuersalis aßignatur ecclesia, sicuti Petro à sũmo Principe iudici cõstituto omnis Reipublicæ Christianæ iurisditio demandatur. Isaiæ

Quid sibi velit in castramentatione circa tabernaculum fœderis illa interiecta quinaria turma. Cap. XXII.



Nume.

Isposita itaq; castrametatione, circa tabernaculũ fœderis aut citationis, vbi citabatur populus ad diuinum oraculum, interiecta fuisse legimus in libro Numerorum tentoria quinque inter tabernaculum & duodenas illas tribus ipsum circumplectentes: Horum duo erant Mosi, & Aaron: de quibus ibidem dicitur: Castrametabuntur ante tabernaculum fœderis, id est ad orientalem plagam Moses, & Aaron cum filiis suis habentes custodiam sanctuarij in medio filiorũ Israel, quo quisque alienus accesserit, morietur, Alia quoq; tria tentoria filiorum Leui tendi iubentur per tres familias, quæ sunt: Caatitæ ad meridiem, Meraritæ ad aquilonem, Gersonitæ ad occidentem: Et hæ omnes cum suis assignatis curis: super quorum omnium principibus princeps erat Eleazar filius Aaron. Caatitis autem dux erat Elisaphan, & hi curabant vasa, mensam uidelicet, mortariola, crateres, candelabra, lucernas, uasa olei, ignis receptacula, fuscinulas, tridẽtes, uncinos, cadulos, & huiusmodi: Insuper & oleum ad cõcinnãdas lucernas, thymiamata quoq;, & sacrificia. Gersonitæ, quorum dux erat Eliasaph, custodiebant cortinas tabernaculi, tectum, & operimentum aliud, & præcipuè uelamen hyacinthinum tentorij, quod pendebat in uestibulo tabernaculi fœderis: Cortinas quoq; atrij, & uelum, quod erat ante ipsum tabernaculum: necnon funiculos, uasa ministerij, & omnia, quæ ad altare pertinebant. Sed Meraritæ, quorum dux erat Suriel, suscepere consignatas tabulas, uectes tabernaculi, columnas atrij per circuitum cum basibus, paxillis, & funibus ipsorum, atque totam altaris supellectilem, sicut Gersonitæ ea, quæ ad ipsum altare erigendum pertinebant: Et eligebantur ab anno tricesimo ætatis ipsorum usque ad quinquagesimum. Quod tabernaculum absque dubio illud uerum tabernaculum figurabat non manufactum, sicuti Apostolus cum Hebræis differens longo sermone prosequitur dicens: Tabernaculum enim factum est primum, in quo erant candelabra, mensa, panes facierum, quæ dicuntur sancta: Post uelamen autem secundum tabernaculũ, quod dicitur sancta sanctorum, aureum habens thuribulum, & arcam testamenti circuntectam ex omni parte auro: in qua erat Vrna aurea habẽs mana, & uirga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ testamẽti: super quibus erant Cherubini gloriæ obũbrantes propitiatoriũ, de quibus non est dicẽdũ per singula. His verò ita compositis, in prius quidem tabernaculum semper introibant sacerdotes sacrificiorum officia consummantes, in posterius autem solus Põtifex non sine sanguine, quem offerret pro sua, & totius populi ignorãtia: hoc significante Spiritu sancto, nondum propalatam esse sanctorum uiam, adhuc priore tabernaculo habente statum. Quæ parabola est temporis instantis, iuxta quam munera, & hostiæ offerebantur, quæ non poterant secun-

Paulus.

dum conscientiam perfectum facere seruientē solummodo in cibis, in potibus, & in variis baptismatibus, & iustitiis carnis, vsq; ad tempus correctionis illis impositis. Christus autem aßistens Pontifex futurorum bonorum per amplius, & perfectius tabernaculum non manufactum, idest non huius creationis; neq; per sanguinem hircorum, aut uitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta. De quo tabernaculo disserere per singula temerarium forsitan existimabitur, & meritò, postquam Apostolus id facere non est ausus, aut noluit, quia non habebat initiatos discipulos, & perfectos, quibus sapientiæ arcana propalaret: Sed postquam reuelata facie nobis datur gloriam Domini speculari, aliquid vel saltem adumbrare de huiusmodi (Spiritu sancto duce) minimè temerarium putabimus. Erat igitur tabernaculum illud typicum in medio castrorum, & figuratiuarum tribuum significans verum tabernaculum non manufactum, idest non huius creationis, sed fœliciori genitura productum, quod est Christus Iesus erectus in medio verarum tribuum, & castrorum omnium totius machinæ huius, iuxta propheticum illud. Operatus est salutem in medio terræ. Est nanq; Ierusalem, vbi propitiationē inuenit, in meditullio mundi, iuxta supercœleste templum, vt asserunt secretiores Theologi: Estq; (vt astronomos sequamur) in angulo trigoni meridionalis, iuxta illum verum meridiem, de quo inquit Abacuc: Deus ab austro veniet. Ad quam plagam etiam deambulasse dicitur Deus, dum volebat primo parenti succurrere, & eius operire peccatum veste pellitea confecta ex illius Agni pelle, qui tulit peccata mundi: Ex illa nanque regione omnia nobis tribuit charismata: Ibi enim natus, ibi docuit, ibi paßus, ibidemq; surrexit, & inde ascendit ad illum verum meridiem, & supernum templū, vndè dedit dona hominibus, & vndè omnis misericordia, gratia, & salus: Iuxta quod tendere debent turmæ, & castra omnia vexillum, & faciem, vt illuc dirigatur vultus & oratio, vndè emolumenta suscipere speratur: Erectum est igitur tabernaculum hoc in vtrinsque mundi meditullio, vt utrobiq; regnet in domo Iahacob, qui in supramundano solio medium tenere dicitur: & hic inferius meditullium terræ habitabilis in possessionem suscepit, Sic & Christus verum tabernaculum, sicut nascens, docens, apparens, moriensque semper medium tenuit, ita regnans in media domo Iahacob verus Israël, idest hæres, aut princeps Dei sedet. Ad hunc igitur verum Dei hæredem, & principem, qui mundi principatum crucis trophæo in medio mundi erecto expugnauit, respiciunt tribus & familiæ omnes Deo militantes deductæ in illum sacrum duodenarium, tres pro qualibet parte cœli: quarum quibuslibet (vt Iohannes perhibet) tres patent portæ ad cœlestè regnum. Perquampulchrè etiam, & mysteriosißimè tabernaculum illud typicum bipartitum describitur, ut uerum tabernaculum significaret biforme: ubi primum reperitur natura humana, &

Dauid. Abacuc. Iohan.

CHRISTVS. ipsa sancta nuncupata: quia linita est sancto oleo diuinitatis prae omnibus principibus suis, & illustrata lumine illius cādelabri, quod ait: Ego sum lux mūdi. Ibiq; etiam reperiuntur panes facierum, hoc etiam perhibente Christo, ait enim: Ingredietur, & egredietur, & vtrobiq; pascua inueniet. Ipse enim Christus homo est verus princeps facierum, per quē introducimur ad faciem diuinitatis. In haec igitur sancta omnes sacrificātes, & meditantes intrant ad libitum: quia facilis est hominis, & operis eius meditatio. In sancta autem sanctorum (quae diuina natura est in humana reclusa, vndè propriè expectatur propitiatio & salus) sacerdos magnus, & non vulgaris ingreditur: quia non nisi perfectus, & qui optimè se deo consecrauerit, ad diuina intrat penetralia. Ingreditur verò semel in anno, quando scilicet renouatus, & transmutatus in melius, nouos & annuales fructus veluti alter mundus bene cultus decerpit: & hos vtiq; semper tanto meliores, quanto magis à domata carne, & penè extincto sanguine segregatur: Ideo non sine sanguine intrare dicitur, à quo proficiens semper expurgatur, quousq; penitus extincto mereatur secūdum potestatem à verbo traditam effici filius Dei. Sed magna differētia est inter typicum, & verum tabernaculum: ibi enim sanguis animalium expiabat tantummodo sacerdotis, & populi ignorantiam: hîc autem in sanguine Christi omnia expurgantur scelera, dummodo ea in spiritum sanctum perpetrata non sint, quae neq; in hoc saeculo, neq; in futuro dimittuntur. Eóque intrans aureum thuribulū reperit, idest vas orationis perfecta charitate ditatae: Ibi arcam testamēti, perfectam videlicet scripturae intelligentiā, quae datur veris sacerdotibus, & his qui bene expurgati mentem adepti sunt, & Deum videri merentur, Mana quoq; suscipiunt suauißimum illud & absconditum, quod nemo scit, nisi qui accipit: Virgā insuper, id est sacerdotalem virtutem frondescentē, atq; semper in melius proficiētem offendit: Tabulas quoque testamenti digito Dei exaratas intuetur ad libitum: quia sculptum in corde reperit Dei amorem, & proximi: ad quem tāquam ad duas praecipuas caelaturas tota lex reducitur, & prophetae. Ibi deniq; intuetur cherubinos gloriae, per quos splendent (ut suprà tetigimus) creata omnia bipartita in coelestem, atq; terrestrem machinā: super qua sedet ille, à quo omnis emanat propitiatio. Verum inter hoc tabernaculū, & duodenas tribus ipsum circūuallātes, quae omnē Dei militū coetum apprachendūt, non sine sacramento quinque interiacere dicuntur particulares, & segregatae turmae in totidem tētoriis: Quae (vt pro nunc sensum anagogicum dimittamus) in ecclesia Dei (ni fallor) quinque significant approbatas sacerdotū, ducum, leuitarum, atq; mediatorū acies inter ipsum Deū, qui residere dicebatur in tabernaculo, & populū Dei collectum, & descriptum per illas duodenas turmas. Et haec sunt collegia Petri, Augustini, Benedicti, Basilij, & Francisci: ad quae omnes aliae particularium ministrorum Dei turmae reducuntur, aut ex ipsis tanquam ex prin-

cipalibus truncis veluti quidam ramusculi pullulant. Prima itaq; duo tentoria erant Mosi, & Aaron simul: quibus respondent Petri, & Augustini collegia, quorũ vtriq; Canonici dicũtur. Sed hi regulati, & magis expediti ad sacra illa pertractanda, dũmodo seruent instituta à patre ipsorum Augustino tradita: tradita inquam, non vt Petri, imò Christi religionem perficeret, sed vt hos ad pristinos illos mores reduceret, in quibus cœtus ille apostolicus fuerat educatus: penes quos stetit semper authoritas iudicandi, sicut penes Mosem, qui & primum locũ in illo quinario possidebat. Tres autem sequẽtes turbæ leuitarum, qui sunt Caatitæ, Meraritæ, & Gersonitæ tres alios cœtus regulatorum significant: Caatitæ enim qui dolentes interpretantur, Benedicti turmas figurant, qui obscuri, & semper squallidi continuo luctui peccatorũ, & mortis Christi addicti vidẽtur: Hinc eis mortariola, vasa videlicet in quibus cõterũtur peccata, thuribula suffumigãtiũ orationũ, & crateres, quibus delibãtur cœlestia, crediti sunt: Cãdelabra insuper, & lucernæ lectionum, & supernorũ luminũ: Vasa quoq; olei misericordiæ, qua semp alios cõmiserescãt, & receptacula igniũ, & flammarũ spiritus sãcti: Fuscinulæ etiã, tridẽtes, vncinæ, latillæ, & huiusmodi, quibus excitetur ignis feruoris, & amoris. Sed hæc omnia credebantur eis vestita colore hyacinthino, & cœlesti, cum supernis semper intenti continua contemplatione esse debeant actu, aut virtute, vt seruent euangelicũ illud: Oportet semper orare, & nunquã deficere. Meraritæ, qui amaricatos, aut operientes vigilias significant, Basilij, & Anachoritarũ familiam repræsentant, qui acerrima quadam austeritate in solitaria vita cõtinuis vigiliis intẽti duros & amaros se in seipsos reddebãt, vt aliis essent in exemplar euangelici luctus: Quibus meritò tanquã viris robustissimis omnia robora credita sunt, colũnæ, bases, vectes, tabulæ, & huiusmodi tabernaculi monimenta: Sed heu dolendũ, non mirum, si vidimus tabernaculum maiori ex parte dirutũ, quia nec Paulos habet, nec Petros, nec Macharios, nec Antonios, nec Hilariones, neq; huiusmodi, qui ipsum tabernaculum sanctimonia, doctrina, miraculis, & exemplo sustentẽt, Gersonitæ autem, quos aduenas, vel eiectos interpretantur, pauperculos euangelij viros repræsentant, quibus præceptũ est, vt ad euangelij metã examussim vitam deducãt, & sint aduenæ, & peregrini in hoc sæculo: & viuant ab eo penitus semoti atq; explosi, ut cum Apostolo dicere possint: Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. His creditæ sunt cortinæ tabernaculi, cortinæ atrij, uelamina, tecta, operimenta, & omnia, quæ spectabant ad sacra contegenda, ut reuelarent nihilominus, & detegerent arcana tempore à summo Patre statuto. Hoc interim præcessere nonnulli, qui de immensa luce in tabernaculo recondita aliquas dedere coruscationes, ut patere potest his, qui Scotenses, Maroncenses, Halenses, Occhanenses, Bibracenses, & huiusmodi lectitarunt. Eis quoque commissum fuit hyacinthinum, & cœleste uelamen,

CHRISTVS.

per quod ad tabernaculum patebat introitus, commissa quoq; fuere funicula: Quæ etsi absq; multorũ inuidia explicare nequeã, non tamẽ desistã, quin saltem aliqua ex parte exponã: Per hos enim cœlestes viros, quot & quibus patuit, atq; patet introitus ad verum tabernaculum, & ligantur funiculis Seraphici amoris, & charitatis, in quibus summus habitator tabernaculi ad se trahit, quos elegit in propatulo est, Credita quoq; fuere vasa, quibus possent simul cum collegis delibare cœlestia: quod tanto magis efficiunt, quanto perfectius institutis euangelicis initiantur. Et vtinam ipsi & commilitones totum studium, & conatum apponerent, vt ipsis euangelicis documentis sese, vt debent, expurgarent, & abluerent, vt locum haberet euangelicum illud:
CHRISTVS. Vos mundi estis propter sermonem, quem ego locutus sum vobis.

Quid innuant septuaginta duo discipuli, quos princeps noster IESVS in euangelio elegisse dicitur. Cap. XXIII.


VLtra duodenariũ, & quinariũ cœtum, de quibus iam disseruimus, perhibẽt, qui à secretis diuinis fuere Christum IESVM rerum, & gentium omniũ dominũ septuaginta duos delegisse discipulos, id quidem, ut utraq; familia typica, & euangelicã cũ supremo mundo omni conueniret ex parte: nec minus cum tabernaculo nostro, quod & ipsum mundi simulachrũ gerit: In figuratiua enim & legali familia non solum duodenarius, & quinarius reperitur, sed etiam septuaginta duo deligi iussi sunt principes à Domino, ut & ipsa perfectũ rerũ cœlestium simulachrũ gereret, ubi duodena signa, septuaginta duo principes, & quinarium illud sacrum reperitur, ad cuius metam Deus familiarius agit nobiscum & in ipso denotato per ultimam literam magni nominis quadruliteri (ut secretiores theologi asserunt) summus opifex mundũ fabricauit. Illi autem septuagintaduo principes eo modo in cœlis distribuuntur, ut cuilibet signo sex præsidere dicantur, & septuagintaduobus idiomatibus: ex quibus colligitur electorum turba illa maxima, quam dinumerare nemo potest. Et perbellè ex septuagintaduobus colligitur, qui numerus deducitur ex senario primo perfecto, & ex duodenario primo crescẽti: ut familia hæc collecta ex omni gente, quæ sub cœlo est, intelligatur perfecta, & superabũdãs: quod plenißimũ sacramentũ fœlicius quàm in cœlo, & in figuratiua, reperitur in regno, & familia Christi, cui data est omnis potestas in cœlo & in terra: Quod corpus mysticũ sub perfecto capite Christo omni quoq; plenitudine pficitur, sicut corpus hoc naturale, & humanũ tabernaculũ cõficitur ex septuaginta duobus articulis, & totidẽ iuncturis: quorũ duodecim præcipui sunt in brachiis, & cruribus: In utroq; enim brachio sunt tres iuncturæ, una ad spatulam, secũda in cubito, tertia ad manus: quæ cõbinatæ senarias reddũt. Tres iterũ in quolibet crure, una ad femur, secũda in genu, tertia in uertebro pedis: quæ tot quidem sunt, quot in brachiis, & simul supputatæ duodenas constituunt. Tres iterum

iuncturæ sunt in quolibet digito manuum, vndè ex ipsarum decem digitis triginta iuncturæ resultant, tot idemq; in decem digitis pedum, quæ omnes simul combinatæ sexaginta constituũt, & simul cum illis duodecim maioribus septuagintaduo perficiunt: Nec opponat quispiam per illud, quod in libro numerorum præceptum est, vt septuaginta congregarentur tantummodo, quibus de Mosi spiritu traderetur: Nã & ibi septuagintaduorũ numerus reperitur, si connumerentur illi duo, qui repleti eodem spiritu (ut ibidem legimus) prophetabant in castris, qui ideo cum aliis numerati non fuerãt, quia (vt Rabi Salomon ait) non scriptam scedulam sortiti fuere: Vel (vt aliis placet) cum illis septuaginta numerabantur Moses, & Aaron, vt æqua portio senaria ex qualibet tribu colligeretur. Nec mirum si Moses & Aaron aliquando cum cæteris numerabantur, aliquando verò minimè cum id contigerit in noua familia Paulo, & in antiqua Ephraim, & Manasse, & aliis, non sine mysterio. Ex istis igitur duodecim principalioribus, & ex omnibus septuaginta duobus patentibus articulis, quos Christus habere uoluit in suo corpore mystico, facilè conücitur ipsum quoq; delegisse omnia alia corporis membra, & partes quasq; minutissimas, & occultas, vt corpus illud perfecta integritate gauderet: Vndè etiã capilli, & quicunq; pili corporis humani (vt Origenes rectè sentit) aliquid repræsentant in mystico corpore, quod non minori diligentia compaginauit vniuersi opifex, quam à principio fabricauerit hominis tabernaculum citò dissoluendum, cum longè magis diligat hoc spirituale corpus, proprio sanguine conglutinatum, quàm illud, quod de terræ puluere fabricatum est.

Nume.

Ra. Sa.

Orige.

Quòd Christus regit, & gubernat totum corpus mysticum, & mundanum. Cap. XXIIII.

FOrmato itaq; ipso corpore mystico ex omnibus electis ad vitam tãquam ex membris magnis, & paruis, æquum est, vt totum corpus ipsius, & omnia membra eius viuificet ille, qui est vita, & resurrectio omniũ, sicuti anima particularis viuificat corpus, quod informat, & omnia membra eius. Illud quoq; obseruandũ est, quòd anima nõ modo viuificat corpus, sed regit, & moderatur ipsum totum, & omnes eius partes: Nec minus Christus est corporis eius moderator & rector: Idcirco Paulus vocat ipsum non modo vitam, sed etiam caput huius catholici corporis dicens Colossensibus: Ipse est caput corporis ecclesiæ. Nec solum huius mystici, sed etiam totius mundani corporis est rector, sicuti & ipsum per verbum, quod in Christo latet fabricatum est, vt non sine causa protestetur, & dicat: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra: Data est vtique ab illo, cui in libro sapientiæ dicitur: Tu autem Pater prouidentia tua ab initio cũcta gubernas. Et id suauissima harmonia, vt suprà præmissũ est: Tu autem cum tranquillitate omnia iudicas, quãuis aliquando nullum, &

Paulus.

CHRISTVS. Sapien.

aliquando horridũ nobis cæcutientibus videatur mundi regimen. Nihil enim inordinatũ relinquit, sed omnia suis nectit ordinibus, sicuti & cuncta etiam
Ecclesi. minutissima nouit, ut Sapiens ille, quisquis fuerit, perhibet dicens: Arenam maris, pluuiæ guttas, & dies sæculi quis dinumerauit? Altitudinem cœli, & latitudinem terræ quis dimensus est? Et id explicans subintulit: Vnus est omnipotens creator omnium altissimus & rex potens, ac metuendus nimis: qui sicut numerat, sic etiam ordinat, moderatur, & curat, vt deponit ille,
CHRISTVS. qui ab eodem Patre potestatem accepit, dum ait: Respicite volatilia cœli, quæ non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater vester cœlestis pascit illa, quanto magis vos modicæ fidei? Et vsque ad minutis-
Idem. simas herbas descendens ait: Considerate lilia agri, quomodo crescunt: non laborant, neque nent: Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut vnum ex illis quia hæc naturali, & viuo colore decorantur: vestimenta autem Salomonis colore artificiali, & mortuo picta erãt. Fœnũ igitur agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur. Deus sic vestit, & curat, ut nihil incognitum, nihil inordinatum ab illo relinquatur in
Plato. vniuerso. Hic diuus Plato ait: Nullus est locus Deo immortali incognitus, nihil ei inexploratum est, quoniam siue hîc mãseritis, siue ꝓfundissimas terræ cauernas subieritis, siue aliud quoduis diffugiũ, atq; latibulum quesieritis, nequicquam latêre poteritis diuinũ illum oculum, atq; peruigilem, nec pœnas
Dauid. vobis iustè debitas euitare. Qui forsitã ab eo didicerat, qui cecinit: Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam: Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades: Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua: Et dixi: Forsitan tenebræ abscondent me: sed tenebræ non obscurabuntur à te: neque os aliquod tibi occultatur, quanquam illud diuersimodè
Orphe. cooperuisti: Imperfectum quoque meum viderunt oculi tui. Quibus adstipulatur Orpheus dicens: Dei perfectus oculus, atq; Iouis mens, quæcunque apud nos fiunt, inspicit omnia. Et iterum in Apollinis hymno: Tu habes mundi vniuersi terminos: tibi curæ est principium, atq; finis: per te virescunt omnia: tu sphæram totam cithara resonante contemperas, omnia videlicet suauissimè & harmonicè disponens. His autem impiis, qui negant Deum hæc inferiora,
Plato. tanquã vilia, & infima & negligenda curare, obsistit pius, & diuus Plato in decimo de legibus dicens: Qui Deum prouidere negant rebus humanis, certè euenire ita necesse est, fateãtur, vel quia nõ vult, vel quia nequit, uel quia officiũ ignorat: Sed cur non vult, est ne ocio deditus, an inferiorem cõditionẽ, tan quã vilem, & abiectam aspernatur, quasi cura tãti Principis indigna sint hæc
Lactan. uilia regulari? Sed (vt Lactantius inquit) si artifex peritus, cum ædificium facere constituit, omnia cogitat, quæ ad perfectum ædificium futura sint, omniaq; mensurat, & ponderat, vt vbi ea collocet, intelligat: curat

insuper diligenter quomodo conseruet ea, quæ construxit? Cur igitur Deum quiuis putet in machinandis animantibus, cæterisq; mundi membris non antè præuidisse, vbi collocanda erant omnia, priusquam fierent, & non videre, quomodo eadem omnia propriis locis conseruentur? Non igitur *ignorat ille, qui omnia nouit: Nec impotens est regere: qui omnia facere potuit: Nec renuit aut dedignatur moderari ea, quæ fabricauit, quæcũque sint nobiliora aut vilia. Nullum itaq; de hac prouidentia relinquitur dubium sapientibus, qui diuinam naturam norunt sapientem, optimam, atq; validißimam. Nec habet ipse moderator vniuersi tantũmodo prouidentiam generali quodam regimine, vt aliqui autumant, quia si vniuersum tuetur, & curat, partibus etiam, vt consulat, oportet. Ita enim natura cõparatum est, ut bene esse in vniuerso non poßit, nisi partes etiã sint rectè dispositæ:* Non *enim medicus, nõ gubernator nauis, non dux exercitus, non paterfamilias, non rector, gubernatorq; Reipublicæ, nõ artifex, quisquis sit, ita curat, vt grauiora administret, leuioráq; contemnat, sed tunc suo quisq; officio fungi existimatur cum singulis studio, & diligentia, vt cuiusque ratio poscit, incumbit. Quòd si homines nec leuiora quidem prætereunt, profectò nec* Deus *existimandus est exigua quæque negligere, & multominus hominem contemnit, quem animantibus omnibus præfecit.* Pater *itaq; summus ille est, qui omnia nouit, omnia numerat, omnia metitur, & omnia curat præcipuo regimine: quod regimen filio quoq;, tanquam legitimo hæredi post triumphum de tyranno habitum commisit. Hic itaq; eadem omnia regit sapiẽtia, & potestate à* Patre *tradita. Verum multos conturbant ea, quæ videntur præter ordinem euenire, nec digna tanto regimine: Ea enim mala vndique consurgunt, quæ* Deo *regẽte fieri non deberent, cum mala à* Deo *prouenire nequeant, vt non modo nostri asserunt, sed &* Plato *in tertio de* Repu. *ostendit. Et vt cætera, quæ naturæ, & boni regiminis ordinem declinare videntur, omittamus aliqua de mundi antistite, an malè gubernet, percurremus: Ea enim adeo sapientes etiam; & præcipuos heroas in* Dei *regno percusserunt, vt impatientia quadam etiam in ipsum* Deum *moderatorem prorumpere videantur.* Vocife- Plato.
rabor (inquit Abacuc*) vim patiens, & non saluabis? Quare ostendisti mihi iniquitatem, & laborem, videre prædam, & iniustitiam contra me? Quare respicis contemptores, & taces conculcante impio iustiorem ipso? Et regius* Vates *ait:* Mei *autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei, quia zelaui super iniquos pacem peccatorum videns; quia non est respectus morti eorum, & firmamentum in plaga ipsorum: In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur: Ideò tenuit eos superbia, qua videlicet ex indebito successu proruperunt contra* Deum, *& homines. Nec minus de huiusmodi conqueruntur* Ieremias, Augustinus Hieronymus *& plerique alij domestici* Dei*: quibus dicere possemus illam semper apud* Græcos *ve-*

Abacuc. David. Ieremias. August. Hiero. August.

uerandam sententiam, & ab Augustino in libro de quantitate animæ summopere celebratum: Non quæras, quæ supra te sunt: Nam hæc connumerantur inter illa, de quibus inquit Saluator: Confiteor tibi Pater, quoniam abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus. Et hæc est (vt aliqui asseruũt) illa gloria iusti, & æqui regiminis Dei, de qua dicebat Moses: Ostende mihi gloriam tuam, quomodo videlicet te habeas in hoc regimine, vt possim tibi gloriam dare, & eam gloriam defendere à detractoribus: Cui dixit Deus: Non videbis faciem meam, rationem scilicet cur id facio, sed videbis posteriora mea, facta videlicet, & effectus. Et hoc est quod prosequitur ipse regius, uates dicens: Existimabam, vt cognoscerem, hic labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in nouissimis eorum: Quæ nouissima sunt, quando discussis omnibus meritis singulorum reddetur vnicuique secundum opera sua. Sed hoc interim illud nobis semper decantandum est: Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum: Hic enim ea sapientia, quæ de omni malo nouit extrahere bonum, scit etiam omnia, quæ videntur obliqua adaptare in rectum vsum eorum, quæ gubernat, sicuti exemplificat Augustinus de carpentario, cui opportuna, & necessaria sunt instrumenta obliqua, & complicata non minus quam recta. Aliud quoque occurrit, quod particulariter spectat ad Christum, cui data est regendi potestas, & illud est, Cum ipse venerit pro salute omnium, cur doctrina, & redemptio eius à quamplurimis videtur repudiata: & cur permittit destrui uineam suam ab omnibus, qui prætergrediuntur viam, & depasci à singulari fera, & tyranno mundi huius, quem iam foras eiecisse gloriatur: Et cur magis prædicauit in Corozaim, & Bethsaida quàm in Tyro, & Sidone, cum ipsemet comminetur, & dicat: Veh tibi Corozaim, veh tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sidone facta fuissent, quæ facta sunt in te, in cinere & cilicio pœnitentiam egissent: Cur etiam potiora charismata magis in vnum locum, & gentem, quàm in alium diffundit: Et si omnibus prouidere potest, cur (vt ipsemet prænunciauit) permisit insurgere quamplurimos pseudoprophetas, & pseudapostolos, & pseudochristos, & seducere multos: Quibus satisfacientes dicemus: Quoniam sicut in corpore à qualicumque anima bene regulato sæpius ex diuersis causis alterantur humores, quibus si resistat potens virtus animæ, conseruatur corpus validum, quamuis aliqua ex parte, & aliquo modo alteretur, non enim potest fieri, quin alteretur corpus subiectum alterationi, & corruptioni, Pari modo in tam magno corpore ecclesiæ constituto ex viatoribus adhuc bellantibus, & variis defectibus subiectis non potest fieri (nisi viatores essent impeccabiles, quod habet, vt aiunt, contradictionem in adiecto) quin aliqui alterentur, quamuis membra viuificata à Christo vera, & potenti vita, & salute omnium infirmorum, qui succurrere non desistit ex debilitate virtutis eis, quos iussit in stadio suo

CHRISTVS. Moses. DEVS. Dauid. Idem. August. CHRISTVS.

ſponte bellare: uerum expectat tempus præfinitum à Patre, de quo edoctus Apoſtolus inquit: Abſorpta eſt mors in uictoria, parta uidelicet uirtute Christi: quod paulo ſuperius clarius explicauerat dicens: Nouiſsimè inimica deſtruetur mors à qua uidelicet omnis infirmitas animæ, omnia enim ſubiecit pedibus eius: Subiecit utiq; Pater, qui eſt præter omnia, quæ ſubiecit: cui tantummodo filius ſubiicitur, cæteris autem dominatur, & contra ea omnia præualet, quando uult. Nec poteſt deſtrui maceries in ruinam uineæ, & fidei ipſius; cum ipſa Veritas infallibilis dicat: Ego pro te rogaui Petre, ut non deficiat fides tua, ideſt, corpus eccleſiæ à me uiuificatum, quod tibi Petre credidi. Et cur non fuerit prædicatum Dei uerbum in Tyro & Sydone, magis quàm in Corozaim & Bethſaida, inquit Origines: Quia fortè non ſtetiſſent. Sed debilis reſponſio fulcimentis indiget: nam ſicut pro redimendo uniuerſo genere humano expectauit illud tempus, de quo Apoſtolus: At ubi uenit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum, ſic pro Tyro conuertenda expectauit illius temporis plenitudinem, de qua in geſtis apoſtolorum dicitur: Cum Paulus ueniſſet Tyrum, moratus eſt ibi diebus ſeptem: quibus expletis Tyrij cum uxoribus & filiis aſſociati ſunt Paulum: Ipſe autem cum ſociis poſitis genibus in littore orauit pro illis, & fide ipſorum. Eodem modo de quibuſcunq; aliis dicendum eſt: quia expectauit, & expectat tempora, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate: & quæ noſcere noſtrum non eſt. Diffunduntur quoque potiora chariſmata in potiora, & nobiliora membra, ſicuti in corpore, regulante natura, purior ſanguis mittitur ad cor: & puriores ſpiritus cerebro, & potioribus membris diſtribuuntur: diuidit enim ſpiritus Christi eius munera ſingulis, prout uult, & prout decet: Quibus membris ſecundum propriam uirtutem donatis diuerſos permittit hoſtes, qui nos uiribus, aſtu, dolo, inſidiis, & importunitate impugnent, ut glorioſior ſit uincentium triumphus in uirtute illius, de quo dicitur: Deo autem gratias, qui dedit nobis uictoriam per Ieſum Christum dominum noſtrum.

CHRISTVS. Orige. Paulus. Act. Ap. Paulus.

Explicatur id per oraculum. Cap. XXV.

DE hoc dominio à patre dando Redēptori noſtro Chriſto extat mirabile, & ſanè intelligentibus clariſsimum oraculum, ubi etiam tempus, quando illud dabitur, occultè innuitur: Loquitur enim Deus ad Dauid præcipuum patrem, & uerum typum Christi dicens in ſecundo uolumine Regum, & in primo Paralipomenon: Quando completi fuerint dies tui, & quieſces cum patribus tuis ſuſcitare faciam ſemen tuum poſt te, quod egredietur de utero, uel inteſtinis tuis: quandoquidem in Hebræo habetur ממעיך *mimeheca, quod de inteſtinis ſignificat. Idcirco non poteſt referri ad patrem, ſed ad matrem, ex cuius inteſtinis Christus exiit. Nam puer non egreditur de inteſtinis, ſed de lumbis, & uirga paterna. Vt igitur denotaret uerum regem naſciturum de ſola muliere, quæ fuit filia,*

Regum. Paralip.

& caro Dauid, notanter dixit semen illud, ex quo nasciturus foret uerus rex, egressurum de intestinis. Sequitur oraculum: Et firmabo regnum eius. Quod de Salomone non potest intelligi, quia adhuc uiuente ipso Dominus per Haiam Silonitem id promisit decem tribus Ieroboam, quas & dedit in ditionem eius. Sequitur: Ipse ædificabit domum nomini meo: domum utique ueram Israël figuratam per illam typicam, quæ præcessit. Et hæc est illa domus, de qua
Gabriel. cœlestis nuntius ad matrem: Et regnabit in domo Iahacob in æternum, sicuti suprà exposuimus. Sequitur: Et stabiliam thronum eius usque in sempiternũ, Ecce quàm clarè excludit regnum Salomonis, quod citò defecit. De regno igitur illus loquitur, qui est Rex Regum, & Dominus dominantium: De quo ipse Dauid in quadragesimo quarto hymno totius alphabeti serie decantat dicens sub litera מ mem מלכותך Malcuteca, idest regnum tuum regnum omniũ sæculorum: Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium: Quod intelligi nequit, nisi de illo, qui ait per os prophetæ, cui de ipso facta est repromissio.
Psal. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quomodo autem intelligatur illud. Quando completi fuerint dies tui, enodabimus, quantum Dominus permiserit. Dies enim uniuscuiusq; ab initio constituti (ut habemus in secretiori Theologia Hebræorum) mille anni sunt, ad quem terminum, quãuis aliqui appropinquauerint, ut Adam, Matusalem, & alij, nullus tamen applicuit, sic exigente peccato protoplastæ. Et ex illuuione propter peccata cõmunia generi humano inflicta contractus est terminus ad centum & uiginti
Gene. annos, ut in Genesi legimus secundum communem interpretationem, quamuis aliud innuat oraculum, nec propriè uerificetur in hoc sensu, cum Abraham uixerit annos. 175: Izabac. 180. Iahacob. 137: Si quis autem ad statutum ab initio terminum deueniret, attingeret ad millesimum annum, secundum quem terminum locutus est Dominus ad Dauid: Nam ab orbe cõdito vsque ad Christum fuerunt anni. 3784. Sed ab orbe condito vsque ad mortẽ Dauid 2880. Igitur à morte Dauid vsque ad Christum fuerunt anni. 906. Vt patet supputanti: Adde, 70. annos vitæ Dauid, & erunt. 976. Adde iterum numerum literarum nominis Dauid, sicut scribitur in Paralipomenon, cum iod videlicet sic דויד: Nam in libris Regum scribitur sine iod sic דוד non sine mysterio hæc omnia. Illud igitur nomen sic scriptum dat. 24. Qui numerus si addatur numero superiori, reddit ad vnguem mille: qui numerus est completæ ætatis,
Iohan. vt diximus. Nec miretur aliquis, si additur numerus nominis, quia nisi ali-
Pytha. quod mysterium ibi lateret, non dixisset Iohannes in Apocalypsi: Qui habet intellectum, computet numerum nominis bestiæ, qui est numerus hominis. Pythagorei etiam multa prognosticari profitebantur per numeros nominum. Huic igitur numero vigintiquatuor, qui conficitur ex duplici duodenario, si addatur numerus annorum, quos vixit, & annorum qui fluxerunt à morte eius usque ad Christum, completur curriculum perfectum vitæ hominis:

Et rurſum in computatione numerorum, qui reſultabant ex aliquibus verbis oraculi, habetur ille millenarius completus cum annis vitæ Meſſiæh, quæ verba ſunt hæc כי ימלאו ימיך ושכבת Quando complebuntur dies tui, & dormieris &c. computus illarum literarũ eſt ad vnguẽ .1035. quot ſunt anni à die conceptionis Dauid vſque ad mortem Christi: Nam vltra illos mille annos vixit Christus triginta tres cum dimidio: Et ſi accipiantur nouem meſes, quibus Dauid ſtetit in materno vtero, & nouem ipſius Christi, dant annum cum dimidio: quod tempus additum illis triginta tribus annis cum dimidio reddit triceſimum quintum. Nec miretur aliquis, cur Chriſtus omnium virorum perfectiſſimus non attigerit ad illos mille annos plenum curriculum humanæ vitæ: Nam Chriſtus nouus homo nouæ vitæ & nouis legibus dedit initium: Primus enim homo de terra terrenus: Secundus homo de cœlo cœleſtis nouum vitæ curriculum compleuit hîc minimè explicandum. Quibus verbis oraculi, vt propoſitum proſequamur, reſpondens Dauid Deo plenus multa tangit myſteria dicens: Hoc non eſt ex meis meritis uidelicet, ſed quia bonum viſum fuit in oculis tuis domine Deus, ut loquereris de domo ſerui tui à longè: Hæc enim eſt lex Adam domine Deus: Quorum verborum myſteria non percipiuntur, niſi in characteribus Hebræis, qui ſunt עבדך למרחוק וזאת תורת האדם אדני. Quarum dictionum extremæ literæ ſunt כקתת םי cum ל quæ eſt dictio per ſe, quarum numerus ſupputatus eſt ſine dubio millenarius. Qui modus ſupputandi per extremas, aut primas literas dictionum apud Hebræos celeberrimus eſt: Et dempto ת à תורת reſtat תור quod ſupputatum dat, 606. quem etiam numerum dant literæ nominis Ieſu, & Mariæ ישו מרים, ut patet ſcienti. Et hoc fecit uera lex hominis, ut ſicut per hominem omnia bona perdideramus, ita per hominem omnia bona recuperaremus, iuxta illud Pauli: Quoniam quidem ꝑ hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum.

CHRISTVS *est mediator, per quem omnibus datur transitus, ut in finem suum deueniant.* Tonus Octauus.


HRISTVS *in sanctißima trinitate est persona media.* Cap. I.
Christus est uera arbor in medio paradisi collocata. Cap. II.
Quid hæc diuina persona media cum natura humana, quam assumpsit, Cap. III.
Quomodo ex illa arbore inductum sit peccatum, & malum in mundum. Cap. IIII.
Christus in hac uita semper oblectatus est medio. Cap. V.
Christus fuit optimus mediator. Cap. VI.
Per Christum hominem conscendimus in Deum, & Patrem. Cap. VII.
Quomodo secundum Apostoli sententiam Christus noui testamenti mediator sit. Cap. VIII.
Digreßio de bello indicto antiquis Patribus contra illos populos. Cap. IX.
An indigeamus medio, ut in hunc Christum mediatorem deueniamus. Cap. X.

CHRISTVS IN SANCTISSIMA TRINITATE est persona media. Caput primum.



MNES qui de Trinitate loquuntur, facilè conueniunt, quod filius, & verbum, quod factum est caro, & IESVS denominatus, atque Christus Græcè, & Meßiah Hebraicè, vnctus verò Latinè est cognominatus, tenet medium inter personas illius sanctißimæ Trinitatis: in qua est pater prima radix omnium pullulationum tam in diuinis, quam in creatis: Et est Spiritus sanctus productus à Patre & Filio, & nihil producens in illa sanctissima Trinitate: Est quoque filius persona media productus quidem à Patre, atque simul cum ipso Spiritum sanctum æterno effluxu producens: Quam doctrinam non solum christiani omnes profitentur, sed etiam secretiores Hebræorum Theologi, qui docent חכמה hoema, quod sapientiã significat, emanare à fonte supremo, uel à radice superexcelsa pullulat, quam ipsi vocant כתר עליונה cheterhaliona à quibus duobus fontibus, vel à primo fonte, & flumine ab eo procedente producitur illud tertium, quod ipsi בינה bina nũcupant, quod nos propriè interpretantes prudentiam, siue intelligentiam dicere possumus: Intelligentiam vtiq; illam, de qua in Ecclesiastico dicitur: Et spiritu intelligentiæ replebit illum: Intelligentia quidem est cognitionis gradus magis nobis propinquus, quàm sapientiæ, quæ attribuitur Filio: & ideò facilius à nobis susceptibilis: Idcirco dixit Filius: Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò, quia videlicet non valetis sufferre splendorem sapientiæ meæ: Cum autem uenerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnia, & suggeret uobis omnia, quæcunq; dixero vobis gradu quodam inferiori, quàm in me sint hæc docenda: Nam nemo nouit Filium, propriè videlicet, nisi Pater: Gradu autem quodam inferiori sese nobis quoque præbet conspiciendum, iuxta illud, quod dixit: Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum: Et manifestabo ei meipsum. Et etiam aliquando per seipsum manifestat Patrem secundum id, quod ait: Qui videt me, uidet & Patrem meum, personam utique omnium nostrum sublimiorem, cum ideo remotior sit à captu nostro: Spiritus sanctus uerò est magis nobis domesticus: sed Filius medius inter utrunque. Et quamuis Deus sit circulus, & sphæra quædam intellectualis, cuius centrum, idest omne qđ creatum est ubique, tamen sub ratione personarum non per circulum, sed per numerum ipsas exprimimus dicentes: Prima, secunda, & tertia, aut ultima persona, ultra quam non datur productio personarum in diuinis. In illa autem media tanquam in domo quadam omnes res per ideas uitales locatæ sunt: Vndè sicut ipsa persona media mediũ fuit, per quod à Patre emanabant omnia, ita & medium est, per quod patrem

Thele.

Ecclesi.

CHRISTVS.

cognoſcimus: Nam ad ipſius notitiam quis peruenire non poterit, niſi cui voluerit Filius reuelare. Quod autem egreſsio à patre fiat per filium, qui ſecũda perſona eſt in diuinis, innuit Iamblicus, dum per numeros huiuſmodi pertractat dicens: Vnitas identitatis, vnionisq; cauſa exiſtit: binarius verò diſcretionis, progreſſusq; præbitor: ſed ternarius regreſſus eorum, quæ proceſſerunt dux. Referentes itaque hæc quæ dicta ſunt, primum & vnicum eſt Pater: Secundum autem, uel Binarius eſt filius, per quem omnia facta ſunt: vnde eſt diſcretionis, progreſſusq; cauſa: Tertium autem, quod illam trinitatem complet, Spiritus ſanctus eſt, qui ſuper aquas volitans omnibus præbet formas, & fauorem præſtat, vt reducantur in primum, per illud idem tamen, per quod diſgregata fuerant.

Iambli.

Chriſtus eſt uera arbor in medio paradiſi collocata. Cap. II.



ET vt clarè ſignificetur quòd filius, qui Chriſtus eſt medium tanquam ſibiipſi peculiare quoddam uendicet, cum de ſerie rerum intellectualium ſub hortuli, & arborum metaphora à Moſe pertractaretur, in medio ipſius horti deſcribit plantatam uitæ arborem, quæ nulli dubium Chriſtus eſt, qui panis uitæ, lignum uitæ, & ipſa uita nuncupatur. Plãtata autem fuit in medio, vt unuſquiſq; facilius de uitæ eius plenitudine pro captu ſuo ſuſcipere poſſet. Hinc etiam quando uenit temporis plenitudo hæc arbor inſerta fuit in arbore naturæ aſſumptæ in meditullio mundi, ut fructus ſuos omnibus circuncirca debita proportione diſtribueret: De qua inſertione Iacobus ait: Suſcipite inſitum uerbum, quod poteſt ſaluare animas ueſtras. Et hæc arbor uitæ, diuina uidelicet perſona in natura humana inſita eſt arbor ſcientiæ boni, & mali: quia ipſe ſolus (ut alibi diximus) uiator exiſtens experiebatur bonum beatitudinis, & malum humanarum paſsionum. Eſt inſuper arbor boni & mali, quia ipſe præ cæteris nouit diſcernere bonum à malo, iuxta illud Iſaiæ uaticinium: Butyrum & mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum. Nec tantum ipſe nouit, ſed nos quoq; docuit cognoſcere vera bona, quæ diligere debemus, & vera mala à nobis timenda, & declinanda. Eſt denique arbor ſcientiæ boni & mali, cui datum eſt iudicium, & cognitio diſcernẽdi bonos & malos: Vndè, ipſomet in euangelio atteſtante, quando veniet ad vniuerſale examen collocabit bonos à dextris malos, autem à ſiniſtris ſtans ipſe in medio, hoſque ab illis ſegregatione perpetua ſeiungens. Hæc autem arbor, ideo à principio prohibita fuit, ne tangeretur, aut probaretur, ſiue de ea comederetur, quia legem, & iudicium in ipſo exiſtens experiri, aut probare nemo debebat, ſed reuereri, & timere, ſemperq; habere ante oculos, vt ad ipſius metam omnes noſtras diſponeremus operationes: Quo ſenſu illud Dei viuentis dictum fuiſſe non ambigimus: Erunt hæc verba, quæ tibi præcipio hodie, in corde tuo: & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis ea ſedens in domo tua, & ambulans in itinere,

Iſaias.

dormiens, atque consurgens & ligabis ea, quasi signum in manu tua, & erũt ante oculos tuos: Quod etiam in Psalmo dicitur: Beatus vir, qui in lege Domini meditatur die, ac nocte. Et quam optime hæc arbor legis & regula diuini uerbi dicitur esse scientiæ boni & mali, quia ex illa quid rectum, quid obliquum, quid bonum, & quid malum sit, perpendere possumus. Hæc enim docet nos, quando supremo bono frui debemus: & quando, aut qualiter infimo, aut medio potiri licitè ualemus. Et seruata illa arbore, & regula illæsa tunc possumus de omnibus arboribus comedere; id est in omnibus creaturis condelectari, & ipsas appetere appetitu minimè obliquato. Hæc dicta sint pro his, quæ spectant ad moralem sensum, nam in allegorico, & superiori alibi interpretati sumus. Psalm.


Quid hæc diuina persona media cum natura humana, quam assumpsit. Cap. III.



Et sine mysterio illa persona media in sanctißima Trinitate naturam humanam assumpsit: quia & ipsa media est inter cœlum, & terram: media inter Deũ, & cæteras creaturas utriusq; naturam sapiens, ut per ipsam naturam mediam omnia uniret extrema: Ipsa enim humana natura meditullium poßidens omnium uinculũ existit: & cum omnibus partem habens cum omnibus deliciatur: Bonum enim, in quo est delectatio, totam latitudinem rerum apprehendit, in quod omne nulla creatura fertur, nisi homo: Nam vnicuique summus moderator tribuit propriam escam, homini autem omnigenam: quod Moses cum suis ænigmatibus indicat: Primo quando homini existenti in paradiso deliciarum omnem arborem in edulium conceßit: licet hoc iam antea tribuerit, nondum homine in paradiso collocato, dum ait: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & omnia ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui vt sint uobis in escam: Cunctis autem animantibus dedi virorem herbæ, tantummodo videlicet. Ecce quòd non eadem lex ciborum bestiis, & hominibus præscribitur: Siquidem bestiis cum suo herbarum uirore relictis, homini cõceduntur non tantum satiuæ herbæ, sed aliquando animantia. Et in paradiso voluptatis posito omnis arbor, idest omnis creaturarum rationabiliũ vigor, & oblectatio in escam conceditur, & etiam lignũ uitæ, quod erat in paradisi meditullio: Vndè habemus, qualiter homo creatura media inter Deum & cætera creata deliciari potest tã in ipso Deo, quàm in omnibus creatis: Pro ipso enim Deo fruendo producti sumus, si Augustinus & omnis Theologorũ turba rectè sentiũt: & quousque ad ipsius Dei fruitionem, & cũ eodem vnionem pertingamus omnibus creaturis recta lege seruata potiri possumus: Potimur enim terra, quam calcamus, & quæ nobis præbet, cibos, & pro ædificiis construendis stabilè fundamentum: In aqua nauigamus, mundanda abluimus, Moses. Augusti.

& in multis opportunis ipsa utimur: Potimur quoque aëre, quo respiramus, & per quem oculorum beneficio fungimur: Ignea quoq; , atq; excalefactoria virtute viuimus, & excoquenda, ac expurganda perficimus. Vescimur plantis, & carnibus animalium: quorum etiam pilis, & pellibus induimur, & ipsorum fauore terram colimus, onerosa conducimus, & longa itinera etiā debiles commodè peragramus. A cœlis quoq; magna suscipimus beneficia: maiora autem ab angelis, & ab hominibus, cum quibus siue spiritu, siue corporali præsentia conuersantes mirumimmodum honesta uoluptate oblectamur: Sed ab arbore vitæ, quæ est in omnium istorum medio, omnigenum, atq; perfectissimum omnium oblectamentum, & uitæ, & omnium voluptatum uerarum suscipimus. Concinnè itaq; illa diuinarum personarum media vnita est cum homine creatura media, & cum ea, quæ est omnium vinculum, vt per ipsum medium omnia counirentur extrema.

Quomodo ex illa arbore inductum sit peccatum, & malum in mundum Cap IIII.



Sicut enim ab arbore illa rectè & debitè suscepta omnis iustitia, omne rectum, omne deniq; bonum procedit, sic ab arbore violata omne malum in genus humanum, & etiam in angelos prouenisse non ambigimus. Nec miretur quispiam, si malum à bono oriri dicimus, cum aliunde progredi nequeat, vt apertè diffinit Augustinus in Enchiridio, & ante eum Dionysius dicat: Omnium malorum principium & finis est bonum: Et rationem aßignans ait: Nihil operatur ad malum aspiciens, sed ad bonum videlicet, quod aut negligit, aut indebitè appetit. Est igitur hæc arbor principium omnium bonorum, atq; malorum: quia ipsam siquis veneratur, & obseruat, operatur bonum: Si autem quis eam negligit, & deuorare, aut pessundare præsumit, operatur malum, sicut de ipsa humano surculo insita protestatus est ille sanctißimus senex Symeon dicens: Ecce positus est hîc in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël, & in omni populo tam angelico, quàm humano: Peccauit enim angelus nolēs ipsum suscipere tanquā verum Dominum, & verum legislatorem, atque obedire regulis in eodem descriptis, nolēsque reuereri ipsum tanquam mediatorem, & per quem cohæredes efficeremur iuxta regis edictum: Quod Paulus cum Hebræis propalauit dicens: Et cum introduceret eum primogenitum in orbem terræ, dixit: Et adorēt eū omnes angeli eius. Sed aliqui illorum proterui à summa illa veritatis regula superbè declinantes in errorem, & mēdaciū prolapsi sunt: Quod ipsemet veritatis fons attestatur, dum ait: Ille homicida ab initio in ueritate non stetit: Hinc peccauit & homo ausus extendere ad ipsum rebellem manum, qui sub typo arboris scientiæ boni & mali in medio paradisi collocata à Mose describitur. Ecce quomodo hinc soluimur à magno labore,

August. Dyonisi. Symeō. Paulus. CHRISTVS. Moses.

qui est apud Dionysium, & alios sapientes in venando, quid sit malum, & vnde suam trahat originem: Quod decidere, maximæ quippe videtur difficultatis, cum malum non sit ens, nec purum nihil, nec causa aliqua, cum omnis causa sit aliquid realiter existens: Nec videtur effectus, quoniam omnis effectus procedit à causa, & causa huiusmodi est, vt in operando semper ad bonum aspiciat: & semper agat bonum, quamuis in agente libero sæpius fallat imaginatio existimans, aut præfingens bonum illud, quod non est bonum: Nec videtur quomodo malum poßit oriri ex bono, acclamante summa veritate: Non potest arbor bona malos fructus facere: Et etiam, quia nihil fit ex contrariis, nisi tanquam ex termino à quo, vt dicere solent Peripatetici. Nec malum potest produci à malo, cum malum nullius sit causa, quia haberet rationem boni: Quæ omnia quamuis prima fronte difficillima, tamen attentis his, quæ de arbore dicta sunt, facilimè dissoluuntur: Est enim malum carentia rectitudinis, & boni, aut ordinis, qui in opere exquiritur: Rectitudo autem & ordo est conformitas cum regulis illis existentibus in ipsa arbore, vndè dignoscitur bonum & malum: Quæ rectitudo, dum adest, opus est bonum, dum verò abest, fit malum, esto quòd bona sit lex prohibens bonum obiectum, in quod fertur voluntas: bona voluntas, quæ eligit: bonum corpus, & animal nostrum, cui consentimus: bonus appetitus concupiscibilis, & irascibilis virtus, quibus uel appetimus, uel renuimus: quia hæc omnia præstita sunt à bono authore in beneficium nostrum: Bonus insuper est actus exterior, quod substratum deformitatis dicitur: Sola autem illa deordinatio, & incōcinnitas, aut carentia ab ordine, & conformitate cum regulis existentibus in illa arbore est malum: vndè clarißimè infertur, quòd ab illa arbore prouenit malum, non quidem ab ea productum, sed quoniam operans ab ipsa declinat, ut apertè intonat apostolus dicens: Sublata lege, tollitur peccatum: Et iterum; Si lex non esset, peccatum non imputaretur. Iaceat igitur hic Manichæus, qui duo somniauit esse principia, alterum bonorum, & illud bonum, alterum malorū, & illud malum: Non enim potest esse principium producens, nisi sit bonum: Neque binarius potest esse, nisi ab uno trahat originem: Vnum igitur omnino esset primum, à quo ista bina principia emanarent: Nec posset Deus esse fœlix, si aliquid ipsi inuicto aduersaretur. Hæc igitur Manichæorum marcida & putrida aqua de ignorantiæ fonte processit: Lex enim bona est, cuius præuaricatio est malum: Sed lex est ipsa ueritas, & agendi regula, quæ in uerbo incarnato est quod nunc IESVS dicitur, & redemptor, olim autem arbor uitæ & arbor scientiæ boni & mali, quia inde cognoscimus bonum & malum, & inde habemus, undè operemur bonum & malum: Et cum illinc omne malum sumat originem, idcirco cum Iona, qui ipsius IESV testimonio eiusdem personam, & typum geßit, dicere potest: Propter me uenit hæc tempestas. In cœlis quippe, quia angelus, qui draco & diabolus effectus est, uoluit

Diony.

Peripat.

Paulus.

Iohan. ipsam deuorare, dicente Iohanne: Et stetit draco, vt deuoraret filium eius, filium videlicet mulieris amictæ solis, qui olim arbor vitæ, & scientia boni & mali dictus est. In paradiso autem voluptatis, quia homo voluit cōtra regis edictum ad ipsam manum extendere, eamque deuorare, grando illa desæuit.

Christus in hac vita semper oblectatus est medio. Cap. V.



T vt factis ostenderet se perfectum mediatorem, in ingressu, in statu, in recessu, & in regno semper locum medium tenere curauit: Nascens enim in medio duorum animalium, bouis videlicet & asini non sine magno mysterio collocatur: Est enim asinus (vt Theolo. secretiores Theologi dicunt) respondens in archetypo dexteræ, vbi est misericordia, bos autem sinistræ, vbi est iustitia: siquidem has in suo aduentu inuicem obuiare faciens mediator noster in medio earum stetit: quod per collocationem factam à principio inter bouem & asinum significari voluit: Primum quoque opus celebre in medio exercere voluit: disputauit enim adhuc puerulus in medio doctorum: Et vitæ, atque virtutum cum iam perfecta incrementa suscepisset, ea quibus plenus erat charismata impartiri volens in medio se collocauit, sicut ipsemet perhibet dicens: Ego sum in medio vestrum, tanquam qui ministrat, vt omnibus videlicet æqua distributione, saltem geometrica, suscepta munera distribueret. Et cum ad vitæ, & mysteriorum ipsi creditorum metam deuenisset, medium quoque tenere curauit: Affixus enim cruci positus fuit in medio duorum latronum pendentium, vnius à dextris, alterius autem à sinistris, ut iam eorum constitutus iudex, redderet vtrique debitas vices iuxta vtriusque merita: & præsagio quodam magni, & extremi iudicij præmiandum habebat ad dexteram, puniendum autem ad sinistram: Quos etiam diuidens eam, quam facturus est, extremam diuisionem innuit. In regno quoque suo semper tenuit, & tenebit locum medium inter Patrem, & nos aduocatus & mediator existens, atque pro nobis continuè intercedens: Est enim, vt Iohannes perhibet in regno illo cœlesti in medio throni, in medio quatuor animalium, & in medio seniorum. Est denique medium Abrahā. tenens in illo diuino archetypo, in quo Abraham plenus pietate a Theologis Hebræis in dextera, Izahac verò seuerißime in sacrificium oblatus in Theolo. sinistra reponitur, In meditullio autem Iahacob, in cuius domo, angelico attestante oraculo, noster mediator in æternum regnat iam reuersus ad locum, vnde venerat: quò etiam nos veros Israëlitas effectos conducere intendit, vt non sine causa dixerit: Non veni, nisi ad oues, quæ perierant do-CHRISTVS. mus Israël. Et vt non modo nos, sed vota, & opera nostra illuc verus mediator conduceret, dum oramus concordes, in charitate videlicet siue bene ordinati cum Deo, aut in aliquod bonum opus conuenimus in medio nostrum adest suscepturus, & delaturus Patri summo vota nostra & opera, Idem. quæ in charitate peragimus, sicuti ipsemet testatur dicens: Vbi fuerint duo,

uel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum: Et de quacunque re consenserint super terram, fiet eis à patre meo, apud quem pro eis mediator constitutus sum.

Christus fuit optimus mediator. Cap. VI.


Meritò igitur hic, qui est medius in diuinis, & in medio paradisi ueluti arbor in medio horti plantatus, & semper in uita medium tenuit, factus est uerus, & optimus mediator inter Deum & hominen, iuxta illud apostoli: Vnus est mediator Dei, & hominum Christus Iesus: Qui est verus mediator multiplici ratione, sed potißimè (ut opinantur aliqui) ex carne, & natura humana assumpta: propter quod ex utroque extremo participans bonum fuit medium, uinculum, & glutinum ligans, connectens, & uniens hominem cum Deo: Quo officio quia etiam ueri sacerdotes funguntur, quilibet illorum dicitur mediator, non quidem primus, sed secundarius, & tenens uicem ueri, & primi mediatoris. Est insuper optimum medium, & mediator, ac ueluti canalis quidam, per quem à fonte uiuo, & supremo fluunt ad nos aquæ uiuæ, quas gratis plerisq; in locis nobis offert: Vndè tãtum quis poßidet de superiori influxu, quantum de istius mediatoris plenitudine suscipit. Neque demum poterat creatura redire in Deum, à quo processerat, nisi per hoc medium, quod de vtroq; extremo participat, Paulus.

Per Christum hominem conscendimus in Deum & Patrem. Cap. VII.


Est itaque hic noster Christus uia media, & scala, per quam ascendimus ad Deum Patrem, vt ipsemet in euangelio, cui titulus est secundum Iohannem, aperto sermone protestatur dicens: Ego sum uia, nemo uenit ad Patrem, nisi per me. Qui & antiquo patri Iahacob, in cuius domo regnare debebat, in figura scalæ sese ostẽdit, per quam in Deum conscenderet ipsius uidentis electa posteritas: Huius enim scalæ inferius extremum figebatur in terra, quia mediatoris anima, quæ data est in pretium redemptionis humanæ, & præparauit iter, quo cõscenderemus in Deum, fixa fuit, sicut & cæteræ animæ in terrea carne, quam comitabatur ipsa diuinitas: siquidem alterum extremum scalæ, siue supremum cacumen ipsius mediatoris Christi cælum tangebat ipsum penetrans usque ad Deum Patrem, qui illi cacumini innitebatur; quasi in ipso quiescens, & eundem ipsum suscipiens, iuxta illam eiusdem Filij Dei, quã nemo, nisi ipse ausus fuisset asserere sententiam: Ego in Patre, & Pater in me est: Et iterum: Pater in me manens ipse facit opera. Quod cognoscens sanctus Iahacob, surgens erexit lapidem in titulum, fundens oleum desuper, & dicens: Verè Dominus est in loco sancto isto; & ego nesciebam. Quis autem sit lapis, Apostolus apertè reserat dicens: Petra autem erat Christus. Hunc igitur lapidem erexit Iahacob in titulum, suscipiens uidelicet ipsum in Do- Iohan. CHRISTVS. Iahac. Paulus.

Paulus. minum, & in Deum: In Dominum quippe erigens illum: nam eum semper suscipimus, & veneramur, cuius vexillum, aut insigne erigimus: in Deum verò suscepit oleum, quod in scriptura sacra diuinitatem resignat, perfundens, quadam videlicet professione confitens. Nec mirum si ille, qui nuper scala per quam ascendimus ad Deum dictus est, nunc dicatur lapis pro fundamento collocandus, super quem omnia nostra edificemus: Cum enim Iahacob vtrobique clara luce conspiceret diuinitatem huius mediatoris in humana carne latentem admirans, credens, & confitens ait: Verè Dominus, aut Tetragrammus, vel Adonai (quod nomen diuinitatis importat) est in loco sancto isto, & ego nesciebã: Non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cœli: Porta vtique vt ipsemet ait: Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur. Domus verò illa, in qua omnia à principio collocata erant, & in quam suscipit domesticos, vt pascua tribuat, ea scilicet quæ stantes in vestibulo, siue etiam in atrium, uel porticum humanitatis intrantes gustare nequeunt. Nec ambigendum est, redemptorem, fuisse Iahacob in hac celeberrima visione præostensum, cum id clarè expresserit Deus suprà scalam innixus illo pulcherrimo eulogio: Benedicentur in te, & in semine tuo cunctæ tribus terræ: Quæ uerba ubicunque patribus demonstrata sunt, omnes ea dicta fuisse de Christo communi assensu asserunt: cui etiam uouit, & iurauit patriarcha noster Iahacob, exigens prius signum conformatiuum eorum, quæ oraculum spoponderat in eo quod dicitur: Vouit etiam uotum dicens: Si fuerit Dominus mecum, confirmans uidelicet ea, quæ in uita hac me consecuturum promisit: Vndè sequitur: Et custodierit me in uia, per quam ambulo, & dederit mihi panem ad uescendum, & uestimentum ad induendum, reuersusque fuero prosper ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum, & lapis iste quem erexi in titulum, uocabitur domus Dei: Cunctorum quoque, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi: Latus quidem & amplus est spiritus prophetarum, imo Spiritus sanctus replens prophetas, & loquens per ora ipsorum, ideo loquens de uno de pluribus ucrificatur. Sed aliis omißis prosequamur, ea quæ de Christo mediatore pater Iahacob Deo plenus perstringit. Tria quidem exigit in comprobationem Meßiæh, de quo uaticinatur: Primum est uiæ præostensio, ducatus, & custodia; quæ omnia præbuit Meßiah ouibus omnibus, quæ perierant domus Israël: Qui nedum uiam ostendit, sed fecit seipsum uiam, lumen, & ducatum omnibus præbens: Eam quoque tutelam habuit, ut dicat: Non rapiet quisquam oues meas de manu mea, quas uidelicet tanquam bonus pastor custodio. Præbuit insuper in cibum panem uiuum, qui de cœlo descendit. Tribuit denique ipse Agnus effectus suam ipsius pellem in tegmentum nuditatis, & ignominiæ nostræ, imo solus potuit tegere peccata nostra: quia nos omnes eramus filij iræ, & denudati: Ideo inquit Apo-

stolus: Induimini Dominum nostrum IESVM Christum. Habita itaq; via, & præostensa cum tutela itineris, & optimo viatico ad statutam regionem pergenti, tunc confitetur ipsum, tanquam verum Parentem, & Dominum. Suscipit quoque in Deum, quando ab ipso habet omnia, quæ ad vitam æternã spectant: ad quam nemo conducere poterat naturam humanam, maximè lapsam, nisi qui esset super ipsam humanam naturam, & non infectus ab ea, atque de vtroq; participaret extremo: Et hic solus est Christus, & Meßiah, homo Deus, & Deus homo. Tunc igitur cognouit ipsum verum mediatorem, & scalam, per quam accessus in cœlum nobis tribuitur: quò nullus ex massa infecta accedere vnquam potuit, quousque fores aperiret mediator noster, de quo Paulus: Teneamus spei nostræ firmam confeßionem habentes Pontificem magnum, qui penetrauit cœlos, IESVM filium Dei vt nos quoque illuc introduceret, & Patri præsentaret. Hîc prætereundum non est illud, quod habemus pulcherrimum documentum, quòd omni spiritui, omni oraculo, omniq; reuelationi credendum non est: sed veritas exquirenda est eorum, quæ præcedunt illa, quæ prædicuntur: Aut aliquando efflagitanda sunt comprobantia signa, vt hîc fecit noster Patriarcha Iabacob: Quæ etiam aliquoties offeruntur à spiritu prædicente, sicuti Ezechiæ per Isaiam dictum est: Pete tibi signum à Domino Deo tuo: Quod & Propheta tribuit ipsi nolenti petere dicens: Dominus dabit ipse vobis signũ. Petierunt autem apostoli dicentes: Quod signum aduentus tui? Nec quempiam conturbet, quòd Dominus generationem incredulam, & peruersam vocat eam, quæ signum quærit: quia illi plurima signa habebant comprobantia ipsum esse à Deo, ad quæ aliquando eos mittebat dicens: Si non vultis mihi credere, operibus credite: Opera enim, quæ ego facio, illa testimonium perhibent de me. Quærebant igitur isti signum signorum, non vt haberent, vndè crederẽt, sed vt cauillarentur, ideo meruerunt taxari à cognitore cordium.

Paulus. Idem. Iabac. Isaias. Apostoli. CHRISTVS.

Quòmodo secundum apostoli sententiam Christus noui testamenti mediator sit. Cap. VIII.

ET vltra ea, quæ de nostro mediatore explicata sunt, declarandum occurrit, cur ab apostolo dicatur mediator noui testamenti: Pro cuius explicatu aduertendum est, quod in testamento alius est qui testatur, alius legatarius, alius testis, alius fidei commissarius uel executor testamenti: Et hic propriè dicitur mediator, sicut Moses ab apostolo nuncupatus fuit mediator antiqui testamenti: Lex (inquit ad Galatas) data est per angelos in manu mediatoris, idest Mosi, qui executor fuit illius testamenti, non quidem in toto ob peccatum percussi lapidis. Pro ipso igitur suppleuit Iosue introducens populum ad terram in illo antiquo testamento promissam: At IESVS verè perfe-

Moses. Paulus. Iosue.

ctus, & in nullo deficiens plenus fuit noui testamenti executor: Quod testamentum à filio fuit promulgatum, & demandatum executioni: à Patre autem ordinatum, vt ipsemet Filius testatur in Euangelio, cui titulus est secundum Lucam, dicens: Ecce ego dispono vobis regnum, sicut disposuit mihi Pater: Et iterum veluti fidelis executor paternæ voluntatis se dicturum promisit: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum, paratum vtique à patre, à quo & benedicti estis. Ecce igitur ex his, & plerisque aliis locis ea, quæ ad testamentum nouum pertinent à Patre æterno disposita fuisse: verùm à filio executioni demandata: cui tantam tribuit potestatem, vt etiam testamentum conficere posset. Fuit igitur IESVS Christus testator potestate ei à Patre tradita: fuit quoque huius melioris testamenti executor, sicut Moses fuit prioris: Cur autem hoc nouum testamentum melius sit quàm antiquum, Paulus cum Hebræis rationem assignans ait: Quoniam in melioribus promissionibus sancitum est: In priori enim testamento promissa fuit terra hæc inferior, terra videlicet Canahan, fluens tamen illud lac & mel, de quibus sæpius dictum est. In secundo autem fuit promissa, & data terra quæ est caro, & tabernaculum animæ, & diuinitatis Messiæh, ex qua fluxit perfectius lac & mel, quàm ex terra Canahan: Nam ex corpore ipsius carneo ea sapientia nobis communicata est, quam nullus sapientum huius sæculi antea nouerat, & is mellifluus gustus datus est humano generi, vt innumerabilis multitudo virorum, ac mulierum ea dulcedine allecti corpus & animam exposuerint variis, & atrocissimis generibus mortis: Quæ minimè tanta alacritate sufferre potuissent, nisi confortati, & liniti dulcedine mellis fluentis à diuinitate per terream carnem, & humanitatem Christi. Fuit denique promissa terra illa viuentium, vt ipsemet testator clarè promittit in euangelio, cui titulus est secundum Matthæum, dicens: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. In priori iterum testamento crebrò promissa fuit super inferiori illa terra uitæ longitudo, & in eo potissimum loco, vbi in Deuteronomio dicitur: Custodi mandata domini, & cæremonias, atq; iudicia, vt viuas, & multiplicet te, atq; benedicat in terra, ad quam ingredieris possidendam. Ipse est enim vita tua, & longitudo dierum tuorum: ut inhabites in terra, pro qua iurauit Dominus Patribus tuis: In nouo autem testamento promissa est vita cœlestis, diuina, & æterna. In priori quoq; testamento promissa est pluuia elementaris, fertilitas terræ, abundantia fructuum, & omnis denique fauor & copia rerum temporalium: In nouo verò promissa sunt melioris hominis pascua assumenda intus & foris, in vtraque videlicet natura Christi. Promissus fuit quoque largus affluxus fructuum, & omnium bonorum cœlestium, gratiarum videlicet, charismatum, & omnium rerum diuinarum. In priori rursus testamento promissa fuit pax citò perdenda, atque victoria de inimicis humanis, Assyriis, Philisteis, Moab, Ammon, Amalech, & huiusmodi:

Margin notes: CHRISTVS. — Paulus. — CHRISTVS. — Deute.

Sed in nouo testamento promittitur æterna pax, fœdere perpetuo conseruãda, sicuti in eius recessu dixit testator: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis: non vtiq; illam, quam mundus dare solet, sed meliorem, & cum Deo, & angelis, quam mundus ipse dare non potest: Sed & hanc nullatenus cõsequi possumus, nisi parta prius perfecta victoria: quam quoque (teste Paulo) per solum nostrum mediatorem adipiscimur: in qua victoria, & pace consequimur omne bonum. CHRISTVS. Paulus.

Digreßio de bello indicto antiquis Patribus contra illos populos. Cap. IX.



ET quia tetigimus bellum perpetuum demandatum patribus antiquis contra Assyrios. Philisteos, & alios populos proximè nominatos, nullatenus prætermittendum duximus negotium inexplicatum, quod & alia omnia in figura contingebant patribus illis, Id autem non paruipendimus potißimè propter duo tacta in contestatione belli illius, quæ nequaquam populo Dei, & minus ipsi Deo conuenire videntur: Quorum alterum est, quia iussum est bellum perpetuum, & vsque ad vltimam hostiũ internicionem, & eorum omniũ quæ ipsi poßidebant. Alterũ, quia inter Deum & ipsos hostes bellum perpetuũ esse declaratur. De altero habetur dei præceptũ in Deuteronomio cõtra Amalech in huiusmodi verbis: Memento, quæ fecerit tibi Amalech in via, quando egrediebaris de Aegypto, quomodo ceciderit extremos agminis tui, qui laßi residebant, quando tu eras fame & labore confectus, & non timuerit Deum: Cum ergo Dominus Deus tuus dederit tibi requiem, delebis nomẽ eius de sub cœlo. Quod cũ non plenè factum fuerit, idcirco Sauli iterum demandatur, vt destrueret ipsum Amalech, & omnia, quæ eius erant vsque ad minima quæque animalia, & vniuersam eius supellectilem, vt in primo volumine Regum legimus. De altero autem habemus in Exodo, qualiter manus super sedem Dei pugnare dicitur contra ipsum Amalech à generatione in generationem: Hi quippe Amalechitæ simul cum Assyriis, Philisteis, Moabitis, & Ammonitis, potestates quasdam tenebrarum indicant, contra quas acerrimum indictũ est nobis bellum, & positæ inimicitiæ perpetuæ, vt in Genesi dicitur: Ponã inimicitias inter te & semen mulieris, eo quòd ipse antiquus serpens (cuius membrum, & virtus aliqua erat Amalech) obuiare præsumpsit primo homini, & cõsequẽter ipsius posteritati proficiscenti ad veram terram promißionis, & locum verè & non figuratiuè destinatũ, sicut hic patrem, & ducem sequens obuiare præsumpsit populo pergenti ad figuratiuum locum. Hinc contra vtrunq; perpetuum indictum est bellum absque vlla pace, & induciis, & cõtra omnia, quæ eorum sunt, quia illa omnia sunt impedimento nobis tendentibus ad patriam. Hinc militaturi pro Christo nouenius renuntiare diabolo, mundo, & Deute. Lib.Re. Exodus. Genesi.

pompis eius. De quibus populis vltra ea, quæ suprà disseruimus, id omni obseruatione dignum iudicauimus, quòd contra hos hostes uictoriam habemus solummodo à Deo per Iesum Christum mediatorem nostrum; quod & Paulus exerta uoce proclamat dicens: Deo autem gratias, qui dedit nobis uictoriam per IESVM Christum dominum nostrum. Et Moses hoc idem suo typico progressu innuit: Nam populus, qui contra Amalech pugnabat, tunc solummodo uincebat, quando Moses extensis brachiis in modum crucis orabat, ut imploraret uidelicet auxilium à Deo per illum, qui cruci affingendus erat.

Paulus. Moses.

Parta quoq; uictoria ædificauit Moses altare, & inuocauit Adonai uexillifer meus: Pro quo mendosa traductio habet, & uocauit nomen eius, Dominus exaltatio mea. Accommodatè quidem uocauit ipsum mediatorem, per quẽ habuit uictoriam, Adonai, uel quadriliterum, sicuti sæpius in scriptura Messiah & mediator noster illo nomine uocatus est. Bene quoque subintulit, uexillifer meus, quia ipse est uexillifer uniuscuiusque bellantis contra potestates tenebrarum, & principem eorum, quem noster uexillifer in crucem erectus debellauit, & eiecit foras. Verum quia Pater æternus semper fauet Filio, pugnans etiam pro eo contra eius inimicos, iuxta illud propheticum: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum, ideo subintulit Moses, quia manus seper sedem יה Iah, bellans pro Adonai, uel tetragrãmo à generatione in generationem: Manus utique uirtus est non quidem creata, sed diuina, quia hæc sola potest esse super sedem Iah. Quod uerbum diuinitatem signat, imò essentiã Dei puram, quam laudare conuenienter nemo potest, nisi expurgatus, & in meliorem, atque puriorem transformatus. Hinc ecclesia prohibuit, ne tempore pœnitentiæ, antequam homo esset plenè purificatus, quisquam dicat alleluia: quod interpretatum dicit, Laudate Iah. Et hoc illi antiqui & boni Patres didicerant à Dauide deo pleno, qui nunquã uoluit cantare alleluia, nisi prius per multos psalmos quæcunque amouisset impedimẽta istius celeberrimæ laudis: Vndè in fine centesimi tertij psalmi, debellatis hostibus, & ab omnibus impedimentis absolutus cecinit: Deficiant peccatores à terra & iniqui, ita ut non sint: benedic anima mea dominum, alleluia. Sic autem purificatus quasi in omnibus psalmis sequentibus repetit alleluia: quod in præcedentibus nunquam fecerat. Manus itaque Patris æterni super sedem diuinitatis pugnat pro Adonai, idest Christo, & mediatore nostro contra Amalech, potestatem uidelicet diabolicam, quousque penitus destruatur inimica mors: & absorbeatur in uictoria data à Deo Christo capiti, & mẽbris eius. Non est mirũ igitur, si tam dirum bellũ, & perpetuũ indictum est nobis cõtra hũc Amalech, & ipsius consimiles populos: Et si Deus dicitur bellare continuò contra ipsos, non quidem pro se, sed tribuen nobis uictoriam per IESVM Christum dominum nostrum: Ex quo concludimus, quòd hic est etiam mediator victoriæ à nobis consequendæ.

David.

An indigeamus medio, ut in hunc Christum mediatorem deueniamus. Cap. X.



T quia ambigi potest, an aliud medium nobis sit necessarium, per quod in hunc mediatorē ueniamus: De hoc breuiter me expediēs dico, quoniam non est mediator mediatoris, ne progrediamur in infinitum, sed bene exiguntur duo media, aut dispositiones præuiæ, per quas ipsum suscipiamus, atque eidem uniamur: Quarum altera est desuper emanans, electio uidelicet diuinæ clementiæ, & pietatis collocans nos inter oues, quæ perierant ueræ domus Israël, pro quibus redimendis uenit: Altera est, ut pro talentis nobis creditis laboremus fideliter, ut electio illa sit efficax in nobis, secundum propositum eligentis, & sequamur uestigia ipsius mediatoris, qui dixit: Exemplum dedi uobis, ut quemadmodum ego feci, ita & uos faciatis: Qui iterum ad ipsius sequelam nos hortatur, & inuitat dicens: Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen uitæ: lumen utique illud, quod omnē hominem illuminat, dummodo ne quis in tenebris peccatorum obuolutus, sponte recuset lumen ipsum, per quod absque alio medio, stante diuina electione, possumus uniri cum mediatore, & suscipere pro captu nostro omnia, quæ explicauimus in hoc cantico fore communicanda à supramundano fonte omnibus membris christiani corporis per caput, & mediatorem nostrum Christum: de cuius plenitudine unusquisque accipit partem ipsi conuenientem. CHRISTVS.

Procemium in tertium & nouissimum canticum.



VM DVO iam cantica persoluerimus, quorum prius, & antiquum, ad maioris mundi cum minori, & archetypo concordiam pertinet, Alterum nouum, de membrorum omnium cum capite Christo conuenientia, restat, vt nouissimum canticum aggrediamur, quo persoluamus mundi minoris, propter quem facta sunt omnia, concordem in debitum finem, progressum, & statum. Quod eo gratius Principi summo existimamus, quo ipsum hominem cæteris rebus, de quibus iam pertractauimus, accuratius effinxerit, De quo cantico (ni fallor) Propheta, pleno lumine ad omnia intelligenda perfusus, præcinebat, dum diceret. Deus, canticum nouum cantabo tibi. Cantabo vtiq; de homine, qui est nouissimum dei opus, cum opifice cōcordandum, per legis, & decem præceptorum obseruationem, quæ per psalterium decachordum, in quo psallebat Propheta, indicantur. Quorū præceptorum sacramentum, cum totum includatur in cithara euangelica, & amborum laus persoluatur, corpore bene chordato, & spiritu concinno, atq; animo bene psallenti, ideo in alio hymno decantat. Exultate ô bene chordati viri Deo adiutori nostro, à quo omnis perfecta symphonia, & laus. Iubilate Deo Iahacob, vos qui suppeditastis, & cōculcastis omnia impedimenta debitæ laudis. Sumite psalmum, quo mente & animo, deū laudetis, & date in ipsius laudem tympanū corporis bene cōpositum, & tunc assumetis psalteriū iucūdum cum cithara. Psalteriū enim legis iucūdissimū sumitur, quādo pficitur in cithara euangelica, in qua (vt bene intelligēti patet) completur etiam minimum iod, & minutissimus apex ipsius legis. Illa enim omnia, sua sacramēta continēt. Et tunc concinna persoluuntur cantica, quando bene chordatis instrumentis corporis, spiritus & animi, reddimus Deo pro uirili nostra debitas laudes, & concinna opera. Sed pleniora persoluimus cantica, quando superatis, & suppeditatis inimicis deuenimus in veras laudes יה iah, sicuti propheta præmissis primo centum & tribus psalmis, docet, dum ait. Deficiant peccatores à terra & iniqui, ita vt non sint, benedic anima mea domino, alleluia, id est laudate iah. Quod nemo facere potest, nisi fugatis inimicis, vt in præmissis psalmis docemur. Perfectissima autem & plenissima cantica (Deo fauente) persoluemus quando laudabimus eum in excelsis simul cum angelis, in illo beatorum choro resonantibus, non solum lingua, sed spiritu, anima, corpore, & omnibus membris, in laudem opificis, cui omnia debent gloriā, & honorem in sæcula. Et hoc persoluemus diapasonica consonantia octo tonorum, sicut in duobus præmissis canticis perfecimus.

David. Idem. Idem.

De animæ, & corporis, atq; virtutũ cõcordia multiplici. Tonus. I.
De animæ consonantia, per rerum intelligentias. Tonus. II.
De hominis cõuenientia cũ intelligẽtiis, cœlis, & sacris. Tonus. III.
De conuenietia omnium rerum cum homine bene chordato, vt possit in cunctis operari, & omnibus imperare. Tonus. IIII.
De consonantia animæ, cum proprio spiritu, & omnibus aliis spiritibus. Tonus. V.
De concentu suauissimo, quem faciunt homines bene chordati cum Deo. Tonus. VI.
De corporis, & animæ harmonia mutata in melius, per resurrectionem. Tonus. VII.
De suauissimis concentibus, & pausa illa æterna in adepta beatitudine. Tonus. VIII.

CAPITA PRIMI TONI.

De ea quæ est in corpore conuenientia & symmetria. Cap. I.
De ea consonantia, quæ est inter corpus & animam. Cap. II.
Vndè in corpore dissonantia oriatur. Cap. III.
Vndè, & quæ inter corpus & animam consonantia, vel dissonantia. Cap. IIII.
De temperando corpore, & dispositione tentorij per naturales medelas. Cap. V.
Quantum in huiusmodi temperamentis conducendis, conferat prudentia, atq; debitum regimen. Cap. VI.
Quantum ad hæc conducenda valeat vnicuique sui vera cognitio. Cap. VII.
Quòd temperetur corroboreturq; corpus, & consequenter totus homo cælesti fauore. Cap. VIII.
Qua breui via à cœlo, Angelis, & Deo fauorem haurire possimus. Cap. IX.
Quomodo valeat homo paruus mundus ab omnibus membris maioris mundi: cui simillimus est, fomentum suscipere. Cap. X.
De consensu animæ cum seipsa. Cap. XI.
De virtutum concentu conducendo, vt posit ex eis anima sanari, & oblectari. Cap, XII.
De consonantia virtutum cum anima. Cap. XIII.

DE EA QVAE EST IN CORPORE CONVE-nientia & symmetria. Caput primum.



ANTA est corporis commensuratio, ut periti architecti templa, ædes, domos, columnas epistylia, bases, & omnia membra artificioru quæcuq; sint, cum suis partibus etiam minutis, toris, videlicet, quadris, trochilis, plinthis superciliis, astragalis, modulis, spyris, stylobatis, & quicquid ad epistylia, bases, columnas, & ad antes pertinet, uel ad quodcuq; ædificij genus, ad metam corporis humani partitum sit: sicut huius doctrinæ facilè princeps Vitruuius lógo sermone differés, interserit. Non potest ædes, ulla symmetria atq; proportione rationem habere compositionis, nisi in se hominis bene figurati membrorum habuerit exactam rationem. Proportio enim architecturæ (ut inquit) est ratæ partis membrorum in omni opere, totiusq; modulatio, ex qua ratio efficitur symmetriarum. Et vltrà progressus, probare nititur ex articulis corporis numerum omnem, atque numeros, qui denarij, vel sextertij dicuntur, inuentos fuisse. Nam antiqui digitis numerabant, & numeros indicabant digitis ipsis: & ædes omnes ad corporis mensuram partiebantur. Cui nimis fauet summus architectus Deus, qui Noë docuit fabricare arcam ad mensuram humani corporis, vt suprà explicauimus. Insuper & nauigiorum mensuras à peritis deducere uidi ex humano corpore: Imo ipse opifex summus totam mundi machinã, symmetrã corpori humano & totam ei symbolicã fabricauit: vndè non immeritò ille magnus, hic autem paruus mundus nuncupatur. Quorũ cõsonantiã, & symbolũ pro parte demonstrauimus, dũ elemẽta atque elemẽtata omnia, cœlos, angelos, & ipsum Deũ (si licet) in homine cõclusum patefecimus. Explicauimus quoque quanta proportione elementa, qualitates, atq; complexiones, in corpore humano conueniant, & quanta consonantia mẽbrorum circunferentia concinant. Sed alij addunt, etiam cõmensurationes ad longum mẽbrorum corporis esse proportionatas. Os enim capitis, à mento ad frontem summam, & radices imas capilli, est decimæ partis. Item manus palma ad extremum digitum medium, tantundem. Caput, à mento ad summum verticem, octauæ. A summo pectore ad radices capillorum, sextæ. Ad summũ uerticem, quartæ. Ipsius autem oris vel vultus altitudinis, tertia pars, ab imo mento ad imas nares. Nasus ab imis naribus, ad finem medium superciliorum, tãtũdem. Ab eo fine, ad imas radices capilli, vbi frons efficitur, item tertiæ partis. Pes verò, altitudinis corporis, sextæ, Cubitus, quartæ. Pectus item, quartæ. Sic reliqua omnia membra suas habent cõmensurationes proportionis, & has semper harmonicas: vt bene proportionatus, mirabilem ex cõsonantia afferat iu-

Vitru.

cunditatem aspicientibus. Sunt enim omnes mensuræ illæ partitæ per proportiones multiplices, aut superparticulares, aut mixtæ: ex quibus semper resultat harmonia, aut simplex, aut cōposita. Decupla enim proportio, facit tridiapason & diapente. Octupla tridiapason. Quadrupla, bis diapason. Sexcupla bis diapason, & diapente. Tripla, diapason, & diapente. Pariq; modo omnes aliorum membrorum cōmensurationes sunt proportionatæ, & consonantes: & quod maius est, conuenientissimæ cum mundi membris, cœlorum articulis, atq; mensuris archetypi, quod summum est. Nam nullum est membrum in homine, quod non respondeat alicui signo, alicui planetæ, & alicui mensuræ, quæ sit in archetypo, ut docent antiqui Thelogi. Sunt insuper in eo (sicut superius explicauimus) elementa, & humores, debitis & harmonicis proportionibus cōmixti: ex quorum temperamento sanitas, & ex distemperamento prouenit infirmitas. Et omnes, non dicam corporis partes, sed hominis totius portiones, in una eadem anima omnia uiuificante, tanquam instrumentorum chordæ, aut moduli varij in vna consonantia conueniunt. Et quamuis multigena videatur hominis vita, uegetatiua, animalis, spiritalis, intellectiua, siue quæcunq; alia sit, unica tamen est ratio uitæ in omnibus. Hinc non sine mysterio dicit scriptura, quòd Deus, cum uitam donaret homini, inspirauit in faciem eius spiraculum, aut animam uitarum, quam Hebræi dicunt נשמת חיים nismat haiim: uitarum dicit, ut innuatur, quòd in illo spiraculo, aut anima, quæ infundebatur, omnimoda continebatur uita, quæ ad totum ipsum hominem spectat. An. Thé.

De ea consonantia quæ est inter corpus & animam. Cap. II.

Qualis autem sit harmonia inter corpus & animam, quæ uidentur penitus diuersa, Pythagorei præcipui cōsonātiarum inuestigatores, ex ea, quæ ab omnibus conspicitur quietissima, & suaui unione, cōiectare conati sunt. Ex quibus, Timæus Locrus Pythagoricus insignis, solito more adumbrauit, dicens. Quo autem bene habeat anima, corpus expedit habere suas uires, sanitatem, sensus expeditos, robur, pulchritudinem, cuius pulchritudinis exterioris initium, est commensurabilitas, quam symmetriam uocant. Ad membra ipsa, atque animam natura concinnat tentorium, tanquam instrumentum: obtemperansque est ueluti modulabile quoddam uiuendi & subiectionis rationibus: cui consentit Proculus in Timæum Platonis dicens. Anima à principio, secundum harmonicas constituta est rationes: & corpus illi omne, secūdum proportiones dicitur esse coniunctum: uniuersum quoque ipsum harmonicè, concinnéque deuinctum est. Et undè proueniant hæ harmonicæ compagines, prosequens ait. Harum principia sunt à natura, uel à summo opifice insita uis, ut sit homo bene chordatus cum corpore & anima. Quod & Plato satis clarè explicat, dū de anima utriusque mundi, quorum ratio est si-

nillima, inquit: Postquam secundum creatoris mentem, tota animæ constitutio absoluta fuit, quæ prima est in intentione, & in idea, mox omne corporeum intra ipsam effinxit, mediumque mediæ accommodans apto modulamine copulauit. Mediæ nanque animæ medium corpus conuenit, extremæ extremum, & supremæ supremum: vt dispositio corporis dispositioni animæ coaptetur, magis quàm econuerso. Quod in vtroque modo locũ habet, cum nobilior, & ignobilior anima, & media reperiatur: cui in hac mundi machina corpus pro tempore disponitur, pro conditione ipsius animæ suscipiendæ. In mundo quoque minori anima triplici differentia disposita est, sicut & corpus: Instar typicæ arcæ, quam Noë non sine magno mysterio Deo iubente fabricauit. Est enim vilior virtus animæ in ea parte corporis inferiori, quæ est sub diaphragmate, effigiata per tristegam illam inferiorem arcæ. Est media & animalis uis, super ipsum diaphragma, usque ad caput, cuius simulachrũ tenebat illa media statio arcæ, in qua animalia residebant. Est suprema atque intellectiua virtus in capite, denotata per supremam partem arcæ, in qua Noë cum rationali familia morabatur. Quarum quælibet anima, aut portio ipsius cum hospitio, in quo moratur, proportionatissima est. Nam nisi sit animæ atque corporis proportio, facilis est ad dissolutionem, & casum humana vis: sicuti Chalcidius inquit. Maxima vitiorum citatio est in corporis, atque humorum, & spirituũ cõcretione, quorũ abundantia, aut indigentia, propensiores ad libidinem, vel iracundiam sumus. His accidunt vitæ ipsius agendæ sortisque discrimen, ægritudo, conuitium, inopiáque rerũ necessariarum, quibus occupati à studiis honestis ad consentanea vitæ institutæ deducimur, & absque agnitione vocamur ueri boni. Quæ autem sit hæc conuenientia, reconditissimum quidem est, à sapientibus tamen aliqualiter adumbratum: Qui animarum uarias dispositiones inquirẽtes, pro mediorum per quæ ad nos trãsitum habent, diuersitate, uarias sortiri sortes diiudicant: & has cũ corporibus ipsis proportionatis coniũgi. In corpore enim Iouio temperamento conducto, animã opinantur infundi contemperatã à numine, & intelligentia, cui Iupiter respondet, & obsequitur. In corpus uerò Martio impetu, & bili exæstuans animam à numine, & intelligentia perfusam opinantur infundi, cui Mars connexus præsto sit. Et sic de aliis diiudicandum censent. Secundum quam dispositionem, si bene operatur anima purgata, & expiata, reuertitur ad numẽ, uel mansionem, à qua descendit. Et cum mansiones (teste Christo) in domo Patris multæ sint, & hæ quidem uariæ, alioqui non essent multæ: uariæ sunt etiam animæ, non modo in donis gratuitis, sed naturalibus, quæ gratuita consequuntur, si bene sentit Gregorius, qui de angelis, & consequenter de hominibus inquit. Qui donorum distributione participãt, sicut & naturalium dispositione conueniunt. In quem sensum intelligenda sunt uerba saluatoris dicẽtis, quòd uni data sunt quinque talẽta, alij duo, alij uerò

Chal.

CHRISTVS.

Grego.

unum: uel quod datæ sunt (ut alius euangelista ait) decem mnæ decem seruis, ut operaretur unusquisq; secundū mensuram ipsi præstitam. Secundū quam uirtutem, qui operatur, reportat præmiū pro conditione nūmi, uel doni præstiti. Si uerò operari negligit, aufertur donatiuum, & datur alij operanti, ut compleat locum præparatum pro influxu, & donatiuo concesso. De qua reuersione animarū ad loca ipsis proportionata, & à quibus discesserunt loquentes academici cum suo Platone dicunt, quòd redeunt ad suos planetas, altius forsitan loquentes, quam multi lectores existiment. Theologi autem nostri dicunt, quòd reuertuntur ad illos choros angelorum, quibus conformiter uixerunt. Sed (ni fallor) ad illa supramūdana hospitia reuertuntur, ad quæ uia, & ostium est ille, qui dixit: Ego sum uia, Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur. Nec enim per Christum datur ingressus ad planetas, uel angelos, sed ad ipsum Deum, & Patrem æternum: in cuius domo, & in cuius amplitudine diuinitatis sunt mansiones illæ multæ, & æternæ. Lucæ. Academ: Plato. Theolo. CHRISTVS.

Vndè in corpore dissonantia oriatur. Cap. III.



Corpus autem, cū tēperatissimū sit, aliquando dissonantiā uehemētissimā sentit. Quod duplici ex causa præcipuè, fieri non ambigimus. Altera est distēperamentū humorū, aut ex superfluitate, aut ex diminutione, aut alteramento intrinseco uel extrinseco proueniens. Altera, quia à cœlestibus dissidet, ut influxus aliâs boni, ipsi noceāt. Dissidet quidem, declinante animo ab eo, quod exquirit cœlestis influxus. Quam deordinationē multæ aliæ subsequuntur, quia statim subiicitur dissidens malo dæmoni (inquit Proculus) quousque debitis expiationibus expurgetur. Quæ autē sint humorum distemperamenta, cum hoc medicorum sit, ipsis relinquētes, quod suum est, percurremus ea quæ ad rem nostram, & ad meliorem hominem bene instituendum spectant. Distemperātur enim humores, undè infirmitates suboriuntur, non tantum ex superflua, diminuta, uel alterata materia, sed sæpius, quia ab animo malè regitur corpus. Si enim superfluo cibo pascitur, undè superflui generantur humores, nónne hæc culpa est animi non frenantis ingluuiem? Et si cibi nociui comeduntur, nònne culpanda est animi imprudentia? Et si labor superfluus, undè lassitudo, & uaria humorum alteratio, nónne inscitia nostra criminanda est? Et si homò aliquid perpetrat, undè oriatur tristitia, & augeatur atra bilis, qua humores inficiuntur aut magis doleat, & tristetur de occurrentibus, quàm deceat, ut bili exæstuet, siue melancholia comprimatur, nónne hoc est ab animo malè se habente, qui tristitia absorbetur Aristotelica, quæ corrumpit potentiam habentis? Si uerò animus tanquam dux in toto humano exercitu cum imperatore seu rege consentiens, omnes inferiores appetitus, & uires bene moderatur, dirigens omnes in debitos hostes: si aliqua tristitia ex pugna, aut labore reportatur, illa euangelica est, nō nocens, sed quæ statim uertetur in gaudium. Nā sicut diligētibus Deū (ut inquit Paulus) omnia co- Procul. Paulus

operantur in bonum, ita dißidentibus à Deo omnia nocent, omnia uergũt in malũ: qa contra huiuscemodi discolos armat se creatura omnis, in ultionẽ uidelicet
August. inimicorum Dei: ut dicitur in libro Sapiẽtiæ. Hinc Augustinus ait. Omniũ malorum causa est peccatum: quod est deordinatio & distemperamentum animi, & ducis humani. Quo malè regẽte, aut prostrato, rebellant omnia, & distemperantur, in sui dominij perniciẽ. Tunc enim animales spiritus amisso freno in pugnã cõgrediũtur, insurgunt humores mali, & etiã boni deordinati, uicißitudine quadam segregati ab inuicem corpus uexant, & torquent. Tunc nocent influxus cœlestes, sicut lux solis oculis malè dispositis. Tunc Dei lictores, & ipsi in torquen
David dos homines sese expediũt, iuxta illud prophetæ. Et immißiones per angelos malos, uel (ut habet ueritas literæ) & angustiam misit per angelos malos. Tunc (ut
Isaias. inquit Isaias) percutiet te Dominus aëre corrupto. Quod cognoscẽs regius pro-
David pheta dicebat. Miserere mei domine quoniam infirmus sum: sana me, quoniã conturbata sunt omnia ossa mea, id est uires, & uirtutes meæ. Et undè turbatæ sint uires, & exorta infirmitas, declarat subinferens. Et anima mea turbata est ualde. Quæ etiã aliquãdo infirmatur, ut dicat. Sana animã meam, quia peccaui tibi. Ex cuius infirmitate, & rebellione, sequitur rebellio, & distemperamẽtũ omniũ, quæ ipsi obtemperare debebant. Nec dicas. Vexantur multoties boni, magis quàm mali, quia nullus uexatur in eo quod bonus, sed in eo quod malus. Nam tolle malum puniendum, cessabit uexatio, quia misericordia Dei super omnia opera eius. Iustitia autẽ Dei, sup omnia opera mala: quæ non Dei, sed hominis, aut diaboli sunt, uel utriusq; simul. Et sicut nõ est homo, qui nõ peccet: sic non est homo, qui non indigeat purgatione, & qui nõ subiiciatur iustitiæ punitiuæ. Expurgatur itaq; homo, hac momentanea angustia, ut fugiat æternã: quæ infligitur illis, qui filij diaboli effecti & à Dei familia penitus separati, traduntur illi igni, & tormẽto, quod paratum est diabolo, & angelis eius. Nec dicat quispiã, ꝙ infirmitates proueniant ab illis naturalibus causis senariis, quas cõmemorat Aui-
Aulcen. cenna, uidelicet inanitione, repletione cibi, uel aëris infecti, somno, uigilia, exercitio: sed potißimè ex accidentibus animæ scilicet ira, tristitia, gaudio, & similibus: quia omnia hæc (si quis bene aduertat) dependẽt, & reguntur ab animo, cũ in eius potestate sit, dare, uel subtrahere cibũ corpori, uigilare, & dormire, & ad libitũ exercere corpus. Nã bene cordatus potest admittere, uel repellere irã tristitiã, & huiusmodi accidẽtia animi, quæ sunt (ut inquit) potißima causa temperamẽti, & distẽperamẽti corporis, nõ solum in se, sed in aliis: asserens ꝙ anima fortiter eleuata, & uehemẽti imaginatione accẽsa, immutat sanitatẽ, uel ægritudinẽ etiã in corporibus alienis. Nec criminetur quis cõplexionem: quia (ut inquit Ecclesiastes) Deus fecit hominem rectũ, & tẽperatißimũ: quo ad corpus uidelicet & animã. Ipse autẽ se immiscuit infinitis quæstionibus, uel (ut habet ueritas literæ) Ipse quæsiuit cogitationes multas. Vndè non contentus rectitudine, & statu perfecto in quo ipsum collocauerat opifex, uagatus est circa multa,

undè subsequuta est perturbatio animæ, & corporis, & omnimoda deiectio à statu, & à rectitudine sua. Quod in Protoplaste plenissimè indicatur, qui non contentus recta lege, quam ei constituerat Plasmator ipsius, cœpit quærere uetita, undè ea perturbatio animi sequuta est. Et sentiens carnem rebellem, erubuit de nuditate sua: & tandem eiectus de fœlici statu addictus est laboribus, sudoribus, & perturbationibus multis, interdicta ei arbore uitæ, & sanitatis: qua semper se illæsum conseruare potuisset. Deiecto itaque homine à rectissimo, & fœlici statu ipsius, subiicitur nascens ignorantiæ, malæ ualitudini, & perturbationibus multis, quousque ratio recuperetur & mens. Quæ si corpus regat, omnia temperata erunt: quia animæ uel menti tanquam nobiliori obediunt omnia, ut docet Aristo. in primo uolumine de cœlo, sicut fit in hominibus bene cordatis, & qui animam in suam sedem adegerunt, & mentem adepti sunt: A qua si non deiicitur homo, nec corpus distemperatur: nec infirmitati subiicitur: ut de Mose scriptura perhibet, dicens in fine Deuteronomij: quòd cum esset centum & uiginti annorum non est ei caligatus oculus, neque demoliti dentes, uel (ut habet ueritas literæ) neque rugata maxilla. Quæ reseruamus cum Dei adiutorio, clarius suo loco explicanda.

Aristo.

Deuter.

Vndè, & quæ inter corpus & animã cõsonãtia uel dissonantia. Cap. IIII.



Xtat quoq; inter corpus & animam cõuentio, tanto maiori admiratione dignior, quanto ea quæ cõnectuntur uidentur magis diuersa: adeò ut artificiũ illud omnẽ captũ humanũ transcendat. Tanta est enim eorũ colligatio, ut ipsorũ dissolutionẽ homo, existimans ultimũ terribiliũ, fugiat quoad possit, appetens potius, ut inquit Aposto. superuestiri quàm expoliari. Et hac spe uiuimus læti. Nec inter hæc duo aliquãdo indictum est bellum: sed inter hominem spiritualẽ & animalẽ: quæ multa ratione differunt à corpore & anima: quamuis aliquando spiritus accipiatur pro anima, & corpus uel caro pro animali homĩe. De pace autẽ, cõcordia, & unione illorũ dicit scriptura. Inspirauit Deus in faciem hominis spiraculum uitarũ, & factus est homo unicũ quid, uidelicet in animam uiuẽtẽ. De pugna autẽ istorũ inquit Paulus. Caro cõcupiscit aduersus spiritũ, & spiritus aduersus carnẽ: hæc autẽ sibi inuicẽ aduersantur: & iterũ. Video aliam legẽ in mẽbris meis, repugnantẽ legi mentis meæ, & ducere me captiuatum in legem peccati: ita ut nõ quod uolo bonũ, hoc faciam, sed quod nolo malum. Vndè nõ est dissidium inter corpus & animam, quæ naturalia sunt: & nullam pugnam, sed pacẽ desiderantia: sicuti colligauit ea summus opifex firmo, & continuo fœdere. Hinc errant quàm plurimi, qui dum opinantur cum Paulo in seruitutem spiritus redigere corpus, id est animales appetitus: destruunt naturam, aut naturalia dona, quæ in Dei laudem, proprium beneficiũ, & commodum proximi, plenis & non debilitatis uiribus exercenda sunt. Nõ itaq; procuranda est discordia inter naturalia, nec destruenda sunt, sed potius cõseruanda. Hinc idem Apostolus suum

Paulus.

Idem.

Paulus Timothæum docet, ut utatur uino pro confortando stomacho: Et sicut Paulo antè diximus, iubet omne obsequium nostrum rationabile esse. Cui cõsentiens Hieronymus, præcipit & ipse, ut moderata sint nobis ieiunia: cum Deus non oblectetur nostri uentris uacuitate, uel ut uacillantes gressus baculo, aut pariete sustẽtemus. Sed ea ieiunia, & eæ abstinẽtiæ atque macerationes assumendæ sunt, quibus corpore non destructo, sed redacto in seruitutem, inualescat spiritus, & fortior fiat, atque agilior in Dei seruitio. Discrepantia autem, & pugna continua esse debet inter hominem cœlestem, & sensualem: quousque ille hunc redegerit in perfectam seruitutem: ut simul consentientes, & pacifici, beari poßint in ipso regno pacis. Corporis uerò & animæ conseruanda est concordia: qua ipsas colligauit opifex, quousque (illo iubente) ea fiat dissolutio, qua expediti ab hoc corpore, in quo existẽtes peregrinamur à Domino, anima adipiscatur possessionem regni promißi. Quo adepto, iterum resumat corpus iam indutum incorruptionem, immortalitatem, & naturam spiritus: ut simul uniti, nũquam inde dissoluantur: nec aliquando dissonantiam admittant, undè tristitia aliqua generari poßit.

De tẽperãdo corpore, & dispositione tẽtorij per naturales medelas. Ca. V.



Voniam uerò cũ humores dissoni sunt, dißident & spiritus animales, qui in humoribus ipsis resident, perturbanturq; sensus, uirtus phantastica, & omnia organa melioris animæ: quæ cũ sequatur corporis paßiones, distemperatur & ipsa. Hinc medelæ, atq; medici spernendi non sunt, dicente scriptura. Honora medicũ: propter neceßitatem enim creauit illum altißimus. Et iterũ. Altißimus de terra produxit medicinam, & uir prudẽs non abhorrebit eam. Et quia (ut subinfert) à Deo est omnis medela: ideo inquit propheta. Sana me Domine, & sanabor. Nã ab ipso confertur sanitas, & medicina, ꝓ utroq; homine. Virtus enim herbarũ, radicũ, lapidũ, uerborũ, & omniũ quæ ad medicamẽta utriusq; hominis ptinẽt, à Deo insita est: qui aliquãdo immediatè ex se ipso, aliquãdo per intelligentias, & cœlos operatur ea, quæ ad sanitatẽ corporis, & nutrimẽtũ ipsius spectãt. Et hoc quidẽ potisimè propter animam, quam maximè curat. Quæ, ut sit perfectè sana, exquirit corpus sanũ: Idcirco orabat ille sapiens, ut esset mens sana in corpore sano. Pro utroq; igitur parauit altißimus medicamẽta, & medicos. Pro corpore enim sanãdo (disponente Deo) multus fuit labor sapiẽtũ, Apollinis, Esculapij, Hippocratis, Pauli, Galeni, Ioãnis Damasceni, Dioscoridis. Auicennæ, & multorũ Arabũ, Persarũ, Græcorũ, & diuersarũ nationũ: quorũ aliqui pro rerum naturis, & uirtutibus inuestigãdis, & alij pro ipsis componẽdis, & applicãdis, pro qualitate corporũ, & ægritudinũ, diligẽtißimi fuere. De medicaminibus autẽ animæ (ultra ea quæ amplißimè dicũtur à Theologis nostris in quarto uolumine sententiarũ theologicarũ, de sacramentis, & sacrificiis, quæ in medelas animarũ instituta sunt) inquit Ioannes, ꝙ in supercœlesti regione uidit arborem

Margin notes: Paulus; Hieron.; Ecclesia. Dauid; Apollo. Escula. Hippo. Paulus Galeni Damas. Diosco. Auicena.; Theol.; Ioan.

uitæ, cuius folia erant in sanitatem gentium. Qua sanitate recuperata, sumerent gentes ipsæ iam in uiros effectæ, de fructibus uitæ, qui dicuntur cibi fortium, à nullo infirmo assumendi. De medico uerò, canit Psalmographus. Misit uerbum suum, & sanauit eos. Hinc ipsum uerbum missum à Patre, & caro factum, de se ipso dixit. Non est opus ualentibus medico, sed malè habentibus. Et Origines exponens illud sacramentale canticum. In odorem curremus unguentorum tuorum, inquit. Variis quippe Deus Pater eum ungens unguentis, fecit illum Christum, & medicum. Talem nanque sponsum ad infirmam spōsam, Deū Patrem decebat destinare. Qui sponsus, ut boni medici perficeret officium, sanans totum hominem, Apostolis quoque dedit potestatem, & mandatū de utroque homine sanando: ut habetur in Euangelio, cui titulus est secundū Matthæū. Qua potestate tradita, dixit. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eiicite. Postea iubet, ut expediti ab auro, argento, pecunia omnigena, pera, tunicis superfluis, calciamentis uanarum rerum, & uirga humanæ, uel mundanæ potestatis, annunciarent pacem, in quācūque domum ingrederentur. Obserua (quæso) ordinem summi medici: Mandat enim his, quos mittit directores hominum in uiam salutis: ut primo sanent corpora: & suscitent eos, qui mortui sunt: & curent obsessos à dæmonio: postea ut ab omnibus terrenis expediti, annuntient, & tribuant pacem: quæ est uerum temperamētum, & uera sanitas, imò tranquillitas animi. Quā nec præstare, nec habere potest, nisi bene cordatus. & à terrenis impedimētis, & perturbātibus curis penitus expeditus: ideo iubet, ut ab huiusmodi expediantur, qui ipsam denuntiaturi erant. Curāda sunt igitur primo corpora; ut ex harmonia corporis sani, deueniamus ad harmoniā spiritus, uirtutū, & rerū meliorū, tandēq; ad diuinā: sicut Pytha. docet. Quæ sicut ī exterioribus cōducūtur Phœbi fauore, q. & sanitati, & harmoniæ uim maximā præstat: sic ī meliori homīe, imò in utroq; cōducitur fauore ueri solis, uterq; effectus, sanitatis uidelicet, & harmoniæ. Tēperatis itaq; corporibus, tēperātur spiritus, sensus, operationes omnes, & mens: ut gustare possint cœlestia, & diuina pabula. Quod ut perfectè fiat, in perfecto statu beatitudinis pficitur, tēperaturq; ipsum corpus, & mutatur in naturam spiritus: ut nullo distēperamēto grauatū, semp pabula illa simul cū spiritu suscipe ualeat. Nec perterreat quēpiā Apostolica illa sentētia. Cū infirmor, tūc fortior sum: quia ibi diuinus homo nō de infirmitate, & distēperamēto corporis loquitur: qđ quidē multa mala consequuntur: sed de ea cessione, quam animalis homo spiritui facere debet in continua pugna: in qua alterutri illorū succumbendum est. Vbi nō corporis infirmitas, sed animalis hominis subiectio exquiritur: quod fit non qualitatum distemperamento, sed concordi cessione, & mutatione quadam uirium animalium, in uires spirituales. Corporis autem dissidium patientis, cura fit per medicamina, exercitia, purum, & parcum uictum, atq; cœlestem fauorem. Medicamina autē multa sunt: tum ex natura simplicium à cœlis, & intelligentiis, sed in primis à

Margin notes: CHRISTVS. — Orige. — Matth. — CHRISTVS. — Pythag. — Paulus

Deo hausta: tum ex harmonica compositione medicaminum inter se, & concinna corpori suscipienti, Quæ multum operatur, quamuis parum cognita sapientibus nostri temporis: qui suum Aristotelem sequentes, omnia tribuunt primis, & secundis qualitatibus, cōtenti solum earum libramine, cum tamen uideamus aliqua simplicia magis operari, quàm ignis, qui est non solum in tertio, uel quarto gradu, sed summè calidus: & omnium elementorum actiuissimus. Vndè id à uirtute maiori, quàm sit illa qualitatum primarum, procedere necesse est. Videmus quoque proportionata ualde prodesse, quæ distemperata nocent: ut opinari cogamur harmonicam uim multum conferre. Operatur insuper uirtus, & efficax medici animus, quia (ut diximus) fortis imaginatio immutat qualitates etiam in corpore alieno. Id maximè, quādo infirmus medico adhibens fidem, sese disponit ad medentis uirtutem suscipiendam. Quæ dispositio quantum

CHRISTVS. ualeat, illæ omnium medicorum magister Christus Iesus indicat, dum suscepturis ab eo sanitatem, tam melioris quàm deterioris hominis, ipsam exquireret: aut in his qui susceperant commendaret. Dixit enim mulieri Cananeæ, O mulier magna est fides tua: Fiat tibi, sicut petisti. Et hæmorrhoissæ inquit, Fides tua te saluam fecit. Et à cæcis petentibus lumen, fidem requisiuit dicens, Creditis, quòd possim uos illuminare? Et eunucho Candacis reginæ quærenti medelam baptis-

Philip. mi, ait Philippus. Si credis ex toto corde, licet mihi uidelicet dare tibi hoc baptismi medicamen. Et sic semper cœlestis medicus, & ab eo instructi discipuli fidem exquirebant ab his, qui sanari cupiebāt, siue in altero, siue in utroque homine. Prosunt etiam ad temperamentum coporis, & consequenter animæ, exercitia debita; & lætæ atque honestæ occupationes. Adsunt quoque iuuamenta quàm plurima, pro recuperandis & conseruandis uiribus. Inter quæ est electio ciborum conuenientium, & salubrium, de quibus omnibus authores medicinæ, plenis uoluminibus conscribunt: Quibus de more, committimus; eos qui ipsorum auxilio indigent: ut conscendamus ad ea pertractandā, quæ potissimè hominē meliorem temperant, sed de inferiori, quantum ad ipsius superioris temperamentum spectat. Et cum inter alia ad id conducat prudentia, de ipsa etiam aliquid percurrendum est.

Quantum in huiusmodi temperamentis conducendis conferat prudentia, atque debitum regimen. Cap. VI.



NEC adeò expectanda est sanitas, & temperamentum corporis ab extraneis, ut contemnatur proprium regimen, quod non minus esse debet quàm in animantibus ratione carentibus ad quæ

Salomon mittit Salomon rationalem creaturam; dum ait: Si ignoras te ô pulcherrima mulierū, egredere, & abi post uestigia gregū tuorū. In quibus, uidemus prudentiā in malis præcauendis, & in bonis procurandis. Cauet enim equi, & asini nos portātes, atq; cætera animalia à præcipitiis & dubiis obiectis

niis, meliorem eligunt. In pascuis herbas proficuas sumunt, nociuas renuunt. Vulneratæ capræ Cretenses ditamum in medelā quærunt, & sanantur. Quam cum gustant, sagittas dicuntur excutere de corpore. Ceruæ paulo antè partum purgant se quadam herbula, quæ seselis dicitur. Corui cum uenenatos se sentiunt toxico gallico, quercum quærunt (ut aliqui asserunt) sed coruatiam (ut aliis placet) pro medela. Pantheræ barbaricæ (sicut Tullius refert) uenenata carne remedium quoddam habent, quo usæ non moriuntur. Cerui quoque post actam pugnam cum serpentibus, ad fontes aquarum properant: ut extinguant sitim, uenenoso flatu commotam. Mittit iterum sapiēs pigros ad formicam, quæ tanta solicitudine munit horreum suum, præsentiens subsequuturam hyemem, ut prudentia maxima uigere uideatur. Ciconia (ut fertur) rostro purgat intestina, Camelus debitè oneratus surgit, recusans ulterius onerari quia cognoscit ferre illud non posse. Cum autem infinita sint huiusmodi in animalibus exempla, multo magis in homine mente donato id reperiri debet. Sed adeo prudens regimen, aliqui diiudicarunt expediens: ut medicamenta extrinseca renuerint: sicut de Asclepiade narrat Plinius: qui omnibus medicamentis abiectis, & tota medicina ad casum reuocata: quinque res maximè communium auxiliorum professus est. Abstinentiam cibi, aliâs uini, fricationem corporis, ambulationes, gestationes'que: quæ unusquisque sibi præstare potest: laudant alij sudores citatos exercitio à sanis, & multiplicibus uestibus ab ægris. Et huiusmodi multa commendantur à nonnullis, quæ prudentia quadam, simul cum fauore naturæ, conducere possumus. Quod & Plato in Timæo docet. Morbi, inquiens (nisi periculosissimi sint) pharmacis irritandi non sunt: sed diligentia corrigendi, & gubernandi: pro ut cuique datur otium. Motum quoque summè laudat pro conseruāda sanitate, & curādo corpore ab ægritudine. At (inquiēs) in sanādo corpore illā imitetur naturā, quā altricē uniuersi uocamus: ita, ut nunquā torpere permittat: sed moueat semper iugiq; agitatione, internis, externisq; motibus, secūdū naturā ubiq; resistēs, moderata quadā cōmotione, oberrātes passiones corporis, partesq; cognationis, ratione seruata, uicissim in ordinē redigat. Omnium autē motuū optimū opinatur, qui ex semetipso fit, quia mēti cognatissimus. Qui uerò ab alio fit, deterior est. Quapropter purgationū, cōstitutionūq; omniū corporis, quæ gymnastica fit, saluberrima est. Proxima ad hanc accedit uectio facilis, siue naui, siue quouis alio uehiculo peragatur. Prudentia igitur exquiritur non solum in huiusmodi adminiculis utillimis, facilè à prudente comparādis: sed etiam ut frenet ingluuiem, & à superfluis, & nociuis esculentis caueat. Optimū foret (quāuis difficillimū sit) ut unusquisq; cognosceret, quātū escæ sibi sufficeret, nec plus sumeret, ut supfluos uitaret humores: sicuti de Christo asserūt nōnulli: ꝙ ea meta cibū sumebat: ut non generaret superfluū quartæ digestionis: Multi quoque alij parcitate cibi, simul & sanitate atque agilitate quadam corporis gauisi sunt. Moses, & Elias usque ad quadragesimū diē, ieiuniū protra-

Tullius. | Ascle. Plinius. | CHRISTVS. | Moses.

xerunt: undè ille splendebat facie, purificato iam corpore: & istè leui, & igneo curru subuectus est: & corpus suum uelutì spiritum quẽdam facilè ducebat ad nutum. Hieronymus gloriabatur, didicisse hebdomadarum sufferre inediam, robustus tamen, mente & corpore. Multíque alij maximas abstinentias obseruantes, contenti erant solo naturæ sustentamento, omnem cibi delectationem à se penitus abdicantes sicut Hilarion, Macharius, Franciscus, & alij quàm plurimi, nullam inde mentis, aut corporis sentientes iacturam, imò uim, & robur maximũ. Quod fit, & diuino fauore, & perspicaci prudentia, qua homo appetitus corporis moderatur, & ipsum corpus ad spiritus symbolum educans, cibat quodãmodo ipsum meliori cibo, spiritus uidelicet, & delectatione debiti temperamenti, & concordiæ, cũm præsidente ipsius: ut inde cibus sit ad sustentationem, & nõ ad oblectamentũ. Quod cum difficillimum sit noscere, nõnulli maiori inedia, quàm debeant, corpora affligentes, manifesta, & uaria inde nocumenta passi sunt. Magna enim hic prudentiæ indago exigitur, ut ueluti bonus musicus, trahat, & aptet chordas omnes iusto modulamine, ne plus, aut minus quàm deceat tensis, consonantias potius abducat, quàm adducat. Nec enim minor solertia, & acumen exquiritur in diiudicando consonantiam artuum corporis, & in moderandis ipsis, ut omnia contemperata sint cum spiritu, & anima, quàm exquirat musicus in temperandis instrumentis suis. Sed cum perfecta de huiusmodi re notitia haberi nequeat, nisi à perfectissimis: ideo unusquisque cõsulere debet peritiores. Qui, si non omnia, tamen aliqua præcauenda docent, quousque adepta mente, perueniat ad perfectam cognitionem proprij tentorij, hospitantis animæ, intelligentiæ custodientis, & omnium quæ ad ipsam animam perficiendam attinent, & ad perfectum temperamentum corporis, & consummatam concordiam ipsius cum anima.

Hieron. Hilariõ. Macha. Francis.

Quantum ad hæc conducenda ualeat unicuique uera sui cognitio. Cap. VII.



Extat monumentum à sapientibus celebratissimum, quo ualeat homo corpus propriũ, & omnia quæ intra corpus sunt, & quæ circa ipsum adiacent, moderari. Id autem est propria sui cognitio, non quidem, quòd terra sit, aut ex uili materia ortus, aut breui in terram resoluendus, ac uiuens innumerabilibus quæstionibus immixtus, ut nonnulli monumentum illud interpretantur: Sed exquiritur, ut cognoscatur, quæ sit anima propria, undè progrediatur, quantis, & quot gradibus perfectionis referta, qua intelligentia communita, quibus mediis in corpus diffusa, qua harmonia cum ipso compacta, quam affinitatem cum Deo, intelligentiis, cœlis, elemẽtis, & rebus omnibus habeat, quorum imaginem & simulachrũ tenet: Quibusue influxibus compaginatum sit corpus, & quo uitæ curriculo terminandum, ultrà quod non detur progressus. Hæc enim & huiusmodi, exquirit monumen-

tum, quod Græcia iactat se ab oraculo Delphico in uetustissimo tripode ante omnes accepisse. Nec tamen loquenti in oraculo detur laus, tanquam illius documẽti inuentori, cum ante Apollinis oraculum, illud tradiderint qui à Spiritu Sancto edocti fuerant: ait enim Iob, uisitans speciem tuam non peccabis. Visitat nanque speciem suam, qui aliquãdo mente formam propriam, atque seipsum contemplatur. Quod necesse est, si partes omnes suiipsius, tanquam totius instrumenti chordas suo loco disponere uelit, & in dignitatem suam restituere seipsum. De quo diuus Citharista clara uoce intonat, dicens. Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus; & similis factus est illis. Dolet nanque, quòd non cognoscat homo dignitatem, & excellentiam, in qua constitutus est, omnibus præstans, & ab omnibus fomentũ dignitatis suæ suscipere ualens, cum non tantum omnium partium suarum concordia, sed omniũ rerum harmonia, & subiectione gaudere poßit, nisi se ipsum deiiciens, iumentis insipientibus aßimiletur. Et hæc (ni fallor) sunt illa mirabilia, de quorum cognitione alibi exultat propheta, dum ait. Mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis. Et quæ, & circa quos sint hæc mirabilia, explicans, subinfert. Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum: cognoscens uidelicet quanta naturæ, & donorum excellentia eos decoraueris, quantóue dominio præfeceris, eos scilicet qui cognouerunt, & conseruare studuerunt pretium, & dignitatem, in qua constituti sunt. Et ne glorietur quispiã de exteriori apparentia, sed semper timeat, & reuereatur Dei iudicium, ad cuius metam homo est uerè magnus, uel paruus, estq́ue bonus, uel malus, inquit. Nõ est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto: & substãtia, uel compactio mea in inferioribus terræ. Imperfectum meum uiderunt oculi tui. Mercurius quoque Trismegistus idem, ante oraculum docuit dicens. Vos, quibus mentis portio concessa est, genus recognoscite uestrum, uestramq́ue naturam immortalem considerate. Non igitur mortalem, aut deteriorem conditionem, iubet iste sapiẽs contemplandam, sed meliorẽ: Quod explicans Macrobius in de somnio Scipionis, ait. Animas dicimus de cælo lapsas in corpora; & hanc esse perfectam animi sapientiam, dum corpore utitur, ut undè orta sit, recognoscat. Sic enim omnes rectè sentientes uolunt, ut cognitio illa exigatur, per quam, exclusis impedimentis, rectum in Deum capiatur iter. Hinc diiudicarunt oraculum potius à cælo, quàm à dæmone emanasse, ut Satyricus canit. E cælo descendit γνῶθι σεαυτόν. A cælo quippe, & à spiritu sancto prosiliit documentum, ut diximus: quamuis à dæmone per oraculum Græcis prolatum fuerit. Hac igitur cognitione de nobis ipsis habita, cognoscimus Deum, ad cuius imaginem facti sumus: cognoscimus mundum, cuius simulachrum portamus: cognoscimus creaturas omnes, quas complectimur; & cum quibus habemus symbolum, & harmonicam proportionem: cognoscimus quid fomenti à lapidibus, quid ab herbis, quid à cælis, quid tandẽ ab unaquaque re haurire poßimus. Cognoscimus insuper, quomodo unamquã-

Oracu. Iob Dauid Idem. Mercuri. Macrob. Iuuen.

que chordam nostri corporei instrumenti suo loco aptare ualeamus.

Quòd temperetur, corroboreturq; corpus, & consequenter totus homo cœlesti fauore. Cap. VIII.


T quia fatales sunt aliquando morbi (ut in Timæo asseuerat Plato) ab ipso generationis exordio, certis temporum curriculis terminantes, atque magni animalis sequentes motus: ideo contemperandus est morbus, & corroboranda uirtus cœlesti fauore, ab his tamen, qui in harmoniam inferiorem lapsi, serui miserrimi cœlorum, & aliarum rerum inferiorum (ut Trismegistus ait) effecti sunt. Aliqui enim fuere, & reperiuntur, quibus per Ieremiam dicitur. A signis cœli, ne timueritis, sicut gẽtes timent, quia non cœlum, non terra, non corporea quæque, sed ipse Dominus immediatè est pars & funiculus hæreditatis illorum, quibus iterum idem Propheta ait. Nolite timere hæc, quia nec malè possunt facere, nec bene. Cum quibus erit suo loco nobis sermo: sed pro nunc, cum his qui cœlis subiiciuntur: quibus dicimus, ut quousque ab eorum præsidentia absoluantur, curent ueluti sapientes Astronomi, præcauere non solum mala multa, quæ cœli minantur (sicuti docet Ptolemæus) sed continuè fauorem, & præsidium hauriant, quousque à cœlorũ præsidentia absoluantur. Qui haustus fit (docente Plotino) mediante anima mũdi quæ tot rationes seminales continens, quot sunt ideæ in mente diuina præstat unicuique suam particularem uim, iuxta uirtutes idearum susceptas, sicut & uitam tribuit. Nõ enim est in mundano hoc animali mẽbrũ tã deforme, cui (ut Platonici asseuerant) non insit, & animæ, & uitæ munus. Quas uitæ connexiones, Zoroastres diuinas illices uocat: & Synesius symbolicas illecebras: Secundum quas, non omnia bona simul oriuntur à cœlo: sed pro temporum curriculis, & opportunitate, & pro uniuscuiusque aptitudine, & dispositione. Hac igitur inducta, stellæ, & intelligentiæ præsidentis, fauorem suscipit dispositus ipsi conuenientem, sicut corpus organizatum, & ultima dispositione conductum, suscipit uitam, & animam. Videmus enim successione temporis, & multis atque uariis cœlorum reuolutionibus, homines ualde proficere, in uitæ, animæ, rationis, & multorum munerũ augmentis, & dilatationibus: quæ artis, & industriæ adminiculis conduci nequeunt: adeo ut cœlestem fauorem confiteri cogamur. Quod sæpius diligenti obseruatione comprobatum est: quamuis aliquando fallantur prognosticantes: aut quia non plenè cognoscunt influxus omnes, & undè proueniãt: aut quia homo arbitrio suo & animi libertate aliò tendit, quàm dictet ipse cœlestis influxus. Nam (ut ipse Astronomorum princeps Ptolemæus in principio Apotelesmatum docet) non sufficit alicui, ut castus, & iustus sit, habere Iouem in suo horoscopo fauentem: nisi cauerit à lenonibus, & meretricibus, quorum conuersatio obstat influxui. Obstant enim consuetudines, mores, sanguis, locus genitura, libertas animi, & occasiones quamplurimæ, cum influxus illi non cogant, sed

Marginalia: Mercur. Iеremi. — Ptolem. — Plotino. — Platonici — Zoroast. — Syne. — Ptolem.

disponant, & faueant. Et hoc (ut diximus) per mundi animam, particulari tamen uirtute imaginum, & intelligentiarum praesidentium, & concursu radiorum, & aspectuum, conuenientibus stellis & imaginibus illis, peculiari quodam, & harmonico conuentu. Et horum omnium uirtus, per solem tanquam per uerū coeli gallum confouetur, qui & communem uitae um, & particularium uirtutū semina fundit. Cuius seminis uirtute grauidata sidera, maximè Luna, tempore suo in nos foetum diffundit, tanquam matrix, non tantum solis, sed aliorum planetarum. A quibus omnibus semen, & influxus à superioribus susceptos: ueluti domestica mater nobis tribuit. Hinc diligentiori cura ipsa ferme ab omnibus obseruatur. Quod in minori mundo, & in nobismetipsis discere, & comprobare possumus. In corde enim hominis, quod solis imaginem, & uirtutem tenet, est cō munis uitae fons: & omnium membrorū totius corporis uirtus. Nam omnia quae in corpore sunt, à corde fomentum suscipiunt, & uitae, atque motionis uim: quae à corde transit ad cerebrum, quod lunare est: & inde ad omnia membra corporis diffunditur per uenas, & neruos ab ipso descendentes. Platonicos igitur sequentes, qui communi sententia conueniunt, mundum esse animal, magis unum, quàm quodlibet aliud quodcunque sit, dicimus uniuersalis, & particularis membra, eodem modo colligata, & paria esse, atque simillima, in influxu, & communicatione mutua, in motu, qualitate, & omnimoda correspōdentia. Influit enim utrobique, praecipuè membrum principale, quod est sol in mundano animali: & cor in particulari. Caeteraque membra superiora utriusque, in inferiora influunt, pro suscipientium dispositione. Quae & à natura insita est, & prudentiae, atque artis adminiculis coadiuuatur. Sed haec, quae industria cōparatur uel exigua, sufficit ad coeli munera capescenda, ideo non aspernenda, cū multū conferat, & naturali dispositioni, ut plena sit, & animae disponenti, cū disponendo faueat & ipsa, sicuti coeli influentes. Et quāuis homo à toto coelo fauorem suscipiat, potissimè tamen haurit à corde coeli, quod est sol, cum solaris sit homo, (ut Arabes astronomi dicunt) & peculiari quodam munere utriusque solis, coelestis uidelicet, & supramundani decoratus, ut ex theologia Hebraeorum decerpimus. Quod & docet eius pulchra & erecta statura, humor subtilis, spiritus clarus, imaginatio perspicua, ueritatis & gloriae studium, & multa, in quibus homo habet utriusque solis symbolū, & peculiarem eius imaginē, & tanto expressiorē quanto perfectior est. Hinc hominū princeps, & caput Christus Iesus plaerisque locis sol dictus est: à cuius luminis, uitae, & omnium bonorum plenitudine (inquit Ioannes) omnes accepimus. Haurimus quoque ab aliis planetis, & stellis: sed uirtute solis illas suo ipsius semine, uel uirtute confouentis. Sicut in mystico corpore (quamuis praecipuè suscipiamus à corde uel capite Christo) accipimus: tamen etiam illius uirtute, ab aliis membris: quae ueluti stellae sunt in magno corpore mystico: ut Daniel, & Paulus perhibēt. In sole itaque, mundi praecipua lampade, tanquam in corde est potissimè mundani animalis uita: cuius &

Plato. Arabes. The. he. Ioan. Daniel. Paulus.

ipse inter cœlica mēbra est præcipuus dator, per spiritum quēdā uitalē: quo (ut Timæus Pythagoricus inquit) uiuit totus mundus, ipsum cōtinuè bauriēs, simul cum spiritu, & uirtute aliarum stellarum: præsertim homo per ipsius spiritum illis suapte natura conformē: & arte, atque prouidentia, cognatiorē effectum, multis regulis & adminiculis, de quibus ueri sapientes potius ore, quàm uoluminibus pertractant. Et tanto celebriorem uim suscipit homo, non solum à sideribus, & intelligentiis, sed ab ipso omnium bonorum fonte: quanto magis cœlestis, angelicus, & diuinus efficitur. Cœlestis autem euadit, quando corruptibilia suppeditans, & spernens, incorruptibilia amplectitur: & animum, atque opera, uelut cœlum quoddam, conducit in orbem, reflectens iter, & opus in cœlum, à quo processit. Quod fieri nequit, nisi præmissa segregatione ab obnubilantibus uaporibus: & ab omnibus his, quæ hominem dissimilē cœlo reddunt. Efficitur quoque angelicus, dum Deo munda, & pura mente ministrat, & semper mūdis oblectatur, in uisceribus, in cute, in uestibus, in habitaculis, & in utensilibus: quorū omnium immunditia, aërem frequenter inficit: influxumque illum mundissimū cœlestium, & diuinorum disturbat, & mundos Dei ministros fugat. Verùm aliquandò immundi angeli, tanquam Dei, & ministrorum eius simiæ, uel ut adorētur, uel ut decipiant, huiusmodi munditiam exquirunt. Ideo super omnia, diligenti cura obseruandum est: ut habeat unusquisque animum, & cor purum, atque mundū, quod immundas potestates fugat, & ad Dei consuetudinē, & contuitū CHRISTVS. disponit: dicente summa ueritate. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt. Hac igitur mundicia in primis comparata, etiam illa corporis & eorum omnium, quibus utimur spernenda non est: cū utranque exquirat omnium lympidorum fons, & origo Deus, in quē tendimus. Illā enim in primis exquirit, dicens per Isaiam: Lauamini, & mundi estote, auferte malū cogitationum uestrarū. Hanc quoque exquirit cū semper in sacris omnia munda efflagitet & uasa: & munera: & hostias, & sacrificia: Et, ut breuiter concludamus, est doctrina Hebræ. apud Hebræos in huiusmodi re peritissimos, omnibus communis, quòd cuncta quæ Dei sunt, tenentur ex parte munditiæ quam טהרה thaorah dicunt, Et omnia quæ spirituū immundorū sunt, & ad ipsos, uel mēbra eorū pertinēt, טומאה tumah, id est immundū, uel immunda uocat: sicut & ipsi dicuntur immundi spiritus, Econuerso autem, illi dicuntur angeli lucis, & mundi. Hinc qui ipsorū con-Francisc. suetudine delectantur, munditiā omnigenam quærunt. Inter quos Franciscus, noster auriga, docta quadam practica: & diuini spiritus collustratione perfusus, mirūimmodum munditiā cōmendabat. Mundus itaque quisquis effectus est, & angelis simillimus, alios mundo itinere, & uita pura, in Deū dirigere studet. Hic & cœlos quodammodo transcendens, non iam ab ipsis, sed ab angelis incrementa uitæ, profectus, & fomentū suscipit, consuetudine quadam familiari cum ipsis fruens: sicut de Patribus utriusque testamēti plærisque legimus. Habuit enim Abraham angelos optatæ prolis, & multarum rerum nuntios. Iaba- Abrahā. Iahacob

cob angelorum familiaritate, in tota sua peregrinatione sæpiùs usus est. Elias non minus mente, quàm corpore, manu angelica pastus est. Petrus quoque liberatorem à carcere angelum sensit, & comitẽ: quousque ciuitatem egrederetur, & pericula euaderet. Ioannes pluries gauisus est consortio angeli, à quo & celeberrimam uisionem edoctus est. Et alios quamplurimos omittens, breuiter me expediam, Mosi (inquit Paulus) lex data est per angelos, cum ipso nimis familiariter agentes. Nec tamen eorum tantummodo contentus fauore, patrocinio & consuetudine, ad diuinitatem aspirans, Deum quæsiuit sui itineris ducem, magna confidentia ipsi protestans & dicens: Nisi tu ueneris nobiscum, non uadam. Deus itaque clientulos suos tanto numine munire studuit: ut cœlorum influxus minime timerent: sicuti in Deuteronomio inquit. Gentes audiunt diuinos & מעוננים mehonenim, quod nostri habent augures: sed supputatores, ut Achinas dicit. Tu autem aliter institutus es à Deo tuo. Satisque existimauit pro eis obtinuisse oraculum, & Deum domesticum, à quo, debito, & sacratissimo cultu omnia opportunè haurire possent. Quod melius adhuc pfecit legis uerus reserator Christus Iesus, docens, quomodo non in tabernaculum manu factum, sed in nos metipsos templum Dei uiui effectos & palatia cœlestis regni, Deum possemus trahere, & in iis hospitari, dicens: Ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Docuit insuper, & facultatem dedit, qua possimus Deum, qui intra nos est, excitare in fauorem nostrum: imò nos in ipsum mutare, dicente Ioanne. Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Quod nec faciunt, nec cognoscũt Christiani nostri temporis: quia adeò obliterata sunt, & postergata monumenta euangelica: ut uix eorum uestigia, & lineamenta uideantur. Ecce igitur, quomodo à Deo, ab angelis eius ministris, & à cœlis instrumentis eiusdem, queas fauorem suscipere. nunc qualiter id breui, & facili itinere facias, accipe.

Elias. Petrus. Ioannes. Moses. Paulus. Deutet. Achinas. CHRISTVS. Ioan.

Qua breui uia à cœlo, angelis, & Deo fauorem haurire possimus. Cap. IX.



Esset sanè longum, arduũ, dubiũque nimis iter, si omnia sidera, & influxus, aspectusque fauentes uenari uoluerimus, & per ea quis, aut qualis sit custos, aut genius noster, cognoscere: cum professores istius doctrinæ, longa, difficillima, dubia, & aliquando inter se dissidentia instituta, tradiderint. Porphyrius enim ex planeta domino genituræ, genium quærit. Firmicus quoque uel inde, uel ex eo, qui plures ibi habet dignitates: uel ex eo, cuius domicilium statim ingressura est luna, post signũ, quod homine nascente, detinet. Chaldæi à sole potius, aut à luna genium auspicantur. Alij, ab aliquo cœli cardine id exquirere docent. Et sic per multa uagãtur professores huius doctrinæ: aut quia non plenè nouerunt cœlorum sacramenta, & ordinem: aut quia pandere noluerunt, & communia facere ea, quæ inter paucos sapientes communicanda sunt. Cum igitur illa semita, longa, & occultissima

Porphy. Iul. Fir. Chaldæi.

sit, breue arripiẽdum est iter, percontando à nobis ipsis, quod à cœlis facere nequimus. Quod quidem faciemus, si amotis impedimentis, submittamus nos spiritui nostro duci, qui nobis non resistentibus demonstrabit iter, quo cœlum, quo genius, imò quo summus moderator conducit. Et hoc, si attendamus ad ea, quæ à primæua ætate nullis contagiis distracta, nobis suggerit, aut quod expurgata mente ab inani cura, & obliquo affectu, natura ipsa uel spiritu dictante sentimus, fingimus, imitamur, & tentamus frequentius. Sentit enim natura: & spiritus noster cœli instinctum, atque fauorem: sentit & genij proprij suadelas: quod Platoni. *unicuique datum est, à principio suæ natiuitatis: ut nõ modo Platonici simul cũ* Doc. no. *doctoribus nostris asserunt, sed infallibilis Veritas sermone profitetur aperto,* CHRISTVS. *dum ait. Angeli eorum semper uident faciem Patris. Hi enim suis clientulis fauent, illò ducentes, quo & eius sidus inclinat, semper utique ad bonum: nisi homo ab his illecebris, aut mali dæmonis suadelis deceptus, suum obliquet iter. Non enim ducem re uera itineris habet, qui per deuia ambulat: quoniam stellarum, atque custodum nostrorum officium est, semper recta agere: atque ad recta, & excellentiora disponere. Cœli igitur, & genij, uel angeli proprij (ut catholicè loquamur) suasionibus assentiens, aget prosperè, & uiuet fœlix. Alioqui, cœlum sentiet, & superos inimicos: & aduersam fortunam (quæ diuinorũ ducatus est) in omnibus peragendis, alienus effectus à patronis cœlestibus. Quo forsitan tẽ-* Zoroa. *dit adagium illud: Nihil agas inuita Minerua. Et si (ut Zoroastres docet) fatũ non est augendum, minus immutandum. Nam si ingenio tuo, contra genium, & cœlestium uocem continuè inuitantem, aliquid professus fueris: frustra labora-* Dauid *bis, dicente propheta. Nisi Dominus custodierit ciuitatẽ, frustra uigilat, qui custodit eam. Et nisi Dominus ædificauerit domum, in uanum laborauerũt, qui ædificant eam. Vanum est enim nobisipsis surgere, uel ante, siue contra lucem quæ à cœlo splendet: & ducit, atque conducit hominem, quo pergere debet. Quærẽtibus igitur rerum agendarum faustum omen, omni diligentia obseruandum est: ut audiamus, quid in nobis loquatur Deus: aut in scriptura sua sancta, & lege: quid suadeat bonus custos, quid suggerat spiritus, & ad quid sidus faueat. Attendendum quoque est, quo te ducant. Locus enim multum confert, quia non ab* DEVS *re dixit Deus, uel bonus custos, eius uice, & nomine ad Abraham: Veni in terrã quam monstrauero tibi, & faciam te in gentem magnam: & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum: ubi clarè deprehenditur, quantum locus conferat ad fauorem. Et paulo post sequitur. Perrexit Abraham uadens, & ultrà progrediens, aut proficiens ad meridiem. Ibi fauorem supercœlestiũ amplissimum sen-* Izah. *sit: sicut Izahac in aquilone, de quo dicitur. Venit Izahac in Gerarah, ubi seminauit, & collegit centuplum: aut centum hordeos: ut habet ueritas literæ. Et locupletatus est homo: & effectus est diues ualde. Sacramentum huius negocij quærit Hieronymus, nec soluit: nolens forsitan pandere indigno uulgo, quid locus operetur, quid hordeum significet, quo adeo profecit, & creuit Izahac, ut*

efficeretur diues ualde. Dauid quoq;, Sion elegit in peculiare habitaculũ dicẽs. Dauid
Hæc requies mea in sæculum sæculi, hîc habitabo quoniam elegi eam. Nec quidem horum aliquid, absq; mysterio scriptum est. Quis autem sit locus tuus, si ratione, aut doctrina inuenire nequis, obserua ubi potissimè tuus spiritus recreetur: ubi sensus uegetior fiat, ubi corporis ualitudo, & agilitas proficiat, ubi uota succedant, ubi plærique faueant, ubi infensi succumbant. Hanc regionem scito tibi à Deo, superisque paratam. Hanc citra omnem superstitionem cole, habens huius obseruantiæ præstantissimos duces, Christum maximè, qui frequentabat montem oliuarum. CHRISTVS.
Colebat etiam Hieronymus Bethleemiticum præsepe. Hiero.
Diligebat Franciscus locum sanctæ Mariæ de angelis: Multiq; alij uiri Deo pleni, loca particularia sibi deligebant. Francis.
Nec aliquando uno tantummodo contenti, sed alia, uel pro tempore, uel pro negocio, occurrente procurabant. Sic & tu, locum, uel regionem muta: & quancũque tibi, & operi quod moliris, fauere senseris, elige: infaustam autem fugito. Opera pariter uirtutis aggredere, in quibus oblectaris, & utriusque hominis profectum sentis. Horas insuper elige pro orationibus, contemplationibus, & aliis operibus spiritus conducẽdis, à patribus nõ sine ratione traditas, & eas quas spiritus ipse suggesserit. Qui aliquando adeò complet, quos tangit, ut suggerat omnia, quæ ad eorum profectum spectant. Et de hoc (ni fallor) inquit Apostolus, ubi spiritus, ibi libertas, animi uidelicet à solo spiritu deducti: ut alio duce, aut præside non indigeat. Vel (ut inquit Hieronymus.) Qui spiritũ Dei habẽt, omnia illi nuda sunt, & aperta: ideo nõ indiget alio ductore deductus à spiritu, qui omnia scrutatur. Nec fixus in eodem loco, aut opere, semper permaneas: sed uariis te motibus exerce: gyros quosdam circunduces instar cœlestium, à quibus fauorem quæris. Nec contemnenda est professionis mutatio: cum non modo catholici consuetudine approbent: sed astronomi, Astro.
& Platonici geminos doceant esse genios: alteros quidem natiuitatis: alteros autem professionis. Platoni.
Et hos quippe, aliquando concordes: Aliquando uerò ad diuersa deducentes. Si igitur concordes habueris, geminum senties profectum, & augmẽtum, naturæ uidelicet, & professionis. Si uerò dispares fuerint, melius aliquando fomentum percipies professionis, quàm natiuitatis. Quem fauorem, ut magis prosequaris, prodest mirum immodum mutatio nominis, habitus, loci, uictus, & consuetudinis. Nam in mutatione professionis, mutatur uis naturæ, imò superari penitus, & uinci debet, sicuti infallibilis Veritas docet, suis nouis professoribus loquens. CHRISTVS.
Regnum cœlorum uim patitur, & uiolenti rapiunt illud, qui scilicet professione naturam superare student. Quantum autem prosit mutatio nominis, à scriptura, quæ non fallit, nec aliquid sine causa admittit, discere possumus. In qua habetur, quòd dum summus moderator uellet magnificare amicũ suum Abram, immutauit nomen, & iussit eum uocari Abraham, non sine magno mysterio, ut alibi diximus. Abraha. Iahac.
Sic dum uellet constituere nepotẽ eius Iahacob principem totius electæ familiæ, iussit eum uocari Israël, id est principatem Dei, aut

principatum Dei ducens. Quantum etiam ualeat uestimentorum mutatio ab eadem scriptura discere possumus, quæ iubet, ut sacerdotes, & ministri Dei sacra peracturi, uestirentur apta quædam, & ibi determinata uestimenta. Pari modo, quantum ualeant assumendi cibi, ab eadem instruimur: quæ maxima diligentia docet suos initiatos, à quibus cibis abstineant, & quos admittant. Sic & eos abstinere iubet à consuetudine diuersarum gentium, quarũ mores, & ritus, etiam adiecta comminatione, interdicit. Mutandi itaque sunt mores, uestimenta, conuersationes, exercitia, & nomina, mutata professione, & gradu: quia tunc etiam nobiliorem custodem, & directorem assumimus. Hic enim nobis datus est progressus, ut conscendere poßimus de gradu in gradum, & de uirtute in uirtutem: quousque uideamus Deum Deorum in Siõ. Qui igitur locum, opus, professionem, sidus, genium, & spiritum suum cognouerit, pignus sui profectus, & fœlicitatis, certißimum habet.

Quomodo ualeat homo paruus mundus ab omnibus mẽbris maioris mundi, (cui simillimus est) fomentum suscipere. Cap. X.



Nec solum à cœlo, angelis, & intelligentiis, sed à quocunque membro mundani corporis, fauorem, & munimentum suscipimus nõ modicum. In quinque enim partes à nonnullis sapientibus partitur homo: In intellectualem, rationalem, irascentiam, cupidinem, & sensus, cum omnibus eorum instrumentis. Intellectus in summa arce collocatus, solus summo principi domesticus, ab eo haurit, quæ nec ratio, nec sensus haurire potest: cum ipse Deus, & ministri eius, non subiiciantur iudicio sensuum nostrorum, nisi quatenus ipsi uelint, per sensibiles imagines, suo arbitrio ostendendas. Nec ratione percipiuntur, nisi orbium motores per eorum motum: ut ueuatur

Aristot. *Aristoteles, & alij naturales. Multo minus Deus percipitur à sensu, uel ratione, nisi tantummodo, quod est. Si autem aliqua arcana de Deo, déque mini-*

Plato. *stris eius percipimus, id facimus portione illa suprema, quam Platonici intellectum uocant, à ratione distinctum. Et hoc, mediante lumine quodam diuino, quo*

Dauid *pfunditur ipse intellectus, uel portio illa superior. De quo lumine inquit propheta. In lumine tuo, uidebimus lumen. Rationalis uerò, & ipsa in superiori solio collocata, media inter intellectum, & phantasiam, ab omnibus, circa quæ discurrit, incrementum suscipit: à cœlestibus, terrenis, & humanis, & hominis potißimè præsentia dilatatur, & acuitur ueluti ferrum ferro, sicuti est commune adagium. Irascentia in domicilio cordis habitans, non multum, extrinseco fauore indiget, ipso corde, & bili satis inflammata, nisi quatenus obiectum, in quod irascitur exterius suscipit. Cupido autem, atque appetitus bifarius est: alter in corde, qui ratione suffultus, in omnia fertur, in quæ ratio discurrit: & ab ipsis, undè dilatetur, & augeatur, suscipit. Sed potißimè à summo obiecto dilectionis Deo: dummodo in ipsum ducatur per intellectum, eius lumine collustratum. Alter religatus in infernis sedibus, longéque à sapientia, & ratione constitutus est: ne*

importuna uicinitas rationem, & superna cuncta disturbaret. Qui tantũ à rebus suscipit ueri hominis incrementum, quantum est superioribus obtemperans ipsis deuinctus. Media uerò, quibus superior appetitus fouetur, sunt instituta, & documenta: quæ in rectis legibus, & doctrinis continentur, maximè in sacris eloquiis: ubi continentur omnia, quæ ad ipsum dirigendũ, & coalendũ spectãt. Sunt etiam sacra, quibus expurgatur, ut fortius crescat. Sensus deniq; ueluti rationis, & uoluntatis ministri, ab omnibus sensibilibus suscipiunt undè condelectẽtur: & ipsorum præsidibus faueant. Auditus enim aëris particeps, & eorũ, quæ aliis sensibus apprehendi nequeunt, organũ accuratissimũ, & superiorum minister magnificus, pro sapientia comparanda, præ omnibus aliis sensibus seruit. Numeros nanque orationis, & totius consonantiæ metitur, ac modos rerum, & totius discursus: undè fieri potest & ipse modulator, & musicus, & semirationalis, cum solus inter sensus percipiat rationis discursus. A compositis quoque, & artificialibus instrumentis, & ab harmonia mundi, quam sentit meliori auditu, miranda suscipit oblectamenta, & instituta: undè homo seipsum componat, ut Platonici, & Pythagorici asserunt. Oculis quoque metitur cœlum, siderum, & astrorum circuitus consonantissimos, obitus, atque ortus, picturam terræ pulcherrimam, aquarum fœcunditatem, atque rerum omnium uisibiliũ compositionem: undè philosophiæ fons uberrimus imbibitur, ex quo, ad superiorẽ sapientiã peruenitur. Nec minus inde pabulum utriusque hominis, quàm doctrina decerpitur. Inter oculos autem, & aures, oris media regione nares natura constituit: quarum symphonia, odor cum spiritu commeat. Qui solamẽ à rebus bene olentibus, & bene cõpositis suscipientes, & ipsi non modicum quæstum homini præstant. Os quoque in meditulio faciei, dentibus, palato, & lingua munitum, multigenum homini tribuit lucrum. Suscipit enim omnia corporis nutrimenta, uẽtri, tanquam promptuario cuidam, & toti corpori inferẽda. Sed prius palati iudicio committuntur, ut nociua respuat, & proficua admittat. Et hæc dentes mandunt, ut cibus iam tritus præbeatur lebeti stomachi facilè decoquendus. Ad cuius cibi reuolutionem data est lingua, quæ etiam non minus spiritui, & animæ, quàm corpori inseruit, promens oratione, quæ prudentia, & corde concipit: ut & proximo beneficium præstet, & ab eodem, imò à superis, & ab ipso Deo commoda reportet, atque collatione plurimam sapientiam comparet. Quid igitur restat in tota machina, à quibus homo auribus, oculis, naribus, ore, lingua, uel mente beneficium non suscipiat? Nihil enim fugit, quin alicuius illorum subiiciatur iudicio. Nam quæ tactum, uisum, odoratum, & gustum respuunt, auribus saltem percipiuntur, & lingua pertractantur: cum hæc de omnibus loqui, & illæ de omnibus, siue sensibilibus, siue intellectualibus audire posint. Vndè auditus est sensus præ omnibus aliis seruiens intellectui, & eius peculiaris minister. Post quem sunt tres alij sensus, in regia aula capitis constituti, in rationis conspectu: ut eius trutina, omne ipsorum libretur iudicium. Tactus

Plato. Pythag.

uerò, ad partes animales relictus est: ut & ipso solidiora hæc, & magis materialia capiente, nihil relinquatur, quod hominis iudicium fugiat, & à quo ipse homo fomentum non accipiat. Et si quid est, quod sensus non percipiat, mente saltem contemplatur. Hæc enim Mercurius filio Tatio proponebat consideranda, dicens. Illud animaduertas fili mi, quòd unumquodque genus uiuentium propriã mundi prouinciam inhabitat. Humida quidem, aquam: terrestria terram: aërẽ uolatilia: homo autem his omnibus utitur, terra, aqua, aëre, igne, & quibuslibet in eis contentis. Cœlum insuper suspicit, sensúque illud attingit: sed ipsum Deũ, mente, & intellectu. Et quia cum omnibus proportionem, & symbolum habet: ideo omnia intelligit, & ab omnibus symbolica ui trahit, undè alatur, & crescat. Bifaria autem sumit incrementa: A Deo quidem opificè, & genitore, tanquam à Patre omnia præbente nutrimenta, alitur: à rebus autem cæteris, tanquam pabulo à Patre præparato in eius subsidium, & nutrimentum. In quod cõsentit Peripateticorum Dux, dum ait. Nos sumus quodammodo finis omnium. Nec placet Simplicij, & Thomæ sententia, quod de artificialibus tãtũmodo intelligatur sermo, & nos fecerit artificialium solummodo, & non aliorum finẽ. Nam ipsemet in fronte Politicorum se exponens, inquit: Existimandum est, ut plantæ animalium causa sint, ipsa autem animalia hominis gratia: Cicures enim id est mansueta animalia, quæ Hebræi בהמות behemot dicunt, ad usum, uictũque: feræ autem, & si non omnes tamen plurimæ uictus, cõmodíque nostri causa habentur: quo uestes, & pleráque ex his alia subministrẽtur. Quod si natura nihil uel imperfectum, uel frustra facit, hæc hominis causa facta esse, nemo est, qui nesciat. Et quamuis ipse Aristoteles nõ admitteret cœlos propter hominem factos, cum ipsos in Ethicis præferat homini: tamen quantum ex scriptura sacra, & ex his, qui rectè sentiunt, discere possumus, & ipsi in hominis seruitium conditi sunt: esto quòd immediatius Dei influxum suscipiant. Nam in inferiora influunt, ut faueãt homini absque alio medio: aut plantis, & animalibus, quæ ordinata esse in hominis seruitiũ, iam cõcessum est. Suscipit igitur homo ab omnibus sui profectus incrementa, dummodo omnibus uti sciat, & dominari omnibus: sicuti ab opifice inditum est ei, ut suo loco (fauente ipso Deo) disseremus.

Mercur. Aristote. Simplic. Thomæ. Aristo. Idem.

De consensu animæ cum seipsa. Cap. XI.


E autẽ ab aliquo dissentiat anima, sed ab omnibus fomentũ accipiat, necessarius est cum seipsa consensus. Quia sicut sentimus (inquit Origenes) immensi doloris cruciatum, quando sunt dissoluta corporis membra, atque à suis inuicem diuulsa compagibus: ita cum anima extra ordinem, atq; compaginem, qua ad harmoniã, ad bene agendũ, & utiliter sentiendũ, à Deo creata est, fuerit inuenta. Vndè sibimetipsi, rationabilium motuum compagine soluta, pœnam, cruciatumque infert. Et huius deordinationis supplicium, omnes sensus, omniáq; membra destituta, uel deordinata

Orige.

ſentiunt, quæ ab ipſa regi debebãt. Curanda eſt igitur anima per ueram philoſophiam, ueritatiſque ſtudia, uulgò quidẽ occulta: per ſacrificia, & omnes conuenientes expiationes: ut ſanitati reſtituta, ueritate firmata, & talibus præſidiis munita, nihil timeat (ut Chalcidius lõgo ſermone diſſerit) concuſſiones ſuboriententes: ſed ſibiipſi conueniens, cum cæteris inde conſentiat: & amica ab omnibus ſumat ſui augmenti præſidia. Nec quidem poteſt ſibiipſi diſſidens, cum aliis conuenire: nec aliorum ſentire harmonicum ſymbolum. Qui enim (inquit Proculus) ipſe ſecum pugnat, nimirum cũ aliis conſentire nequit: nec in aliis uerè oblectari, aut ab eis fomentum ſumere. Imò ex diſſidio habet, undè ſemper luat ſui erroris pœnam, dicente Auguſtino. Iuſſiſti Domine, & ita eſt, ut omnis inordinatus animus ſibi pœna ſit. Cui adſtipulantur diuerſis uerbis, ſed eadem ſententia, Ambroſius, Hieronymus, Gregorius, Seneca, Cicero, & omnes rectè ſentientes confirmant. Quod etiam ex ſacris eloquiis, diſcere poſſumus. Impij (inquit Iſaias) quaſi mare ferueſcunt, nullibi quieſcentes: ſed redundant fluctus eorum in conculcationem, & luctũ: quia non eſt pax impiis, dicit Dominus. Adeſt & ratio. Nam fugata probitate, diſturbatur ordo, exulatque uera pax, quæ eſt rerum tranquillitas ordinis. Hinc inſurgit diſtemperamentum, perturbatio, inquietudo, inconſtantia, afflictio, & uaria tormentorum genera. Quorum multa connumerantur à Dauide, in pſalmo trigeſimoſeptimo, ubi ab infirmitate animæ, & eius diſſidio incipiens, multa mala, quæ inde conſequuntur commemorat. Non eſt (inquit) ſanitas in carne mea, & non eſt pax in oſſibus meis, à facie peccati mei. Nec enim de oſſibus materialibus loquitur propheta: ſed de uirtutibus, & uiribus animæ, ſignificatis per oſſa: Sequitur: Quoniam iniquitates meæ ſicut onus graue, grauatæ ſunt ſuper me. Poſtea putredinem adducit, miſeriam, curuamenta, illuſiones, afflictiones, uſque ad rugientem cordis gemitum. Hinc bene diiudicarunt Platonici, animi temperantiam, eſſe omnium uirtutum optimam harmoniam: quam cæteræ ſequuntur, & imitantur. Vndè ante omnia, animi cõſenſus cum ſeipſo procurandus eſt, ſi quis aliorũ harmonia oblectari, & ab eis uim, undè proficiat, comparare deſiderat, & liberari ab omnibus calamitatibus: quæ ipſo perturbato proficiſcuntur.

Chalcid. Proculus Auguſt. Ambroſ. Hieron. Gregor. Sene. Cicero Iſaias Dauid Idem Plato.

De uirtutum concentu conducendo, ut poſſit ex eis anima ſanari, & oblectari. Cap. XII.



ET quia uirtutes ſunt animæ oblectamenta: & medelæ, ut concinnæ ſint, neceſſe eſt: cum & ſanitas, & oblectatio à conſonantibus proficiſcantur, & conſonantiæ quædam ſint. Eſt enim ſanitas corporis, temperamentum (ut diximus) humorum, & eorum, quæ ad corporis ſubſtantiam pertinent. Eſt quoque animæ ſanitas, concentus uirtutum, & operationum. Eſtque, oblectatio, ex proportione potentiæ cum obiecto. Et quanto maior proportio, tanto maior delectatio. Et etiam efficitur idem oblectans, & ſanans, utramque uim trahens ab Apolline, qui citharæ,

& medicinæ inuẽtor decantatur, nõ modo corporis, uerũ animi quoq;. Sed multo melius id efficit uerior, & supramũdanus Apollo, meliori resonans harmonia, qua artificialis hæc, aut naturalis, est longè inferior, & imago etiam obscura. Ipse enim præstitit, & dare docuit, perfectam utriusque hominis sanitatẽ, & temperamentum, per ea, quæ diiudicauit expertus, & sapientißimus medicus, conuenire infirmitati nostræ. & partibus omnibus temperandis: adeò, ut uana existimari poßit omnis industria, qua decernitur, aut excogitatur, alia doctrina aut uia, uel regula, ad instruendum, & perficiendũ humanum genus, quàm illa, quæ à Christo perfectißima tradita est. Sed sicut in corporibus sanandis, adeò confert harmonia, ut non modo naturalis, sed etiam uocalis medelam attulerit, ut Democritus, & Theophrastus affirmare uidentur: & Pythagoras, atque Empedocles simul cum Asclepiade, uerbis demonstrant: quod Dauid, & alij factis comprobarunt. Ille enim Saulem malo spiritu furentem cantu, & lyra curauit. Et Boëtio referente, Terpander, atque Arion Methimneus, Lesbios, atque Iones grauißimis morbis uexatos cantus eripuere præsidio. Hismenias Thebanus Bœotiorum quàm plurimis, quos sciatici doloris tormenta uexabant, modulamine cunctas fertur abstersisse molestias. Multi quoque alij harmonia sensibili, & ab ipso Boëtio, & ab aliis, recitantur sanati, Iure igitur id facere debet harmonia naturalis, utique fortior, & excellẽtior, quàm artificialis. Illa autem consistit in proportione, & temperamento medicinarum ad inuicem, & cũ qualitatibus corporis, cui tribuuntur. Temperatæ itaque medicinæ esse debent ad inuicem, & cum corpore, si lenimentum, & sanitatis temperamenta afferre debeant. Hinc Damasceni, & aliorum antiquorum, qui de huiusmodi tractant, diligentißima cura fuit, in proportionandis, & contemperandis medicinis, aßignãdo in commixtione earum, iusta, & harmonica pondera, relinquẽtes medicis eas tribuentibus, curam proportionandi ipsas corporibus, quibus mederi prætendunt. Quod multi hac tempestate ignari contemnentes, sæpius eam dissonantiam intestinis inferunt: ut horrescant, doleant, & crucientur ex dißonantia pharmaci, cum consonans temperamentum, & sanitatem afferre debuisset. Nec secus uirtutes, quæ sunt animæ medicamina temperatæ esse debent inter se, & & cum anima, si sanitatem, & oblectamentum ipsi animæ afferre ualeant. Disputant nostri Theologi longis sermonibus de connexione, & compagine uirtutum: Thomas uidelicet; Henricus, Ioannes Scotus, & alij. Quæ connexio, cum sine harmonica conuenientia, fieri nequeat, quicquid senserint de illarum omniũ, aut aliquarum particularium connexione, posthabentes, loquemur de nostra cõuenientia harmonica. Sicut enim harmonia uocalis (ut Boëtius diffinit) est pariũ, dispariũq; uocũ, in unũ redacta concordia: sic harmonia perficiens animam, est pariũ, dispariumq; uirtutum, in unũ redactus concẽtus. Dispares enim uirtutes sunt liberalitas, & fides, Parsimonia, & spes, contẽplatio, & solicitũ opus charitatis in frequẽti ministerio, & huiusmodi multæ. Quæ nihilominus omnes

Democ. Theoph. Pythag. Emped. Asclepia. Dauid Boëtius Terpan. Hisme, Boëtius Demasc. Antiqui. Theolo. Thomas Henricus Scotus. Boëtius.

conueniunt in unũ cõcordes: alioquin non uirtutes, sed uitia censeri possunt. Illud autem, in quod conuenire omnes debent, charitas est, & dilectio Dei, & proximi: in qua, tanquam in radice, fundamento, uita, & anima omniũ uirtutũ, fundantur, & pendent omnia, quæ cõtinentur in lege, & prophetis: ut summa Veritas docet. Quod etiam exerta uoce admonet Paulus, dicens. Si linguis hominũ loquar, & angelorũ, & si habuero fidem, ut montes transferam, & prophetiã, & pietatẽ in erogãdis facultatibus, & cæteras omnes uirtutes: charitatẽ autẽ non habuero (in quam uidelicet conuenire omnes aliæ debẽt) nihil sum, nisi cymbalum tinniens, in utilitatẽ, scilicet & oblectamentũ aliorũ. Nihil autẽ mihi prodest, ueluti cymbalũ, quod nullũ ex sonitu commodũ sibi cõparat: sed potius cõsumitur, & extenuatur, licet audientium demulceat aures. Non est utique profectus aliquis in uirtutibus, nisi in radice & fundamento charitatis firmetur. Nec est delectatio, nisi conueniant omnes in unum, quod Plato in Epinomide pietatem, sed Paulus noster, & eius doctor Christus charitatem nuncupant. Et quamuis illud commune, in quod conuenire debent uirtutes omnes, ipse Plato in Republica (quem Macrobius sequitur, Ambrosius quoque, & Lactantius) asserere uideatur, quod sit iustitia, & (ut alij dicunt) temperantia, quæ modum omnibus uirtutibus imponit: non tamen aduersantur iis, quæ de charitate dicta sunt. Nam sicut in sono concentus est duplex: alter fibrarum, modulorum, aut fistularum seorsum: Alter autem cum aliis fibris, modulis, uel fistulis: ut ex toto instrumento, & etiam ex pluribus instrumentis una reboet consonantia. Sic in cõcentu uirtutum bifaria est modulatio: Altera quidem cuiuslibet uirtutis in seipsa, & hæc est iustitia: quæ (ut inquit Ambrosius) communis est uirtus: qua unamquãque uirtutem metimur, ne excedat, aut deficiat: sed extendatur, quãtum conueniens est: quod libramen: alij dixere temperantiam. Altera uerò modulatio est omnium uirtutum ad inuicem conuenientium, in eodem concentu charitatis, & dilectionis Dei, uel proximi, aut utriusque simul: ut non tantum audientes oblectent uirtutes: sed utilitatem afferant pulsanti. Hac enim charitate temperamus, & moderamur omnes uirtutes: necnon dirigitur omne opus bonũ in Deum, à quo est omnis uera symphonia, ut non modo nostri catholici docent concordes: sed etiam gentilium sapientes quàm plurimi, ex quibus, Hierocles ait. Rationale genus, si splendorem suum sortiri cupit, illa eadem uelit, quæ diuina lex determinat. Nec enim aliter, nisi secundum Deum, est bene dispositus animus. Et à Deo decidens, ab intellectu quoque cadit: & à bonorum regula in obscurum relegatur. Et iterum clarius: Mens ex diuino spiritu ducta, adiungitur Deo: quia simile ad eius simile accedere necesse est. Nec bonus Dei sacerdos esse potest, nisi seipsum hostiam producens, propriam animam quasi simulacrum quoddam ædificet, & mentem, ac intellectum, in templum construat, in quo, diuinam lucem suscipere possit. Hæc autem unio cum Deo, & dispositio templi, fit per ueram dilectionem, quæ est plenitudo legis, & totius

CHRISTVS. Paulus

Plato. Paulus CHRISTVS. Plato. Macro. Ambros. Lactan.

Hiero.

Idem.

mentis profectus, præuia tamen debita cognitione. Cuius sententia, quantum cõ ueniat cum doctrina Pauli, in cuius pectore Christus resonat, audiamus, quid ip se cum Ephesiis dicat: Corroboramini (inquit) per spiritum Christi radicati, & fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis latitudinem, longitudinem, sublimitatem, & profundum, uitæ uidelicet perfectæ: ad quam tendimus, ut tandem impleamini in omni plenitudine Dei: quæ est scientia supereminentis charitatis, aut charitas supereminentis intelligentiæ. Hac igitur habita, ad ipsam conducuntur uirtutes omnes: tanquam ad uitam, & harmonicam uim ipsarum. Hinc Saluator toties repetens, illam præcipuè commendauit, quam etiam reliquit nobis hæreditario iure, atque in signũ suæ institutionis tradidit. A quo edoctus dilectus ipsius discipulus Ioannes, qui semper à secretis ipsius erat, hanc mirum immodum extollit, & tot prosequitur laudibus, ut omnium aliarum uirtutum oblitus, hanc solã obseruandam præferre uideatur. Nec ab re, cum sit radix, fundamentum, uita, uigor, spiritus, & concentus omnium aliarum.

CHRISTVS.

Ioan.

De consonantia Virtutum cum anima. Cap. XIII.



ET quia (ut diximus) non tantum exquiritur pro corporibus sanandis proportio antidotorum adinuicem: sed cum corpore, & qualitatibus quoque corporis ipsius temperandi. Nobis enim ultra proportionem uirtutum adinuicem, exquirenda est proportio uirtutũ cum anima. Et quamuis uirtus omnis cuilibet animæ conferat, alij tamen animæ melius confert alia uirtus, quàm alia, in quocũq; genere sit. Canere enim alicui adeò proportionatum est, & propriũ, ut (ita dicã) sine doctore, & errore cantet, & omnẽ musicæ uim facillimè penetret, ad quod alius etiã diligẽtissima industria, lõgo tẽpore, peruenire nõ potest: & suapte natura adeò dissonus est: ut si etiã arte polleat, uoce cõuenire nõ possit. Picturã uel cælaturam aliquis breui arte, sed multa naturæ ui, pfectã conducet, quæ alius multa diligẽtia facere nequit. Alius gẽmas, genio, uel ingenio facillimè nouit, alius uerò nequaq̃. Proficit aliquis in scientiis exiguo tẽpore, & labore exiguo, & alius multo sudore, & studio frustra laborat. Est alius contemplationi deditissimus, exercitio minimè. Alius uerò magna delectatione, & facilitate frequentat ministeria. Ex quibus facilè dignoscitur, ꝙ quãuis unus sit Deus, & Spiritus artifex, operãs omnia in omnibus, nõ tamẽ omnia in unũ eundẽ immittit, sed distribuit singulis, prout uult. Quæ etiã uaria ministeria, & uirtutes sequuntur sidera, & genios, & Deum ipsum distribuentẽ, ut paulo antè diximus. Hinc, quãuis nulla sit cõtẽnenda uirtus, unusquisq; tamẽ eã sibi asciscere studeat, ad quã sidus, genius, natura, imò ipse Sũmus distributor inducit. Qui Petrũ fide, Ioannem charitate, Iacobũ deuotione, Thomã prudentia, Abraham pietate, Mosem mansuetudine, Phineem & Eliam Zelo, & Dauidem religione, & robore ditauit. Vide igitur in qua uirtute facilius proficias, & in illa uersare, & ad eius apicẽ cures cõscendere: ut in una præstes, qui in omnibus præstare nõ potes. In aliis autẽ proficere, q̃tũ

ualeas, non contemnas. In quibus nulla dari potest regula, qua unusquisque metiatur, ubi senserit faciliorem animæ profectum. Ad quē deuenitur, per illud triplex genus uirtutum, à Plotino primò descriptum, & ab omnibus sapientibus celebratissimum, politicum uidelicet, purgatorium, & heroicum. Quibus adiūgitur exemplare, sed hoc non est propriè in nobis, uerum ueluti regula dirigēs, & mensurans uirtutes, quæ in nobis sunt. Illud igitur triplex genus conducit in nobis perfectissimam uirtutum harmoniam. Est enim politicum, tanquam hypatē, aut proslambanomenos in instrumento, aut grauior, & depressior uox in cantu. Est heroicum ueluti nete, hyperboleum, uel eleuata & acutissima uox. Estque purgatorium genus sicuti mese, id est medij nerui in instrumento, uel mediæ uoces in cātu. Et (ut Musici tradūt) à proslambanomenos ad mese, est diapason, & inde ad nete hyperboleum, aliud diapason: & utrobique perfecta harmonia. Sic à uirtutibus ciuilibus conscendens homo ad purgatorias eleuatur, quasi prima diapasonica harmonia, sed à purgatoriis, ad heroicas uirtutes subuectus, aliud diapason conducit harmoniam quidem consummatissimam. Et quomodo uirtutes harmonicam faciant animam, Plotinus huius doctrinæ inter Philosophos meritò princeps, satis clarè explicat, dicens. In homine duæ occurrunt motiones, animam disturbantes: Alteræ quippe sunt nonnulli animalis impetus inconsulti, siue sint incitantes, siue terrentes. Alteræ autem sunt dum prosequimur dedita opera, & consultò motiones illas. Ciuiles itaque uirtutes temperant hos secundos motus, prudentia atq; consultatione: ut non admittat illud quod ratio diiudicat malū. Quod tēperamentum inducentes, incipiunt harmonizare animā. Verum purgatoriæ, non modo frenant motiones illas, sed extirpant, & eradicant: atque primas motiones adeò comprimunt, ut sufficiat præsentia rationis, dominæ uidelicet appetituum ad ipsos comprimendos. Quæ purgatiuæ uirtutes, cum animum ab illis perturbationibus penitus liberauerint, reddunt instrumentum animæ temperatissimum, ut nihil restet nisi aggredi cantum, & opus harmonicū, atq; egregium. Quod cum efficit animus, maximis profectibus incumbens, heros euadit. Sunt iterum politicæ uirtutes cōponentes animal nostrū, uel exteriorē hominem. Purgatoriæ, quasi per primū diapason expurgant spiritū, & concinnū reddunt, ut homo dicatur spiritualis, & c. sit. Heroicæ autē mētē eleuant ad supremū cōcentū: unientes hominē cū intelligētiis, imò cū ipso Deo. Cui cōsentit Aristot. dicens, quod homines efficiuntur Dij, per uirtutis excellentiā. Sed noster Plotinus prosequitur dicēs, quod Heroici studiū est, atque uotū, non tantum extra peccatum esse, sed esse Deum, reuertique; undè processit: sicut & ille qui dixit. Exiui à Patre, & ueni in mundum: iterum relinquo mundum, & uado ad Patrem. Et cum nos illius fratres simus ab eodem Patre progressi, ad eundem nobis repetendum est: depressiori tamen gradu. Cum autem repetimus, undè uenimus, consummamus perfectum diapason: in quo tonus redit in eundem, à quo discesserat: quamuis diuersa claui, ut aiunt Musici. Sic & nos emanani-

Plotin. — Idem. — Aristo. — Ploti. — CHRISTVS.

mus à Deo, tanquam à principio productiuo: & reuertimur in eūdē, sub alia tamē ratione, finis uidelicet beatificantis. Est itaq; homo (ut sequamur ꝓpositū de
Plotini. *mente Plotini) si aliquid, incōsulto tantūmodo, admittit erroneū, sequens primas motiones illas, Deus, atq; dæmō, geminus existens, cū & dæmones, id est sapien*
Platoni. *tes intelligētiæ (ut dicūt Platonici nōnullis tangātur affectibus. Et hi sunt, de q-*
Chryso. *bus Chrysostomus ait. Et si sancti sunt, tamē homines sunt: & si uinci à malo non possunt, tamē percuti possunt. Si uerò nihil primorū motuum sentit homo, dū sic est, Deus solūmodo est. Deus inquam, ex eorū numero, qui primū sequūtur, fi-*
Ioannes. *lij Dei uidelicet, de quibus Ioan. Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Sed ultrà*
Plotin. *progrediens Plotinus, euehit homines, usq; ad exēplares uirtutes, quas duplices esse dicit. Alteras quidē, in intellectu: Alteras uerò in anima. In intellectu autē,*
Idem. *non sunt propriè uirtutes, sed uirtutū exemplaria. In anima uerò, quæ est (ut alibi docet) ꝓpria hominis forma, sunt ꝓpriè uirtutes. In intellectu enim sunt quasi in Deo, & idcirco exemplaria dicuntur. Nā in Deo, & in intellectu, qui diuinū quoddam est nobis infusum, sunt actiones illius, quod est. In anima uerò, sunt uirtutes perficientes. Ibi nāq; iustitia, tēperantia, & similes non sunt propriè uirtutes, sed regulæ dirigētes: quæ dū in anima sunt, propriè uirtutes sunt. Illic enim iustitia est unius ad seipsum, cōuersio uidelicet, & nihil diuersum ab eo in quo est. In anima uerò est dirigēs ipsam in Deū. Tēperantia quoq; est ibi intima ad seipsum intellectus conuersio, quantū decens est. Sed in anima est temperās passiones eius. Fortitudo est illic extra passionē penitus cōstituta, in omnia præualens, In anima autē passionis particeps, per similitudinē eius à quo suscepit. Prudentia est ibi plenus contuitus, omnia moderans, Hic autē habitus ex multis experimentis acquisitus. Est ibi charitas (ut etiam de nostris uirtutibus theologicis pertractemus) dilectio, & amor omnia complectens, & cuncta suis conuenientibus gradibus perfundens: In anima est donum distributum, per partes, & partes. Et quæ in anima est fides instruens, & aliquorū cognitio diuino lumine donata, ex qua fit solidum argumentum uerorum nō apparentiū; In intellectu est diuinarū, & omnium rerum certissima cognitio. Et ea, quæ anima tenet ꝑ spem,*
Idem *intellectus firma apprehēsione possidet. Tendit quoq; anima in illud, quod intellectus per cōtactum attingit. Intellectus enim (inquit ipse Plotin.) tactu quodam habet illud, quod anima cōcupiscit, & sperat. Et ne uideatur hic somniasse Plo-*
Ioan. *tinus, audiamus quid deponat Ioan. noster, qui gradū illū conscenderat. Quod audiuimus (inquit) & uidimus, & contrectauimus de uerbo uitæ, hoc annunciamus uobis. Contrectat autem diuina, qui ipsa, experientia quadam com-*
Plotinus *probat, aut superiori portione (quam Plotinus intellectum uocat) Deo adhæ-*
procul. *ret, ipsi innixus & contiguitate quadam unitus. Tangimus (inquit Proculus) diuinam essentiam, & ad illam inclinati innitimur supremo animi capite. Et Pau-*
Paulus *lus: Qui adhæret Deo, unus spiritus efficitur cum eo. Quæ spiritus unitas sequitur ipsius intellectus unionem*

De animæ consonantia per rerum intelligentias. Tonus secundus.

QVid sit anima. Cap. primum.
An omnes animas æquales creauerit opifex. Cap. II.
Cur in primæua distributione, hac inæqualitate usus sit æquissimus iudex. Cap. III.
An ex hoc quòd inæqualibus gradibus distribuerit à principio, & uariis donis & præmiis prosequatur mortales, censeatur opifex acceptator personarum. Cap. IIII.
Solutio aliquarum difficultatum. Cap. V.
Quomodo anima à principio nuda sit, aut appareat. Cap. VI.
Ad quem gradum intelligentiæ pertingere poßit anima. Cap. VII.
An semper intellectus ad id perueniat, ad quod peruenire posset. Cap. VIII.
Quibus mediis, cognitionis gradum nobis præparatum attingerere poßimus. Cap. IX.
An per sensus exteriores procedēdum sit, ut ad ipsum deueniamus terminum. Cap. X.
Quòd ueri & necessarij sint sensus interiores, quibus plura, & certius percipi possunt quàm per exteriores. Cap. XI.
An semper homo usurus sit his sensibus interioribus. Cap. XII.

QVID SIT ANIMA. Caput primum.



Ostquam animæ consonantiam cum corpore, cuius est forma, & cũ uirtutibus, quarum est subiectum, perscrutati fuimus, uidendum nobis est, quam cõuenientiam habeat cũ omnibus rebus, quas intelligit. Pro quo opportunum uidere diiudico, quid sit anima, quæ cũ tot rebus eam habet proportionẽ: ut ipsas omnes intelligere possit. Et omißis multis, quas de ipsa in primo uolumine adduximus, opinionibus, uidebimus, quid ea sit, quantum ad hãc rationẽ intelligendi spectat. Vbi mihi quidẽ minimè satisfacit illa, quæ ab Aristotele data est iam uulgatißima diffinitio, ꝙ anima est actus corporis physici, organici, potentia uitam habentis. Quia hæc tantummodo explicat, quòd anima est ipsius corporis motrix, nec inde habemus, quomodo posit omnia intelligere. Neq; alia diffinitio est sufficiens, quam ipse tradidit, dicens, Anima est principium sentiẽdi, intelligendi, & secundum locũ mouendi. Quia ex hac tantũ habemus, ꝙ sit principium intelligendi, non autem quomodo omnia intelligat, Nec mirum si defecerit, cum notitia de anima (ipso eodem teste) penitus difficillimorum sit. Quod à Platone extractum non ambigimus: qui in decimo de legibus ait. Qualis anima sit, & quam uim habeat, omnes ferme ignorasse uidentur. Nihilominus hic, eam doctrinam de ipsa anima tradidit, ex qua facilius eius symbolũ, & proportionẽ cum rebus omnibus indagare possumus. Sed quia nec ipse aperto sermone loqui uoluit de animæ negocio, quod difficillimum, & penè omnibus occultum existimabat: hinc eius discipuli uariis sermonibus eam diffinierunt, ut ibidem adduximus. Et quamuis Proculus multos respuat, qui mentem Platonis de anima explicare conati sunt, nec ipse tamen, quid Plato senserit, aperire uoluit. Sed (ni fallor) id reliquit legentibus ex multis coniiciendum, sicut facere solent secretiores Theologi, in quibuscunque arduis negotiis: quorum uestigia, & doctrinam, nulli dubium, Plato secutus est. Ab ipso itaque id de anima uenari possumus: quòd ea sit diuina quædam substantia, à diuinis fontibus emanans, ducens secum numerum, non quippe illum diuinũ, quo opifex omnia disposuit, sed rationalem numerum: quo cum omnibus proportionẽ habens, omnia intelligere posit. Nec quẽpiam conturbet, quia diximus animã esse quoddã diuinũ, & à diuinis fontibus emanare: cum & Pythagoras philosophorum pater id asseueret, dicens in aureis uerbis. Confide quia diuinum genus hominibus inest. Et quod plus est, Paulus in Actibus apostolicis Arati sententiam adducit, & approbat, qua inquit. Ipsius enim genus sumus. Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare auro, & argento, aut lapidi, sculpturæ artis, & industriæ humanæ, diuinum esse simile. Ecce quàm clarè concedit genus humanum diuinum esse. Et hoc ex parte portionis illius superioris, quam semper, ut diuinam, uenerantur Platonici. Nu-

Aristote. Idem. Plato. Proculus Theolo. Plato Pythag. Paulus.

merũ autem illũ, quo anima est Aristoxenus, & Xenocrates dixerunt esse seipsum mouentem: Et hoc, quia ipsa anima est principiũ motus corporis (ut probat Aristot.) & etiam sui ipsius: quamuis hic, impugnare uideatur & sentẽtiã hãc, pariter & omnes, qui dicunt animam esse numerum. Et id existimo Aristotelẽ fecisse, potius ut assumeret disputandi materiam, quàm ut destrueret ueritatem. Id maximè, cum illi loquantur de numero rationali, & formali: hic autem de materiali, & uocali numero mercatorum: Et loquantur illi de motione, quæ cõpetit animæ, hic autem de motu corporis, acquirentis locũ per successionem partis, & partis. Vndè tota disputatio Aristotelis, utrobiq; est in æquiuoco. Ex doctrina enim Augustini, quam omnes Theologi uenerantur, anima, liberum arbitrium, aut uoluntas, quæ est uis ipsius animæ, mouet seipsam ad quodcunq;. Nihil est (inquit) tam in potestate uoluntatis, quàm ipsa uoluntas. Quæ etiam ex communi istorum sententia, præcipere potest intellectui, ut intelligat: & sibi ipsi, ut uelit, uel nolit, ferens seipsam in quodcunque. Quæ motio, quamuis non sit secundum diuisionem partibilis (ut præsupponit Aristoteles) est tamen uera mutatio, & motus, de quo loquuntur, qui dicunt eam seipsam mouere. Et hic motus est etiam angelorum, & intelligentiarum: de quibus ait Iob. Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles, uel non sunt fideles: & in angelis suis posuit mutationem: ut habet ueritas literæ, pro quo nos mendosè habemus, reperit prauitatem. Quæ mutatio, quamuis non fiat per successionem partis, & partis, tamen motus quidam est. Mouetur quoque anima dum mouet corpus, quod ni faceret, non posset Aristoteles tanquam physicus de ipsa pertractare per id, quod in physicis præsupponit, dicens. Quæcunque mouentur dum mouent, sub physica consideratione collocantur: quæ autem non mouentur dum mouent, non pertinẽt ad physicam speculationem. Cum autem ipse tanquam physicus tractet de anima mouente corpus, igitur ex doctrina eius, anima mouendo mouetur. Qui motus & si per accidens dicitur, tamen est uerus motus: cum habeat principium motus in se, & ab alio non moueatur. Nec angustant rationes, quibus probare nititur, animam non esse numerum, neque harmonicam: cum fundatæ sint in numeris materialibus, proculdubio, & sensibilibus: & anima sit ex numeris, & harmonia formali, extracta à sensibus, à quibus nolẽs discere Aristoteles, eam admittere non uult in sua doctrina sensibili. Nec est (inquit) in anima harmonica ratio ad inuicem compositorum: quia anima ipsa non habet partes, ex quibus componatur. Hoc damus: Sed dicimus, quod est harmonia superior, & rationalis, habẽs species rerum in se, quibus eas intelligit, & numeros rerum, quibus ipsas numerat. Qui quidem numeri, & species, non sunt tantummodo aduentitij, & de nouo acquisiti: sed congenij ipsi animæ, in ea existentes, meliori quadam nota, q̃ in seipsis: sicut de exemplaribus, uel ideis omnes conueniunt: quòd perfectius esse habent in Deo producente, & intelligente, quàm in genere proprio: dicente Ioanne. Quod factum est, in ipso uita erat. Vita utique creatrix, & diuina:

Aristox. Xenocr. — Aristot. — August. Theolo. — Iob. — Aristotel. — Idem. — Ioan.

ugusti. *quia nihil potest esse in Deo nisi diuinum. Et idem iudicat Augustinus de exemplaribus rerum artificialium existentibus in mente artificis, quòd uidelicet perfectius ibi esse habeant, quàm formæ artificialium: quia hîc formæ illæ sunt accidentia, & artificium quoddam, Ibi autem uiuunt, & de ratione animæ intelligentis participant. Quia obiectum, ut cognitum (dicunt nonnulli Theologi) habet illud esse, quod habet ipsa cognitio. Habet quoque illud esse, quod habet ipsa uirtus, uel potentia cognitiua: si ipsi comproductæ sint species sicut academici asserunt: quia non uident quomodo anima possit metiri ea, quæ intelligit: nisi habeat in se mensuras, quibus illa metiatur. Nec uideo, quomodo intellectus possit percipere, se intelligere ueritatem: nisi in se aliquid habeat, cui conformetur quod intelligit. Nec sufficit uirtus illa intellectiua: sed particulare quoddã exquiritur, cui æquetur illud, quod percipit. Hæc autem sunt species ibi existentes actu, sed impeditæ, ut Platoni, & antiquis placuit. Cui & Aristoteles consentit, dum ait. Anima est quodammodo omnia. Nec aliter intelligo, nisi quia continet omnia in ratione intelligendi, aut habet proportionem cum omnibus: Et illa est harmonia rationalis, de qua, simul cum Pythagoreis, & Platonicis loquimur. Deficit tamen ualde anima à primo, & supremo intellectu, quia omnia simul intelligit. Nã hæc, & si pariter uirtute quadam, aut actu, uel potentia (ut dicunt Peripatetici) continet formas, & simulacbra rerũ omnium intelligendarum, & ab ipsa faciendarum per artem, non tamen simul omnia intelligit actu, & unica intellectione, ueluti primus intellectus: sed multis & successiuis actibus. Est itaque anima intellectiuum quoddam, omnia cõtinens concinnio quodã: ut cuncta intelligenda ab ea: intelligere possit.*

Theolo. Academ. Platoni. Antiqui. Aristo. Pythag. Platoni. Peripate. Idem

An omnes animas æquales creauerit opifex. Cap. II.



Ixerunt Peripatetici, omnes animas productas fuisse æquis gradibus, & produci: ducti sententia ipsorum præceptoris, qui in superiori philosophia inquit. Species se habent sicut numeri, in quibus uno uariato mutatur species. Nam si ternario addatur unus, fit quaternarius, & sic de aliis. Nouitiores tamen parisienses Theologi, in articulis ipsorum decreuerunt, animas differre, non tantum accidentibus, sed gradibus quibusdam intrinsecis, radicatis in essentia ipsarum, quibus unaquæque res est hæc, differẽs ab alia, per illud quod est ipsi proprium, hoc decernentes, quòd qui dixerit animam Petri, non esse perfectiorem gradu illo suo intrinseco quàm anima Iudæ, sit in errore. Quod ex suo Ioanne Scoto non insulsè decerpunt. Qui in secundo uolumine theologicarum quæstionum dicit, quòd unumquodque distinguitur, primo per naturam suam, quæ est hæc, antequam distinguatur per principium operandi, aut per opus, siue per aliquod accidens adueniens. Cui ualde adstipulatur illud sapientiæ: Puer eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam, meliorem uidelicet quàm multi alij. Tanta est quidem distantia

Theolo. Ioã. Sco. Sapien.

unius animæ ab altera, in sapientia, bonitate, robore, uiribus & dispositione ad diuersa, ut nõ uideam, quomodo poßint sortitæ esse æqualẽ gradum. Nec dicãt aliqui, quòd differant donis, quia obstat summa Veritas dicens. Vni dedit quinque talenta, alij duo; alij uerò unum, unicuique secundum propriam uirtutem. CHRISTVS.
Cum igitur talenta sint dona accepta ab unoquoque secundum propriam uirtutem, quid (quæso) est illa propria uirtus uniuscuiusque? Non quippe est donum gratuitum, quia illud distribuitur unicuique secundum propriam uirtutem. Hæc itaque uirtus est naturalis quædam uis, certo gradu determinata, secundum quã est capax sui muneris, & ipsum suscipit. Nec obuiet quispiã dicẽs, ꝙ iuxta Apostoli sententiam, Deus munera distribuit singulis, prout uult. Nónne (quæso) seruatur iustitia in distributione donorũ, ut correspondeãt dona uirtuti uniuscuiusque? Alioquin nec ordo, nec pulchritudo, nec condecentia seruaretur ab eo, qui est summa iustitia, ipsa pulchritudo, & ipse omnium concentus. Obserua precor Apostoli uerba. Dedit (inquit) alios fieri Apostolos, alios prophetas, alios euangelistas, & doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationẽ corporis Christi. Si enim dedit aliquos fieri Apostolos, nónne distinguit Apostolicatus donum, à dispositione intrinseca; qua dedit eos conuenienter assumi ad apostolatum? Quod nisi dedisset, ad ipsum gradum minus conuenienter fuissent assumpti. Quam optimè in hoc negotio loquitur Gregorius. Conueniunt (inquit) angeli, similiter & homines in muneribus: sicut & in donis, aut gradibus natura tributis. Consentit Origenes dicens. Sunt quædam inuisibiles uirtutes, quibus ea, quæ sunt super terram dispensanda, credita sunt: in quibus non parua differentia credenda est, sicut & in hominibus reperitur. Et sicut magna distantia differunt membra humani corporis, quãuis omnia unica uita uiuant, non secus mystici corporis membra differunt, quàm oculus, & tibia, uel genu in humano corpore. Nec obstat fundamentum, & similitudo de numeris: cum non mentiatur infallibile euangelium, & infallibilis ueritas. Sed ne tantum uirum uideamur contemnere, dicemus, quòd etiam in unitate musica, uel formali sunt quidam occulti gradus, ut poßit diuidi in partes inæquales. Exemplum præbeamus in unitate musica tanquam magis manifesta. Est quidem tonus in proportione sexquioctaua, sicuti 9. ad 8. ubi 9. excedit 8. per unitatem, quæ facit ipsum tonum. Tonus autem diuiditur in semitonia, lemmata, & dieses, id est in medium tonũ, & quartam partem, & in plures si opus fuerit. Ad cuius diuisionem necesse est, ut diuidatur unitas, non quippe illa materialis, sed musica. Ponantur enim in loco nouenarij 18. & in loco octonarij, 16. & à 18. ad 16. est eadem proportio sexquioctaua: in qua iam sunt duo numeri, & duæ distantiæ facientes duo semitonia. Est enim distantia à 18. ad 17. & hinc, ad 16. Et iterum diuiditur semitonium in quatuor partes toni, quæ dicũtur dieses: Et hoc accipiendo maiores numeros uidelicet 36. loco nouenarij, & 32. loco octonarij: Et à 32. ad 36. sunt quatuor numeri facientes quatuor dieses. Et sic multiplicã-

Paulus. (margin, beside "iuxta Apostoli sententiam")
Idem. (margin, beside "Obserua precor Apostoli uerba")
Gregó. (margin, beside "Gregorius")
Orige. (margin, beside "Origenes")

do numeros, illa unitas musica diuidi potest, usque ad non diuisibile. Eadem ratio est in numero naturali, qui est proportio naturalis rerum: ubi diuidi potest unitas eodem ordine. Sit ergo unitas, toni ratio specifica, & semitonij, & lemmatis aut diesis, ratio & gradus indiuidualis. Quæ rationes conueniunt in specie, sicut illæ partes toni conueniunt in unitate. Quos gradus indiuiduantes Hieronymus uires nuncupat, dicens super illud de quinque talētis datis unicuique secundum propriam uirtutē: Non pro largitate, & parcitate alteri plus & alteri minus tribuit: sed pro accipientium uiribus.

Hieron.

Cur in primæua distributione, hac inæqualitate usus sit æquissimus iudex. Cap. III.



T quia (ut scio) non desunt Martiones, Valentij, Basilides, atque horum similes, qui sciscitentur, cur tanta inæqualitate distributæ sint animæ, ut alius summum apicem sapientiæ attingat, Alius uerò parum distet à bestiis, Alius sit uirtutibus plenus, alius uel nullam, uel pauluſculam habeat, Alius ad regnum, & imperium assumatur, & tot ipsi tradantur, ut ebrius sit, & superabundans: ab alio etiam modicum quod habet auferatur, & detur habenti. Alius ad Apostolatum & apicem summum deducitur, & alius bestias pascit semibestia effectus. Quis hæc sine admiratione consideret? Quis hanc Dei distributionem, qua trutina librata sit, intelligere non desideret? Verum id quærere nihil aliud est, nisi sciscitari cur ipse Opifex non fecerit omnia animalia angelos: aut omnes planetas solem: siue omnia membra, oculos. Si enim omnes artus essent oculi: ubi manus, ubi pedes, ubi os, stomachus, & alia membra corpori necessaria? Et si omnes planetæ sol, ubi Luna, suscipiens siderum genituram, ut nobis partum ædat? ubi Mars roborans, Iuppiter æquās, Mercurius acuens, Saturnus consolidans, & Venus amore connectens? Et si omnia animalia angeli, ubi homo peculiaris imago Dei? ubi equi ipsum portantes? ubi boues ministri humani uictus? ubi alia animalia, quæ ad mundi ornatum & hominis seruitium producta sunt? Sicut enim non est consonantia, si quilibet neruus instrumenti esset nete, uel paranete, aut mese, uel quoduis huiusmodi uniforme, cum ex paribus, disparibusq́ue chordis, aut uocibus consonantia generetur (Harmonia enim & pulchritudo uniuersi est ex rebus paribus, disparibusq́ue gradibus resultans) non secus pulchritudo totius humani generis est in uarietate indiuiduorum, quæ diuersissima summus Moderator (ut inquit Origenes) in unius corporis mystici sub capite Christo consonantiam traxit. Quæ consonantia & mundi, & mystici corporis huius, quamuis paucissimis cognita, tanta nihilominus elegantia, & suauitate conducta est, ut nulla perfectior inueniri queat. Vndè est accommodata Chrysippi sententia. Doceat aliquis res melius

Origen.

fieri potuisse. Nemo utique docebit. Et *si quis aliquid corrigere uellet, aut deterius faciet, aut id, quod fieri non potuit, aut non congruit, desiderabit. Omnes itaq; mundi partes ita constitutæ sunt, ut neq; ad usum, meliores fieri potuerint: neque ad species, pulchriores. Sic & indiuidua in suarum specierum latitudine distributa sunt quadam inæquali æqualitate, & consonanti uarietate, maximè humana: quorum quodlibet, & omnia simul, mundani corporis imaginem gerunt.* His *igitur natura differentibus, assignata sunt dona uaria, unicuique secundum propriam uirtutem, & dispositionem:* Quibus *etiam præmia redduntur secundum opera ipsorum, proportione tamen geometrica, quæ non est penes numerum, sed penes proportionem proportionum: ut quæ sit proportio munerum ad munera, & meritorum ad merita, eadem sit proportio præmiorum ad præmia.* Et *hac proportione non tantum* Deus *omnibus reddet præmia, sed etiam ciuilis* Respub. *gubernatur: ut* Plato, Iamblicus, & Proculus *scribunt.* Addunt *autem ad* Rempubl. *bene regendam, necessariam quoque proportionem arithmeticã: qua, tanquam iustitia quadam moderatis rebus, saluetur pax.* Nec *deest* Musica *proportio, quæ est iustitia maioribus maiorem tribuens rationem, minoribus autem minorem, ut* Proculus *ait.* Et *hæc fundata est in utraque, ab arithmetica sumens, undè æquet numerum ad numerum: à geometrica, undè comparet proportionem ad proportionem.* Ex *quibus omnibus proportionibus (ut in primo uolumine diximus) conducta est hæc harmonica mundi machina.* Ideo *eisdem regitur, & disponitur, non modo ab iis, qui imaginem summi principis tenent, sed ab ipso summo* Moderatore: Qui *eisdem proportionibus fabricauit humanum genus: quod ipsius* Dei, *& magnæ huius machinæ simulachrum tenet. Sicut igitur in toto hoc ingenti opificio sunt dispares, atque pares rerum gradus, ex quibus illæ proportiones omnes resultant, sic in* Repub. *humana sunt pares, atque dispares gradus, & rationes indiuiduorum, ex quibus, & pariter ex eorum muneribus, & operationibus resultant omnes illæ proportiones: ut utraque respu, mundana, & humana sit harmonica, & conformis.*

Plato
Iambli.
Procul.

Idem.

An *ex hoc quòd inæqualibus gradibus distribuerit à principio, & uariis donis, & præmiis prosequatur mortales, censeatur* Opifex *acceptator personarum.* Cap. IIII.



ET *cum ex ea: quæ uidetur inæqualis distributio, soleant (maximè scioli) dubitare, an inde distributor censeatur personarum acceptator, maiora dona uni, quàm alteri tribuens.* Hinc *primo patrum sententiis, postea rationibus, dubiis omnibus obuiandum duximus.* Paulus *enim ueritatis præco, cum* Romanis, Ephesiis, & Co- Paulus

Petrus. Acta. *lossensibus agens repetit. Deus non est acceptator personarum. Hoc idem Petrus asserit, scribens suis Ponticis, Galatis, Cappadocibus & Bithyniis. Et iterum in Apostolicis actibus gratias agit Deo, cum certissimè comprobaret, non esse acceptationem personarum apud ipsum. Acceptator enim personarum (ut* Theolo. *nostri Theologi docent) est is qui aliqua ratione, aliis debet, & paribus existentibus meritis, & delictis, non reddit paria præmia, aut æquas pœnas. Nam iudex iustitiæ administrandæ præfectus, duos nactus in homicidio pares, quorum alterum si luere iubeat pœnam sui reatus, alterum autem uel penitus, uel aliquantum à debita pœna absoluat, hic meritò personarum acceptator dicitur, & est. Non secus si duos habet æquè de Repub. benemeritos, & alteri præmia reddit iuxta opera ipsius, alteri uerò nequaquam. Si autem quis liberalitate sua alicui donat, quod alteri dare non uult, non inde personam acceptat, quia nulli est debitor. Hinc in primæua distributione, nullo merito præuiso, nullaque intercedente obligatione, aut naturali, siue ex lege, uel ex pacto, si Deus dat alicui, ut fiat Apostolus: alij autem, ut fiat doctor, uel propheta: aliis autem, ut sint rustici, uel macellarij: quis eum accusabit de iniustitia, aut* Paulus *de acceptatione personarum? Nunquid dicit figmentum (inquit Apostolus) ei, qui ipsum finxit, quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus, luti ex eadem massa facere aliud quidem uas in honorem, aliud autem in contumeliam? Potéstne dicere formica, aut pulex opifici suo, cur non me equum, aut elephantem fabricasti? Voluit quippe summus Moderator in sua mundana domo oues, boues, asinos, capras, camelos, & huiusmodi multa genera animalium, non solum terrestrium, sed eorum, quæ in aquis, uel aëre sunt, esse diuersissimas species. Sic & in humana Repu, quæ typum supracœlestis curiæ gerit, uoluit esse Reges, & consiliarios, qui assistant: milites autem, artifices, lictores, rusticos, & huiusmodi, qui ministrent. Iussit & in spiritualibus esse Pontifices, Præsules diuersos, prædicatores, & doctores, qui sint aliorum duces. Quibus subiecit regendos, & qui audituri essent prædicantium uerba. Sunt enim (inquit Apostolus) in magna domo Dei uasa aurea, argentea, & lignea, atque fictilia: ut ordo, & pulchritudo uniuersi exquirit. Varia igitur hominum genera esse uoluit summus Moderator, diuersaque concessit dona, redditurus diuersa præmia pro diuersis mansionibus, quæ in domo eius sunt. Et aliquando (ut ipse remunerator inquit) reddet præmium ultra om-* CHRISTVS. *nem correspondentiam ad opus, nulla tamen uiolata iustitia. Ait enim in euangelio, cui titulus est secundum Matthæum, quòd Paterfamilias remunerauit ex denario diurno, tam eum, qui ad uesperam uineam intrauerat, quàm illos, qui portauerant pondus totius diei, & æstus. Et cum hi conquererentur de mercede, non æqua tributa portione, cum eo qui nouissimè uenerat, respondit iustus remunerator, Nónne ex denario diurno conuenisti mecum?*

Tolle quod tuum est, & vade. Volo & huic nouißimo dare, sicut & tibi. An non licet mihi facere quod volo, cum sim liber conductor? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Quæ vel de Iudaico populo, & gentili dicta sint, quorum ille venerat primo mane ad vineam Domini, hic autem vesperi. Vnde inter eos altercatio, sicuti per totam epistolam ad Romanos (teste Hieronymo in proœmio) percurrit Paulus. Siue intelligatur de particularibus hominibus, hoc unum habemus, quòd præmium promissum est ad libitum promittentis, citra omnem iniustitiam, cum nulla intercedat obligatio. Vbi autem ratio aliqua interuenit, aut pactum, æqua semper portione agit nobiscum Deus. Est enim in ipso quædam obligatio, aut naturæ dictantis, vt de omnibus filiis curam habens, salutem & regnum pro ipsis procuret, in quibus etiam sui imaginem conspiciens multum eos diligat, tanquam opus suum, & super ipsos tam bonos, quàm malos pluat, & solem suum oriri faciat. Aut est obligatio sponte inducta ex pacto inito de vita, & regno æterno tribuendo seruantibus eius præcepta. Quæ iniunxit, vt haberet (iuxta Hieronymi sententiam) remunerandi causam: uel ut hominem ipsis præceptis, & sacrificiis expiaret, & perficeret. Vndè nec his contentus, vt magis adhuc perficeret filios, dedit perfectionis consilia, cum expresso pacto remunerationis dicens. Omnis, qui reliquerit domum, fratres, vel sorores, siue patrem aut matrem, siue filios, vel agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poßidebit. Et quia omnium est Pater, omnes tanquam filios vocat ad regnum. Hinc cum vidisset Petrus, quòd curam haberet de Cornelio gentili saluando sicut de Iudæis, dixit. Nunc cognoui, quòd non est acceptatio personarum apud Deum. Facto autem pacto de remunerando unoquoque, secundum opera ipsorum si in aliquo deficeret, de acceptatione personarum posset accusari. Si autem vltra promissa aliquid ex sua liberalitate largitur, nullam acceptationis notam incurrit.

Paulus. Hiero. — Idem. — CHRISTVS. — Petrus.

Solutio aliquarum difficultatum. *Cap. V.*



Vnc verò antequam procedamus, explicanda sunt pro uirili nostra aliqua quæ nos supramodum angustare uidetur, quæ præcipua sunt. Cur de duobus fratribus ex eisdem parentibus natis, cum nihil boni aut mali egissent, per Malachiam dictum sit: Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Nec minus nos angit, id quod de Pharaone dicit scriptura. In hoc ipsum excitaui te, ut ostenderem in te uirtutem meam, & ut annuntietur nomen meum in uniuersa terra. Quæ commemorans Paulus subinfert. Ergo cui uult miseretur, & quem uult in-

Malach. — Exod. — Paulus.

durat. Durus quippe sermo, & ab eo, quem Deus protulit ualde discrepãs. Ait enim in Exodo, miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit. Vel (ut habetur in veritate literæ) gratum habebo, cui præstabo gratiam, & clementiam habebo, in quem ero clemens. Sed Paulus cum de Pharaone loqueretur, cuius cor à Domino dicitur induratum, inquit. Quem vult indurat. Si igitur Deus indurat, quis emolliri poterit? Et si Deus odit, quis gratiam inueniet? Etsi Deus repulit quempiam, quis faciet ipsum electum? Quomodo igitur vult omnes saluos fieri, & diligit omnia quæ fecit nihil odiens, si aliquos odit, & reprobat, antequam aliquid boni aut mali faciat? Sed absit à Deo contradictio, cuius uerba sunt regulæ æternæ veritatis. Et quamuis obiurget Paulus eos, qui hæc inuestigare præsumunt. Quis es tu ô homo (inquit) qui respondeas Deo? Nunquid potest dicere figmentum ei, qui ipsum finxit, quid me sic fecisti? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere quidem aliud uas in honorem, & aliud in contumeliam? Nihilominus pro huius difficultatis resolutione aliquid pcurremus, vt satisfaciamus aliqualiter legentibus, non tantum de aliquibus, sed de omnibus, quos indurare videtur. Conclusit enim Deus (inquit ipse Paulus) omnia in incredulitate, ut omnium misereatur. Infideles enim erant gentiles, inuisi Idumæi, indurati Aegyptij, multi effecti uasa contumeliæ, imo omnes nati filij iræ. Hæc adeo apostolum angustant, vt exclamare cogatur. O altitudo sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles uiæ eius. Quis cognouit sensum domini? aut quis consiliarius eius fuit? Quid igitur ad hæc dicemus nos tantilli, cum uas electionis conticescat, & quasi de resolutione desperans dicat iudicia Dei à nobis incomprehensibilia? Verum (ut Origenes ait) specialem, & singulorum rationem & quærere imperiti est, & reddere uelle dementis. Aliquam autem (saltem in genere) aßignare rationem, & pro quanto Dominus concesserit, soluere hos, qui uidentur inexplicabiles, duri, & contradictorij nodi, non temerarium iudicamus. Quod ut melius faciamus, illud quidem præmittendum est, quòd Deus omnes diligit, & omnes uult saluos fieri. Bonus est (inquit Sapiens) & suauis domine spiritus tuus in omnibus, & diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti. Et adeo dilexit, ut dicat ipse Paulus. Proprio filio suo non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum. Nec est (inquit Augustinus) Deus prius ultor, quàm homo fuerit peccator. Non igitur quempiam reprobat, antequam ipsemet prauis operibus citet Dei iudicium contra se. Non igitur odio habuit Esau in suam damnationem, ipsum pœnitus reprobans: sed fratris dominio ad tempus subiecit, sicut egregiè ait apostolus. Vt secundum electionem, propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex uocatione dictum est ei: Maior seruiet minori. Nec enim de persona particulari erat sermo, cum Esau nunquam seruierit Iahacob, esto

Paulus
Idem.
Idem.
Orige.
Sapien.
Paulus
Augusti.
Palus

quòd hic primogenita ipsius abstulerit, sed de populo dictum est, vt ipsemet Dominus *explanauit, dicens ad* Rebeccam. *Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populusque populum superabit, & maior seruiet minori.* Nec tamen *perpetuò seruiuit, sed ad tempus: ut patet* Isahac *spiritu sancto edoctus, ipsi promiserat dicens:* Super *gladium tuum viues, & fratri tuo seruies: tempusque veniet, cum excutias, & soluas iugum eius, de ceruicibus tuis.* Seruiuit *enim, qui &* Edom *dictus est, regibus* Israël*, vt* David *bis repetens dicit.* In Idumæam *extendam calciamentum meum, eam mihi videlicet subiiciendo, vt exponit* Hieronymus. David.
Mihi *alienigenæ, id est* Allophyli*, vel* Philistei *subditi sunt.* Sed *excussum est iugum, quando venit* Meßiah*, qui omnes à seruitute liberauit, vocans ad fidem: vt* Paulus *subinfert.* Vocauit *non solum ex* Iudeis*, sed ex gentibus sicut in* Osee *dictum est.* Vocabo *non plebem meam, plebem meam: & non dilectam, dilectam: & non misericordiam consequutam, misericordiam consequutam.* Positus *enim est in* Sion *lapis viuus:* Omnis *qui credit in illum, non confundetur, nec seruus erit, sed liber: quà libertate ipse* Christus *nos liberauit.* Voluit *quoque indurare cor* Pharaonis*, &* Aegyptios*: vt ostenderet in eis virtutem ipsius: sed veniente* Meßiah*, adeo emolliuit* Aegyptios *illos, vt omnia eorum deserta complerentur monachis inseruientibus ipsi* Christo. Vel *dicamus, quòd non aliter indurat, nisi quemadmodum induratur lutum ex sui dispositione ab eo sole, qui ceram liquefacit:* Nam *idem* Deus *(vt longa serie disputat* Augustinus*) radios iustitiæ suæ diffudit in duos reges, & populos,* Chaldæum*, &* Aegyptium. Cor *autem* Babylonij*, ab eodem sole emollitum est,* Aegyptij *verò induratum.* Emollit *quotidie* Deus *cor exaudientis vocem eius: obaudientis verò indurat, & exiccat; ut ipse apostolus alibi testatur.* Tu *autem secundum duritiam tuam, & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij* Dei. Si *quis igitur induratur, id absque propria culpa non fit,* Mittit *enim* Deus *radios suos in nos, vt calefaciendo emolliat, si quis verò induratus resistit, induratur adhuc.* Vult *itaque calefacere, si autem durities sequitur, id fit, quia recipiens ipsum calorem, eo abutitur, sicuti aliqui abusi sunt redemptionis beneficio, & ceßit eis in ruinam: quæ aliis bene dispositis fuit, & est in resurrectionis beneficium.* Sic *enim contingit infirmis* Pharmacum *suscipere recusantibus, aut suscipientibus absque regimine: ut aggrauetur infirmitas, non quidem ex medici vitio, sed ipsius infirmi causa: sic abutentibus* Dei *beneficio fit.* Sed *adhuc nos præmimur considerantes, quàm pia, & paterna cura factum sit, ut aliqui nati sint inter* Hebræos*, apud quos erat diuinæ legis eruditio, vel nascantur inter* Christianos *euangelica doctrina instructos.* Alij *verò inter* Aethiopas*, vel insulas canarias: in quibus vesci humanis carnibus, vsus est: aut apud* Scythas*, quibus patricidium,*

Hiero. Paulus. Osee. August. Paulus.

quasi pietate quadam perpetrabatur, vel apud Tauros, *vbi immolabantur hospites: siue inter* Indos, *ubi diabolus, tanquam numen quoddam adhuc ueneratur.* Quod *non contra pietatem paternam effectum est: cum idem sit (in-*
Paulus *quit* Paulus) *Dominus omnium, & diues in omnes, qui inuocant illum.* Omnis *enim quicunque inuocauerit nomen domini, saluus erit.* Et *pro altercante subinfert apostolus.* Et *quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt?* Et *quomodo credent ei, quem non audierunt?* Cui *respondet.* Nunquid *non audierunt?* Et *quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum scilicet prædicantium nomen domini: qui contentus est habere varios cultores, & diuersos in moribus ad pulchritudinem vniuersi.* Si *autem noluerunt perseuerare in cultu ab apostolis tradito, eorum sit culpa, & non* Dei, *qui eos vocauit. Sed quid dicemus de gentilibus ante* Christum, *aut de habitatoribus insularum orientalium nuper repertarũ: ad quos non uidetur peruenisse nomen* Domini? *De his dicamus, quod qui fuerunt ante* Christum *lege* Mosi *non ligabantur, sed tantum domus* Israël *& aduentitij quidam, qui sponte illis addicti erant.* Aliis *autem sufficiebat, lex naturalis, cum essent sibiipsis lex, ostẽdentes opus legis scriptum in cordibus suis,*
Grego. *testimonium reddente illis conscientia ipsorum.* De *quibus est* Gregorij *sententia, à nouitioribus* Theologis *celebrata.* Quod *apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis sola fides, vel pro adultis uirtus sacrificij, & pro eis qui erant de stirpe* Abrahæ *mysterium circuncisionis.* Sed *post* Meßiæ *aduentum, de his, qui nati sunt extra fidem, possemus*
Paulus. *dicere cum apostolo.* Quid *ad nos de his, qui foris sunt, iudicare?* De *his videlicet qui non sunt* Christianæ *militiæ publicè ascripti, sub sensibilibus signis stigmatizati, de quibus tantummodo iudicat ecclesia.* Nam Deus, *cuius iudicium non subiicitur sensibus, eos, qui foris sunt, iudicabit, inquit*
Idem. *apostolus.* Nostrum *autem iudicium sit de publicè consignatis.* Sed *dicent aliqui.* Cur Deus *reliquit eos foris?* Respondeant *principes mundi, qui adeo expressam* Dei *gerunt imaginem, vt* Dij *nuncupentur, cur ipsi in ipsorum curias non omnes admittant: sed eos tantummodo, quos volunt: cæteros autem extrà relinquunt.* Ipsorum *quoque curam gerentes, ipsos diiudicant, remunerantes fideles, & punientes infidos, quamuis sint ex-*
CHRISTVS. *tra curiam.* Caue *(inquies) quia summus imperator ait.* Qui *crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Dicere *possemus.* Credunt *forsitan multi, quamuis symbolum fidei*
CHRISTVS. *manifestum non habeant.* Ait *enim ipse imperator.* Alias *oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile & vnus pastor.* Nec *enim intelligitur aliud ouile, nisi gremium ecclesiæ: ad quod duducentur illi, qui in ipso non erant.* De *quo sub nomine regni cæ-*
Idem. *lorum iterum ait.* Multi *uenient ab oriente & occidente, & recumbent*

cum Abraham, Isahac, & Iabacob, in regno cœlorum: Filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores. Multi enim regni cœlorum expertes iudicantur ab his, qui tantummodo secundum ea quæ foris sunt, diiudicant: amici tamen sunt Deo gratißimi. Aestimabatur Centurio exterus, nihilominus de fide commendatur super omnes Israëlitas. In huiusmodi enim homines & si non habent sensibile signum, transire tamen potest virtus Christi, sicuti pluries Paulus repetit. Si vnius (inquit) delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit. Et iterum. Si enim vnius delicto mors regnauit, per vnum multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ accipientes in vita regnabunt per vnum Iesum Christum. Et rursus. Igitur sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ. Etsi per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obedientiam iusti constituuntur multi. Sæpius repetit, vt nos attentos reddat, quòd non minor sit virtus Christi iustificans, & expurgans, quàm fuerit peccatum Adæ coinquinans. In Christo enim & per Christum qui est vera aqua diluens (cuius hæc elementaris est signum) regeneramur, & expiamur. Et quamuis signum nunquàm sit absque signato (dummodo suscipiens non obstet) res tamen sacramenti quæ signatur bene potest esse sine signo. Est (inquiunt Theologi) triplex baptisma, fluminis, flaminis, & sanguinis. Sufficitq́; (vt aiunt) baptisma flaminis, sine baptismate fluminis, nõ autẽ hoc sine illo. Potens est autem Deus ex lapidibus istis, qui scilicet videbãtur reprobati, suscitare filios Abrahæ. Et potens est Deus (ait Paulus) inserere illos, qui propter incredulitatem excisi sunt, nisi permaneant in ipsa incredulitate. Et per insitionẽ, tam surculus oleastri, quàm bonæ oliuæ arbor fructifera fit. Vterque enim hìc inseritur fructificans. Insitum quoque est (vt ait Iacobus) diuinum verbum in nobis: Nosque in ipso inserimur, quando adhæremus ei per fidem: & in ipso iacimus fundamentum operum nostrorum: & tunc vasa quæ formata erant in contumeliam, efficiuntur vasa honoris, & digna mensa regia. Nec aliqua tantummodo vasa erant in contumeliam (vt alicubi tangit apostolus) sed omnia, vt ipsemet alibi ait. Omnes nascimur filij iræ, subiecti videlicet peccato, & vasa contumeliæ: quamuis aliqui ordinati sint in honorem. Et quid? Dicat ipse Paulus cum Timotheo disserens. Si quis (inquit) emundauerit se, ex uase contumeliæ fiet vas in honorem sanctificatum, & vtile in omne opus domino, paratum ad omne opus bonum. Ecce quod prius tribuebat diuinæ electioni, nunc tribuit operibus, & dispositioni nostræ. Id tamen citra omnem controuersiam: Interuenit namque electio Dei, & gratia præueniens, cooperans, & iustificans. Adest quoque consensus noster, & nostra uoluntas cooperans. Cooperatores enim sumus Dei, sed ad animam harmonizandam, de qua erat

Cẽturio. Paulus. Theolog. Paulus. Iacob. Paulus.

sermo, reuertamur.

Quomodo anima in principio nuda sit, aut appareat. Cap. VI.



DEVS. T si diuersis gradibus animæ ab opifice distinctæ sunt, vna tamen est communis omnium earum origo, & idem ortus. Omnes animæ (inquit cœlestis Pater & formarum omnium dator) meæ sunt, & à me videlicet progenitæ, & in corpora diffusæ. Sapiens. Quantum autem ad ortum, sum quidem (ait sapiens) homo mortalis, similis omnibus, ex semine hominis, & delectamento carnis conueniente conceptus. Et nascens accepi communem aërem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans. Nec ex regibus habuit quis aliud natiuitatis initium. Vnus est ergo introitus omnibus ad uitam, & similis exitus, absque uidelicet cognitione & virtute aliqua. Hinc apud Peripate. Peripateticos est illa iam omnibus triuialis sententia, quòd anima à principio est tanquam tabula rasa, in qua nihil sit depictum. Cui adstipulari uidetur id, quod infert ille sapiēs quisquis fuerit. Propter hoc (quia videlicet nudus, & ignorās egressus sum de vtero matris) optaui, & datus est mihi sensus: in- Plato. uocaui, & uenit in me spiritus sapientiæ. Sed Plato, quem multi ex eius academia sequuntur, cum uidisset multos sine difficultate discere, imo multoties scire, quæ non didicerant, opinatus est species & formas rerum, & consequenter doctrinas animæ concreatas, sed impeditas sensibus, & ligaminibus corporeis, adeo ut studio, tempore, & exercitio excutiantur spe- Antiqui. cies, quæ inerant. Hinc dixere antiqui nonnulli, quòd anima intrans corpus bibit de gurgite lethæo dicto ἀπὸ τῆς λήθης, id est ab obliuione. Quamuis alij dicant hunc esse fluuium inferni, ad quem descendentes de ipso bibunt, quia obliuiscuntur omnium uoluptatum, quibus in mundo oblectati sunt. Vndè Seneca. Seneca, Intus immenso sinu, placido quieta labitur lethes uado: Demitq́ue curas, neúe remeandi amplius pateat facultas. Flexibus multis grauem inuoluit amnem. Et uerè utrobique lethargum maximum patitur anima, & quando corpore immergitur, & ligatur: & quando luce diuina destituta traditur barathri obscuris tenebris. Nec fuit hæc sententia primo à Pla- Plato. Theolo. Antiqui. tone ædita, sed ab antiquis Theologis accepta: qui opinantur omnes animas à progenitore suo productas, omnibus suis formis perfectas: sicut producta fuerat anima protoplastis. Quam ipse transgreßione obscurauit, ex cuius peccati contagione, nostræ quoque animæ corpus intrantes obscurantur: & penitus sopiuntur. Et sicut ipsi primo parenti de corporali cibo, & forsitan de utroque, dictum est: In sudore uultus tui, aut narium tuarum id est spiritus tui, uesceris pane tuo: sic illa uox, & dura sententia, omnibus nobis intonare mihi uidetur: In sudore & labore tuo uescêris pane, & corporis, & animæ tuæ, qui est doctrina, & cognitio rerum. Nam nobis algendum, sudandumq́ue est, & multa sufferenda,

si uolumus aut de nouo addiscere (ut dicunt Peripatetici) aut extrahere eam doctrinam quam animæ nostræ perspicacem à principio infudit largißimus distributor: sed mox parentum primorum culpa offuscatam tetro velamine. Quod Deus sua benignitate, à quorundam oculis dignatus est auferre. David enim literas non didicit, & ex pastore effectus est vates, & diuinarum rerum doctor præcipuus. Quibus adeo suos compleuit hymnos, vt omnes quamuis exquisitißimi poëtæ, ipsi longo cedant interteruallo. Sic Isaias, Ezechiel, Daniel, cæteríque prophetæ, & etiam apostoli, quibus dixit: Ego dabo vobis os, & sapientiam. Salomonē quoque in vnius noctis somnio Deus tātā sapientia rerum gerendarum & inferiorum compleuit, vt ne vnus quidem ex cunctis priscis Regibus similis ei (longo etiam interuallo) extiterit. In sapientia autem rerum diuinarum, nulli dubium magis excelluit, Dauid pater eius, vnctione facta ex Dei præcepto à Samuele. Hinc ipso vncto (vt habetur in primo volumine Regum) statim directus est spiritus Domini in eum. Spiritus quippe qui suggerit, & docet omnia, siue ipsius proprio chrismate, vel vnctione, & virtute sacri nominis, de quo in Canticis dicitur, Oleum effusum nomen tuum. Quam vnctionem habentibus inquit Iohānes, Vnctionem habetis à sancto, & nostis omnia. Cuius nominis chrisma, & virtutem, cum tradidisset Christus iis, quos nouerat idoneos, & electos à Patre dixit. Pater manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi. Aliqui etiam hoc chrismate præuenti fuere in materno vtero: vt de Iohanne, & Ieremia legimus. Quod an fuerit per infusionem nouæ sapientiæ, an per amotionem velaminis, vt intellectus expeditus, & reuelata facie posset transcendere à claritate in claritatem, Deus nouit: Ego enim veritati cedo, & sacris scripturis in ipsa veritate firmatis. A quibus habemus, quod Deus fecerat omnia ualde bona, in sua uidelicet completa perfectione. Nam sicut uegetatiuas arbores compleuit fructibus, quorum usum protoplasti concesßit: sic reor fecisse arbores rationales formis, & cognitionibus fœcundas: sed ex transgreßione primi parentis, utrarumque contracti sunt fructus: & indictus earum cultus, cum labore, & sudore spiritus, & omnium uirium exercitio.

Dauid. Isaias. Ezechiel Daniel. CHRISTVS. Cantica. Iohan. CHRISTVS. Iohānes. Ieremia.

Ad quem gradum intelligentiæ pertingere poßit anima. Cap VII.



Vamplurima intelligibilia sunt, quæ quidem omnia solus diuinus intellectus percipit, cæteri autem, quantum ipsis præstatur. Nec conueniens est, ut omnes æquentur primo, quia nihil inter Deum, creaturamque distaret, si omnia quæ Deus nouit, cæterorum cognitatio assequeretur. Sunt item multa, quæ angeli (maximè superiores) intelligunt (undè intelligentiæ, aut intelligentes dicuntur) quæ nos

intelligere nequimus corporeis ligaminibus præpediti. In hominibus quoque, apertißimè dignoscuntur distincti cognitionum gradus. Multa enim cognouit Adam, Abraham, Moses, Salomon, cæteríque prophetæ, quæ vulgares, & etiam multi, qui doctoris, & sapientis sibi nomen uendicant, minimè norunt. Reperi in celeberrima Theologia antiqua, Abrahæ patriarchæ ascripta triginta duas esse semitas sapientiæ, aut triginta duos gradus intellectus, iuxta trigintaduos numeros, qui continentur in dictione cordis Hebraicè conscripta, quæ sic exaratur לב. Quarum literarum, ל, dat 30. & ב. 2. qui simul iūcti. 32. numerum quippe iustitiæ, quia semper diuisibilis in partes æquales, vsque ad vnitatem. Qui item numerus coacervatur non sine magno sacramēto ex 22. literis alphabeti, & 10. annumerationibus, uel mensuris diuinis, quibus Deus omnia metitur. Ex quibus constituuntur illi triginta duo gradus intellectus, ad quos cordi bene disposito & mundo, datum est conscendere, iuxta illud quod dicitur in Dauitico carmine. Ascēsiones in corde suo disposuit. Ibunt de virtute in virtutem, vel de fortitudine in fortitudinem, aut de gradu in gradum, & videbitur Deus Deorum in Sion. Cuius visio datur per dispositionem, & munditiam cordis, iuxta illud summæ Veritatis. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Graduum autem istorum primus est. Intellectus antiquus absque principio, & gloria prima omnium intelligentiarū, ad cuius entitatē nulla creatura peruenire potest. Secūdus est intellectus collustrans, gloria quidem rerum creatarum & splendor vnicus, positus in capite, atque omnium lux existens, & omnes illuminans. Tertius est intellectus sanctus, fundamentum existens sapientiæ antiquæ, vocatus magister verus & fidelis, radix eius fidelis, suggerens nobis omnem veritatem. Quartus est intellectus profundus, ideo sic dictus, quia ab eo egrediuntur omnes virtutes, vel vires spirituales, quæ producunt in virtute productionis antiquæ. Quintus est intellectus radicatus, adæquans, & vniens in proprietate intelligentiæ productus vel separatus à sepe, vel termino sapientiæ antiquæ. Sextus vocatur influentia magnificata, vel ampliata: quia in eo augetur influentia producta: & ipse est influēs & super omnes benedictiones aut piscinas vnientes. Et cæteri gradus qui sequūtur: quorum profunditas aliquē non patitur explicatum. Sunt enim gradus sapientiæ occultißimæ, de quibus innuitur tantummodo inter perfectos, absque pleno explicatu. Cum igitur tot sint gradus, nulli dubium, inferior intellectus attingere nequit ea quæ superioribus patent, sed vnusquisque intellectus pro captu suo ordinatus est ad gradum ipsi conuenientem. Verum obuiabunt Peripatetici cum suo Aristole dicentes. Intellectus poßibilis est, quo omnia fieri, & intellectus agēs quo omnia facere, potens uidelicet in omne intelligibile. Quibus dicemus, quod loquitur Aristoteles de intellectu agente, & poßibili, in communi, quem aliqui eorum existimarunt vnicum esse in omnibus, non autem de intellectu

Adam. Abrahā. Moses. Salomō.

Dauid.

CHRISTVS.

Peripat. Aristo.

hoc, vel illo particulari, quem negarunt nonnulli eorum, maximè Auerroïs, *iudicans satis esse ad constituendum hominem, intellectum illum vniuersalem, cum animali hoc, vel illo particulari, In hoc deprauans sententiam antiquorum, qui locuti sunt de intellectu illo vnico, & vniuersali. Et fixit, atque figit eum errorem, qui subuertit philosophiam naturalem antiquorum, & veram: destruit philosophiam moralem, &* Theologiam: *aufert iustitiam, & omnem virtutem: & adeo ab omni ratione elongatur, vt neque computatione, neque memoratu dignus sit: sed omnimoda obliuione in perpetuum silentium deportandus. Possemus etiam dicere, quòd intellectus & si omnia apprehendit non tamen comprehendit (vt aiunt nonnulli* Theologi*) aut non plenè apprehendit. De Deo enim omnes apprehendunt, quòd ipse est: quid autem sit nemo.* P*atrem etiam simplicißimi confitentur, quis autem sit, nemo nouit, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. De filio quoque plerique multa loquuntur, tamen ipsum nemo nouit. De his igitur, & de arcanis, & de mysteriis, quæ circa ipsam sanctißimam trinitatem, & ipsum* Deum *sunt, dicere possumus illud* Ecclesiastici. *Glorificate ipsum quantum potueritis, superualebit adhuc, & admirabilis magnificentia eius:* Exaltate *illum quantum potestis, maior est enim omni laude.* Exaltantes *eum replemini virtute:* Nec *laboretis, quia non comprehendetis. Multa enim sunt abscondita maiora his, & pauca videntur ex plurimis operibus eius. Consentit &* Aristoteles, *dum ait. Sermo noster de diuina substantia perpaucus est, & debilis: Laudatq; illam* Simonidis *sententiam, quòd solus Deus habet hunc honorem, vt sit metaphysicus, intelligens videlicet seipsum, diuina omnia, substantias separatas, quidditates, proprietates, numerum, proportionem, ac omnimodam rerum omnium proportionem. Ecce igitur quàm multa sunt quæ intellectus noster attingere nequit. Nec solutus à corpore intelliget perfectè omnia, quæ intellectus ille diuinus & infinitus comprehendit.* Nec *obstat quod dixit summa* Veritas *de spiritu quem accepturi erant credentes: ille suggeret vobis omnia, & docebit vos omnia:* Nam *hoc intelligitur, non de omnibus absolutè, sed de iis, quæ ab eis erant intelligenda, & præsertim de iis, quæ discipulis manifestare cupiebat, dum viueret, dicens. Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Sic etiam intelligitur illud* Iohannis. V*nctionem habetis à sancto, & nostis omnia, omnia videlicet à vobis intelligenda.*

Auer. Antiqui. Theolo. Ecclesia. Aristote. Simoni. CHRISTVS. Idem. Iohânes.

An semper intellectus ad id perueniat ad quod peruenire posset. Cap. VIII.



Ec parua hinc difficultas insurgit, an intellectus semper attingat omne intelligibile, ad quod suapte natura cõscẽdere posset. Hîc breuiter dicimus, quòd (ni fallor) eodem passu currunt intelligere, & viuere. Est enim vnicuiq; terminus vitæ præfixus, quem præterire non potest, ad quem tamen vel pauci deueniunt, morte mul-

tis de causis præueniente. Aliquando, quia violentia infertur, aut malo regi-
Sapien. mine citatur infirmitas, & ipsa mors, Aut (vt cum sapiente loquar) quia cõ-
summatus in breui, expleuit tempora multa: Placita enim erat Deo anima i-
psius, propter hoc properauit educere eam de medio iniquitatis. Non secus cõ
tingit destinato ad aliquem gradum doctrinæ, & alicuius gratiæ. Nam il-
luc pergere, aliquando & sæpius negligit, aut aliis implicatus curis, siue
laborem timens, siue propria offuscatus malitia, vnde sapientia, & cognitio
rerum diuinarum, & humanarum in maliuolam illam, & torpentem animam
Osee. Dauid. intrare contemnit: sicut ab ipsa contemnitur, vt in Osee propheta dicitur.
Tu autem scientiam repulisti. Et in Dauidico hymno. Noluit intelligere, vt be
ne ageret. Et multoties deficit homo à gradu cognitionis ipsi præparato, quia
Ieremi. spernit totius scientiæ, & luminis fontem: vt Ieremias ait, Dominũ non quæ-
sierunt, propterea non intellexerunt. Quia sicut non videtur sol, nisi in lumi-
Dauid. nẽ solis: ita non uidetur Deus nisi in lumine illo de quo Psalmographus ait. In
lumine tuo uidebimus lumen. Lumen inquit, non tantum rerum diuinarum,
sed etiam naturalium. Quo illustrati, multo clarius prospexerunt naturas,
& proprietates rerum sapientes, quàm illi, qui solum lumini naturali innixi
sunt. Hinc Eusebius Cæsariensis optimum profert de utroque lumine iudi-
Eusebi. cium, dicens. Cum philosophos inter se, aut cum aliis comparo, non facilè
negauerim illos, claros fuisse uiros. Quando autem Hebræorum Theologis,
atque philosophis comparo, & doctrinam doctrinæ illorum confero, caduca,
& friuola mihi uidentur omnia, quæ philosophi excogitarunt. Nec mirum: Il-
la diuinitus ædita sunt, hæc humanitus. Illa inquã, uisa sunt (ut cum Platone
Plato. loquar) lunari lumine, hæc autem solari. Solare nanque lumen uocat Plato
illud quod à Deo perfunditur: lunare autem, quod naturæ uiribus compara-
CHRI STVS. tur. Sed prosequamur negotium. Multi in euangelio inuitati dicuntur ad nu-
ptias, sed quia uenire contempserunt, alij surrogati sunt. Multi uocati sunt ad
regnum cœleste, quibus etiam dictum est: Auferetur à uobis regnum Dei, &
dabitur genti facienti fructũ. Duodecim electi sunt in apostolos, quibus crede
rẽtur arcana Dei reconditissima, unus tamen illorum diabolus effectus est, &
tenebrarum horrendum antrum. Plures iterum ad discipulatũ Christi uocati
sunt, quibus gratiam, regnum, & rerum ueram doctrinam daturus erat, si
stetissent. Nam discipulis, qui eum sequebantur, quotidie suo lumine multa
suggerebat, sed aliqui obscurati & obuoluti in tenebris suæ obstinationis, aut
malorum operum, lucem illam sufferre non ualentes, abierunt retro (inquit
Iohannes) & abeunt in dies. Quibus miseratus clementissimus Pater & do-
ctor, ait. Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.

Quibus mediis, cognitionis gradum nobis præparatum attingere possimus. Cap. IX.



E frustra laboret quispiam circa multa, ut ad ipsum cognitionis gradum deueniat, ad quem pro ipsius dispositione pertingere potest, adibimus summum totius sapientiæ, & doctrinæ magistrum Christũ IESVM, & videbimus undè suam hauserit doctrinam. Mea (inquit) doctrina non est mea, sed eius qui misit me Patris: Et discipulos huius instructionis participes reddens, ait. Omnia quæcunque audiui a Patre meo, nota feci uobis, pro vestra, scilicet capacitate. Nam multa reseruauit: quæ, quamuis baptizati, & abluti essent aqua sapientiæ salutaris, tamen nec capere, nec portare tunc poterant: quia non adhuc bene extersi, & corroborati, offendebantur superiori luce. Ideo inquit: Cum autem venerit ille spiritus ueritatis, quem mittet Pater in nomine meo, ille tanquam videlicet vobis magis domesticus, ui sua ignea excitabit, & acuet mentes vestras: & vobiscum habitans, atque in vobis perfusus, suggeret uobis omnia: & docebit uos omnia, quæcunque dixero uobis. Nec tantum hoc de duodecim apostolis dictum sit. Nam ille spiritus perfudit omnes, qui erant pariter in eodem loco, quorum summa (ut Lucas paulo antè dixerat) erat hominum ferè centum uiginti. Alios quoque multos perfuderat iste spiritus, ut de Samaritis prosequitur Lucas. Cum audissent (inquit) apostoli, qui erant Ierosolymis, quia recepit Samaria uerbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Iohannem. Qui cum uenissent orauerunt pro ipsis, ut acciperẽt spiritum sanctum. Et tunc imponebant manus super illos, & accipiebant spiritum sanctum: Qui dabatur per impositionem manuum apostolorum, & aliquando per eorum sermones, ut infrà dicitur. Loquente Petro cum Centurione, cecidit spiritus sanctus super omnes, qui audierant verbum Dei. Vndè obstupuerunt multi: quòd etiam in gentes gratia spiritus sancti diffunderetur. Et Paulus cum baptizasset quosdam Ephesios, & imposuisset manus super illos, uenit in eos spiritus sanctus. Et quid operabatur hic spiritus, statim declaratur, dum dicitur. Et ipsi loquebantur linguis, & prophetabant. Consequebãtur enim ex illo sacro chrismate immediatè donum scientiæ, & genera linguarum, ut omnibus exprimere possent, quæ nouerant. Et hoc est uerum chrisma, quo antiquitus ungebantur illi, qui statim prophetæ euadebant, & ungebantur primi patres euangelici: ut omnia noscerent, & linguis loquerẽtur. Cuius chrismatis (heu infœlicia tempora) nunc habemus tantummodo extrinsecum signũ, aut nomẽ, ut dicamur Christiani, & uncti. Hæc enim (inquit summa ueritas) erunt signa eorum, qui in me crediderint, & meo uidelicet chrismate uncti fuerint. In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis: & cætera quæ sequuntur. Cuius nominis uirtutem, & spiritus sancti donum obliti, qui dicuntur sapientes hac nostra tempestate laborant, ut à perfido Arabe,

Lucas.

Idem.

Paulus.

CHRISTVS.

aut à Græco dæmone, discant ea, quæ à cœlo & à spiritu sancto suscipere deberent. Possent quidem multi (si uellent) Christi uestigia in ueritate sequi, & eius luce perfundi. Sed quamplurimi adeo obtenebrescunt, ut capere nequeant lucem illam, quæ omnes illuminat. Quid igitur faciendum? Quærendū est inquam donum Dei, & sancti spiritus, qui omnia suggerit pro capacitate nostra: Quærendáque est mens, quam consecuti (inquit Trismegistus) pro
Mer. *mortalibus immortales habentur, intelligentia sua cuncta complexi, quæ in terra sunt, quæ in mari, & si quid est præter ea super cœlum. Atque adeo seipsos erigunt, ut ipsum quoque bonum intueātur. Quod sanè cum prospiciūt, eam, qua hîc uescimur, auram, miseriam quandam arbitrantur: neglectuíq; habentes corporea omnia, ad unum solum feruntur: Hæc enim scientia mentis est: diuinorum scilicet contemplatio, & Dei intelligentia, diuino existente cratere, intellectúque uidelicet, & illo diuino nobis communicato. Quod cum sapientia implesset, præconem misit, bonam utique synderesim, aut bonum genium iubens talia annuntiare animis hominum. Mergat seipsum in hāc pateram quicunque potest, credens craterem, animam ad Deum qui demiserat redituram, quæúe finem noscens cuius gratia nata fuerit. Quicunque igitur præconem exaudiunt, sese mergentes in mentem, hi cognitionis participes effecti, mentemq́ue suscipientes, in homines perfectos euadunt. Et quærenti filio quo pacto huius crateris latice ablueretur, inquit. Nisi ô fili tuum corpus oderis, teipsum amare non poteris. Quamprimum non te, sed Deum dilexeris, mentem protinus consequêris: Hanc denique nactus, scientiam è uestigio nāciscêris. Nec credas simul utrisque intendere, mortalibus atque diuinis. Duo nanque habemus corruptibile, & incorruptibile, electione unius amittimus*
Idem. *alterum. Et quotienscunque unius cura remittitur, alterius intenditur. Et ut ipse Mercurius animum sapientiæ applicaret, remissa omni cura rerum inferiorum, laborauit (ut bono authore didicimus) antequam mentem cōsequeretur, uiginti & sex annis, pro ipsa consequenda. Quam statim ueri Christi discipuli consequebantur, quamuis pro ipsa consequenda, paria uterque præcepta tradiderit. Nónne & Christus docuit odisse corpus, & animam hanc uidelicet inferiorem & animalem? Nónne ore rotundo protestatus est nos minimè posse duobus dominis seruire, Deo, & Mammonæ: spiritui, & carni: diuinis, & terreuis? quæ omnia eodem passu currunt. Nónne docuit primum quærere regnum Dei, quo adepto omnia alia consequuntur? Sed non possum (inquies) nec mentem hanc adipisci, nec Christi, aut Sancti spiritus lumine perfundi, cum iam hac nostra infœlici tempestate, non uideantur amplius numina uersari nobiscum, forsitan (sed utinam falsò) nostris fugata flagitiis. Reuocanda sunt igitur pro uiribus. Quod si fieri nequit, audi quid dicat Hieronymus contra Ruffinum. Quod apostolis spiritus sanctus suggeßit, mihi studio literarum comparandum est. Literarum quidem, quæ exarant ea, quæ di-*

uinis oraculis suscepta sunt, non quæ humanis ingeniis excogitata: quia hæc non illustrant, sed obtenebrescere faciunt ingenia. Quem enim docent & instruunt (inquit Firmianus) qui seipsos nondum instruxerunt? Quem sanare ægroti, aut regere cæci possunt? Huc ergo nos omnes, quibus vitæ cura est, conferamus. An expectabimus donec Socrates aliquid sciat? aut Anaxagoras in tenebris lumen uideat? aut Democritus uirtutem de puteo extrahat? aut Empedocles dilatet animi sui semitam? aut Archesilas & Carneades videant, sentiant, & percipiant? Vox ecce de cœlo docens, & nobis sole clarius lumen ostendens: Quid nobis iniqui sumus, & sapientiam suscipere cunctamur, quā docti homines contritis in inquirendo ætatibus suis nunquam reperire potuerunt? Qui uult igitur sapiens, ac beatus esse, audiat vocem Dei, qui in scripturis sanctis omnibus loquitur eam veritatem, quam solus cognouit, iter præbēs, quod solus docuit: lumen ostendens, in quod excellentissimum acies humanæ mentis non figitur nisi ab eo, qui lucem diffundit, expurgetur & excitetur. Omnia enim naturæ, & Dei secreta in sacris eloquiis traduntur: ea tamen lege, vt non percipiant, nisi verè sapientes, & collustrati: cæteri autem in vestibulo parabolis pascuntur, & ænigmatibus. Hic erat enim mos (vt Origenes ait) nō modo christianæ, & propheticæ doctrinæ, sed & philosophiæ studentium: ut aliqua in apertum æderentur, nonnulla verò minus vulgata, præmerentur silentio. Erāt enim qui Pythagorā publicè audirent docentem: & qui seorsum instruerentur in his, quæ (vt dicere solebat) digna nequaquā erant, vt ad prophanas, & nondum expiatas aures peruenirent. Erant quoque apostolo Paulo perfecti discipuli, inter quos sapientiam loquebatur: & erant communes, & nondum initiati, quibus conciones publicas, & epistolas exponebat. Erant insuper Christo secretiores amici, quibus sacra, & margaritas tradebat pretiosissimas: Et erat discipulorum turba, quibus in parabolis loquebatur. Amoueat igitur velamen ab oculis, & ad penetralia scripturæ ingrediatur, qui naturæ, & Dei arcana discere cupit: & ad eum terminum perfectionis deuenire, ad quem suapte natura: aut diuino munere destinatus est.

Lactan. Socra. Anaxa. Demo. Empe. Arche. Carnea. Orige. Paulus.

An per sensus exteriores procedendum sit, ut ad ipsum deueniamus terminum. Cap. X.



ET quia multi addicti sunt corporeis sensibus, his naturæ arcana, & Dei sacramenta, sub velaminibus, & sensibilibus signis data sunt. Eis autem, qui pro cōsuetudine (vt inquit apostolus) habent exercitatos sensus, interiores videlicet, ad discretionem boni & mali, atque veri & falsi datur solidus cibus: & communicatur sapientia, quæ perfectorum est: & eorum, qui vsum sensuum exteriorum, in meliorem commutarunt: vtentes scilicet interioribus, vt Origenes contra Celsum optimè disserit. Sed durum hoc, & extraneum nimis videretur Pe-

Orige. Peripate.

Arist. *ripateticis: qui plerisque locis habent à suo* Aristotele *repetitum*: Nihil *est in intellectu: quin prius fuerit in sensu.* Quod damus his, qui solam cognitionem deductam à sensibus degustarunt, & contenti sunt suo triplici modo cognoscendi, per diffinitionem, diuisionem, & compositionem. Sed nobis constat duos alios esse modos intelligendi, non tactos à præceptore doctrinæ sensibilis. Quorum alter est visio, & clara rerum diuinarum, & naturalium non dicam speculatio, sed contuitus, & contactus: Alter est æquatio ipsius veritatis, ab aliis expositæ cum intellectu nostro. Ad primum deuenerat Moses circa naturalia, iuxta id, quod ipsi promiserat Dominus dicens. Videbis posteriora mea, creaturas uidelicet: quæ respectu opificis, sunt posteriora, & effectus eius Hinc est apud Peripateticos consuetus loquendi modus: quòd arguentes ab effectu dicuntur arguere à posteriori. Secundum quem modum cognoscendi rerum opificem, docemur procedere in libro Sapientiæ, ubi dicitur. A magnitudine speciei, & creaturæ, poterit cognosci horum creator. Et nisi Moses rerum naturam, & conuenientiam cognouisset, neque scitè ordinasset arcam, & tabernaculum Domini: in quo triplicis mundi perfecta continebatur imago. Neque ritè applicasset sacrificia: quæ exquiruntur ad Deum, & virtutes cœlestes placandas, & ad expiandum hominem, qui & ipse Dei, & mundi gerit imaginem. De quorum sacrificiorum sacramentis Rabi, Simeon, Ben, Iochai super Leuiticum, celeberrimum, & amplissimum volumen ædidit. In quo penè omnium rerum naturas discutit: Diuina quoque ipsi Mosi patefecit ille, qui ait: Ostendam tibi omne bonum. Nec est aliud omne bonum, nisi illud, à quo omnia bona. Et quamuis aliquando faciem suam negauerit, ulteriusque sit protestatus, quòd nullus uidebit faciem suam uiuens, nihilominus paulo superius dicitur. Loquebatur dominus ad Mosem facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum. Quæ collocutio faciei ad faciem, uidetur præsupponere ipsius faciei uisionem. Et (ut Hebræi dicunt) angelus, qui loquebatur secum, nuncupabatur Matatron princeps facierum, quia eius officium est introducere alios ad faciem principis. Quam etiam Iahacob se uidisse testatur, dum ait. Vidi dominum facie ad faciem. Nec ignorabat diuus citharista spiritu sancto plenus, an posset uideri hæc Dei facies, qui toties in suis hymnis, de ipsa ostendenda repetit: Ostende inquit faciem tuam, & salui erimus. Et iterum: Quærite faciem eius semper, & rursum: Illumina idest illucescere fac faciem tuam super seruos tuos. Isaias quoque ait: Vidi dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum. Et ne sit contradictio in sacris eloquiis, breuiter dico, quòd Deum non uidebit homo, nisi moriatur pretiosa morte iustorum: de qua summa ueritas consueto sermone mysterioso, & parabolico ait. Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, sine fructu uidelicet melioris hominis: Si autem mortuum fuerit, & cesserit homini spirituali, & in-

Marginal notes: Moses. — Peripate. — Sapiens. Moses. — Rabi. Simeon. — DEVS. — Hebræi. — Iahacob. Dauid. — Isaias. — CHRISTVS.

teriori multũ fructũ affert, operando, uidendo, & degustando diuina. Quod aliqualiter explicās apostolus inquit. Mortui estis, & uita uestra abscōdita est cũ Christo. Hac igitur morte moriebātur prophetæ, & amici Dei omnes, quā do ingrediebātur ad illa Dei penetralia. Hac quoq; morte arreptus est Iohā-nes, quando in principio sacratißimæ uisionis ait. Fui in spiritu in dominica die, quo subuectus uidit thronum Dei, & agnum, & septem spiritus astantes, & omnia quæ decernebantur fieri uariis retroactis temporibus. Audiuit quoque cantica sanctorum, & angelorum ad multaque reconditißima sacramenta penetrauit. De hac morte etiam meminit Paulus dicens: Scio hominem, in corpore siue extra corpus nescio, Deus scit, raptum huiusmodi, usque ad tertium cœlum, & audiuit arcana Dei, quæ non licet homini loqui. Fit enim tunc separatio animæ à corpore, & non corporis ab anima: quia illud uiuificatur ipsa anima, quæ nec operatur in corpore, nec uiuit in eo, nisi quatenus ipsum uiuificat. Ad hunc quoque modum sciendi deuenerant apostoli: & quotquot diuina illa luce, & spiritu omnia suggerente perfusi sunt, qui & ipsi hac pretiosa morte emigrabant. Cuius rei signum erat, quia nec mortem, nec paßionem, nec contumeliam illatam corpori, & animali iam mortuo pertimescebāt. Verum illa mysteria aliquibus minus, aliquibus magis pro illorum capacitate ostendebantur: esto quòd eadem morte arrepti fuissent. Alter autem modus sciendi est per æquatam ueritatem cum intellectu nostro: sicuti æquatur clauis seræ suæ. Quo & si non pleno lumine percipimus ea, quæ deponunt hi, qui ipsa sacramenta conspexerunt, aperitur tamen nobis porta, ut ex conformitate ueritatis perceptæ, & ex lumine quod ab ipsis penetralibus apertis nos illustrat, certiores reddamur, quàm ex apparentibus philosophorum demonstrationibus. Apparentes dixerim, quia aut nullam, aut paucißimas ueras fecerunt demonstrationes in naturalibus: sed deducuntur ex præacceptis ab Aristotele, aut à quocunque sit, qui illa antè prædixerat. Hunc igitur modum intelligendi à Philosophis aßignatum: infimum omnium, & minus certum di iudico. Summum, qui habetur illo claro contuitu. Medium verò, quando datur nobis, ut non modo legamus, & intelligamus auribus exterioribus, sed percipiamus melioribus sensibus ea, quæ recondita sunt in his, quæ sub velaminibus tradunt hi, qui vero intuitu eadem conspexerunt. Multi enim sunt, de quibus summa veritas inquit, quòd audientes non audiunt & intelligentes non intelligunt. Nobis enim aliquando datur, vt clarè percipiamus ueritatem è medulla sacrarum literarum emanantem, & ut ablato velamine, & reuelata facie inspiciamus ea, quæ uulgò, & sapientibus mundi abscondita sunt: & tanta certitudine, vt omnis amoueatur perplexitas, cum ipsa percipiamus melioribus sensibus quàm exterioribus.

Paulus. Iohan. Paulus. Philoso. CHRISTVS.

Quod veri & necessarij sint sensus interiores, quibus plura & certiora percipi possunt quam per exteriores. Cap. XI.


E istis igitur interioribus sensibus tanquam melioribus, nobis disserendum est: Id maximè, cum Peripatetici, qui potißimè sunt hac tempestate præ manibus de exterioribus plenißimè & minutim scripserint, de interioribus autem nihil; nisi quòd est sensus quidam communis, & phãtasia, aut imaginatio, quam locarunt in anteriori cõcauitate cerebri: vt sensatas species recipiens, diiudicaret inter ipsas, atque expoliatas à materialibus conditionibus, eas iam depuratas intellectui repræsentaret: Et (vt Algazel ait) omnes sensus in eo coniungerentur, & emanarent, & penderent ab ipso veluti partes à suo toto. Vel (ut alij dicunt) ipse resultaret ex partibus, quasi quoddam totum integrale. Aut est (vt ab aliis habetur) virtus aut potentia magis spiritualis, quàm sensus particulares: nihilque ulterius de ipsis sensibus interioribus processerunt. Verum Plato cum Mercurio, & Mose conueniens, hominem bifarium asserit in conuiuio, & vtrunque cum suis sensibus: vt habeat quatuor oculos, duos ad exteriorem, alteros ad interiorem hominem pertinentes, & totidem aures, atq; nares, manus quoque, & pedes totidem. Duo item ora, & duplicem gustum, & omnia denique geminata: Quæ in homilia prima super Canticis cãticorum à Hieronymo, vel ab Origene, vel ab eo (quicunque fuerit) qui eam ædidit (incertus enim est illius author) & præsupponuntur, & pertractantur. Vbi per multas scripturæ sacræ sententias commonemur hominem esse geminum. Sic enim Moses in principio Geneseos scripsit: masculum & fœminam creauit eos. Nec tamen tunc fœmina producta fuit, sed postea, aliis multis interstitio illo productis, ideo exaratio illa est de bifario homine, quorũ exterior & animalis, fœmineus & deterior dicitur: interior autem & melior, masculus nuncupatur: De quibus Paulus sæpius repetens, multa docet de interiori homine ab exteriore qui corrumpitur segregando. De illo quoque est tota decantatio diuini epithalamij. Non enim de oculis, naribus, ore, dentibus mammis, pectore, ventre, cruribus, & cæteris membris animalis hominis concinitur: sed de meliori & archetypo, vt alibi diffusius disseruimus. De sensibus autem prosequentes dicimus, quòd eos non cognoscunt: nec per ipsos sensata aliqua meliora: nisi qui habent eos (vt ait apostolus), exercitatos ad discretionem boni & mali. Quæ discretio nequaquam fit per sensus exteriores. Nam tactus confinia sunt, calidum & frigidum, durum & molle, asperum & lene. Visus verò vsque ad colorem & lucem, & tenebras extenditur. Odoratus inter odores, & fœtores discrimen habet. Gustus inter dulce & amarum: acutum & pingue: salsum & acre: austerum & suaue: acerbum & acidum: auditus uerò sonum tantummodo apprehendit. Nullus igitur illorum inter bonum & malum discretionem facit, sed sensus meliores, quibus non tantum mora-

Margin notes: Peripa. — Algazel — Plato — Mer. — Moses. — Hiero. — Orige. — Moses. — Paulus. — Idem.

lia, sed ipsum Deum *percipere possumus, iuxta illud* Dauidici *carminis,* Gustate & videte quoniam *suauis est* Dominus. Et *iterum.* Audiam Dauid.
quid loquatur in me Dominus Deus: *cuius odorem quoque persentiens interior homo, clamat in canticis:* In *odorem vnguentorum tuorum curri-* Cantica
mus, exsibilabunt forsitan Peripatetici & *dicent.* Omni *studio, omníque* Peripate.
diligentia, naturæ humanæ sortem inuestigauimus, nec tamen, an sensus isti interiores sint, percepimus, imo nec audiuimus. Non *equidem miror cum diuina & spiritualia huiusmodi sint, vt superbos, & de seipsis præsumentes irrideant:* & *ab ipsis penitus abscondantur.* De *quibus* Plato *in epistola ad* Dio- Plato.
nysium. Quicunque *enim hæc audiunt, primo aspectu renuunt:* Postquam *uerò hæc bene discussa fuerint & comprobata, consentientes nobiscũ adinuenimus.* Nulla *enim sunt quæ populo, & solis sensibus exterioribus addictis, magis ridicula videantur, nec quæ apud ingenuos, & exercitatos magis suspicienda & diuina.* Quamplurimi *enim fuerunt & quidem acumine ingenij præclari, & optimo præditi iudicio, qui hæc prima fronte nænias (vt ita dicam) prorsus diiudicarent: postcà verò nedum assentirent sed ad hæc mirum in modum anhelarent, & quæ tunc penitus probabilia, ea nunc sibi contraria uiderentur.* Inter *quæ illud est potissimum, quòd per sensus exteriores totius ueritatis principium oriatur.* Imo *omnes isti spernendi sunt, cum deuenerimus (vt docet* Origenes *contra* Celsum) *ad exercitium sensuum interiorum quibus vtimur, quando agimus cum* Deo, *qui omnem captum sensuum exteriorum aufugit.* Nec *enim (vt reor) sufficit ad completam beatitudinem, vt anima intelligat, & diligat* Deum: *quamuis intellectus & ratio dicantur secundum* Aristo.
Aristotelem *totus homo.* Nam *homo completus, est ex anima & corpore quoddam totum resultans, omnes operationes vtrorumque sensuum habens, etiam in corpore existens:* Sed *sensuum exteriorum in corpore, & per corpus corruptioni obnoxium:* Interiorum *autem in meliori corpore, in quod hoc corpus animale mutabitur, dicente apostolo.* Seminatur *quod animale,* Paulus.
surget quod spirituale: Seminatur *in corruptione, surget in incorruptione:* Seminatur *in ignobilitate, surget in gloria.* Seminatur *in infirmitate, surget in uirtute.* At *(inquies) cum simus in hac miseriæ ualle, corpore hoc corruptibili induti, non possumus vti sensibus interioribus.* Audias *(precor)* Idem.
quid Paulus *subinferat.* Si *est (inquit) corpus animale, est & spirituale: sicut scriptum est.* Factus *est primus homo, vel* Adam *in animam viuentem nouissimus, uel posterior* Adam *in spiritum uiuificantem.* Primus *homo de terra terrenus: secundus homo de cœlo cœlestis.* Loquitur *(inquies) de* Christo. Audi *quod sequitur.* Qualis *terrenus, tales terreni: & qualis cœlestis, tales cœlestes:* Igitur *si portauimus imaginem terreni, portemus & cœlestis.* Vtrunque *igitur ex* Pauli *sententia esse videtur in nobis, quod dicere* Paulus.
minimè auderem, nisi doctus ab apostolo. Vnum *(inquies) tantummodo*

habemus corpus, quod nunc est corruptibile: & fiet incorruptibile per resurrectionem: iuxta illud ipsius apostoli. Paulus. *Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Est ne inquam granum aliquando futurum herba, nisi corpus herbæ viuens habeat saltem in potentia, vt Peripatetici omnes conueniunt? Hoc enim surgit ex grano mortificato, & corpus nostrum spirituale, in quo portamus imaginem cœlestis, surgit ex corpore animali & corruptibili mortificato: vel hac communi morte, quam omnes suscipiunt & comprobant: vel illa morte, de qua idem apostolus:* Idem. *Mortificate membra vestra. Et iterum:* Psalmus. *Scriptum est, propter te mortificamur tota die. Et cum Corinthiis apertius ait.* Paulus. *Semper mortificationem IESV Christi in corpore nostro circunferentes, vt vita IESV manifestetur in corporibus nostris. Semper enim nos qui viuimus, in mortem tradimur propter Iesum: vt & vita IESV manifestetur in carne nostra mortali, de qua latius paulòantè disseruimus.* Idem. *Non delirat hîc Paulus, quamuis hæc deliramenta uideantur his, qui nec Christum, nec vitam meliorem, nec corpus spirituale comprobarunt. Ecce quàm clarè loquitur, ut manifestetur inquiens uita IESV in nostro mortali corpore. Et ne cauillentur, quòd hæc manifestatio fiet post resurrectionem, audi quid dicat cum Romanis disserens.* Idem. *Consepulti sumus Christo per baptismum in mortem. Et si complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus: Hoc scientes quòd uetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati: & ultrà non seruiamus peccato. Ecce quòd apostolus asserit utrunque hominem, & ueterem qui crucifigi, & nouum qui cum Christo uiuere debet. Asserit enim corpus peccati & mortis, & statim subinfert de corpore uitæ & gratiæ. Non regnet (inquit) peccatum in uestro mortali corpore: ut obediatis concupiscētiis eius. Sed neq; exhibeatis membra uestra arma iniquitatis peccato, sed exhibete uos Deo, tanquam ex mortuis uiuentes: & membra uestra arma iustitiæ Deo. Quod fieri nequit, nisi membra ipsa carnalia mortificata cedant membris melioris hominis. Ad quod noster Paulus in hac uita degens, & peregrinus in hoc corpore deuenerat, dū ait.* Idem. *Nunc autem soluti sumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita ut seruiamus in nouitate spiritus, & non in uetustate literæ. Legem mortis uocabat legem scriptam, quæ expiabat hominem animalem, & moriturum, sed lex Christi, imo ipse Christus sanctificat hominem spiritualem semper uicturum. Qui Christus (ut non multo interuallo subnectit) si in uobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus uerò uiuit propter iustificationem: à mortuis enim uiuificabit uos, & mortalia corpora uestra, propter inhabitantem spiritum eius in uobis. Mortalia quippe corpora in melius renascentia ueluti grana pullulant, ut superius explicauimus, quod in resurrectione fiet. Hîc autem existentes, præuiam quan-*

dam mortificationem habere possumus: vt cum Christo viuamus in interiori homine, imo ipse uiuat in eo, vt dicebat Paulus cum Galatis. Viuo ego, iam non ego, uiuit verò in me Christus. Quod & nos omnes facere docuit, in Corinthiis dicens. Qui viuunt, iam non sibi uiuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit. Qui ergo viuit Christo, aut is in quo uiuit Christus, assumet illos meliores sensus, quibus percipere poßit omnia, quæ Dei, & Christi sunt. Nam tunc reuelata facie in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, semper videlicet proficientes, à Domini spiritu deducti. Ad quod deuenerant, non modo prophetæ, & primi patres nostri, sed & multi posteri: vt de Benedicto, Francisco, & alijs legimus, qui meliori visu contuebantur absentia, & prospiciebant ea, quæ latebant corporeos oculos, atque in meliorem sortem mutati præsentes erant absentibus. Sic Ambrosius Mediolani existens, exequiis beati Martini affuit, quæ tamen Turonis fiebant. Sic Franciscus in Arelatensi capitulo Antonio prædicanti astitit, quamuis in remotis moraretur. Et aliquando statim corpus veluti spiritus ad longinquas partes deducebatur, vt de Philippo legimus in actibus Apostolicis quando baptizato Eunucho in Iudæa: statim inuentus est in Azoto. Vel fractis aut penetratis portis & munimentis custodiæ liberi euadebant, vt de Petro exorcista legitur, qui iubente Arthemio, duplicatis catenis, & munitis claustris, ex infima custodia affuit Arthemio, & vxori suæ Candidæ, albis indutus vestibus. Vndè harum rerum ignari, & his non assueti, coacti fuerunt proni in terra exclamantes magnificare Christi, & Dei uirtutem: qui suos asseclas ad tam excellentem sortem deduxerat. Alios q̃ plurimos omitto, ad eandem sortem deductos, ne tam multos memorando, lõgius progrediar, quàm deceat.

Benedi.
Franci.
Ambros.
Francisc.
Philip.
Acta.
Petrus.
Exorci.

An semper homo utatur his sensibus interioribus. Cap. XII.



DEuenientes quidem eò, nunquam dimittent sensus, & organa hominis illius, qui beatificatur. Beatitudo enim consistit in uisione, & fruitione. Sed uisio, est operatio illius uisus, & sensus interioris. Fruitio autem oblectamentum uoluntatis, & omnium ipsorum sensuum interiorum. Tunc enim audiemus laudes, cantus, & sonos eorum, de quibus dicitur. Qui habitant in domo tua in sæcula sæculorum laudabunt te. Qui cantabunt plenis faucibus sonantes in tympano, & choro, in chordis & organo, & cæteris instrumentis, quæ commemorantur in Dauidicis hymnis. Tunc etiam gustabimus saporem uerum illius panis angelorum, uel fortium, de quo dicitur. Panem de cœlo præstitisti eis, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem. Et tantum comedẽt, ut eructent memoriam abundantiæ suauitatis illius. Tunc sen-

Dauid.
Sapiens.

tiemus in toto cœlo perfusum odorem sanctissimi nominis, de quo dicitur. Oleum effusum nomen tuum, & chrisma uidelicet omni suauitate redolens: tūc tactus & amplexus ibi dabuntur, de quibus iterum dicitur. Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Vt igitur plena sit hominis oblectatio, uigebunt semper sensus illi omnes, quibus Deum quæsiuimus: ut in lege iubetur, quando præcipitur, ut Deum ipsum diligamus, & quæramus, nō modo anima, corde, & mente, sed omnibus uiribus, si quæ sunt in homine, quibus ipsum Deum prosequi possimus: ut sicut his Deo seruiuimus, sic eisdem in ipso Deo oblectemur. Nec quidem corruptibilibus sensibus illic utemur: quia nihil corruptibile erit in illis æternis, & incorruptibilibus mansionibus. Sensibus igitur melioribus in ipso Deo, perpetuo oblectabimur.

Cantici. Eadem.

De hominis conuenientia cum intelligentiis, cœlis, & sacris. Tonus tertius.



Vod symbolum, & quam conuenientiam habeat homo cum angelis. Cap. I.
An homo sit excelsior angelis, uel econtrario. Cap. II.
Quæ inuidia fuerit, & sit inter āgelos & homines. Cap. III.
An homines cum angelis conueniant in numero. Cap. IIII.
Qua æquissima lance eos, qui ex ipsis præuaricati sunt, dimiserit in nos hostes. Cap. V.
Quid possit homo à cœlis suscipere, ut melior fiat. Cap. VI.
Vndè cœli suscipiant fauorem: quem harmonicum influunt. Cap. VII.
Quid habeat homo cum sacramentis. Cap. VIII.
Quid habeat homo cum sacrificiis. Cap. IX.
Quid habeat homo cum uerbis, & orationibus: quæ ipsi suffragantur. Cap. X.

QVOD SYMBOLVM, ET QVAM CONVEnientiam habeat homo cum angelis. Cap. Primum.



ISPOSITO, & temperato homine, ac aßignato modo sui profectus, & ratione, quantum ad gradus, & dona ipsi distributa, nunc percurrendum est, quam conuenientiam habeat cum creatis: & maximè cum angelis, à quibus tanquam ab indiuiduis totius sui itineris comitibus, suscipere valeat profectus incrementa. Primo itaque conueniunt dispositione naturali cum vtrique rationis sint participes, intelligentiæ capaces, & in eundem finem tendant, eiusdem Domini immediati serui. Vtrique item incorruptibiles & perpetui sint, sed angeli æquali & continua succeßione, homo autem secũdum meliorem partem eodem modo: secundum alteram verò transmutatione quadam, de qua dicitur. Corruptibile hoc induet incorruptionem. Potantur quoq; vtriq; ex eodem fontè & petra, de qua iterum dicitur. Bibebant autem de spiritali consequenti eos petra, Petra autem erat Christus: ipsis quidem præuisa, nobis autem sculpta, erecta, & immensa aqua completa, vt de plenitudine eius omnes plenè suscipere poßimus. Quia nedum homines, sed etiam angeli ab ipsa hauriunt, dicente Augustino. Ipsum consulunt angeli, tanquam vitæ fontem. In eum quoque (vt inquit Petrus) desiderant angeli prospicere: vt uidelicet semper hauriant pro se, & pro nobis, quorum curam habēt, quousq; sumus, hoc corporeo carcere detrusi. Et quamuis specie dicantur differre ab hominibus, non minus tamen ipsis conueniunt, q̃ ij cum equis, quibus insident, & paruo freno eos deducunt ad libitum, atq; modico calcarium tactu, uel corporis gestu impellunt: & instruunt, prudentiam quandã ad peragendum iter eis ingerentes. Neq; minorem conuenientiam habēt cum hominibus, q̃ ipsi cum auibus, quas instruunt, vel ad venationem, vel ad cãtum, & ad sermones humanos effingendos. Sic ipsi nobis præsidentes regunt impellunt, & instruunt, vt capiamus prædam cœlestium, & vt diuina eloquia reportemus plus minúsve pro nostra capacitate, & pro diligentia quam exhibemus, vt ipsos audiamus, & nobis reddamus domesticos. Hinc antiqui patres omni diligentia studuerunt ipsis adhærere, & domesticum cum eis habere consortium. Sic enim (vt in antiquißimis Hebræorũ monumẽtis reperi) Adam familiarem consuetudinem habuit cũ angelo Raziele: Sem filius Noë, cũ Iophiele: Abraham autem habuit domesticum Zadchiel: Isahac, & Iabacob Pelie: Ioseph Gabriel: Moses Mitatron: Elias Maltiel. Et in euangelica familia Petrus babebat angelum non tantum sibi, sed aliis amicis domesticum, adeo vt quũ Petrus de carcere venisset ad domum mariæ eius hospitis pulsans, ipsa cum cæteris amicis consciis eius consuetudinis, quam habebat Petrus cum angelo, dixerint an=

Paulus.
Auguft.
Petrus.
Adam.
Sem.
Abrah.
Isahac.
Iabac.
Ioseph.
Moses.
Elias.
Petrus.

Iohan. Cecilia Agnes. *gelus ipsius est, Sic Ioannes angelum habuit, qui ostenderet, & doceret eum sacramenta celeberrimæ visionis. Sic Cecilia angelum habuit, quem marito, & Leuiro ostenderet. Sic Agnes eum sensibilem habuit angelum, vt etiam in lupanari ipsam custodiret. Et multi alij angelos habuerunt familiares custodes, quos commemorare non patitur hæc breuis rerum perstrictio. Ex sacris quoque literis habemus, vnumquenque suum angelum habere custodem, quamuis eius domestica consuetudine non perfruatur, quia hoc paucis & mundissimis datum est. Ii autem symbolum & conuenientiam quam habemus cum ipsis, & q̃ sit iucunda, & proficua nobis eorum consuetudo, cognoscentes, semper eorum procurarunt fauorem, eos sibi pro virili sua asciscentes amicos, vt iam no*Franci. *bis Franciscus positus sit in exemplar. Hic enim quadragesimam beati Michaëlis archangeli arcto ieiunio, & accurata diligentia celebrabat: loca quoque eligebat, in quibus eos magis propitios existimabat, locum videlicet sanctæ mariæ de angelis, Aluernæ montem angelis (vt fertur) peculiariter dedicatũ. Quod obseruant, & procurant qui spiritualia sapiunt, & quibus aliqualiter notus est ordo rerum in deum, à quo processerunt, Is enim est, vt quæ inferiorem locum possident, per intermedia in supremum deducantur.*

An homo sit excelsior angelis, vel econtrario. Cap. II.



*T quia diximus hominem tanquam inferiorem deduci in Deum per angelum, prætermittendam hic minimè censeo discussionem, àn nobilior sit angelus nobis præsidens, seu ministrans, an homo ab ipso custoditus, & ministeriũ suscipiens. Videtur enim angu*Dauid. *stare illa omnibus nota sententia in Dauidico carmine, quam cum de homine agitur, præcinit uates. Minuisti eum paulominus ab angelis. Necnon ea,* August. *quæ dicuntur ab Augustino, quòd angelum fecit propè se, tanquam digniorem, & excellentiorẽ cæteris rebus ab ipso perpetratis. Nam quæ magis appropinquant primæ causæ & perfectissimæ, perfectiora esse uidentur. Et cũ iterum angeli sint supra tempus, & æuiternitate quadã producti, atq; semoti ab aggrauante materia, uidentur nobiliores. Addunt aliqui ꝙ angelus, quia intellectualis, censeatur dignior homine qui rationalis est. Et comprobare co*Ezechi. *nantur Ezechielis oraculo, quo dicitur: Tu signaculum similitudinis. Quibus verbis (vt aliqui exponunt) videtur aliquid magis tribui angelo quàm homini, qui ad imaginem Dei factus est. Ii enim iudicant aliquid perfectius innui* CHRISTVS. *per signaculum similitudinis, quàm per imaginem. Quibus ex aduerso stãtes, ab infallibili veritate sumimus maiorẽ esse qui recumbit, quàm qui ministrat.* Paulus. *Sed de angelis inquit Paulus: Omnes sunt administratorij spiritus, non tãtum quidem dei, sed etiam hominum: vndè sequitur. Missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Dicunt aliqui, ꝙ angeli ministrant nobis, non tanq̃ nobilioribus, sed tanquã infirmis, & ipsorũ egẽtibus præsidio. Quibus dicimus,*

quòd angeli deportauerunt in sinū Abrahæ animam Lazari, non infirmam, sed solutam à corpore & collustratam. Et quamuis puer indigeat aliquando ducatu pædagogi, tamen maior est pædagogo, breui possessurus regnum. Nos autem, quibus seruiunt angeli, possessuri sumus paratum nobis, non angelis regnum à constitutione mundi. Vnde & nostra conditio, melior quàm conditio angelorum concluditur. Quod etiam declarat productionis ordo: Nā vltimum Dei opus fuit homo: qui primus & excellentior erat in diuina mente, ex communi philosophorum sententia, qua dicitur. Quod est primum in intentione, est vltimum in executione. Homo autem fuit extremum Dei opus, inductus in hunc mundum, tanquam eius antistes, veluti in domum iam fabricatam, & paratam, Cum insuper Christus homo habeatur angelis nobilior, concludere possumus naturam humanam nobiliorem, per illud Aristotelicum ab omnibus admissum. Cum optimum in hoc genere sit melius optimo illius generis, hoc genus est illo nobilius. Et nisi Christus, & beata virgo nobiliores essent quàm angeli, nunquam potuissent eorum choros, & gradus transcendere. Sed de Christo inquit Paulus. Tanto melior Angelis effectus, quanto differētius præ illis nomē hæreditauit. Sed omißis quampluribus, quæ ad saluādam opinionem suam de nobilitate angelorum adducuntur ab aliquibus, vnū soluam eorum potißimum robur, quod uidelicet anima Christi fuerit nobilior per gratiam, esto quòd per naturam fuerit inferior. Quod quidem si bene perpendatur, multum à veritate distare uidebitur: cum dona gratuita (vt suprà explicauimus) dentur secundum dispositiones naturæ. Et ponderetur (quæso) illud apostoli, quòd tanto melior sit angelis, quanto dignius consequutus est nomen. Quod vtique nomen, non à casu, & impropriè impositum fuit, sicut nostra quotidie imponuntur: sed conuenientißimum nominato, atque fabricatum in sanctißimæ Trinitatis collegio: vbi & gradus rerum, & proprietates omnes, etiam indiuiduales cognoscuntur. Et si Adam paruo lumine impartito, nouit imponere nomina rebus secundum illarum proprietatem: nonne melius nouit Sanctißima Trinitas, & origo totius luminis? Ab hac enim destinatus fuit Gabriel nuntiaturus virgini partum, cum mandato de nomine imponendo filio, cuius conceptum denuntiabat. Curauit quoque Deus addere nomini Abrahæ characterem vnum, vt nominato accommodatius foret. Quid credimus de nomine imposito filio, & Christo homini, quem præ omnibus dilexit & honorauit? Si igitur huic dedit nomen honoratius quàm angelis: fecit & ipsum nominatum honorabiliorem. Non quidem dicam secundum diuinitatem, quia non dignè ipsi compararentur angeli, cum infinitate, & immenso interuallo eos excedat. Adeo ut secundum illam nulla poßit esse comparatio. Reliquum igitur est, ut Christus homo honoratior sit, sicut & nomen differentius hæreditauit. Addam & unum, quòd ualde explicat hominis nobilitatem: quia continet in se mundi machinam, ange-

Philoso.

Paulus

los, & archetypum, vt supra explicauimus, ideo habet expreßiorem imaginem Dei, in quo sua pulcherrima nota relucent omnia. Nec urget sententia illa prophetica, qua dicitur, hominem paulominus ab angelis minoratū, cum in veritate literæ habeantur ותחסרהו מעט מאלהים *vate chasrehu mehat meelohim Quod ad verbum si traducatur, habet: Minuisti eum aliquantulum, vel paulominus à Deo: Elohim enim Deum significat, quamuis aliquando angelos, & aliquando iudices: sed in hoc loco (vt communiter sentiunt sapientes Hebræi) significat Deum. Quod innuitur ex verbis, quæ immediatè sequuntur: Et cōstituisti eum super opera manuum tuarum. Non igitur homo est inferior angelis, quia & ipsi sunt opera manuū Dei: Et quanti ipse Deus fecerit hominem, Paulus innuit, dum ait: Nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahæ, tanquam videlicet magis vnibile, quàm angeli. Vlterius procedunt secretiores Theologi, explanantes illud* מעט *per numeros: Nam literæ illæ reddunt, 119.* מ *n. dat. 40:* ע *9* ט *70: qui numeri simul iuncti reddunt. 119. Vbi habetur vnum centenarium, vnum denarium, & totus numerus, vsque ad ipsum denarium exclusiuè. Quod magnum mysterium est, recōditurque apud eos, qui sciunt artem numerorum diuinorum, & naturalium, de quibus fari in præsenti non licet. Ad Augustinum autem dicentem, quòd Deus fecit angelum prope se digniorem, & perfectiorem. Verum est quo ad actum immediatum, cum quo tamen potest stare, quod homo sit factus potētia nobilior, aliquando reducendus ad actum: & tunc homo suo completo curriculo apparebit nobilior, qui dum sub pedagogo erat, ignobilior videbatur. Idem dicemus ad id, quod dictum fuit de angelis existentibus supra tempus, quia & homines erunt supra tempus, quando æterna beatitudine perfruentur. Quod autem quarto loco adducitur, angelum esse intellectiuum, & hominem rationalem, nihil est: cum & homo sit intellectualis, vt consentit Aristoteles dicens. Homo est potißimè intellectus, & ratio. Nec regius vates, nisi sensisset se capacem intellectus, toties repeteret. Da mihi intellectum. Et summa veritas quasi exprobrans discipulos inquit. Adhuc & vos sine intellectu estis. Est enim triplex intellectus, diuinus & purus: item separatus, & angelicus: insuper mixtus, & humanus. Cum autem hic solutus erit à corporeis ligaminibus, non solum attinget ad intellectum angelicum, sed ipsum transcendens ad diuinum applicabit, cum ipso vniendus, fœlicius quam angelus: vt multæ sententiæ sacræ scripturæ resonant. In quibus habemus, quòd homo efficitur filius Dei: transformaturque in eandem imaginem, quæ est Deus, & cum ipso unitur: quæ de angelis, nusquam leguntur, Illud quoque de signaculo, vel sigillo ex seipso corruit. In Hebræo enim habetur* אתה חותם תבנית *atah chotem tabnit, idest, tu sigillum similitudinis. Nec aliquando reperi, quòd sigillum aut signaculum, dicat aliquid maius, quàm imago. Bene dicit Augustinus, imaginem Dei esse in homine tanq̃*

Paulus. Arist. Dauid. CHRISTVS. August.

in sigillo, in Christo verò, tanquam in filio. In quam imaginem datur nobis aliquando transformari, remanentibus angelis cum imagine sigilli, quæ inferior est. Vel si dicatur, quòd angelus est sigillum imaginis, hoc nihil ad rem, cũ semper sigillatum sit nobilius ꝙ sigillum. Nihil igitur nobilitatis arguit sigillum in angelo. Homo itaque restat nobilior, cui angelus seruit, & de eius profectu lætatur: vt ex euangelio didicimus: & aliquid vtilitatis reportat, cum omne agens agat propter finem, vtilem utiq; & delectabilem, nisi sit error in operante. Sed cum angelus non decipiatur, habet illum finem vtilem, quem Deus nouit, & cui uoluerit Deus reuelare.

Quæ inuidia fuerit & sit inter angelos, & homines. Cap. III.



Vm autem viderit angelus expreßiorem imaginem, & maiorem perfectionem in homine, quàm in seipso, hinc forsitan sumpsit, undè ei inuideret. Nam inuidia est tristitia de bono alieno, cum desiderio aut priuandi habentem illud bonum, aut superexcedẽdi ipsum. Hac igitur inuidia (vt inquit Sapiens) mors introiuit in orbem terrarum: quia angelus mortis seduxit, & subiecit hominem, inferens ei mortem, ne perueniret ad eam sortem à qua ipse expulsus erat. Nec opinandum est angelum inuidisse Deo, qui adeo eleuatus est in immensum, ut nullus sit homini, aut angelo locus æmulandi ipsum. Verum cognouit gradum hominis, perfectißimumque finem ipsi constitutum, & imperium quod unus homo cõsequuturus erat. Et id, quando (ut inquit Paulus) Deus Pater introduxit eũ primogenitum in orbem terræ, dicens. Et adorent eum omnes angeli eius. Vidit insuper unde hîc originem traheret, & futurum ortum eius, ut Iohannes in apocalypsi perhibet, dicens. Signum magnum apparuit in cœlo. Mulier amicta sole diuinitatis, & superioris pulchritudinis, & luna luminis, & decoris naturalis sub pedibus eius. Et in capite eius corona duodecim stellarum, idest omnium gratiarum, & munerum, cum cœlestia omnia diuidantur per duodenarium. Et in utero habens, clamabat parturiens, non quidem uoce doloris, sed exultationis, aut terroris, quem incutere debebat nasciturus omnibus potestatibus, & uirtutibus mundi: undè sequitur. Et hæc peperit filium, qui recturus erat gentes in uirga ferrea: iuxta illud psalmi. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gentes in hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Et reges eos in uirga ferrea. Hinc timens, & inuidens draco magnus, stetit ante mulierem, quæ erat paritura, ut deuoraret filium eius. Et hinc ortum est prælium magnum in cœlo: Michaël, & angeli eius præliabantur cum dracone & angelis eius, sed isti non præualuerũt, neque locus eorum inuẽtus est amplius in cœlo. Et ne quis dubitaret, quis esset hic draco, subinfert. Et proiectus est draco ille magnus, qui est diabolus: & sathanas. Et cum hic filius non solum recturus esset mundum in uirga ferrea, sed exaltatus trahere de-

Sapiens. Paulus. Iohan. Psalmus.

beret ad se omnia, maximè fratres suos, & electos: ideo inuidia agitatus omnibus nobis insidiabatur. Aegrè enim tulit, & erubuit, quòd homo terreno corpore præpeditus, obtineret quod ipse perdidit, & vinceret pugnam, in qua ipse succubuit. Vtrisque enim data fuit pugna: quia non debet coronari, qui non certat legitimè. Vtrisque quoque indictum est præceptum, cuius trãsgreßio peccatum est: vt Paulus pluries cum Romanis repetit dicens. Sublata lege, tollitur peccatum. Et si lex non esset, peccatum non imputaretur. Lex itaque data fuit angelis: vt adorarent Dei primogenitum: Lex data fuit homini, ne comederet id est ne æmularetur lignum scientiæ boni & mali, quod Christus est, vt suprà explicauimus. Sed vterque transgressus est præceptum: ille non reuerendo Dei præcipuum filium: hic æmulando eius gradum, ipsi particulariter interdictum. Huc conueniunt nonnulli sapientes, Bernardus præcipuè, qui Dei contemplatione edoctus, dum exponit illud Ionæ, propter me venit hæc tempestas, inquit. Verbum est filij dicentis. Propter me venit tẽpestas hæc in angelis, & primis parentibus: In illis, quia nolebãt eum in dominum suscipere: In istis, quia æmulabantur sapientiam, uel gradum ipsius Christi: Quod isti fecerũt suasu illius, qui primo præuaricatus est. Qui casum hominis procurauit, vt socios haberet contumeliæ, & pœnarum: & vt hominem abduceret ab illa fœlicitate, quam ipse adipisci non poterat.

Paulus

Bernar.

An homines cum angelis conueniant in numero. Cap. IIII



Ec tantum multa natura conueniunt angeli, & homines: sed etiam numero, vt ali qui autumant dicentes, quòd tot saluabuntur homines, quot ruerunt angeli, vt impleant illas euacuatas sedes: & tot damnabuntur, quot cum Michaële præualuerunt contra serpentem, & rebellantes, vt omnium summa sit æqualis. Hoc non admitterent Peripatetici, qui tot tantummodo rentur intelligentias, quot orbes existimantes ociari intellectuales illas virtutes, & deficere à sua perfectione, si non habeant suum, quem moueant, orbem. Et quia veteres Astronomi quinque supra quinquaginta asserebant motus, hinc totidem admittebant intelligentias. Sed dicant (quæso) isti sapientes. Cur Deo non est tanta cura de rationali, sicut de ætherea creatura? Si enim vnicuique cœlo, aut orbi particulari, suam aßignauit intelligentiam mouentem, & moderantem, cur homines sine auriga reliquit? Nec enim isti minus indigent ductore quàm orbes, tam in infantilibus annis, in quibus nec prudẽtia, nec solertia, nec ingenium adest: quàm in prouecta ætate, in qua nauigant hoc tenebrosum, & periculosißimum mare, casibus innumerabilibus expositum. Et si aliqui Arabo adhærentes dicant, sufficit ille vnicus intellectus omnia collustrans, & dirigens, dicemus. Cur saltem hominum congeriei, quam vult veluti organi fistulas vnico flatu perflatas repleri, eius gubernatricem intelligẽtiam non aßignauit? Forte enim vult eundem esse intellectum illustrantem, dirigentem, atque mo-

Peripate

Astro.

Auer.

uentem. Sed adducta exempla de fistula, & organo, obuiant, ubi aliunde flatus personans, aliunde manus mouens accedit. Et ne uideamur *faceto exemplo, solidum (ut aiunt) philosophum uelle concutere, adducamus inuictissimas rationes paucas tamen de multis:* Placet *quod aliqui adducunt, ad probandam intelligentiarum numerositatem.* Ii *enim ordinem præsupponunt, sine quo uniuersum stare nequit: & hunc triplicem, adesse uidelicet, ad operationem, & ad finem.* Vel *ad superiora, inferiora, & æqualia, maximè quando intermedia ordinata sunt. Quæ enim gloria* Ducis *si oblito imperatore seu rege, tantummodo respiciat ad milites? Quid episcopus agit cum clero, posthabito summo pontifice, aut* Christo, *quem repræsentat?* Et *quis sapiens excogitabit aliquando mentes illas cœlestes, in cœlorum reuolutione adeo occupatas, ut ad nihil aliud aspiciant?* Aut *etiam (ut aliqui uolunt) in influentia, & generatione inferiorum beentur, & non potius in opifice, à quo suscipiunt: unde influant?* Id *maximè cum ipse* Aristoteles *doceat, quòd si anima moueretur continuè, nunquam beatam uitam consequeretur: quia ipsa beata uita est potius in quiete, quàm in motu actiuo, uel passiuo. Est igitur ordo intelligentiarum non solum ad cœlos, quos mouent, & ad seipsas mouentes ad inuicem, sed ad* Deum *à quo suscipiunt, vndè moueãt, & in quo beentur.* Hinc *earum numerus non est supputandus à sphæris, quas mouent sed à ministerio, quod* Deo *exhibent, in amplissima curia, & in tota machina: prout magnificentia illa* Dei *immensa exquirit: ut* Daniel, *non secundum quod imaginabatur, sed pro ut uiderat, asserit dicens.* Millia *millium ministrabant ei, & decies cẽtena millia assistebant ei. Quem numerũ maximũ omniũ sumit propheta, potius ad innuendã, quàm ad determinandã eorũ multitudinem: quæ nobis inexplicabilis est, quamuis* Deo *perfectissimè cognita:* Hinc *melius, quàm* Peripatetici *docẽt* Pythagorei, *maxime* Hierocles, *cuilibet sphæræ, & signo, tanquam in subselliis & corticibus, aut uestibulis summi principis insidere multos angelicos ministros. Consentiunt* Arabes, *qui in eorum theologia habent ad verbum:* Tot *in uno quoque cœlorum habentur angeli, quot numerare potest nullus, nisi solus* Deus: Aegyptij *autem (ut* Iamblicus *scribit) cum* Dionysio *nostro consentiunt, distinguentes angelorum ordines, & cuilibet ordini quamplurimos assignãtes, numero quidem (ut* Augustinus *ait) omnem nostrum computum transcẽdente,* Nec *aliter exquirebat tam ampla, & immensa curia, & summa* Dei *magnificentia. Sicut igitur numerus angelorum, sic & hominum est nobis incognitus: & is quem supputare nemo potest, nisi qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina uocat.* Sed *generali comparatione* Augustinus *in* Enchiridio *uidetur præferre numerum electorum hominum, numero eorum qui ceciderũt, quamuis dubius loquatur dicens.* Superna Ierusalem *mater nostra, ciuitas* Dei *nulla ciuiũ suorum numerositate fraudabitur, aut uberiori etiam copia fortasse*

Aristote. Daniel. Peripati. Pytha. Hiero. Arabes. Aegyp. Iambli. Dionys. Augusti.

regnabit. Neque enim numerum aut sanctorum hominum, aut immundorum dæmonum nouimus, in quorum locum succedentes filij catholicæ matris, si-
Moses. *ne vllo termino permanebunt. Moses autẽ vtriusque familiæ, angelicæ & humanæ numerum coæquare videtur dicens. Constituisti terminos populorum, iuxta numerum filiorum Israël idest principantium, aut rectè incedentiũ sub Deo: populos enim homines, & filios Israël, angelos (ut nonnullis placet) ritè interpretari possumus: Qui & pro angelis assumuntur, & pro electis, qui erunt sicut angeli dei, de quibus dicitur. Non veni, nisi ad oues quæ perierant domus Israël, idest ad omnes saluandos, qui ex quacunque familia sint, dicuntur filij Israël rationibus suis pro tempore prætermittendis.*

Qua æquißima lance eos, qui ex ipsis præuaricati sunt dimiserit in nos hostes. Cap. V.

ET *sicut ex eis, qui fideles sunt vnicuique proprius deputatus est custos, ita ex rebellibus aliquis dimittitur hostis, vt inde, non ignominiam & damnum, sed lucrum & gloriam reportemus. Vnde iniustè conqueritur de his asignatis hostibus humanum genus: id ma*
Paulus. *ximè, cum æqua lance, & compẽsato nobiscum agone colluctentur. Non e-*
Orige. *nim (inquit Paulus) permittit vos Deus tentari super id, quod potestis, sed facit cum tentatione prouentum. Vbi Origenes: Nisi æqualis fuerit concertantium virtus, non erit iusta palma vincentis. Ideo ij, qui in agonibus præsunt, eos, qui ad certamen veniunt, non vtcumque fortuito inter se sinunt inire certamina, sed diligenti examinatione, prout vel corpora viderint, vel ætatem, æquisßima comparatione iungentes hunc cum illo, hac lege, & edicto, vt uincens sit dominus, victus autem seruus, iuxta illud Petri. A quo qui superatus*
Petrus. *est, eius seruus est. Et victus diabolus, atque subiectus, veluti uespa fracto a-*
Orige. *culeo (vt à fide dignis habui) alium ultrà molestare nequit. Fauet Origenes dicens. Puto sanè, quia sancti repugnantes aduersus istos hostes, & vincentes, minuant exercitum dæmonum, ne ultrà fas sit illi, qui ab aliquo superatus est, alterum impugnare. Pugnat itaq; contra nos hostis, pugnatq; nobiscũ genius, & custos noster contra ipsum hostem: ut eadem sit pugna carnis, & spiritus: & ea quæ est diaboli præsidentis carni, & pruritui eius, cum angelo corroborante spiritum. Vnde in certamine illo magno, Michaël pugnabat pro principe, & angeli eius pro militibus ipsius. Draco autem pugnabat contra ipsum principem generis humani, & principem angelorum pro eodem pugnantem. Satellites autem eius contra milites principis, & angelos eorum: ut semper æqua sit pugna principis contra principem, & militum contra milites. Homo igitur inter istos concertantes medius cui uult uictoriam præstat, atque ipsam*
Hierõ. *consequitur: ut bene dicat Hieronymus. Debilis est hostis, qui non uincit nisi uolẽtem. Quicquid enim magni prædicatur de hoste, quòd astutisßimus sit, & ueluti serpens insidians, aut furiat tanquam leo rugiens, & sint ipsi nomina*

mille, quia mille nocendi artes, tamen hæc omnia æquilibrata sunt cum virtute, prudentia, & sagacitate custodis nostri, atq; diuini splendoris nos confouentis, & auxiliantis contra hospitem tenebrarum. Et nisi sponte se dedat homo, præualent angeli vitæ, & lucis, contra angelos mortis, & tenebrarum. Duæ nanque sunt viæ (inquit Barnabas apud Origenem in periarchon) nobis propositæ, altera lucis, & altera tenebrarum: per illam autem nos conducere studet angelus lucis, per hanc autem angelus obscuritatis, & Satanas. Quæ viæ in ecclesiastico dicuntur vita, & mors: malum, & bonum. Hominem uerò reliquit in manu consilij sui, licet ad vtrunque habeat ductores, & suggestores. Sed audiendus est lucis angelus, cum quo habemus symbolum, & amicitiam: & refellendus est ille, inter quem & nos ab initio positæ sunt inimicitiæ implacabiles, & acerrimæ: vt animus & spiritus noster semper horrescat, & conturbentur omnia quæ in nobis sunt, quando ipsum sentimus, maximè in tenebris, in quibus vires assumit non modicas. Bernar. Orige. Ecclesi.

Quid possit homo à cœlis suscipere, ut melior fiat. Cap. VI.



NOn ea tantum, quæ de conuenientia hominis cum cœlis, & de suscipienda ab eis sanitate, dicta sint, sed etiam quid vtilitatis ab eis hauriat, ut melior fiat, percurrendum est. Haurit enim primo lucem, quæ tenebras, & malè operantes fugat: ut in prophetico carmine dicitur. Ortus est sol, & congregati sunt, & in cubiculis suis collocabuntur. Habet enim hæc lux simulachrum quoddam, & vehiculum numinis, & lucis illius, qui ait. Ego sum lux mundi. Dum lucem habetis, ambulate in luce, ne tenebræ vos comprehendant. Et sicut principes tenebrarum in tenebris ipsis robustiores fiunt: sic & angeli lucis nobis fauentes, virium incrementa suscipiunt à luce, nō modo diuina, sed solari, & cœlesti: per quam etiam illa diuina, & suprema lux splendescens, virtutem quandam cœlis, & per ipsos inferioribus influit. A Patre enim luminū, à quo omne datum optimū & venit, & esse: & motus, & generatio, & omnis operās virtus, tam in cœlis q̄ in elementis, plantis, animantibus, & hominibus. Sed illa omnia per cœlos, tāquam per media, & instrumenta, fomenta quædam suscipiunt, quæ naturalia dona dicuntur. Homines autem vltra hæc, suscipiunt undè mores uarios, & vitam multigenam componant: vt Astronomi omnes passim asserunt, decernētes hunc benignum ex Ioue, illum impetuosum ex Marte, alium splendidum à sole, & huiusmodi multa, de quibus aliqua suprà tetigimus, & ipsi Astronomi immensa compleuere uolumina. Id autē fit, siue per dispositionem tentorij, siue per uim quandam, quæ ab intelligentiis proueniēs, per cœlosque penetrās, peruenit non tantum ad corpora nostra, sed ad interiora spiritus, à spiritibus proueniens. Suscipimus quoque maximam uim à concentu cœlorum, qui nos ad concinnandos mores disponunt: nisi mala nostra dispositione obuiantes, cōcentum in perstrepentem sonum conuertamus. De quo concentu cœlorum in- Daniel. CHRISTVS. Astro.

fluentium in nos cõsonãtissimos influxus loquũtur Pythagoras, & Plato, maximè in republica: Quem Cicero in libro sub eodẽ titulo sequitur: Sed Macrobius in primo de somnio Scipionis, eorũ dicta resumẽs inquit. Cũ cœlum intuerer stupẽs, Is (inquam) est, q̃ cõplet aures meas, tãtus & tã dulcis sonus. Hic (inquit) ille est, qui interuallis imparibus, sed tamẽ pro rata parte ratione distinctis, impulsu, & motu ipsorũ orbiũ conficitur: & acuta cũ grauibus tẽperãs, uarios æqualiter cõcẽtus efficit. Stelliferũ enim cœlum cuius cõuersio excitatior est, acutiorem facit sonũ, grauissimus autẽ lunaris, motu videlicet violẽto, quo superior orbis velocius mouetur. Sed motu proprio inferior velocior est, & acutior: superior autem, tardior & grauior. Quæ concentio pulcherrima quidem est, & sua reciprocatione suauissima: adeo vt cantus nullus suauior sit, q̃ hic, qui ex numeris, & mensuris ad instar sphærarum motus deductus est: vt clarè comprobauimus. Nec minor concentus est in signis stelliferi cœli: quibus (vt Plato ait) præpositæ sunt Sirenes, quæ cãtus dicuntur, eo quòd præsidentes illi, reddunt influxus concinnos.

Pytha. Plato. Cicero. Macro. Plato.

Vndè cœli suscipiant fauorem, quem harmonicum influunt. Cap. VII



QVæ autem sint illæ Sirenes tacuit Plato, sed ex scriptura sacra (ni fallor) discere possumus. Hæc enim perhibet (ut in Apocalypsi legimus) duodecim angelos præsidere duodecim portis illius cœlestis ciuitatis: qui summo & indefesso concentu gyrant, & influunt in portas illas, quæ (vt Academicis placet) signa sunt stelliferi cœli: quorum Capricornus, est porta ascensus præcipua, & Cancer descensus: cætera autem cum alterutro illorum conueniunt. In hæc autem signa gyrantes influunt multigeni angeli (sub illis tamen duodecim principibus ordinati) cũ influxum multiplicem, & suauissimum, atque omnimoda concinnitate plenum, quem à diuino nomine suscipiunt, duodecies reuoluto: vt Hebræi pro constanti habent. De quo Iohannes ibidem: Et in fundamentis illius ciuitatis nomina duodecim apostolorum, & agni. Nec enim agnus habet duodecim nomina: sed nomen illud magnum (vt superius diximus) in quo tantummodo oportet homines saluos fieri. Salutem itaque in hoc nomine consequimur per Christum qui ipsum nomen hæreditauit: & hanc per angelos, per cœlos, & per quãcunque creaturã: quia omnia diligentibus Deum cooperantur in bonum his, qui secundum propositũ vocati sunt sancti. His enim & cœlorũ influxus, & angelorum uirtus, & creatura omnis fauet, sicuti ecõuerso eadẽ omnis creatura se se armat ad debellandos inimicos Dei, vt in libro Sapientiæ legimus. Meminit etiam Iohãnes de septem spiritibus, qui ante thronũ Dei sunt, quos præsidere septem planetis plerique affirmant. Vndè Mercurius hos vocat septem gubernatores, quia videlicet per septem planetas, quos mouent, omnia moderãtur etiam influxum duodecim signorum. Et quanta consonantia, hinc cõiice-

Idem. Apoca. Hebræi Iohan. Sapiens. Mercu.

re possumus, quia vterque numerus ex eadem radice resultat. Tria enim & quatuor, septem constituunt. Sed alter illorum per alterum multiplicatus duodenarium reddit. Ab angelis itaque suscipiunt cœli, vndè influant, & faueant ad bonum, illi autem à nomine magno Dei: *Cuius uirtus in primis est in* Deo, *postea diffusa in duodenos illos & septenos angelos, per quos extenditur in duodena signa, & septem planetas: & consequenter in omnes ministros & instrumenta ipsius* Dei. *Sic etiam est in mundo hoc, uel corpore mystico spirituali: Virtus enim magni nominis* Dei *existens in* Christo, *& complens eum omnimoda perfectione, posteà diffunditur in duodecim illos apostolos, tanquã in duodecim signa, & fundamenta post* Christum *præcipua cœlestis & spiritualis ædificij. Nam (vt apostolus ait) fundati sumus supra fundamentum a- postolorum, & prophetarum: à quibus & septuaginta duo discipuli, & episcopi & prælati omnes, qui sunt loco priscorum patrum, & eorum, qui tanquam primà iacta sunt fundamenta huius sacri ædificij: & consequenter omnes, qui ab eis reguntur. Illi enim fuere primarij lapides fundamenti ciuitatis huius nouæ descendentis de cœlo, & irradiantes stellæ, aut signa firmamẽti, sed melius cœlorum. Qui prius repleti sunt numine filij, & chrismate spiritus sancti, iuxta illud* Dauidici *hymni. Verbo domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum. Postea, quæ suscepere, in alios diffuderunt: vt in alio carmine decantat vates: Cœli enarrant gloriam* Dei, *& opera manuum eius annuntiat firmamẽtum. Et iterum: Annuntiauerunt cœli iustitiam eius, & uiderunt omnes populi gloriam eius. Ecce igitur quomodo utrique cœli, & machinæ huius, & spiritualis ædificij tantum influunt, quãto imbuuntur, & replentur à supercœlesti uirtute: ut de utrisque cœlis decantari posit illud eiusdem diuini vatis. Etenim cœli distillauerunt à facie* Dei Sinai, *à facie* Domini Israël: *Distillauerunt utique pluuiam (idest quemcunque influxum) voluntariam uel spontaneam, quia non necessitate aliqua naturali, sed* Dei *benignitate diffunditur in hæreditatem eius peculiarem, cum ipsius influxus capax fuerit,* Non *enim charismata spiritualia à* Deo *per cœlos, & angelos, omnes suscipiunt: quamuis gaudeant omnes cõmuni beneficio pluuiarum, quas æternus* Pater *descendere iubet super iustos & iniustos: potianturq; corporea luce solis, quem oriri facit super bonos, & malos.*

Paulus. Dauid Idem. Dauid

Quid habeat homo cum sacramentis Cap. VIII.



Vamuis summus moderator simplicissimus unicuique sit, & omnipotens: multoties tamen agit nobiscum, angelis, cœlis, & aliis conuenientibus mediis intercedentibus, quæ cum utroque symbolum habent. Cœli enim qui duodenario, & septenario distribuuntur, ex ternario quaternarióque deductis, per ternarium de diuinitate: per quaternarium uerò de inferiorum rerum natura participant.

Angeli quoque multa cum Deo, *multáque cum homine peregrinante habent communia: ideo sunt mediantes ministri, quousque dabitur ipsi homini ea melior sors, quæ angelico fauore non indigeat.* His *tamen non contentus pientissimus* Pater, *alia constituit media, quibus nobiscum familiarius ageret.* Et *hæc sunt sacramenta, & sacrificia, quæ vtriusque naturam sapiunt, aut diuina illa analogicè repræsentant.* Humanæ *enim sordes diluuntur aqua illa supramundana, quæ* Dei *filius est, &* Dei *sapientia, &* Dei *verbum, quod sustentat, & sanat omnia: & ille quoque qui solus tulit peccata mundi, purgationem peccatorum faciens.* Hinc *in huius ablutionis signum ordinata est aqua hæc elementaris cuius est abluere corporum inquinamenta, & resignare aquam illam, quæ lauat omnes maculas animæ, & spiritus.* Nec *enim poterant fœdamenta hæc dilui, nisi aqua illa, quæ* Dei *pietas, clementia, gratia, & misericordia est: adeo ut etiam* Hebræorum Theologi *confiteri cogantur* Messiam *expurgare hominem debere per aquam, qui in lege ignea expurgabatur per sanguinem, sic exquirente iustitia, quam non omittens, sed perficiens* Christus, *venit (ut inquit* Iohannes*) non in aqua solum, sed in aqua & sanguine.* Et *cum ultra ablutionem, indigeamus quoque corroborari, ordinatum est oleum liniens, & corroborans:* Quod *eam conuenientiam habet cum diuino nomine, à quo est omnis uirtus oblectans, & corroborans, ut nomen ipsum dicatur in* Canticis *oleum effusum.* Habet*que conuenientiam cum sancto spiritu, qui omnia solidat, nectit & linit, ut dicatur chrisma, unctio, & nexus.* Et *sicut olei simul & carnis pinguedo, fercula omnia condit, & in nutrimentum nostrum roborat, sic huius sancti spiritus pinguedo & chrisma, condit omnia opera nostra: ut tanquam bene cõdita fercula, possint in mẽsa summi regis apponi.* Sine *enim gratia ipsius diffusa in cordibus nostris & conspergẽte nos, omnia opera nostra insipida sunt, & nullius nutrimenti.* Ideo *hoc oleo corroborantur infantes, & à nobis recedentes, & quando quis aliis perficitur rex seu sacerdos, aut episcopus cõstituitur,* Et *quia natura omnis creata, continuè deficit, continuo indiget cibo, & alimento, hinc aliud sacramentum instituit, panis uidelicet & uini: quæ symbolum habent maximum cum illo, qui panis uiuus, & uitis uera nuncupatur, datus utique in cibum, & potum nostri melioris hominis nutriendi.* Habent *quoq; panis & uinum eã conuenientiam, & symbolum nobiscum: ut nullum sit nobis accommodatius nutrimentum.* Restat *sacramentum pœnitentiæ, quod exhibetur ꝑ uerbum repræsentans uerbum illud, cuius virtute omnia purgantur, & purgatio peccatorum efficitur.* Quod *uerbum exquiritur etiam in primo sacramento confecto, & uerbo, & elemento:* Et *si matrimoniũ est sacramentum, illud quoq; verbo conficitur.* Habet *igitur homo symbolum maximum cum sacramentis: quæ media sunt inter* Deum *temperantem animas, & hanc temperandam, & cum ipso tandem uniendã.* Habet

Theo. Hebræ.

Ioannes.

Canticis

insuper homo cum eisdem conuentum ex diuina institutione, cum Dei uoluntas non habeat minorem uirtutem, & efficaciam in instituendo de nouo, quàm habuerit à principio, quando legem, & ordinem simul & esse indidit rebus. Ea tamen instituit sacramentalia signa, quæ rebus signatis, & suscipientibus conuenirent. Quod uel leuiter adumbrauimus, suo loco reseruantes declarare, quomodo homo per hæc sacramenta melior fiat.

Quid habeat homo cum sacrificiis. Cap. IX.



NOn solum autem sacramenta, sed sacrificia quoque tanquam media utrisque symbolica ordinata sunt. Habent enim cum eo cui offeruntur, & cum his qui expiantur symbolum quoddam: sed adeò occultum, ut ipsum capere nequeant humana ingenia: quamuis omnes confiteantur sacrificia necessaria: & ipsa esse intermedia quædam quasi naturalia inter Deum & hominem. Sacrificare enim Deo (inquit Aristoteles) est à natura: huius autẽ, uel illius sacrificij oblatio, pro hac uel illa expiatione, quãuis ordine naturali conuenientißima sit, tamen à lege instituta est: cũ humana ingenia nequeant adinuenire, aut excogitare ea, quæ Deus in particulari exquirat pro nostra expiatione secundum ordinem rerum cœlestium cũ ipsis expiandis, & sacrificiis expiantibus, ut placatæ reddantur uirtutes cœlestes: & sese contineant ab executione punitionis, quam merebantur delicta illa perpetrata. Sanguis enim animalium expurgare uidetur peccatum contractum in carne, & sanguine animalis nostri: iuxta illud Apostoli. Omnia penè mundantur in sanguine. Penè (inquit) quia uasa terrea, & ænea mundabantur aqua. Nec enim ab re, homo qui est omnium uinculum, & omnia continet, & symbolum maximum habet in parte inferiori, in qua & per quam contrahitur initiũ peccati, cum animalibus expurgabatur per sanguinẽ animalium immaculatorũ: quousque offerretur agnus immaculatus, supplens uices omnium, quæ offerebantur. Hic enim tanto perfectius omnium peccata tulit, & expurgauit, quanto ipse est celebrius uinculum omnium creaturarum rationabilium, & irrationabilium, atque insensibilium, & cœlestium. Fusus itaque animalium sanguis, suscipiebatur in sancta, simul cum peccatis eorum, pro quibus fundebatur: quousque ueniret ille, qui per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta.

Aristoteles. Paulus.

Quid habeat homo cum uerbis, & orationibus, quæ ipsi suffragantur. Cap. X.



ET quia homo expurgatur, & perficitur, non tãtũ uerbis expressis in sacramentis, sed etiam in hymnis, orationibus, & quomodocunque debitè exprimantur: ideo quid etiam habeat homo cum ipsis uerbis, percurrendum est, Sunt. n. uerba media inter loquẽtem

& audientem, deferentia non tantum conceptum, sed uirtutem loquentis, energia quadam in audientes, & suscipientes. Vndè immutant nedum audientes, sed multoties alia quæque. Nec enim dixisset Christus, in nomine meo dæmonia eÿcient, nisi uirtus quædam esset in nomine illo expresso, super dæmones, & infirmos & huiusmodi. Mouent quoque uerba incantantiũ sapienter, & modis suis. Et hoc, aut ex ui insita uerbis, aut uirtute rerum explicatarum per uerba, quæ tãquã uehicula sunt uirtutis rei expressæ, Sunt insup uerba, (maximè Hebræa) signa quædam, & sacramenta rerum cœlestium: unde habent uim quasi sacramẽtorum: & hoc, aut ex uirtute instituentis, aut ex repræsentatione illa sacrorum, sicut de celebrioribus sacramentis dicitur. Et quia Hebraica uerba, tam diuina, quam cœlestia, & etiam naturalia, expræßius, & mysteriosius repræsentant, ideo iubet Orpheus nõ mutãda esse nomina barbara. i. Hebraica in sacris, si efficaciter operari uolumus. Et ultra efficaciam quam habent uerba, siue ex ui quadam ipsis insita, siue ex diuinis, & sacris, quæ repræsentant, aut undecũque sit, alia quoque reperitur uirtus in orationibus cõplexis, ex ueritate in eis contenta, quæ maximam uim imprimendi, immutandi, ac stabiliẽdi habet, adeo ut exagitata magis splendeat, impugnata magis firmetur, & consolidetur. Quæ ueritas non est in uerbis simplicibus, & incomplexis, sed in enuntiationibus: in quibus aliquid affirmatur, uel negatur. Ex istis igitur orationibus ueris, & sacris, quas mente, sensu uel interiori proferimus, magnam uim comparamus. Id potißimè, quando sunt directæ in Deum, ad quem applicantes, mouent ipsum, ut in nos dirigat uerba eius fauente numine plena, per radium diuinum, quo (teste Dionysio) loquitur nobis: sed adeo occultè, ut pauci percipiant. Percipiebat autem ille qui dixit. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Nunquam igitur redeunt uacuæ orationes Deo oblatæ, & decantati hymni: dummodo non emittamus uerba illa sensu uacua ore tantũmodo, & non corde prolata, in aërem citò resoluenda: sed si dirigamus ea pleno sensu, & efficaci mente in ipsum Deum, sicut dirigitur sagitta extento arcu, à potenti manu.

CHRISTUS.

Orpheus

Diony.

Dauid

De conuenientia omnium rerum cum homine benè cordato, ut poßit in cunctis operari, & omnibus iubere. Tonus quartus.

*E conuenientia quadam occulta rerum inter se, undè altera in alteram mirabiliter operatur.* Caput. I.

Quæ conueniunt inter se multo fœlicius congrediuntur in homine, qui est perfectißimum omnium uinculum, & præ omnibus diuinitate suffultus. Cap. II.

Quod uates efficiatur homo benè cordatus, aliquando multiplici suffragio inferiorum. Cap. III.

Quis & undè efficiatur uerus uates. Cap. IIII.

Apologeticum pro uaticinio. Cap. V.

Omnia ad se deducunt homines bene cordati. Cap. VI.

Homines suo loco positi & concinni, facilè rebus omnibus dominătur. C. VII.

Vnde sit hæc uis dominădi, quomodo perdita, & quomodo restituta. C. VIII.

Varia & mira operandi, atque dominandi conditio. Cap. IX.


Quæ sint naturalia opera, quæ falsa, & quæ uera miracula, & quæ legitima dominandi uis. Cap. X.

Homo bene cordatus exauditur ad uota de quacunque re petierit. Cap. XI.

Solus homo bene cordatus cum Deo uiuit lætus. Cap. XII.

DE CONVENIENTIA QVADAM OCculta rerum inter se, undè altera in alteram mirabiliter operatur. Caput primum.

Trisme.



Xuperantissimus opifex Deus finxit (ut Trismegistus ait) duas sui imagines, mundum uidelicet atq; hominẽ, in quorũ altero luderet, in altero uerò deliciis frueretur. In mũdo nã que ludit miris quibusdã operationibus, non qualitatiua tan tum, aut elementari, uel syderea uirtute: sed ui quadam inge niis hominum occulta, nisi quatenus ipse amicis suis manifestare dignatur. Omnibus etenim notum est, uirtutẽ quandam magneti inesse, qua ferrum attrahat: & electro atq; balagio, ut cõfricatione calefacta paleam deducant. Sed undè, aut quæ sit, adhuc nemo ex his prodidit, qui de rerũ proprietate ingentia uolumina complent. Sic nec undè habeat Aetites, ut fœtum mulierum, & plantarũ superposita corroboret, & supposita trahat. Nec undè iaspis sanguinem comprimat, & Echneis quæ(& remora dicitur) nauẽ sistat. Nec undè corallus appensus aliquid lætitiæ operetur in homine, & uim cõferat hiacynthus optimus comes peragrantium. Nec undè rheu barbarũ (quod Arabes rauend uocant) choleram ab humano corpore expellat: & medicinalia multa humores diuersissimos detrahant, & depellant: atq; huiusmodi multa, de quibus lõgum esset per singula discutere. Animalia quoq; multa uidemus ex ui quadã ipsis insita, præstigiosa, atq; fatidica, Gallus cantu horas solertissimè indicat, & alis apertis leonẽ fugat. Aues etiam cõplures cantu, & garritu, & muscæ acri pũctura pluuiã futuram denũtiant: & Delphines tẽpestatẽ crebris saltibus sup aquã præcurrũt. Et (ut particularia perstringamus) galli gallinacei (ut Cicero scribit) apud Thebaidam canẽdo totis noctibus Bœotiis illam aduersus Lacedæmonios præsagiere uictoriam. Vndè augures interpretati sunt auẽ illam uictã silere, canere autẽ si uicerit. Maximũ quoq; portẽtũ Spartiatis ostendit simia, quam rex Molossorum in deliciis habebat. Hæc enim cum illi à Ioue Dodoneo petiissent de uictoria sciscitantes, legatíque id in quo inierant sortes collocassent, sortes ipsas, & cætera, quæ ad sortem parata erant, disturbauit aliud ab alio disipans. Tum ea, quæ præposita erat oraculo, sacerdos dixisse fertur: De salute esse Lacedæmoniis non de uictoria cogitandum. Chamæleontis iecur (ut Democritus attestatur) summis tegulis exustum imbres & tonitrua excitat. Ligurus (ut comprobatum est) præstigiosa uelamina ab oculis aufert. Longum esset retexere omnia præsagia, quæ ex auibus didicere Phrygij, Pysidæ, Cilices, Arabes, Vmbri, Tusci, & alij populi, qui auguria secuti sunt. Et quamuis eos Panætius & Carneades irrideant, cum sæpenumero fallãt hæc auspicia: quos seqtur Cicero post multa exẽpla adducta de diuinatione per aues, & animaliũ exta. Id tamẽ sæpius comprobatũ fuit: Et quod plus

(Margin notes: Cicero; Augures; Democ.; Panę. Carne.)

est, aliquas aues à dextera uaticinari, ut coruus: aliquas à sinistra, ut cornix. Insuper & inanimata aliqua prognosticari uisa sunt. Nonne obscurata astra, & aër, atque terra mota, & lapides scissi, tristitiam quandam prætulere in morte Christi omnium rerum Domini? Quod etiam aliâs factũ legimus in morte quorundam regum. Sol enim multimodè præsagit: aliquãdo enim luxisse uisus est, utpote Cæsaris casum, ut Poëta scribit. Sol tibi signa dabit, solem quis dicere falsum Audeat? Ille etiam cæcos instare tumulus Sæpe monet, fraudem, & operta tumescere bella. Ille etiam extincto miseratus Cæsare Romam, Cum caput obscura nitidum ferrugine texit. Et de inferioribus elementis alius uates decantat dicens. Atque etiam uentos præmonstrat sæpe futuros Inflatum mare, cum subitò, penitusq; tumescit, Saxáque curua salis niueo spumata liquore &c. quæ ibi dicuntur. Strages quoq; multas Romanorum prænũtiauit fluuius tinctus sanguine, imberque lapidũ, sanguinis, interdum etiam lactis, ut Cicero testatur. Belláque & perniciosas seditiones præcessit maxima terræ motuum cõflictatio. Et his temporibus expugnationem Bizantij terræ motus indicauit: nouissimè autẽ Venetis bellum, Bononiensibus stragem, multisque regionibus horrendos casus. Summa quoque Veritas terrificum diem uniuersalis examinis prænuntiandum testatur à terræ motibus magnis, qui erũt per loca, simul & ab aliis insuetis, mirisque portentis: undè comprobatur terræ motus educi, sicut & uenti de thesauris Dei. Sed isti sæpius ad utilitatem hominum, illi autem ad eos cõmonendos de malis euentibus, ut rectè sentit Pythagoras: quamuis plærique philosophãtes dicant eos procedere à causa naturali. Sed cum hæc non sit, ipsam adinuenire nequeunt. Vndè per multa uagati sunt. Anaxagoras enim terræ motus causam ætherem dixit: Empedocles ignem: Democritus & Thales Milesius aquam: Aristoteles, Theophrastus, & Albertus uentũ, uel uaporem subterraneum: Asclepiades casum, uel ruinam: Sic Possidonius, Metrodorus, Callisthenes, Parcas, Seneca, & alij in diuersa distracti, nunquam adinuenerũt causam illius effectus: qui est à summo Moderatore, aut ĩmediato iussu, uel p iussos ministros, siue ui quadam rebus infusa, & in effectum pro libito explicanda, ad strages prænũtiandas, quæ cõmuniter terræ motum subsequuntur: ut etiam Aristoteles fatetur in Meteoris. Est etiam uis ista præsaga aliis rebus insita. Nam bellum Marsicum præuentum fuit sudore, & sanguine simulachrorum, & uocibus. Agri autẽ Priuernatis labes, præcessit fremitus auditus de cœlo, & animaduersi globi, Lunæ tres, & faces in nocte uisæ. Ierosolymæ cladem præiuere gladij furentes in cœlo, strepitus portarum templi nullo uiso mouente, & multa alia prodigia. Et nostra hac tempestate in agro Mutinensi ante ciuitatis ipsius nouissimam deditionem & ante bella in regione illa peracta uisi fuerunt à quamplurimis fide dignis globi inter se certantes. Non equidem uolumine immenso exempla complecterer si omnia adducantur, quæ præsensione quadam multos euentus præuenerunt: sed hæc pauca dicta sint: ut intelligatur rerum conuctus: & mutua in

Virgilius

Cicero.

CHRISTVS.

Pythag.

Quæ sit causa terræ motus

Aristot.

alterutrum dispositio, & operatio per rerum cōcentum, quem Graeci sympathiā uocāt: & inde discantur haec omnia perfectiore modo esse in homine, qui est omnium uinculum, & omnia complectitur.

Quae conueniunt inter se, multo foelicius congrediuntur in homine, qui est perfectissimum omnium uinculum, & prae omnibus diuinitate suffultus. Cap. II.



X mutua correspondentia rerum (ut explicauimus) alterā in alteram mirabili quadam, & occulta uirtute operatur. Ideò non mirum si homo cū habeat omnium & simulachrum, & symbolū, in omnibus operari posit. Quod quidem efficit, dūmodo suo debito temperamento gaudeat: & sibiipsi praesideat: ut meritò dominari inter caetera posit. Nā homini sibiipsi bene praesidenti adest, & inest Deus omnia operans: ut non modo Paulus, & nostrae literae, sed externi sapientes asserunt. Id enim docet Plato in Ione: & in Parmenide: Mercurius in Pymādro, & Xistus Pythagoricus, qui dicit hominem Dei templum, Deum autem hospitem. Quod & Poëta bis decantat carminibus. Est Deus in nobis, sunt & commercia coeli: Sedibus aethereis spiritus ille uenit. Ipse nanque Deus in animas sanctas se trāsfert: prophetas, & amicos suos constituit potentes in opere, & sermone. Quod persentiens Paulus aiebat. Omnia possum in eò, qui me cōfortat. Deus enim est animus nobis, tota uirtus, sine qua (ut ipsemet perhibet) nihil facere possumus. Quod & Aristoteles fatetur in Meteoris: & in fine Ethicorum, dicens nullam esse uirtutem, siue naturalem, siue moralem, nisi per Deum. Et in secretioribus dogmatibus astruit intellectum bonum, & sanum posse in naturae secreta: dūmodo adsit diuinae uirtutis influentia, aliàs nequaquā. Quā influentiam tāto copiosius suscipimus, quāto magis absoluimur ab impedimētis aggrauātis carnis, & terrenarū occupationū, atq; ambitionis, & animi in proximū, uel in quācūq; rem indebitè agitati: ut nō modo habemus ex nostris dogmatibus, sed etiam Mercur. & Cicero attestantur. Hic enim in suo de Diuinatione ait. Nec aliquando animus hominis diuinat, nisi cum ita solutus est, ut ei planè nihil sit cū corpore, aut parū. Ille autē ad Tatiū inquit: Despiciant utiq;, cū corpora, tū etiam corporea omnia: & ad unū solū ferantur: si mentē, atq; Deū consequi uoluerint. Impossibile est enim ô fili utrisq; simul intēdere, mortalibus, atq; diuinis. Quanto nanq; magis animalem uitam relinquimus & humanam: tanto magis uiuimus angelos, aut Deum: Quibus coniuncti, & in propriam atq; meliorem sortem restituti, in omnia possumus, omnibus dominantes. Et hic est honor, in quo cum esset homo antè peccatum, non intellexit: sed concupiscentiae obsequens, similis effectus est iumentis insipientibus: & ex domino (ut Trismegistus ait) seruus miserrimus euasit. Iterū itaque subuectus per uirtutem, & per sui ipsius uictoriā ad pristinam dignitatē restitutus, illud sibi dominiū comparat, de quo scriptum est.

Paulus

Plato.

Mercur.

Xistus.

Paulus

Aristote.

Mercur.

Cicero.

Trisme.

Omnia subiecisti sub pedibus eius. Hoc autem dominium acquirẽdum est eo ordine, quo ab initio statuit summus moderator dicens. Fructificate, & multiplicate, & replete terram, & summittite eam, & dominamini. Fructificate uidelicet in operibus bonis, multoque fructu abundetis: ut replere possitis etiam terreum corpus, per redundantiam quandam, deducendo uidelicet hominem animalem in seruitutem, & quoad possit in naturã spiritus: & tunc dominabimini piscibus maris, uolucribus cœli, & bestiis terræ: quæ quidem cum tria elementa inhabitent, cætera quoque hominis ditioni subiecta testantur. Sed ut altius conscendamus, per uolucres cœlorum, omnes hospites intelligi possunt: per pisces, & bestias terræ, omnes aqueæ & terreæ uirtutes: sub quibus etiam infernæ continentur. Retento itaque Deo, & eius gratia in nobis seruata, & bonis operibus replendo totum hominem diuinitate, restitutique in pristinum, & in nobis constitutum gradum, omnium rerum facilè adipiscemur dominium: Sed ad particularia deueniamus. Psalm. Genesi.

Quòd uates efficiatur homo bene cordatus aliquando multiplici suffragio inferiorum. Cap. III.



Efficitur multoties homo sibi ipsi præsidens, consors diuinæ mentis ut futura prognosticetur: quod propriũ Dei est iuxta illud Isaiæ: Annuntiate nobis quæ uentura sunt, & dicemus, quia dij estis uos. Cui Petrus adstipulatur dicens. Non enim uoluntate humana allata est aliquãdo prophetia: sed spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. Fatentur hoc & Stoici, quos sequitur Cicero primo de Diuinatione dicens. Præsensionem futurorum tantummodo Diis competere: quia nõ est de futuris contingentibus aliqua determinata ueritas, puro uidelicet mortalium iudicio: quibus consentiens Ptolemæus inquit in Fructu. Soli numine afflati prædicunt particularia. Fuisse autẽ multos uates, & multas ueras præsensiones (ut nostros omittamus) testatur Cratippus, qui summis Peripateticis Cicerone teste par habitus est. Testatur & Zeno, & multi qui ab eo profecti sunt cum ueteri academia. Sed ante eos Pythagoras, hos etiam secuti Stoici itidem asserunt. Calanus enim Indus Alexandri mortem, & Magi Asiatici ipsum Alexandrum natum Asiæ perniciem prædixerunt. Socrates diuinatus est mortem imminere Critoni in tertiam lucem, Sacerdos Diotima, fatidica mulier pestem prædixit. Anaximander Lacedæmoniis terræ motum annuntiauit instantem: & ut urbem & tecta relinquerent admonuit. Quæ tota corruit, & è monte Taygeto extrema pars quasi puppis euulsa est. Epimenides Cretensis uir diuinus, decem annos ante bellum Persicum oraculo monitus peruenit Athenas: & sacrificia quædam oraculo edita fecit: Atheniensibusque formidantibus Persicã classem, prædixit decennio Persas non uenturos, & postquã uenerint infecta re discessuros. Quid referã uaticinia Cassandræ, Heleni, Chalcantis, Amphia-

Isaias. Petrus. Stoici Cicero Ptolem. Zeno. Pythag. Quorundã præsagia Epimel Vates diuersi.

rai, Tiresiæ, Mopsi, Amphilochi, Polybij Corinthi, Druidum Gallorum, Magorum Persarum, Chaldæorum, atque Memphiticorũ uates, Sybillarũ, & aliorũ oracula repetere uolumẽ nequaquam posset quorum aliquos audiui, & cõprobaui uera prædixisse. Sed ab innumerabiliũ memoria abstinentes, undè ueniat hæc præsensio, uideamus. Est enim quoddã diuinandi genus, quod arte & experientia fit in uariis rebus agendis. In republica Atheniensi orientem tyrannidem Solon multò antè prospexit, & de Cæsare Cato præsaga mente dicebat: Cauete à puero malè præcincto. Et huiusmodi innumerabilia possent adduci exempla. In domesticis quoque rebus, & naturales euentus sapientes multi uaticinati sunt. Pherecides Pythagoræ magister cum uidisset haustam aquam de iugi puteo, terræ motũ uenturũ prædixit. Thales Milesius, ut obiurgatores cõuinceret, & quid philosophus facere posset, ostenderet, omnem oleam, anteq̃ floresceret, in agro Milesio coëmit, animaduertẽs docta naturæ coniectura olei ubertatem fore. Quod euenit, reportauitque commodum pecuniæ, non pecuniæ gratia, sed in obiurgatorum inuidiam. Multa medici, agricolæ & nautæ, unusquisque sua arte, & probabilibus signis præsentiunt, quæ tanquam omnibus notissima posthabemus. Et quia præsentienda non modica ueniunt ab his, qui præsunt: quæ prudentia, & arte præuideri nequeunt: ideo uates, aut Deum consulere antiquis quamplurimis gentilibus, Barbaris, Græcis & Romanis, sed potissimè Hebræis cura diligentissima fuit. Athenienses semper publicis consiliis diuinos quosdam sacerdotes (quos Mantes appellabant) adhibuerunt. Lacedæmonij regibus suis augurem assessorem dederunt, & publico interesse consilio uoluere. Iidem de rebus maioribus semper aut Delphicum oraculum, aut Ammonẽ, aut Dodonam consulebant. Romani in arduis rebus senatus, decem uiros ad libros sybillinos ire iubebant. Hebræorum reges, uates ipsorum, qui uigebant quamplurimi semper adhibere consueuerant: & si ipsi uates erant, Deum ipsum immediatè consulebant: ut de Dauid sæpius legimus. Sed ij diuini multigeni fuere. Erant enim Astronomi, qui diuinabant per cœlorum aspectus: Augures, qui aues influxu aut cœlorum, aut eorum, qui ipsis præsident deductas obseruabãt. Aruspices uel extipices, qui perspectis extis futura prædicebant. Pyromantici qui per ignem, Hydromantici per aquam. Geomantici punctis, uel casu primo proiectis, uel ui quadam brachio, aut manu deducta, ut antiqui facere consueuerant, ex quibus figuras cœlestes arte componebant, per quas diuinarent. Necromantici uerò (qui & Magi uulgò dicuntur) immundas intelligentias aduocabant, à quibus rerum euentus sciscitarentur. Sed ij bifariam processerunt. Alij enim nefandissimi (& hac tempestate) immundis intelligentiis se summittentes sacrificant, duplicis immanissimi sceleris rei: quoniam idololatriam cõmittunt: & quia uilissimis se uiliores exhibẽt: nobilem, & excellentem naturam ipsorum pessundantes. Alij autem uirtute quadam, maximè diuinorum nominum, ipsos aduocant, & cogunt, ut indicent quæ à secretis, superiorum moderatorum suscepe

Solon. Cato. Phere. Thales. Athen. Laced. Roma. Hebræi. Dauid. Aruspic. Pyromã. Hydro. Geomã. Necrom.

rint. Sed utrique pluries falluntur, quia nihil sciunt dæmones de futuris euentibus, quæ à summo moderatore disponuntur: nisi quatenus proclamatum, & diuulgatum est in cœlesti, imò extra cœlestem curiam, antequã res effectui demãdentur. Et ab his quoque aliquando mouentur aues, & exta animalium, aqua, ignis, manus ad puncta conducenda, & huiusmodi. Aliquando etiam spiritus humanus ab ipsis malis spiritibus exagitatur. Et ij omnes, aut per astra ab angelis circũuoluta, aut per inferiora instrumenta ab immundis deducta spiritibus diuinant. Sunt etiam qui naturam ducem sequentes, ex hominum lineamentis prognosticentur. Qui enim ex signis, quæ Deus (authore Iob) posuit in manibus hominum, ut inde noscat unusquisque opera sua, auspicantur, Chiromantici dicũtur. Qui autem ex faciei filo, & colore diiudicant Physiognomi nuncupantur. In manibus enim & facie hominum quasi in libro quodam legunt nonnulli, sagacissimo ingenio, & docta experientia præditi euentus mores, & gesta ipsorũ. Sed in fronte secretiores Theologi legere profitẽtur omnia hominũ initia, progressus, & fines. Quod & si est, paucissimis tamen inuenitur concessum. Ideo multitudini, & plebi dixit Christus. Nolite iudicare secundum faciẽ. Multi sunt alij diuinandi modi, per inferiores causas, uel signa: sed omnes reducuntur ad descripta primaria genera. His autem omissis: qui sint ueri uates uideamus.

Iob. Chirom. Physio. CHRISTVS.

Quis & undè efficiatur uerus uates. Cap. IIII.



EST uaticinium profectò legitimum & uerum semper (ut diximus) à Deo, & superorum fauore procedens, & hoc multigenũ. Aliquando enim efficitur per somnium: Aliquoties per eam uisionem, quæ est inter somnum & uigiliam: Et aliquando furore, & spiritus agitatione. Qui omnes modi cóueniũt in uno genere diuinandi, quod Hebræi בת קול bat chol, id est filiam uocis nuncupant, quam nos echo dicimus, id est reflexionem uocis. Sunt enim hæc quædam reflexiones diuinæ, & prophetícæ uocis. Diuinant autem alij per claram uisionem, quam habet depurata mẽs. Alij uerò quatenus suscipiunt à uiua, & uera uoce. Quæ omnia genera in sacris eloquiis expressa conspicimus. De somnio enim inquit Matthæus. Apparuit angelus Domini in somnis Ioseph, indicans uidelicet quid de coniuge, & de puero sibi faciendum erat. Somnium quoque uidit Pharao, & Nabucdonosor: Ille autem de ciborum opulentia, & penuria imminenti: hic uerò de mysteriosissima regnorum successione: Et ille Ioseph, hic autem Danielem habuit suarum uisionum ueridicum interpretem, nequaquam digni, ut cognoscerent mysteria, quæ ipsis regio stemmate decoratis ostensa erant. De quo etiam somno Iob loquitur dicens: In horrore uisionis nocturnæ, aut uisionum noctis, quando cadit sopor super homines, terror uocauit me: & cætera quæ sequuntur, quibus docet qualis sit uisio somni. De ea autem quæ inter somnum & uigiliam occurrit uisione, nec sopitis nec occupati sensibus loquitur Ambrosius, dicens de seipso. Cum Domi-

Hebræi. Matth. Ioseph. Pharao. Nabuc. Iob.

nus dedisset mihi, ut ieiunantium & orantium participem me faceret, ita me som nus aggressus est: ut nec uigilans apertè, nec dormiens integrè uiderer: apertis ta men oculis uidi duos iuuenes ephebos, uestibus candidißimis, id est collobio, & pallio indutos. Hi enim Geruasius & Prothasius *erant, paßi pro Christi nomi*

Lucia. *ne, ut longa serie prosequitur. Idem contigit Luciano presbytero quando appa ruit ei Gamaliel indicans de corpore suo, filiorum, & beati Stephani proto-martyris. Et quamuis legatur in hac, quam habemus præ manibus exaratione, ipsum plenè tunc uigilasse, id uitio scriptorum euenisse opinor: cum ordo uisio-nis sic exquirat, ut existenti in lecto uisio occurrat, aut dormienti, aut non plenè uigilanti. Si autem id alicui contingit in plena uigilia existenti, hoc fit aut in o-ratione, aut aliqua meliori dispositione, quam quiescenti in lecto, soporíque sta-tim cessuro. Vaticinium autem per furorem, & gentilibus, & diuinis nostris ua*

Democ. *tibus contigisse legimus. Democritus asserit nonnullos furore decantasse ea, quæ nec eorum natura, nec ars docuerat. Nec quidem aliquos magno opinaba-*

Plato *tur ingenio præditos, nisi qui furore quodam perciti erant. Meminit Plato de*

Tymnic. *Tymnico Chalcidio, qui nullum poëma memoria dignum composuerat: sed ali-quando furore quodam arreptus, hymnum quendam in Apollinem omnium pul cherrimum confinxit: ut diuinum, potius quàm humanum opus fuisse cõiiciatur. Et in Phædro docet, poëticas fores frustra absque furore pulsari. Quem furo-rem Græci Mantiam uocant à Mantone Mantuæ conditricē: quamuis Mantia pro omni genere inferioris diuinationis sæpius accipiatur. Ipsum autem furorē diffiniens ait. Furor est abstractio, alienatio, & nexus: Abstractio quippe, & alienatio ab umbris istis, & imaginibus: quibus corporei excitantur, & sæpius decipiũtur sensus. Nexus quoniam ab animali homine alieni, numinibusq; adhæ rentes, multa ab eis suscipiunt, quæ ingenio & uiribus uenari nequeunt. Vndè*

Dicear. *Dicearchus Peripateticus cum de diuinatione tractaret, somnium & furorem*

Aristote. *comprobat. Nec Aristoteles dissentit, ut ex problematibus colligimus. Omittam plærosque philosophos, & poëtas, qui de huiusmodi multoties docuerunt: & ue-niemus ad sacra eloquia, quæ etiam de furore sub nomine spiritus pertractant:*

Primus Regum *ut illud, de quo in primo uolumine Regum legitur. Et insiluit spiritus Domini in*

Saul *Saul, & prophetauit in medio eorum, & mutatus in uirum alterum annumera tus est inter prophetas, mirante & acclamante populo. Num & Saul inter pro-phetas? Hæc autem mutatio à spiritu Domini fuit eum arripiente, qui est uerus furor arripiens aliquando hominem, etiam peccatis obnoxium, legitima interce-*

Ioan. *dente causa: ut de Caipha inquit Euangelista: Et prophetauit, cum esset pon-tifex anni illius. Sic multi poëtæ, aut studij amore, aut uirtute aliqua referti, uel bona aliqua ratione Deò cognita, furore repleti aliquãdo occulta prodiderũt,*

Cicero *& aliquãdo uaticinati sunt. De quo furore, & somno meminit Cicero in libro de diuinatione dicens. Est aliud diuinandi genus in his, qui non ratione, aut con-iectura aliqua obseruatis ac notatis signis: sed concitatione quadam animi, aut*

soluto liberoque motu futura præsentium. Quod & somniantibus sæpius contingit, & nonnunquam uaticinantibus per furorem: ut Bacchus Bœotiis, & Epimenides Cois, & Sibylla Erythrea Troianis. Sed fallitur Cicero de Sybilla, quia ipsius diuinandi genus: nec cum somnio, nec cum furore conuenit. Est enim influxus quidam particularis in eis: de quo in præsenti fari non licet. Sequitur Cicero: Inest nanque animi præsagatio extrinsecus iniecta, atque inclusa diuinitus. Ea si exarsit acrius, furor appellatur, cum à corpore abstractus animus, diuino furore concitatur, ut Democritus & Plato asserunt. Quem furorem sequitur excessus quidam mentis, & extasis, ut de Plotino scribit Porphyrius: Qui sæpe soluebatur à corpore, uultumque mutabat, undè tunc mira quædam inueniebat, quæ scriberet: quibus miraculis se quater interfuisse asserit Porphyrius. Seipsum uerò, cum ageret octauum & sexagesimum ætatis annũ à numine correptum semel inter contemplandum affirmat. Sed antè hos multis annis idem fecisse Heraclitum, & Democritum legimus: qui eam ob causam solitudine delectabantur. Quorum alter uehementia studij subtristis: Alter uerò super omnia inferiora euectus, ridebat de singulis: undè ab Abderitis (ut Hippocrates scribit) fatuus iudicabatur. Qua extatica delectatione correpti Pythagoras, & Zoroastres, prior decem, alter autem uiginti annis latuit. Harmonij Clazomenij anima euagari solita erat relicto corpore (ut aiebat) non tamen relicta à corpore, ut rei ueritas est. Meminit etiam Rabbi Semtoph benfalchiera Aristotelẽ testari in libro de Bdelio, suam propriam animam sensibilibus excussis subuectã ad contemplationem rerum altissimarum. Legimus etiam Diomedem Syracusanum geometricis figuris intentum, tumultuosum excidium pereuntis patriæ, & imminentem super caput hostem non sensisse. Quod contingit aut nimia intentio Speculantis, aut ob strenuas hominis uirtutes, ut de Cornelio sacerdote castissimo scripsit Aulus Gelius, qui Patauij, eo tempore quo Cæsar & Pompeius in Thessalia confligebant mente subuectus, tempus, ordinem, & exitum pugnæ prospexit. Socrates (ut Plato scribit) à solis ortu usque ad solem alterum orientem, sine cibo, sinéque sensu, & corporis motu, ore & oculis in eundem locum directis, cogitabundus, abstractus, à corpore stabat. Plato cum frequenter contemplationis intentione longè secessisset à corpore, tandem in eadem ipsa abstractione, à corporeis uinculis omnino discessit. Eius discipulus Xenocrates singulis diebus per integram horam abstrahebatur à corpore. Et quod philosophis contingebat ui intensissimæ speculationis, multo fœlicius effecerunt uiri & muliéres euangelici uirtute Sancti spiritus, in eorum multis copiosissimè diffusi, & eo amplius, quo magis expiati adinueniebantur. Franciscus (ut à nostris exordiar) suspendebatur multoties tanto mentis excessu, ut extra semetipsum raptus, & ultra humanum sensum aliquid sentiens, quid circa se ageretur exterius, omnino nesciret. Per burgum enim sancti sepulchri transiens, adeò in seipsum erat collectus, imò Deo coniunctus, ut nec locum uiderit, nec multa quæ circa eũ ex-

Bacchus. Epimen. Sibylla. Cicero. Democr. Plato. Plotinus. Porphy. Heracli. Democr. Hippoc. Pythag. Zoroa. Harmo. Semtoph. Aristote. Diomed. Cornel. Aul. Ge. Socrates. Plato. Idem. Xenoc. Franci.

Augusti. bibuere Burgenses illi, cognouerit. Augustinus cum meditationi intenderet, mulierem quæ ipsum adierat consultura dum loqueretur, non sensit. Vndè inconsulta abiit, antistiti aliquantulum indignata, credens se à tanto uiro contemptã. Sed postera die suscipiens benignum responsum, non neglectam sed non animaduersam se fuisse cognouit. Thomas aquinâs (ut fertur) sublimioribus intentus, mente simul cum corpore à terra per cubitum eleuari uisus est. Maria Magdalena à bono magistro instructa & suffulta, in solitudine Massiliensi degens, statis horis angelorum ministerio in sublime attolli solebat. Quã secuta illa Maria Aegyptiaca, à pristina mollitie eremi asperitate expurgata, inter precandum cubitali altitudine sublimis à terra pendere uisa est. Clara Assisiâs à cœna Domini iacens usque ad resurrectionis diem, crucis trophæum altius contemplans, dũ reuersa est, uisa sibi fuit nec horam quidem acquieuisse. Quod comprobaui in altera, nomine & uita consimili, quæ assumpto sacramento in crepusculo eiusdem quintæ feriæ, genibus innixa stetit immobilis usque ad diem Dominicũ: quo ueluti cũ Christo resurgens, multa mihi enarrauit, quæ uiderat. Innumera huiusmodi adducere possemus exempla, & Pauli & posterorum usque ad hæc nostra tempora, quos aut uidi, aut digna relatione cognoui, à furore, imò à sancto numine arreptos, eò deductos, quo mens humana suis innixa uiribus pertingere nequit. Sed ad aliud diuinandi genus ueniamus, quod fit per claram uisionem.

Thomas. Maria. Magdal. Maria. Aegypt. Clara. Paulus.

Vbi homo (ut Proculus ait) ueritatem epulatus, in puro uiuit splendore, secundũ perfecta undique, stabiliáq; & syncera iniatus phantasmata, nõ utique hæc extracta à sensibus, sed meliora illa sacramenta, quæ prophetæ in archetypo prospiciebant, prius tamen expurgati per sacrificia, & aliquo peculiari Dei munere, interuenientibus etiam uirtutibus, quas Plotinus accommodato nomine purgatorias uocat. Quibus docet, ut nosipsos radamus, perpoliamus, & abstergamus, quousque unusquisque seipsum in statuam speciosam formauerit. Statuam (inquam) & imaginem, qua perfectè perfectissimum Opificem referamus. Efficiatur enim (inquit) unusquisque pulcher atque Deiformis, si modo sit diuinam pulchritudinem inspecturus. Oportet nanque uidentem uiso similẽ fieri. Et multa prosequitur, quæ omnia unico uerbo summa Veritas complectitur dicens. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt. In quo Deo omnia uidentur, omnia cognoscuntur, plus minúsue, prout uisio illa idoneam uidentis dispositionẽ exquirit. Et isti sunt ueri uates, qui ea quæ prædicunt in speculo illius æternæ lucis uidentes addiscunt. Hinc scriptura de more, oracula à prophetis ædita uisiones uocat, dum ait. Visio Isaiæ, Ieremiæ, Ezechielis, uel cæterorum uatum, & ipsi prophetæ uidentes dicebantur. Sed cum Mosi præ cæteris expositum fuerit lucis plenissimum speculum, adeò ut facie ad faciem cum Deo loqui diceretur, ideo scriptura sacra ipsum cæteris prophetis anteponit: ut habemus in uerbis illis, quæ Iosue (iubente Domino) addidit in calcè Deuteronomij dicens: Et non surrexit propheta in Israël sicut Moses, quem nosceret Dominus facie ad

Proculus. Plotini. CHRISTVS. Moses. Iosue.

faciem in omnibus signis, atque portentis, quæ misit per eum facienda in terra Ægypti, Pharaoni, & omnibus seruis eius, & coram uniuerso Israël. Est ultimum uaticinij genus, quod per articulatam uocem & expressam efficitur, omnium excellentissimum. Hinc Ioannes, qui uox dictus fuit, etiam plusquam propheta à summa Veritate esse perbibetur. Hæc enim uox primo legitur delata fuisse Abrabæ ab angelo de cœlo clamante, Abrabam Abrabam. Qua uoce, & filij liberatio, & benedictio, quæ per semen eius effusa fuit in totum genus humanum, denuntiata est. Ad Mosem quoque pascentem gregē in monte Sina, uox illa diuina intonuit dicens: Mose Mose: cui uocato statim credidit negotium liberandi populum de Aegypto: & legis publicandæ, & scripturæ committendæ. Vox insuper ad Samuelem facta est bis uocans, & dicens: Samuel Samuel, cōstituens eum sacerdotem, atque directorem & ducē Israëlitici populi. Nec prætereundum censeo sacramētum, cur semper uox bis nominatim quospiam inclamauerit. Id enim factum fuisse sapientes autumant, quia uox semper ad subliomorem gradum euebit eum, qui uocatur: Innuit igitur bina uox, & gradum in quo erat, & gradum ad quem uocatus conscendit. Ad hoc itaque deueniūt expurgati, & bene cordati uiri, ut spiritus Dei & sancti numinis sæpius participes effecti uaticinentur, occulta dignoscant, & futura prædicant, quod solius Dei est, & eorum, quibus Deus se cōmunicare, ac familiarem præbere statuit. Quod minimè præstat, nisi bene expiatis & compositis uiris.

Ioan. Abrahā. Moses. Samuel

Apologeticum pro uaticinio. Cap. V.

ET quamuis omnibus pateat fuisse uates, & uaticinia multa: nihilominus non desunt, qui ea impugnare conētur: hinc rationes eorū breuiter dissoluendas opportunum diiudico. Dicunt enim (ut colligit Cicero secundo de Diuinatione) Cuius est diuinatio fortuitarum, an fatalium rerum? Fortuitarum non, quia earum rerum quæ nihil habēt rationis, quare futuræ sint, nō potest esse præsensio. Sed quid est casus, quid fortuitus euentus, nisi cum sic aliquid cecidit, sic euenit, ut uel non cadere uel aliter cadere potuerit? Quomodo igitur quod temere fit, cæco casu, & uolubilitate fortunæ euenit, præsentiri & prædici potest? Nec rerum fataliū est diuinatio: quia cum necessariò eueniant, nihil prodest imò cruciat earum præsensio, si malus euentus futurus sit. Nec præcaueri possunt ea, quæ fatalia sunt. Nec dicatur quidem, omnia leuius casura rebus diuinis procuratis, quia (ut dicunt) cum nihil sit extra fatum, nihil re diuina leuari potest. Concludunt itaque. Si præuideri nihil potest futurum esse eorum quæ casu fiunt, quia esse certa nō possunt, diuinatio nulla erit. Si autem idcirco possunt præuideri, quia certa sunt, & fatalia: diuinatio nihil proderit. Addunt Chrysippus, Diogenes, & Antipater: Si Dij sunt quorū auspicio (ut dicitur) fit diuinatio, cur ipsi apertè nō explicāt, quæ futura sunt præcauenda, aut amplexanda? id maximè cum dicantur gene-

Cicero. Chrysip. Dioge. Antipa.

ri hominum benefici, & amici: nisi existiment nihil interesse hominum scire, aut ignorare quod futurum sit, Et cur tot & tanta hominibus occultant, ut ea quæ sciunt, aut præuident, nihil sint in comparatione eorum quæ latent? Hinc conclu dere uidentur, quod Dij nihil reuelant, sed si aliqua præsentiuntur, id fit ingenio, arte, uel casu. Inuehunt quoque aliqui in signa, quæ à cœlo dari uidentur, hac potißimè freti ratione, quòd uenti, fulmina, tonitrua, stellæ comatæ terræ motus, uapores uisi decertare in aëre, & huiusmodi, naturalia sunt, & non prognosticationes. Cuius rei signum comprobatiuum est fulmen in medium mare proiectum, aut aliò frustra demissum, & quoniam nõ semper comatas stellas, & terræ motus sequuntur hi, qui dicuntur eorum euentus, & multa prosequentes contra diuinationem maiorem in modum machinantur, quæ quidem ex se funditus corruunt. Nihilominus ad ea quæ adducta sunt, respondebimus. Est enim

Cicero. (ut ad Ciceronem, & eos qui ipsum sequuntur, me uertam) rerum fortuitarum & fatalium diuinatio. Et quãuis fortuita nihil uideantur habere rationis, id tamen est in his, quibus hæc eueniunt. Nam in summo moderatore à quo eueniũt,

Aristo. absque ratione non sunt. Omnia enim fortuita à Deo sua disponuntur ratione. Nos autem (ut bene sentit Aristoteles in de bona & mala fortuna) cum non uideamus earum rerum causam, quæ est Deus, attribuimus fortunæ, idest causæ ignotæ. Non igitur eueniunt hæc præter intentionem summi moderantis, ueluti ferrum securis in aquam cadit præter intentionem ligna incidentis. Visa enim

Saul. fuit à casu sors cecidisse super Saul, quando electus fuit in regẽ, is tamen à Domino fuerat Samueli indicatus rex: & ab eo qui indicauerat dispositæ fuere sortes, ut caderent super Saul, quæ non intelligentibus ipsius Dei dispositionem, à casu cecidisse uisæ sunt, Sic in multis contingit, ut iudicentur fortuita, quæ à diuino decreto summa ratione procedunt. Et hæc in Deo prouisiones diuinæ dicuntur: quæ si per cœlos disponuntur, fatalium nomen assumunt: in his autem quibus occurrunt fortuiti iudicantur euẽtus. Et horum uaticinia sæpius præmittuntur, ut cognoscant mortales quoniam huiusmodi à Deo præuidentur & destinantur: undè sese disponant ad ipsos influxus benè suscipiendos, & grati sint tribuenti. Aliquando uerò ea serie disponuntur res, ut euentus illarum sint in dispositione recipientis, sicuti est gratia benè operãtis, & fauor multiplex. Quæ etiam sub conditione promittuntur, ut sæpius in scriptura sacra summus moderator repetit dicens. Si audieritis me, si hæc, uel illa feceritis, munificus ero remunerator. Et quamuis cognoscat summus moderator quid homo facturus sit, non tamen in præteritum transit uisio: ut ex illa iam habita & decursa, res infallibili euentu succedat. Quomodo autem idem contingens euentus, in Deo sit infallibilis prouidentia, & in cœlis fatum (sicuti Plato benè sentit) id penitus dif

Plato. ficillimorum est. Et quamuis hæc uideamus, & cõprobemus, quomodo tamẽ cõueniant, adhuc declarauit nemo. Aliquod tamen exemplum præbere possumus, quo ad huiusce rei explicatum perducamur. Currit fluuius Dei iussu sempi-

terno, & indefectibili lapsu transit per uarias regiones in omnium incolarum beneficium: Suscipere curat aliquis aquæ profluuium, admittendo quantum ei sufficiat ad irrigandos agros, Alius munitis aggeribus nihil aquæ admittit in beneficium, aut maleficium. Alius uerò sua ignauia nullis extructis aggeribus, tota permittit prædia suffocari, & sata omnia opprimi. Est itaque fluuii cursus á Dei prouidentia, & inuariabili iussu, uel à cœlorum ordine, siue fato: beneficium autem, uel maleficium est contingens, pro industria, uel ignauia suscipientis. Si autem de inundatione illa uaticinaretur quispiam, forsitan incolarum aliquis melius munisset aggera ad maleficium euitandum, & alius se disposuisset ad copiosius beneficium suscipiendum. Ecce igitur quomodo releuantur ea quæ fatalia sunt, sed (ut more nostro loquamur) ea quæ ab infallibili Dei prouideutia deueniunt. Ad Chrysippum uerò, & collegas dicemus. Deos idest angelos summi moderatoris iussu aliqua nobis reuelare, ut & Principis decus, & nostra merita exigunt. Et ex his oraculo declaratis, alia pleraque consimilia uenari possumus, quia semel (inquit Iob) loquitur Deus, in eadem causa uidelicet, ad cuius unici sermonis metas, in consimilibus nostra opera dirigamus. CHRISTVS.

Et hoc est quod inquit uates Amos: Non faciet Dominus uerbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos prophetas, aut expresse uidelicet, aut per consimile. Verum indignis multa occultantur, sicut & multa cognitio rerum à nobis cognoscendarum. Nec decens est, ut Princeps arcana ipsius uulgo reuelet, sed paucis qui sint à secretis, & his fidelissimis: quorum tamen exequutio per tempus populo demãdatur. Et tunc omnes cognoscunt ea, quæ inter paucos recondita erant. Et hic est ordo rerum disponendarum, nõ quidem in maleficium, sed beneficium totius Reip. Quòd autem negant effectus aliquos cœlestes signa esse futuri euẽtus, nihil est: cũ aliqui effectus sint naturales, aliqui immediato Dei iussu eueniãt. Qui igitur naturales sunt, signa nõ sunt: sed q̃ à Deo demãdantur ad terrẽdos, uel puniẽdos populos: ut prodigia illa immissa per Mosem in Ægyptios, & similia multa, signa meritò dici possunt, & sunt: ex quibus coniectare potest homo rerum exitum. Non itaque adeò angustant adductæ rationes, ut angulus ueri subterfugij (sicut opinabantur arguentes) sit nobis præclusus. Nec miretur quispiam, si obscuræ sint prognosticationes, & interpretibus indigeant, cum nihil quodammodo in rebus naturalibus efficiatur, quin hominis adiumento indigeat. Aurum enim & argentum, cæteráque metalla fodiũtur, & excauantur scoria & luto plena, sed industria humana expurgantur. Vua naturæ præsidio nascitur, & maturescit: sed eadem marcescit nisi diligentia humana collecta, & calcata in uinum exprimatur. Grana quoque multo labore demessa, triturantur, conteruntur, & sæpius præ manibus habentur, antequam panes in cibum conficiantur. Linum innumeras operas (ut ita dicam) exquirit, antequam tela in hominum usus texatur. Et sicut naturæ opera arte complentur, sic & oracula diuina nobis explicanda offeruntur: ut naturæ, & Dei Amos

coadiutores effecti, in utroq; habeamus undè exercitari poßimus. Verum aliquando diuinandum est, ut intelligamus quid diuini uates præsenserint. Vndè sæpius error contingit, non quidem ex uitio seu defectu uaticinij, quia quæ ex ore Dei procedunt non fiunt irrita: sed id fit ex culpa malè intelligẽtis. Nec uaticinium ideo negandum est, quia interpres ignorat, aut errat in interpretãdo: quia nec medicina neganda est, quamuis medici fallantur in multis. Fallũtur & rustici, & nauium gubernatores, quamuis ex comprobatis signis boni habeantur aruspices. Nec deest prudẽtia, atque ratio reipublicæ gubernandæ, quãuis Gneus Pompeius, Marcus Cato, Hannibal, & plærique prudentißimi senatores, & præclarißimi duces aliquando decepti fuerint. Sic quoque euenit in diuinandi arte, quæ aut prudentia, aut coniectura, siue spiritus agitatione aut uisione efficitur, ut aliquando fallantur diuinantes: uel quia non bene percipitur quid suggerat spiritus, aut indicet uisio: uel quia aliqua fit mutatio in eo, de quo erat uaticinium: undè oraculi sentẽtia aut mutetur, si in maleficium erat delata: aut si in beneficium, differatur. Ionas etenim diuina uoce percitus Nininitis cladem futuram in quadragesimum diem nuntiauit, hæc tamen Niniuitarũ pænitẽtia, & ꝓphetæ oratione (ut suprà diximus) dilata est. Prognosticatus est Isaias mortem Ezechiæ imminere in crastinum: quæ tamen regio fletu usque ad annos quindecim prorogata est. Electus fuit Moses Dei oraculo, ut traduceret populum de Aegypto ad promissam terram: De Aegypto quippe populum eduxit: sed errans in petra, ad statutum locum minimè perduxit. Solus Christus erroris expers uaticinium nequaquam irritandum protulit, qui ideo dixit: Cœlum & terra transibunt, uerba autem mea non præteribunt.

[Margin: Ionas. Isaias. Moses. CHRISTVS.]

Omnia ad se deducunt homines bene compositi. Cap. VI.



NOn mediocri experientia comprobatum est, neruos bene compositos in fidibus, perculsis aliis alios resonare. Ostreis quoque & conchyliis omnibus contingere, ut cum Luna pariter crescant, pariterque decrescant. Arbores quoque hyemali tempore cum Luna, & Sole simul senescere, & humores demittere, undè opportunè cædi existimantur. Pullulant omnia, & florescũt uere, ac læta solis cursum prosequuntur. Multa quoque huiusmodi fiunt: in quibus deprehenditur rerum connexio, atque correspondentia. Cum igitur homo sit omnium rerum uinculum, bene compositus facilè omnia mouet, & ad se trahit, atq; deducit: non minus quàm magnes ferrum, aut electrum confricatum paleam. Hinc ille, qui est perfectißimum omnium uinculũ, & plena concinnitate gaudet, dixit: Cum exaltatus fuero à terra, perfectißimè uidelicet in ligno crucis extẽsus, & congruens cum omnibus, qui sunt in longitudine, latitudine, sublimi, atque profundo machinæ huius mundanæ, omnia traham ad meipsum, de cunctis dispositurus ad libitum. Huic qui magis consimilis efficitur, & unitur, tanto maiorem uim attrahendi consequitur, eóque

[Margin: Idem]

magis corroboratur, eam communiens uim, quæ à natura homini insita est trahendi ex symbolo, quod habet cum omnibus. Quod hinc coniicitur, quia cum habeat unumquodque animal cibaria sua, alia fœnum, uel hordeum: alia herbas: alia legumina, uel semina: alia carnes, & id genus: homo solus omnibus cibis uescens, ab omnibus uitæ incrementa, & fulcimenta suscipit. Possident item ex animantibus aliqua terram, aliqua mare, aliqua aërem, & digniora cœlum. Homo autem omni elemento in sui beneficium utens, uoluptatem & commodum undique trahit. Nec illis contentus, in cœlum, imò in ipsum Deum conscendere satagit, ut nullus sit locus, quem non asciscat in usum, & meritò, ut uera sit sententia summi Principis: Omnis locus, quem calcauerit pes uester, uester erit: quousque uidelicet reuertemini ad me, omnia uobiscum deducentes. Et sicut omnia emolumentum afferunt homini bene se habenti cum Deo, dicente Paulo: Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: Sic dissonanti à Deo, omnia in perniciem uergunt, iam uerò filio effecto illius rebellis cui dicitur: Maledicta terra in opere tuo. Ad cuius terræ, quæ est primarium elementum, & fundamẽtum omnium rerum corporalium, maledictionem, sequitur maledictio rerum omniũ, quæ ex ipsa fabricatæ sunt, aut ipsi inhærẽt. Hinc & hos rebelles abducunt mali & dissoni dæmones, de quibus Porphyrius in de bonis & malis dæmonibus ait. Bonorum corpora in commensuratione consistunt: Sed maleficorum corpora inconcinna sunt: ac affectione passiua, locum incolunt terræ uicinum, imò intra ipsam terram. Nullum est malum, quod perpetrare non audeãt: Habent omnino uiolentum, & malè sanum morem, desertum uidelicet custodia dæmonũ meliorum. Ideoq́ue uehementes, repentinasq́ue insidias plurimum machinantur & moliuntur. Ac dum agunt incursiones, partim latere solent, partim uerò inferre uiolentiam. Quamobrem acutæ, & ueloces sunt passiones ab eis illatæ. Curationes autem, emendationesq́ue dæmonibus melioribus tardiores fiunt. Et postquam multa mala quæ perpetrant cõnumerauit, subinfert. Omnibus enim rebus sic iniquè, discorditerq́ue factis admodum delectantur. Qui igitur à Deo, à conscientia, & à bonis spiritibus dissoni uiuunt, cum dissonantibus spiritibus cõmercium habẽtes, dissona, inordinata, & horrentia omnia perpetrant: adeò ut dissonantes sibiipsis cum nullo conueniant: sed omnia dissentientia, & inordinata comprobent. Qui autem sibiipsis conueniunt, & cum Deo, suo loco positi omnia sentiunt ipsis correspondentia, & facilè conducenda: quia (ut ibidem inqnit Porphyrius) omne bonum gubernatione facile, æqualéque est, quia progreditur ab ordine: ex quo sequitur conuentio, tranquillitas, & facilis omnium consensus.

Deuter. Paulus. Porphy. Idem Idem.

Homines suo loco positi, & concinni facilè rebus omnibus dominantur. Cap. VII.



Elebri fama diuulgatum est (ut sæpe iam diximus) hominem sacrarum literarum testimonio prælatum, & constitutum super omnia opera manuum Dei. *Quæ dogmata imitatus* Sulmonen. *decantat:* Sanctius *his animal mentisque capacius altæ* Deerat *adhuc, & quod dominari ĩ cætera posset* Natus *homo est.* Nihilominus *plærosq; uidemus, & ferè omnem hominum turbam mancipari, potius quàm dominari.* Quod *euenisse non ambigimus, quia homo rebellis* Deo *(ut* Trismegistus *ait) à cõtẽplatione* Patris, *& ab eius cõsortio undè dominãdi uim suscipiebat, ad sphæram generationis delapsus, seruus miserrimus omnium effectus est.* Et *(summa ueritate teste) peccans homo seruus efficitur peccati, id est satanæ deducentis ad peccatum, aut concupiscentiæ, quæ est ipsius peccati parens.* Concupiscentia *enim (inquit* Iacobus*) cum conceperit, parit peccatum.* Hinc *homini à sua dignitate delapso repugnant omnia, neq; dignantur habere in dominum eum, qui tam uile mancipium iam effectus est.* Atq; *ipsi obtemperare recusant, quousq; in pristinum honorem, à quo deciderat, restituatur, & unanimis fiat cum* Deo, *à quo dominandi uim resumat, sicuti à principio iam acceperat.* Tunc *uenena, & hostes nõ timebit, tunc feras nõ metuet: sed ipsas terrore cõcutiet, sicuti de* Dauid *in primo uolumine* Regum *legimus: qui* Sauli *regi perterrenti eum, & reuocãti à congressu gigantis dixit.* Persequutus *sum seruus tuus leonẽ, & ursum, & pcutiebã eos eripiens prædam de ore ipsorum.* Et *cum insurgerẽt aduersum me, apprehendebam mentum ipsorum, & suffocabam eos.* Daniel *draconem interfecit, & inter leones famelicos stetit intrepidus.* Paulus *uiperã manui adhærentẽ ueluti paleam excussit, nihil timens morsum, aut offendicula eius, cuius iam plenum obtinuerat dominium.* Non *enim defluit* Paulo *ille, qui cæteris* Apostolis *dixit.* Ecce *dedi uobis potestatem calcandi super serpentes: & scorpiones, & sup omnem uirtutem inimici, & nihil uobis nocebit.* Bibit Ioãnes *uenenum lætus, & constans, & ex bullienti oleo illæsus euasit.* Non *enim (ut* Augustinus *(iudicio meo) rectè decernit in tertio super* Genesim *ad literam) animalia fuere à principio producta uenenosa, inimica, & molesta humano generi: sed post peccatum infesta, inimicáque constituta sunt.* Quod *ex* Domini *sententia in pœnam iniustæ rebellionis primorum parentum delata est.* Ad *serpentem enim omnium animalium homini infestissimum (ut inde ad cætera animalia inimica dictum intelligamus) inquit.* Ponam *inimicitias inter te & mulierem, & inter semen tuum & semen illius.* Et *uix prolata sententia, de remedio quoque prouidens dixit:* Ipsum, *semen uidelicet mulieris conteret caput tuum: ut nec ipsi, nec ueris eius assec lis nocere ualeas.* Hinc *non tantum* Apostoli, *sed etiam posteri præualuerunt contra inimica animalia.* Hieronymus *enim leonem acerrimum hostem, in propriũ obsequium conduxit.* Et Anachoritæ *mul-*

Iacobus.

Primus regum.

CHRISTVS.

August.

ti stabant in speluncis & cauernis terræ, non timentes nec leones, nec ursos, nec serpentes, nec ualidissimos dæmones infestantes. Et quod plus est, præualuerunt amici Dei cõtra acerrimam uim naturalem impetuosissimi ignis. Nam tres pueri in fornace Chaldaica, & Thomas in India impetum ignis, & Franciscus cãdentis ferri uigorem extinxit. Et ut cum Paulo concludam (deficeret enim tẽpus enarranti) sancti per fidem, id est per fidelẽ & firmã adhæsionem cũ Deo, uicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, fortes facti sunt in bello, castra uerterunt exterorum, & reddiderunt mulieribus mortuos suos, atque ex multis infirmitatibus conualescere fecerunt. Quibus portentis uisi sunt obtinuisse iam omnium rerum dominium, sicut obtinuit pro antiquis præuisus, & pro posteris iam existens ille, qui dixit. In nomine meo dæmonia eiicient, & cætera quæ sequuntur. Ipse enim in uirtute nominis sui saluos nos fecit, in pristinam dignitatem restituit, & uniuit cum illo, qui facit mirabilia magna solus: ut & nos eadem faciamus, sicut idem restitutor iterum ait. Qui crediderit in me, faciet opera quæ ego facio, & maiora horum faciet.

Paulus

CHRSTVS

Idem.

Vnde sit uis dominandi, quomodo perdita, & quomodo restituta. Cap. VIII.



Diximus iampridem ab opifice summo insitam esse homini dominandi uim. Sed quæ ipsa sit, & quomodo eandem habeamus, percurrendum censeo. Plinius id subtili indagatione percurrit dicẽs: Elephas homine obuio fortè in solitudine, & simpliciter oberrante, clemens placidusq; etiã demõstrare uiã traditur: Idẽ uestigia hominis animaduertens priusquam hominem, intremiscere insidiarum metu, subsistere ab olfatu, circunspectare, iras perflare, his & aliis indiciis quæ ibidem subnectit naturalis historicus, hominem timeri hoc maximè, sed undè timeatur, haud facilè possemus comprehendere. Verũ ne uideamur, ex una tantum rosa (ut aiunt) uer asserere, hoc eodem modo tigris expauet quæ feris cæteris truculentior, atq; ipsa elephantis quoq; spernẽs uestigia homine uiso transferre dicitur protinus catulos. Quo nã modo agnito? ubi antè conspecto illo, quẽ timet? Etenim huiusmodi syluas minimè frequentari certum est, Sanè mirantur ipsam uestigij raritatem. Sed undè sciũt timẽdos esse? Imò uerò cur sæpius cõspectum pauent tanto uiribus, magnitudine, uelocitate præstantiores? Nimirum hæc est natura rerum, hæc potentia eius, sæuissimas ferarum & maximas, quæ nunquam uidissent, quod debeant timere, & statim intelligere cur timendum sit. Quæ autem sit hæc hominis natura timorem feris incutiens, non declarat Plinius quamuis inquirat & innuat. Apollonius uerò, dum Pharaotis regis Bactrianorum elephantibus duceretur ad Brachmanas, cum uidisset paruulum unco quodam elephantis ceruici infixo, ducere ipsum ingens animal, tentauit Damum eius indiuiduum comitem, undè esset hæc tanta tam uasti animalis erga puerum obedientia, & ignoranti

Plinius

Apollo.

atque doceri exoptanti Damo dixit. Id est ex terrore quodam actiuo, homini ab opifice immisso, quem persentientes inferiores, & animalia omnia ipsum hominem timent, & reuerentur. *Hunc autem terrorem Hebræi* פחד *pachad appellant. Et hic in alio magis, in alio minus uiget. Maximus uerò fuit in Izabac: ideo Iabacob, cui iure hæreditario pater illum tribuerat, dixit ad* Laban *Arameum patruum*, & *socerum eius. Nisi Dominus Deus patris mei Abraham, & timor Izabac affuisset mihi, forsitan me nudum dimisisses. Vbi in Hebræo pro timore habetur illud pachad: Et ibidem iterũ iurauit Iabacob per timorem, id est pachad patris sui Izabac. Hoc enim est tanquam signum terrificans quodcunque subiicitur homini: sit uel seruus, uel animal: alioquin nec puer regeret boues, equos, & elephantes, nec rex perterreret populum totius regionis. Nec tantum habet homo signum quo timeatur, sed aliud quo diligatur: in hoc quoque effectus simulachrum Dei: qui utroque tribunali, amoris, & timoris uallatur. Efficitur etiam in huiusmodi imitator Christi, de quo dictum est. Regnabit in domo Iabacob, qui & de benignitate Abrahæ, & de terrore Izabac participans, meditullium temperatum possidebat: Et utroq; hoc regio insigni protoplastes decoratus erat. Hinc adducta dicuntur animalia omnia ad ipsum ueluti ad dominum: ut eis omnibus nomina accommodata imponeret, quibus eadem uocaret ad libitum. Erant enim ipsi & terrore subiecta, & à placida mansuetudine attracta. Et id quousque præuaricatus pristinam dignitatem amisit, & ex domino miserrimus seruus effectus est. Et quanto magis aggrauatur peccatum in homine, tanto magis à dignitate illa terrorem incutiente, & benignitate attrahente decidit in timorem, & seruitutem aliorũ. Inde primus fratricida, qui peccato parentis, quod contraxerat addens homicidiũ, se à dignitate illa deiectum sensit, adeò ut timens dixerit ad Dominum. Omnis qui inuenerit me, occîdet me. Bestias quippe, aut dæmones timebat, non homines, cũ paruula esset generis humani familia: Pater eius, mater, uxor, & fratria, quam postea accepit Lamech in uxorem, qui solus dicitur habuisse duas uxores ex his qui fuerunt ante diluuium. Et quia suscitauit semen pro Abel, quod tenebatur facere Caim, ideo dicitur interfecisse Caim contemptorem signi dati à Deo, ut uidelicet suscitaret semen fratris sui. Quod quia facere cõtempsit, iure à Lamech illud suscitante dicitur interfectus, tanquã legis datæ peculiariter, & postea populo diuulgãdæ contẽptor. Magnũ latet hîc sacramentũ, sed prosequamur. Successit Noë, qui dictus est iustus in generationibus suis: ideo quanto fauore ad pristinam dignitatẽ restitutus sit, uideamus. Arcã fabricat, in quã introducũtur ab eo aduocatæ omnes bestiarũ, ferarũ, & auium species, atq; sub eius imperio morantur quietæ, donec cessent aquæ diluuij. Quibus decrescentibus, nulla adhuc arcã exire præsumit, nisi coruus, & colũba, nõ sine mysterio ab ipso dimissi. Sed coruus (ut habetur in ueritate literæ) egrediens egrediebatur, & reuertebatur, quousque siccarentur aquæ desuper terram. Et nõ (ut ha-*

Marginalia: Hebræi. — Izabac Iabacob. — Adam — Caim. — Noë.

bent nostri mendosi codices) egrediebatur, & non reuertebatur. Coruus autem redibat uacuus, columba uerò cum oliua, signo pacis. Sed undè tanta bestiarum erga hominem restituta obedientia? Obserua scripturæ uerba, & intelliges: Nato enim Noë uaticinatus est pater eius Lamech dicens. Iste consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus: Purgauit enim eam aqua diluuij, tanquam signum & sacramentum illius aquæ, per quam à Meßiah fieri debebat uera, & plena purgatio. Hunc sequutus est Moses qui ranas, cynifices, uel pediculos, & muscas, atque alia quamplurima aduocauit in flagellum Ægyptiorum: Mana autem, aquam, coturnices, nubem obumbrantem; & columnam igneam in pabulum; & beneficium populi sibi crediti. Adueniente autem uero restitutore humani generis Christo, cuius Moses typum geßit omnia plenè subiecta homini iterum fuere: data discipulis potestate (ut nuper diximus) calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem uirtutem inimici. Quod dominium tandiu durauit in credentibus, quãdiu perseuerauit fidelis, & perfecta seruitus in Christũ. Adueniente autem tempore, quando successores Petri mentirentur dicentes: Argentum, & aurum non est nobis, perdiderunt quoque ius dicendi surge, & ambula: uel surge, & ministra nobis: Siue præcipio tibi in nomine IESV Nazareni, exi ab eo: & omnem tandem uim, & dominium in uirtutem inimicam. Franciscus uerò iterũ uitam Apostolicam amplexus, à pecuniis penitus simul & uitiis denudatus, creaturis omnibus imperat, & obediunt ei: Aquam in uinum conuertit, siccis pedibus fluidum elementum pertransiit: Rabidum lupum mansuetißimum, & domesticum reddidit: hyrundinibus garrientibus solo iussu silentium imposuit: Falconi iubet, & ueluti gallus excitator efficitur: lepores, & cuniculos domesticos fecit: ignem urentem alloquitur, & uirtutis suæ oblitus uiro Dei fomentum sine horrida adustione præbet. Multa quoque huiusce generis miranda peregit ad pristinam dignitatem restitutus. Nec est abbreuiata manus Domini, omnibus qui ipsi fidele exhibent obsequium. Nec quidem hoc exhibent omnes qui dicunt, Domine Domine, aut qui exterius insigne Christi, uel imitatorũ eius deferunt, potius gestientes ueluti simiæ, quàm Christi & sanctorum ueram uitam deducentes. Francisc.

Varia & mira operandi & dominandi conditio. Cap. IX.



ET quamuis solius Dei sit miracula facere, nihilominus humanum genus audacißimæ (ut Zoroastres inquit) naturæ opus, & audax omnia perpetrare, fauente maximè antiquo & ualido serpente, qui se simiam summi opificis semper conatus est exhibere, multa aggressum est, in quibus homo Dei, & naturæ æmulator apparuit. Archyta Tarẽtinus (ut fertur) columbam igneam fecit uolitantem per aërẽ. Quod & aliqui nostri tẽporis facere gloriãtur. Ægyptij (ut Mercurius Zoroa. Aegypt. Mercur.

Albertus Magn. tradit) Deorum statuas construxere tales, ut loquerentur. Quod & Albertus cognomento magnus fecisse traditur, caput uidelicet æneum loquens. Et reperi qui se iactitarent facere corpora euntia, & loquentia: nec tamen habere uirtutes animales, neque diu permanere. Ad quæ conducenda dicunt asciscere uirtutes cœlorũ, obseruatis quibusdã aspectibus. Sed forsitã aliud est in causa Dædalus artificiosis pennis uolasse fertur. Quod hac nostra tẽpestate quidam per modicũ spatiũ fecit. Multa iactat Rogerius Bachom se fecisse magia pura, & naturali: tonitrua uidelicet in aëre, nubes & pluuias, atque rerum trãsmutationes quãplurimas. Nonnulli quoq; per artem reperti sunt naturæ sagacissimi æmulatores: de qua Athenien. apud Platonem in decimo de legibus: ars data est mortalibus, qua res posteriores quasdam generarent, non quidem ueritatis & diuinitatis participes, sed simulachra quædam sibiipsis cognita deducerent. Aliqui nõ contenti arte, naturæ accuratissimi indagatores effecti, studuerunt cõducere ea, quæ à natura præparata erant, applicãtes actiua passiuis, ante tempus natura ipsa ordinatũ: Vndè uulgò uisi sunt facere miracula: quæ tamen naturalia opera sunt, interueniente sola præuentione temporis. Ij autẽ qui hæc perpetrare solebant uocabulo Persico magi id est sapientes dicti sunt: quãuis nomen illud abusũ quodam pro necromante à multis accipiatur. Erant enim sapiẽtes & occultarũ rerũ gnari: ex quibus fuere illi, qui uidẽtes stellã in natiuitate Redẽptoris humani generis: ultrà, & præter naturæ ordinẽ q̃ optimè ipsis cognitũ, & domesticũ, auspicati sunt (ut æquũ erat) natũ aliquẽ fuisse, qui naturæ ordinẽ, & limites transcẽderet. Hinc moti à Perside & regionibus orientis (id tamen quo ad ciuitatẽ Ierosolymitanam Bethlehemiticam) uenerunt ad adorãdum puerum prodigio mirando, & supernaturali demonstratum. Ii enim qui magi dicuntur, primo medicinæ studuerunt: ut scirẽt quid ad choleram, quid ad flegma, quid ad atram bilem expellendam conueniret: quid ad cor, epar, uel stomachum temperandum, & huiusmodi: Quod ut melius facerent, astronomiã addiderunt, arbitrantes infirmitates, & herbarum, radicumque atq; aliarũ rerum medicinalium naturas, ex planetis, & stellis, quibus conueniunt facilè diiudicari, ut Hermetem fecisse comprobamus. Et cum eo Zoroastrem, Charundam, Ostanem, Zamolxen, Brachmanas, Gymnosophistas, multósque inter medios, & posteros, quorum etiam (licet excelluerint) fama obscura est. Verũ multis de causis hic subticẽdis (ne magis digrediamur quã deceat) depdita est naturalis ordinis illius, & rerum applicationis cognitio. Vndè dæmones malos alij nominibus diuinis adiurare studuere. Alij obscæni & detestandi effecti, ipsos adorantes consulere uoluerunt, scelus quidem omni mulcta plectendum. Malos autem & immundos consuluerunt, quia potestates mundæ, & superiores nõ faciles se præbẽt: sed cordis mũditiã, uitæ sanctimoniam, iussumq; Dei expectãt. Ipsæ autem immũdæ faciles se exhibẽt, falsò fauẽtes hominibus, ut suo astu conducentes ad id quod optant eorum cultores, obliuiscantur Dei, imò opinẽtur

Marginal notes: Dædalus. Roge. Bachom. Athen. Plato. Magi.

dæmones illos malos diuinitate refertos. Ab huiusmodi itaque docentur uerba excantandi, & eosdem citandi pro libito ad conducenda opera, quibus ueluti Dij apparentes, adorentur à uulgo. Et quia mulieres maius habent cum dæmonibus symbolum, & leuius illuduntur: ideo mulieribus faciliores se præbent: quæ arte dæmonum uidentur facere ingentia, ut de Circe decantat Poëta. Virgil. Circe.

Carminibus Circe socios mutauit Vlixis,
Atque satas aliò uidi traducere messes.

Quòd & confirmant Cicero, Plinius, & Seneca. Elementa quoque concussa, & turbatas hominum mentes, atque plærosque interemptos non succis, sed uerbis uenenosis decantat alius Vates. Plinius. Seneca.

Mens hausti nulla sanie polluta ueneni
Incantata perit. Alius quoque Poëta. Lucan. Ouid.

Carmine læsa Ceres sterilem uanescit in herbam,
Deficiunt læsi carmine fontis aquæ.
Ilicibus glandes, cantatáque uitibus uua
Decidit: & nullo poma mouente fluunt.

Et iterum inducit Medeam de seipsa dicentem, Idem. Medea.

Cum uolui ripis ipsis mirantibus amnes
In fontes rediere suos: concussáque sisto,
Stantia concutio cantu: freta nubila pello,
Nubiláque induco: conuulsáque robora terra,
Et syluas moueo, iubeóque tremiscere, montes:
Et mugire solum: manesque exire sepulchris:
Te quoque Luna traho. Et de quadam incantatrice alius similia se uidisse perbibet.

Hanc ego de cœlo ducentem sydera uidi: Tibull.
Fluminis hæc rapidi carmine uertit iter.
Hæc cantu finditque solum: manesque sepulchris
Elicit, & rapido deuocat ossa rogo.
Cum libet, hæc tristi depellit nubila cœlo,
Cum libet, æstiuas euocat ore niues.

Augustinus quoque perhibet se in Italia existentem adiuisse mulieres quasdam malignis artibus adeò imbutas, ut dato casu statim homines conuerterent in iumenta, quæ necessaria portarent, & hæc finito opere in homines iterum reducerent. Quod comprobat Apuleius, qui longa serie recitat se ueneficiis cuiusdam mulieris, dum per magicam auis fieri conaretur, in asinum conuersum fuisse. Quod & temporibus nostris multorũ testimonio contigit cuidã in Cherso Illyrici insula, qui per multos annos omnibus uisus est asinus: Tãdem ad se reuersus, & ueneficia, & malefacta propter quæ id sibi contigerat, sacerdoti & publico concionatori enarrauit. Et ne quis opinetur fuisse deliramenta, Augusti. Apulei.

Daniel Nabuc. *sacræ literæ narrant (ut habemus in Daniele) Nabucdonosor non mulierum ue neficiis, sed iussu Dei ad eius elidendam superbiam mutatum in bouem: & annis* Regum. *septem fœnum comedisse. In primo quoque uolumine Regum legimus Phitonis-* Samuel. *sam mulierem, quæ erat in Endor aduocasse Samuelem prophetam: quem intel-* Saul. *lexit Saul esse uerè Samuelem. sciscitatus ab eo rerum suarum euentus. Qui cõ- firmauit omnia quæ dixerat, antequam ab humanis discederet. Et fuit uerus spi ritus Samuelis, ante completum annum post discessum à corpore facilè aduocan* Hebræi. *dus, ut Hebræi dicunt: quamuis plærique in diuersos sensus literam interpreten* Exo. Magi *tur. In Exodo quoque perhibentur magi Pharaonis uirgas in serpentes mutas- se, ranarum multitudinem adductam, aquam in sanguinem conuersam in interi- tum piscium, & Ægyptiorum iacturam. Et nisi magi, phitones, necromantes, malefici, & excantatores, atque huiusmodi in rei ueritate fuissent: non iuberet in plærisque locis Dei uiui oraculũ eos exterminandos de terra: Sed magna est magorum, aut mirabiliter operantium differentia. Sunt enim qui operantur inge nio, arte, & doctrina: supplentes, aut accelerantes, uel augentes naturæ opus si* Zoroa. *licet. Si licet (inquio) quia Zoroastres magicæ artis inuentor (ut attestantur Gẽ tilium literæ) in suis oraculis inquit. Ne augeas fatum, id est non magis te exten* Gemi. *das quàm datum sit desuper, aut series rerũ exigat, ut interpres eius Gemistus Plethon exarat. Et isti magi, sapientes, aut ueri philosophi dicuntur. Sunt etiã qui attentãt ea, quæ uires, & humanam cognitionem trascendunt. Et hi ea quæ nesciunt, & nequeunt, sciscitantur: & fieri flagitant ab immundis dæmonibus, a- liquando se submittentes, & adorantes, duplicis criminis rei, idolatriæ, scilicet & uilissimæ subiectionis: his maximè, quibus ipsi longè superiores natura exi- stunt. Alij autem uirtute nominum diuinorum adiurantes, ipsos dæmones coar- tant. Et hi quamuis idolatriæ, & deiectionis scelus non perpetrent, tamen mani- festis periculis se exponunt: quia & si coacti dæmones, tamen semper inuigilãt, ut errantem decipiant. Alij uerò non contenti immundis dæmonibus, meliores & mundas intelligẽtias asciscunt, uel ipsum Deum immediatè, quod paucis uel nul* Moses. *li datum est. Nam & Mosi omnium prophetarum summo loquebatur Deus per* Paulus *angelos, dicente Paulo. Lex data est per angelos in manu mediatoris. Sed quia uicem Dei gerebat angelus, ideo loquens dicebat. Ego Adonai, quod est nomẽ quadriliterum, soli Deo competens. Abrahæ quoq; (ut in Genesi legimus) loque- bãtur angeli prædicentes Saræ cõceptum: & pentapolitanum incendium, quã-* Abrahã. *uis Abraham adorans mittentem, dixerit ad nuntios Adonai, quod nomen magis mittenti, quàm missis competebat. Et quod patribus illis faciebant angeli, nobis operatur uirtus Christi, qui omnia (ut diximus) ad se numina traxit: & qui ha bet nomen cui flectitur omne genu, & omne nomen cœlestium, terrestrium, & infernorum. Hinc iussum est nobis, ut in nomine illo omnia faciamus. Nec enim hoc nostro tempore alia uia faciendi miracula nobis relicta est.*

Quæ sint naturalia opera, & quæ falsa, & quæ uera miracula, & quæ legitima dominandi uis. Cap. X.



Vm igitur (ut diximus) contenti sint aliqui quantum ars, ingeniũ, & natura nostra patitur maritare mundum, & applicare actiua paßiuis, ij sapientes, ueri philosophi, aut magi dicuntur, naturæ secreta & rerum symbola rimantes. Nec isti *animaduersione, uel iniuria aliqua, sed omni ueneratione digni habendi sunt: quos uniuersorũ Dominus testes & fautores habere uoluit suæ fœlicißimæ natiuitatis. Cũ autẽ malos dæmones consulunt eorũ implorantes auxiliũ, ut ea cõducant, quæ nec ars, nec humanum ingenium patitur: tunc quæcunque eorum fauore perpetrantur, illa non miracula, sed præstigia sunt: quia aut secundum apparentiam tantummodo fiunt, aut in maleficium eorum qui suscipiunt, aut qui ipsa perpetrant. Apparent enim asini, uel equi, aut quæuis alia animalia, uisi transmutati tantummodo ab oculis fascinatis, & illusis.* Hinc *mulier illa, quæ equa iudicabatur à uulgo,* Hilarioni *mulier uidebatur, ut erat.* Multa *quidem comprobamus illata, aut remota impedimenta à* Deo, *angelis, & dæmonibus: aliquando enim oculos aspicientium perturbant, & aliquando medium per quod aspiciunt. Astant enim dæmones (ut clara experiẽtia didicimus) coram decem, uel uiginti; ab uno uel duobus tantum uisi, ab aliis autem nequaquam.* Et *hoc quia ad libitum se occultant, & ad libitum se uisibiles præbent.* Iudicab*unt item multi astare asinum, leonẽ, aut gallum, hircum, uel hominem. Alij autem nihil penitus uident: & id fit arte, & illusione malorum dæmonum.* Sed *ueniamus ad superos.* Obsesso *Eliseo ab exercitu regis* Syriæ *uallantis* Dotaim, *timuit minister eius uidens currus, & equites in circuitu ciuitatis:* Cui Eliseus: Ne *timeas, plures sunt nobiscum quàm contra nos.* Et *orante ipso ad* Dominum, *ut aperiret oculos pueri sui, ecce uidit hic mõtem plenum equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisei. Orans iterum contra hostes, ut auferretur ab eis uidendi facultas, statim quoque exauditus fuit.* Vndè *sicut ipso orãte aperti sunt oculi pueri, sic clausa fuere hostiũ lumina, ut nihil uidere possent: & cæci effecti, manuducerentur ab Eliseo dicente:* Non *est hæc uia, nec ciuitas: sequamini me, & ostendam uobis uirum quem quæritis.* Duxitque *eos in* Samariam. Quam *cum ingreßi essent, orauit iterum Eliseus dicens:* Aperi Domine *oculos istorum, ut uideant.* Ad *cuius præcationem aperuit Dominus oculos eorum, & uiderunt se esse in Samaria.* Quod *nequaq̃ in damnum* Aßyriorum *petiit uir sanctus: sed in* Dei *sui gloriam.* Nam *cum rex* Israël *uellet eos percutere, dixit:* Nequaquam: *non enim cœpisti eos in gladio tuo: sed pone panem, & aquam coram eis, ut comedant & bibant, & uadãt ad dominum suum.* Ecce *quomodo ad orationem bene chordati uiri aucta est uisiua ultra naturales terminos in puero :* & *diminuta in* Aßyriis *& iterum restituta.* Sed *redeamus undè digreßi sumus.* Facta *sunt itaque à fatidicis, & præstigiosis, quocunque uocabulo censeantur, aliqua miracula, secũdum apparentiã,* Eliseus.

quæ præstigia meritò dicuntur. Aliqua quoque facta sunt arte dæmonum, aut transferentium, ut de messibus ad alios agros traductis iam diximus: aut admouentium actiua passiuis, sicuti excantantibus magis Pharaonis, eductæ sunt ranæ, & muscæ, sola à dæmonibus appropinquatione breui tempore, quæ longo spatio conducenda erant: uel transmutantium: sicuti iidem fecere conuertentes aquas in sanguinem. Et de fatidicis mulieribus multa trāsmutantibus dictū est. Sed ij nec beneficium aliquod conferunt, nec possunt in his, quæ sunt supra naturam. Ranæ enim muscæ, & sanguis in maleficium suorum Ægyptiorum fuere. Quæ autem supra naturam perpetrata sunt, & in beneficiū, uera miracula dicuntur. Moses igitur Dei iussu educendo pediculos, quorum non aderat materia appropinquanda, miraculum fecit. Educendo insuper aquam de petra, manna de cœlo, præseruando populum ab infirmitate, ut canit Psalmographus: Et non erat in tribubus eorum infirmus. Conseruatio quoque uestimentorum, ne consumerētur, & huiusmodi multa fuere uera miracula: Quorum aliqua, & si in maleficium, imò in pœnam incredulitatis Ægyptiorum, & proteruiæ ipsorū perpetrata fuere, cesserunt tamen in utilitatem populi liberati. Præstigia autem Ægyptiorū in nullius utilitatē fuere. Miracula fecit Elias, & Eliseus mortuos suscitantes, oleum, & farinam multiplicantes, infirmos sanantes, & huiusmodi. Sed super omnes, miracula fecit Christus præcipiens tanquam uerus Dominus rerum: & semper in beneficium, in maleficium autem nunquam. Et in nomine ipsius quid fecerint asseclæ eiusdem, iam per uniuersum orbem celebri fama diuulgatum est, & nos suprà tetigimus. Inde quidē uidebatur in illis immediatis, aut propinquis discipulis ipsius esse uerum regnum Dei, quod se daturum promiserat: imò quod dederat, dum ait: Regnum Dei intra uos est: Et iterum: Ecce dedi uobis potestatem super omnem uirtutem inimicam, & resistentem uidelicet: Nam amicam uirtutem facilè habebitis ad nutū. Hic igitur nobis restituit perditum regnum: dummodo bene chordati ipsius uestigia, recto & perfecto gressu prosequamur.

Dauid (margin) · CHRISTVS. (margin)

Bene chordatus homo exauditur ad uota de quacunque re petierit. Cap. XI.

Idem. (margin)



Extat summæ Veritatis sententia. Quicquid petieritis Patrem, fiet uobis. Sed quibus id fiet attendēdum est, ait enim. Vbi fuerint duo uel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum, postea subinfert: De quacunque re consenserint, ij uidelicet qui congregati conuenerint in nomine meo, fiet eis. Magnum quippe, & apertissimum uerbum: Collectio & consensio præmitti debent ab his qui impetraturi sunt. Consensio quidem non tantum duorum uel trium hominum: Sed (ut rectè sentit Origenes) concordia duorum est animalis hominis cum spirituali: concordia autem trium, est utriusque illorum cum Deo. Et hoc est illud temperamentum quod

Orige. (margin)

exquirimus, imò quod expectat ipse Deus ab omnibus: si gratas, & suaues orationes suscepturus sit. Nam tunc homo quasi temperata cithara, omnem uocē, & sonum operis reddit Deo iucundum, & suauißimum, adeò ut ipse in medio eorum intersonans uim atque energiam præstet: ut gratæ & efficaces sint orationes paterno fonti omnium bonorum, à quo hauriuntur omnia bona: & impetratur quicquid petitur. Hic adeò inualuit oratio Mosi, aut Moses orans, ut diuinam sentētiam mutauerit Et dicente Deo, dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam ipsos, faciamque te in gentem magnam: non curauit Moses de promissa exaltatione, iam Deo concors & unitus, sed de ipsius gloria, undè orabat dicens. Ne irascatur (quæso) furor tuus contra populum istum, ne dicant Ægyptij: Callidè eduxit eos, ut interficeret in montibus, & deleret eos in terra. Recordare Abraham, Izahac, & Israël seruorum tuorum, quibus iurasti per temetipsum dicēs: Multiplicabo semen uestrum sicut stellas cœli, & uniuersam terram hanc, de qua locutus sum dabo semini uestro: & poßidebitis eā. Hinc placatus est Dominus exaudiens precantem Mosem, ueluti uerum fidelem & bene consonum seruum, qui zelans honorem Domini proposuit ea, quæ gentes in iniuriam Domini adducere possent, obiecitque iusiurandum iam præstitum, ne maliuoli taxarent ipsum de infidelitate in promisso. Et tantam uim cum Deo habuit hic bene chordatus cum eo, ut ipsum deuinceret, ne contra Mosi sententiam, & consensum punire posset rebelles. Hinc dicebat: Dimitte me: Et quod mirum est, uenit Deus in sententiam Mosi, ne dissentiret ab eo, qui tā bene chordatus erat cum ipso. Per Isaiam quoque intimauit Ezechiæ sententiam iam latam, ut disponeret domui suæ citò moriturus. Orauit & fleuit Ezechias, ut Dominus illicò sententiam mutauerit, & per eundem uatem significauerit dicens. Vidi lachrymas tuas, & exaudiui orationem tuam. Ecce ego adiiciam super dies tuos quindecim annos, & de manu regis Aßyriorum eruam te, & ciuitatē istam: & protegam eam. Pro se orat Ezechias, & non tantum impetrat pro se, sed pro ciuitate, & populo liberando ab Aßyriis. Et qua uirtute (quæso) fretus, quáue ratione munitus. Vtique quia bene se senserat chordatum cum Deo. Hinc dicebat: Memēto (quæso) quomodo ambulauerim coram te in ueritate, & corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim. Tradiderat Dominus Drusianam Ephesiam morti, & iam cadauer ipsius ad sepulchrū efferebatur. Ad instantiam supplicantis populi orat Ioannes: & eam iterum ad uitam reuocat differens sententiam iam exhibitam, ad aliud tempus, magistrum æmulatus, qui Lazari iam fœtentis letalem sententiam reuocans, uitam interruptam in longius spatium prorogauit, effusa oratione ad Patrem. Orat Paulus pro patientibus maris æstuantis impetum, & ab imminenti naufragio liberat, Domino ipsi eos donante. Orauit Clemens, & aperuit Dominus fontem aquæ uiuæ, omnibus existentibus in insula, in quam erant cum ipso relegati. Catharina uidens tormentum rotarum sibi paratum, erectis ad cœlum luminibus tacitè ora-

Moses.

Isaias. Ezechiel DEVS.

uit, & moles illa uehementi impetu concussa est. Hoc ideo, quia ille fidus uicarius Christi, ista autem unitissima sponsa. Innumera sunt exempla, quæ comprobant orationes fidelium, & bene chordatorum cum Deo exaudiri ad nota. Sed cum in ore duorum uel trium stet omnis comprobatio, hæc pauca de multis sufficiant.

Solus homo, bene chordatus cum Deo uiuit lætus. Cap. XII.



T mirum quippe est, cum omnes quærant uiuere læti, id tamen paucissimi assequantur. Hoc ideo, quia extra se quærunt intra se positam fœlicitatem: Intra nos enim est regnum Dei, intra nos est uera lætitia, & fœlicitas, dummodo suscipiamus hospitem, à quo omnis fœlicitas, & beatitudo secundum id quod ait: Si quis aperuerit, intrabo, & cœnabo secum, cœna illa uidelicet fœlicissima & æterna. Nec aliud ostium est, per quod intrare possimus nisi ipsemet, ad quem intramus, & quem suscipimus in nos uenientem per amorem reciprocum, & bene chordantem hominem, quo nos secum, & ipse nobiscum non tantum conuersamur, sed unimur ea lætitia, qua maior expectari non potest. Et sicut summa tristitia est, & tartarearum arrha pœnarum dissidere à seipso, & consequenter à Deo: sic uera fœlicitas est cum utroque concordia. Quæ autem tristitia sit dissidenti, & impio, Trismegistus in claui ad Latium explicat dicens: Impietas est fili mi animæ grauissimum supplicium: Nec est enim ignis alicuius ardentior flamma, quàm impietas: Nec aliqua fera mordacior ita corpus lacerat, sicut impietas, quæ est dissidentia à Deo & seipso, lacerat animã. Nónne uides quot malis animus impius prematur? Heu fili, sic uociferatur malus animus: Vror, absumor, quid agam, quid dicam nescio. Deuorant me miserum mala undique confluentia. Rationem autem horum tormentorum assignat Proculus in de anima, & dæmone dicens: Improbus secum consentire non potest, & repugnans sibiipsi cum aliis consentire nequit. Vndè ex perturbata imaginatione plurima ignorare constat, secumque dissidens torqueri. Declarat hoc pœnitentia dimissis perturbationibus ueniẽs, in qua erubescit, & torquetur in his, quæ delectatione obcæcatus dum perpetrat, cognoscere nequit. Addam illud Hieroclis in carmina Pythagorica: Stulti undique suis uitiis, & aspectus diuini priuatione affliguntur. Et quia bono adhærere recusant, hinc mentes ad malorum affectiones ita feruntur in hac uita, tanquam in procellas. In quibus cœleste oraculum per Ieremiam, nos paterno amore cautos reddit, dum ait. Duo mala fecit populus meus: Me dereliquerũt fontem aquæ uiuæ: & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ aquas continere non ualent. Mutauerunt quoque gloriam suam in idolum: Gloria enim hominis, bonum, & fœlicitas, est adhærere Deo. Idolum autem facit, qui neglecto Deo seipsum, aut aliquid uilius, cum magna dissonantia & dissipato ordine adorat. Et cum ex ordine oriatur tranquillitas, carens ordine caret quoque tranquilli-

CHRISTVS. Trisme. procul. Hierocl. Ieremi.

tate. Faciens itaque idolum de ſeipſo, aut de inferioribus rebus inuerſo ordine, fodit ſibi ciſternas diſsipatas, quæ nullam aquam ueræ delectationis continere poſſunt. Ad gloriam itaque, & dignitatem ſuam reſtitutus homo, & ad fontem aquæ uiuæ, & ueræ refrigerantis reuertens, à quo ſemper undè gaudere poſſit hauriat, tunc uiuit lætus & fœlix.

De conſonantia animæ cum ſpiritu proprio, & aliis ſpiritibus Tonus quintus.



Quid ſit ſpiritus. Cap. primũ.
Quotuplex ſit ſpiritus. Cap. II.
Quid agat ſpiritus in homine ultra animam. Cap. III.
Quam conuentionem habeat homo cum ſpiritu Dei. Cap. IIII.
Quod commercium habeat homo cum ſpiritu angelico. Cap. V.
Quid habeat homo cum ſpiritu diabolico. Cap. VI.
Quomodo intelligatur ſpiritus unius intrare ĩ corpus alterius. Cap. VII.
Quæ conſonantia deducatur inter ſpiritum & animam. Cap. VIII.

QVID SIT SPIRITVS. *Caput primum.*



VM tota lex euangelica tractet de homine perficiendo secundũ spiritum, uersans semper circa spiritualia, hinc æquũ & opportunum est, ut aliquid de spiritu percurramus: qui tam uarie accipitur in scriptura sacra, ut cũ difficultate nõ modica intelligatur quid sit. Est enim de reconditissimis naturæ rebus, nec aliquid de ipso pertractandum, nisi quantũ ex scriptura sacra à præcipuo & principali spiritu ædita coniicere possumus, aut excudere ex characteribus uocabuli linguæ illius, in qua omnia nomina imposita sunt rebus, secundum illarum proprietates. Hebræi *enim uocant spiritum*

Hebræi. רוח Ruah. *In qua dictione sunt tres literæ. Vna est* ו *quæ est litera diuinitatis, importans numerum senarium, secundum quem ipse spiritus summus omnium artifex primo incubans super fœcundis aquis disposuit (ut conueniens erat) totam hanc mundi machinam. Trinum est enim omnium rerum principium, egrediens in opus, ornans, & confouens, & quodlibet illorum per intermedium spiritum, ex quibus senarius resultat in maxima unitate.* Hinc *dixere reconditissimi theo*

Theo.He. *logi* Hebræorum *illam literam diuinitatis, quæ est* ו, *significans principium & finem, cum sit finis numerorum, & principium denariorum, habere sex spinulas: quoniam in ea ratione, qua principium est ipse* Deus *signatus per literam illam, ternarius est: à quo, in quo, & per quem omnia. In ea autem ratione qua director, confouẽs, & reducens est, alio ternario, spiritali uidelicet gaudet: nõ quia*

Abrahã. *tres sint spiritus* Dei *(quamuis Abraham in libro de formatione dicat spiritum de spiritu) sed quia triplex est eius operatio, secundum quam regius uates in*

Dauid *psalmo quinquagesimo nuncupat eum spiritum principalem, spiritum rectum, & spiritum sanctũ. Est igitur in uocabulo & nomine illo litera diuinitatis, quæ est,* ו, *Est etiam alia litera uitæ, quæ est,* ח. *Nam uita dicicitur,* חי *hai. Tertia est,* ר, *quæ binos centenarios, & materiam, aut corporeitatem quandam significat:* Binarius *enim materiam importat, hinc (teste* Hieronymo*) semper infaustus, nisi*

Hieron.

cum alio numero coniunctus fœlicitetur: Nam *materiale cum uita & diuinitate*

Cantic. *associatum fœlix est.* Ducenti *enim per* ר, *importati, illi sunt de quibus in* Canti*cis agitur.* V*bi postquam,* א, *aleph, & unum, & mille attributa sunt diuinitati subinfertur.* Et *ducenti his qui custodiunt fructus eius:* Custodes *enim positi sumus in uinea* Domini *cum binaria corporeitate.* V*bi si custodierimus fructifera* Domini *præcepta: tandem uniemur cum ipso aleph præparato omni uerè pacifico, & illi qui habet pacem in seipso.* Spiritus *igitur quidam nexus est, ligans, & nectens duo extrema simul: ipsa uiuificans, & corroborans, pro conditione spiritus unientis.* Hinc *sapit naturam duorum extremorum, quæ uniuntur, & sui ipsius medij connectentis, ut innuitur per literas nominis ipsius iam declaratas.* Viuificat *enim cũ in se uitã cõtineat, undè dicitur aliquãdo spiritus uitæ.* Cor-

roborat uerò dans uim operandi iuxta illud Apostoli: Corroborari per spiritũ eius. Et de Sãsone legitur in libro Iudicũ: Irruit spiritus Domini in Samson, & lacerauit leonem. Et quodcunque robur in uiuente procedit à spiritu uitæ, qui est in eo: Spiritus autem hominis nexus quidam est, & medium sapiens naturam intellectiuam & corpoream, ligans & connectens animam animalem & crassiorem cum intellectiua uirtute, quæ dicitur portio superior. Corporeus quidem est spiritus, non tamen habens corpus grossum, tangibile, aut uisibile, iuxta illud summæ ueritatis: Palpate, & uidete, quia spiritus carnem, & ossa non habet. Sed corpus illud subtilissimum est, & facilè unibile cum mente superiori, & diuino illo, quod est in nobis. Hinc qui diuini efficiuntur communi, & uulgari uocabulo dicuntur spirituales, quia eorum studium est deducere corpus in naturam spiritus uergentis ad diuinum. Aut quia student mediante Dei spiritu reduci in ipsum Deum: Hinc clarè coniicitur spiritus differre ab anima suprema, quæ intellectus, mens, lux, & portio superior dicitur: & etiam differre ab animali, à qua separari docet Apostolus per uirtutem uerbi Dei dicens: Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad diuisionem animæ, & spiritus. Docet enim uerbum Dei, ut totum affectum rationalem, qui ad spiritum pertinet, remoueamus à concupiscentia, & oblectamento animali: & reducamus in Deum per illud supremum, & diuinum, quod Dei gratia est in nobis: cum quo uniri debet spiritus non tantum affectu, sed re ipsa. Nec potest cum superiori uniri penitus, nisi quatenus ab inferiori, separatur: sicuti ignis procedens a ligno, non unitur cum superiori, & æthereo igne, nisi separetur à grosiori subiecto. Quod autem separatur, etiam distinguitur. Et si dicant spiritum esse animam rationalem, damus quidem: Nam est medium quoddam (ut Plotino & academicis placet) inter animale inferius, & diuinum, quod est superius, connectens utrũque, & cũ utroque unibile. Sed ne offendantur legentes, dum audiunt animam esse aliquid corporeum, dicimus ipsam habere, uel sapere aliquid corporeitatis, dum est in corpore, & corpore utitur, tanquam instrumento sibi necessario. Si autem separetur penitus à corpore, unitur cum superiori illo diuino, imò cum ipso Deo, ab omni corporeitate penitus semoto: trahens tandem secum corpus, quod glorificatur, cuius immediata forma extitit. & cum medium sit ipsa anima deducens corpus in meliorem sortem, necesse est ut utriusque naturam sapiat. Et hoc est quantum de spiritu nostro in præsenti dicere possumus.

Paul. | Samson | CHRISTVS. | Paulus | Plotin. Academ.

Quotuplex sit spiritus. Cap. II.



ET quia non tantũ in homine, sed in aliis quoque rebus spiritus reperiuntur: ideo explicemus uarias naturas spirituum. Est enim spiritus naturalis, cœlestis, dæmoniacus, humanus, angelicus, & diuinus. Spiritus naturalis est tã in maiori, quàm in minori mundo medium illud, quo unum membrum in aliud operatur. Est in homine uirtus imagi-

natiua, uel phantastica in capite, ut moueat manum, uel pedē, & statim mouetur: quamuis satis distet à capite, ubi est uis illa cogitatiua. Vnde hoc fit mediantibus spiritibus multiplicibus, qui sunt inter caput & manū uel pedem. De quibus spiritibus naturalibus, siue uitalibus multa pertractant authores medicinæ: quæ in suis libris legenda relinquimus. Per ipsos enim unitur anima cū carne, & corpore, unde uiuit: & per ipsum corpus mediantibus illis spiritibus anima operatur. Est eodem modo spiritus multiplex in mundano hoc corpore inferiori: per quos una res operatur in alia: sicuti magnes in ferrum, attrahens ipsum: & lapides multiplices in homines, lætificantes, roborantes, & multiplices dispositiones inducentes: & quodcunque in alio operatur non tantum qualitatibus primis interuenientibus, sed ex uirtute (ut aiunt) occulta. Quæ cum medium sit, ut unum operetur in aliud, meritò spiritus dici potest. Est quoque spiritus cœlestis, quo mediante inferiora ligantur cum cœlis: ut ab ipsis per ipsum spiritum hauriāt, & suscipiant cœlestes influxus. Est etiā spiritus dæmoniacus malus, & spiritus angelicus bonus, uterque datus cuilibet homini. Quorum officium est quærere unionem cum spiritu nostro, ut unusquisque euocet, & trahat ipsum ad se. Malus autē per mala opera conformes, & unitos sibi reddere studet: ut de pro-

CHRISTVS. *ditore perhibet summa Veritas dicens: Ego uos elegi duodecim, & unus ex uobis diabolus est, in spiritum uidelicet diabolicum per suam iniquitatem conuersus, & secum unitus atque idem effectus: Commiscētur enim hi spiritus sicut aqua & uinū, uel duo uina, aut duæ aquæ simul. Bonus uerò per bona opera, & ipsi symbolica nos in angelos deducere studet: ut de Ioanne attestatur Deus in*

Malach. *Malachia: Ecce (inquit) ego mitto angelum meum ante faciem tuam. Est denique spiritus diuinus, qui à sacris & ueris doctoribus dicitur nexus, ligans uidelicet animam nostram cum ipso Deo, unum primo effectam cum spiritu illo,*

Paulus. *iuxta Apostolicam illam sententiam: Qui adhæret Deo unus spiritus efficitur cum eo. Et hæc est consummata unio, quam denique consequi speramus. Et quia omnia reducenda sunt tandem ad suum principium, à quo processerunt: quia om*

Idem. *nia sunt per ipsum, à quo omnia emanarunt (ut Apostolus docet) ideo ille spiritus, per quem incubantem super aquas omnia in lucem deducta sunt, exigitur, ut etiam per eundem reducātur ad id, à quo prodierūt. Hinc de ipso dicitur: Spiritus Domini repleuit orbem terrarū: Et iterū. Et spiritu oris eius omnis uir*

Sapien. *tus eorū: Ab ipso enim nedū cœli, sed machina hæc uniuersa sustentatur, uiuit, corroboratur, nectitur, & tandem reducitur, quo tendunt omnia. Diuinus autem hic spiritus est ab omni corporeitate penitus absolutus, & est tanquam ignis consumens, conflans, conuertens, & deducens quos tangit in naturam propriā, & diuinos faciens. Quousque autem eos penitus deificet, semper in ipsos illabitur, ipsosque perfundit, existens ignis, & canalis per quem fluit.*


Quid agat spiritus in homine vltra animam. Cap. III.



Erum si Peripateticum dogma sequi voluerimus, ex quo habemus hominẽ ex anima & corpore tantũmodo cõfectum, difficile erit explicare quid sit, & quid agat spiritus in homine ultra animam, cum vterq; ab eis idem esse censeatur. Si autem Platonicos, & Hebræos audiemus, qui illa distingunt, & plura in homine collocãt, facilè exarabimus quid sit, & quid agat spiritus: Plotinus enim tria ponit in homine, supremum, infimum, & medium. Supremum est illud diuinũ, quod nostri portionem superiorem vocant. Infimum est, quod Paulus animalem hominem nuncupat. Medium est anima, vel spiritus vtrũque connectens. Quæ tria Hebræi omnes dicunt נפש רוח נשמא *nephes ruah nessamah. Quod nos interpretatum dicimus, animam, spiritum, & diuinum quoddam, cuius vocabulum accommodatius non habemus q̃ portionem superiorem: vel vt traductum habemus in Genesi spiraculum, à Deo videlicet vel à spiritu eius in nos spiratũ. Quod vnitum cum anima inferiori mediante spiritu nostro, totum communi vocabulo dicitur,* נפש *nephes, id est anima. Illud itaque intermedium est, quod Plotinus rationale uocat, & Hebræi spiritum, nostri autem animam ex mixtione quam habet cum ipsa. Supremum quoque illud semper deprecatur ad optima nunq̃ peccãs, sed peccato & errori remurmurat. Infimũ in malo & cõcupiscentia semper immergitur, iuxta id quod ait apostolus: Video aliam legem in mẽbris meis repugnantem legi mentis meæ, & ducere me captiuatum in legem peccati: ita vt non quod uolo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum. Spiritus uerò medius, qui & rationalis anima à Plotino dicitur, cũ vtroq; adhærere potest ad libitum. Meretur autem adhærens superiori, & inferiori cohærens à Deo se auertit. Illud verò superius cũ nunq̃ peccato assentiat, nequaq̃ peccat, proinde nec damnatur, sed puniendis sociis illæsum abit, veluti quãdo clauditur fenestra, abit solaris lux, spatio remanente tenebroso: sic abeunte luce illa remanet anima, & spiritus detrudendus in tenebras interiores, cui addentur exteriores, iuxta illud summæ Veritatis de damnandis testimonium: Ite in tenebras exteriores. Et quia bifarium opus peragit homo mediãte illo superiori: Deum uidelicet intelligit, & meretur bene operans: hinc illo abscedẽte, nec Deum intelligere, nec aliquid mereri potest. Itaq; impœnitens efficitur, nunq̃ ad Deum reuersurus. Sed anima media, quam reor idem esse cum spiritu, aut consentit illi superiori, & meretur, cum ipsóque tandem vnitur, & fœlicitatur: aut consentit inferiori trahenti ad malum, & à malo dæmone agitato, & tunc malè meretur: & adeo deprauatur, vt idem efficiatur cum ipso malo dæmone. Differt igitur spiritus à sorte animæ superioris, & inferioris, cum utraque tamen ad libitum vnibilis: sed debito calle incedens separanda venit ab inferiori, & cum superiori vnienda.*

Platon. Hebræi Plotinus Paulus. Hebræi Genesis Plotinus Paulus. Plotinus CHRISTUS.

Quam conuentionem habeat homo cum spiritu Dei. Cap. IIII.



Sed cum dixerimus spiritum esse medium connectens vtrunque extremum, hinc sapit naturam utriusque. Ideo Dei spiritus, quo mediante unitur homo cum Deo, sapit naturam diuinam: imo est ipse Deus Habet quoque symbolum maximum cum illo diuino, quod est in homine. Hinc discipuli melius ueniebant docendi à Spiritu sancto, tanq̃ à proximiori persona, & habẽte expreßius symbolum cũ homine, q̃ ab illo qui CHRISTVS. *dicebat: Multa habeo uobis dicere, sed non potestis portare modo, me uidelicet docente. Sed cum venerit ille spiritus ueritatis, suggeret uobis omnia, & docebit uos omnia, tanquam magis uobis domesticus. Vndè non sine causa* Stepha. Aposto. *Stephanus, apostoli, & alij potius dicuntur repleti Spiritu sancto, q̃ filio Dei, Hoc quia spiritus est magis nobis unibilis q̃ uerbum: vnde nec istud sine spiritu unitum fuit cum homine, dicente oraculo ad virginem concipientem: Spiritus sanctus superueniet in te, quo videlicet medio & tu cõcipies, & fiet vnio duarum naturarum. Dum itaque spiritus noster est in corpore, habet aliquid cor-* Platoni. *porëitatis: sed vnitus cum Deo separatur à corpore, maximè hoc corruptibili, & graui. Nam secundum Platonicos ducit secum corpus æthereum ex quinta (ut aiunt) essentia confectum: quod animæ vehiculum nuncupãt: In quo potest anima pati tormẽtũ ignis, & cum ipso tristari, & gaudere de multis corporeis, & apparere uisibilis ad libitum. Sunt etiã ex eis qui asserant animam tãdè ab illo corpore æthereo separari: & vniri penitus cum Deo. Et id, quãdo non tantũ in primo, sed in secundo purgatorio bene purificata erit. Duplex enim purgatorium illi esse opinantur: In quorum altero expurgãtur animæ à sordibus, si quæ sunt: In altero autẽ melius purificãtur, vt diuiniores fiant, &* Dauid *dicere poßint cum diuo Citharista: In pace in idipsum dormiam, & requiescã. Sed cum ex sacris eloquiis habeamus corpora nostra glorificanda simul cum anima, id quidem fiet, cum induerint secundũ apostolicum documentum naturam spiritus, & relicto animali, & corruptibili surgent incorruptibilia & spiritualia.*

Quod commerciũ habeat homo cum spiritu angelico. Cap. V.

Idem.



Et quia etiã angeli dicuntur spiritus iuxta propheticum illud: Qui facis angelos tuos spiritus, percurrẽdũ est quod particulare Paulus. *symbolum, aut commercium habeat homo cum spiritu angelico. Ministerium enim suscipimus ab eis, qui (ut ait apostolus) facti sunt omnes administratorij spiritus. In quo ministerio laborant, vt nos in Deũ deducant tanquam medij & veri spiritus: vnde vtriusque, & Dei, & nostram naturam sapiunt. Et cum infimi deducantur in superiores p medios, & medij in summum per superiores, inter supremũ & infimos in illũ deducendos, sunt innumerabiles intermedij spiritus: qui succeßiuè curant hominem, qui alium*

& alium sibi in dies comparat custodem, prout conscendit de virtute in virtutem, quousque perueniat ad claram uisionem Dei in speculo superno. Et ut indicet non vnum, sed multos esse hominis custodes, inquit Propheta: angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus uiis tuis. Quod non tantum in Christo, sed in quocunque homine (vt rectè sentit Hieronymus) locum habet. Nec tantummodo sunt spiritus intermedij, qui deducunt in superiores: sed etiam ipsi supremi qui deducunt in Deum. Hinc Ioannes in celeberrima uisione eas supremas intelligentias, quæ in diuino tribunali primarium locum tenent, spiritus nuncupat dicens: Et à septem spiritibus, qui in conspectu Dei sunt. Per quorum unum facta est denuntiatio uerbi diuini uniendi cum homine, sicut & per illos immediatè reducimur in Deum. Dauid. Hieron. Iohan.

Quid habeat homo cum spiritu diabolico. Cap. VI.

HOmo (Mercurio teste) ex omnibus potestatibus constans, cum omnibus habet commercium: ex intellectu cum supernis & bonis: ex materia cum infernis & malis. Hinc Michaël princeps bonorum spirituum, dicitur habere principatum super omnes animas iam expiatas, & à Deo suscipiendas: & malus dæmō, serpens antiquus Azazel, vel Asmodeus, vel quicunque sit, est dominus carnis, & sanguinis, & totius hominis, si spiritus carni, & sanguini adhæret. Ex mala itaque dispositione materiæ, & omnium quæ super ipsam innituntur, habet homo nexum, seruitutem, & aliquando identitatem (vt diximus) cum malo dæmone: sicut in quibusdam comprobaui, qui proprio ore fassi sunt sentire in se nō animam, sed malum dæmonem, semper ad blasphemias Dei, & ad quæcūque scelera deducentem. Sunt & qui commercium, & commixtionem coniugalem habent cū malis dæmonibus, & carnales: atque terrei toti in cibum illorum effecti, vt intonat diuina sententia in pœnam primi præuaricantis, terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ. Ad præuaricatorē autem: Terra, uel puluis es, & in pulurem reuertêris. Vndè colligitur hominem malum datum in cibum mali dæmonis. Mer. Micha.

Quomodo intelligatur spiritus unius intrare in corpus alterius. Cap. VII.

FActa itaque mixtione duorum spirituum, humani & mali dæmonis, hoc subintrante in corpus aliquod, subintrat & alter iam malus dæmon effectus. Intrant autem ambo idem effecti, vt non connectant animal cum portione superiori, sed ut & spiritum illius in quem intrant, in suam sortem (si possunt) deducant: Sin autem, vt accepta à Deo, occulto nobis iudicio, potestate torqueāt: & ut oblectetur malus dæmon in sede illa, quæ supremo Domino erat præparata. Delectatur quidem nimis habitare in domo ordinata pro summo hospite; q. & multa diligētia eam præparandam præcipit, & hortatur. Hinc præcursor resumens quod Isaias Ioan. Isaias.

antea proclamauerat, dicebat: Parate uiā Domini, *rectas facite semitas eius.* *Nec minus parandum est hospitium q̃ via, & vtrunq; disponendum est rectitu dine, cum habitaturus hospes sit, qui summa veritas est, & rectitudo. Malus autem dæmon cum natura sit mendax, & obliquus, pro se errore, & menda- cio disponendum procurat. Nec aliquando habitaculum cordis nostri uacuum*
Saul. *relinquitur: nam vno hospite recedente alius statim subintrat, sicut de* Saule *in primo volumine* Regum *dicitur:* Spiritus *domini recesserat à* Saul, *& exa gitabat cū spiritus neq̃, à domino videlicet demissus, vt rerum ordo exigebat:*
Lucas. *Sicuti etiam habetur in euangelio, cui titulus est secundū* Lucā *de illo obsesso à spiritu immūdo, quo expulso subintrauit mūdus. Huc reuertens expulsus vt subintraret, nequit quousq; p immunditiā illatam à septē spiritibus nequio*
Paulus. *ribus fugaretur bonus hospes: Quo fugato ingreßi sunt mali, Nec enim* Deus, *angelus, vel dæmon in quopiam habitat, aut aliquid secum agit, nisi mediante uirtute spirituali. Hinc* Paulus *postq̃ multa meminerat, quæ* Deus *largitur, & operatur nobiscū, subinfert: Hæc autē operatur unus atq; idem spiritus. Qui tamen aliquando (vt suprà tetigimus) dicitur spiritus* Patris, *iuxta illud sal-*
CHRISTVS *uatoris: Sed spiritus* Patris *uestri qui loquitur in vobis. Aliquādo dicitur spi*
Paulus. *ritus filij, de quo ait apostolus cum* Galatis *agēs: Misit* Deus *spiritum filij sui*
Act.apo. *in corda nostra. Aliquando est spiritus de spiritu: vt in* Actibus *apostolicis le- gimus:* Repleti *sunt omnes spiritu sancto: Qui tamen non discesit à dignita- te, & deitate sua: sed uirtute quadam spirituali sanctificauit, & deificauit spiritum apostolorum quos perfuderat.*

Quæ consonantia conducatur inter spiritum & animam. Cap. VIII.



T igitur introducatur in nos bonus spiritus, siue angelicus, si- ue diuinus, conducenda est consonantia inter spiritum & ani- mam, non utique illam, quæ est idem quod spiritus, sed cum me- liori. Ex *qua consonantia deueniat tandem ad unionem cum ea; & tanquam medium secum deducat inferius trāsmutatum in spiritum ad me-*
Philoso. *liorem sortem. Sicut enim in arte transmutatoria (vt dicunt secretiores philo- sophi) est medium, tanquam spiritus quidam indutus, & imbibens primo natu ram auri, postea deducit ui quadam ingenti, & velocißima cætera metalla in aurum. Et quia transmutabilis est spiritus hominis in diuersas naturas, hinc*
Chaldæi. *dixere* Chaldæi *hominem esse dissolutoriæ naturæ animal, nullā habēs deter minatam imaginem, sed aduentitias & extrarias quamplurimas. Nam trans mutatur spiritus non solum in naturam superiorem, & inferiorem, quæ sunt in homine, sed in dæmonem, angelum, &* Deum, *ut tetigimus. Et cum trāsmu- tatus in meliorem sortem secum inferius deducit, hoc per seipsum subtiliat, si- cut subtiliatur aurum deductum per angustißimum foramen: vt veluti fi- lum sericum, vel lineū deducatur ad libitū, & de animali fiat spirituale. Hinc non sine mysterio* רוח *quod est spiritus inuersis literis, per siruph more cabali*

stico reddit חור *hur, quod foramen significat, per quod transiens corpus animale fit spirituale, ut unitum cum superiori beatificetur. Et hoc quando spiritus primo unitur cum illo diuino, & superiore. Si autem decidens conglutinatur cum inferiore, tunc per ipsum tanquam per foramina cribri distillat, & deperditur quicquid ex superiore deteriorari potest. Si igitur homo cupit fieri diuinus, necesse est, ut eius spiritus conueniat cum illo diuino, quod est in ipso, in quod tandem reducat animam inferiorem, primo spiritualem effectam. Consonantem autem facimus spiritum cum illo diuino, quando obediens adhæret illi, quæ synderesis dicitur, semper malo remurmurans, & ad bonũ deprecans. Cui consentiens, & nullatenus discrepans sequitur in homine pax, & tranquillitas, & inde lætitia cordis, mentis iubilatio, & arrha beatitudinis: ut dicat cum propheta: Mihi autem adhærere Deo bonum est. Subsequitur etiam dilatatio cordis, & auidus cursus, atque uolatus uelocissimus in bonum: ut iterum dicat cum eodem propheta: Viam mandatorum tuorum cucurri, cũ dilatasti cor meum.* Dauid. Idem.

De conuenientia suauissima hominis cum Deo, ut ipso hîc frui incipiat. Tonus sextus.



Homo Deum natura æmulatur. Cap. I.
Homo effigiat archetypum in figura. Cap. II.
Corpus non minus conuenit Deo uestito, quam ipsi nudo, & simplicissimo pura, & expoliata materia (ut diximus) respondeat. Cap. III.
Cum in homine sint infimũ, & summum, atq; intermedia, omnia facilè per ipsum hominem cum Deo conciliantur. Cap. IIII.
Cur anima in corpore tanquam in fusorio uase purgãda collocata sit. Cap. V.
Cur Deus hic collocauerit animã & mentem uertibilem. Cap. VI.
Quomodo homo à Deo peccato dissideat. Cap. VII.
Sicut homo per peccatum à Deo deficit, & dissidet: sic per pœnitentiã reducitur, & temperatur. Cap. VIII.
Sacramentis homo redditur perfectior in seipso, & cum Deo magis sonorus. Cap. IX.
Sacrificiis expiatur. Cap. X.
Eleemosynis abluitur. Cap. XI.
Personat uirtutibus. Cap. XII.
Lectione imbibit undè modulari possit. Cap. XIII.
Meditatione præludit. Cap. XIIII.
Oratione modulatur. Cap. XV.
Contemplatione introducitur. Cap. XVI.
Amore unitur. Cap. XVII.
Extasi & excessu transmutatur. Cap. XVIII.

HOMO DEVM NATVRA AEMVlatur. Caput Primum.



OSTQVAM propositum nostrum est, vt explicemus qua ratione homo cum Deo conueniat, & ipsi assimiletur, vt plerisq; locis suademur, & inuitamur, opportunum duximus repetere cum qua sui imagine ipse summus opifex produxerit hominem: Omnibus enim iam triuiale est hominem cum imagine dei factũ, & ad ipsius deductum similitudinem. In quo autem consistat hæc imago (vt cum bona venia dixerim eorũ qui de hac scripserũt) cum adhuc non sit enucleatum, perscrutemur. Vulgari enim & anili doctrina dicitur, tres diuinas personas repræsentari in tribus potentiis animæ, memoria, intellectu, & voluntate. Nec quidem hæc potest dici imago, cuius est repræsentare totum, & omnimodum effigiatum, vt à theologis nostris perspicacioribus quàm optimè decernitur: vestigij autem est repræsentare non plenum imaginatum, sed aliquam eius rationem, vel partem. Et quamuis tota diuinitas comprehendatur in tribus personis, & etiam in ratione ipsa deitatis: plura tamen in Deo explicari possunt, quæ homo plenißimè repræsentat in aliis partibus, quàm in prædictis tribus potentiis. Hinc ex nouitioribus theologis aliqui acutiores, non contenti illa simplici aßignata ratione imaginis, dicunt ipsam consistere non tantum in illis tribus potentiis, vel (vt suo more loquamur) in actibus primis solummodo: sed etiam in secundis. Est enim in nobis intellectus, memoria, atque voluntas: hecque eadem tria in Deo repræsentant Est insuper uerbum ab intellectu nostro productum, & amor à voluntate emanans, quorum altero diuinum uerbum, altero autem spiritus sanctus, qui amor quidam est, resignatur. Intellectus uerò habens obiectum præsens, & producens patrem effigiat: sed non minus deficit imago hæc in homine ab effigiato Deo, quàm imago hominis picta decidat ab ipso homine uero: Verbum enim in nobis productum, similiter & amor, qui actus secundi ab ipsis dicuntur, in nobis accidentia sunt: in Deo uerò substantia, & idem cum ipso Deo: Et memoria quæ in nobis est recordatiò præteritorum, in Deo est plenißimus omnium præcedentium, præsentium, & futurorũ contuitus: sed adhuc expreßiorem imaginem dei in homine uenari possumus, comparantes Deo non solum animam, sed totum hominem, in quo relucet omnimoda ipsius Dei imago: Est itaque Deus plena uita, omnia mundani corporis membra viuificans. Est quoque in anima fons quidam vitæ, à supremo tamen & diuino mari emanans, omnibusque proprij corporis membris pro sua conditione uitam tribuens. Hinc in sacra pagina dicitur: Et inspirauit in nares eius spiraculum, aut animam uitarum: vt præstet corpori vitam

Scotistę

vegetatiuam, sensualem, rationalem, intellectiuam, atque diuinam. Est deus uirtute sua omnia continens: & de homine inquit Sapiens in concione sua: fecit Deus hominem puluerem de terra: & dedit ei uirtutem continendi omnia. Cognouit Deus cuncta. Cognoscere quoque potest homo omnia cognoscibilia, cum pro obiecto adæquato (vt dicunt theologi, & philosophi) habeat uerum, vel ens in communi: sed distat imago ab imaginato: hic vnico actu omnia intelligit, homo autem per quandam successionem. Est insuper Deus circulus quidam, non aliunde quàm à seipso trahens originem, & in seipsum tendens omnia illuc secum deducit. Est etiam homo circulus à Deo procedens, & in ipsum tendens: illuc omnia deducens cum omnia contineat. Nec aliquando quiescit quousque ad ipsum Deum, à quo processit, pertingat. Aemulatur quoque ipsum Deum quoad potest in duratione. Sed cum nequeat habere suæ durationis totam simul possessionem, durat saltem successione perpetua: Et adeo est similis & (vt ita dicam) Deo congeneus, vt tandem cum ipso uniatur: sicuti suo loco Deo fauente declarabimus. Est denique Deus liber à passionibus, nisi quatenus passus est in corpore assumpto: nulla quidem ad ipsum Deum passione transeunte: sicut nec passionem suscipit, quando (vt inquit Ieremias) cœlum, & terram implens alteratur in membris mundani corporis, quod replet. In quem sensum forsitan non insulsè intelligi possunt sententiæ illæ omnes, quibus dicitur Deus irasci, pœnitere, dolere, concupiscere, & huiusmodi. Nec enim pœnitet: nisi quatenus id apparet in membris, vel rebus, quas replet: à quibus se subtrahente, & auertente faciem, turbantur omnia: & vacua Deo viuificante in puluerem suum reuertuntur: vt uideantur membra illa, imo Deus in illis dolere, tristari, & indignari, atque pœnitere: Desistens scilicet à consueta influentia. Reuertente autem spiritu eius, qui replet orbem terrarum uniuersum, recreantur & gaudere videntur omnia. Nec aliter se habet anima nostra, de qua Aristoteles, & Plotinus inquiunt, qui dixerit animam tristari, vel gaudere: dixit hãc texere, vel filare. Non itaque gaudet, vel tristatur anima: sicut nec texit, nec filat: nisi quatenus est coniuncta corpori. Nam animalis (ut sequitur Plotinus) est pati, atque operari, non autem animæ rationalis, neque intellectus: sed horum est dirigere animal quod operatur: sicut Dei est moderari mundum, cuius membra sunt secundariæ causæ operantes, cum huiusmodi agitationibus, & passionibus. Nec reperitur aliqua in homine dispositio, quin in ipsa refulgeat aliquid diuinitatis, nec quicquam est in deo, quod non repræsentetur in homine: sed veniamus ad figuram.

Salom.

Theold. Philoso.

Ieremie.

Aristote. Plotin.

Homo effigiat archetypum in figura. Cap.II.



I *autem homo continere debet ueram imaginem, necesse est, vt cõsimili ei figura gaudeat.* Sed heu quo intramus? *Quam figuram assignabimus ei, qui nullis terminis clauditur, nullis lineis figuratur, nullis coloribus pingitur?* Hinc tanta diligentia diuina lege caue-*tur, ne aliqua imago penitus fieret, neque ipsius* Dei, *neque rerum aliquarum cœlestium: tum ne per idola illa adorarentur creaturæ visibiles: tum etiã ne falsò exprimeretur, quod effigiari nequit.* Verum & *si nulla potest figura deduci, nec in rebus inferioribus reperiatur aliqua, in qua dignoscatur dei similitudo, aut effigies: nihilominus* Dei *testimonio suffulti, in homine uenabimur ipsius similitudinem, & figuram saltem per analogiam quandam, qua quidem ipse summus opifex sibi eam asscribere dignatus est, sicut partitiones, & membra humani corporis omnia.* Dixit *enim se habere dexteram, si-*

Dauid *cut in* Dauidico *carmine decantatur:* Dixit Dominus *domino meo, sede à dextris meis.* Habet *etiam sinistram, ad quam collocabuntur flagitiosi damnãdi nouissimo examine.* Sedere *quoque dicitur aliquando velut homo, vt in* Isaia *inquit:* Cœlum *mihi sedes est: & terra scabellum pedum meorum.* Ambula-

Isaias *re etiam in* Genesi *dicitur ad meridiem, uel aduentum* Diei. Et *de itineribus æternitatis eius inquit* Psalmographus: Viderunt *ingressus tuos* Deus, *in-*

Dauid *gressus* Dei, & *regis mei qui est in sancto.* Qui *gressus, & itinera aliquando eum terrorem immittunt: vt ab eis (teste* Abachuc) *conterantur montes*

Abacuc. Hieron. *sæculi, & inclinentur colles mundi: quia (vt rectè exponit* Hieronymus) *quando uenit ad nos, destruxit dæmoniacas potestates: & altitudines sæculi ad nihilum redegit.* De *membris quoque ipsi* Deo *asscriptis scriptura sacra locupletißima testis est.* Sunt *nanque ei oculi, & aures: de quibus in* Daui-

Dauid. *dico hymno:* Oculi *domini super iustos, & aures eius in praeces eorum.*

Palpebræ: *de quibus in alio carmine.* Oculi *eius in pauperem respiciunt: & palpebræ eius interrogant filios hominum.* Sunt *nares: quibus (vt in lege sæpius repetitur) odorabat sacrificia in odorem suauitatis.* Est *os: de quo in* Isaia

Isaias. *inquit:* Os *meum non interrogastis.* Est *gustus, & guttur: de quo in canticis:*

Cantic *Guttur tuum sicut uinum optimum.* De *capite quoque ibidem dicitur:* Caput *tuum sicut* Chermel *non quidem mons ille magnus in maritimis* Syriæ *(vt q̃ plurimi etiam* Hebræi *decipiũtur) sed ut uermis, qui gignit purpuram.* Chermel *enim vtrunque significat, & montem & vermem.* Et *quòd comparatio fiat uermi, & non monti indicant uerba, quæ subsequuntur:* Et *comæ capi-*

Psalmus *pitis tui sicut purpura regis.* Manus *quoque sunt ei: de quibus regius vates:* Manus *tuæ domine fecerunt me: & plasmauerunt me.* Digiti: *de quibus iterum canit:* Videbo *cœlos tuos: opera digitorum tuorum.* Dentes: *vt in canticis*

Cantica. *dicitur:* Dignum *est uinum dilecto meo ad potandum, & cibus labiis, & den-*

tibus illius ad ruminaudum. Sunt humeri: de quibus Isaias: Factus est principatus super humeros eius. Quibus etiam (vt in euangelio dicitur) portauit inuentam ouem. Brachia etiam ei miranda sunt, dicente Isaia: Brachium domini cui reuelatum est? Nam in brachio extento (vt sæpius in scriptura repetitur) eduxit populum de Aegypto, signis, & portentis quàm maximis subsequentibus. Cor: secundum quod in primo volumine Regum dicitur inuenisse Dauid. Pectus: a quo discipulus dormiens ebibit fluenta euangelij. Dorsum: de quo in Ieremia: Dorsum & non faciem ostendam eis in die perditionis eorum. Et regius vates in hymno, Posteriora dorsi eius in pallore auri. Pedes: de quibus idem vates in alio carmine: Et caligo sub pedibus eius. Pennæ, & volatus: de quibus in eodem carmine: Volauit super pennas ventorũ. Et in alio hymno dicit, cœlesti regi fuisse pennas columbæ deargentatas: quas ipse propheta alibi exoptabat dicens: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? Et aliquando vestitum uariis indumentis se se nobis ostendit opifex, non quidem ut tecta ipsius membra ueluti nostra carnea protegantur à frigore: & ob honestatem uelentur: sed ea sunt hæc indumenta, in quibus, & per quæ Deum cognoscere possumus: quæ in nuda, & pura essentia apprehendere nequimus. Membra itaque sunt vires multiplices in illo uno simplicissimo: & vestimenta uiæ quædã, per quas graditur nobiscum: aut in nobis se se diffundit, dum per membra, id est per uires eius multiplices quo ad nos, sed unicam in se, aliquid operatur. De quibus vestimentis Hebræi amplissimè in eorum theologia pertractant: Quorum fimbria tacta ab hæmorrhoissa clamauit IESVS dicens: Quis me tetigit? Nam & ego noui uirtutem de me exisse. Per hæc enim uestimẽta (ut ipsi Hebræi docent) omnis uirtus ab eo emanans procedit: nam à Deo nudo (vt aiũt) idest penitus semoto ab õni respectu nihil fluit: quãuis fons existat totius bonitatis. In eo enim quòd influit, relationem quãdam induit, quam ipsi vestimentum nuncupant. Membra autem (vt diximus) uires quædam sunt. Oculi enim significant clarissimum eius contuitum: cui omnia nuda sunt. Olfatus discretiuam uim, & susceptiuam odoris bonorum operũ. Aures illud quo omnia percipit, & intelligit vsque ad cogitationes cordis: quas nouit ipse solus Deus. Palpebræ iudicia Dei occulta, & subtilia (inquit Hieronymus) quibus omnia penetralia discutit. Dentibus optimè contritum cibum multiplicem nobis tribuit: & nostra opera tanquam edulium suscipit conterendum in nostrum incrementum & prouentum, sicut de Samaritis cõuersis dixit filius dei: quoniam effecti erant cibus, quem habebat ad manducandum apostolis minimè cognitum. Humeris omnia portat, & sunt peculiares filij Dei iuxta illud apostoli: Portans omnia uerbo uirtutis suæ, super quo etiam posuit oues portãdas, & onera omnium scelerum nostrorum, & pondus dominij, & sceptri, & iudicij: ut ipsemet attestatur dicens: Omne iudicium dedit mihi Pater. Brachium est virtus, qua omnia miranda sæpius perpetrauit, & perpetrat.

Isaias. Reg. I. Ieremiæ. Dauid. Hieron. CHRISTVS. Paulus. CHRISTVS.

Corde nos tenerrimè diligit. Pectore suscipit, & charissimè nos complectēdo confouet. Dorsum: quod aliquando uertens se indignabundum ostendit: & aliquando splendens in rebus creatis nobis se contemplandum præbet: sicuti ad Mosem ait, videbis posteriora mea. Pedibus affectuum aliquando ad nos uenit: & aliquando nostris flagitiis exigentibus abit. Pennis celerrimè volat, vt nostris necessitatibus occurrat: quas optare debemus, vt & nos in ipsum uolare possimus. Ecce igitur quomodo Deus in omnibus se similē nobis præbuit: imo nos fabrefaciens sibi conformes effecit in membris, & figura: siqua est in ipso. Est quippe, sed nullis terminis artata, nec lineis circumscripta: sed fontalis origo omnium proprietatū & figurarum. Quæ membra (vt diximus) meliora uestimenta induit, quàm nostra vestita sint. De quibus supramūdanis vestimētis aliquid (sacra scriptura duce) percurremus: ea tamen non arroganti quidem, sed conuenienti lege qua dicitur.

Effugite, & procul hinc miseri procul ite prophani.

Corpus non minus conuenit Deo vestito, q̃ ipsi nudo, pura & expoliata materia. Cap. III.



Xplicauimus iam suprà, quàm concinnè materia potentia purissima primo creata respondeat Deo purissimo actui, & primæ omnium causæ. Nunc explicanda est ea conuenientia, quam habet homo consummatissimum dei opus, & omnium totius mundanæ machinæ celeberrimum cum ipso Deo, iam omnes perfectiones, quæ sunt ad intrà, uel extrà (vt aiunt) induto. Nec perterreat quempiam hîc apud theologos nostros inusitatus loquendi modus de vestibus Dei: cum habeamus à scriptura sacra, omnium theologorum matre, & fonte, locupletissimas de ipsis uestibus attestationes. Dauid *Canit Dauid in hymno nonagesimo secundo: Dominus regnauit, decorem indutus est: induit dominus fortitudinem, & præcinxit se virtute, Hebræorum autem theologi vsq; ad decem uestimenta non sine sacramento enumerant. Quibus non crederem, nisi illa eadem me sacra scriptura doceret. Nudum nanque Deum asserunt: quando consideratur ipse (benedictum nomen eius) in sua solitaria natura penitus remota ab omni relatione (vt aiunt) intrinsecus, & extrinsecus aduenienete: & vt est summè hic. Qui, vt intelligitur sic remotus, loquitur in Isaia dicens,* Isaias. אני יהוה הוא שמי *Ani adonai hu semi. Quod nos interpretatum habemus: Ego Dominus, hoc est nomen meum, sed melius diceretur: Ipsum scilicet quod est nomen meum. Non enim illud* הוא *hu est relatiuum aliquid referens, sed dictio importans ipsum, quod est summè hoc. Qui vt sic, nulli se communicat, ideo sequitur: Gloriam meam, quam scilicet habeo in summa vnitate mea, alteri non dabo. Ipse igitur summè hic, antequam sese in creaturas diffunderet, filium genuit, cum quo simul sanctum spiritum produxit. Dum itaque filium generare statuit,*

induit primam vestem: quæ à nostris paternitas dicitur. Sed est lux quædam inaccessibilis, secũdum quam à Iacobo dicitur Pater luminum. De qua ueste canit Psalmographus: Amictus lumine, sicut uestimento. Suscipiens autem in paterno sinu filiũ quẽ genuit, aliud induit uestimentũ, de quo vates in eodẽ carmine: Qui tegis aquis superiora, vel excelsa eius. Quid enim est hoc excelsum nisi ille, de quo Paulus: Excelsior cœlis factus? Aut quid est superius, & sublime Dei, nisi ille de quo idem apostolus: Deus constituit filium suum super omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & super omne nomen quod nominatur, non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro: & omnia subiecit sub pedibus eius: & ipsum dedit caput super omnem ecclesiam? Hoc igitur genito, qui supremum eius opus existit, & vera aqua supramundana habens uim omnium rerum generatiuam: secundum quam dictum est: Producant aquæ serpituram animæ viuentis: Et iterum: Omnia per uerbum facta sunt: Tunc aquis indutus dicitur Deus: in quo idem est Pater, & filius. In qua diuinitate filius, qui est dei sapientia, induit proprietatem aquæ: ut rectè dicat ille sapiens: Et aqua sapientiæ salutaris potauit illum. Quas aquas non tantum sumpsit sibi in uestimentum, sed ut eas in nos diffundat, non solũ ad sitim comprimendam, vt clamabat in templo dicens: Si quis sitit ueniat ad me & bibat: sed etiam ad profusam satietatem, vt cum Samarite loquens ait: Si quis biberit ex aqua, quam ego dedero, fiet in eo fons aquæ salientis in uitam æternam. Non enim de aqua hac elementari loquebatur, sed de illa superexcelsa: in qua uenit filius dei, ut nos à sordibus ablueret: & propinaret nobis poculum illius aquæ sapientiæ salutaris. Qui filius dei uestitus quoque dicitur uestimentum regium. In uestimento (ait qui à diuinis secretis fuit) in femore eius scriptum erat: Rex regum, & dominus dominantium. Spiritus autem sanctus ab utroque procedens in utraque lege igneus uisus est, & igne circumamictus: Fumabat enim totus mons Synai (ut in Exodo legimus) quando descendit dominus super eum in igne: Et iterum dicitur: Erat autem species gloriæ Domini, quasi ignis ardens super uerticem montis, in conspectu filiorum Israël. Ille igitur spiritus, cuius uirtute data est priscis patribus ignea lex, apostolis quoque apparuit in linguis igneis, eos confouens, & accendens ad explicandam legem illam, quam impleturus uenit filius Dei: Et de qua in nouissimo carmine decantans Moses inquit: Et in dextera eius ignea lex. Post illam autem sacratissimam, & intrinsecam, perfectáque productionem uoluit ipsum summũ bonũ in creaturas sese diffundere: vndè sumpsit (ut aiunt) septem alia uestimenta, quibus nobiscũ ageret, & conuersaretur. Horum primũ magnitudo dicitur misericordiæ, clementiæ, bonitatis, & pietatis, quo se in alios diffundit: & ipsos pientissimè regit, atque clemẽtissimè præuenit, iustificat, & remunerat: de quo in Apocalypsi dicitur: Et datum est illi scilicet agno, & sponsæ suæ ecclesiæ, quã misericordia despõsauit, ut cooperiret

Dauid. Paulus. Sapien. CHRISTVS. Moses. Ioan.

se byssino splendenti & candido. Byssinum enim iustificationes sanctorũ sunt, quæ per Dei gratiam, & clementiam nobis (mediante Christo) communicantur. Hac igitur veste nobis bona impartiendo, tanquam byssino quodam vestitur. Et quia clementia, & pietas immensa, iustitiæ libramine temperatur, ideo aliud iustitiæ vestimentum assumit: quod nunc sanguineum, nũc lineum
Idem. in scriptura dicitur. Vestitus enim erat (inquit Ioannes) veste respersa sanguine, & vocabatur nomen eius uerbum Dei: uerbum utique illud per quod facta, & restaurata sunt omnia: Cui unita natura humana sanguinem fudit ad placandam diuinam iustitiam, quæ sanguinem exquirit, ubi contractum est peccatum per carnem, & sanguinem. Quod vestimentum admirantes angegeli (ut Dionysio placet) dixerunt. Quare rubrum factum est vestimentum tuum, sicut calcantium in torculari? In Daniele autem Gabriel, qui Christum virgini illicò concipiendum denuntiauit, & aliquando (non sine mysterio) ipsius personam gerit, uisus fuit uestitus lineo, sacramento forsitan alibi declarando. Et cum sit summum pulchrum omnia pulchrifaciens, maximè naturam humanam, cui sui omnimodam imaginem tribuit: Hinc aliud uestimentũ assumit, quod in plerisque locis scripturæ sacræ, maximè in Dauidicis hymnis תפארת tipheret dicitur. Quod nos nunc decorem, nunc pulchritudinem, nunc magnificentiam interpretatum habemus: Sed est propriè nomẽ gloriæ, & pulchritudinis diuinæ: Quam multifariam in nobis communicans inquit in Eze-
Ezechi. chiele. Et uestiui te discoloribus, & bysso, & polymita: & multa, quæ ibi cõmemorantur, concludens: Hæc dedi tibi, vt esses perfecta decore, & pulchri-
Cantic. tudine. Hinc dicitur in cãticis: Creatura humana pulcherrima mulierum, idest omnium creaturarum. Post hæc, duo alia vestimenta amictus est summus moderator: quibus magis domesticum se nobis præbeat: Per quæ multa charismata in nos defluunt. De quibus uestimentis in Dauidica ode decantatur.
Dauid Confessionem, vel celebritatem, & decorem induisti: quia uidelicet per illa facit Deus homines celebres, & decoros. Quæ uestimenta aliquando dicuntur ubera, quæ quidem lactarunt prophetas, & lactant quoslibet Deo familiares, sicuti in canticis dicitur: Dabo tibi vbera mea. Quæ etiam tertium cæ-
Paulus lum aliquando nominatur: ad quod Paulus euectus fuit. Et quia ipse opifex nobis quoque præstat vitam, fundamentum, atque stabilitatem totius boni operis, hinc dicitur uita, arbor uitæ, & terra uiuentium; In qua terra etiam se nobis uestitum præbet: vt diuus Citharista decantat: Abyssus, sicut uestimẽ-
Dauid tum amictus eius: Eius utique terræ, non quidem huius corruptibilis, quæ si-
CHRISTVS. mul cum cœlo materiali transibit, vt ait summa ueritas: Sed illius, quæ nunq̃ mutatur, de qua sequitur uates: Non inclinabitur in sæculum sæculi. Denique summa hæc diuina maiestas ultimum sumit amictum: quo nobis penitus familiarem se præbeat. Et hoc Hebræi מלכות malcut idest regnum uocãt: quia ipso nos domesticè regit. Nuncupatur quoque שכינה sechina idest inhabita-

tio Dei in nobis immediata: secundum quam dixit Ieremias: Tu autem in nobis es domine. Et sic ille qui habitabat cum populo suo in figuratiuo tentorio citationis: nunc habitat nobiscum in tabernaculo non manufacto: idest non huius creationis (vt docet apostolus) Habitans autem in nobis tanquam nubes, defendit nos ab æstu diuinæ iræ: & tegit nuditatem, & ignominiam nostram, ne confundamur à conspectu gloriæ suæ. Et de hoc vestimento in Ezechiele loquitur dicens: Expandi amictum meum super te: & operui ignominiam tuã: lõgóque sermone prosequitur vestimenta, quibus tegit turpitudinem nostrã: & quibus ornati, honesti reperiamur in cœlestibus nuptiis. Vestiuit itaq; se Deus, vt cum creatura ageret: & homini daret sui perfectam imaginem: Et vt hunc hominem uestiret diuinitate, seipsum induit humanitatem, & corpus hoc paßibile. In quo corpore existente anima cum diuino illo lumine, siue mente, aut intellectu, habet homo (ut sapientes quidam asserunt) expreßiorẽ Dei imaginem quàm angelus: quoniam corpus hoc organicum cum membris, & p̃ticulis suis ea est uestis, per quam omnia Dei indumenta repræsentantur. Hinc Deus (ut nuper tetigimus) dicitur habere caput, oculos, aures, & omnia membra, quæ sunt in humano corpore: Quæ aliqua ratione dicuntur membra: alia uerò ratione uestimenta: alia autem nuncupãtur mensuræ: quibus ipse Deus omnia metitur, & moderatur: sed hominem potißimè ad perfectam sui metam.


Ieremiæ. Paulus. Ezechi.

Cum in homine sint infimum, summum, & intermedia, omnia facilè per ipsum hominem cum deo conciliantur. Cap. IIII.

EXtat in homine aliud Dei expreßißimum simulachrum: Id autem est: quoniam homo omnia continet actu, quæ Deus continet uirtute: & per eminentiam quandam, vt Dionysius docet. Sic & homini dedit uirtutem continendi omnia: undè omnis creatura à saluatore (Gregorio interpretante) nominatur, sicuti iam in primo uolumine explicauimus. Homine itaque Deo conciliato, eidem omnia conciliantur: sicuti in assumpta humanitate omnia consequenter assumpta dicũtur: Anima in primis, & spiritus, animalesque uires omnes, uegetandi uis, atque elementa, vsque ad materiam, ex qua fabrefactum est humanum corpus: & denique omnia quæ in ipso continentur. Nec tantum id factum esse credimus in homine, & natura illa particulari assumpta à uerbo, sed idem fieri in omnibus, qui hospites efficiuntur illius, qui dixit: Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus: Et in omnibus, pro quibus exaudita est illa cordialißima oratio, quam filius in eius recessu à nobis porrexit ad Patrem dicens: Rogo Pater, vt sicut ego & tu vnum sumus, ita & isti unum sint in te. Hic est enim finis hominis, vt statim dicemus: Et finis, in quem tendunt omnia: Nam in Deum cuncta tendunt: ad quem tandem per hominem reducuntur.

Dionys. CHRISTVS.

Cur anima in corpore tãq̃ in fuſorio uaſe purgãda collocata ſit antequam reuertatur ad eum, a quo venit. Cap. V.



Ed antequam ad hanc unitatem cum Deo reuertatur anima, includitur in corpore, ut ipſum perficiat: & ab ipſo perficiatur. Et neſcio, an prius perficiat, an potius perficiatur, an vtrunque fiat ſimul. Et forſitan utrunque ſimul perficitur in bene, & ritè procedentibus. Eſt (inquiunt Peripatetici & theologi noſtri) anima in corpore veluti forma perficiens ipſum corpus: non quidem dans ſolummodo motum, atq; ſentiendi, vegetandi, & intelligendi vim: ſed ipſum perficiens, & expurgans: vt in meliorem ſortem transformari valeat. Nec corpus diſponit ut tranſmutetur, niſi ipſa expurgata ſit. Non enim omnes tranſmutabimur (inquit apoſtolus) quanq̃ omnes reſurgemus. Sed tranſmutabũtur ſolũmodo corpora eorum, quorũ animæ expurgatæ reperientur. Anima itaque in hoc corpore collocata eſt tanquam in vaſe fuſorio collanda, & expurganda igne charitatis, & diuino perfuſo in toto homine per gratiam infundentis, & pro recipientis diſpoſitione, interuenientibus potiſsimè ſacrificiis, & ſacramentis. Hinc oblato illo ſummo ſacrificio, cui omnia alia aſsiſtunt & cedunt, à ſummo ſacerdote IESV redemptore humani generis, miſſus fuit ille igneus Spiritus, ad liquefacienda, expurganda, & conflanda corda diſcipulorum, & eorum, qui credituri erant per eos. Nec aliquod interfuit temporis ſpatium poſt illum ſũmum ſacrificium exhibitum, niſi quinquaginta dierum: numero quidem ſpiritui illi igneo mittendo conueniente. Qui nec miſſus fuiſſet, niſi Dei filius in ſacrificium fuiſſet oblatus, ipſomet atteſtante, qui ait: Niſi ego abiero, oblatus ſcilicet Patri in holocauſtum, Paracletus non veniet ad uos. Quæ quidem hoſtia in lege antiqua ſæpius præfigurata fuit: Et id quando oblato ſacrificio ignis expectabatur de cœlo, qui veniens, & ſacrificium iam accenſum, & in ignẽ mutatum, ad ſublime unde uenerat, maximo myſterio deduceret: & in offerentes diffunderet ignẽ illum, de quo in Deuteronomio dicitur: Deus ignis uorans, aut comedens, & conſumens eſt. Sicut enim cômedẽs conſumit cibum, & eius ſubſtantiam immutat in ſeipſum: ſic Deus ſuſcipiẽs verum ſacrificium debitè offerentis, paſcitur & ſacrificio, & offerente, traducens utrunque in ſeipſum. Verum autem ſacrificium, quod nos offerre debemus ſimul cum ſacrificio oblato à ſummo ſacerdote Chriſto IESV, eſt, vt vnuſquiſque ſecundum apoſtolicum documentum offerat ſeipſum in hoſtiam viuam, immaculatam, ſanctam, Deo placentem cum rationali obſequio. Et ſic non tantum anima aſcendet in ipſum Deum: ſed etiam corpus mortale, & corruptibile induens (vt idem apoſtolus ait) incorruptionem, & immortalitatem: Et tunc erit verum holocauſtum, id eſt cõbuſtum igne illo diuino, qui omnia transmutat. Hebræi autem hoc ſacrificium עולה *holah, ſcilicet aſcẽdẽs.*

Paulus.

CHRISTVS.

Deuter.

Paulus

nuncupant: quia totum sacrificium combustum, & iam in ignem mutatum ascendebat coram Deo: Sic & nostrum corpus seminatum animale, diuino igne confotum surget, & ascendet spirituale simul cum anima, ab ea perfectum, & utraque à Deo, qui est verus ignis ardens, conflans, & transmutans.

Cur Deus hîc collocauerit animã & mentem uertibilem. Cap. VI.



ET cum anima sit in hoc uase fusorio expurgandi, & perficiendi causa, mirantur nonnulli etiam inferiores, quorum studium semper est suis ipsorum iudiciis, & verbis ferire maiores, cur Deus ipsam animam huc demiserit non tantum uertibilem, sed ab acerrimo hoste continuè impugnandam. Et quasi Dei consiliarios sese procaci temeritate constituentes, audent vespertiliones summam lucem, summamque sapientiam incusare. Sed erubescat puluis, & cinis, uel nominare illum: cuius decoris species splendet ab ortu solis vsque ad occasum. Et si (ex monumento sapientis) in medio magnorum & senum iuuenes conticescere debent: quid nos in conspectu antiquissimi dierum, & illius, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi? Possumus nihilominus, non vt incusemus: Sed ut illuminemur, interrogare: cur sapientissimus opifex non fecerit hominem stabilem, & continuè recto itinere pergentem. Respondet hîc Anselmus: quia non potuit. Sed (vt melius dicamus) non decuit facere alium Deũ: qui solus natura impeccabilis, & immutabilis est. Cuius dicti rationes conatur adducere Alexander: Quas Ioannes Scotus tanquam debiles fulcire statuit, cedens tamẽ magis sanctorum sentẽtiis q̃ propriis rationibus. Has igitur tanquam inualidas ex proprij autoris iudicio, in illius libris legendas relinquentes, confitebimur cum Augustino ad Volusianum, Deum multa posse, quæ nos intelligere non valemus, cum tota ratio facti sit potentia facientis: quæ infinita est, & omne ingenium humanum, & angelicum trãscendens. Ad huius itaque rei discussionem (prout Dominus nostrus collustrauerit oculos) aliquid dicemus, præsupponentes quid exigat rerum ordo: qui (vt etiam Aristoteles docet) duplex est in omni exercitu, militum uidelicet inter se, & eorũ omnium ad principem & caput: cui si conueniunt, omnia rectè peraguntur: Si autem dissident, incõcinna & confusa reddũtur. Sicut autem omnes milites ab imperatore quamuis bono deficere possunt: sic cunctæ creaturæ à Deo: multa enim obiecta distrahentia sunt nobis, à quibus nunc in summum, nunc in mediocre, nunc in infimum ferimur. Nunc quoque distrahimur à bono inferiori, nũc ab apparenti, nunc (vt aiunt) à præfixo: Et his continuis illudimur ludis: quousque cor nostrum semper inquietum, semper instabile, firmetur in principe: qui solus stabilis est: vndè si stabiles aliquando efficimur: id non naturæ est (inquit Augustinus) sed à gratia illius, cuius est omnia stabilire. Quam conuenienter autem factum sit, ut in cãpo certaminis homo positus sit ancipiti pugna, Gre-

Ansel. Alex. Ioan. Sc. Augusti. Aristo. Augusti. Grego.

gorius diuino afflatus spiritu declarat. In laboribus (inquit) flagellorum, & vitiorum certaminibus, non solum nobis nostra infirmitas innotescit: sed etiam quanta uirtute proficiamus, cognoscimus. Nemo quippe uires suas in pace nouit. Si enim bella desunt uirtutum experimenta non prodeunt. Improuidus miles est, qui in pace se fortem gloriatur: Nemo enim quantum profecerit, nisi inter aduersa, & ambigua cognoscit. Cui adstipulatur Firmianus dicens: Ante omnia Deus voluit esse in nobis diuersitatem, vulgóque non aperuit sacramentum: sed paucissimis reuelauit. Hæc autē diuersitas, omne mundi arcanum cōtinet. Hæc enim facit uirtutem: sine qua non modo esse, sed nec appetere quidem eam posset: quia uirtus esse nequit, nisi sit compar aliquis, in quo superādo, vim suam, vel exerceat, uel ostendat. Nam vt uictoria sine certamine constare non potest: sic nec uirtus quidem sine hoste. Itaque quando uirtutem dedit homini, statuit ei econtrario inimicum: ne uirtus ocio torpens naturam suam perderet. Cuius ratio in eo est: vt cōcussa, & labefactata firmetur. Nec aliter ad summum fastigium peruenire posset, nisi oppugnanti manu semper agitata ad salutem suam dimicandi studio fundauerit: Noluit enim Dominus ad illam beatitudinem, & præmiū, delicato itinere pertingi. Daturus ergo uirtutem, dedit & hostem: qui animis hominū, cupiditates, & uitia immitteret: in ambiguóq; teneret author malorum, errorūq; omnium machinator existēs: ut quoniam hominem uocat ad uitam: ille econtrario rapiat, & ducat ad mortem. Hinc iter nostrum relinquitur dubium, ambigua pugna, & casus q̄plurimi. Ille enim hostis abducit, aut decipit eos, qui ueritati studēt. Aut si dolo, & studiis nequiuerit: uirilem gerit animam: qua sublimium uigorem labefactare conatur: obscœna dictu, & execrabilia moliens, uexat, & interficit: Et tamen ut prosternit multos: sic à multis uictus, & prostratus discedit: Magna est enim hominis uis, magna ratio, magnūque sacramentum. Origenes quoq; in suo de principiis hoc negociū prosequitur dicens: Si enim Deus dedisset, ut nullo modo uinceremur: quæ iam superest certādi causa ei, qui uincere non potest? Aut quod palmæ meritum, ubi repugnandi ratio & facultas non admittitur uincendi? Vndè satis bona ei sunt, quæ sibi aduersantur: quæ cum uicerit, maioris ei gloriæ causa existunt. Iob enim duplum recepit post uictoriam hostis: qui contra eum pugnandi potestatem acceperat. Nec quidem nobis debetur corona: nisi certamen antè præcedat. Quæ enim gloria, & quæ laus coronati, nisi aliquo cursu, aut pugna meruerit? Nā merendi ea conditio est, ut inde præualeat: undè poterat naufragari. Et uictoriæ est laus: ut inde uincat, undè potuit debellari. Hinc laudat sapiens eum, qui potuit transgredi, & non est transgressus: facere malum, & non fecit: Huius tandem stabilientur bona in Domino: ut ultra ab ordine, pace, & quiete nullatenus discedat.

Firmia.

Sapiens.

Quomodo homo à peccato dißideat. Cap.VII.



Vm igitur homo à Deo sæpius recedat tunc errat, peccat, & deficit ab ordine, quem tanti facit Deus: *vt prudens* Licentius *dicat apud* Augustinum *in libro de ordine: Præter manifestum aliquid accipio: sed præter ordinem nihil mihi fieri videtur.* Nam *quæcunq; à* Deo *sunt, ordinata sunt: Quæ autem citra* Deum, *aut absq;* Deo, *siue præter* Deum, *inordinata sunt. Et consequenter culpa, deordinatio, dissēsio, carentia rectitudinis, defectus, peccatū, & nihil. Sed heu in syluam intramus teterrimā, & horrēdam, describentes illud, quod nihil est: Et decernētes malam esse deordinationem in eo opificio: quod à summo moderatore omnia ordinante regitur. Est quidem mala deordinatio, & defectus ab eo quod est: & quod bonū est. Nec malū est substantia: quia eius esse est esse in alio. Nec est accidens: quia contrariatur bono, & consequenter in genere boni: cum contraria sint eiusdem generis: & bonum uerū, & à se sit substātia. Nec est existens: quia quodcunq; huiusmodi habet rationē boni. Nec suprà omne existens: quia illud est* Deus, *& summū bonum. Nec est omnino nihil: quia malum contrariatur bono: & vitium uirtuti. Nihil autem non contrariatur alicui: quia quæ cōtrariantur aliquid sunt. Nec bonū contrariatur sibiipsi. Est itaq; malū, mediū inter ens, & nihil, ens habēs, in quo fundatur defectus ipse existens à rectitudine, quæ in illo quod est, inesse debebat. Qui defectus est priuatio quædam in ente fundata, sed in nihil tēdēs. Sicut igitur bonū est supra omne ens: vbi quicquid eò tendit perficitur: ita malum est infra omne ens: in quod tendens deficit.* Et *sicut cogitando bonum, quod est supra omne ens (vt* Academicis, & Dionysio *placet) tandem in ens resoluimur: Sic etiam cogitantes malum in priuationem quandam deuenimus. Est itaq; malum in natura defectus & priuatio ordinis naturalis, & perfectionis. Hinc fœmina est malum (vt dicebat* Pythagoras*) quia deficit à perfectione uiri, Sic tenebræ, quia deficiunt à luce: & orbatū, aut monstrū quodq;: quia deficit ab ordine à natura instituto.* Et *malū in moribus est defectus à rectitudine: quæ debet esse in actu, & operatione, quā perpetramus: aut dißidentia à summo bono, cui inhærere debemus. Estq; in priuatione deprehensum, è lucis, & entis regione profugum, infirmum, miserū, lanians, destruens: & à bono non tantum dißidens, sed abducens.* Licenti. Acade. Dionysi. Pytha.

Sicut homo per peccatum à Deo *deficit, & dißidet: sic per pœnitentiam reducitur, & temperatur.* Cap.VIII.



Eficiens itaq; homo à Deo, *& dißidens per peccatū, antidotum vnicum habet, vt reuertatur, & cōueniat cū ipso* Deo. Et *hæc est vera pœnitentia: quæ non est (vt aliquid asserūt) pœnæ tenentia, aut dolor pro peccatis voluntariè assumptus, sed reuersio ad* Deum, *à quo recesserat: vt etymologia perfectioris linguæ indicat:* Dicitur *enim pœnitentia* Hebraicè תשובה *esuba, quod reuersionem significat.* Multi *nan-*

que dolent: & pœnis maximis cruciantur ex delicto perpetrato, nec tamen liberantur, nec iustificantur: quia non habent antidotum peccati, quod est reuerti ad Deum, à quo discesserunt, & conuenire cum Deo, à quo dissentiunt. Hinc semper oraculi uox ad peccantem intonat: Reuertere, aut conuertere.
Zachar. Ieremię. Conuertimini ad me (inquit in Zacharia) & ego conuertar ad uos. Et per alium vatem: Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, ueruntamen reuertere ad me, & ego suscipiam te. Et hoc idem est cum eo, quod saluator pro fundamento suarum concionum iecit: Agite pœnitentiam: & appropin-
CHRISTVS. quabit regnum cœlorum. Quid est enim regnum cœlorum: nisi Deus, qui conuertitur ad nos: quando conuertimur ad eum? Et quia tunc peculiari modo habitabat nobiscum, & iam faciliorem in natura humana assumpta præbebat nobis uiam reuertendi ad ipsum Deum, ideo dicebat: quoniam regnum cœlorum, & ipse Deus, in quem tendimus per ueram pœnitentiam, nobis appropinquabat. Si autem ad hanc conuersionem, quæ præsupponit secessum, & ieiunium ab omni illicita uoluptate, sequatur dolor, & afflictio: id ex accidenti, & non ex essentia pœnitentiæ, aut illius conuersionis est: Multæ enim afflictiones consequuntur peccatum: ex quibus tamen homo non dicitur pœnitēs. Nec existimet quispiam aliquē pœnitentem esse, quia assumit dolorem uoluntarium: quia is in peccato aliquando est: Nam sicut ad actum cōuersionis sequitur dolor, sic ad peccatū: quoniā omnis deordinatio secū trahit afflictionem & pœnam. Nullus enim potest immediatè uelle dolorem: quia tristitia (ut
Augusti. inquit Augustinus) est quæ accidit ex rebus à nobis nolitis. Differt tamen doloris occasio: quia in peccāte est progressus ab bonum: in peccantem autē casus & præcipitatio, aut malū. Verū igitur animæ temperamentum est reuersio, applicatio, & adaptatio cū Deo in ueritate, & affectu: sicut per Ioëlem exqui-
Ioel. rit Dominus dicēs: Conuertimini ad me in toto corde vestro, affectu uidelicet pleno: in ieiunio à rebus abducētibus ab ipso Deo: in fletu, & plāctu: ut lachrymis ab oculis uestris deductis, moueatis diuinos oculos, & fontem clemētiæ eius ad stillandam gratiam pro uobis irrigandis. Oculus enim noster lachrymans mouet fontem diuinæ pietatis: qui in mysteriosa lingua eodem uocabulo nuncupatur, quo & oculus. Nam uterq; hain עין dicitur. Vndè sicut in nomine, ita & in re symbolum habent: & inde facilis est motus unius ad motum alterius: ut de neruis citharæ bene chordatæ aliâs diximus.

Sacramentis homo redditur perfectior in seipso, & cum Deo magis sonorus. Cap. IX.


ET si reuersio hæc in Deum satis temperat hominem cū ipso: nihilominus restat aliquid magis tēperādum: cū magnū, imò maximū sit eum qui quasi ipsa natura dissidet, cōuenire cū illo, qui natura ipsa concinnus est. Dissidet enim homo à primordiis nascens filius iræ, & peccato obnoxius: & curriculo uitæ etiam si iustus sit, septies (ut ait

ſapiens) cadit in die: Et qui exiſtimat ſe à peccato immunem, ſeipſum ſeducit (vt inquit Ioannes) & non eſt in eo veritas: quæ eſt vera conuentio, & concẽtus cum ſumma veritate. Deus autem cum ſit prima regula contingentium omnia moderans, ſemper concinnus eſt: imò illud vnũ, & harmonica virtus: per quam omnia quæ conueniunt, concinna redduntur. Hinc ſacramenta ordinata ſunt tanquam rei ſacræ, & diuinæ ſigna: & quodãmodo effectrices cauſæ, Sũt enim ſigna efficacia diuinæ gratiæ, & fauoris: qui in ipſis præſtatur homini, vt conducatur ad debitum concentum cum Deo. *Quia igitur homo naſcitur filius iræ, & peccato diſſonus, pro eius temperamento datum eſt ſacramẽtum baptiſmi: in quo abluitur, & temperatur cum* Deo*, non tantum virtute, & efficacia ipſius ſacramenti, ſed fauore inſtituentis: dummodo ſuſcipiens ſit bene diſpoſitus.* Di*ßidet quoq; homo, & deficit quotidianis operationibus, in quibus nec tota mens, nec tota anima, nec omnes uires conueniunt, vt iubet lex: ideo defectus, & diſſonantia quotidiana.* Pro *cuius temperamento ſacramentum pœnitentiæ datum eſt: qua, & ratione cõuerſionis ad* Deum *(vt diximus) & ſacramenti, atq; abſolutionis efficacia, diſſona coaptãtur.* Et *quia cõtinuis alimentis inficimur, & diſtemperamur, ordinatum eſt ſacramentum euchariſtiæ: quo reparamus id quod aliis cibis infectum eſt: & diſponimus corpus humilitatis noſtræ, vt coaptetur & cõfiguretur corpori claritatis ſuæ.* Et *quod in prolis generatione carnis lenocinio deturpatur, & abſonum fit: id ſacramento matrimonij debitè ſeruato reparatur.* Adiudicata *ſunt alia duo ſacramenta ſatis opportuna: quorum alterum eſt cõfirmatio, vel corroboratio eius, quod in baptiſmate factum eſt: in his maximè, qui debili virtute, nulláque poſitiua diſpoſitione illud ſuſcepere, in prima videlicet, & infantili ætate.* Alterum *extrema vnctio nuncupatur, in qua abolere prætendimus, & perfectè abſtergere hominem ab omni contagione, & à cuncta (ſi qua relicta eſt) dißidentia.* Extat *& aliud ſacramentum, quo hierarcha in corpore hoc myſtico inſtituitur, & in caput erigitur cum barba: ex quo, & per quem ſacrum chriſma omnia liniens, & omnia temperans, deſcendat vſque ad oram veſtimenti ipſius corporis: vt in* Dauidico *carmine dicitur: Sicut vnguentum in capitè, quod deſcendit in barbam, barbam* Aaron*: quod deſcendit in oram veſtimẽti eius.* Quod *chriſma, aut qui influxus, alia metaphora dicitur ros* Hermõ *id eſt loci illius, ex quo anathematizata eſt triſtitia:* Hermon *enim anathema mœroris interpretatur,* Qui *ros primo deſcendit in mõtem Sion, id eſt in eos, qui poſiti ſunt in ſpecula ſuper alios: Et inde diffunditur ad totam ciuitatem, & collectionem fidelium.* Vndè *& per id chriſma, aut rorem demandatur etiam benedictio, & vita vſq; in ſæculum.*

Sapiens. Ioan. Dauid.

Sacrificiis expiatur. Cap. X.



Heracli. Ostquam homo temperatus est per pœnitentiam, & adhuc pleniori sonoritate conductus per sacramenta, restat, vt per sacrificia (cum quibus etiam conuenientiam habet non modicam) penitus, expiatus, dignus Deo inueniatur. Sunt enim sacrificia (vt Heraclitus ait) medelæ quædam animarum à summo medico institutæ: Proculus Poßidet enim malus dæmon hominem (inquit Proculus) quousque per sacrificia expietur. Et tunc fugato malo dæmone, in Deum reuertitur. Verum autem sacrificium purgans, temperans, & vniens bifarium est. Alterum est illud, quod obtulit summus pontifex Christus in remißionem omnium peccatorum, pacificans per sanguinem crucis suæ, siue quæ in cœlis, siue quæ in terris sunt. Quæ pacificatio reddit hominem iam expiatum, summo concentu Deo concordem, & suauißimè modulantem. Alterum sacrificium est offerre seipsum mundum, immaculatum, atq; perfectum Deo in hostiam viuentem, sanctam Deo placentem. Porphy. De quo Porphyrius quoque in de abstinentia ab animatis ait: Colamus Deum silentio, cura, religione, puris, verisque de eo opinionibus, laborantes ipsi aßimilari, atque cum eo coniungi: uitæque nostræ sanctimoniam pro sacrificio offerre, idque sacris accommodare. Quod Christus noster se expectare CHRISTVS. innuit, dum cum Samarite loqueretur inquiens: Erunt veri adoratores, qui adorabũt Patrem in spiritu, & veritate. Spiritus enim est Deus: & adoratores quærit ipsi conformes: Vt autem ipsi conformaremur spirituales effecti, imò in spiritum meliorem conuersi, voluit Christus mortificare seipsum oblatum in summum holocaustum: vt nos offerret Deo mortificatos quidem carne, Idem. viuificatos autem spiritu. Vt igitur Deo conformemur, & uniamur, mortificandum est animal nostrũ: vt surgat, & inualescat spirituale. Et hoc est quod ait, Ioanne referente: Si granum frumenti cadens, in terra mortuum fuerit, secundum carnem videlicet & sanguinem, multum fructum affert: Et iterum: Spiritus est qui uiuificat: caro autem non prodest quicquam. Hinc summus põtifex Christus seipsum obtulit, & docuit nos offerendos simul cum eo, dum ait. Hoc facite in meam commemorationem, & imitationem, vosipsos uidelicet offerentes: sicuti ego oblatus sum. Iubebat enim commemorandum mysterium corporis, iam in sacrificiũ oblati, mortificati per paßionem, & in spiritum iam uiuificati: vt illud de sacramento corporis sui à nobis comedendi, & ab ipso in cruce offerendi, & commemorationis faciendæ ei poßit aptari. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. In quem spiritum, & in quam uitam omnia nostra reducenda sunt, si Deum consequi uolumus.

Eleemosynis abluitur. Cap. XI.


Ost temperantem pœnitentiam, consonantia sacramenta, & expiantia sacrificia, vt nulla coinquinatione abducatur homo à cõsuetudine, & vnione cum Deo, sequitur ablutio, quæ post illam baptismalẽ fit per eleemosynam. Quod asserere minimè auderẽ: nisi id me doceret summa ueritas dicens: Date eleemosynã, & omnia munda sunt uobis. Est enim aqua quædam emanans à fontibus supramundanis, iuxta quod dicitur in Ecclesiastico: Sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum, Quod idem sub aliis uerbis Daniel regem Babylonis docuit dicens, Eleemosynis redime peccata tua. Et Raphaël angelus in Thobia: Eleemosyna à peccato, & à morte liberat. Ratio autem mea est, quia (vt inquit Rabi Simeon Benoicai) & si omnis regula aliquando deficiat: hæc nunq̃ fallit: Eadem mensura qua mensi fueritis, remetietur & vobis. Hæc enim regula est summæ Veritatis, quæ iterum ait: Date, & dabitur uobis. Et rursum: Tãquã fideiussor docet, vt ad Patrẽ securè dicamus. Dimitte nobis, sicut dimittimus: Da, sicut damus. Ideo sicuti homo est pius in proximum remittens debita, erogans, & donans de suo. ita sentit Deum in se pientißimum, & largißimum donatorem: & tanto abundatius, quanto ille, qui erogat, munificentior est. Hinc dixit ipse munificus remunerator: Centum pro vno accipietis, & vitam æternam posidebitis.

Ecclesi. Thobi. Si. Ben. CHRISTVS.

Personat homo Virtutibus. Cap. XII.


Blutus itaq;, & temperatus homo, atq; compositis instrumentis, cupit concinnos reddere modulos. Sed prima fronte difficultatem sentit: quia (vt Plato inquit) anima nostra à Deo proueniẽs, & in corpore inclusa dissonantiam patitur. Pro qua cõponenda data est harmonia à musis: quæ motiones animæ nostræ cõcinnas, & cognatas reddũt: dũmodo homo ipsis bene vtatur, congruas virtutes amplexans. Quod explicans Chalcidius ait: Quũ iuxta rationem harmonicã animam in superioribus fabricauerit opifex, omnesq; actus eius rithmis, modisq; constare iusserit: sed hæc exolescere consueuerit, ob consortium corporis, quod necessariò obtinet: vndè immodulas fore animas plurimorũ. Ideo pro medela huius vitij musicam statuit: non eã, qua vulgus oblectatur, & quæ ad uoluptatẽ excitat, & ad uitia plerũq;: sed illã diuinã, quæ nũq̃ ab intelligentia separatur. Hanc enim cẽset Plato exorbitantes animas à via recta reuocare ad veterem symphoniam. Optima porrò symphonia est in moribus nostris, & iustitia uirtutum omniũ temperamento, per quam cæteræ quæq; uirtutes suum munus, atque opus exequuntur: vt ratio quidem dux sit, & vigor qui est intimus, iracundiæ similis auxiliarem se rationi præbeat. Porrò hæc prouenire sine modulatione non possunt. Modulatio autem sine symphonia nulla est: Ipsa verò symphonia est intelligentia, & uirtutum concentus exornãs animam, & rationabili-

Plato. Chalci. Plato.

ter ad antiquam naturam reuocans: atq; talem demum efficiens, qualem ab initio Deus opifex eam fecerat, ut virtutibus scilicet personaret. Quæ quãuis quadruplices sint, omnes tamen reperiuntur concinnæ, ueluti citharæ nerui: quorum aliqui sunt infimi, & grauiores, aliqui medij, & aliqui superiores, & acuti, Virtutes enim sunt omnia opera exeuntia ab instrumẽto bene chordato dictæ quidem à viro. Vel quia concinna est, sic à grammaticis diffinitur. Virtus est animi habitus naturæ modo consentaneus. In ea ratione autem, qua à viro dicitur, sic eam describunt: Virtus est affectio animi constans, conueniẽsq;, laudabiles efficiens eos in quibus est: vel, Virtus est ferendorum fortis atq; inuicta patientia: nam uir (vt aiunt) fortem, vel fortitudinem innuit. Si autem ad sacrum, atq; propriũ idioma accesserimus, eamq; denominare uoluerimus, obseruãdum erit quibus vocabulis in ea lingua dicatur homo, & dicatur uir. Homo enim dicitur אדם אנוש & גבר Adam, enos, & geuer, diuersis rationibus pro nunc subticendis. Et hoc tantummodo aduertẽdum, in quolibet illorũ nominum esse, aut unam, aut nullam literam diuinitatis. Vir autem dicitur איש Ais, in quo uocabulo sunt duæ literæ diuinitatis א aleph uidelicet & י iod, ubi innuunt hominem uirtute præditum, bis esse diuinum: natura scilicet qua continet imaginem Dei: & uirtute, qua continet similitudinem. Secundũ quod mysterium, uirtus potest sic diffiniri: Virtus est operatio aßimilans hominem Deo, atque deificans. Aliud quoq; obseruandum est in hoc uocabulo אדם Adam duas esse literas quadrarias, ד. dalet uidelicet quæ quatuor & ם men, quæ quadraginta importat. Ex quibus innuunt hominem ex duabus quadraturis compositum, & aliquali diuinitate perfusum, denotata per ipsum, א. Quod satis clarè indicatur in uerbis illis. Fecit Deus hominem pulnerem de terra: pro quo nos habemus de limo terræ: & insuflauit in nares eius spiraculum vitarum. Vbi tria tanguntur, puluis, terra, & spiraculum: Terra enim est ex quatuor elementis inferioribus unum, עפר Aphar, quod nos puluerem dicimus, uel Atomos melius, & subtilius corpus spiritui conueniens indicat, ut notum est scientibus. Spiraculum autem illud diuinum est nobis perfusum: quod nostri dicunt portionem superiorem. Ex qua cum animali nostro (ut Plotino placet) pullulat anima rationalis. Sed quando ex hoc duplici quadrario, mediante uirtute, totus homo reducitur ad illud diuinum, & trãsit in Deum, tunc commutat quadrariam & elementariã literam in notam diuinitatis: & aliam literã quadrariã reducit cum magno mysterio ad trinũ centenariũ denotatũ per ש sim tertiã literã uocabuli significãtis uirũ. Et ut breuiter me expediã, per uirtutes, & alia media expurgatoria homo animalis, & terrenus, efficitur spiritualis, & cœlestis: iuxta illud apostoli: Primus homo de terra terrenus: Secundus homo de cœlo cœlestis: Et iterũ: Sicut portauimus imaginẽ terrestris, portemus & cœlestis. Qui trãsitus de homine terrestri ad cœlestem fitp quadrifarias uirtutes, tãq̃ per quatuor gradus: Per ciuiles uel morales,

Plotinus

Pualus.

per purgatorias, heroicas, & exemplares. De quibus Plotinus, & alij diffusissimè tractant. Sed nos breuiter summa colligentes dicimus: quòd homo in moralibus, vel ciuilibus uirtutibus laborat: In purgatorijs præualet; In heroicis lætatur: In exemplaribus splendet, & diuinitatem consequitur. Et quamuis labor sit in tribus primis uirtutum generibus, secundum quod dicit apostolus ad Timotheum: *Labora sicut bonus miles christi: præcipuè tamen in ciuilibus, & moralibus est labor nulla redemptus delectatione: quæ est in aliis uirtutibus melioribus. Vndè nouitiis in via uirtutum passim prædicatur arduum esse, & difficile ipsarum uirtutum iter.* Iccirco Basilius: *Aspera primò, & penè inuia, sudorisque continui, ac laborũ plena est virtutis uia. Quãobrẽ magna uis exquiritur propter arduitatẽ illius capessẽdæ: nec affectanti facile est ad illius cacumen ascendere.* Et Lactantius: *Ad supremum boni apicem, non nisi cum summa difficultate: ac labore peruenitur.* Nihilominus cum homo expurgari incipit, præualet semper: atq; corroborato spiritu, leuius sentit in dies virtutum iter. Et hoc est, quod ait apostolus: *Cum infirmor, tum fortior sum.* Non enim loquitur de infirmitate corporea, ex qua nunq̃ vidi aliquẽ fortiorẽ: Sed vult dicere: Cũ infirmor in parte animali, eam debilitãs austeritate vitæ, & amore uirtutũ frenans cõcupiscentiam, tunc fortior efficior in parte spirituali: Quia virtus, quæ tota erat vt octo, in æquas portiones diuisa, vtrinq; reperitur ut quatuor. Si verò altera pars per dimidiũ debilitatur, accedũt duo ad quatuor portiones alterius partis, & redditur triplo fortior. Nec ambigendum est, apostolum non fuisse locutum de infirmitate corporali: cum ex verbis, quæ præmittit facilè coniiciatur, de qua esset sermo. Ait enim *Complaceo mihi in infirmitatibus meis, in cõtumeliis, in necessitatibus, in angustiis, in persecutionibus pro Christo:* quæ omnia potius ad animalem hominem cõprimendum, q̃ ad corporis infirmitatẽ spectant. Et istæ sunt ueræ uirtutes purgatoriæ: quæ cõcupiscentiam diminuunt, & spiritum corroborant. Hinc Plotinus quamoptimè de uirtutibus ipsis purgatoriis differens ait: *Huius virtutis est dolorem auferre: aut si nequeat, vt moderatè ferat: & quia non simul doleat, eum comminuat, Iram tollat quoad potest de medio, si fieri possit omnino: Si minus: Non simul irascatur melior homo: Dabit sanè operam, vt alterius sit irasci. Timorem præterea expellet, nulla de re metuens. Cupiditatem turpium proculdubio non habebit, neque venereorum. Si autẽ habuerit, naturalium duntaxat, vt arbitror: ut neque inconsultum hæc habeant impetum: Omnino enim ab his omnibus phantasia erit pura, volensque irrationale purum efficere, adeo ut ne commoueatur quidem, aut saltem quamminime: Cõmotionesque illius statim rationis propinquitate sedari queant, ac si quis sapienti appropinquans, ipsa propinquitate aliquid ab eo percipiat, vel similis illi fiat, vel reuereatur, vt nihil audeat facere, quæ bonus non audet. Expurgatus itaque homo à concupiscentia, vt vltrà non dicat: Sentio*

Plotin.

Paulus.

Basilius.

Lactan.

Paulus.

Idem.

Plotin.

aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ: & ducere me captiuatum in legem peccati, sed dicat: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo. Tunc absolutus ab infœlicissimo ligamine, gaudet etiam in quacunque aduersitate, quæ homini expurgato minimè nocet, sed carni: quam iam odit, & in seruitutem redegit, tanquam crudelissimum hostem. Hinc lætatur tanquam iustus, qui viderit hostem Deo meritas soluisse pœnas. Sic expurgati apostoli, & corroborati illo sancto flamine ibant gaudentes à conspectu concilij: quoniam digni habiti erant pro nomine IESV contumeliam pati. Et

Paulus. Paulus cum Colossensibus: Nunc gaudeo in passionibus meis pro vobis. Et Petrus. Petrus: Communicantes Christi passionibus gaudete. Et hæc est vera uirtus heroica gaudere, & lætari de omni aduersitate illata corpori, & animali nostro inimico quidem acerrimo. Et adeo gaudendum est: vt id iam beatitudinis

CHRISTVS. arrham, & pignus putemus. Ad hoc itaque loquitur Christus, dum ait: Beati pauperes spiritu, ieiunantes videlicet à concupiscentiis rerum inferiorũ, quoniam ipsorũ est regnum cœlorũ: & delectatio rerũ cœlestiũ, & diuinarũ: Beati mites, mansueti scilicet & nemini dantes ullam offensionem, extincto, aut saltem compresso impetu iræ, & uindictæ, quæ est in carne, & sanguine clamãte de terra, idest de terreo hoc corpore, quoniam ipsi possidebunt terram, viuentium videlicet, à qua expelluntur malefici, & coinquinati. Beati qui lugẽt, aut ex aduersitatibus proximis, siue etiam indignabundi de prolongato incolatu huius miserrimæ uallis mundanæ, in qua iam purgatus, impatiens degit, ad superna semper aspirans, iam excussa grauedine ad ima pellẽte. Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam: Quam optime succedunt hi perfectionis gradus. Expurgatus homo abstinet à concupiscentia inferiorum: Hinc nemini inuidẽs & nihil appetens, mitis efficitur. Postea condolens & lugens de malo alieno tristatur, necnon de prorogatione carceris huius: vndè esurit, & sitit Dei iustitiã, & superna omnia: ex quibus uerè saturetur. Beneficus postea fit in proximum, & uera charitate succensus uellet omnes trahere secum: vndè sequitur: Beati misericordes, condolentes, & pij in proximum, quoniam ipsi misericordiam, & pietatem consequentur. Perfectè denique purgati, imo exornati puritate, & munditia introducuntur ad præsentiam regis: vndè sequitur: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt. Videbunt itaque uniti, & concordes cũ eo, in pace perfecta, & omnimoda trãquillitate, quã ex pace cõsequimur: de qua subinfertur: Beati pacifici, quoniã filij Dei vocabuntur, iam ad sublimem gradũ euecti, & perfecta charitate muniti, quæ foras mittit timorem: intrepidi enim & securi ardua quæq; apprehendere audent: & om-

Idem. nia læto animo perpetiuntur adepto iã regno cœlorum: quod (summa veritate docẽte) intra nos est. Hinc ait: Beati qui persecutionem patiũtur propter iustitiam, quoniã ipsorũ est regnum cœlorũ. Isti itaq; per uirtutes exẽplares deificantur, & aliis splendent. Nec asserere auderem homines ad deitatẽ perue-

nire posse, nisi Ioannes aperto sermone me doceret dicens: Dedit eis potestatē filios Dei fieri. Splendent autem iuxta illud summæ veritatis: Luceat lux vestra coram hominibus, vt videamini ab eis: Candela enim vel lucerna accensa non sub modio, sed super candelabro ponitur, vt luceat omnibus, qui in domo sunt. Lucerna quippe accensa, & splendens est ille, qui ad summum apicem virtutis iam perfectus ascendit: sicut de Ioanne baptista summo inter natos mulierum dixit Christus: Ipse erat lucerna ardens, & lucens: Et sicuti erat Moses: cuius non tantum virtus, sed facies adeo splendebat, vt non possent intendere filij Israël in faciem illam, ob splendorem uultus eius: Obtenebrati enim oculi offunduntur à splendenti luce. Hinc multa conticebimus, quæ de splendoribus, qui procedunt ab illis perfectis, qui iam ad virtutes exemplares deuenerunt, dicere possemus.

Ioan. | CHRISTVS. | Ioan. ba. | CHRISTVS. | Moses.

Lectione imbibit undè modulari posit homo. Cap. XIII.



Xpurgatus, ornatus, & concinnus factus homo debet iam coram rege introductus aliquid compositè modulari. Id autem decantādum occurrit, quod homo minimè nouit, nisi discat ab eo, qui cōcentum exquirit: Is enim cantiones omnes ibidem recensendas cōposuit, & nobis facilè legēdas obiecit, q̄uis obscuras, & difficiles q̄plurimas. Non est (inquit Baruch) qui exquirat uias Domini: neq; qui excogitet semitas eius: Sed qui scit uniuersa, nouit eas, Hic adinuenit omnem uiam disciplinæ, & tradidit eam, scriptam uidelicet Iahacob puero suo, & Israël dilecto suo: aperiens aliquibus occultissima, & miranda sacramenta in ipsa cōtenta. Inter quos fuit ille, qui ait: Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Sequitur Baruch: Post hæc in terris uisus est, & cum hominibus conuersatus est, tradens eandem disciplinam sub meliori forma: Quam ij quatuor conscripsere qui Christo à secretis aderant, ea tamen lege & forma, vt iuxta doctoris edictū, non daretur sanctum canibus, nec margaritæ exponerentur porcis conculcandæ: non enim propalanda sunt altissimi Regis arcana. Hinc diuus citharista decantat: Abscondi in corde meo eloquia tua: vt non peccem tibi. Et quia extranei, & non bene initiati in diuinis, & sacris, ea capere nequeunt: sed tanq̄ extranei audiunt loquentē idiomate ipsis incognito: stantque (vt aiunt) tanq̄ asini ad lyram: ideo iterum decantat uates: Quomodo cantabimus canticū Domini in terra aliena? Locutus est igitur sapientissimus concionator noster Christus ea lege, & ratione, ut tantūmodo secretiores discipuli intelligerent mysterium regni Dei: cæteri autem solas parabolas sentirent: Est enim scriptura sacra ueluti humanum corpus: in quo sit cutis, caro, & ossa cum medullis. Multi uident cutem, sed non carnem: multo minus autem ossa cū medullis. Literalis quidem sensus est ueluti cutis ab omnibus cognitus: & nulli prospicienti occultus. Moralis verò, uel allegoricus sicut caro cute cooperta nihilominus perceptibilis ab introspiciēte. Anagogicus autē, & diuinus est si-

Baruch. | David. | CHRISTVS | David. | CHRISTVS.

rut ossa occultissima, obtecta carne, & cute, plenáq; medullis. Nec quippe explicabilis est medulla, quæ pinguissima continetur in ossibus, & virtute sacrarum literarum: quia ea est quæ omne ingenium humanũ trãscendit, nec perceptibilis: nisi declaret ille, qui eã tradidit. In bibliis itaq; legis ipsius tã priscis, in quibus est data, quàm nouissimis, ubi Christi & discipulorum commentariis explanata, & non alibi prospicimus, aut accipimus, vndè concinamus omnia

Dauid. abdita & secretiora cantica. Hinc igitur quærendæ sunt nobis cantiones suauissimæ, de quibus dicitur. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo: Et iterum: Iudicia Domini uera iustificata in semetipsis: desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum: & dulciora super mel, & fauum. Sunt enim recta, & consonantia in seipsis, & hinc lætificantia cor, & illuminantia oculos: & adeo totum hominem oblectantia, ut beatus sit qui in ipsis uersatur: sicut alibi canit idem uates: Beatus quem tu erudieris Domine: & de lege

Idem. tua docueris eum.

Meditatione præludit. Cap. XIIII.



Ex quidem & scriptura sancta beatificat, conuertit animas, & sapientiam præstat paruulis, dummodo legens in ea meditetur,

Idem. & admittatur tanq̃ animal ruminans, & mundũ, quod offertur in sacrificium Deo per studium scripturæ sacræ. Hinc in Dauidico carmine prædicatur beatus is, qui in lege Domini meditatur die ac nocte: Et in alio carmine: Beati qui scrutantur testimonia eius. Quod non tantũ lau-

Idem. dat, sed obseruat: dum ait. Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, aut anticipa-

Deutero. uerunt custodias, vel vigilias oculi mei, vt meditarer eloquia tua: Et id est quod in repetitione legis iubetur. Verba quæ ego præcipio tibi hodie, erũt in corde tuo: & meditaberis ea sedens in domo tua: & ambulans in itinere, & dormiens, atque consurgens: & ligabis ea, vt nunq̃ moueantur ab oculis tuis. Non quidẽ vincienda sunt filo lineo, vel serico, vt superstitiosi legis obseruatores facere solebant, sed firma mentis tenacitate: vt semper habeas undè exciteris, & ducaris ad suauissimum cõcentum, qui multigenus, imo omnigenus cõtinetur in eis. Ibi enim sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi, inde igitur meditari possumus, vndè canamus non solum errantem lunam, solisq; labores; quorum alter tanq̃ gallus grauidat totum cœlum: altera autem uelut matrix suscipiens effectus ab omnibus sideribus, eos nobis explicat: sed vndè resonare faciamus melos totius machinæ, & hospitum, & archetypi, atq; opificis eius, & omnium simul. Cuncta enim in ea miris modis decantare solent, dummodo illa sciamus perscrutari: & detur nobis, vt reuelata facie gloriam Domini in ipsa contentam speculemur à claritate in claritatem procedentes, quousque ad fontem lucis uiribus nostris inaccessibilem Dei gratia suffulti applicemus. Hinc in ipsa scriptura meditãs beatus censetur, non solũ in Dauidicis hymnis, sed etiam à Platone, qui in Phædro ait. Diuinis medita-

tionibus qui rectè utitur, perfectisq; mysteriis semper imbuitur, perfectus re vera solus euadit. Ab humanis itaq; studiis segregatus, diuinisq; inhærẽs, carpitur à multitudine quasi extra se positus: sed ipse Deo plenus multitudinem latet: Et quæ vulgus opulentiam existimat, ipse summam indigentiam diiudicat: Vndè horum inferiorum impatiens, quia superna degustat ad ea anhelat, & pro illis solicitus orat.

Oratione modulatur. Cap. XV.



S igitur indigentiam suam cognoscit, necessaria procurat, & poscit id quo adhuc caret. Nam cum nos uniuersi partes simus, indigemus vniuerso: vt docet Proculus ex fontibus Porphyrianis, & aliorum sapientum. Et cum vnicuiq; naturæ salus, & cõseruatio ex cõuersione ipsius ad totalitatem suã uerißimè depẽdeat, Ab eo qui uirtutem poßidere cupit precationibus insistendũ est, & crebrò supplicandũ, vt is eam influat, qui omnen in se continet uirtutem, & summum bonum est: atq; bonitatis cuiuscunq; causa, non tantum serie, & successu quodam existens, sed immediatè omnia producens, etiam si uolueris materiam ipsam. Nec ab aliquo semouetur, aut distat diuinitas: sed omnibus ex æquo adest: cum unumquodque Dei munere existat, Nec extra Deum est aliquid: cum ipse omnia cõplectatur, & comprehendat: Et quicquid extra Deum imaginamur, est penitus nihil. Addit Iamblicus precum necessitatẽ super omnem spem: quia omnia producta sunt, & custodiuntur à Diis, iubente summo. Ideo qui saluari cupit exorandum sibi est ad eos qui saluant: à quibus res separari nequeunt: Nam omne genitum diuulsum à parentibus, & radice, ad non ens statim, & perditionem dilabitur: ea maximè, quæ quamuis inseipsa processerint, in parente tamen permanent: ut sunt creata omnia, quæ à Deo incipiunt, & in ipsum desinent Deum, secundum perfectricem trinitatem, qua à Deo procedũt, in seipsis existunt, & in ipsum Deum tendunt. Gyrum enim quendam creata omnia efficiunt (ut de mente Platonis prosequitur Proculus) à Deo incipientia, & in ipsum desinentia Deum, ueluti circuli linea, quæ ibi clauditur undè incipit. Vt autem reuertantur, indigent fauore illorum, à quibus processerunt: Fauor uerò impetratur precibus, quarum est suadere tum angelis, tum etiam Deo, vt hic scilicet iubeat, illi custodiant tutela perpetua: & eandem reducãt illuc, unde uenimus. Quid enim est (inquit) unaquæq; res sine consensu, & reditu ad Deum: & sine conspiratione, quam sympathiam uocant? Et quamuis oratio omnibus necessaria sit, præcipuè tamen uiris probis, cum applicatio quædam sit, & coniunctio illorum ad Deum: Simile nanq; simili complicari, & coniungi natum est: Probus autem, & integer, Deo similis est: hinc cum ipso complicandus, ut auxilium impetret: quo abstrahatur à cæco carcere, & uinculis corporis, in quo existens peregrinatur ab eo, cui similis est: & cui uniendus uenit. Et sicut à parẽtibus abducti pueri supplicãt natura impulsi, donec ad eos re-

Proculus

Iambl.

Proculus

uertantur: sic nos à verò omnium Patre semotos, & seiugatos, ut reducamur, illum orare: & illi supplicare oportet. Hinc academici nonulli orbos illos, & vtriusq; carentes parentibus dicebant, qui orationibus, precibusq; spretis ad superiorem, diuinamq; naturam conuerti negligebāt. Ideo apud uarias hominum nationes quicunq; nomen aliquod sibi duce uirtute uēdicauere, circa precum orationumq; studia se exercuerūt: vt apud Indos Brachmanæ, apud Persas Magi, Inter Græcos theologi, in Assyriis Chaldei: qui festa Deorū, & abdita mysteria sanxere, ea orationibus venerantes: Quāto magis id nobis faciendum est, quibus cæli ianua iam est reserata? Quot autem sunt animi bene compositi, prolatæ voces, aut intensæ cogitationes ad Deū pro indigentiis tēperandis: aut donis aliquibus impetrādis, tot sunt cantilenæ suauissimæ Deo porrectæ, vltrà laudes, & hymnos, quos frequenter in eius honorem persoluimus. Ad illas autem cantilenas quam optimè concinnandas Proculus quinque præbet exactissima documēta: Quorum primum est cognitio ordinum diuinorum: ad quos ille qui precatur, accedit: Non enim propriè expeditèq; accedere potest, qui illorū proprietates ignorat. Quamobrem oraculum, siue diuina responsa primam in sacrorū Dei cultu iubēt ignis accensam esse notionem: Quod a Mosaicis institutis acceptum esse non ambigimus: Nam in Leuitico summo iubente oraculo præcipitur: Ignis in altari meo semper ardebit. Post hanc secundum obtinent locum cognatio, affinitasq; nostra ad Deum ipsum, secundum omnifariam in nobis synceritatem, expurgationem, & fidelitatem in commissis: iuxta illud quod summus doctor ait: Qui fecerit uoluntatem Patris mei, qui in cælis est, ille meus frater, soror, & mater est. Tertium in ordine est contactus secundum quem diuinam tangimus essentiam, ipso animi supremo capitè, & ad illam inclinati innitimur. Quo sensu (vt opinor) inquit Ioannes: Quod audiuimus, & vidimus, & contrectauimus de verbo uitæ. Sequitur quarto loco applicatio, siue adhæsio: sic enim illam uocat oraculum. Quod & in Dauidico carmine expressè habemus, ubi dicitur: Mihi autem adhærere Deo bonum est. In oraculo autem: Mortalis igni adhærens lumen diuinitatis habebit: Hæc enim nobis magnam præbet communionem, euidentioremque participationem diuini luminis: & conducit per morum similitudinem, & affectum intensum. Vltimum est vnio quæ unum illud quod in animo est, in Dei vnitate collocat: & stabiles nos reddit in vnum redigēs actum: secundum quem non nostri sumus, sed Dei, in diuino manētes lumine: & ab ipso in gyrum circumplexi: Et hîc est est finis optimus uerarum precum, ut applicet conuersionem ipsam mansioni: & omne quod ab uno Deo procedit, rursum in uno collocet, & stabiliat. Hic quoq; est uerus, & consummatus concentus: quem solummodo uir probus, & verò bonus habere potest. Hoc etiam est facile, & expeditissimum iter ad fœlicem, beatamq; uitam, dum precationibus eleuamur, & in Deum conscendimus.

Brach. Magi. Theolo. Chaldei. Proculus Leuitic. CHRISTVS. Ioannes. Dauid.

Contemplatione introducitur. Cap. XVI.


Erum cum in oratione petamus, nondum habemus quod concupiscimus: sed post exauditam orationem, & iam adepto optato munere introducimur ad penetralia: in quibus prospicere licet illa spectacula æterna pleno animi oblectamento. Et hæc est vera contemplatio: sicut in de arca mystica bene diffinit Ricardus dicens: Contemplatio est libera mentis perspicacia in spectacula sapientiæ cum admiratione suspensa. Pulsatus enim Dominus precibus aperit aliquando ex quamplurimis cubiculis aliquod: in quod ingressus collustratis oculis uidet spectacula diuinæ sapientiæ vulgo reconditißima. Et quia in infinitum extenduntur, omnia penetrare nequiens remanet videntis mens cum admiratione suspensa. Nam (vt in Ecclesiastico dicitur) exaltate Dominum quãtum potestis: maior est enim omni laude: Quis enim magnificabit eum sicuti est? Multa abscondita sunt maiora his: Pauca enim vident operum, & magnificentiæ eius infinitæ etiam beati, qui quamuis uideant eum sicuti est, non tamen quantus est: quia hic infinitus: Illi autem determinatos habent suæ uirtutis gradus. Hinc Isaias cũ Deo ipso familiariter agens inquit: Verè tu es Deus absconditus: Abscõditus quippe, & patens: est enim Deus in omnibus rebus, hinc omnibus patens: Estque in seipso tanquam in abysso suarum tenebrarũ contectus omnes latens: vt in Dauidico carmine dicitur. Posuit tenebras latibulum suum in circuitu eius tabernaculũ eius, tenebrosa aqua in nubibus aëris. Ecce quomodo cõtegitur tenebris, tabernaculo, & tenebrosis aquis. Et aliquando diruptis impedimẽtis apparet patens, & manifestus: vndè sequitur: Præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt, grando, & carbones ignis: Et intonuit de cœlo Dominus, & altißimus dedit vocem suam manifestum se faciẽs cui, & quando voluerit: nõ solum in hac ingenti mundi machina: sed cum particulari homine agens aliquando abscondit faciem suam ab eo, & ait: Non videbit me homo, & viuet. Aliquando facie ad faciem loquitur, nimis domesticè agens: Vndè precabatur regius propheta dicens: Ostende faciem tuam, & salui erimus. Quam faciem ostendit nobis Deus potißimè in oratione, dicente Iob de appropinquãte Deo: Deprecabitur Deum, & placabilis erit: & videbit faciem eius in iubilo. Reuertitur igitur homo ad Deum per orationem: Quo perueniens (inquit Plato in Phædro) sistit equos: & cubiculum symposij intrat: vbi pascitur ambrosia, & potatur nectare. Quæ ambrosia est mana illud, de quo dicitur: Dabo ei mana absconditum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Nectar autem illud est, de quo cœlestis doctor inquit in euangelio: Bibam illud nouum vobiscum in domo Patris mei. Hæc enim (sequitur Plato) est Deorum, & fœlicium hominum vita: ut circulari motu in Deum reflexi eius cibis pascantur, & in ipso conuersi quiescant. Rectus est enim (vt Dionysio placet) progressus, quando fit à Deo in creaturas: circularis autem est reflexio, siue reuersio creaturæ in

Margin notes: Ricar. — Ecclesia. — Isaias. — Dauid. — Idem. Iob. — Plato. — CHRISTVS. Plato. Diony.

Deum: quæ fit completo uitæ curriculo: & aliquando non adhuc plenè soluta anima à corpore: Et id quando homini datur, vt amoto uelamine, & reuelata facie gloriam Domini speculetur, conscendens à claritate in claritatem. Et hæc est uera contemplatio. Nam illa excogitatio, quæ per ænigmata, aut imagines fit, speculatio, aut discursus quidam est: Ea verò quæ fit circa Deum immediatè, tanquam in speculo claro cõtemplatio est: vt rectè sentit Augustinus. Ideò Rachel, quam uidens principium, uel uidens Deum interpretantur, accõmodatißimè pro uita, uel mente contemplatiua sumitur: quæ non per ænigmata, neq; per creaturas, sed ipsummet Deum, & principium, in quo relucent omnia, contuetur. Et hæc est optima portio, imò finis, & complementum totius curriculi, quod expectamus: Ad quod Philippus aliquo lumine superno perfusus aspirabat cum diceret: Domine ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Et quia idẽ est Pater & filius, ideo hic respondebit dicens: Philippe qui uidet me, uidet & Patrem meum: quia quicquid relucet in uno, in altero quoque plenißimè splendet.

Philip.

Amore unitur. Cap. XVII.



IN speculum igitur diuinæ claritatis subuecta mens, sentit quoque calorem igneum: qui ex reuerberante illa luce consequitur: undè liquefit, resoluitur, & tãdem cum ipso illustrante Deo in unum conflatur. Nec obuient huic ueritati scioli, & uolentes legibus mathematicæ inferioris ligare eum, qui ab omnibus legibus est absolutus, ineptè dicentes, finiti ad infinitum nullam esse proportionem, & consequẽter nec unionem. Insuper cum Deus sit simplicißimus nullam admittit unionem aut mixtionem. Nam ipse est unus, simplicißimus in multis meliori sorte, quàm sol, qui unicus est in omnibus locis illuminatis totius orbis terrarũ. Et cum hic omnia illuminans, & calefaciens, nullam admittat admixtionem: multò minus ille, qui simplicißimus est omnia perfundens, & omnia in se transmutans ad libitum. Nec mirum, quia si ignis hic infimus comburens lignum, illud conuertit in seipsum nullã patiens admixtionẽ: multò magis sine admixtione conuertit in seipsũ eos, quos accẽdit ille ignis, de quo in Deuteronomio dicitur: Deus ignis comedẽs est: Comedẽs enim ui ignea & uitali, conuertit cibum in naturã comedẽtis. Nec proportio quãtitatis, aut uirtutis exigitur in prima causa ab omni lege subsecundariarum causarum penitus absoluta, qualis exquiritur in ipsis secundis causis legibus ipsarum subiectis: Illa enim prima causa, quamuis sit infinitæ uirtutis, & omnium rerum inferiorum proportionem excedẽs, tamen in quodcunque etiam minimum producendum extenditur. Quod etiam sibi unit ad libitum, quamuis in infinitum excedat. Quod enim est in rebus inferioribus proportio maioris inæqualitatis in agente, id in prima causa est omnimodus excessus; Agens tamen est ipsa prima causa, secundum ab ipsamet determinatam uirtutem: quia liberè operatur (ut tota nostra theologia pro-

Deutero

Theolo.

clamat) & non secundum omnimodam virtutem, vt falsò asserunt illi, qui opinantur Deum necessariò agere. Tenet igitur lex proportionis in his, quæ sunt determinatæ uirtutis, & non in excellentißimo agente: qui omnem uim naturalem excedit: & cuius nutui omnia præsto sunt: & antequã sint, vt fiãt: & postquam facta sunt, vt iterum in ipsum reducantur: homo autem potißimè, qui ipsius capax est: & suapte natura natus vniri: dũmodo intercedat uis illa amoris, quæ vnit amantem cum amato: & facit duo, non dicam in carnem unam, sed in spiritum unum dicente Paulo: Qui adhæret Deo, vnus spiritus efficitur cum eo. Quæ unio fit, non tantum per amorem, & dilectionẽ, de qua dicitur: Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Sed etiam per transmutationem, quæ fit per extasim & excessũ quẽdã. Philosō. Paulus. Ioannes.

Extasi, & excessu transmutatur. Cap. XVIII.



NOn igitur cõtenti (vt nõnulli faciunt) euehere hominem vsq; ad vnionem cum Deo, ad ulteriorẽ vltimũq; gradum ipsum deducere conabimur: ad trãsmutationẽ videlicet corporis in spiritũ: & spiritus in Deũ. De quarũ altera inquit apostolus: Saluatorẽ expectamus Dominum nostrum IESVM Christum: qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Hæc autem reformatio cuiusmodi sit futura, alibi declarat, dum ait: Seminatur quod animale, surget quod spirituale. De altera autem inquit euangelista: Dedit eis potestatem filios Dei fieri: dum videlicet trãsformantur homines in eãdem imaginem: quæ est filius Dei. Quæ transformatio fit per excessum mentis & extasim quãdã: quã Hebræi mortẽ osculi nuncupant, de qua in Dauidico carmine dicitur: Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Moritur enim in mẽtis excessu per osculum illud: de quo in canticis inquit Sapiens: Osculetur me osculo oris sui. Existens nanq; homo in mentis excessu moritur corpori, vt eius vita tunc minimè viuat, nec eius vtatur præsidio: quamuis corpus ab animæ viuificante uirtute nequaquam destituatur. Quæ anima in illo excessu Deo immixa, osculo quodam Deo unitur, tanta suauitate ipso oblectata, vt omnium exteriorum, & etiam ipsius corporis oblita ipsum uiuens sed sensibus priuatũ, & semimortuum relinquat, Quod explicat Paulus, dum ait: Mortui estis, & uita uestra abscõdita est cum Christo. Qui adeo ipsam animam suscipit, & secum unit, ut uiuat potius Christi, qui propria vita, sicut iterum inquit apostolus: Viuo ego iam non ego: uiuit uerò in me Christus. Sed cum transformatio ista fiat non tantum per mentis ipsius collustrationem, uerumetiam per vnientem amorem, qui ignis quidam diuinus est, conflans, vniens, & transformans: de hoc peculiarem tonum ædere opportunum duxerim: quem huic subnectemus. Paulus. Ioannes. Hebrei Dauid. Cantica. Paulus Idem.

De animæ & corporis harmonia mutata in melius per ignem, & resurrectionem. Tonus *septimuss.*

An resurrectio sit poßibilis. Cap. I.
An fuerit & futura ne sit. Cap. II.
An resurrectio futura poßit probari rationibus. Cap. III.
Quis primo dederit aditũ resurrectioni, & q̃ cõueniẽter. Cap. IIII.
Quæ de resurrectione habeamus à sacris eloquiis reserata. Cap. V.
Si aliqua coniectura poßit dignosci, quando hæc resurrectio futura sit. Cap. VI.
Cuius virtute resurrectio conducatur. Cap. VII.
Quid sit uox angelica & Dei tuba. Cap. VIII.
Quæ mutatio corporum sit futura. Cap. IX.
Qui sint immutandi, & qui non, & cur. Cap. X.
Qua carne, & quo corpore suscitandi sint dormientes. Cap. XI.
Quis capillus non sit periturus. Cap. XII.
Quibus membris gauisuri simus. Cap. XIII.
Quo igne conflandi sint boni. Cap. XIIII.
Quo particulari igne cremandi sint mali. Cap. XV.
Quomodo mali cruciandi sint. Cup. XVI.
Resolutio difficultatis de hoc igne. Cap. XVII.

AN RESVRRECTIO SIT POSsibilis. Caput primum.

OPIFEX ille summus, cuius spiritus omniū artifex suauissimus est; sicuti summa consonantia in opus exiuit, ipsúmq; cum tranquillitate disponit, & moderatur: sic tandem ad perfectum, & consummatum cōcentum, fœliciori & perfecta sorte deducet: idque erit, quādo deposita omni perstrepenti, & dissonanti materia, quæ suapte natura ad dissolutionem tendit, homo consummatissimum Dei opus, cum opifice perfectis modulis coaptabitur: ut semper ei debitas, & concinnas laudes reddat. Illam etenim dissonam & horridam materiam morte deponimus, ut eam in meliorem sortem cōmutatam resumamus: & aliquādo ui quadā spiritus uehementissima in melius commutemus: ut Enoc primo contigit, qui cum Deo perrexit: neq; deinceps uisus est, in carne uidelicet passibili, & corruptioni obnoxia. Id quoque assecutus est Elias, qui curru igneo euectus est. Id Moses: cuius adhuc in humanis degentis facies, ex diuino consortio adeò splendebat: ut nō possent intendere in ipsam filij Israel ob splēdorem ab ea rutilantem. Quod signum euidentissimum erat corporis iam in melius transmutati. Hinc non uidit corruptionem: nec inter homines reperitur, nec diaboli potestati, sicut alia cadauera, relictum est: sed transmutatum in naturam spiritus, iuxta illud Apostoli, Seminatur quod animale, surgit quod spirituale. Ideo & reductum innuitur à Thadæo in ditionem Michaelis, qui constitutus est princeps super omnes animas, & spiritus suscipiendos. Et hæc est disputatio illa, & altercatio, quæ ab eodem dicitur facta cum diabolo de corpore Mosi. Sed cum hæc transmutatio paucissimis data sit, ideo per depositionem tabernaculi huius, & igneam uim summi archimusei in resurrectionis opere ad illam consonantiam nobis deueniendum est: De qua aliqualiter tangit Ambrosius, dum ait: Notum uobis faciant, qui primitias resurrectionis degustarunt, quemadmodum organum corporis dissipatum, in priorem statum neruorum rursus coaptauerit: imò in melius deduxerit suauioribus modulis, & tanta concinnitate, ut nunquam amplius dissoluatur: sed absque ulla intercapedine, continuis laudibus omnium artificem benedicant & laudent. Verum antequam hunc describamus concentum, amouenda sunt à mētibus hominū uirulenta dubia, quæ inficiunt salutaria pabula ueritatis: quæ de statu, & fine nostro continua meditatione à nobis ruminanda sunt: Omnis enim uita sapientis, & fœlicis est meditatio nō corporeæ mortis, & dissolutionis huius nostri tabernaculi, sed mortis sanctorū: quæ pretiosa est in conspectu Domini: & per quā Deo uiuimus, atq; in meliorem sortē trāsformati eam beatitudinē quam expectamus, delibare incipimus. Hinc præmittēdum duximus, qualiter hæc resurrectio, & transmutatio sit possibilis, atq; uera. Hic

Enoc. Isaias Moses. Paul. Ambros.

equidem de quamplurimis non mirari nequeo, qui tantum fidei præstant asserenti impoßibile fore id, quod semel destructum est, iterum posse redire, cum quotidie comprobemus hos reditus, in plerisque rebus pluries reiteratos, nunc sub alia, nunc sub eadem forma specifica. Ex corpore enim tauri fustibus cæsi cellulaque reclusi ac humo sepulti, paucis, id est uiginti diebus plus minus generātur apes. Ex equino autē cadauere scarabæi: Sed ex corporibus quorūcunque animalium uermes diuersi, ita, ut quæ nunc erat materia bouis, uel equi, fiat apis, aut uespa. Et sæpius eadem specifica forma restituitur. Lactuca enim, Brasica, Serpillum, Petroselinum & huiusmodi ex terra producta, uirtute tamen seminali, iterum in terram resoluuntur reseruato semine, in quo uirtus remanet: qua cum terra iterum eadem producant, ut singulis annis resurgere uideantur. Nec tamen resurgere dicuntur: quia non diiudicatur eadem forma indiuidua reuerti, cum prædictarum rerum forma corruptibilis iudicetur. Si autem maneret forma, non uideo quin poßit idem redire, quod aliquando dissolutum fuit. Cum igitur hominis forma, & anima (ut omnes ueri sapientes asserunt & rei ueritas est) semper incorrupta perseueret, citra omnem contradictionem, dum eius materiæ reunitur, idem quod prius erat, constituit. Nec fiat difficultas, de quadam (ut aiunt) tertia entitate, quia illa aut nihil est, uel si aliquid est, non uideo quin poßit eadem redire, si est de hominis essentia. Si uerò accidens est, etiam si non redeat, non obstat quin homo idem redeat. Quāuis in resurrectione non tantum occurrat partium separatarum reiterata unio, sed etiam transmutatio quædam in meliorē sortē, sicut semen mortuū in herbā. Deus itaq; ut huiusmodi cunctationem & incredulitatē de resurrectione iugularet, multa quotidiana experimenta naturæ nobis præbuit contemplanda. Iussit enim, ut tellus animantia proferret quamplurima, atq; innumeras plantas, illāq; iterū ad reddendū fœnus exerceri, ne cū iussa fuerit producere mortuos, imperij nouitate turbetur. Si enim, quæ dissoluta erant, uiuentia corpora profert, non illi iam nouum uidebitur, si hominum cadauera cū eius forma, quæ mā-sit, counienda restituat. Phœnix quoque Arabiæ insignis auis uiuit ultrà annos quingentos, & cum ad senectam deuenerit, collectis in rogum aromatum uirgulis, ad solem conuersa, alarum applausu uoluntarium sibi comparat incendium: ut reuiuiscat potius, quàm ut moriatur. Ex eius nāq; carne combusta (ut refert Ambrosius) aut ex medulla (ut Plinius asserit) uermis suauißimus prodit: qui alas emittens in auem formatur eandem. Nec mirum existimetur, si ex puluere, luto, & plantis inde pullulatis, uel ex cadaueribus animalium, aut piscium deuorantium humana corpora, eadem tabernacula hominum restituantur, cum ex osse durißimo persici Armeniaci, sed potißimè dactyli, ubi nucleus tenuis, arbor nascendi assumat initiū: & iteratis uicibus ex oßibus iterum arbor producatur. Vermes qui bombyces dicuntur, & sericum faciunt, consummato opere in ipso (ut ita dicā) scapo tanquā in carcere, uel antro detrusi includūtur,

Ambros. Plinius

Postea in farfallas mutantur, quæ oua tanquam seminaria quædam producũt: hæc uerò statuto tempore calefacta in eosdem uermes iterum erumpunt. Nec *ab his (ut secretiores theologi asserunt) differt reiteratio hominis, cuius os quod ipsi, לוז, luz appellant, in magnitudine ciceris mundati, nulli igni, nullíque corruptioni obnoxium, semper conseruatur illæsum: ex quo (ut dicunt) repullulat totum corpus animale, ueluti planta ex semine: cum quo resumpto eodem spiritu, & anima, quam* Hebræi *ipsi* Nessaman *uocant, superior constituitur homo & spiritualis: sicut homo inferior constituitur ex ratione & discursu, cum animali nostro, uel cum corpore cœlesti, ut* Platonicis *placet: in quod corpus hoc graue & corruptibile secundum* Apostoli *sentẽtiam transmutabitur.* Nec enim *fex corporis, & grosior materia est de hominis substantia, ut ipsi autumant.* Q*uod comprobare possumus ex his, quæ contingunt in transmutationibus artificum: ubi uidemus totam rei substantiam, atque spiritum, & uitam, in paruam reductam materiam, & hanc liquidam & raram, ac absolutam à fecali portione.* Non *secus relicto, quod animale est & feculentum resurget (ut* Apostolus *ait) quod spirituale est, sufficiens quidem ad hominis integritatem, imò rediturus est homo longè meliori sorte munitus, transformatus uidelicet in angelum & in ipsum* Filium Dei.

Theolo. Hebræi. Plato. Paulus. Idem.

An resurrectio fuerit. Cap. II.

SEd *an resurrectio aliqua hominum facta fuerit, cum sit merè contingens, probari nequit, nisi testibus, & facti euidentia:* Complures *etenim habemus, qui attestantur Christum resurrexisse ex mortuis, atq; dedisse suæ ueræ resurrectionis pignora. Sese enim uisibilẽ præbuit non tantum* Apostolis, *& mulieribus: sed & quingentis simul fratribus uel pluribus, ut* Paulus *refert, & multis, qui aderant, quando cœlum non sine intuẽtium admiratione conscẽdit se insuper palpabilem, & impasibilem* Thomæ *exhibuit: quando uulnera absq; ullo timore doloris, ex ipsis uulneribus tactis prouueniente, intrepidus obtulit contrectanda.* Hinc *ille* Thomæ *clamor maxima ratione obortus, quo ait* Dominus *meus, &* Deus *meus:* Nunc *(inquit) te fidelem sponsorem, & patronum cognoui, dum præmium fidelibus militibus promissum pro laboribus, & morte tui amore tolerata, demonstras.* Nunc *te* Deum *cognosco, dum mortale & pasibile hoc corpus, in immortale & in impasibile commutasti, & hoc in pignus nostri quoque corporis commutandi.* Q*uod inde coniicio, quia uulnus hoc tuum recens (nullum prorsus dolorem tibi innouando) digitis (ut iusisti) contrecto:* Talia *autem præstare, quia* Dei *tantummodò sit, hinc te, qui hæc fecisti,* Deum *meum confiteor.* Attestati *sunt quoque ipsius* Christi *resurrectionẽ cœlestes spiritus, qui mulieribus dixerunt:* IESVS, *quem quæritis, non est hîc, surrexit: & præcedet uos in* Galilæam. Sed *ne relatione mulierum tantummodo attestatio angelorum nobis innotesceret:* Proinde *ascendente* Christo *iidem obstupescentem turbam his uerbis allocuti sunt.*

Thom.

Viri Galilæi quid admiramini aspicientes in cœlũ? Hic IESVS *qui assumptus est à uobis in cœlum, sic ueniet in carne, uel corpore iam glorificato, iudicaturus orbem, & eandem gloriam uobis daturus, quemadmodum uidistis eum cœlum ascendere iam glorificatum. Quod cum cæteris à Christo gestis attestantes Apostoli, prout uiderant, id non solum uerbis, sed prodigiis multis, & tandem uitæ discrimine comprobarunt.* Et ad tollendam omnem suspicionem temeritatis, & fraudis, quæ ex hac attestatione Apostolis posset ascribi, sapienter arguit Paulus dicens: Nisi Christus surrexisset, præbuissetque nobis resurrectionis aditũ, miserabiliores essemus omnibus aliis creaturis: quæ oblectamentis sibi conuenientibus potiuntur. Nam sicut bruta animalia, sic incredulus homo inferiorem appetitum turpiter fouet: Verus autem Christianus ab omnibus huiuscemodi se abstinet: ut illis fruatur bonis, quæ fœlici animæ, uel à corpore separatæ, uel cum ipso meliori sorte donato, præparata sunt. Hinc meritò Apostoli, & euangelici uiri omnes, qui ab omnibus uoluptatibus abstinent, ut incorruptibilem coronam illam accipiant, nisi ipsam post resurrectionem promissam, plenißimè à toto homine fruendam consequerentur, uerè essent miserabiliores omnibus aliis creaturis, quæ saltem aliqua uoluptate potiuntur. Nec parum roboris habet hæc ueritas, quæ ab omnibus non deprauatis suscipitur, omni lege asseritur, ab omnibus expectatur, nisi sint aliqui tantis & tot sceleribus inquinati, ut nullam sibi futuram uitam persuadeant, nullum tribunal, nullum tantorum scelerum iudicẽ.

Paulus.

Hierocl. Horrida enim scelera (ut Hierocles ait) omnem fidem, omnem Deum, omnẽ denique iudicem, ab obcæcatorum mentibus aufert. Omni (inquam) lege resurrectio asseritur, cum nõ modo Christiana hanc fateatur, sed Mahumetica, & Hebræa. Nam Hebræorum præcipui, qui pharisei, id est separati, & semoti à communi tuba dicebantur, id citra omne dubium asserebant. Hinc Paulus non erubuit se phariseum profiteri: & dogma ipsorum de resurrectione mortuorum suscipere. Pharisœus enim (inquit) ego sum, & filius phariseorum: ac de resurrectione ego iudicor. Erant quippe pharisei antiquitus ueri Hebræorum religiosi, & à uulgo separati dicti à פרש Paraz, quod separauit significat, quamuis remisso spiritu, & feruore (ut sæpißimè contingere solet) turbis commiscebantur, perpetrantes ea quæ fas non erat. Sed cum Christus uerus Phariseus, & à mundo, atque ab omni quod in eo est penitus separatus, ipsos redargueret tanquam reos suæ profeßionis, & nominis: hinc insurrexerunt in doctorem ueritatis, quæ communi lege odium parit. Qui igitur ex Hebræis ipsis bene sentiunt, resurrectionem profitentur, mundum uenturum expectant, & celebrant uoluminibus multis, summopere magnifacientes eos, qui de sæculo uenturo solicitam curam habent. Nec adducam quæ Mahumet in sua theologia de resurrectione asserit, cum omnem, quam profitetur ueritatem, à Mosaica, uel euãgelica lege furto acceperit. Illius tamẽ sectã adducere opportunũ existimaui, cũ ad præsens totum humanum genus in has treis sectas præcipuas, Hebrai-

Mahum.

Hebræi.

Paulus

eam, Christianam, & Mahumeticam partitum uideatur, ut intelligant omnes nullam esse religionem, aut dogma, quod hanc de resurrectione ueritatem non profiteatur, & doceat.

An resurrectio futura posit probari rationibus. Cap. III.



T quamuis (authore Platone) diuina sint potius oraculis suscipienda, quàm inuestiganda ingenio, aut rationibus comprobanda, nihilominus cum oracula ipsa ea sint, quæ nihil absonum, nihil non naturæ cõsentaneum doceant, non incongruè perscrutandam diiudico harum rerum diuinitus reuelatarum cũ ratione & intellectu nostro conuentionem: quod genus sciendi apud me elegantissimum est, quando uidelicet aliquid cum intellectu consonat, qui sola ueritate pascitur, & in ipsa oblectatur, dummodo expurgatus existat. Nam obtenebratus ueritatis lucem suscipere nequit dicente Ioanne: Et tenebræ eam non comprehenderunt. Cũ expurgatis igitur mentibus agentes, proponemus animam esse immortalem, ut non modo leges asserunt, sed omnes ueri sapientes profitentur: & ratio suadet, ut uidelicet consequatur eum finem, quem in hac peregrinatione nullo modo assequi potest, ut sapienter inquit Apostolus: Quamdiu sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino. Est insuper anima diuini & æterni luminis particeps, sicuti angelus: Nam ipse Deus (dicente Ioanne) erat lux uera, quæ illuminat omnem hominem: illa utique lux, quæ est uerbum, & splendor Patris: ad quam etiam angeli (ut inquit Augustinus) accedunt, tanquam ad uitæ fontem. Et (ut ultrà procedamus) omnis qui est particeps alicuius rei, eius natura sentit, cuius est particeps. Oculus enim huius sensibilis luminis capax, eiusdem naturæ censetur, etiam si aliquis minus, & aliquis magis, alius uerò acutius, & alius obtusius uideat. Nõ secus est in auditu, cæterisque potentiis. Non erit igitur homo alienus à natura angeli, & Dei, cum omnes (quamuis diuerso gradu) eadem luce fruantur. Et cum illi sint incorrupti & immortales, proculdubio & immortalis erit anima, cum habeat cum ipsis communionem: id maximè, quoniam immediatè ipsa anima trahit originem simul cum angelo ab illo intransmutabili, & perpetuo parente, qui quicquid immediatè, & sine alio adminiculo produxit, æternum proculdubio ædidit: ut docet Plato, & confirmat Plotinus. Produxit nanque cœlum, terram, quæ in æternum stat, hominem quo ad animam, & dracones magnos immediatè, & absq; adminiculo secundæ causæ, uel præsuppositæ materiæ: quæ omnia perpetua, & permanentia sunt. Nec per dracones hos, super terrã reptãtes intelligo, sed utrosq; angelos, bonos & malos: ut nonnulli secretiores theologi non incõgruè interpretãtur, sicut alibi diximus. Nec obstat illud summæ Veritatis: Cœlũ, & terra trãsibũt: qa trãsitus ille erit secũdũ aliquẽ effectũ: uel erit trãsmutatio in meliorem sortem, sine sui destructione. Eadem lege ideæ rerum, aut uniuersalia (si qua re ipsa sunt) sempiterna sunt: quia immediatè, & sine aliqua

Plato. Ioan. Paulus Ioan. August. Plato. Plotinus Theolo. CHRISTVS.

intercedente causa producta. Est itaq; anima hæc immortalis, & perpetua: ut perpetuo frui possit sempiterno Deo, & ipsius particeps esse: à cuius consortio peregrina & si aliquando per negligentiam decidit, nec plenè & purè suscipit ipsum, in se tamẽ habet seminaria quædã, undè fauẽte ipso superno sole reparare ac reuocare possit cõpressas uires: quousq; pfectã eius consequatur similitudinem, imaginem, atque cõsummatam unionem. Quæ cum integrè facere nõ possit peregrina, & hac graui induta mole: necesse est, ut eius transformetur corpus configuratum corpori claritatis illius, qui resurrectioni, & uitæ dedit principium: ut ipsius pleno fruatur consortio: Efficietur enim transmutatum corpus, ueluti semen in uiuidam herbam, ipsius beatitudinis principis consors, & ferculum: sicut ipse factus est panis uiuus, & in edulium nobis exhibitus. Et hoc est illud mutuum conuiuium, de quo ipse cibus, & conuiua in Apocalypsi loquitur dicens: Cœnabo cum eo, & ipse mecum. Ipse quippe me manducabit panem uiuũ, & mãna absconditum: quo & continuè sustentabitur: Ego autem oblectabor illo meliori uita insignito, atque effecto mihi consimile: cui ego resurrectio & uita, uitam illam meliorem præstabo continuò. Neque hîc nobis laborandum est, in adducendis scripturæ sacræ sententiis: cum eadem fides uni tantũmodo præstari debeat, quæ multis: cum quælibet illarum à fronte impermixtæ & infallibilis ueritatis emanet. Paulus qui uidit arcana Dei, & in cuius pectore Christus resonat, hæc à magistro, & in gymnasio ueritatis edoctus depromit: Ecce mysterium uobis dico, omnes quidem resurgemus in momento, in ictu oculi, in nouissima tuba: Canet enim tuba, & mortui surgent incorrupti: Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Ecce quàm clarè resurrectionis arcanum, & modum detegit: cũ quo omnes cõueniunt, qui in eadem academia sunt edocti. Nec desunt, qui innuant resurrectionem probari posse ex astris, si demonstrarentur aspectus, ac loca planetarũ eadem esse, sicut quando fabricatus est mundus: atque superficies illas, super quas astra uoluuntur, non esse incommensurabiles, sicut diameter quadrati ad costam: sed symmetras, ut omnia tandem poßint cõuenire, sicut erant. Quod tamen nihil est, cum uniuersalis mortuorum resurrectio non exquirat eandem penitus astrorum conditionem, quam tenebat mundus, quãdo à principio conditus est: quia tunc non fuere fabricata humana corpora, nec facta cum ipsis animarũ unio: sed in multis & successiuis annorum curriculis. Vndè ueritas hæc de resurrectione ab eo tantummodo exquirenda est, qui ipsam conducet ad libitum: & qui dedit homini undè resurgere poßit, sicut dedit Plantis, & quibusdam animalibus undè (sicut diximus) suis renouentur temporibus. Ex quibus tantummodo (ultrà ea quæ dicunt oracula) de resurrectione coniectare possumus.

Apocal.

Paulus.

Quis primo dederit aditum resurrectioni, & q̃ cõueniẽter. Cap. IIII.



Vis autem huic ueræ resurrectionis principium, & nobis ad eandem aditum dederit, minimè dubitandũ est, intonante Paulo summi principis ueridica tuba: Christus surrexit à mortuis, primitiæ dormientium: Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum: Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes uiuificabuntur: Et iterum: Factus est primus homo in animam uiuentem, quod & cæteris animantibus tributum est. Secũdus autem homo in spiritũ uiuificantem, quod soli homini Dei gratia conceditur, mediante illo, qui resurrectionis principium præstitit: sicut ipsemet in euangelio, cui titulus est secundum Ioannem, exprimit dicens. Hæc est uoluntas Patris qui misit me, ut omne quod dedit mihi Pater ipse, non perdam ex eo: sed resuscitem illud in nouissimo die: Et iterum: Hæc est uoluntas eius qui misit me: ut omnis qui uidet filium, & credit in eum, habeat uitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Concinnum quippe est, ut reparetur homo per quem fuerat institutus: & sicut per inferiorem hominem in mortẽ descenderat, ita per superiorem ad uitam cõsurgat. De homine quippe terreno dictũ est: Creauit Dominus Deus hominem puluerẽ de terra: & inde subinfertur: Puluis es, & in puluerẽ reuertêris, quousq; uidelicet surgas meliori sorte decoratus. In secundi autem hominis genitura dixit Gabriel angelus eius, qui fuit utriusq; hominis opifex, ad matrẽ secũdi hominis mox futurã: Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi: Inde cõcipies & paries filiũ, nõ utiq; terrenũ, sicut prior fuit, sed cœlestẽ, diuinũ, & saluatorẽ prioris, & totius humanæ sobolis. Hinc subintulit nũtius: Ipse saluũ faciet populũ suum (quem uidelicet noua generatione regenerabit) à peccatis eorũ: & cõsequenter à morte, quã inde cõtraxerant. A terreno igitur homine habemus, undè cum ipso reuertamur ad terram, de qua sumptus est: A cœlesti autem, undè reducamur ad cœlum, à quo ipse descẽdit, ut istuc nos conduceret. Quod cum fieri nequeat cũ hac ueste corruptioni obnoxia, necesse est, ut illa deposita induamur incorruptã, iuxta illud Apostoli: Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, & corruptibile hoc induerit incorruptionem, tunc fiet (ut subinfertur) sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in uictoria. Mors quippe, non modo illa quæ est dissolutio nostra, & diuulsio animæ à corpore: sed & ipse angelus mortis, qui mors dicitur, potissiméque in isto loco: Cuius potestas & uirtus penitus absorbebitur, quando pro uictoria habita consequemur in resurrectione triumphum. Nam tunc nulla erit contra nos hosti uirtus relicta: quando instrumentum eius, quod est animal nostrum, mutatum erit in eam sortem, cui nocere minimè poterit. Ideo exinanita erit eius uirtus, & penitus extincta, sicut extinguitur ignis sublato fomento. Absorpta itaque erit mors, & author eius cum tota ipsius uirtute: quando consequemur in resurrectione immortalitatẽ, incorruptionẽ, & perpetuã uitã. Quã tamẽ uicto-

Paulus

CHRISTVS.

Idem.


Paul.

riam, & quem triumphum habere nequimus, nisi per illum, in quo mors, qui est diabolus & princeps mundi huius corruptibilis, non habet quicquam: imò sicut in primo aductu ab eo eiectus fuit, ne ultrà tanquam alter Deus ab humana creatura adoraretur: ita in secundo penitus eiicietur: ut in nullo milite, aut membro ipsius ueri triumphatoris uel minimo præualere posit. Parta enim fuit plenissima uictoria à Christo principe, quādo exaltatus fuit à terra, quia tunc eiectus fuit princeps huius mundi, corruptioni & morti obnoxij, tūc attraxit omnia ad seipsum uirtute quadam, & dispositione sufficientissima: citra tamen effectus consecutionem, quousque à statu peregrinationis & pugnæ, fuerimus penitus absoluti: & adipiscamur regnum nobis paratum à constitutione mundi, & obtētum ab Agno: qui (ut Ioannes ait) occisus est ab origine mundi. Nec erat quippe mundus, & humanum genus per alium reparandum, nisi per quem fuerat institutum: Omnia enim per uerbum facta sunt: & omnia per uerbum restituta sunt. Hinc illa reparatoris uox: Sine me nihil potestis facere.

Ioan.

CHRISTVS.

Quæ de hac resurrectione habeamus à sacris eloquiis reserata. Cap. V.



Ed cuncta hæc, cum omnem humanum captum transcendāt, necunde de eis plenam fidem habere poterimus, nisi de more à diuinis oraculis (quæ frequenter hæc eadem asserunt) edoceamur. Scio (inquit Iob) quia redemptor meus uiuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursus circūdabor pelle mea, & in carne mea uidebo Deū saluatorem meum: In carne quidem non hac corruptibili, sed in melius transmutata. Itidē & Martha iam optimo Doctore theologa effecta (Ioanne referente) asserit dicens: Scio quia resurget frater meus in nouissimo die. Paulus & cum Thessalonicensibus & Corinthiis agens, longo sermone & rei ueritatem explicat, atque ipsam probare nititur, modúmque miris sacramentis aperit dicēs: Seminatur quod animale, surget quod spirituale: seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in corruptione, surget in incorruptione: & cætera, quæ ibi commemorantur. Quod & Christus antè docuerat in euangelio, cui titulus est secundum Lucam, dum ait: In resurrectione non nubent, neque nubentur, sed erunt homines sicut angeli Dei, incorruptibiles uidelicet, agiles, nobiles, spirituales, & triumpho decorati: ut non ultrà succūbant, imò efficientur & angeli, & filij Dei secundum traditam eis potestatem, ut Ioannes perhibet. Non igitur sine causa, neque absque sacramento asserit summus Doctor, homines futuros sicut angelos Dei: quamuis dicāt nouitiores theologi illos differre specie ab istis. Sed quomodo (quæso) illa quæ specie distant, possunt assimilari? Dicerent Peripatetici, assimilationem illam accidentalem fore, & non in ratione specifica, aut essentiali. Quod nullatenus uidetur ad mentem Christi, cui etiam hæc Apostoli uerba aduersantur: Mortale hoc & animale induet immortalitatem, & surget spirituale. Insuper docet nos, qua ratione transmutemur in superiorem imagi-

Iob. Martha. Paulus

CHRISTVS.

Ioan. Theolo. Peripate. Paulus.

nem, quæ est ipse Filius Dei: Quam transmutationem nec docuerunt, nec uiderunt; qui naturales philosophi nuncupantur. Hinc ipsam prætermittunt, qui naturæ duces penitus imitantur: cum hæc inferioris naturæ ordinem longis passibus transcendat. Non igitur à nostro Paulo habemus tantummodo resurrectionem futuram aliquando, sed quibus dotibus resurgent corpora, & quam conditionẽ consequemur. Et ultrà progrediens explicat qua uirtute hæc fient: quia in iussu Dei, & in tuba archangeli: nec non quàm cito, quia in ictu oculi. Qua etiam differentia resurgent homines: quia aliqui mutabuntur, alij uerò minimè: Cui etiam tribunali astabunt suscitati, quia dicitur: Cum uenerit Filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ; & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis: & statuet oues quidem à dextris, hœdos autem à sinistris. Exprimitur denique iudicium, & præmium quod unusquisq; reportabit iuxta opera sua, dum dicitur: Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in uitam æternam. Solum uerò tempus quo huiusmodi fient in Patris pectore reclusum declaratur.

Paulus

CHRISTVS.

Si aliqua coniectura possit dignosci, quando hæc resurrectio futura sit. Cap. VI.



Quando igitur hæc resurrectio sit futura diffinire difficillimũ est, dicente Christo: Non est uestrum nosse tempora uel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Et iterum in euangelio, de die illo aut hora nullus scit, neque angeli cœlorum, nisi Pater solus. Et (ut Marcus addit) neque filius, sed Pater solus: & cui uidelicet reuelatur ab ipso Patre, in cuius potestate est hæc omnia decernere. Nam hoc, & alia omnia filius fatetur se à Patre accepisse, dum ait: Omnia dedit mihi pater. Et iterum etiam de rerum cognitione ait: Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me Patris. Qui igitur à Patre luminum sunt edocti, aliqua possunt prognosticari de illo extremo examine, & rerum solenni mutatione. Inter quos ipse filius Dei, qui Apostolis de re hac sciscitantibus, quamuis tempus apertè non expresserit, aliqua tamen præuia commemorauit dicens. Audituri enim estis primo prælia, & opiniones præliorum: & multa subinfert longè antè præcessura: inter quæ connumerat pseudoprophetas, qui uidelicet uaticinari præsumunt ea, quæ spiritus sanctus non suggesserit, uel ut quid nominis aucupentur, sectas & inaudita quædam falsò student plebeculis suadere, quæ non sunt ad ueritatem euangelij, nec ad unitatem spiritus, neque ad uinculum pacis solenni testamento nobis à Christo relictæ. Postea subinfert de filio iniquitatis, qui & ipse per aliquod tempus diem illum nouissimum præcedet, sicut ipsemet referat dicens in euangelio, cui titulus est secundum Lucam: Oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis. Tandem subinfert propinquiora indicia, dum ait: Erunt si-

Idem.

Marcus.

CHRISTVS.

Idem.

Idem.

gna in sole, Luna, & stellis, & in terris pressura gentium, & prae confusione sonitus maris & fluctuum, arescentibus hominibus prae timore, & expectatione, quae superueniet uniuerso orbi. Nam uirtutes cœlorum mouebuntur, ad exequenda uidelicet quae supra omnem naturae ordinem passim contingent. Verum cum multa huiuscemodi commemoret, nihil de tempore innuit, nisi in uerbis illis, quae ultimo subintulit dicens: Amē dico uobis, quia nō praeteribit generatio haec, donec omnia fiant. Quod uerbum satis obscurum est, cum diuersimodè intelligi possit. Nam pro illud generatio haec, interpretari possumus generationem humanā: Sed nónne supfluū fuisset de humano genere dicere, nō praeteribit generatio illa, donec compleantur ea, quae in ipsa generatione exequenda sunt? Est quoque generatio communis hominis uita, secundum quod significatum illa sententia minime locum habet: cum uita hominis à tempore diluuij citrà, infra spatium centum & uiginti annorum conclusa sit: & iam mille & quingenti & iis plures anni post illam comminationem fluxerint. Nec etiam interpretari potest uerbum illud de uita hominis magna, quae usque ad millenarium proroganda à principio statuta erat: quamuis nemo mortalium terminum illum (nō sine sacramento) attigerit, sed bene ad ipsum appropinquarunt aliqui, ut Adam, Mathussalem: & alij. Adam siquidem uixit nongentos & triginta annos: Alter uerò nongentos & sexaginta nouem: Nam & generatio uel uita haec deficit à tempore iam post illa uerba deuoluto. Nec pro saeculo intelligi posset, quia saeculū pro uitae communi spatio accipiatur aliquando: ut illud quod in Exodo legimus. Et erit seruus in saeculum, quousque uidelicet compleuerit uitae spatium. Et aliquando extenditur saeculum usque ad millenarium annorum, ultra quē terminum (ut Hebraei asserunt) minimè prorogari potest. Hinc (ni fallor) per generationem hanc saluator tertiam fluctuantis mundi curriculi partem intelligit. Nā (ut ex aliquibus non debilioribus locis coniectare possumus) labor generationis humanae in sex millibus annorum consummatur: in septimo autem requiescet: Sicuti opifex summus sex diebus mundum fabricauit, & in septimo requieuit. Nec inconcinnè aptamus millenaria annorum cum totidem diebus, quia apud secretiores Theologos saepius millenarium annorum pro die computatur, iuxta illud Dauidici hymni: Quoniam mille anni in conspectu tuo sicut dies externa, quae praeteriit. Senarium quoque laboris, & septimum requiei, tam in diebus, quàm in annis, diuina lege corroboratur. Nam sex dies hebdomadae ad opera exercenda lege conceduntur: septimus uerò requiei dedicatur. Et iterum, sex annis concessis pro agris colēdis, septimo, & agro & cultori requies indicitur, ut in Exodo legimus. Non mirum igitur, si postquam per sex milia annorum uariis incōmodis, & diuersis agitationibus à satana, id est aduersante procuratis, laborauerit humanum genus, requiescet in septimo millenario, ut dilectus Christi Apostolus in Apocalypsi describit. Et hoc ligato prius ipso satana & aduersario nostro, qui est antiquus serpens: ut non seducat, neque perturbet in illo fœlici

Marginalia: Exo. — Hebrei. — Theolo. — Dauid — Exodo. — Ioannes.

millenario gentes: sed sint homines ueri Christi sacerdotes, dedicantes semetipsos Deo: ut regnent iam in illo regno, quod intra nos constitutũ est: & quod adepti uerè quiescunt. Labor autem qui hanc requiem præcedit trifarius est trina lege distinctus, naturæ, uidelicet (ut aiunt) scripturæ, & gratiæ. Horum temporum primum, & prima generatio lege naturæ tãtummodo directa, absque sacrificiis, & gratiæ influxu, quodammodo arida fuit, & inanis. Secundum autẽ temporis spatium, atque generatio in illo decurrens, aliquid lucri & fauoris reportauit ex lege. In tertio autem spatio plenos manipulos Christi gratia suffultis ipsi iudici & Deo Patri offerre cõcessum est. Hinc illud apud Hebræos Eliæ oraculum summè ueneratum. Duo milia inanes: Duo milia sub lege: Duo milia sub Messiah. Sed cum ex diligenti Hebræorum supputatione, nunc quando scilicet degimus annum à Christi natiuitate supputatum, Millesimum Quingentesimum uigesimum tertium, habemus ab origine mũdi Ducentesimum & octogesimum quartum supra quintum millenarium, restantque ad complemẽtum sexti millenarij, septingenti & sexdecim anni: Post quos intrabimus in septimum millenarium sabbati, & quietis. Generatio igitur hæc secundum huiusmodi supputationem est duorum milium annorum, qui complendi sunt sub Messiah: in quibus omnia à Christo prædicta complebuntur, antequam deueniamus ad magnum diem, & spatium sabbatarium mille annorum. Verum post millenarium illud quietis soluetur (inquit Ioannes) satanas & aduersarius noster, modico tẽpore ut adhuc tentet sanctos Dei: & probet eos consummata & ultima probatione. Quo conflictu, extrema parta uictoria, & adepto pleno triumpho, sequetur plena renouatio, & unio perfecta hominum cum Deo, à quo processerunt. Et tunc misso diabolo in stagnum ignis (ut Ioannes subinfert) absorptáque morte in plena uictoria Christi, & membrorum eius, fiet cœlum nouum, & terra noua: primum nanque cœlum, & prima terra (ut subsequitur diuinus ille scriba) abibit, & mare primum, & agitabile iam non erit, quia dixit qui sedebat in throno: Ecce noua facio omnia. Hæc sunt quæ ex cõiecturis à rebus inferioribus excerptis de temporis extremi determinato cursu haberi possunt. Ab inferioribus inquio, quia etiã ex reuolutionibus, & mensuris inferiora determinantibus, quæ sunt in archetypo, idem coniectari posset: quæ tamẽ omittimus, quia Latini nostri nec illius doctrinæ elementa, nec progressum ex illis habent præ manibus.

Isaiæ

Ioannes.

Idem.

Cuius uirtute resurrectio conducetur. Cap. VII.



COmpleto itaque temporum cursu, conueniet & causa omnis, & instrumenta ad conducendam renouationem rerum, quæ ab eisdẽ fuerant institutæ. Deus enim Pater est, à quo tanquam à prima origine, & Filius, in quo ueluti in solido fundamento omnia fabre facta sunt per spiritum omnium rerum fabricatarum artificẽ: de quo in scriptura dicitur: Spiritus Domini uolitabat super aquas: ut ex eis particulares for-

Genesis

mas in lucem deduceret. Ad quæ tamen conducenda creatas iam res tanquam cooperatrices, aut ueluti instrumenta assumpsit opifex iubens terræ, ut æderet herbam uirentem: & aquis ut serperent, & traderent animam uiuentem in genere suo: Et cætera quæ sequuntur. Quæ post prima fundamenta iacta, interuenientibus uirtutibus quibusdam eduxit, per quas omnia moderatur: & tandẽ ipsa omnia in debitum finem conducet. Eodem itaque ordine completa ea temporum uicissitudine, quam Pater posuit in sua potestate, iubebit, ut in eo uerbo, in quo portat omnia, restituantur eadem ad integram perfectionẽ per eundem artificem, & per eadem media, per quæ à principio conducta fuere. Et quamuis sacra eloquia uideantur attestari de solo homine resuscitando, & restituendo ipsius primo, & summo parenti: attamen siquis bene perpenderit uerba summæ CHRISTVS. *Veritatis, clarè intuebitur omnia esse renouanda, ait enim Cœlũ & terra trãsibunt: Nec (ut reor) transitum aliquem facient, nisi in meliorem sortem. Nam transire perire non est: sed mutare locum, statum, uel conditionẽ aliquam. Trãsibunt igitur mobiles cœli ad statum & quietem, in quam tendit omnis motus. Trãsibit & semper alterabilis terra, ad eum statum quo suscipiat sortem quandam terræ uiuentium. Transibunt & homines, in quibus omnia continentur, in angelicam & diuinam naturã: ut uerè locum habeat illud cœlestis oraculi nuper* Apoca. *adducti. Ecce noua facio omnia. Renouata quippe fuerat in primo redẽptoris aduentu humana conditio signis, sacramentis, lege, cultu, & omnibus dispositiuis mediis ad perfectam, integram, atque euidentem renouationẽ. Sed in secundo & celebriori aduẽtu, ea erit renouatio consummata, qua apparebit quid noua sacramenta, quid noua signa, & noui ritus profecerint. Author igitur resurrectionis, & innouationis huius uniuersalis erit Deus trinus & unus: cuius iussu hæc omnia fient. Sed meritò illi ascribetur peculiariter, qui est principium resurrectionis, & qui resurgens primus resurgendi aditum cæteris præstitit.* Paulus *Executores uerò erunt angeli, & ministri ipsius Dei, ut Apostolus aperto sermone reserat dicens: Ipse Dominus in iussu uidelicet suo, & in uoce archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo. Et mortui qui in Christo sunt resurgent primi. Pari modo & Christus, à quo Paulus didicerat, in euangelio, cui titulus est* Matthæũ *secundum Matthæum, idem explicat, dum ait: Videbunt Filium hominis uenientem in nubibus cœli cum uirtute multa, & maiestate. Et mittet angelos suos cum tuba, & uoce magna, & congregabit electos suos à quatuor uentis, à summis cœlorum, usque ad terminos eorum.*

Quid sit hæc uox angelica & Dei tuba. Cap. VIII.



Erum obseruandum est, cur tuba hæc ab Apostolo dicatur Dei, & à Christo angelis ascribatur. Id enim effectum est, ut intelligamus uocem illam à quocunque proferatur, deferri ad nos iussu Dei præcipientis. Sæpe nanque legimus angelos locutos in perso-

na Dei: adeò ut præceptum illud, & sermo ab angelo proferatur, & tamẽ Deo ascribitur. Lex enim (inquit Apostolus) data fuit per angelos: nihilominus semper Deus introducitur mandans, & præcipiens. Et id, quia angelus illa omnia iussũ, & uirtute Dei ad Mosem deferebat. Iccirco dicitur: Et locutus est Dominus ad Mosem: Semper enim angelus influxũ & mãdatum à Deo suscipiens ad ipsius nutum mouetur, loquitur, clamat, & sonat ueluti tuba: Hinc quando Dei & Christi præceptum de mortuis suscitandis diuulgabitur per angelos, ipsi erunt ueluti tubæ deferentes non modo uocem, sed uirtutẽ ipsius Dei ad cadauera suscitanda, aut ad animas iterum uestiendas. Angelica igitur erit tuba, quia angelus uocem, & iussum deferet: sed Dei erit, qui iubebit & insufflabit, aut signum dabit per angelos (ut aliqui opinãtur) aut effectum aliquem per eos deducet, quicunque fuerit. Et meritò tuba nuncupatur, qui uocem Dei ad aures hominum tanquam canalis quidam deducit. Et sicut tubæ flatum, & uim à tubicine suscipientes ad castra mouenda excitant equos, homines ad bellum accendũt, & ad donatiuum suscipiẽdum, atque ad omnes celebres militiæ actus milites inuitant, sic angeli uocem, & uirtutem simul cum mandato à Deo principe suscipientes excitabunt equos corporum nostrorum, simul cum ascensoribus ipsorũ ad terribile illud examen, ad noua inuadenda hospitia, & ad præmia pro rebus bene gestis suscipienda. Paul.

Quæ mutatio corporum sit futura. Cap. IX.




AC igitur tuba sonante maxima fiet rerum, sed potissimè corporum nostrorum immutatio, dicente Apostolo: Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti: & nos immutabimur. Sciscitari autem uolentibus, quomodo & quali corpore mortui resurgent, respondet Apostolus dicens: Insipiens tu, qui non credis uidelicet, aut non intelligis: Non uides qualiter mortui resurgent, & mutabuntur? Quod enim seminas nõ uiuificatur, nisi prius moriatur. Et aduerte quid seminas: non corpus, quod futurum est, sulcis commendas: sed nudum granũ tritici, aut alicuius plantæ: Deus autem dat illi corpus sicut uult: & unicuique seminũ proprium corpus. Sic cuilibet hominum suscitando dabit corpus statui suo conueniens: & qualecunq; corpus illud fuerit, erit uerum corpus (quamuis beati futurum sit corpus cœleste, impaßibile, & gloriosum, reprobi autem paßibile, & graue) sicut & corpus terreum, & corpus cœleste utrunque uerum corpus est: Quæ corpora differunt, sicut carnes diuersorum animalium, iuxta Apostoli sententiã, qui subinfert: Non omnis caro eadem caro, sed alia hominum, alia pecudum, alia uolucrum, & alia piscium: sic & corpora cœlestia, & corpora terrestria: Sed alia quidem cœlestium gloria, alia autem terrestrium: Et inter cœlestia corpora, alia est claritas solis, alia lunæ, & alia stellarum. Et iterum constituens differentiam inter siderea corpora, subnectit: Sicut stella differt à stella in claritate, sic sanctus à sancto in gloria. Et ut clarius explicet ea, quæ per metaphoras adũbrauerat, Idem. Idem. Ibidem.

aperto sermone explicat subinferens: Seminatur in corruptione, surget in incorruptione: Seminatur in ignobilitate, surget in gloria: Seminatur in infirmitate, surget in uirtute: Seminatur denique corpus animale, surget corpus spirituale: ut semper Patri æterno conformemur. Nam prior homo factus est in animam uiuentem: Posterior homo in spiritũ uiuificantem: quamuis hic cœlestis, ut terrenum illud in cœleste deduceret, corpus terrestre & passibilè assumpserit: secundum quod passus, mortuus, & sepultus est. Post quæ surrexit impassibilis, cœlestis, & spiritualis, secundus iam parens effectus: cui conformes etiam in corpore nos effici oportet, si cum ipso regnare debemus, ut subinfert Apost. Sicut igitur portauimus imaginem terrestris, portemus & imaginem cœlestis. Et adeò Paulus hanc transmutationem necessariam fore determinat, ut oppositum prædicet impossibile dicens: Hoc autem dico, & proclamo: quia caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptionem possidebit: caro utique hæc corruptibilis, mortalis, & passibilis: sed potissimum peccato, & suggestori obnoxia. Hinc apertissimè concludit hanc carnem in aliam transmutandã, natura uidelicet cœlesti, & spirituali decoratam. Sed ualde obstare uidentur ea uerba, quæ de seipso suscitato Christus protulit dicens: Palpate, & uidete, quia spiritus carnem & ossa nõ habet, sicut me uidetis habere: Quod nihil fuisset, nisi corpus eius suscitatum haberet carnem, & ossa palpabilia: Verũ inquam est: sed incorruptibilem carnem, & quæ non possint minui ossa, ad placitum tamen palpabile, & uisibile corpus: Nam ad undecim discipulos intrauit ianuis clausis, quod fieri nullatenus potuisset, nisi fuisset corpus illud pro libito attenuabile, ueluti uentus & spiritus. Nec secus dum ageret cum hominibus per quadraginta dies post resurrectionem, nunc uisibilem & palpabilem sese exhibebat, nunc contactum & contuitum fugiebat humanum. Potest iterum se ad libitum præbere magnum & paruum, ac sine aliqua loci circumscriptione, ut in sacramento altaris contingit: quod omnes sapiẽtes comprobant: quamuis aliqui id per miraculum fieri opinentur, remoto respectu partium ad locum, stante tamen relatione earundem partium ad totum: Sed (ni fallor) id fit ex natura spiritus in quam resurgens transmutatus est. Mutatio itaque horum corruptibilium corporum erit in naturam corporum cœlestium, & spirituum.

Paulus.

CHRISTVS.

Qui sint immutandi, & qui non, & cur. Cap. X.



Paulus.

SI autem immutabuntur omnes, nec ne, minimè dubitandum est cum habeamus cœlestem tubam apertè id clangentem: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Immutabuntur enim in naturam cœlestem ij, qui corporea & terrena pessundantes uixerunt cœlestes: ac regionibus cœlestibus potituri sunt. Cæteri uerò, qui ultro terræ & ipsius terræ fecibus se submittentes, infernis atque tartareis regionibus mancipati sunt, in imum machinæ centrum detrudendi: si carnem, corpúsque terreum mansioni conforme retinebunt, absoluti tamen ab ulteriori dissolutione, ut

perpetuo lumine, & gratia Dei destituti, semperq; à Deo auersi tenebroso igne in perpetuũ cruciẽtur, iuxta Imperatoris edictũ, iã ab ipso promulgatũ: Ite maledicti in ignẽ æternũ. Illi igitur tantũmodo mutabũtur in meliorẽ sortẽ, qui ultrà homines euecti Deorũ cõditionẽ, & ipsius summi opificis adipiscentur consortium: Quod hac corruptibili ueste circũamicti consequi nequeunt. Hac enim lege bellum nobis indictũ est ab initio inter carnẽ & spiritũ, & inter corpus & animam: ut quicũq; uinceret propriis legibus uictũ donaret. Si enim uincit caro, aut animale corpus: spiritui, & animæ rationali grauitatẽ tribuit, ut ad infimas mũdi partes descendat. Obscuritate quoq; inuoluit, ut ultrà percipere nequeat lucẽ illam diuinã: cuius bene institutæ animæ fulgore lætantur. Passibilẽ insuper reddit eam animam, quæ ex se tristari nõ poterat, sicut nec texere nec filare: adeò ut ab igne etiam corporeo patiatur. Grossiciẽ deniq; cũ suo pondere præstat: ut ab infernis mansionibus nequaquã discedere ualeat, sed perpetuis uinculis & carceribus mancipata, semper grauissimò pondere propriis sceleribus cõparato, in infima mũdi parte perpetuò iaceat. Si autẽ præualuerit spiritus, ꝓprias leges, & has meliores (quas theologi dotes nũcupant) deteriori nostro condonabit: iuxta Apostolicũ illud. Cũ autem mortale hoc induerit immortalitatẽ, & corruptibile hoc induerit incorruptionem. Ad quam immortalitatem sequitur agilitas, subtilitas, claritas, & omnes, quas tribuunt gloriosis corporibus, dotes: quas corpora accõmodato uocabulo induere dicũtur. Nam sicut corpus nostrũ, ut nuditatẽ cõtegat, & à frigore se defendat, uestẽ alterius naturæ induit: pari modo ipsum corpus alterius, & melioris naturæ cõditionem uestit: ut à labore, & passionibus quibuscũq; immune meliori sorte semper gaudeat. Efficietur igitur corpus agile atq; leue: ut altissimũ cœlum facilè scãdere possit. Erit subtile, ut cuncta penetrare ualeat. Erit lucidum & fulgens tanquam scintilla, imò tanquam stella, ut dignus sit regionis lucis, & splendoris habitator, Impassibile quoq; erit, ut nihil sentiat quod beatitudinem, & plenum illud gaudiũ impediat. Erit denique immortale, ut semper gaudiis illis perfruatur æternis. Theolo. Paulus

Qua carne, & quo corpore suscitandi sint dormientes. Cap. XI.



T quamuis multa tetigerimus de corporis nostri transmutatione, & quali conditione resurget, nihilominus faciendum est satis aliquibus, qui subtiliter inquirunt, an istud idem corpus, & cum eadem forma futurum sit post resurrectionem, quo in hac peregrinatione utimur. Hieronymus enim & Ruffinus Aquileiensis de huiusmodi re pertractãtes dicunt unicuiq; animæ non confusum, aut extraneũ corpus, sed suũ quod habuerat, reparabitur, ut consequenter possit pro agonibus præsentis uitæ, cum anima sua caro uel pudica coronari, uel impudica puniri. Ad cuius rei maiorem expressionem Ruffinus ait, ab ecclesia ipsius, ubi cõmuniter habetur in symbolo carnis resurrectionẽ, additũ fuisse, carnis eius, uel corũ resurrectionẽ: Eius proculdubio quã habet is, ꝗ profitetur signaculo crucis frõti imposito. Hieron. Ruffi. Idem

Alij aūtē ecōuerso clamāt, & dicūt: Quomodo potest caro, quæ putrefacta dissoluitur, aut in puluerē uertitur, maris etiā interdū ꝓfundo absorbetur, fluctibúsq; dispgitur, colligi rursum, & cōpaginari in unū, & corpus ex ea hominis reparari? Quomodo iterū potest eadē caro, quæ nūc corruptibilis & dissolubilis est, statim aut post aliquod tēpus incorruptibilis esse, immortalis, & ab omni trāsmutatione penitus immunis: cū corruptibile & incorruptibile (ut aiūt) differant plusq̃ genere? Horum primum facilè soluitur, si ad opificis & moderatoris summi maiestatē aspiciatur. Nō enim tā angusta & inualida est diuina uirtus, ut dispsum uniuscuiusq; carnis puluerē in eius rationem colligere, & reparare nō possit: cū uideamus mortale ingeniū dimersas in profundū terræ metallorū uenas rimari, ubi industrius artificis oculus aurū uidet, quod imperitus terram existimat. Cur igitur hæc cōcedere dubitabimus ei qui hominē fecit, quādo is q ab eo factus est tātū cōsequi potest? Et cū auri esse propriā uenā, & argēti, aliā æris quoq; lōgè disparē, ferri ac plūbi diuersam, intra speciē terræ latēre mortale deprehēdat ingenium, diuina uirtus inuenire posse, ac discernere nō putabitur uniuscuiusq; carnis propriū sensum, & in unū colligere, si uideatur dispersus, p uim sui ignis, sicut colligūt fossores metallorū ipsorū minutissimas particulas hoc cōmuni igne, quo utimur? Quod uerò secūdo obiicitur, an eadē erit forma incorruptibilis corporis, & iam in spiritus naturā cōuersi, cū ea, quā hîc habet corruptibilē, id facilè asserere nō debemus: cū nō uideatur eadē esse forma corruptioni obnoxia, & ea quæ est penitus ab omni trāsmutatione libera: Id maximè dicēte Apostolo: Saluatorē expectamus Dominū nostrū IESVM Christū, qui reformabit corpus humilitatis nostræ cōfiguratū corpori claritatis suæ.

Paulus

Quibus uerbis (siquis sanè intelligit) Apostolus innuit aliā formā, aliámq; figuram corporis resumēdā à suscitandis, sicuti iterū dicit: quia immutabimur, quia surget spirituale, quia induet incorruptionem corruptibile hoc, & quia ex seminato corpore fiet noua pullulatio. Nā alia est forma grani seminati, alia illius, quod pullulat: Illud enim moritur, & mortuum in terra remanet: Hoc autem uirescit, & uiuit. Corpus quoque, quod resurget, uitam assumet semper mansurū. Carne itaque & corpore suscitabimur, quod ex eo quod moritur, pullulat meliori sorte, quàm illud quod moritur, dicente iterum Apostolo. Christus surrexit à mortuis, iam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur. Quem ut sequamur, eisdem dotibus resurgent corpora nostra. Nec obstat illud Iob, quo ait: Rursum circūdabor pelle mea, & in carne mea uidebo Deum saluatorem meū. Quia & si alia erit, tamen erit ipsius resurgentis, ut unusquisque dicere possit: Hæc est caro mea, & cutis mea.

Iob.

Quis capillus non periturus sit. Cap. XII.

SEd cum scriptura sacra mentionē faciat de capillis, aliquid etiā de ipsis percurrēdū est. Christus enim ait: Capilli capitis uestri omnes numerati sunt. Super quibus uerbis Hieron. ait: Deridēt intelligē-

tiam ecclesiasticam in hoc loco, qui carnis resurrectionem negat. quasi nos & capillos qui numerati sunt, & à tonsore decisi omnes dicamus resurgere, cum saluator non dixerit: Vestri capilli capitis omnes saluandi sunt, sed numerati sunt. Vbi numerus est, scientia numeri demonstratur, non eiusdem numeri conseruatio. Quibus uerbis Hieronymus uidetur refellere capillos nos iterum resumpturos. Sed quid dicemus ad illud quod habetur in euãgelio, cui titulus est secundũ Lucam: Capillus de capite uestro non peribit? Iccirco (ni fallor) non de istis capillis, qui abscisi pessundantur, aut igne comburuntur, loquitur Christus: sed de melioribus capillis, qui in Nazareis commendantur: & abscindi prohibentur. Quibus inerat uirtus spiritus sancti, ad prosternendos alienigenas, ut bene sentit Origenes. Ii enim capilli sunt uirtutes animi, & multiplices sensus, qui de potiori parte mentis de Apostolorũ capite producebantur. Hinc Nazareis, & aliis Deo familiaribus, non solũ erat interdicta abscisio: sed etiam ne nouacula ascenderet super caput eorũ: ut de Samuele, Samsone, & aliis legimus: quia iustorũ cogitationes non abscindendæ, sed conseruandæ sunt. Nam quæcunque faciunt iusti, prosperantur, & folium eorum non decidit. Peccatorum autem opus omne, omnis sermo, omnisque cogitatio tanquã mala abscindi, & ammoueri debet. Hinc in Deuteronomio iubetur: ut si qua mulier ex alienigenis, id est gentilitatis erroribus captiua ducatur, radat cæsariem: uel sicut habet ueritas literæ radat capillos capitis sui, & præcidat ungues: ut nihil gentilitatis, aut erroris remaneat in coniuncta cum uerò Israëlita. In Isaia quoq;, postquam de cõceptu, & partu almæ uaticinatus est uates, subinfertur: In die illa radet Dominus nouacula conducta eorum, qui trans flumen sunt, in rege Assyriorum caput, & pilos pedum, & barbam uniuersam, apertè significans, quoniam tempore Messiæh debebant abscidi in gentilibus uenientibus ad fidem omnia, quæ erant idolatriæ, & erroris. Et hoc nouacula conducta mercede, id est merito redemptoris: quo omnia quæ sunt peccati, & erroris derasa fuere. Capilli igitur peccatorũ, & errantiũ radendi sunt. Iustorũ autẽ, & Nazareorũ conseruandi: iuxta illud quod mysteriosè scribitur in Cãticis: Comæ capitis tui sicut purpura regis, iũcta canalibus. Quod enim antea dixerat, caput tuũ sicut chermel, nũc dicit, comæ capitis tui sicut purpura. Hæc enim ex uerme nascitur, qui chermel dicitur: undè aliquãdo pro purpura ponitur: sicuti in secũdo uolumine Paralipomenon legimus: quando Salomon misit ad Hiram regem Tyri, ut mitteret ad ipsum uirũ eruditum, qui sciret operari in auro, argento, ære, ferro, & purpura: Pro quo in Hebræo habetur כרמיל charmil. Nec enim hic de carmelo mõte loquitur, aut de uerme generãte purpuram: sed de ipsa purpura, quæ proprio uocabulo in Hebræo ארגמן argaman dicitur. Vult igitur, ut comæ, id est cogitationes, & opera sint ueluti purpura regia, ditata, & refulgentia gratia, & merito summi regis redemptoris nostri. Quæ ut fœcunda sint, oportet ut iungantur canalibus illis supernis emanantibus ab illo fonte omnia irrigante, de quo

Origen.

Deuter.

Isaias.

Cantica.

Paralip.

FFF

Psalm. Ierem. dicitur in psalmo: Quoniam apud te est fons uitæ. De hoc Dominus per Ieremiam inquit. Me dereliquerunt fontem aquarum uiuentium Dominũ, a quo omnia irrigari debent, ut bona, & fœcunda sint.

Quibus membris gauisuri simus. Cap. XIII.



Et si per capillos opera intelligũtur, aut cogitationes, qualia etiã erunt membra omnia corporis huius in naturam spiritus transmutandi, percurrendũ est. Nec opinari possem, quoniã ij futuri sint pedes, qui offendũtur ad lapidẽ, aut genua, quæ ieiunio uel nimia flexione debilitãtur. Nec manus erunt, quæ lassæ, & hispidæ ex labore, & duris instrumentis efficiũtur. Nec lingua, quæ aliquãdo in ociosa & scurrilia uerba resoluitur. Nec oculi continendi ne aspiciant uanitatem. Neq; aures, quæ fabellas, atq; cantilenas lasciuas suscipientes, mortẽ ad penetralia admittant. Nec os, quod uentri nimis indulgens superfluũ, & nociuum cibum suscipiat. Nec cor, ex quo aliquando exeant malæ cogitationes, furta, homicidia, & scelera multa. Sed suscipiemus (nulli dubiũ) meliora, & cõcinna membra, quibus sine aliqua intercapedine, & absq; dissonantia continuas opifici persoluemus & suauissimas laudes. Eis enim (ni fallor) gaudebimus mẽbris, quæ solenni epithalamio ce-
Cantic. lebrantur in Canticis. De pedibus nanque gradientibus dicitur. Quàm pulchri sunt egressus tui in calciamentis filia principis. Ad animam fit sermo iam cũ eius corpore glorificatam, atq; effectã sponsam, & filiã summi principis Dei. Eius itaque gressus pulchri, & pedes pulcherrimi calciati secundum Apostoli sentẽtiã, nõ tantũ in præparationẽ euãgelij, sed in obseruationẽ ipsius iam habitã. Nõ enim minus calciati erũt pedes nostri iam obseruato euangelio, quàm dũ præpararemur ad ipsum suscipiendũ. Ij pedes (ut reor) erũt corporis iam in naturam interioris hominis mutati: quia sunt ipsius melioris hominis, & hi affectus esse dicuntur, & isti adeo calciati, ut nullo malo obiecto offendantur: & in ipsum summum bonum directi, in quod sempiterno & fœlicißimo cursu properabunt. Crura uerò erũt tãquam columnæ, שש ses, quod nos traductũ habemus, marmoreæ, sed id sæpius interpretatur byssus: Si autẽ secundũ numeros theologizari uoluerimus ipsum שש ses dat in numeris maioribus, 6, Vel secundum numerum communẽ, dat senarium multiplicatũ per centum: ut sit sensus: Crura, id est robora, & uirtutes affectuũ, quæ nos portabunt, erũt perfectæ: quod denotatur per senariũ primo perfectũ. Quorum sex cuilibet, respõdet cẽtenariũ, de quo dicitur: Cẽtuplum accipietis: undè, 600, resurgunt. Et hæ uirtutes fundatæ sunt suprà bases aureas, id est affectus claritate inflammatos, ut intelligatur, ibi signatũ esse mysteriũ, nõ modo uirtutũ per senarium numerũ perfectũ cõductarum, sed & præmiũ eis per centenarium correspondens. Venter autem aceruus tritici aptè dicitur, uallatus rosis, aut liliis, ut habet traductio nostra: qui bene consentit cum pedibus aureis. Nam & triticum, quod contritum in unum colligitur ad conficiendum panem, coniunctionem, & unionem fidelium significat in

charitate collectorum, sicuti Christus innuere uoluit (Paulo & Augustino interpretantibus) quādo corpus suū magnū charitatis insigne sub specie panis tradidit nobis in cibum: ut inde non tantum nos colligaret mutuò, sed etiā secū uniret: Qui cibus charitatis omniū optimus uallari debet odoriferis rosis, pro quibus nostra traductio habet lilia, ut possimus dicere cū Apostolo, Christi bonus odor sumus. Manus quoq;, id est uirtutes operādi erūt aureæ, refertæ scilicet ea charitate, qua pedes affectuum: & eæ plenæ hyacinthis, id est gēmis meritorū Christi, sine quibus opera nostra nihil ualent. Guttur uerò, id est organum exprimendi conceptum erit suauissimū, ut semper Deo reddat concinnas laudes. Collum sicut turris Dauid ædificata cum propugnaculis: turris inquā Dauid non quidē ex lateribus, aut uiuis lapidibus, uel marmore fabricata, cum nunq̄ in huiusmodi confideret ille rex sanctissimus, & uerus typus, atq; peculiaris Meßiæ progenitor, cui & de ipso peculiaris promißio facta fuit. Sed turris, & refugiū, atq; propugnaculum ipsius ille erat: de quo sæpius in psalmis repetit dicēs: Deus refugium nostrum & uirtus: Et iterum: Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Et rursum: Protector meus, & cornu salutis meæ. Et hoc est quod sequitur: Mille clypei pendent ex ea, pro quo in Hebræo habetur אלף המגן תלוי עליו Aleph hamagen talui halau: Quod interpretatū dicit: Mille, siue aleph scutum appendent super eam: Aleph siquidem unum, & mille significat: & signat Deum, qui est principium & finis numerorū, ut sit sensus: Deus est scutum pendens, & imminens super ipsam turrim, ut protegat, & defendat: Vndè malè traductum est, pendent ex ea: nam Deus non dependet ab alio, sed à seipso: qui est uerum scutum omnes sperantes in se perfectißimè protegens: undè sequitur, quia est omnis armatura fortium. Nasus uerò erit ueluti turris libani, quæ respicit contra Damascum. Pro naso uigor spiritus, & iræ impetus bonus intelligitur, qui debet esse rectus & fortis, ueluti turris, atque respicere debet non contra Deum, aut proximum, uel aliquod bonum: sed contra Damascum, qui bibens sanguinem, sanguinis osculum, & propinans sanguinem interpretatur. Et hæc (ni fallor) nihil aliud significant, nisi regnum mundi, carnis, & sanguinis cum suis peßimis turmis, quæ sunt concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia uitæ: Quis enim est sanguinem bibens, nisi auarus, qui sugit secundarium sanguinem pauperum, pusillorum, & orphanorum? Et quid est sanguinis osculum, nisi concupiscentia carnis, ubi fuerint secundum carnem & sanguinem mutua oscula & amplexus? Et quid propinans sanguinem, nisi superbia, fastus, & ambitio, pro qua explenda tam immensus sanguis quotidie effunditur? Contra quæ mala opera debet esse indignatio & zelus, ut dici poßit cum Christo: Ego testimonium perhibeo de mundo, quia opera eius mala sunt. Et iterum cum Paulo: Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Alioqui, nisi quis insurgat contra mundum, sed amicus eius uoluerit esse (teste Ioanne) inimicus Dei constituetur. Oculi denique erūt columbarum, de-

CHRISTVS. Paulus. Augusti. Paulus. Dauid CHRISTVS. Paulus. Ioan.

CHRISTVS. bita uidelicet simplicitate referti, iuxta illud euãgelicum: Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit: quia opus omne fabricatur supra intentionem, ueluti colũna supra basem, & paries supra firmamẽtũ. Hæc itaque sunt futura membra corporis nostri mutandi in naturam spiritus, secundum quam utetur membris, & organis non interioris, sed exterioris hominis.

Quo igne conflandi sint boni. Cap. XIIII.



Iam suprà reserauimus reperiri ignem multiplicem, aut eundẽ diuersa nota distributum, & uariũ in diuersis, ut Cleantes lõga serie apud Ciceronem disputat. Est enim ignis hic aduentitius, quo utimur: estq; in lapidibus, quẽ ictu, & conflictu chalybis excutimus: Est etiã in terra, quæ ex refossione fumat, & aquã calefacit in puteis profundis, maximè temporibus hybernis ob eã causam, q calorẽ insitũ in terris contineat: Aquis pari modo immixtũ esse calorẽ comprobamus: eo q aquilonibus, reliquisq; frigoribus adiectis obdurescit humus, & eadẽ uicissim liquescit tepefacta, & calore tabescit. Maria quoq; agitata uentis ita tepescunt, ut facilè intelligi possit, in tantis illis humoribus inclusum esse calorẽ. Aërem quoque multoties feruescere uidemus. Reliqua magni mundi pars, scilicet quarta tota, natura ipsa feruida est. Animalia insuper & omnia uiuentia calore nutriuntur. In stomacho enim tantus est calor, ut nullus tam grauis cibus sit, qui die ac nocte non coquatur. Venæ, & arteriæ non desinunt micare quodam igneo motu. Omne nanque quod uiuit, propter inclusum calorem uiuit. Inde colligitur, caloris naturã uim habere in se uitalem, in mũdo passim diffusam, imò omnia ex igne facta esse attestatur Zoroastres, dum ait: Omnia sub igne uno genita sunt. Igni quippe illo, quem Deus igneæ essentiæ habitator (ut Plato ait) inesse iussit materiæ terræ, & cœli iam creatæ rudi, & informi: ut uitam præstaret & formam. Hinc illis productis, statim subintulit opifex: Sit lux: Pro quo mendosa traductio habet fiat lux. Non enim facta est lux, sed rebus adhuc obscuris communicata, & insita: ut in suis formis claræ, & splendentes fierent. Nam sine illa luce in qua habitat Deus, & sine igne ipso qui Deus est, omnia sunt obtenebrata, ut Synesius ex monumentis Chaldæorum de inferna regione decantat dicens.

Cleant. Cicero — Zoroa. — Plato. — Synesius

Nec tu despicias nigrum & sine lumine mundum,
Cuius profunda substernitur atra tenebra:
Sordidus est obscurus item, simul idola pascens.

CHRISTVS. Sed clarius summa Veritas ait de mittendis ad regionem illam: Ite in tenebras exteriores. Et si qua est lux in rebus istis exterioribus & obscuris, ipsa est umbra, & idolum ueræ lucis, quæ Deus est. Qui omnia collustrat, sed potissimè omnem hominem uenientem in hunc mundũ medium: dummodo ipse adeò non se inuoluat in peccatorum tenebris: ut lucem illam apprehendere nequeat. Quanto enim quis magis dispositus est, tanto magis illa luce perfunditur: ut de Ioanne Baptista perhibet ipsa lux dicens. Ille erat lucerna ardens & lucens.

Sed magis lucebat, & ardebat illa uera lux, de qua Ioannes rependens uicem testimonij, ait: Ille uos baptizabit spiritusancto, & igne: Igne itaque illo, de quo per Zachariam inquit: Ego ero eis murus ignis in circuitu: Ignis utique aut purgantis, aut punientis, aut transformantis. Punit enim malos igne coartato, torquente, nequaquam uerò collustrante, aut consumente. Hinc qui illo igne cruciātur, in tenebris degere dicuntur. Et hoc, si uerum est Pythagoreorum dogma, unicum uidelicet esse ignem ubique: In cœlo dilatatum collustrantem: In inferno uerò coartatum, tenebrosum, & cruciantem: In meditullio autem totius machinæ est de utroque participans. Purgat etiam, si quis scoria aliqua squallet, ut in Isaia dicitur, Excoquam ad purum scoriam tuam. Et Malachias, Purgabit filios Leui. Nam dissoluta anima, aut uulnere peccati destructa nisi deplorata sit, antidoto constipatur, cōsolidatur, & sanitati restituitur, aut per ipsam harmoniæ reuolutionem, sicuti Plato in calce Timæi asserit: Aut adhibitis ignibus, secundum Apostolum qui ait: Saluus fiet, quasi per ignem scilicet transiens, iuxta illud, quod per figurā in libro numerorū legimus. Omne quod potest trāsire per flammas, igne purgabitur. Sermo enim erat de uasis tabernaculi, quæ figurabant uasa illa, de quibus Apostolus ait: In magna domo Dei nō solum sunt uasa aurea, aut argentea, sed ignea, & fictilia. Et iterum cum Thessalonicensibus: Sciat unusquisque uas suum posidere in sanctificationem, & honorem. Purgatos autem ille ignis transformat. Iccirco in Deuteronomio dicitur: Deus ignis comedens est: Pro quo nos habemus consumens, Non enim consumit, & destruit amicos: sed comedit, id est suscipit in se, & ipsos tanquam cibum in seipsum trāsmutat. Quod & Plutarchus (ut hinc inde ex antiquis collegerat) testatur dicens: Deus est spiritus igneus intellectualis, non habens formam: sed transformās in se quodcūque uoluerit, & coæquans se uniuersis, & uniuersa sibi. Et id efficit non per elementarem ignem, sed per seipsum, aut per seraphicum incendium ipsi diuino igni propinquum.

Pythā. Isaias. Malac. Plato. Paulus. Idem. Plutarc.

Quo peculiari igne cremandi sint mali. Cap. XV.




Alos itaque igne cruciari, & cruciandos, omnes ferè fatentur, & consentiunt cum summa Veritate dicēte: Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignē mittetur, & ardet, illo utiq; igne, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Non enim est ipse ignis in nostram perniciem ordinatus à Deo: Nec quisquā ab eo cruciabitur, nisi eundē accēderit: ut discere possumus ex oraculo Isaiæ dicētis: Ambulate in lumine ignis uestri, & in flāma quam accēdistis: De manu mea factū est hoc uobis, in doloribus iacetis. Vtrūq; tangit uates & quia à Deo id efficitur, & quia nos illum ignem accendimus. Nam quamuis sit paratus à Deo, non tamen aliquis illo cruciabitur, nisi ipsum accendat fōmentis peccatorū: ut bene sentit Origenes. Sicut enim igneas febres in corpore accendimus nociuis pabulis, & immoderatis laboribus, sic accēdemus in anima, & in corpo-

CHRISTVS. Isaias. Orige.

re (quando erunt unitæ) igneos cruciatus, ex superfluitate malorũ operum, & obliquorum affectuum: Quorum abundãtia in homine cõgregata tempore suo feruescit ad supplicium, & pœnam eorum, qui ipsum accenderunt. Et sic (ut sequamur Pythag. dogma) ille ignis qui dilatatus, & collustrans beatificat eũ, qui cor habet dilatatũ in uia mãdatorũ Dei: sic coartatus ignis ex mala dispositione eorum, qui habent coartatum cor, & induratum ad bonum quasi lapidẽ, & & incudem malleatoris, & tenebrosum effectum (nam ipsi obtenebrati immanitate scelerum suorum diuinã lucem capere nequeũt) fit obscurus, & cruciãs: sicut idẽ sol, aut ignis indurat, uel liquefacit pro uarietate subiectorũ recipientiũ lucem, & calorem illum. Quæ doctrina de eodem igne, beatificante, & torquẽte, non est aliena à sacris eloquiis. Quandoquidem ille ignis, qui in Deuteronomio dicitur comedens: & consequenter beatificans, & transformans, & qui in Exodo uisibili flamma dedit igneam legem, & qui facit angelos suos spiritus, & ministros eius ignem urentem, in Isaia dicitur flamma increpans, diiudicans, & puniens: Ait enim ꝓpheta: Ecce Dominus in igne ueniet: & quasi turbo quadriga, uel tribunal eius, reddere in indignatione, uel excandescẽtia furorẽ suum, & increpationẽ suã in flãma ignis: quia in igne ipse Dominus iudicabit: Quem ignẽ iustis, & ordinatis parauit à constitutione mũdi in splẽdorẽ, gaudiũ, & lætitiam: Sed parauit malis in tormentum, & supplicium, sic exigẽtibus eorum flagitiis, & mala dispositione inducta ex multitudine, & immanitate scelerum. Qui ignis beatificans erit perpetuus: expurgans autem, breui & statuto tempore extinguetur. Sed crucians erit ipse quoque æternus: ut habemus non solũ ex uerbo summi Iudicis dicentis: Ite maledicti in ignem æternum: Sed ex uaticinio Isaiæ, qui dum loqueretur de cadaueribus eorum, qui grauiter præuaricati sunt in Deum, ait: Vermis eorum non morietur: & ignis eorum non extinguetur. Quibus uerbis reserat propheta damnatorum utrumque cruciatum, intrinsecũ scilicet & extrinsecum fore perpetuos.

Pythag. — Deuter. — Exo. — Isaias. — CHRISTVS. — Isaias.

Quomodo cruciandi sint mali. Cap. XVI.



Sed cum de igne cruciante satis dixerimus, percurrendum est etiam quomodo illo igne scelesti cruciabuntur. Quod non modicam affert difficultatẽ, præsupponẽdo ignẽ illũ esse corporeũ (ut cõmunis sententia est) & animas nostras, atq; malas intelligentias, semotas esse penitus à corpore. Et hic locus tanto occurrit nobis difficilior, quanto plures & uarios & censores habet. Gregorius enim citò se expediens censet illũ ignẽ cruciare malos tanquam instrumentũ diuinæ iustitiæ: Sed quomodo sit instrumẽtum, & an cruciatum inferat ex propria forma, an ab alio ducatur sicut serra, uel malleus, in sectionem, aut percussionem malorum, hoc posteris explicandum reliquit. Verum mirandum est, quomodo Gregorius in huiusmodi palpitauerit, cum alibi asserat angelos, & dæmones habere corpora: sed adeò tenuia, ut comparatione nostrorũ corporum dicantur incorporei. Vndè de negocio hoc

Grego.

nulla debebat apud ipsum esse difficultas. De nouitioribus autem theologis aliqui opinantur scelestos spiritus, & animas cruciari ab illo igne corporeo, tanquã ab obiecto ipsis disproportionatissimo, & molesto uehementer: sicuti molestus est nobis aspectus horridi serpentis: & id potissimum, quia ab inuiso illis, & infensissimo Deo ui detinentur detrusi in illo igne, cuius præsentiam declinare nequeunt. Academici autem facilius ab hac explicantur difficultate, cum omnes saltem (ut aiunt) pedibus currant in hanc sententiã, quod mali dæmones omnes corporei sunt: quibus consentit Basilius, Gregorius Nazianzenus, & communiter antiqui doctores: A quibus nec Augustinus discrepat, qui super Genesim reddens rationem cur mali spiritus diuinent ait: Quia corporibus subtilioribus uigent: Et in sequentibus inquit: Dæmones sunt aërea atque ignea animalia: Quæ cum actiua sint, nõ dissoluuntur, sicut terrea, & aquea animalia. Nec desunt qui dicant non modo ipsos dæmones, sed etiam omnes angelos, atque animas à terreo corpore separatas habere ætherea corpora. Si autem ad scholam Pauli, qui in tertio cœlo instructus fuit, accedere uoluerimus, facilè hos nodos dissoluemus. Hic enim docet bellum inter spiritum & carnem hac lege indictum esse: ut qui uicerit det uicto eius proprietates, & dotes: & uictus induat naturam uincentis. Iccirco de his quorum spiritus uictor extiterit, ait: Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem: Et iterum: Seminatur quod animale: surget quod spirituale. Atque eadẽ contrariorum disciplina, anima à carne & corpore uicta induet grauitatem, ut ad infernas partes descendat: & suscipiet eas malas dotes corporis, quibus ueluti corpus patiatur ab igne corporeo. Sicut igitur anima induta naturã corporis torquebitur ab igne corporeo: sic corpus induens naturam spiritus, beatitudinem simul cum anima suscipiet ab eo, qui à Mose Deus spirituum appellatus est. Aliud quoque ab Origene, & antiquis academicis dãnatorum assignatur supplicium, ex deordinatione uidelicet, & confusione proueniens earũ partiũ, quæ ordinatæ, & concinnæ esse debebant. Nã sicut solutis corporis membris, atque propriis diuulsis compaginibus, immensi doloris generalem cruciatum sentimus: ita cum anima extra ordinem, uel eam harmoniam, qua ad bene agendum, & utiliter sentiendum à Deo creata est, fuerit inuenta, à deordinatione illa, & confusione supplicium patietur & pœnã: iuxta illud Augustini: Iussisti Domine, & ita est, ut omnis inordinatus animus sibi pœna sit. Atque de hoc tormento consequente ex deordinatione animæ à se ipsa, & à Deo, cui semper concors esse debet, multa dicunt, non solum Ambrosius: Hieronymus, Augustinus, multique alij doctores catholici: sed etiam externi Proculus, Hierocles, & alij quamplurimi: inter quos Cicero in Catilinam ait: Nónne iniquitates tuæ quasi furiæ tibi occurrunt? Prophetæ quoque itidem asserunt. Scito (inquit Ieremias) & uide, quia malũ, & amarum est te dereliquisse Dominũ. Et Isaias: Cor impij quasi mare feruẽs, q̃d nũquã quiescere potest: sed redundant fluctus eius in conculcationem & luctum: quia non est pax im-

Theolo. Academ. Basilius. Gregor. Nazian. August. Paulus Moses. Origen. Acade. Augusti. Cicero. Ieremias Isaias.

piis dicit Dominus: Ecce quomodo uates describit malorum pœnas consequẽtes ex deordinatione, & priuatione pacis, quæ est rerum tranquillitas ordinis. Anima igitur non sentiens rationabilium motuum compaginem sibimetipsi consonare, pœnam, cruciatúmq; sustineat necesse est, atq; dissidij inconstantiæq; suæ, ac inordinationis sentiat suppliciũ. Aliam quoq; tormẽti rationẽ describũt illi, quos suprà memorauimus authores: quod ex malo idolo generatur. Nam mens, siue animus noster in memoriam recipiens ea, quorũ in semetipso signa quædã, atque formas cũ peccabat, expressit, historiam quãdam scelerum suorũ ante oculos uidebit expositam. Et tunc ipsa conscientia propriis stimulis agitabitur, cogitationibus inter se inuicem (ut ait Apostolus) accusantibus: Vndè tormenta quædã ex ipsis pessimis affectibus generabuntur: Vndè etiam flamma mali incendij, & obliqui amoris, ac indignationis contra seipsum, siue liuoris ignibus cruciabitur: uel insana tristitia consumetur. Quam aliqui (dum adhuc remedium afferre possunt) non ferentes, ut ab ipsa declinarent, mortem spontaneam subierunt, tolerabilius existimantes mori, quàm illa tormenta sustinere. Attamen à tormento facilè ammouendo, ad perpetuam pœnam propria stultitia, & malo genio decepti infœliciter transeunt. Vbi & ignis spiritualis est eos intus urens, & crucians, sed non consumens. Corpori quoquæ applicatur ignis perpetuo torquens: Et id iusto Dei iudicio. Nã sicut corporis mẽbris adeò uitiatis, ut sanari nequeant, applicãtur ferrũ & ignis: nõ secus animabus scelestis, æque ac corporibus, quæ olim membra magni corporis ecclesiastici extiterant, oppressis diuersorum scelerum immanitate, ut sanari non possint, adhibetur ignis in eorum supplicium: & ut semper urantur, non tamen alia membra inficere, aut molestare queant.

Paulus.

Resolutio difficultatis de hoc igne. Cap. XVII.




ET quia per ea quæ suprà dicta sunt innuimus, nunc ignem illum, qui malos cruciat, esse corporeum, nunc autem esse eundem ignem coartatum, & obscurũ, qui dilatatus bonos beatos, & lætos reddit: ideo opportunum erit clarius explicare, qualis ille sit ignis. Et cum omnes ferè asserant illum esse corporeum, durum quidem erit à communi sententia declinare: Si autem uoluerimus iam uulgatam opinionem prosequi, neque etiam dissentire quòd corporeus sit, quomodo idem erit spiritualis, beans animas, & corporeus affligens corpora? Hanc controuersiam soluit Apostolus dicens Corinthiis: Diuisiones operationum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus: sicuti eadem anima operatur omnia in omnibus membris corporis. Ideo nemo dicat quòd ibi Paulus loquatur de operatione spirituali, & interna: Nã ille qui non solum mentes hominum, sed cœlum totum, & terrã implet, omnia in eis operatur: & in omnibus, quæ in eisdem continentur. Non mirum igitur, si omnium iudex etiam in inferno reos punit: aut uirtute sua eos torquens, aut præsentia disconuenienti illis infectis oculis, maiorem eis inferens pœnam, quàm clarissima lux oculis lippientibus, tumefactis, aut quomodocunque

Idem.

læsis: Siue subtrahendo ab eis benignum influxum, à quo omnia implentur bonitate, & derelinquens eos in mala eorum deordinatione sine aliquo bono refrigerante. Et sic illemet qui bene dispositis est in resurrectionem & gaudiũ, malè se habentibus est in ruinam & pœnam. Et hoc est, quod Ezechiel perhibet se uidisse Dominum, uidelicet à renibus suprà in speciem electri refulgentis: à renibus uerò deorsum in figura ignis candentis. Ille utique Dominus est, qui cœlũ & terram implens, in cœlo sedet bonos lætificans: In terra autem (quæ scabellum pedum eius est) tenens pedes ignis candentis, homines terreos & à cœlestibus elongatos torquet, & cruciat. Et nisi scriptura sacra id me doceret, nullatenus proferre præsumerem, quoniam idem Dominus nunc est lux, & ignis beatificans, & faciens fulgere iustos tanquam stellas, & tanquam scintillas ignis: Nunc igitur est ignis conflans, & purgans filios Leui: Nũc uerò est ignis consumens lignũ, & stipulam: quæ malè ædificauimus: & deuorat, ac destruit (ut Ioël ait) speciosa deserti, id est quæque opera, quæ gloriosa uidentur perpetrata ab his, qui deserti sunt à gratia & influxu cœlesti: Et nunc est ignis torquens & cremans. Hinc iterum Ioël ait: Ante faciem eius ignis uorans: & post eum exurens flamma. Quorum uerborum sensus est: Ipse his, qui digni sunt uidere faciẽ eius est ignis comedens, & transmutans in se ipsum: ut suprà tetigimus: Illis autem, qui derelicti sunt in posteriorum, id est inferiorum affectuum delectatione est flamma exurens, & crucians, uel per se (quamuis in seipso optimus sit) sicut contigit quibuscunque malè dispositis, quibus lux, uinum, caro, & huiusmodi bona corporea sunt nociua. Siue id faciat per ministros, quos facit (teste propheta) ignem urentem, sed bonis in gaudium, malis autem in tormentum. Vel itidem faciat per aliquod corporeum in torturam malorum fabricatũ: ut fiat satis his, qui contendunt ignem illum esse corporeum. An autem sit corporeus nécne, Deus nouit: sed bene inuisibilis comprobatur ab Origene ex Apostolica sententia: Ille (inquit) ignis talis substantiæ est: ut uisibilia comburat ipse inuisibilis constitutus, ut Apostolus ait: Quoniam quæ uidentur temporalia sunt: quæ autem nõ uidentur, æterna. Si igitur ille ignis quo puniuntur, qui à Deo recedunt æternus est, necesse quoque est, ut sit inuisibilis: cum ex sententia Apostolica sola inuisibila æterna sint. Nec admireris (ut sequitur Origenes) ignem esse inuisibilem, & cruciantem, cum non uideas calorem corporibus accidentem, & nõ mediocriter cruciantem in his, qui ab eo ualidissimè molestantur. Alterius itaque generis est hic ignis crucians ab eo, quem habemus in communi usu, ipsi tamen ille summè torquens comparatur, cum nihil sit inter nos magis crucians, quàm hic uisibilis ignis: Quem cruciantem in æternum si declinare cupimus, caueamus ne sit in nobis mala dispositio æterna: sed ea sit, qua suscipere possimus ignem illum supremum in gaudium, aut saltem in consumptionem ligni & stipulæ, & in expurgationem scoriæ: ut simus pulchra uasa ex auro mundo, collocanda in cœlestibus nuptiis, & mansionibus illis beatis, & æternis.

Ezechie. Ioël. Idem. Dauid Orige. Paulus. Orige.

DE SVAVISSIMIS CONCENTIBVS, & pausa illa æterna in adepta beatitudine. Tonus octauus.



XTREMÆ huic cantilenæ nouissimi cātici manū extremam imponentes, musicos excellentiores pro uirili nostra imitabimur: qui semper studēt cōcētū nouissimū suauiorē reddere: & aliquando tanta attrahuntur suauitate, ut nisi temporaneis motibus subiacerēt, & labore fatigati deficerēt, carmen protraherent perpetuū. Sed quoad possunt durantes, nunc continuatis, nunc mutatis uicibus non desinunt ab ouo usque ad pomū. Summus autem archimuseus, cuius cantum describere tentamus, cum & tempus excedat, & æternitate gaudeat, cantica sua nunc per tēpora distribuit & partitur, nunc ad ipsam conducit æternitatem. Harmonicam enim machinam istam (nescio quo mirando artificio) & temporaneæ successioni subiecit, & à tempore ipsam absoluit: Generantur enim diurnis, & annuis uicissitudinibus elemētaria hæc omnia. Mouentur & cœli in tēpore, aut (ut rectius dicamus) moti ipsum tempus generant. Terra nihilominus in æternum stat, & cœli à suo esse nunquā

Dauid deficient, quanquam quo ad motum & influxum (ut canit psalmographus) peribun . Suauiorem quoque concentum redemptionis paucis (non dicam) mensibus, sed diebus consummauit: manet tamen perpetuò, apud eum copiosa redēptio: ma

CHRISTVS. nétq; fructus æternus. Si quis (inquit Redēptor) mādūcauerit ex hoc pane, in uestram, uidelicet, redemptionē oblato, uiuet in æternum, fruens ipsius æternæ redemptionis fructu. Suauissimū etiam canticū unionis, ex acquisitis per tempora meritis conducere uoluit, perpetuis præmiis omnes ad ipsam perpetuitatem attrahere, sibique coæternos facere statuit. Hinc à temporanea successione absol uet omnes, quos exaltatus à terra meliori ui harmonica ad se traxerit, quā Or

Orpheus Amphiō. pheus, & Amphion, collocans eos in māsionibus illis consonantissimis, ubi (si Augustino illa aliquando suauitate allecto credimus) etiam numeri, & harmoniæ corporeæ nunc latentes simul cum aliis concentoribus in publicas laudes artificis, & summæ illius pulchritudinis circumsonare uidebuntur. Ideo summa cū diligentia scribæ illi cœlestes utriusque testamenti, Ezechiel, & Ioannes, mansiones illas exactissimis figuris, & consonantissimis mensuris, & partitionibus, prout

Ezechi. eos Spiritus sanctus edocuit, descripserunt. Verū Ezechiel mensuras fabricæ, dispositione, partitione pro tribubus duodenis, sacrificia, & nomen ciuitatis tan

Ioan. tummodo describit. Ioannes uerò principi domesticus, ad secretiora penetralia admissus, suauiora depromit cantica. Vterque tamen ea caligine obnubilati, ut nisi supremus sol calore suo illius crassitudinē extenuet, & sua luce eiusdē expellat tenebras, nec audire quidem quod dicunt, nec uidere quod describunt, & metiuntur, aliquatenus poterimus: in sensibilibus enim ænigmatibus obuoluta huiusmodi tradunt, aut ut ex his quæ animus nouit, ad incognita surgere queat:

& inuisibilia per huiusmodi sensibilia conspicere: aut quia, nec nobis qui audimus, nec ipsis qui loquũtur, uerba adhuc tradiderit, quibus illa exprimi possint: sicut qui ipsa uiderunt, id palam affirmant, quòd non licet ea homini loqui. Aut quia mens adhuc corporeæ molis pondere prægrauata, ad hæc suprema conscẽdere nequit: ut Isaias, & Paulus conueniunt, quòd nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quod Deus præparauit diligentibus se. Ideo, si nec nos illa sacramenta explicauerimus, ueniam dabitis: cum ea sint pertractanda, quæ omne ingenium nostrum transcendunt: omnem memoriam fugiunt: omnem facundiam superant. Vnico tamẽ auxilio fræti, & hoc arduißimum opus aggrediemur: cum habeamus duces, quibus Deus hæc patefecit: ut idẽ Paulus subinfert: Nobis autem hæc reuelauit Deus per spiritum suum. Hinc cautius loquitur Isaias dicens: Oculus non uidit Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te. Hos igitur diuinos duces è uestigio sequentes, quantũ suprema lux nostros collustrauerit oculos, enodabimus nostris uerbis ea, quæ illi suis ænigmatibus complicuerũt: Ioannísque præcipuè secretiora, & pleniora cãtica prosequemur: qui in pegaseo pectoris Christi, inter duo cacumina diuinæ & humanæ naturæ quiescẽs, ea fuit luce perfusus, eòque furore repletus: ut diuinorũ uates facile euaserit. Postea à Pathmotica insula ad continentem supramundanam spiritu diuino subductus, nunc ab angelo, nunc à supremo concentore Christo Iesu, nunc à diuersis circũsonantibus edoctus, tradidit nobis illa consummata cantica: mirandóque artificio hincinde discurrens, nunc conscendendo, nunc descendẽdo, plenis musicæ legibus, nullum modulum supramundani instrumenti, nullámque uocẽ musicæ distributionis reliquit intactam. Per uiginti enim gradus distingunt musici totam ab eis inuentam harmoniam: quos super manum collocarunt, ut inde facilior praxis, & memoria tenacior haberetur. Totidem modulos tangit Ioannes, in quibus tota harmonia supracœlestis consummatur. Et hoc sub figura ciuitatis, quæ tanquam cithara cœlestis proponitur, in qua temperatis omnibus his uocibus, & à summo archimusæo tactis, consonãtia illa omnes alias transcendens perficiatur. Gaudent omnes (inquit Dionysius) mouente Patre: Filius nanque organum Dei factum est, cum in ipso rerum omnium fabricatarum ideæ existant: & in ipso omnes tanquam fistulæ collocatæ sint, undè siquis in eo non manserit, nec utile, nec concinnum aliquid afferre potest. Flatus autem est spiritus omnia replens: ut in lib. Sapientiæ dicitur: Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc, quod continet omnia, scientiam habet uocis. Pater uerò est primus, & omniũ motor præcipuus, potißimè in illa ciuitate superna, in qua omnia ei correspondent tanquam fistulæ, fibræ, uel moduli instrumenti: Quos modulos declarantes, & in concentus diuidentes Ioannem sequemur: & cum eo Ezechielem pro uiribus conuenire faciemus.

Isaias Paulus.

Idem Isaias.

Diony.

Sapien.

MODVLI SEQVENTIS CANTICI.

Materia.	*Lux.*	*Instrumenta.*	*Pax.*
Dispositio.	*Partitio.*	*Epithalamia.*	*Vnio.*
Mensuræ.	*Hospites.*	*Triumphi.*	*Fœlicitas.*
Structura.	*Sponsalitia.*	*Præmia.*	*Omne bonum.*
Ornatus.	*Victus.*	*Imperium.*	*Silentium.*

MODVLVS PRIMVS, MATERIA.



CVR dicatur ciuitas illa ædificata ex auro. Cõcẽtus primus.
Cur parietes ex iaspide. Con. II.
Quid sibi uelint.xij.lapides in fundamento. Con. III.
Digreßio undè lapides habeant uim. Con. IIII.
Quæ sit uera materia supernæ ciuitatis. Con. V.

Modulus Secundus, Dispositio.

De generali partitione Ezechielis, & Ioannis. Con. I.
Cur in quadro posita sit hæc ciuitas. Con. II.
De portis eiusdem ciuitatis. Con. III.
Quæ plateæ ibi sint. Con. IIII.

Modulus Tertius, Mensuræ.

De mensura particulari secundum Ezechielem. Con. I.
De mensura primitiarum, aut decimarum. Con. II.
De mensura ciuitatis secundum Ioannem. Con. III.

Modulus Quartus, Structura.

Quis eam struxerit. Con. I.
Quomodo, & quo glutino compacta, & unita sit. Con. II.
Cur nomina Apostolorum, & tribuum in fundamento, & in portis nomina angelorum cælata sint. Con. III.

Modulus Quintus, Ornatus.

Typica ornatus descriptio secundum Ezechielem. Con. I.
Cur Ioannes non exprimat ornatum, sicum Ezechiel. Con. II.

Modulus Sextus, Lux.

Quid sit lux in genere. Con. I.
Quæ sit lux genita. Con. II.
Quomodo à luce omnia creata proueniant. Con. III.
Quomodo illustret lux. Con. IIII.
Quomodo ipsa lux accendat, & excitet. Con. V.
Quomodo ista lux amplificet, & dilatet. Con. VI.
Quomodo hæc lux lætificet, & beatificet. Con. VII.

Modulus Septimus, Partitio.

Quòd partita sit domus, & familia illa cœlestis. Con. I.

De particularibus mansionibus, & sedilibus beatorum. Con. II.
De Mercaua, *siue tribunali Dei secundum Hebræos.* Con. III.

Modulus Octauus, Hospites.

Quot sint hospites illius ciuitatis. Con. I.
De hospitibus angelicis. Con. II.
De hospitibus humanis. Con. III.
De hospitibus diuinis. Con. IIII.

Modulus Nonus, Sponsalitia.

Quomodo, & quando initiatum fuerit matrimonium inter Deũ & animam. Con. I.
Quomodo fuerit contractum. Con. II.
Qualiter ratificatum. Con. III.
Quomodo consummatum. Con. IIII.

Modulus Decimus, Victus.

Quis panis paratus sit in hoc conuiuio. Con. I.
Quod uinum. Con. II.
Quis panis, & quæ caro. Con. III.
Qui fructus huius conuiuij. Con. IIII.
Quæ copia, & suauitas ciborum. Con. V.

Modulus Vndecimus, Instrumenta.

De primo instrumento quod est cœlorum globus. Con. I.
De secundo instrumento, quod est humana lingua. Con. II.
De tertio instrumento, quod est corpus nostrum. Con. III.
De quarto instrumento, scilicet lingua angelica. Con. IIII.
De mentibus angelicis, & beatorum, quæ & ipsæ instrumenta sunt resonantia. Con. V.
De flatu præstante sonum omnibus istis instrumentis: qui spiritus sanctus, & uerbum diuinum est. Con. VI.
Quid sibi uelint illa multa instrumenta, quæ commemorantur in Dauidicis hymnis. Con. VII.

Modulus Duodecimus. Epithalamia.

Quis Epithalamia cantet. Con. I.
Epithalamium in sponsam. Con. II.
Epithalamium in sponsum. Con. III.
Epithalamium in connubium. Con. IIII.

Modulus Tertiusdecimus, Triumphus.

Quæ sit iusta pugna. Con. I.
De amplissima uictoria habita à Christo pro se, & pro militibus suis. Con. II.
Triumphi gloria Imperatoris & militum. Con. III.

De triumpho diuersorum Ducum post Christi recessum. Con. IIII.

Modulus Quartusdecimus, Præmium.

Quam magnum, & pretiosum sit pugnantium præmium. Con. I.

Quòd illud præmium sit iucundum, & æternum. Con. II.

Modulus Quintusdecimus, Imperium.

De *amplo principis* Imperio. Con. I.

Quàm sit iustum eius principis imperium, Con. II.

De *regno* Commilitonum. Con. III.

Modulus Sextusdecimus, Pax.

Quid sit Pax. Con. I.

A *quo detur* Pax. Con. II.

Quàm suauis, & concinna sit ipsa Pax. Con. III.

Modulus Decimusseptimus, Vnio.

De *beatorum unione cum* Deo. Con. I.

Modulus Decimusoctauus, Fœlicitas.

Quis sit fœlix, & beatus. Con. I.

In quo consistat fœlicitas. Con. II.

Quibus fœlicitas perfecta detur. Con. III.

Modulus Decimusnonus, Omne bonum.

Quid sit bonum, quod dicitur uerum, & summum bonum. Con. I.

Modulus Vigesimus, Silentium.

De *Pausa, quiete, & silentio, ad quod deuenitur adepto iam bono, in quod tendimus.* Con. I.

Hymnus persoluendus in silentio soli Deo, pura, & eleuata mente. Con. II.

PRIMVS MODVLVS, MATERIA.

Cur dicatur ciuitas illa ædificata ex auro. Concentus primus.

I ACIENS itaque Ioannes superni ædificij fundamentum, illud describit ex auro, pretiosisque lapidibus confectum. Aurum nanque non tantum est pro lithocolla ad parietes uestiendos, sed pro cemento, & glutino ad lapidum, pro corpusculis, & clauis colligantibus ædificium. Et quod mirandum est, non offuscat aurum illud nitorem pretiosorum lapidum, cum perfecta diaphaneitate gaudeat. Hinc concinnator noster dicit, quòd aurum ipsum simile est uitro mundo: Lapides autem pretiosi sunt pro fundamento, pro portis, & pro tota parietum structura: ut & lapides, & glutinum pretiosissimi sint pro hospitio illo pretiosissimo: & imputrescibilia pro mansionibus illis æternis. Et penetralia adeuntes, quantum fas erit, & permittetur ab archimusæo, percurremus sacramenta, & secretiores symphonias, quæ describuntur sub typo lapidũ pretiosorũ, & auri, quod uittã significat, iuxta illud sapientis: Antequã decurrat uitta aurea: quæ uitta, aut filum aureum ueram uitam significat. Quod ut faciamus, percurrẽdæ sunt nobis proprietates, & natura auri & ipsorum lapidum. Est enim aurum pulchrum & decorum, hinc dictum quasi ὡραῖον (ut quibusdã placet) uel ab aura, quæ significat splendorem: quamuis Hippocrates ab ἀῦρον inuentore dictũ existimauerit: Pulchrum est enim, pulchráque alia facit: nec tamen omnia (ut aliquãdo deceptus dixerat Hippias) sed ea, quibus ipsum aurum decens est: Estque inter metalla, & liquentia omnia perfectioris pretij. Est etiam suapte natura constantissimum, ut in tenuissimas bracteolas extentus minimè frangatur: Ex auro enim denario centũ & uiginti quatuor bracteæ quaternorum utrinq; digitorũ nostris temporibus deducuntur, cum id ad septuaginta tantummodo antiquiores extenderẽt. Est insuper cum quadam cessione tenacissimũ, cedit enim percutienti & plicanti, consumenti autem igni nequaquã, non rubigini, non ærugini, nõ aceti & salis succis omnium rerũ domitoribus, nec arsinico sublimato, qui (teste Alberto) cætera omnia metalla consumit. Nec aliquid ex ipso incessit, quod aliquãdo eis bonitatem, aut põdus diminuat: nec partes suas à se sponte dimittit. Quæ est apud Plinium elegantissima ratio eius prætij, ꝙ ipsum usus minimè deterit. Et mirum quippe est: ꝙ igni acerrimo omnium cõsumptore nullatenus lædatur, cũ tamẽ ab eo liquefiat, imò quo sæpius ardet, fit purius & perfectius, undè obrizũ dicitur: quia sæpenumero igne candefactũ, & exustum, nõ consumptũ, sed purissimũ redditur. Beneficia autem ipsius multa cõnumerantur ab expertis. Cor lætificat, ulcera sanat, multis infirmitatibus prodesse, melãcholicis maximè: & omni distemperamẽto inimicatur, ex suo forsitan temperamento, quo gaudet super omnia metalla: aut ex ui quadã Phœbea omnibus conferente, lædẽte uerò nemi-

Sapien.

Hippoc.

Hippias.

Albertus

Plinius

nem. Aurũ igitur uita est diuina, siue spiritualis, uel charitas, quæ uitã præstat: & qua decorantur, splendent, pulchrescunt, uiuunt, & ditãtur omnes hospites, & concentores illi. Qua si cares, audi archimusæũ dicentem: Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, ut locuples fias. Hoc properantibus ad mansiones illas dictum sit: quo qui intrant absq; illa ueste, quæ nuptialis dicitur, turpissimè expelluntur. Omnes enim hospites illi, hac aurea ueste charitatis induti esse debẽt; iuxta illud ꝓpheticũ: In uestitu deaurato. Hæc itaq; aurea charitas ardẽtissima fuit in martyribus, & sanctis omnibus, qua fretus Paulus magna cõstãtia dicebat: Quis nos separabit à charitate Christi, an tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an persecutio, an gladius? Et si propter Deũ mortificamur tota die, & premimur sub malleo tribulationũ, tamen in his omnibus cõstantes sumus: & superamus in charitate illius, qui dilexit nos. Qua perfusus Apostol. subinfert: Certus sum, ꝙ neque mors, neq; uita, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, nec aliquid huiusmodi poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo IESV. Cedit quoque charitas percutienti, torquenti, & dilanianti, ut ipsius charitatis præco insignis iterum ait: Sustinetis enim, siquis uos in seruitutem redigit, siquis deuorat, siquis accipit, siquis extollitur, siquis in faciem uos cædit. Cedit igitur, quia in patientibus charitate perfusis non murmur resonat, non querimonia. Tenacissima tamẽ est: ut nec confricatione, nec percussione aliquid suum amittat: imò in huiusmodi coalescit. Nec corroditur à rubigine peccati, nec ab ærugine malitiæ, non à succo salis, & aceti, humanæ uel diabolicæ astutiæ: nec ab aliquo, quantumcunque acerrimè mordeat. Statque inuicta igni molestiæ, ignique diuino: sed in illo perficitur: in hoc autem augetur, & incremẽtum suscipit. Exponit nanque summus ille diuinus ignis suos dilectores igni angustiarum: ut probentur, sicut aurum in camino, & uase fusorio: ut illo igne expurgati irradient, & splendescant in mansionibus æternis: ubi ardent, & palam splendent hospites, tanquam aurum obrizum. Liquescit autem hoc charitatis aurum, non ut à perfectione, aut gradu ipsius cadat: sed ut cum cæteris metallis, imò cũ ipso igne conflante itidem cõflatũ fiat: ut suo loco (annuẽte Deo) differemus. In operatione quidẽ eius & uirtute cor lætificat: quia nihil uerè iucũdũ absq; charitate haberi potest. Quod à regio ꝓpheta discere possumus, qui ipsa charitate amissa cõtristatus, afflictũ, curuatũ, cõputrescẽtẽ, & molestia plenum se prædicat: adeò ut nullatenus gaudere possit. Pro ipsa quoq;, undè sibi lætãdũ sit, suspirans, clamans, deprecatur. Redde mihi lætitiam salutaris tui, quã in peccato simul cũ charitate perdiderã. Sanat ulcera omnia sola præsentia: quia secũ nullum ulcus peccati cohabitare permittit: cum peccatum ipsum sit deordinatio actus, & deturpatio quædã potentiarũ, & uirtutum. Charitas autem est uiriũ & uirtutum decor: ideo eas omnes sine charitate Paulus penitus nihilipendit. Referta est itaque ui, pulchritudine, & splendore supramundani solis: ut omnia quæ replet, ad perfectam consonantiam, splendorem, & perfectam pulchritudi-

CHRISTVS. Psalm. Paulus. Idem. Idem. Dauid Idem Paulus.

nem perducat. Hinc meritò vbique diffusa dicitur à Ioanne *in hospitiis, & hospitibus cœlestibus. Hac enim stratum est pauimentum, hac contexti lapides sanctuarij, hac vestiti parietes, & hospites omnes. Quæ vtiq; vestis tã parietum q̃ hospitum, non est ad tegendum: cum nihil sit fœdatum, nihil paßibile, nihil pudendum, quod tegi debeat, ne turpe uideatur, vel frigore crucietur, aut suffundatur pudore. Erit igitur hæc uestis ornatus non tegens, sed transparẽs vt nihil decorum occultetur, vbi nulla adest inuidia: nihil pudendum cooperiatur, cum turpitudo omnis cessauerit: Patentia enim erunt omnia vnicuiq; cõciui suo, ut vnusquisq; amore consocij ferueat, pulchritudine gaudeat: & consonantissimis fibris omnium membrorum conubilet.*

Cur parietes ex iaspide. Concen. II.



Tructura parietum omnium (inquit concentor noster Ioannes*) erat ex iaspide: quam supramodum celebrant sapientes. Is enim vtroque sexu gaudet, decorò lætatur aspectu, multigena uirtute præstat, multiplicique uarietate, & nomine gloriatur. Tradunt enim* Aaron, Plinius, Albertus, *& alij nouitiores, qui de lapidibus scribunt, quòd iaspidum genera usque ad decem & septem reperiuntur: quamuis* Albertus *de decem tantummodo mentionem faciat. Horum autem præcipuus est viridis, & lucens, rubeas habens uenas. Sequitur rubeus ad instar ignis, & translucidus: alius uerò rubeus opacus: Hic præstat utilitate, ille autem pretio. Alius smaragdo similis præcinctus linea alba: quem gramantiam uocant. Alius pluribus lineis distinctus, & polycalamos dicitur: quem secretiores philosophi utilem dicunt esse concentoribus. Virtus eius multiplex est, ut* Bocus, Aarõ, Thetel, Zenothemis, Arnoldus, *&* Albertus *tradunt: sed super omnia sanguinem sistit, castum reddit gestantem, & gratum: phãtasmatibus inimicatur, & concinentibus fauet, maximè polycalamos, ut diximus. Multaque alia prosequitur* Plinius, *& apud eum* Thetel *de iaspide, & quomodo sit genus lapidum expectatißimum, quæ omittimus. Concinnè itaque nimis cœlestis concentor, concentorum hospitium contextũ describit ex iaspide utriusque sexus decore gloriante: cum lapides illi uiui per hunc descripti, ex quibus construitur ciuitas ipsa, ex utroque sexu coaceruentur: ut laudes depromant illius, qui est (ut* Mercurius *ait) utriusque sexus fœcunditate plenissimus, Decorque eius perbellè decorem omnium ciuium, & lapidum illorum ignitorum figurat: Non enim coram summa pulchritudine aliquid nisi pulchrum, & decorum astare debet. Varietas insuper eius pretiosa, quàm pulcherrimæ ciuitatis illius regiam pompam designat, quæ circumamicta est uarietate multarum rerum pretiosarum. Differt enim Cherubinus à Seraphino: differt uirtus à potestate: & angelus ab archãgelo. Non secus sanctus à sancto differt in gloria (ut* Paulus *ait) quam stella à stella differt in claritate. Varia quippe sunt genera iaspidum, una tamen species*

Ioannes. Aaron. Plinius. Albert. Bo. Aa. Th Ze. Ar. Al. Plinius. Mercuri. Paulus.

tamen aderant & alij lapides pretiosi: Licet fiat denominatio ab ipsis principalibus, ex quibus constructa sunt fundamenta. Ad allegoriam autem conscēdentes, secundum quam describitur illa constructio, ædificata est illa ciuitas super duodecim apostolis præcipuè (existente tamen Christo firma ipsius petra) consequenter uerò ex multis aliis lapidibus, his apostolicis connexis, & admotis: qui cum sint quamplurimi numero illo duodenario commixti, nescio quo numero comprehendi possint. Hinc ipse Ioannes postquam partitus est electorum numerum, & lapides illos uiuos, & consignatos per duodena milia, subiungit: & turba magna, quam dinumerare nemo poterat: Quæ tamen non auget, nec disturbat partitionem illam duodenariam. Sed & aliud dicemus ad inferiora reuertentes, quòd non omnes lapides, qui à mūdanis ciuibus pretiosi existimantur, sunt in pretio apud ciues cœlestes, vt adamas: quiritia, achates, & multi alij, de quibus non fit mentio in scriptura sacra, neque à Mose, quando describit lapides reponendos in pectorale summi sacerdotis, nec ab Ezechiele, dum operimentum quōdam fœlicißimæ tyri ex lapidibus pretiosis contextum describit: neque hic à nostro Ioanne: Adamas enim, qui in tanto pretio est apud diuites mundi huius, à uiris diuinis repudiatur: quia forsitan recipientibus mirum in modum nocet: vndè (vt Mercurius, & alij experti tradunt) cum Helleboro nigro conuenit, & cum capite olgol, aut capite diaboli, stella quidem aquilonari, vndè omne malum panditur: & sic de aliis multis lapidibus aßignare possemus rationes, cur in sacratißimo illo ædificio non admittantur. Sunt etiam qui asserant lapidum interpretationes non esse factas ad veritatem literæ: Et inter alias יהלום quod interpretantur iaspidem, contendunt aliqui, quòd Adamantem significet: & si hoc non placet aliis, ratione prædicta. Vndè hæc prætermittemus tanquam longa, & incerta, etiam apud ipsos Hebræos: & ad secundam obiectionem respondebimus dicentes: quòd diuersæ sunt cincturæ lapidum ingredientium fundamentum: & vnaquæque illarum poterat esse ex suo lapide. Si autem ad ueritatem rei penetrare voluerimus, considerabimus quàm sacer, & quàm mysteriosus sit numerus duodenarius à Platonicis, necnon à scriptura sacra celebratissimus: vt suprà tetigimus. Hoc enim numero electa Dei familia in coordinatione bellica, in distributione promissæ terræ & in omni celebri progressu partita est. Summa quoque consonantia & Christi familia eodem numero complexa est: cui & duodeni principes apostolici præfecti sunt. Qui in militia, & regno principes dicuntur: In sessione verò iudices: sed in fabrica illius supernæ ciuitatis dicuntur fundamenta, non quidem primaria, cum nemò (teste Paulo) poßit ponere aliud fundamentum, nisi qui iam positus est CHRISTVS IESVS. De secundario igitur fundamento est sermo: de quo idem Paulus superædificati supra fundamentum apostolorum & prophetarum: apostolorum inquam, quo ad familiam

Ioannes

Mosei. Ezechie. Ioan.

Mercuri.

Paulus

Idem.

hanc Christianam, & veram: Prophetarum autem, quo ad familiam figuratiuam. Ista sunt ergo fundamenta duodena: in quibus sunt duodecim nomina apostolorum, & agni: ad cuius declarationem statim veniemus. Sunt nanque apostoli fundamenta secundaria, cum eorum animæ, & gradus eis donati, sint stabiles, & pretiosissimi, pretiosisque uirtutibus referti: ideo describuntur per lapides pretiosos, quorum conuenientiam aliqualiter percurremus. Iaspis enim multigenus, & rubeis guttulis conspersus, quid aliud significat, nisi fidem formatam, conspersam charitate & multimodam in diuersis fidelibus, potissimè tamen & super omnes apostolos in Petro omnium eorum, & consequenter omnium credentium principe? Cui & cœlorum claues sunt peculiarius consignatæ. In quod regnum primus introitus est per fidem, dicente Christo: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. In sapphyro autem cœlestis coloris, Iacobi minoris, cognomento iusti, denotatur contemplatio: qua totus semper ferebatur in cœlum: adeo assiduus precationibus, vt genua eius in Camelorum duritiam venerint: Et uerus Nazareus seiunctus à mundo, vinum & siceram non bibens: nec nouacula super caput, aut barbam admittens, totus sapphyrinus & cœlestis, in illud semper cœlum aspiciebat, quod est quasi aspectus lapidis sapphyri (vt inquit Ezechiel) non sine magno mysterio alibi pertractando. Per chalcedonium uerò omnibus respersum coloribus Ioannis charitas designatur: quæ omnibus virtutibus est forma illas complectens, complementumque existens legis & prophetarum: de qua dixit: Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo, tanquam in ciuitate, & templo peculiari. Verum in smaragdo adeo intensæ uiriditatis, vt nec subiectus cuiquam lumini, aut radiis solaribus, quin potius omnem uirorem superans, sua ipsius uirtute totum circuncirca aerem inficit, Andreas denotatur: qui adeo uiridis & viuax fuit in mysterio crucis, vt nec facundis Achiuis, nec strenuo Ro. præsidi Egeæ unquã cesserit, imo moriens crucis uirtutem adeo diffudit: vt totam Achaiam suo uirore cõpleuerit. Est etiam smaragdus (vt inquit Aaron, & alij qui de lapidibus tractant) conspersus notulis diuersorũ colorum: hinc adeo delectabilis, ut nulla gratior oculorum recreatio. Est etiam in cruce ab Andrea prædicata, defensa, laudata, & inuocata uariis uirtutibus micans refectio, vt animæ afflictæ, & oculo interiori contemplanti nihil sit gratius, & delectabilius: sicut ait apostolus: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri IESV Christi. Prosequuntur de smaragdo, quòd satis conferat cognitionibus futurorum, augeat substantiam, motus lasciniæ compescat, tempestates eliminet, & in causis vim eloquentiæ præstet. Quæ omnia cruci ab Andrea nostro amplexatæ conueniunt. Ea etenim qui delectatur & gaudet, omnia proficua cognoscit, substantiam spiritualem & merita auget, lasciuiam compescit, dæmones & aduersas potestates fugat, fandiq; copiam accipit. Hinc veri Christi

Petrus. Iacobus. Ezechie. Ioan. Andreas. Aaron.

concentores, qui crucifixum regem vbiq; prædicāt, tantam hauriūt sapientiā (Paulo teste) ut nulla maior. Per Sardoniū (ni fallor) Mathias denotatur: Est enim lapis ille compositus ex sardo & onice, plurimumq; à chalcedonio distinctus, nonnunq̄ tribus coloribus, subtericio, nigro, & medio, chalcedonióq; superius rubet, & luxuriam depellit, castumque reddit. Et Mathias primo discipulus, postea apostolus, vtraq; dignitate refertus, & decoratus chalcedonio diuinæ & singularis sortis in electione sua. Trifarius quoq; fuit eius color, p trina eius priuilegia quibus excellebat. Dicitur enim q erat prudens in consilio, animo sapiens, & sermone facundus: quæ omnia non sine conuenientia per illos tres colores denotantur. Ad consilium enim & prudentiam Saturnus cōducit, cui subtericius, vel plumbeus, aut æreus color attribuitur. Ad eloquentiam verò Mercurius fauet, qui cum Saturno conueniens secundus Saturnus dicitur: Sed hæc non minus forsitan curiosa q̄ longa dimittentes, succinctum nostrum decursum prosequamur. In Sardio, qui acuit ingenia, mitem reddit, animūq; accendit ad gaudium, Thadæus accommodatè describitur: de quo dicitur, quod cum prædicaret euāgelium Christi in inferiori parte Ponti, nationes quasi beluinis moribus sæuientes sancto euangelij dogmate mitigauit, & eorum ingenia excitauit ad mysteria euāgelicæ & Christianæ doctrinæ subtilissimè percipiendam. Per chrysolithum verò, qui ex Aethiopia uenit, auróque similis ardentibus scintillis refulget, Matthæus figuratur: cuius sors fuit in Aethiopia, vbi & euangelium composuit fulgens vt aurum, cōspersum ardentibus scintillis mysteriorum Christi, de cuius incarnatione, & natiuitate in principio, de prædicatione, & miraculis in medio, de passione, morte, & resurrectione in fine pertractat. Conuentionem quoque habet cum virtutibus ipsius iaspidis, de quo dicitur, q spiritualibus conferat, & in auro ligatus nocturnis obsistat timoribus, & pertusus, setisque asini infulcitus perterreat, & exagitet dæmones. Vndè enim maiorē uim corroborandi spiritualia habemus quam ex euangelio, dummodo eius doctrina ligetur in auro charitatis? Et tunc non solum obsistimus timoribus nocturnis illatis à potestatibus tenebrarum, sed ipsis (quod plus est) timorē incutimus, promittente principe in euangelio, & dicente: Ecce dedi uobis potestatem calcandi super serpētes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici: quæ uirtus præstatur cum penetrata fuerit setis asini: quod forsitan superstitiosum alicui uidebitur non intelligenti naturam rerum: sed dimittamus lapidem, & eius secreta secretioribus philosophis: pscrutemurq; quomodo uirtus euāgelica setis asininis infulciatur: qđ quidē est scitu facilè, si intellexerimus, cur Christus asinā, & filium subiugalē, solui iusserit in die palmarū, vt his insidens Ierusalē intraret applaudentibus turbis, & pueris, sternentibusq; uestimenta, & ramos oliuarum: ut magno mysterio per Zachariæ oraculum præscriptum fuerat: Et cur pater clementiæ Abraham tantūmodo (prout legitur) asinos equitauerit.

Paul.
Math.
Thadæ.
Math.
CHRISTVS.
Zacha.

Hic enim clementiam, & pietatem signat: vt inuersis literis in primæua lingua Hebraica liquet. Nam חמור asinus dicitur, ubi si præferatur ר. dicendo רחום pietatem, uel clementiam significat, ad denotandum, quod tunc Christus cæ-
Hebræi. pit exercere supremum opus pietatis, redimendo humanum genus. Ideo patres illi antiqui horum mysteriorum conscij, statuerunt mysteriū illud annua memoria celebrandum. Beryllus quoq; fauens cōtra hostes & lites, mitem moribus reddēs, & ingeniū bonū præstans, Bartholomæum repræsentat, qui in Al-
Bartho. bano maioris Armeniæ tantum præualuit contra hostes humani generis: ut nullum deinceps responsum darēt uincti catenis Bartholomæi, gentesq; Aonias & Bactrianos indomitos mites reddidit, & cultioris ingenij ad percipiēda euangelica mysteria. Topacius uirore auri ad viriditatem tendente resplendens, feruidam aquam tepidam reddit in eam missus: ut clara experiē-
Simon. tia comprobatum est: diuersásque sanans infirmitates Simonem Zelotem repræsentat, qui Dei Zelo feruidus splendebat pallore aureæ charitatis cum uirore bonorum operū. Vndè feruidos Aegyptios in mamonæ seruitute & cultu diaboli, uirtute ei præstitia temperauit, madefaciens eos irrigua euangelij prædicatione, abstergénsq; & accendens igne superno, opposito penitus igni diabolico: sanauit'que eos ab animarum & corporum infirmitatibus. Sed per Chrysopassum ab India uenientem & rarum, nónne clara luce intellige-
Thomas re possumus Thomam, qui in India prædicauit rarus & solus, quo nullus alius apostolorum accessit? Qui lapis pallore auri gaudens, ipsum Thomam charitate fulgentem repræsentat: qua inflammatus, cum cæteris apostolis, vitam, & sanguinem fudit pro amore Christi, & hominū salute. Dicitur etiā conuenire hic lapis cum Chrysolitho, per quē supra declarauimus Ioānis charitatem significari, Hyacinthus, cui præcipua uirtus est præstare gratiam ob-
Iac. ma. tinendi ea, quæ petuntur sine ulla repulsione, nónne ad vnguē cum Iacobo maiori conuenit? Qui tantam gratiam hominibus præstat impetrandi à principè ea que petunt, vt ad reliquias ipsius Compostellam undiq; nedum priscis tēporibus, uerūetiam hac nostra tempestate magis ac magis confluatur: vt facilè comprobari poßit, ipsum aperuisse aures clementiæ diuinæ, & gratiā impetrandi obtinuisse petentibus: neq; enim ad aliquē sanctorū itur tanta frequētia. Amethystus, cui à cœlo datum est (ut aiūt) fœcūdare steriles, ebrieta
Philippo tē extinguere, & ueneni malitiā cohibere, si cū Philippo conueniat uideamus: Is enim sterilem eunuchum fœcundū fecit in vinea domini: Scytharum postea ebriositatē extinxit. Ebrij enim erant sanguine, & uitiis, sed eos sancta prædicatione. & virtute à cœlo præstita sanauit. Post hæc propinatū p totā Asiā Ebionitarū uenenū cohibuit: Hi enim asserebant Christum assumpsisse corpus nō uerū, sed phātasticū. Et quia per quālibet istarū uirtutū, aut per gratiam, & fauorem istorum ducum, tanquam per portā quādam fit introitus in illam sanctā ciuitatē: ideo & duodenæ portæ dicuntur ex eisdem lapidibus erectæ:

vt splendores isti cœlestes, tanquam numina quædam & in fundamentis, & in portis fulgerent: & concinna redderētur duodecim illis splēdoribus, & intelligentiis præsidentibus, quorum nomina etiam dicūtur scripta, aut sculpta in portis. Responderētq; duodenis tribubus figuratiuis & ueris, quorū etiā nomina scripta enarrantur in eisdem portis. Et perbellè numeris primo crescētibus, alternis suauiter intercinūt āgeli, apostoli, & electæ tribus, quasi quibusdam antithetis cantantes, & succentantes in laudem, & gloriam summi opificis, cōtinuè crescunt. Hinc concentor noster Ioannes sæpe repetit, quod tribus illæ duodenæ, & ij peculiariter consignati cantabant indefessis uocibus ante thronum Dei & agni, nunc cantica expressa & publica, nunc cantica secretiora, quæ nemo cantare poterat, nisi gaudentes illa mundicia, & illo charactere consignati, Ad quam melodiam dignetur summus princeps ipsius gratia, & tot concinentium intercessione, nos conducere: Incolatus siquidē huius prolongati tædio ac mœrore tabescimus.

Digressio, vndè lapides suam habeant uim. Concen. IIII.



Non sine admiratione mortales, quamuis sapientes existant, lapidum admirandas uirtutes contemplantur. Vndè magnes ferrū attrahat: Adamas sua præsentia uirtutem magnetis tollat: Apistos accensus nūquam, aut uix extinguatur: Vndè etiā Balagius, & Gagates, & ferè omnes lapides pretiosi cōfricati paleam attrahāt. Succinū, aut electrum (vt Græci dicūt) non tantū paleam, sed folia, & fimbrias uestium trahit. Carbunculus uerus in tenebris lucet, uenenū aërēū, & vaporosum fugat. Liparis suffitu omnes bestiæ dicuntur euocari. Hieniæ, quæ tabido in uase reperiri dicūtur, si hominis linguæ subdātur, futura præmonstrāt. Anāchitides in necromantia imagines (vt aiūt) deorū euocat, sicut synochitides vmbras inferorū. Dendris sub arbore defossa non permittit aciem securis hebetari. Hyacinthus tutū reddit peregrinū, & gratum hospitibus, Iris si partem alteram ipsius vmbra occupet, altera verò pars soli exponatur, reflectit pulcherrimos radios instar cœlestis iridis, vndè etiam denominatur. Daphnia comitialibus morbis utilis existimatur. Dionysias mixtis nigrò rubētibus maculis ebrietati resistit, tritáq; in aqua saporē uini facit. Eumetis capiti supposita nocturna uisa instar oraculi reddit. Chloritē, quam magi asserunt in sylla auis uentre reperiri, ferro inclusam ad prodigiosa quædā adhibent. Heliotropiū admixta herba eiusdē nominis, quibusdam etiam additis precationibus, gerētem (ut nōnulli asserūt) conspici uetat. Ombria, quā alij notiā uocāt, in aras addita, ea libamēta cōburi nequeunt. Hepisthites, quæ speculi naturā habēt, in reddendis imaginibus, feruētem aquam addita refrigerat. Multa prosequūtur de lapidū virtutibus Bocus, Aaron, Thetel, Zenotemis, Zoroastres, Hermes, Euantes rex Arabū, Dioscorides, Ioseph, Arnoldus, & alijq́ plurimi. Autores qui de lap. tractant.

Zacharias quoq; Babylonius ſcribens ad Mithridatem *dicit:* Magnam *vim, & fata humana lapidibus ineſſe. Sed vndè hæc veniant, altior ſpeculatio exquiritur.* Alexander Peripateticus *à ſuis ſenſibus, & qualitatibus non diſcedens, opinabatur hæc prouenire ab elementis, aut qualitatibus elementorum componentium ipſos lapides.* Quod *ſtare nullatenus poteſt, cum qualitates ſint eiuſdem ſpeciei, operationes autem lapidũ multæ nec in ſpeciè, nec in genere cõuenire probantur.* Ideo Academici *altius conſcendentes, eorum nonnulli ideis rerum formatricibus hæc attribuũt:* Hermes *autem ad ſtellas:* Auicena *ad intelligentias:* Albertus *verò ad formas rerum ſpecificas huiuſmodi operationes reducit.* Et *quamuis iſti ſapientes ſibi inuicem aduerſari videantur, tamẽ ſi res bene perpendatur, nullus eorum diſtat à veritate, dummodo ipſorum dicta ſanè intelligantur:* Nam *ad eũdem effectum diuerſa vt in pluribus conueniunt.* Deus *enim in primis tanq̃ omnium virtutum fons, & origo, ſigillum idearum miniſtris eius præſtat:* Intelligentiæ *autem tanq̃ fidi exequutores non alio ſigillo q̃ regio conſignant res ſibi creditas:* Cœli *autem tanq̃ inſtrumenta materiam diſponunt ad ſuſcipiendas formas illas, quæ (vt inquit* Plato *in* Timæo*) in maieſtate diuina per aſtra deducẽdæ reſident, eaſq́; omnium formarum dator diſtribuit per miniſtrorum manus, quos ſuper opera eius conſtituit rectores & cuſtodes.* Nec *enim ipſis indiget opifex ueluti coadiutoribus: ſed habet eos ut miniſtros, ſicut* Regia *& imperialis maieſtas exquirit.* Ipſis *tamen eam facultatem in rebus ſibi creditis commiſit ſummus moderator, vt omnis uirtus lapidum, herbarum, metallorum, & huiuſmodi ſint ab ipſis intelligentiis præſidentibus, vt nonnulli ſapiẽtes aſſeuerant: co quòd opus, & motus, quæ videmus eſſe in lapidibus, & metallis, nõ poſſint prouenire à non viuente ea vita, quam eorum effectus, & virtus exigit.* Itaque *conuenit forma & virtus lapidum cum idea, cum intelligentiis regentibus, cum cœlorum aſpectibus diſponentibus, & cum elementorum diſpoſitis complexionibus correſpondentibus cœlorum influxibus, à quibus ipſa elementa diſponuntur.* Eſt *igitur operatio huiuſmodi in mundo hoc inferiori per formas expreſſas, in cœlis per uirtutes diſponentes, in intelligentiis per rationes moderantes, in* Deo *per ideas, & formas exemplares.* Et *ſic conueniunt omnes tam effectuum executores, q̃ ipſarum cauſarum deſcriptores, quamuis intelligendo quemlibet ipſorum per ſe, imperfectam haberemus notitiam: ſed ſi dictis dicta admoueãtur, optimam cognitionem in huiuſmodi re & in aliis quamplurimis conſequemur.*

Plato.

Quæ ſ[illegible]era materia ſupernæ ciuitatis. Con.V.

QV[illegible]ucuſq; ca, quæ de materia cœli ſub ænigmatibus à prophetis deſcripta ſunt, tractauerimus, reſtat, vt aliquid dicamus de uera materia ſupernæ ciuitatis: De qua non modica eſt cõtrouerſia, an in cœlo ſit materia necne: & ſi eſt, qualis ipſa ſit. Nam Pe-

ripateticorum nonnulli (maximè Auerrois) asserere videntur, quod ibi nõ sit materia, quia hæc est in potẽtia cõtradictionis, & ad diuersas formas: ex quo videretur cœlum esse corruptioni obnoxium, cum illa materia posset suscipere aliam formam. Aristoteles verò solito more in hoc, sicut in aliis rebus difficillimis aliquid breuiter, & obscurè uix tangit, Hinc sententia ab eis satis dubia relicta est: cum nec incorruptibilitatem cœli probauerit, sed tantummodo opinati fuerint: nec determinauerint, an materiæ poßit dari forma admodum eius quietans appetitum, ut nullã vlteriorem appetat formam. Nec etiam probauerint, an materia cœli sit eiusdem rationis cum materia rerum inferiorum, & transmutabilium. Themistius verò, Simplicius, Auicena, multique alij philosophi insignes, simul cum Theologis nostris vel pedibus currunt in hanc sententiam, pluribusque in locis attestantur, q̃ in cœlo sit materia. Quod & Aristoteles innuit dicens: Qui dicit hoc cœlum, dicit materiam, per quam videlicet cœlum rationem indiuiduationis suscipiat. Vndè maior difficultas est decernere, quæ materia sit illa corporum cœlestium, q̃ si sit in ipsis materia: quia nõ videntur habere conditiones compositorum ex hac materia subiecta transmutationi, generationi, & corruptioni. Vndè Albertus suos Peripateticos sequẽs dicit, materiam esse in cœlo, sed æquiuoca ratione differre ab ista rerum trãsmutabilium. Quod etiam facilè ex scriptura sacra coniici potest: Nam Moses cum rerum materiam describeret, quamuis eodem die vtranque materiam & cœli & terræ creatam enarret, tamen seorsum alteram distinguit ab altera dicens: In principio creauit Deus cœlum & terram, idest materiã cœli, & materiam terræ, vt suprà declarauimus: Quam forsitan non ineptè aliqui vocãt quintam essentiam: cum sit distincta à materia quatuor elementorum cõtinuò alterabilium, transmutabilium, & commixtibilium ad inuicem, & inalterabilis. Purior autem omnium est materia cœli empyrei, & decimi: quod sapit quodammodo naturam spiritus, ut iam declarauimus. Sed quia elementa reperiri in cœlis multi affirmant: ut suprà disseruimus: non iniucundum erit uidere, ex quo potißimè elemento cœli fabricati dicantur. Vndè si sapientes Hebræos sequi uoluerimus, dicemus, q̃ sunt ex materia aquea, & ignea: non quidem aquæ & ignis corruptibilis, & alterabilis, sed melioris notæ: Quod confirmant ex etymologia uocabuli ipsorũ idiomatis, in quo cœli dicũtur השמים assamaim: ubi tres ultimæ literæ, uidelicet מים aquas sine controuersia significant: Duæ uerò primæ, quæ sunt הש reuertendo ה in א secundum eorum regulas, ignem significant & simul coniunctæ illæ quinque literæ ignem & aquam significant: à quibus cœlorum denominationem tanquam ex partibus componentibus deductam asserunt. Sed cum stabilitatem quandam habeant, ut sustineant aquas superiores, uidentur etiam de terra participare: de aëre quoque, ut ibi respiratio fieri poßit. Vndè non sine causa, & ratione plerisque in locis Astronomi dicunt cœlorũ alios esse igneos, alios aëreos, quosdã terreos, & aqueos, quos-

Peripate. Auerrois

Aristot.

Th. Sim. Auic. Ph. Th.

Albert.

Moses.

Hebræi.

Astro.

dam. Similiter & signa octauæ sphæræ partiuntur per quatuor elemẽta vnicuique aßignantes tria signa: sed cum nobilißimum elementorum sit ignis, opinantur nonnulli cœlos potißimè igneos esse: vt Zoroastres, Cleantes, Democritus, Plato & ferè omnes antiqui, vt palam fatetur Aristoteles: & si ingratus discipulus nunc magistrum Platonem deridet: nunc illum latenter insequitur: cum ab eius dogmatibus discedere nesciat, quamuis multoties aliud dicere videatur. Hic enim ad Alexandrum scribens, enarrat se à Brachmanis accepisse quintam essentiam: & hanc igneam esse mansionem diuinitatis. Circa Deum (inquit) non aberrantes, ipsum in quinta essentia esse dicimus: quæ est materia absoluta ab omni alteratione, & conditione degenerante. Nec dissonum censeatur, quod Deus in ignea domo resideat, qui non tantum Mosi, & Pauli testimonio ignis est, sed etiam externorum complurium asseueratione. Scribit Plutarchus multiplici doctrina insignis, Deum esse spiritum, intellectualem ignem, non habentem formam, sed transformantem in se quodcunque uoluerit, & coæquantẽ se vniuersis. A quo vno igne (vt Zoroastri, & Heraclito placet) omnia genita sunt: qui ignis à Ioanne nostro dicitur lux. Sic & in theologia Phœnicum (vt scribit Iulius Cæsar) habetur, quòd ab illa luce natura quidẽ incorporea emanat corporea lux, & ignis, à quibus subleuari possumus ad lucem illam, ignemque diuinum: Qui (inquit Porphyrius) lux existens ignem æthereum inhabitat, magis sibi propinquos adeo inflammans, vt in ignem conuertat: sicut in psalmo legimus. Qui facis angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem, uel ignem coruscantem, aut flammam ignis, ut sonat litera Hebræa. Eliam quoque suum familiarem ministrum sustulit in curru igneo: sic & de Ioanne admodum Eliæ simili perhibuit summa veritas: Ille erat inquiens lucerna ardens, & lucens. Et omnes quos ad se trahere prætendit, & secum connectere renouandos censet spiritu & igne. Hinc non sine mysterio Mosi, quem elegerat ad promulgandam igneam legem, apparuit in rubo igneo, & ardenti. Nósque aliquando tanq̃ ignis uallat, & defendit ab omni aduersa potestate, ut per Zachariã ait: Ego ero eis Deus murus igneus in circuitu sicuti apostolos, & discipulos euangelicis prius institutionibus eruditos spiritu illustrauit, muniuit, & corroborauit, nedum eos inflammans, sed etiam posteros, qui per eos deducendi erant in igneam illam ciuitatem supernam: Cuius species apparuit aliquando nonullis expurgatis oculis, vt Ezechiel inquit de specie, quam uidebat ad cœlos aspiciens. Hæc erat visio discurrens, splendor ignis, & de igne fulgur egrediens. Quo igne calefaciat, liquefaciat, confletque in unum nos cum sanctißima maiestate sua, cui honor, laus, & gloria in sæcula sæculorum Amen.

Zo. Cl. De. Pla. Aristo. Moses. Paulus. Plutar. Zo. Ha. Phœni. Iul. Cæ. Porphy. Psalm. CHRISTVS. Zachar. Ezechiel.

MODVLVS SECVNDVS DISPOSITIO.

De generali partitione Ezechielis, & Ioannis. Con. I.


Angentes secundum modulum nostræ harmonicæ ciuitatis personabimus, cur ab Ezechiele, & Ioānneario modo uideatur partita: Ezechiel enim prima partitione diuidit fabricam in templum, ciuitatem, & totam promissam regionem: Et hanc in duodecim partes, pro duodecim tribubus, cum duodecim portis. Sed & templum diuidit in vestibula, thalamos, atria, gazophilatia, porticus, sancta sanctorū, & alias partes ad coquinam, & peculiares usus. Ioannes verò templum penitus excludit: Templum (inquit) non vidi in ea. Concinnè nimis & aptè Ezechiel figuratiuæ familiæ ædificia describens includit templum ei necessarium pro oratione, & sacrificiis faciendis. Ioannes verò domum & ciuitatem exarat Christiani cætus, qui non indigent alio templo, quàm se ipsis iam extructis in Dei templum, secundum apostoli doctrinam. Ideo Christus ad samaritem illam inquit: Veniet tempus, & nunc est, quando veri adoratores adorabūt Patrem non in monte hoc, aut templo: sed in spiritu, & veritate. Et sic nos purificati hîc in uia efficimur Dei templum, ipsum suscipientes per pietatem, mūdiciam, & bona opera, sicut ipse hospes promittit dicens: Si quis sermonem meum seruauerit, Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionē apud eum faciemus. Quanto magis erimus nosipsi templum, quando videlicet suscepti in illa æterna tabernacula, aperto cōtuitu, faciè ad faciem, & mutua consuetudine coutemur tanquam ciues illius supernæ ciuitatis? Nunc autem domesticè suscipimus Deum hospitem, tunc verò suscipiemur ab illo de quo sequitur Ioannes: Dominus enim omnipotens, templum illius est, & agnus: Illius quippe ciuitatis, & cætus beatorum illuc conscendentium. Portas quoque describit, per quas omnibus patet introitus: dummodo uelint audire inuitantem. Eius etiam splendorem, quo omnes illustrantur, describit: necnon fluuium aquæ viuæ, & arborem uitæ in medio plateæ ipsius, ad cōtinuandam uitam illic degentium in sempiternum. Narrat & sedem agni, qui perpetuò regnaturus est in ea cum suis cohæredibus.

Ioannes. CHRISTVS

Quæ sit ciuitatis huius magnitudo. Con. II.


Agna, imo maxima est domus illa Dei, & beatorum: adeo, vt exclamet Baruch dicens: O Israel quàm magna est domus Dei: & ingens locus possessionis eius. Magnus, & non habet finem excelsus, & immensus: ut quamoptimè dicat Plinius, & nonnulli alij sapientes, eos insano furore repletos, qui ipsam metiri opinantur. Nihilominus Ioannes noster eam sub paucis stadiis comprehendere uidetur: Et mensus est (inquit) ciuitatem cum arundine aurea per stadia duodecim milia ex quolibet quadrilatere, consummans totam ciuitatem

Baruch. Plinius. Ioannes

stadiis quadraginta octo milibus: quæ sunt sex milia miliariorum. Ezechiel uerò eam metitur quatuor milibus & quingentis calamis in qualibet quatuor plagarum: qui supputati reddunt decem & octo milia calamorum: Qui sunt quadragiuta quatuor millia trecenti & quadraginta passus Romani, plus minus secundum Hieronymum: sed sunt passus Veneti tricies & semel mille quingenti, & quadraginta. Nam passus Romanus (vt accipit Hieronymus) continet quindecim palmos vel paulò minus: Venetus viginti palmos ad vnguem: vndè hic maior est illo quarta parte: calamus autem triginta septem palmos continet id est sex cubitos, & palmum: nam cubitus sex palmis consummatur. Erit igitur totus ambitus ad summam triginta milia passuum supra mille & quingentos plus minus, si Veneto passu fiat cõmensuratio. Nec miretur quispiam, si Ioannes reperit ambitum illius ciuitatis ad sex milia miliariorum, qui ab Ezechiele describitur triginta & uno miliario circitérue: quia ciuitas hæc noua ædificata à Christo tanquam spõsa ornata uiro suo, tanto maior esse debebat illa pristina, & Israëlitica, quãto maior est familia hæc Christiana illa figuratiua: quæ continebatur in paruula terra promißionis. Metitur etiam Ioannes altitudinem murorum per cẽtum & quadraginta quatuor cubitos, & hæc omnia arundine aurea, mensura hominis, quæ est angeli: & hæc forsitã (Deo fauente) suo loco explicabimus. Nunc autem prosequamur de magnitudine eius, in cuius comparatione illa descripta, imo terræ totius ambitus, qui est triginta milia miliariorum, nihil existimatur, uel tanquam granum milij comparatum monti ingenti: vbi non reperitur proportio. Nec quidem ratio admittit, vt pro tam Augusto regno ciuitas esset tam angusta: & ꝙ in tam humili hospitio reciperentur tot milia electorum cum turba illa magna ex omni tribu, & ex omni gente, quam dinumerare nemo poterat. Ideo si Ezechielem, & Ioannem explanare voluerimus, uocalis hic numerus est nobis necessariò relinquendus. Nam scriptura sacra (vt Augustinus rectè sentit) & Pythagorici, atq; Academici de illo parũ curant, intendentes ad proportionem ex illo resultantem, quam numerum naturalem, uel formalem uocant: & ad diuinum, & ad sacramenta inde emanantia. Quod & nos obseruantes facilè Ezechielem, ac Ioannem cum aliis sapientibus, qui de immensitate illius supernæ ciuitatis loquũtur, conuenire faciemus. Summa enim totius circuitus (prout Ezechiel describit) decem & octo milibus calamorum terminatur. Pro cuius declaratione notandum est, quòd milenarius numerus ad vltimum complementum pertinet, cum sit cubus, & solidus numeri completi: qui denarius est, vltra quem non datur vlterior, sed repetitio præcedentium numerorum. Nec vltra solidum, qui crescit in longum, latũ, & profundum, potest numerus dilatari. Hic igitur numerus consummatam perfectionem illius hospitij resignat. Ideo Ezechiel milenis calamis metitur ciuitatem, templum, & totius regionis spatium: Et Ioannes eandem ciuitatem

Marginal notes: Hieron. — August. Pythag. Acade. — Ezechi.

metitur duodenis milibus uirgis aureis: Quo etiam numero partitur electorū multitudinem, milléque annorum spatium aßignat quieto statui, post calamitates perpessas: Permilenaria etiam, & mille milia Daniel enumerat, & partitur angelorum exercitum. Quod autem per decem & octo multiplicetur hic millenarius numerus ad hospites hoc pertinet: Qui diuiduntur in nouem choros angelorum, & in totidem choros hominum, qui sunt inter illos angelicos collocandi: unusquisque enim ad eum ordinem, vel cœtum angelorum, cuius & naturam, & officium geßit in uita, conuolabit: vt ex Gregorio, & aliis sapiētioribus discere possumus. Coniuncti uerò isti duo nouenarij hospitum chori decem & octo reddunt. Si autem ad duodenas tribus hunc numerum applicare uoluerimus, possumus quidem, accipientes duodenarium, qui ad tribus illas pertinet, cui addemus senarium primum perfectum, per quem multiplicato duodenario septuaginta duo insurgunt: Quo numero comprehendebātur sapientes, & iudices populi in figuratiua illa familia: & totidem discipuli in uera Christi militia, iuxta numerum principum cœlestium: vt habetur apud secretiores theologos: iuxta quem numerum & idiomata diuisa sunt, aßignatáque à peritis Astronomis sena pro quolibet signo Zodiaci: sed ad Ioānem ueniamus. Hic etiam per duodecim milia uirgarum aurearum quodlibet quadrū ciuitatis describit, complectens totum ambitum quadraginta octo uirgarum milibus. Altitudinem quoq; muri per quadratum duodenarij uidelicet centū & quadraginta quatuor metitur: Hic enim utitur millenario tanquam numero perfecto, vltima dilatatione profuso, & duodenario primo crescente: Et hoc ad denotandam excrescentiam, & multitudinem electorum in mansione, & statu perfectißimo denotato per millenarium. Quæ summa exprimitur, & terminatur in א aleph, quæ & Deum ipsum, & primum omnium principiū & finem importat, in quem omnis multitudo reducetur tandem, completo cursu ab eo ipsi aßignato.

Ezechiel. Ioannes. Daniel. Grego. Theolo. Astro. Ioannes.

Cur in quadro posita dicatur hæc ciuitas. Con. II.

Figuram huius ciuitatis uterque quadratam describit ad soliditatem demonstrandā, quæ per figuram quadrariā denotatur, & p quaternarium numerum, à quo illa figura deducitur: Hic enim numerus est fundamentum & radix omnium aliorū numerorū: vndè & omnia fundamentr tam in artificialibus q̄ in naturalibus, moralibus, & diuinis quadraria sunt: vt alibi tetigimus. Hinc Plato dixit à summo artificè iacta fuisse prima fundamenta huius machinæ mundialis quadrifaria vt solida esset. Nam solida (vt ait) non uno, sed duobus mediis semper copulantur, inter quæ media est correspondens proportio, sicut inter ignem & aërem, aërem & aquam hanc & terram, & iterum inter terram & ignem: Qua mirabili concinnitate connexuit, ea mundi opifex, vt nequeant dissolui ab alio, nisi à quo fuerunt colligata. Vt ergo firma esset & concinna ciuitas sacra, ple-

Plato.

na mysteriis, partitur eam per quadratum numerum solidum & concinnum: Nam in eo omnis musica consonantia contineri videtur: In quaternario enim proportio dupla, tripla, sesqualtera, & sesquitertia reperitur: vndè resultat diapason, bisdiapason, diapente, & diatessaron, & etiam tonus, si quatuor sumantur tria & unum, quæ reddunt octo, & iterum 4.3.& 2. quæ faciunt 9. à quo numero ad 8. est proportio sesquioctaua, & facit tonum: & sic ex eo omnis harmonia resultat. Sed vt adhuc concinnior sit, occentat in ea nomen magnum Dei quadriliterum: cuilibet angulo una litera præsidente, & influẽ-
paral. te, iuxta illud quod habetur in verbis dierum: Elegi Ierusalem, vt sit nomen
Dauid meum in ea. Cuius nominis suauissimi influxu excitati hospites cõtinuò ipsum nomen Dei laudant, vt regius concentor ait: Laudate nomen domini, sit nomen domini benedictum ex hoc nunc & vsque in sæculum. Laudant igitur in illa ciuitate eius opificem astra matutina, & omnes filij Dei: laudant viginti quatuor seniores: & centum & quadraginta quatuor milia habentium nomen eius, & nomen Patris eius scriptum in frontibus suis. Omnis denique tur
Idem. ba in tympano & choro, in chordis & organo, in cymbalis, & tubis continuè laudant Dominum: vt idem regius concentor in fine suorum hymnorum concludit dicẽs: Omnis spiritus laudet dominum: vel vt melius habet ueritas Hebraica כל הנשמה תהלל יה col anessama tehalel iah: Quod ad uerbũ interpretantes dicimus: Omnis anessama, id est anima purgata & superior vel diuina effecta laudet iah, quod est nomen innuens diuinam essentiam, ad quam intuendam introducuntur beati. Hic circunloquuti sumus, quia non habemus nomina ad vnguem exprimentia significata illorum verborum, iah, & anessama,

De portis eiusdem ciuitatis. Con. III.

Portæ ciuitatis nostræ pro duodecim tribubus duodecim assignantur tam ab Ezechiele, q̃ à Ioanne: Et tres in qualibet plagarum, aut in quolibet quatuor laterum: ne credatur quòd quaternitas illa sit quid differens à trinitate summa. Dicit enim Io-
Ioannes. annes, ꝙ à qualibet quatuor plagarum erant portæ tres, vt ternarius intelligatur contextus in quaternario: quorum quilibet multiplicatus per alterum duodenarium illum sacratissimum toties suprà repetitum conducit. Sicut enim ter quatuor duodenarium faciunt: sic quater tria. Quaternarius igitur illius sacratissimi nominis, & aliarum sacrarũ rerum cõcluditur in trinitate illa superexcelsa: & trinitas in quaternario. Ex quibus deductis in alterutrũ prouenit duodenarius: secundum quem distribuuntur cœlestia illa omnia: Electæ familiæ tribus consignati lapides fundamenti, angeli præsidentes, & portæ, per quas fit introitus: Per sanctam enim trinitatem ad regnũ illud in-
CHRISTVS. trare nos oportet, dicente ipsius regni principe: Nisi quis renatus fuerit ex a-

qua, id est filio (vt alibi declarauimus) & spiritu sancto, non intrabit in regnũ cœlorum: sed nec ad filiũ venire quis poterit, nec p eũ renasci, nisi Pater cœlestis traxerit eũ. Ecce igitur, ꝙ per has ternarias portas sanctissimæ trinitatis patefit introitus in cœleste regnũ. Et ideo initiãdis iubet Saluator, vt baptizẽtur, & consignẽtur in nomine Patris, & filij & spiritus sancti. A quacũq; igitur plaga illuc voluerimus ingredi, p has tres portas trãseundũ nobis est: siue introeamus ab oriẽte adolescẽtiæ, siue à meridie iuuẽtutis, & viriditatis: siue ab occidẽte senectutis: seu ab aquilone decrepitatis: uel fiat introitus ab oriẽte sublimis bonitatis: aut à meridie pietatis, & clementiæ: aut ab aquilone timoris iudicij diuini: siue ab occidente benignæ condescensionis, semper intratur in quadrifariam ciuitatem per ternarias portas. His autem portis præsidere dicuntur duodecim angeli: quia fidem sanctissimæ trinitatis nemo suscipit in ecclesia militanti, nisi per ministerium sacerdotis, qui à Malachia dicitur angelus domini exercituum. Nec in regno triumphantium per sanctissimæ trinitatis portas intratur sine ministerio angelorum, vt summus imperator docet, quando videlicet Lazari animam conductam dicit in sinum Abrahæ. Et si ad locum inferiorem, vbi Abraham pater fidei præsidebat, anima iusti portabatur ministerio angelico: quanto magis per summi Dei ministros portari debent animæ ad sinum Patris æterni? Id maximè, cum transitus fiat per portas sanctissimæ trinitatis. Duodecim quoque sunt angeli præsidentes portis duodenis, distributi & ipsi per duodenarium numerum, quo multa cœlestia connumerantur: & electorum familia in vtraque ecclesia: & eorum principes. Hinc non ab re imperator cœlestis exercitus innuit ipsos partitos per duodenarium, quando dixit Petro: Nónne putas, quòd possim rogare Patrẽ, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones angelorum? Legio autem id temporis decem cohortibus firmabatur, habebatque peditum sex milia centũ, equites verò septingentos triginta: Varronis tamen temporibus tribus tantummodo milibus constabat: aliis etiam temporibus alio militum numero claudebatur, licet vulgò ex sex milibus sexcentum sexaginta & sex milia equitum, neque peditum habita differentia firmari persuasum sit. Sed ne quis crederet angelorum numerum consummatum in illis duodenis legionibus, non ab re adiungit plusquam duodecim: Ii enim per plures legiones distincti deueniũt (vt Daniel ait) vsque ad mille milium & decies centena milia, qui omnes vno ore, & consonanti uoce simul cum aliis hospitibus principem ciuitatis laudant continuè.

CHRISTVS. Malach. CHRISTVS. Idem. Daniel.

Quæ plateæ sint ibi. Con. IIII.



Lateæ sunt, quas frequentant ciues, & populi: & vbi solent residere magistratus: Quæ illius supernæ ciuitatis describuntur ex auro, quod charitatem significat, ut suprà exposuimus. Et hoc, ut intelligatur omnium hospitum conuentus in Dei, & proximi

CHRISTVS amore splendescere: iuxta signum datum à principe dicente: In hoc cognoscent
Ioannes. homines, q'eritis mei discipuli, & ciues supramundanæ ciuitatis, si dilectionẽ habueritis ad inuicem. In cuius plateæ medio (inquit Ioannes) Lignum vitæ collocatum erat: & ex vtraque parte ipsius ligni fluuius vitæ fluens: vt intelligamus hospites refertos esse non tantum charitate, sed etiam sapientia, quæ per fluuium aquæ uiuæ denotatur: iuxta illud quod habetur in libro sa-
Sapien. pientiæ: Et aqua sapientiæ salutaris potauit illum. Quæ sapientia quam optimè dicitur abundare, & fluere in plateis, vt sapiens ait: Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat. Quod duplici de causa factum arbitror: altera est, vt percipiat vnusquisque, quòd sapientia est cuilibet communicanda, dummodo ipse velit eam suscipere, vt dicit Mer-
Mercu. curius cum filio Tatio cõcionans: Deus craterem patulum sapientia impleuit: & præconem misit iubens, vt mergeret seipsum in hanc pateram, qui uoluerit mentem, quæ vera sapientia est, suscipere. Altera, vt persuadeatur magistratibus, qui præcipuè habitant in plateis, quòd sapientia diuina perfundi omnino deberent. Sic etiam, qui in illa superiori ciuitate potiora loca poßidẽt, maiori sapientia, & charitate repleri existimantur. Et hi longè excellentiores sunt ciuibus mundanis: quia adest eis arbor uitæ, à qua decerpentes continuè uitæ fructus in perpetua felicitate viuunt. Quas quidem plateas nisi sedulò frequentent, vt lætentur per charitatem in cõuentu proximorum, & præsentia principis fruantur, vndè meliori amore continuo accendantur, deficientes à fonte totius boni, & pulchritudinis, deturpantur, & deficiunt ignominia
Ieremias. pleni: vt deplorando Ieremias inquit in Lamentationibus: Denigrata est super carbones facies eorum, non sunt cogniti in plateis: Adhæsit cutis eorum oßibus, Aruit sine videlicet fluuio aquæ viuæ: & facta est quasi lignum aridũ igne perpetuo comburendum.

MODVLVS TERTIVS. MENSVRA.

De mensura particulari secundum Ezechielem. Con. I.



Etsi monumentis vtriusque uatis de magnitudine huius ciuitatis tetigerimus, opportunum nihilominus existimo ad particulares mensurationes ciuitatis eiusdem, & eorum quæ ad ipsam pertinent deuenire. Et primo percurremus ea, quæ Ezechiel vaticinãdo occultißimo mysterio, dura expreßione, fractóque sermone describit: Is siquidem metitur suis calamis ædificium nescio quoddam satis obscurè: Item templum, gazophylatia, portas, vestibula, & multa quæ ad illa ædificia conducibilia putat: Postea torrentem, primitias, residua primitiarum, ciuitatem, & suburbia. Quæ omnia tantis ænigmatibus inuoluit, & tam breuiter exprimit, vt uix intelligi poßit. Nibilominus prout is qui reuelauit prophetæ, no-

stros collustrauerit oculos, abdita illa mysteria saltem adumbrabimus. Et *in primis hoc præmittendum censeo, quo facilior sit aditus contendentibus ad ea penetralia, quod* Ezechiel *incipit à diuino tribunali, & post variam rerum descriptionem tādem desinit in mensuras eorum, quæ tacta sunt, tanq̄ effectus ultimi cum primo per illas mensuras coniungendi sint & vniendi.* In *principio itaque visionis* Deū, *& tribunal eius miro artificio, occultóq; mysterio propo nit: postea sub nomine fabricæ multiplicis, hominem cum* Deo *proportionando metitur; necnon ea, quæ ad ipsum pertinent.* Sed *anteq̄ arcana patefacimus, quæ sit illa mensura, de qua in contextu secundum literam loquitur, breuiter insinuabimus.* Et *in manu uiri calamus mensuræ sex cubitorum, in cubito, & palmo:* Hoc *ad unguem habemus in litera: quorum uerborum sensus est:* Cala*mus continet sex cubitos, quorū cuilibet additur palmus.* Sed *cum cubitus cōtineat palmos sex, adito illo uno erunt septem:* Et *supputata tota calami mensura per septies sex palmos, consurgit palmorum numerus* 42. Et *differt ista supputatio ab ea* Hieronymi *superius adducta, in qua nulla erat hæsitatio, qn mensura calami esset tantummodo sex cubitorum & palmi: non autem sex cubitorum: totidemq; palmorū.* Verā *igitur interpretationem iuxta mentem prophetæ sequētes, dicimus, ꝙ mensura illa non erat* 37. *palmorum, ut sonat nostra traductio, sed* 42. *& occultissimo sacramēto, de quo id tantum reserabimus, quod diuina permittent oracula.* Palmo *enim & manu, uel digitis opus conducitur: & hoc auspiciis quadragesimi secundi numeri, quo* Deus *exiuit in opus, & omnia mensurat ut tritum est apud sapientes.* Vndè *non sine mysterio dixerunt secretiores theologi nomen* Dei 42. *literarum extrahi à primis uerbis, quibus enarratur, & occulto mysterio à* Mose *describitur mundi fabrica:* Et *iterum per eiusdem numeri mansiones (ut prudenter obseruat* Hieronymus*) populum tam celebri mysterio eductum de* Aegypto *ad terram repromissionis, melioris terræ typum gerentem conducit.* Sed *hac mēsura quæ unica est, &* 42. *aliquando per numeros, aliquando per centenarios, aliquando per denarios, & millenarios multiplicat omnia propriis mysteriis distribuēs.* Hac *igitur mensura propheta primo metitur seipsum:* Et *consequenter quemlibet hominem: & hoc sub figura ædificij nō expressi, ut mysterium subticeat.* Postea *mensurat templum illud, de quo apostolus ait:* Templum Dei *q᷑ estis uos.* Post *hoc gazophylatia, & æraria idest animæ potentias, in quibus suscipiuntur thesauri cœlestes.* Deinde *portas & uestibula, quæ sunt sensus exteriores, & omnia, quæ extrinsecus homini adiacent: attamen ad integritatem hominis pertinentia.* Post *hæc mensurat totam ciuitatem, idest hominem interiorem, qui effectus est ciuitas, & hospitium suscipiens hospitem* Deum, *& sanctos angelos.* Post *quē metitur & suburbia idest ea extrinseca, quæ homini sunt: & per quæ fit introitus ad* Deū, *&* Dei *ad nos, & unio cū ipso.* Tā*dem deuenit ad primitias uel decimas, bona uidelicet opera, quæ* Deo *offeri-*

Hieron. Th. an Moses. Hieron. Paulus.

mus, quæ mensurata esse debent: vt & præmiũ eis cõgruens bona & coagulata mẽsura sit proportionatum: Eadẽ enim mensura (inquit princeps omniũ) qua mẽsi fueritis, remetietur & vobis, proportione tamen geometrica vnumquodque in centuplum repẽdente ex maxima Dei liberalitate. Perbellè igitur qui decimas exquirit, easdem nobis millenis reddit apophoretis, vt ex centupla euangelij retributione supputanti patebit. Vel dicamus, ꝙ decimæ à Deo susceptæ ex numeris deueniunt ad millenarios: quia adiuncta Dei gratia, cui millenarius attribuitur, illa quæ prius erant denaria, fiunt decem milia, & sic de reliquis. Illud quoque aduertendum est, ꝙ in calce visionis metitur per millenas mensuras, quod antè mensurabat per unitatem, denarium, & viginti quinque. Nec illud prætermittendum est, ꝙ limina portæ metiebatur calamo vno, & paulò post subiicit limen portæ esse decem cubitorum. Quæ omnia sacramentorum non ignarus uates, eorum mysterio describebat. Omnium enim mensura fit per vnum, quod principium denotat, & per denarium, omniũ numerorũ simplicium complementum: quia omnium remuneratio, & præmiũ est ille, qui est principium, & finis: Et hinc ei iure debentur primitiæ, & decimæ. Deinde à denario transit, ad centum, aßignans distantiam inter portã & portam per centenarios cubitos: quia differt præmium centenario multiplicato eorum, qui per vnam, & eorum, qui per aliam portam ingrediuntur. Et tamen deuenit ad millenarium, cubũ uidelicet denarij numeri cõpleti: in quo omnẽ mẽsurã claudit, & cõsummat, quãuis nõ plenè exprimat: quinimo ingenuè fatetur se tã profundo pelago immergi: nam cum veniret ad oriẽtem, vndè est origo omnium mensurarũ, dicit, ꝙ aquæ redũdantes erant nimis à latere dextro, vndè misericordia, gratia & omnia dona, denotãs ea quæ impartitus est nobis largitor omniũ bonorũ, tanta esse: vt ea comprehendere nequeamus. Et dixit, ꝙ uir veniens ab oriente (vbi fons omniũ bonorum, quamuis cõmunicentur per virtutem dexteræ) cum funiculo mensus est mille cubitos: Et dictæ aquæ deuenerunt vsq; ad talos: Et mensus adhuc mille, ecce aquæ vsque ad genua: Et mẽsus est iterum mille, & traductus fuit per aquam vsq; ad renes. Sed cum vlterius progrederetur metitor, adeo creuerunt aquæ, vt transire non posset: quia aquæ profundæ nimis. Verum, vt de arcanis aliquid referemus (qđ nihilo minus fari liceat) quousq; metiebatur metitor ea, quæ sunt animalis hominis, siue sint tali, genua, vel lumbi, aut renes, transire poterat profundũ aquarum sapiẽtiæ, qua dispositus cõmẽsuratusq; ipse hõ. Sed cũ ulterius ꝓgrederetur, ad ea uidelicet q̃ ad interiorẽ hominẽ spectãt: nõ dabatur ei ulterior trãsitus. Cũ igitur tãta sint hæc, ut ꝓphetæ humeri præ onere succubuerint, multò minus nostri tãtũ sapiẽtiæ onus sustinebũt: quia dũ homo spiritualis est, in ipso habitat Deus, qui est infinitus. Nã cõpleta mẽsura tẽpli, & ciuitatis, & perfectis sacris, subinfert propheta: Et nomen ciuitatis יהוהשמה adonai sama, quod interpretatum significat: Dominus ibidem, idest in homine iam in ciuitatem

CHRISTVS. Ezechie.

& templum Dei effecto: à quo nunq̃ recedet ipse dominus, sicut penitus recessit à synagoga, & à multis de ecclesia: non tamen ab omnibus; cum promiserit dicens: Ego uobiscum sum usque ad consummationem sæculi: Hæc quantum ad mensuram ciuitatis secundum Ezechielem leuißimè tacta sint: ut percipiãt legentes quò tẽdant tam exactæ mensuræ: Quæ profectò non ad terram illam crebrò quondam repromissam, nostra autem & uatis tempestate denudatam, expoliatamq; sacrificiis, cærimoniis, gazophylatiis, suburbiis, decimis, & primitiis. Metiebatur itaq; nos, nostráq; opera, & præmia correspõdentia: Quæ omnia subsunt Dei trutinæ, & mensuræ.

De mensura primitiarum, aut decimarum. Con. II.



On prætermittendas censeo etiam mensuras, quibus vates metitur primitias, sed (ut melius dicamus) decimas offerendas: quæ תרומה teruma Hebraicè dicuntur, ut in libro Exodi plenißimè legimus: Ait enim propheta: Et super terminum Iehuda à plaga orientali, usq; ad plagam maris erunt primitiæ, quas separabitis uigintiquinq; milibus calamis longitudinis, & latitudinis: sicut singulæ partes, tam à plaga orientali ad mare, q̃ in aliis plagis: uel tam in longitudine q̃ in latitudine, ut totus ambitus sit per centum millenaria, non dicam calamorum, quia calamus hic non habetur in textu Hebræo, q̃uis sit in nostra traductione ad libitũ, & non secundum mysterium adiunctum. Hic etenim per centum mensuratur præmium, quo remunerantur illi, qui ueras primitias sui corporis mundè, & pudicè conseruati Deo offerunt. Ii enim (ut Hieronymo placet) coronãtur numero centenario, qui à propheta multiplicatur per millenarium Deo semper attributum: ut præmium correspondens operi Deo grato intelligatur diuinũ. Aliarum autẽ tribuũ primitiæ mensurantur uigintiquinq; milibus ex parte aquilonari, & ex parte australi totidem: sed à plaga orientali decem milibus: & ab occidente totidem, quæ in unum redactæ reddunt septuaginta milia. Cuius numeri radix est septenarius, numerus quidem remissionis, ductus per denarium, numerum completum: & iterũ reductus per millenariũ diuinũ denotat opera, oblationes, & præmia pœnitẽtum, qui remissiones à uero septenario expectãt: postea præmium operũ cõpletorũ per denariũ suffultũ p millenariũ diuinũ. Vndè qui nõ possunt cum Iehuda regali tribu seipsos dicare, utpote qui satis infidi ac rebelles extiterint, saltẽ oblationes pœnitẽtum offerãt per manus sacerdotis, nõ cuiuscunq;, & potius polluentis oblationem q̃ offerentis, sed p manus eorum, qui sunt de filiis Zadoc, qui iustus interpretatur: de quo sequitur: Qui custodierunt cærimonias meas, & non errauerunt, cum errarent filij Israël, sicut errauerunt & leuitæ. Hic autem Zadoc (ut sentit Hieronymus) Christus est, sacerdos in æternum, & iustus: ideo dicitur, secundum ordinem Melchizedec: qui rex meus iustus interpretatur. De quo

Exodus.

Hieron.

Hieron.

Dauid. à regio propheta sub nomine Salomonis in huiusmodi verbis decãtatur: Deus iudicium tuum regi da: & iustitiam tuam filio regis. Huius itaque filij, & ab eo renati esse debent omnes, qui volunt per oblationes gratas admitti in regiam ciuitatem & locum, quem propheta figuratiuè describit. Sed & illud aduertendum arbitror, quod dicitur: Et non mutabuntur, neque transferentur primitiæ, terræ videlicet illius, quia sanctificatæ sunt Domino, & oblatæ oblatione perpetua, & non repetenda singulis annis, sicut illæ quæ annuatim serie quadam offerebantur de corruptibilibus fructibus: & aliquando polluendis per sacerdotum iniquitatem. Multa insuper prosequitur vates de mensuris, & numero, sitúque suburbiorum, & confinium eorum, & de mẽsuris olei, & aliorũ, quæ offerenda erant in sacrificium: quæ iis relinquimus declaranda, qui contextum literæ interpretantur: Nam nos tantummodo adumbrauimus ea, quæ per typum quendam ad ciuitatis supernæ mensuram, in qua beamur pertinere censuimus.

De mensura huius ciuitatis secundum Ioannem. Con. III.

Satis differre videtur mensura Ioannis, ab illa Ezechielis: Hic enim calamo ligneo mensurat ea, quæ ad figuratiuam familiam pertinent, non adhuc expeditam ab oneribus lapidum, lignorum, & paleæ: sed Ioannes beatorum merita, & fabrica describit ciuitatis illius, quam suprà declarauimus ex auro & lapidibus pretiosis contextam: ideo meritò arundine aurea mensurari dicitur. Quanta autem sit mensura, non exprimit: quia nec ea, quæ metitur, determinari possunt: cum beatorum gloria sit circa obiectum infinitum & interminatum, replens continuò suscipientes ipsam pro eorum capacitate: & locus ille sit immensus nulláque mensura uerè terminabilis. Ad duodena tamen milia stadiorum sua arundine deducit ambitum illum: & muros per duodenos cubitos quadratos scilicet centum quadraginta quatuor milium, vtrunque magno mysterio aliqualiter percurrendo. Dicit ergo, ꝙ ille, qui loquebatur secum mensurabat mensura hominis, quæ est angeli: sed quanta sit, nec etiam hoc in loco declarat. In eo tamen quod dicit, quoniam mensura hominis, & mensura angeli, præmium innuit, in quo vterque beatur. Quod cum (vt diximus) Deus sit: eius mensura nec terminari, nec exprimi potest. Eadem tamen dicitur mensura angeli & hominis, quia eadem portione datur, dummodo capacitas, & merita eorum id exquirant. Illa itaque mensura angelus, qui loquebatur secum, mensus est ciuitatem, per stadia duodecim milia: quæ in quadro posita est, & tanta est altitudo eius, quãta latitudo, cũ hæ ad inuicem æqualiter se habeant. Et mensus est muros eius centũ quadraginta quatuor cubitorũ. Multa hîc occurrũt, quæ nõ modicã afferũt difficultatẽ: Et primo quomodo sit æqualis ciuitas in latitudine, & altitudine, cũ latitudo dicatur duodecim miliũ stadiorũ, altitudo autẽ 144 cubitorũ tãtũmodo. Quomodo itẽ intelligẽdũ, ꝙ in quadro

(Margin, beside "Dicit ergo…": Ioannes.)

sit extructa, an quòd in quolibet latere sint duodecim milia stadiorum, & totus ambitus sit quadraginta octo miliũ stadiorũ: an verò ꝙ totus ambitus duodecim milibus stadiis consummetur, extenso quolibet latere ad 300 milia stadiorum solummodo: Et quid insuper stadia, & quid cubiti ad supernã illã, & diuinam ciuitatem mensuratã illa arũdine aurea, cuius longitudo interminata dicebatur. Quibus obiectis, prout Dominus succurrere dignabitur, faciemus satis. Si enim literã saluare uoluerimus, dicemus ad primũ, aliã esse altitudinẽ murorũ, & aliã altitudinẽ ciuitatis: Muri etenim centum quadraginta quatuor cubitis cõsummantur, ut textus clarißimè aperit: sed altitudo ciuitatis, quæ posita dicitur à Ioanne super montẽ magnũ & altum, habet à radice mõtis vsque ad summitatem murorũ, mensurã illorũ duodecim miliũ stadiorum, sacramento statim declarando. Quadra autẽ est illa ciuitas (inquit Ioãnes) & Ioannes. *in quadro posita: quod sic (meo iudicio) intelligitur, vt quodlibet latus ciuitatis sit duodecim miliũ stadiorum: & totus ambitus sit quater duodecim miliũ, quæ reddũt quadraginta octo milia, & non ex numero quadrato, vt aliqui decepti literam extorquent, concludentes ambitũ in centum quadraginta quatuor milibus stadiis, quæ non est quadratura æquilatera (ut opinantur) sed quadratura tantummodo numerorum, omißis milenariis, in quibus potißimũ huius mensuræ sacramentum consistit. Si enim quadrentur duodecim milia stadiorum per aream, resultabunt stadia 144 millena milia. Si uerò dicant totum ambitum esse duadena milia, & quodlibet latus triũ milliũ stadiorum tãtummodo: tunc si quadretur, reddet ad unguem nouem millena millia. Quæ utique mensura non erit illius ciuitatis Ierusalem, in qua Christus passus est, cum illa, teste Iosepho, concludatur trigintaquinque stadiis, sed illius, in qua* Ioseph. *nunc regnat, quæ millenis, & millenis, & duodenis millibus distribuitur: ut sit accommoda, aptáq; duodenis millibus ex qualibet tribu consignatis: Atque duodenis familiis tam figuratiuæ, ꝗ ueræ militiæ summi imperatoris: Quæ etiam respondeat magno nomini Dei quadrilitero in ea conscripto, ut eius uirtute compaginata sit, sicut statim dicemus. Quadratã quoque, sicut & ꝗdriliterũ nõmẽ, esse oportet, cũ rotunditate tamen, sicut quælibet litera eiusdẽ nominis circularẽ numerũ importat, & sphæricũ. Prima enim litera denariũ cõtinet: secũda, & quarta quinariũ: tertia uerò senariũ: Quorũ quilibet circularis est numerus. Totũ autem nomem reducitur ad duodenarium ꝑ reuolutionem, quã Hebræi siruph dicũt, ut alibi diximus: secundũ quas reuolutiones* He bræi. *præponitur duodecim signis, quibus diuiditur totus cœlestis ambitus, & ciuitas illa supna. Duodenarius uerò reducitur ad millenariũ nostrũ, qui est peculiaris Dei, cui & mille, & aleph, ipsum mille significans attribuitur. Est autẽ æqualis latitudo, lõgitudo, atq; altitudo: quia quicquid est in Deo, nõ est maius aut minus, sed semper æquale: nec est uera latitudo, aut lõgitudo in illa diuinitate, quæ ubiq; sphærica est: unde illæ mẽsuræ, similitudine, & mysterio quo-*

benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Triplex enim hospitium præparauit summus architectus pro humano hospite: vnum quippe est regnum illud cœleste, & beatorum mansiones. Alterum est hoc mundanum pro peregrinatione nostra: ex quo elegantissimè disposito facilè coniectare possumus, quantum & quale sit illud, quod pro æterna mansione parauit. Tertium est hoc constructum supra fundamentum, qui quidem Christus est, & suprà duodecim fundamenta apostolica, confectum ex viuis lapidibus, & mensuratum mensuris Ezechielis & Ioannis, de quibus suprà tetigimus. Et tanta est horũ trium consonantia, vt ex uno aliud conijcere posimus, dummodo bene intelligamus cuiuslibet ædificij naturam, & dispositionẽ: quis hoc, quod nunc habitamus, feculentum, & infimum: & illud ad quod tendimus expurgatũ sit & exquisitissimũ: id etiam quod mediũ est, & cuius auspiciis ad illud supernum properamus spirituale sit, domus videlicet, & ciuitas ecclesiæ in cuius sinu vel ambitu, vt cõtineamur, necesse est, si cœleste ac supernum conscendere volumus. Consimiles enim sunt fabricæ istæ ab eodem artifice constructæ: Ipsiusq; imaginem gerit vnaqueque pro captu suo: Vndè symbolum & similitudo inter eas, ex qua de vno pertractãtes, de alio quoq; intelligere possumus. Nec alius horum ædificiorũ fuit opifex, nisi ille, de quo dicitur: Omnium est enim artifex, omnium habens virtutem, omnia prospiciens.

Quomodo, & quo glutino compacta, & vnita sit hæc fabrica. Con. II.

OMnia plura, quæ in vnum conueniunt, oportet ꝙ aut arte, aut natura, aut diuino mysterio conglutinentur. Lapides enim in domo lithocola, calce, ferreisque, aut æneis carpusculis, super infuso plumbo connectuntur. Ligna verò clauis, siue colla casea, vel piscea, aut taurina, quæ perfectissima existimatur, cõiungũtur. Ossa autem in humano corpore colligantur neruis, carne, & cute. Et aliquando lapides, & corpora diuersa ui quadam naturali, non dicam, conglutinantur, sed vniuntur: vt duæ arbores per insertionem: & ostreæ cum lapidibus ui quadam naturæ occultiori. Vidi & corpora humana in lapides uersa, & adeo cum lapidibus unita, ut iam unum corpus, & illud homogeneũ, effecta uiderentur. Et quia fortior est vis naturæ q̃ artis, ideo fortius illa ligat. Sed cum omniũ fortißima sit diuina uirtus, ideo non solũ connectit, sed etiã unit. Et hæc uis est nominis ipsius sancti, & magni, de quo dicitur: Domine dominus noster q̃ admirabile est nomẽ tuũ in uniuersa terra: vtraq; videlicet superiori & inferiori, in vtraq; ligãs, cõnectẽs, & vniẽs omnes partes, & earũ mẽbra simul. Ad cuius similitudinẽ in Ierosolymis (quæ typũ gerit illius supernæ ciuitatis, quã describimus) iußit Deus, vt fabricaretur tẽplũ: Postea subintulit in eo uolumine, qđ Græcè Paralipomenon, latinè autẽ uerba dierũ dicitur: Elegi Ierusalem, vt sit nomen meũ in ea: quã elegi: ut ædificaretur in ipsa templũ nomini meo. Sed nedum templũ lapideum, & tota mundi maioris machina, uerumetiam ratio-

nalis, & humana fabrica est illius nominis uinculo colligata: Nam cum humana familia biuium faceret in Abel & Cain (in Abel enim diuina, & in Cain diabolica familia fabricatur) hic, qui secundum carnem, & diabolum erat, de more persequẽs eum, qui erat secundũ spiritũ, interfecit Abel: sed statim reparata fuit in Seth, & multiplicari cœpit in Enos ipsius Seth filio. Quæ ut coniuncta esset debito nexu, dicit scriptura: Tunc cœptũ est inuocari nomẽ Domini, quamuis mendosi textus habeant: Iste cœpit inuocare nomen domini: inuocatum enim fuit, & interpositum tanquam nexus, glutinum, & uinculum. Sic & in Deuteronomio, postquam de vinculo charitatis, quod habere debent omnes, qui Dei sunt, sacerdotes, leuitæ, serui, ancillæ, aduenæ, & peregrini in offerendo, epulando, cohabitãdo, & huiusmodi præceptum dederat dominus, subintulit: Vt inhabitet nomen meum ibi, omnia videlicet connectens. Sic & Ieremias pro electa familia inquit: Tu autem in nobis es Domine, & nomen tuum inuocatum est super nos: Quod ne in patria credatur omissum, inquit Ioannes: ꝙ illi consignati habebant nomen eius scilicet agni, & nomen Patris eius scriptum in frõtibus suis. Sed quod hîc est occultum, ibi erit patens, & omnibus manifestum: vt in calce uisionis testatur dicens: Et videbunt faciem eius, & nomen eius scriptum in frõtibus eorum. Et primo in baptismate scribitur per militiam: quando homo militaturus sub Christo, accipiens ab eo stipẽdium stigmatizatur charactere (vt dicunt theologi nostri) vel suscipit nomen, quod sculpitur in fronte eius: vt ab omni saltem spirituali milita dignoscatur. Postea idem nomen scribitur, dum homo triumphat in bello: vt in principio visionis inquit Ioannes: Qui uicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei: & foras non egredietur amplius: Et scribam super eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei nouæ Ierusalem, quæ descendit de cœlo à Deo meo: & nomen meum nouum. Perpulchrè ponitur victor & triumphator tãquam columna, & sustentaculum aliorum in ædificio, & templo Dei, quod est ecclesia illa triumphans: sicut victor & fortis fuit columna, & substentaculum aliorum in ipsa ecclesia militanti. In hoc igitur scribitur nomen Dei magni, tãꝗ familiæ ipsius ascripto, & stemmate decorato. Scribitur & nomẽ ciuitatis Ierusalem, non quippe illius ædificatæ á Sem in terra Canahan, sed illius, quæ descendit à cœlo erecta uidelicet à filio Dei, qui de cœlo venit: Cuius nomen est Ierusalem, sicut & illius materialis quæ huius typum gerit. Sed Ierusalem uisio pacis interpretatur: pacis vtique æternæ, ex qua scatet beatitudo nostra, iuxta illud Augustini. Visio est tota merces: Et hæc sculpi dicitur in beato, ut nunquam ab eo ammoueatur: sed ipsam iure quodam peculiari iugiter possideat. Scribetur insuper & nomen nouum, scilicet IESV in quo nomina antiqua magno mysterio concluduntur: & dicentur (vt nonnulli asserunt) cohæredes IESV Christi Iesuani: & meritò, tum maximè, quia eodem utrique vinculo connectendi sunt: vndè ab eo tanquam nobiliori (vt vero satis con-

Abel. Cain. — Deuter. — Ieremię. — Ioannes. — Idem. — Theolo. — Ioannes.

gruit) fiet denominatio.

Cur & nomina apostolorum, & tribuum in fundamentis, sed in portis nomina angelorum insculpta sint. Con. III.

ET si nomina electorum omnium insculpta sunt in sancta illa ciuitate, ut summa ueritas perbibet dicens: Nomina uestra scripta sunt in cœlis. Et si unumquodque habet scriptum nomē IESV, & nomen Patris eius in fronte sua: ut sit eorum perfecta connexio. Præcipuè tamen dicuntur inscripta nomina apostolorum, & tribuum in fundamentis: & nomina angelorum in portis. Quę inscriptio non tantum ad characteres spectat, quia hoc exigui esset momenti: sed ad latentem uirtutem, quæ in ipsis nominibus uiget, secundum quam nomina imposita sunt electis, ab illo, qui dixit noui te ex nomine. Verum de paucis habetur expressum nomen, quod os Domini nominauit: & si omnibus stellis, & hominibus per stellas significatis nomina uocat: quæ & in cœlis scripta sunt: & secundum ea ibi nominabimur. Quorundā nihilominus explicata nomina habemus à Deo illis imposita, ut Abrahā, Izahac, Israël, Iedidia, Ioānes, IESV. Abrahā enim Abrā dicebatur, sed iussu Dei (ut legimus in libro Geneseos) uocatus fuit Abraham adiuncta, uidelicet litera, ה, quæ quinque in numero importat. Qui numerus quinarius addito priori nomini, quod sic scribitur אברם & 243. importat in numero, cōstituit nomē, quod sic scribitur אברהם, & reddit in numero 248. quot sunt ossa in humano corpore: & quot sunt præcepta affirmatiua. Ideo ibidem, cum adaptare uellet nomen addito ה, quod quinarium importat, premittit: Ambula coram me, & esto perfectus in uirtutibus uidelicet & præceptis meis per ossa significatis. Quem numerum quinarium (ut statim infert) abstulit à שרה sara, quæ prius uocabatur שרי sarai, qđ in numero quingenta & decem importat, mysterio alibi declarando: & remansit cum quingentis tantummodo & quinque. Et sicut hic summotum est à muliere, & additum uiro, sic in primis parentibus acceptum est à uiro, & datū mulieri, quæ de costa à uiro sumpta formata est. Hinc Adam lapsus, & hinc Abrahā perfectus coram Deo. Nec ultrà hìc quàm liceat progrediamur. Izahac quoque sic uocatus fuit à Patre Abraham alludente ad mysterium de risu Saræ in oraculo angelorum: & innuendo quo pacto esse deberet risus, & gaudium Patris, sicut Ismaël onus, & molestia: Vndè à domo paterna simul cum matre iussu Dei eiectus est. Iahacob ab angelo cum quo luctatus est nomen accepit Israël id est princeps uel hæres Dei: & eo quòd præualuerit cum magno Dei principe, & pater, & princeps populi sub Deo uero militantis effectus est. Sed & Ioannes ab angelo denominatus est: ut nomen, quod Dei gratia importat, cōueniret præcursori legis gratiæ, & clementissimi legislatoris nuntio. Filio autem Dei quanta celebritate fuerit impositum illud nomen IESV, cum alibi tetigerimus, ideo hìc alia prosequemur. Nomina igitur apostolorum funda-

CHRISTVS.

mētis inſcripta ſunt, cū ipſi fundauerint eccleſiam in duodecim mūdi partibus, ſuper illud tamen fundamētum uniuerſale, & unicū, qui poſitus eſt Chriſtus
Paulus. I E S V S, *ut ait apoſtolus. Supra quod præcipuū iacta ſunt fundamenta apoſtolica cum & ipſa ſuſtineāt ædificiū hoc, ut idem apoſtolus ait: Superædificati ſupra fundamentum apoſtolorū, & prophetarum. Sed cū in ciuitate hac noua, quam deſcribimus, præcipua fundamēta fuerint apoſtoli, ideo corū nomina in eis dicuntur deſcripta. In portis autem perbellè ſculpta enarrātur nomina angelorum: quorū officio incumbit, ut nos in aulā regiā inducāt, ſicut Deus*
Exodus. *in* Exodo *inquit: Ecce ego mitto angelū meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in*
Lucas. *via, & introducat in locū, quem pæparaui tibi. Et in euāgelio* Lucæ *habemus, ꝙ angeli deportauerunt animā* Lazari *ad locū videlicet ſalutis: quo electorū animæ, anteꝗ aperiretur ianua cœli, deferebantur. Qui angeli & ſi distributi ſunt in tres* Hierarchias, *& in nouem choros, multæ ſunt tamen aliæ diſtributiones ipſorū ad diuerſa officia. Septem enim ſunt principes, qui aſtāt ante thronū* Dei: *Quatuor, quibus datū eſt nocere terræ, & mari, à quatuor mūdi plagis: ſeptuaginta duo, ſuper ſeptuaginta duo idiomata: & duodecim ſuper duodecim ſigna, quæ (ut diximus) ſunt tanꝗ duodecim cœli portæ. Ad quarum*
Iſaias *cuſtodiā præcipuè poſiti ſunt duodecim angeli: & in tutelam murorum omniū complures angeli deſtinati, ut clarè teſtatur* Iſaias, *qui dū de renouatione ſupernæ ciuitatis noſtræ loqueretur, inter alia munera ſibi donata inquit: Super muros tuos* Ieruſalem *poſui cuſtodes, ideſt angelos: ut omnes interpretantur.*
Malac. *Qui angeli non incongruè dicuntur etiam ſacerdotes: ſicuti habemus in* Malachia: *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, quia angelus domini exercituū eſt ducens uidelicet & introducens in illam ciuitatem. Nec ab re præſidēt portis, cum ipſarum claues à ſummo principe ſibi fuerint cōceſſæ. Sūt autē duodecim principales ſuper duodecim portas, uel duodecim angeli duodecim apoſtolorum: aut principes angelici eis correſpondentes, uel ipſi duodecim apoſtoli: qui ſacerdotio fungentes, & euangelicis clauibus utentes angeli officium exercent: Vndè angeli meritò dici poſſunt, ſiue angelici principes gradum ſupremum tenentes citra imperatorem in eccleſia, & ſancta illa ciuitate: ut in ordine illius conſonantiſsimo nullus ſuperior, aut æqualis reperiatur, iuxta*
Paulus. *illud apoſtoli: Primo quidem in eccleſia dedit fieri apoſtolos. Qui cum ſint cōſtituti iudices duodecim tribuum à ſummo principe, ideo & nomina ipſarum tribuum ibidem dicuntur inſcripta, unaquæque ſub ſuo principe, & apoſtolo, omnes tamen ſub imperatore ſummo. Et cum quilibet eorum ſit pars ædificij, ideo ait apoſtolus cum* Epheſiis *loquens: Et uos coædificamini in habitaculum* Dei *in* Spiritu *ſancto. Qui ſimul cum uirtute magni nominis* Dei *totū ædificiū viuificat, ſanctificat, & communit. Sunt igitur nomina apoſtolorum in fundamentis, tanꝗ peculiarium ipſius ciuitatis fundatorum, uirtute tamen præcipui fundamenti & fundatoris* Chriſti I E S V. *Sunt etiam nomina tri-*

buum in toto ædificio, quod ex omnibus illis fit. Sunt quoque nomina angelorum tanquam custodum in portis. Sed nomen Dei est in toto ædificio, & in fronte uniuscuiusque hospitis, ligans, vniens, consolidans, viuificans, & deificans totum ædificium.

MODVLVS QVINTVS, ORNATVS.

Typica ornatus descriptio secundum Ezechielem. Con. I.



Rnatus huius ciuitatis diffusè ab Ezechiele describitur sub typo sponsæ à Domino ex humili gradu ad præclarum sublimatæ: quę Ezechie. *Ioannes non exprimit, sed innuit, dum ait: A Deo paratam, sicut* Ioannes. *sponsam ornatam viro suo. Dominus igitur inducitur ab Ezechiele in huiusmodi uerbis conquerens de synagoga, quæ post tam nobiles ornatus ceciderat in multa scelera: ex quibus ornatibus sub metaphora descriptis facilè intelligere pooterimus ea ornamenta, quibus uestietur ipsa summo principi, & agno perpetuò desponsanda iis quidem nuptiis, de quibus inquit Ioannes, gaudeamus, & exultemus, & demus gloriã Deo: quia uenerunt nuptiæ a-* Idem. *gni & vxor eius præparauit se: Et datum est ei, vt cooperiat se byßino splendenti, & candido, byßinum enim iustificationes sanctorum sunt. Nec ultrà progreditur Ioannes de ornatu: Ezechiel autem longo sermone enarrat quibus ornamentis, & muneribus donata fuerit prior sponsa synagoga à sponso: & quibus lamentis conqueratur de ipsius ingratitudine dicens: Multiplicatam quasi germen agri dedi te, quod uidelicet numerari non potest: sicut nec beatorum turba. Sequitur: Multiplicata es, & grandis effecta, & peruenisti ad ornatum ornamentorum: pro quo nos habemus mundum muliebrem: Ornatus enim ornamentorum ponitur tempore nuptiarũ. Vbera tua intumuerunt: illa vtique ubera, de quibus in canticis. Duo ubera tua, si-* Cantic. *cut duo hinnulli gemelli capreæ, uel ceruæ, qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies, & inclinentur umbræ. Ceruæ utique & capreæ excelsæ, per quas adiurat omnes filias Ierusalem, ne suscitent dilectam. Quæ ubera lac suscipiunt fluens, & emanans à terra illa quondam promissa, nunc autem descripta à nostro Ioanne. Ad quod lac Isaias nomine sponsi inuitat dicens: Ve-* Isaias. *nite, & emite absque ulla commutatione uinum, & lac. Et de non habente hoc lac, neque ubera id est capacitatem, ut suscipiat, conqueritur sponsus in canticis dicens: Soror nostra paruula est, & ubera non habet. Beati igitur, qui ha-* Cantic. *bent plena illa ubera, quæ sunt meliora uino. Hinc pro magno munere illud adducit: Vbera tua intumuerunt plena lacte illo, quod qui sugit, scit reprobare malũ, & eligere bonũ. Et pilus tuus germinauit: Ille utique, q in nazareis non raditur, sed crescit, & cum capillis, qui numerantur omnes, connumeratur. Dãnabile autem nimis est, quod tumefactis uberibus illo lacte superno, & florente pilo, id est inualescente uirore, & robore iuuentutis nuda fuerit, &*

confusione plena. Ideo *miseratus opulentißimus largitor ait:* Et *trãsiui per te,*
Cantic. *& vidi te:* Et *ecce tempus tuum tempus amãtiũ.* Idcirco *uolui & ego præbe-
re maximum amoris pignus donans tibi meipsum, & portans super me omnia
scelera tua, tegens illa, ne appareat ignominia tua, vndè sequitur:* Expandi *a-
mictũ meũ, vel alas meas super te: & operui ignominiã tuã, vt & de te dicat*
Dauid. *propheta,* Beati *quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt pec-
cata.* Sequitur: Et *iuraui tibi, & ingressus sum pactum meum tecum, & facta
es mihi scilicet sponsa, facta sponsione in baptismate ex parte animæ, sed in ple-*
CHRISTVS. *risq; locis euangelij ex parte sponsi dicẽtis:* Ego *uitam æternã do ouibus meis:*
Et *qui manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: &,* Venite *benedicti Pa-
tris mei poßidete paratum vobis regnũ. Sed nec sic copertæ, & iuratæ con-
iungi vult, nisi lauetur, & ornetur: vndè sequitur:* Et *laui te aqua, superna vi-
delicet de qua antea diximus:* Et *emundaui sanguinem tuum ex te, id est præ-
ceptum tuum, & opus tuum secundum carnem, & sanguinem: à quo nisi quis
mũdetur, nec sponso cõiungi potest, nec ciuitas* Dei *effici, nec in illam intrare,*
Isaias. *vt* Isaias *aperta voce testatur dicens:* Sanctus *erit omnis, cuius nomen scriptũ
fuerit in libro vitæ in* Ierũsalem. Et *hoc si abluerit* Dominus *sordes filiarum*
Sion, *& sanguinem* Ierusalem *de medio eius in spiritu iudicij, & in spiritu ar
doris. Spiritus iudicij ad filium pertinet: cui patet omne iudiciũ dedit: Spiri-
tus autem ardoris ad* Spiritum *sanctũ spectat: qui in specie ignis discipulis ap-*
Cantic. *paruit.* Post *lotionem autem sequitur vnctio, de qua subinfert:* Et *vnxi te oleo,
charismatum videlicet & diuinitatis.* Ad *ornatum uerò deueniens primo ait:*
Psalm. Et *cooperui te* רקמה *riemah, id est discoloribus, vel opere phrygio, quod nos
iuxta uernaculam linguam dicere possumus recamo, sicut & in psalmo legi-
mus:* In *vestitu deaurato, circundata varietate.* Multis *quidem coloribus ve-
stita fuit synagoga, cui* Deus *dedit multigena sacrificia, plurima præcepta,
variasq; cæremonias.* Vestitur *& anima diuersis coloribus, & variis vestimẽ*
Paulus. *tis, de quibus inquit apostolus:* Induimini *viscera misericordiæ, bonitatis, hu-
militatis, mansuetudinis, patientiæ, cæterarumq; virtutũ.* Et *calciaui te* תחש
tahas, quod Theodotio, *&* Hieronymus *traduxerunt hyacinthum, quo calcia-
batur, & vestiebatur sacerdos:* Et *est aerei coloris: per quem (vt* Philo *ait, &*
Ph.He. *cõmuniter* Hebræi*) cælestia, atque superna significantur.* Ideo *intraturi in cæ-
lestem ciuitatem ipso calciari debent affectus per pedes significati.* Et *cinxi te
bysso, vt cingebantur sacerdotes, & etiam fæminæ orientales: quæ ad ornatũ
suum, præter caligas suas habẽt subligacula, aut succinctoria, vel femoralia*
Ioannes. *pretiosißima, quibus lumbos præcingũt:* Cui *bysso non ausim nisi* Ioannis *ex-
positionem accommodare, qui eodem spiritu, quo* Ezechiel, *edoctus erat: hæc e-
nim subiũxit, byssus sunt iustificationes sanctorũ, quibus omnes illuc introdu
cẽdi fulgere debent.* Et *indui te* משי *meßi, hoc est subtilibus, uel trichapto, vt
septuaginta interpretati sunt.* Et *est sericum subtilißimum in stamine, & sub-*

tegmine, vt inquit Hieronymus. Et quid subtilius q̃ illæ speculationes, quæ fiũt à sublimioribus theologis vtriusque testamenti circa recõditissima arcana legis, & euangelij? Et composui te ornamento pulchro, videlicet in se, & sponsæ q̃ pulcherrimæ accommodato. Ad particularia autẽ deueniẽs inquit: Et dedi armillã in manibus tuis id est donatiuũ, aut gratiã bene operandi sine qua nihil fit. Et dedi torquẽ, vel corymbũ super pectus tuum in signũ principatus, & dominij, qđ dedi tibi super omnes creaturas, quando dixi, Dominamini. Et dedi inaurẽ, aut rotulã, uel circulũ, siue gẽmã super nares tuas quæ נזם nezẽ Hebraicè dicitur: & vario modo traducitur, & largo modo inauris: sed est ornamẽtum nasi, quod in naribus ponitur. Sed de ornamẽto auriũ sequitur dicẽs Et circulũ in auribus tuis: Quibus omnibus adhuc vtũtur mulieres oriẽtales. Nec cõtentus sponsus principatu tradito, & denotato per torquẽ, siue corymbum de corona quoque sequitur dicens: Et corona תפארת tipheret in capite tuo: Vbi nostra traductio habet coronã decoris. Sed tipheret illud summũ pulchrum denotat: à quo omnia pulchra, & quo potissimè homo dicitur pulcherrimum Dei opus: Et est gloria maiestatis Dei: ad quam omnes tendimus. Et hãc coronam expectabat apostolus, quando dicebat: In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quã reddet mihi Deus in illa die iustus iudex: non solũ autẽ mihi, sed & his, qui diligunt aduentum eius. Et de quocunq; proficiscente ad regnum supernæ ciuitatis paratum à cõstitutione mundi dicitur illud prophetæ: Posuisti in capite eius coronã de lapide pretioso. Et ad opulẽtiam ostendẽdam diuitiarum, & gloriæ addit: Et ornata es auro, & argẽto. Quibus nõ reperitur in rebus inferioribus quicq̃ accõmodatius, quo luxus illius apparatus, & thesauri superni exprimi possint. Aurum enim (vt sentit Hieronymus) dona cordis, gratiarum, & charitatis significat: Argẽtum uerò sonorum, dona intellectus, & eloquij venustatẽ, & cõcẽtũ. Et vestiui te bysso, trichapto, vel subtilibus: & opere phrygio, aut polymito: Quod quidem nõ est repetitio: nam superius dixerat. Vestiui te vestimẽtis scilicet interioribus, quæ corpori adhærẽt: & hîc intelligitur de exterioribus, amictu, pallio, & huiusmodi, ut interpretatur Hieronymus & septuaginta: & etiã de supellectili domus: vt nõ solũ cultu corporis ornata esse intelligatur, & õnia habere monilia fœminarũ, sed strata quoq; eius, & lectuli parati sint diligentia, & solicitudine maritali, vt anteq̃ veniret ad ciborum delicias, nec in his quidẽ aliquid deesse pateretur. Sequitur igitur de cibo dicens: Similã, mel, & oleum comedisti: uel per se vnumquodque (vt plerique existimãt) vel cõmixtione trium dulciorem innuit panẽ, qui de cœlo descendit, vt alij opinantur, & Hieronymo placet: Vbi sub tribus nominibus sacramentum indicat trinitatis: Nõ ꝙ alia, & alia substantia sit, sed diuersis rebus diuersas personarum figurent proprietates. Similia enim quæ tritici medulla est plerisq; locis in sacrificiis iussa offerri Christum significat, & illius tritici medullam, de qua in psalmo dicitur: Cibauit eos ex

Hieron. Cantic. Paulus. Hieron. Cantic. Hieron. Hie. sep. Psalmo.

adipe frumēti: Quod scilicet mortuum in terra multum fructum attulit. Mel autem, quo omnia dulcescunt, Spiritus sanctus est: qui omnes ærumnas & dolores, quibus ij vexantur, qui sancto flamine lætantur, mirum in modū lenit: de quo sequitur psalmographus: Et de petra, melle saturauit eos. Hoc enim mel à petra Christo procedit, qui ait: Ille de meo accipiet, & annunciabit vobis. Oleū verò omnia membra debilia roborans, & communiens, atq; lumini nutrimentū præbens, quo etiā in tabernaculo Dei iuge lucernæ lumen accenditur, Patri luminum dicitur cōuenire. Harū itaq; influentia personarum, in vna tamen vnitarum essentia verè decoratur, & pascitur omnis creatura rationalis: Quæ sine illarum influxu egestate, & inedia inops est, debilis, deformis, & famelica. Ideo tāta diligētia Deus in oblationibus illa tria exquirebat, similā scilicet, mel: & oleū, vt has sacramentarias oblationes accipiēs redderet diuina quædam apophoreta non modico etiam auctario cumulata, sicuti Christus aquam petebat à Samarite illa, vt redderet de propria præstāte uitā æternā: Quo cibo, & influxu cibata, & pulchrefacta anima, sequitur: Decora facta es nimis, & profecisti in regno: Et egressum est nomen tuum in gētes propter speciem tuā. Sic enim in quoscunq; præualebat Israëliticus populus dum stabat in decore suo, imo in decore à Deo præstito: vndè sequitur, quia perfecta eras in decore meo, quē posui sup te, dicit Dominus. Et quia de synagoga primo vaticinatur propheta, in qua multi præuaricati sunt: ideo subnectit querelas, quas facit ipse Deus de fornicationibus, stupris, adulteriis, & de idolatriis ab ingrato illo populo perpetratis: Vndè & eius flagitium grauius censet q̄ Gomorræ, & Sodomæ scelus. Si autem verū ornatū eius sponsæ, quæ est indissolubili vinculo sponso colligata, p illū figuratiuū intelligere voluerimus: tunc omnes casus, & scelera & abominationes procul ammoueātur, cū in ea ciuitate, & perpetuò desponsatis sponso cœlesti hæc minimè reperiātur, dicente nostro Ioanne: Nihil coinquinatū, aut immundum intrabit in eā, in thalamos illos videlicet pudicißimos: sed foris stabunt impudici omnes, venefici, homicidæ, mēdaces, & quoquo modo polluti fuerint. Habes itaq; ornatū fabricæ superius declaratum ex auro, iaspide, & diuersis lapidibus pretiosis: Habes & hic mystica ornamēta uiuæ ciuitatis, ex uiuis lapidibus fabricatæ, seu ornamenta hospitum ciuitatis illius: Nec modo vlteriorem ornatum nostris uerbis exprimere possumus.

[Margin: Dauid. CHRISTVS. Ioannes.]

Cur Ioannes non exprimat ornatum, sicut Ezechiel. Con. II.



Terque autem propheta Ezechiel & Ioannes comparat ornatum illius ciuitatis ornatui spōsæ paratæ viro suo, cū accuratior apparatus illo non reperiatur: tū etiā quia unio illius ciuitatis, aut hospitum cū principe, celebritas quædam, & connexio nuptiarū dicitur, vt expreßè inquit Ioānes: Gaudeamus & exultemus, quia uenerūt nuptiæ agni, & uxor eius præparauit se. Hunc autem ornatū prosequitur Eze-

[Margin: Ezechie. Idem.]

chiel, Ioannes autem subticuit: & hoc quia ille de figuratiua sponsa loquẽs, ab ornatu hoc similitudinario mutuari poterat, undè cultum illum figuratiuum describeret. Sed Ioãnes, cum de uera sponsa iã ab umbris, figuris, & ænigmatibus omnibus absoluta pertractet, multoties uerba, & imagines non suppetebant, quibus uerum illum apparatum, & gloriã describeret: quæ omnem oculum, & humanũ ingenium exuperat. Ideo iam mihi videor deuenisse ad bonitatem silentij, quod (ut inquit Dionysius) est in abditis, & in penetralibus diuinis: Vbi omnium gloria, & decor est præcipuè in contẽplatione Dei: qui est omnia adeo eminenter, ut nihil ipsi poßit comparari. Hinc qui ipsam gloriam adepti sunt, silere satius existimarunt, q̃ diminutè loqui: & per inepta tantæ rei exempla, & uerba deficere, aut ea exprimere uelle, quæ non licet homini loqui. Reliquit tamen Ioannes contemplantibus uiam, per quam multa uenari possunt, dũ unico uerbo ait: Sicut sponsam ornatam uiro suo: Quo ornatu nullus diligentior, nullus celebrior: nec illa coniunctione maritali ulla magis intrinseca. Quæ maximam principis ciuitatis illius charitatem in nos arguunt: cum non in seruos, & ancillas, sed in sponsas ipsi amantißimas nos exquirat cœlestium nuptiarum nexibus deuinciendos, de quibus statim Deo duce differemus.

Ezechie. Diony.

MODVLVS SEXTVS, LVX.

Quid sit lux in genere. Con. I.




Post ciuitatis ornatum concinnè admodum de luce pertractatur: qua uideri poßint ornamẽta ipsa, & aspicientes delectari in eo, à quo omnia bona suscipiunt. Sicut enim (ut docent Phœnices in sua theologia Iamblico referente) bona omnia corporea à luce solis absque ullo medio, aut à planetis & stellis, quibus ipsa lux Phœbea cõmunicatur, suscipimus: sic in cœlesti ciuitate quicquid boni habent ciues illi, suscipiunt à Patre luminum, & ab illo sole, qui ait: Ego sum lux mundi: Aut à superioribus mentibus, qui fortiores illuminationes à suprema luce comparantes, inferiores postea illuminant: ut Dionysius arcanorum illorum cõscius tradit de qua tamẽ luce cum aliquid dicere statuerim, primo intuitu perhorresco: quia obscurißimum omnium quid mihi sese offert, quod quidẽ quo magis splẽdet, eo etiam obscuriori caligine contrahitur: & densiori inuoluitur nebula: ut oculi non bene expurgati offendantur potius q̃ illustrentur. Hinc Salomoni, prophetis, & ipsi Mosi in caligine loquebatur illa suprema lux, quousque eorum oculi ab inferioribus tenebris excußi ipsum lumẽ sufferre possent. Vndè Moses à corporeis impedimẽtis aliquando expeditus, caliginem transcendens uidebat supremã lucẽ, & ipsum bonum facie ad faciem: undè facies eius adeo splendebat, ut non possent intendere filij Israel in faciem ipsius (inquit Paulus) ob splendorem uultus eius: Descendens enim de monte habebat ex cũ

Iambli. CHRISTVS. Dionysi.

sortio diuino faciem splendentem: quamuis traductio nostra habeat cornutam: Qui error ex similitudine uocabuli ortus est. Hebræi enim splendentem dicũt קרן *karã: & cornu* קרן *qeren eisdem quidem literis, sed uariatis punctis. Redeamus autem ad rem nostram. Multi sunt, qui nequeunt sufferre illam lucem, sicuti & ille vulgaris populus: vndè necesse est, vt interponatur velamen: alioquin suis tenebris offensi non valentes comprehendere illam lucem, cũ de ipsa loqui præsumunt, multa proferunt deliramenta. Dicunt enim aliqui, & probare opinantur lucem non esse substantiã: eo ꝙ aliquando alicui accidit: & quia non potest esse forma specifica alicuius formæ: Quę puerilia sunt, & ligata legibus Peripateticis: habemus enim á Ioanne nostro: quod vita erat lux hominum. Sed cũ vita dicatur lux, infertur ꝙ etiam ipsa lux sit substãtia, sicut & vita. Habemus quoque ab Augustino, à magno Plotino, & ab ipso Aristotele in sermone secũdo de anima, ꝙ lux hæc, quæ oculis cernitur, est forma quædam corporea. Quam lucem (inquit Plato) producta materia cœli, & terræ statim adesse iußit opifex: vt ipsa omnia viuificaret, distingueret, & collustraret, ne omnia confusa, sed distincta essent. Hæc enim adeo clara est, vt omnia clarescere faciat: & adeo obscura, vt nihil difficilius deprehẽdatur. De ipsa autem loquendo non vlterius progrediemur, q̃ ab ipso lumine fuerit ostensum. Lux enim est splendidus spiritus, aut splẽdor spiritualis, siue diuinus ignis, omnia collustrãs, & omnia viuificans. Sed visibilis hæc lux est spiritalis quædã, subita, & latißima, sine detrimento effundentis emanatio, impartiens rebus inferioribus ea beneficia, quæ à suprema luce suscipit. Nec vltrà de luce omniũ clarißima, & omnium obscurißima in generali datur sermo.*

(Margin: Peripat. — Au. Plo. Aristot. Plato.)

Quæ sit lux genita. Con. II.



Ed cum de luce collustrante ciuitatem, quam describimus, sermo nobis faciendus sit, de luce genita loqui necesse est: à qua ciuitas illuminatur dicente Ioanne: Et lucerna eius erat Agnus. Ab ingenita quippe luce cum summa reuerentia se abstinet: Nos etiam instruit, ne præsumamus de ipsa loqui, quousque susceperimus genitam, à qua discamus ingenitam: Quam nemo vidit, nec nouit, nisi cui voluerit filius, & lux genita reuelare. Hæc igitur est splendor à paterna luce emanans, & à Patre luminum: si ritè Paulus docet Hebræos dicens: Qui cum sit splendor Patris. Lux itaque genita verbum est, à luce ingenita procedens: Quæ à Mercurio dicitur verbum lucens: à Paulo splendor, & gloria Patris: à Platone, sol, primusque lucis supernæ filius: Qui cum inter homines degeret, id sæpius testatus est: Ego sum lux mundi: Méque in me, & per me aspicite, nullam aliam lucem expectantes, in qua, vel me, vel mei originem lucem illam paternam aspicere poßitis: A qua cũ discesseritis, statim in tenebris palpitabitis. Lucem ideo hanc suscipite: & in ea ambulate, dũ lucem ipsam habetis: quia in solo hoc lumine uidebitis lumen. Hæc est, de qua dixit Isaias futura tanquam præteri-

(Margin: Paulus. — Pa. Me. Plato. CHRISTVS.)

ta reserans: Populus qui sedebat in tenebris uidit lucem magnam, de hac alibi furore prophetico afflatus exclamabat: Surge, illuminare Ierusalem, quia uenit lumen tuum: & gloria Domini super te orta est. Nec enim alia lux est gloria Domini, nisi hæc in mundo aliquando orta, & ab æterno à Patre genita: Quæ lux genita simul cum ingenita opificem mentem peperit (inquit Mercurius) id est Spiritum sanctum, omnium artificem produxit: ut more nostro loquamur. Hic enim calor est, qui à luce, splendoréque procedens existit & ipse lux: Nam tres illæ personæ sanctißimæ sunt tanquam tres radij, in uno splendore existentes: ut Dionysius docet: qui tamen radij non confunduntur. Quod & in tribus luminibus comprobamus, dum trinitatem in umbris ab illis luminibus prouenientibus conspicimus. Vnitas uerò inest, dum unum lumen, & unum splendorem efficiunt. Deficit tamen exemplum, eo quòd splendores illi lucernarum multiplicati maius lumen præstant, cum ex terminatione sua alterum alterius lumen augeat: sed radij illi supramundani infiniti augeri non possunt: cõmunicant tamen infinitum suum lumen inferioribus quantum ipsis lubet. In umbris quoque secernuntur, id est in effectibus ab ipsis productis, cum à Patre luminum habeamus esse: à Filio intelligere: à Spiritu calorem, & amorem. Distinguntur etiam inter se tanquam lux, splendor, & calor, qui tamen substantia ijdem sunt: Non quidem splendor, & calor qualitatiuus (ut logici dicunt) sed essentialis lux, splendor, & calor: quæ per se subsistunt, absque eo, quod sint in corpore, & à corpore emanent: cuiusmodi sunt lux, splendor, & calor ille diuinus, de quibus loquimur: undè tota uita, & omnia emanant. Quam lucem Ioannes paucis uerbis explicauit: ut moris eorum est, qui luci ipsi propinquiores sunt. Sicut enim lux quanto propinquior est splendenti, & diffundenti, tanto intensior, & minus dilatatur. Et quanto magis remota, tanto magis dilatata, & minus intensa. Pari modo ipsam edocentes, eandémque diffundentes quanto magis ei appropinquauerint, tanto intensius intelligunt, & paucioribus uerbis explicant. Longinquiores autem à luce, & doctrina, cum non bene sciant exprimere, quod non bene percipiunt, uerba multiplicant, & audientes atque legentes implicant. Ioannes igitur illuminanti illi propinquißimus, & supra pectus eius recumbens lucem suscepit intensam, & minus dilatatam, undè & paucis ab ipsa se expedit. Nos autem multo magis distantes ab ea luce, & cum sedentibus in inferioribus subselliis agentes, necesse est, ut sicut per plures radios eam recepimus, pluribus etiam uerbis inferioribus nostris eandẽ explicemus: ea tamen prosequentes, quæ à Ioanne admisso ad lucis interna cubicula didicimus paucis sed suauißimis concentibus tradita, tam de ipsa luce, quàm de his quæ ex ea emanarunt, & continuò emanant.

Mercur.
Dionys.
Logici.
Ioannes.
Idem.

Quomodo à luce omnia creata proueniant. Con. III.


Vx itaque illa primo genita unica est, unico quoque, & simplicißimo in seipsa uibrans radio unicam diuino oculo offert ideam Sed pro suscipiẽtium multiplicitate, multigena efficitur: Et quãto magis descendit, tanto plures radios habere uidetur. Quæ omnia complectens Ioannes unico uerbo dicit: Omne quod factum est, in ipso uita erat, uita utique creatrix inquit Augustinus. Et statim subiungit: ꝙ hæc uita erat lux, à qua omnia facta sunt: quam alio uocabulo uerbum appellat. Sunt etiam qui existimant illud à Mose præscriptum, fiat lux, ad angelos referri, tanquam prima lumina à Deo emanantia: per quæ tanquam per uitra (ut Iamblicus ex officina Pythagorica depromit) in cætera inferiora suprema illa lux lumen suum transmittat: Sintque ueluti diaphana, & prima media superiores angeli suscipientes lucem ipsam, qua omnes inferiores suis gradibus illuminantur, ut Dionysio placet. Infimorum autem unumquodque per medium, aut media sibi conuenientia, quibus etiam respondent, ut suprà tetigimus. Hominum autem unusquisque suscipit eam lucis sortem, cuius naturæ est medium cui obiicitur: uel cum quo connectitur. Si enim per Seraphicas intelligentias anima ab illa luce suprema emanat, seraphica efficitur: & ad seraphicas mansiones (naturæ auspiciis, sed in primis fauente Deo & attrahente) deuenire contendit. Si uerò per cherubicas mentes splendorem scientiæ suscipit anima familiaris illius lucis effecta ad cherubica subsellia deuenire satagit: cuius naturam per transuerberantem lucem iam induit: & sic de aliis quibuscunque ordinibus dicatur. Sicut enim lux uitra diuersorum colorum pertransiens discolores etiam radios diffundit, rubeos scilicet per rubeum, uirides per uiridem, albos per album, & sic de cæteris dicendum. Pari modo intellectus, seu anima eam naturam induit, per cuius diaphanum transit. Nec spiritualis lucis diaphanum aër est, sed spiritus, & intelligentia: quæ poßit illam lucem suscipere, & transmittere. Et de his forsitan loquitur magister summus, dum ait: angeli eorum semper uident faciem Patris. Et qui sunt angeli eorum, nisi deputati ad eorum custodiam? Et quomodo aptè deputantur, nisi symbolum aliquod habeant cum his, quibus destinantur? Sed cum superius omnia inferiora æquauerimus cum cœlis, & cœlos cum angelis, angelos uerò cum luce illa suprema: facilè intelligere possumus, quomodo ipsa omnia ab eadem luce emanent.

Ioannes. Augusti. Moses. Iamblic. Dyoni. CHRISTVS.

Qualiter lux illustret. Con. IIII.

L Vx illa in diuina mente omnem intelligẽtiam superat: adeò ut ibi contineantur ea, quæ latent etiam summum seraphinum, ut inquit Dionysius. In angelicis autem mentibus diffusa, & secundum intelligentiæ suscipiẽtis naturam suscepta in uarios diuiditur

Diony.

gradus, omnes nihilominus supra terminos rationis. In mentes autem hominum demissa rationalis est: & hæc multiplex, aut pro dispositione corporis (ut uolunt peripatetici) aut pro libito eam largientis, qui diuidit singulis prout uult: ut forsitan, & melius dicere uolunt ueri theologi. Hinc Salomon ait: A principio sortitus sum animam bonam. Descendit deinceps lux ista ad phantasiam, supra sensum tamen: Ad quem tandem deuenit, maximè ad sensum oculorum, qui luminaria sunt huius parui mundi: Et hoc fit eadem per lucē istam uisibilem diffusa, quam Orpheus, Plotinus, & Proculus existimarunt esse uisum quēdam numinum, per radios cœlestium oculorum, spiritúmque omnia uidentem: & qui ab omnibus uideatur. Deuenit ulterius ad perspicua corpora, ut flores, & pulchritudines colorum, & corporum conspiciantur: Color enim (ut opinabantur) lux est opaca. Quæ omnia Plotinus, non in corpore, sed in splendore quodam collocauit emanente à summo illo pulchro, à quo omnia pulchra: quod quidem penes Patrē luminū sitū est. Penetrat ulterius hæc lux opaca quæq; usque ad centrum: sed penes superficiem non adhuc artata irradians uirtute sua, ut metalla generentur, efficit. In centro autem (ut Pythagoræ & Platonicis placet) fortissimi fiunt radij in angustum collecti: adeò ut terra ibi sicca, & humoris expers facilè accendatur, & extenuetur: ita ut per meatus eructet æstus, & incendia aliquando: Sitque ibi lux accensa in caliginosum ignem absq; splendore, sicut in cœlo, ubi dilatatur, est lumen clarissimū expers incendij. Nec mirū, si lux ista nobilissima multigena sit: cum & anima ipsius lucis radius (sicut quidam Platonici docent) uel effectus lucis (ut Trismegistus ait) in corde uiuificet, in cerebro intelligat, in oculis uideat, in auribus audiat, in lingua loquatur, in pedibus ambulet, in stomacho uegetet, & usque ad infimas operationes descendat. Lux itaque optima nota in Patre luminum est uera lux: In Filio, ipsius bonitatis exuberantia, & splendor illustrās: In Spiritu sancto, ardēs fulgor: In angelis, splēdēs intelligētia, profusumq; gaudiū: In hominibus, perlucidus rationis discursus, & rerū diuinarū cognitio: In cœlestibus splendor uisibilis, copia uitæ, & efficax propagatio: In igne, uitalis quidā uigor à cœlestibus insitus: In perspicuis corporibus color, & pulchritudo retinens: In opacis autē, uirtus quædā benefica, & generans: In cētro uerò, calor quidā crucians, & exæstuās: adeò ut omnia lucis beneficiū pro eorū capacitate persentiāt. Et quāuis homines (ut Mercur. docet) ex uita, & luce in animā, mētēq; procedāt, animā à uita, & mentē à luce suscipiētes, tamē in tenebris sua spōte obuoluti mentē perdūt: & animam aliquando: & detrusi in tartareis carceribus, & exæstuante centro incendium crucians experiuntur, lucem autē beneficā nequaquā: ideo dicūtur missi ad tenebras exteriores facti & ipsi intus, atq; foris in miserrimas tenebras. Cætera uerò animantia lucem hanc, quæ corporeis percipitur oculis, suscipiūt tantūmodo: meliorē uerò nequaquā. Homines etiā plæriq; in hac peregrinatione existētes, lunare lumē, id est rationis discursum admittūt cōniuctes ad lumē

Peripate. Theolo. Salomon Orph. Ploti. procul. Ploitnus. Pyt. Pla. Mercur. Idem.

Ioannes. *ueri solis, de quibus Ioannes: Venit lux in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem: quia eorũ erãt mala opera, & obtenebrata. Nec expurgare studuerunt oculum: ut non modo Christus, sed Plotinus docet in suo de pulchro: Pythagoras quoque, Lysides Pythagoreus, Democritus, Hierocles stoicus, & communiter academici asserunt lipposum oculum non posse lucem illam aspicere. Nec etiam (ut Hospes Heliates in sophista ait) uulgares oculi, radios diuinitatis sufferre queunt. Extant & inter homines, quamuis pauci, qui uocem præconiam principis lucis audire satagant, qua dicitur: Dum lucem habetis, credite in lucem: Ambulate dum lucem habetis: Ego sum lux mundi: me ipsum uidelicet manifestans uolentibus me suscipere. Se ipsum enim lumen diuinum exhibet contuendum, sine quo diuina uidere non possumus: quia (ut inquit Dionysius) tantum fas est ad cœlestia conscendere, quantum seipsum diuinorum eloquiorum radius insinuare dignabitur. Ipse autem non solum sese insinuat, sed etiam inuitat, nobis commiscrescens, qui paruam lucis portionem à principio accepimus: & hanc obtectã crassissima caligine corporis huius: ut nec supremam lucem, nec ipsam modicam portionem præstitam apprehendere aliquatenus possimus, nisi ab eadem noster collustretur oculus, & assiduis studiis expurgemur. Quod facientes, iugiter fauente eadem luce, filij lucis efficimur simul cum angelis lucis: qui (ut bene sentit Augustinus) ad ipsam ueram lucem, tanquam ad uitæ fontem accedentes, eandem continuè consulunt. In hominibus itaque & angelis illam lucem sequentibus, lucis character imprimitur, de quo inquit propheta: Signatum, aut eleuatum est super nos lumen uultus tui Domine: Qui filij lucis, filij quoque Dei efficiuntur, dicente Ioanne: Quotquot autem receperũt (id est eãdẽ lucẽ de qua suprà dixerat) dedit eis potestatẽ filios Dei fieri. Sed eis: qui noluerunt illam lucem admittere, inquit Iob: Ipsi fuerunt rebelles luminis, & tenebræ effecti: quorum caput in rebellione illa, princeps tenebrarum dictus, & factus est: ad cuius stipendium accedunt omnes obtenebrati, qui lucem illam omnem hominem illuminantem suscipere negligũt: quia qui malè agit, odit lucem nostri Ioannis testimonio. Nec tamen penitus sunt ab illa luce semoti: quia adhuc beneficium lucis suscipiunt, quo uiuunt. Duo enim præcipua emolumenta habemus à luce. Alterum est uita, qua uiuimus. Alterum lux, uel lumen, quo possit ipsa uideri, Qui igitur in tenebris sunt, uiuunt, & non cognoscunt: in tenebris enim remanet lux, ut diuini Platonici, nescio quid diuinum asseuerantes dicunt. Sicut frigus se habet ad calorẽ, & albedo ad nigredinẽ, sic tenebræ ad lumen: Sed in nigredine est exiguum album, in frigore paruus calor, sic etiam in tenebris est modicum lumen, quo uiuant, & non quo intelligãt: Sed tenebris omissis, reuertamur ad lucem.*

Marginalia: Ioannes. — CHRISTVS. — Pythag. — Stoici — Acade. — Heliates. — CHRISTVS. — Diony. — August. — Dauid — Ioannes. — Iob. — Ioannes. — Plato.

Quomodo ipsa lux accendat, & excitet. Con. V.



HÆC autem lux non tantum illustrat, sed accendit: & per splendorem segregans, rarefaciens, atque excalefaciens (ut Auicena ait) separat purum ab impuro, bonum à malo, pulchrum à deformi: hoc destruens, & consumens: illud autem perficiens. Sed differentia est inter lucem & calorem: Nam lux in collustrante remanet, illuminans tamen, & penetrans collustratũ: Calor uerò in calefactum transiens permiscetur. Hinc Spiritus sanctus, cuius est calefacere, magis dicitur habitare in nobis, & permisceri nobiscum quàm Filius, qui est propriè lux. Hic enim Apostolos docuit, & illustrauit, & in cœlos ascendit: Ille autem missus, & destinatus ab hac luce descendit subintrans, inflammans, & permanens, ut unus idem spiritus cum his, quos inflammat, efficiatur: aut ipsi idem cum eo. Et si ad cœlos ascendit, non tamen nos deserit: sed nobiscum est usque ad consummationem sæculi uiuificans, & illustrans. Nec inde dicitur diffusus in nobis, sicut Spiritus sanctus, de quo inquit Apostolus: Charitas Dei diffusa est in cordibus uestris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Quod & in sole satis perspicaci Dei simulacbro comprobare possumus: cuius lux nos illustrat, sed in nobis non diffunditur, sicut calor. Nam recedente sole, aut ammoto homine ab eo, uel clausa fenestra, lux ultra splendorem non præstat: sed calor diffusus remanet per spatium: Sic & charitas remanet in cordibus nostris, licet actu lux illa non illuminet. Excitat ergo lux illa, quæ in solitaria natura est à nobis penitus segregata, per filiũ uerò tanquam per radios, & spiritum sanctum tanquam per calorem immissa: quæ patres illos antiquos excitauit per splendorem illum ænigmaticum: qui tamen Filius, & sapientia Dei erat sub ænigmatibus, & figuris obuolutus: Posteà in carne apparens excitauit nos clara luce, iuxta illud Apostoli: Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, nouissimè autem loquutus est nobis in Filio: quem constituit hæredem uniuersorum, quo ad humanitatem: per quem fecit & secula, quantum ad diuinitatem. Sequitur Paulus: Qui cum sit splendor Patris. Ecce igitur, quòd hæc lux splendor, est Filius Dei: qui uariis ænigmatibus docuit, & excitauit antiquos patres: & tandem clariori luce in carne se demonstrauit. In patria autem omnibus erit lux patentissima, & continua sine aliqua intercapedine, aut obumbratione, uel occultatione sub tenebrosis palliis. Et ideo inquit Ioan. Et nox nõ erat illic, quia lucerna eius erat Agnus. Vndè aliquando excitationem, quæ fit in hac peregrinatione, efflagitabat propheta dicens: Excita gloria mea, excita psalterium, & cithara: pro quo nos habemus: Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara, עור Hur. enim excitare significat, non exurgere. Pręcatur itaque lucem illam genitam, quæ filij psalterium antiqui testamenti, & cithara euangelica, & omnium gloriæ, ut ipsum excitet: cùm non aliunde excitemur: nec aliunde lucem habeamus excitantem.

Auicena. Paulus. Idem. Idem. Idem. Dauid

Quomodo ista lux amplificet, & dilatet. Con. VI.



Ira quippe ista lux est, quæ primo obtenebratam sese offerebat, sed statim cum meos cœperit illustrare oculos, ad tam ampla cubicula me conducit, & adeò oculum mentis meæ transuerberando allectat, ut nequeam ab ea discedere: etiam ꝙ non possim uel minimam eius portionem plenè concipere. In eam nãque magnitudinem cor meum dilatat, ut recedere non ualeam: sed cogar laxis habenis currere in uiam radiorum eius, cum dilatauerit cor, & mentem meã. Nec mirũ quidem, si amplificet lux illa, & dilatet, cum color albus, qui est quædam opaca lux (ut suprà tetigimus) disgreget, & dilatet: & quanto purior est lux hæc corporea, tanto magis radios uisuales protendit in amplum, longum atque latum. Illa autem lux semper purissima est: adeò ut quanto magis oculus noster interior eam suscipiat, tanto magis purificetur. Inde sapientes qui fide, & doctrina expurgarunt oculum interiorem, magis uident quàm plebei: Et simplices expurgati, magis quàm inuoluti doctrinis, & astutiis hominum, dicente ipsa

CHRISTVS. uera luce: Confiteor tibi Domine Pater cœli, & terræ, quia abscõdisti hæc à sapientibus, & prudentibus: & reuelasti ea paruulis: Et magis adbuc uiderunt prophetæ habentes oculum mentis puriorem, quàm sapientes huius mundi. In puro enim splendore lucis conspiciunt uerè purificati, dicente eadem summa luce:

Idem Beati mũdo corde, quoniam ipsi Deũ uidebũt. Cuius lucis uisionẽ sequitur gaudiũ, ut eadẽ lux inquit: Hæc loquutus sum uobis, uos, scilicet illustrãdo, ut gaudium meum in uobis sit: & gaudium uestrum impleatur. Nec gaudium hoc sen-

Thobias tire potest, qui illa luce priuatus sit, ut dicebat bonus ille senex Thobias. Quale mihi gaudium esse potest, cum lumen cœli non uideam? Hac itaque luce dilatatum fuit cor, & intellectus Salomonis, ut res naturales aspiceret: & disputa-

Moses. ret à cedro Libani usq; ad hyssopum, qui exit de pariete. Hac dilatatus Moses

Paulus. dedit legem diuinissimæ sapientiæ: Hac dilatatus Paulus uidit arcana Dei, quæ non licet homini loqui. Hac prophetæ omnes uiderũt nedum occulta, sed ea quæ longè retroactis temporibus facta sunt; & quæ post multo tempore facienda

Benedi. Francis. erant. Hac benedictus, Franciscus, & multi: quorum oculi collustrati erant, uidebant absentia, & remota ab intuitu corporeo. In hac tandem perfecta amplitudine dilatati beari speramus: ubi omnia quæ uoluerimus, claro & aperto intuitu conspiciemus.

Quomodo hæc lux lætificet, & beatificet. Con. VII.



Ostremò hæc lux sanctissima ea quæ iã uiuificauerat, collustrauerat, excitauerat, & dilatauerat, lætificat; & beat. Rident enim quæ lucent, & quæ illustrantur, sicut mœrent quæ in tenebris iacent. Et cũ nulla sit nox in regno illo beatissimo, ideo ibi nullus mœ-

Ioannes. ror, aut horror: undè id diuinus noster Ioãnes attestãs ait: Et nox nõ erat illic; quia lucerna eius erat Agnus. Et quanto magis cœlestis, & diuina illa lux ex-

cellentior est quàm nostra; tanto magis gaudium menti illam conspicienti affert. Gaudet quippe oculi nostri luce ista solari: Gaudet anima nostra, & spiritus ipse, tanquam in familiarissimo sibi lumine, à quo spiritus & uita luci simillima emanat. Pater enim omnium (inquit Mercurius) intellectus, uita, & fulgor existens, hominem sibi similem procreauit, lucis uidelicet & uitæ participem. Ideo redeunte homine ad sibi cognatam lucem, gaudet multo magis quàm ille, qui diu peregrinatus ad propriam & optatam patriam reuertitur. Et adeò spiritus, & mens nostra luci amicatur, & luce perfusa ipsa delectatur: ut quando gaudet, eam uideatur emittere: ut sicut spiritus intus lætatur, ita foris rideat uultus, & quadam exhilaratione resplendeat. Splendent & oculi, qui maximè luci amicantur, in eòque risu motum instar cœli efficiunt circularem, & dilatantur. In lugentibus autem econtra constringuntur, & obtenebrantur: & quasi centro tenebrarũ inhærentes firmantur: gaudemus enim hac luce, quasi cœli risu perfuso. Si uerò in angelis ea lux uideretur (ut aliquibus contigit) multo magis lætaremur. In illa autẽ suprema luce adeò gaudent beati, ut exuperans gaudiũ in corpus ipsum, illud in cœlestem naturam cõuertat: & gloriosum, lucidum, clarũque efficiat. Nam oculi beatorũ omnium, tam corporis, quàm mentis, iam in lucis naturã conuersi, penitus, atq; lucentes solo intuitu intelligentiæ radios in socios imprimũt iactu illo in utrisque coruscantes: & hoc fulgente illa suprema luce tam abũdè, quàm fœliciter in cunctis, sicuti Sol iste in stellis: & multomagis, nã beatorum stellæ in illius solis naturam transibunt dicente Saluatore: Fulgebunt iusti sicut Sol in conspectu Patris eorum. Vnde melior ibi, & cõcinnior nascitur harmonia, & gaudiũ, quàm oriatur in cœlis ex consonanti eorũ distantia, & ordinatissimis motibus, corridẽtibus ex debita radiorum concursione stellis: Suauiorẽ enim melodiam concurrentes radij illi beatorũ in suprema luce unitorũ efficiunt. Rident insuper ciues illi, & gaudent luce ipsa, omnia quãuis diuersissima collustrante: quia iam filij lucis effecti, mente, & corpore in lucem eandẽ cõuersi sunt. Pulchrescunt quoq; omnia luce illa: quæ adeò pulchra est, ut omni deformitate fugata delectationem mirificam ipsam aspicientibus & suscipientibus afferat. Beati igitur, nunc in luce illa uespertinæ in plura dispersa, nunc in matutina collecta in uerbo, omnes formas suauissima concordia ibi collectas aspiciunt: Nunc ad illud unum in meridionali luce refulgens sese conuertentes, illinc quoque hauriunt, undè lætentur, percipientes maximè in ipsa luce, undè omnia pulchrescant, & harmonica sint: & indè sit colorum, saporum, odorum, animorum, & omniũ rerum cõuenientia & harmonia. Cõuersi itaq; oculi in meridianã illã lucem adeò absorbentur, ut qui priùs cœlestes erãt, tunc diuini efficiantur, diuinæ uoluptatis nectare epoto. Ideo nihil superest quod appetere possint: quia ad illa penetralia admissi penitus inebriantur ab ubertate illius luci, quæ quicquid in regno illo est, cõfestim replet: Et hoc est quod Petrus inquit. Vocauit nos in admirabile lumẽ suũ: quod prius diffusum est in filiũ, qui est splẽ-

Mercur.

CHRISTVS.

Petrus.

dor Patris: postea in Christum hominem totius ciuitatis principem: deinde in Deiformẽ reginam, quo super cæteros splendidius rutilat. Trãsit deinde ad angelicos choros debito ordine collocatos, usque ad infimam illius supernæ ciuitatis mansionem: ut in ea omnes uidentes Patrem luminum, ipsum semper laudẽt & glorificent.

MODVLVS TERTIVS, PARTITIO.

Quod partita sit domus, & familia illa cœlestis. Concentus primus.



Ioan. Ezechi. Rbem, & ciuitatem cœlestem esse in plures partes diuisam plenissimè edocemur à Ioanne, & Ezechiele: qui nunc fundamenta, nũc portas, nunc plateas, nunc suburbia, nunc templum, nunc gazophylatia describunt: in quæ fabrica illa partita est. Sic & hospites in plures gradus diuisos apertè testatur Paulus dicens: In ecclesia, quæ est hæc ciuitas sancta, quã describimus, primo quidem dedit fieri Apostolos, deinde prophetas, alios autem Euangelistas, alios pastores, & doctores ad cõsummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationẽ corporis Christi. Quibus gradibus correspondent, & præmiorum distinctæ portiones, mansiones, atque sedilia, dicente Christo: In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Quæ cum nos lateant & quibus paratæ sint à Patre æterno Christus subticuerit, imò & fassus sit non esse suum illa distribuere, sed dari eis quibus paratum est ab ipso Patre, reuerebimur & nos silentio, nisi quatenus dignatus est ipse Filius reuelare prophetis, & familiaribus suis: Quos de huiusmodi tractantes sequemur: in primis considerantes, quòd si in hac mundana domo multigena est partitio in diuersa hospitum sedilia peregrinantiumq; conturbernia non secus existimandũ de beato ac Cœlesti regno, à quo, nulli dubium, hæc inferiora emanant. Ibi ergo sunt mãsiones æternæ pro omnibus non sibi per tempora succedentibus, sed iã in ciues cœlestes & domesticos Dei ascitis una cõmorantibus. Quorum aliqui assessores, & iudices. Aliquorum uerò animæ sponsæ, & reginæ: sed quorundam concubinæ: & adolescentulæ sublimiori mysterio, quàm sensibilia uerba resonẽt. Cæteri autem sunt distributi in tot gradus, ut nullo pacto audeã rei seriẽ prosequi: Pauca tamen ab his hincinde excerpta, qui sunt diuinis oraculis edocti, subnectemus.

(Margin: Paulus. — CHRISTVS.)

De particularibus mansionibus, & sedilibus beatorum. Con. II.



Rima igitur sedes summi Imperatoris est, quæ aliquando totius cœli nomine describitur iuxta illud Isaiæ: Cœlum mihi sedes est. Aliquando est particularis thronus, in quo etiam Christus sedet, ut Paulus, Stephanus, & Ioannes plærisque in locis testatur. Hic enim in principio sacratissimæ uisionis ipsum inducit alloquẽtem in hæc uerba: Qui uicerit, faciam eum sedere in throno meo, sicut ego uici, & sedeo in

(Margin: Isaias. — Paulus. Stepha. Ioannes.)

throno Patris mei. De quo Isaias quoque ait: Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum: & plena erat omnis terra gloria eius. Cui throno astant septem spiritus, ut inquit Ioannes: Et septem spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt. Sed primo dicamus de regina: & imperatrice omnium: quæ amicta sole, & stellis duodenis coronata, lunam instar soli pedibus calcãs, & ipsa à dextris eius assidet: ut propheta spiritu sancto ad illa penetralia olim admissus, regémque in throno sedentem alloquendo hisce uerbis exclamat: Astitit regina à dextris tuis in uestitu deaurato, circundata uarietate. Quæ habet lunam, id est synagogam, aut omnium electorum cœtum sub pedibus suis: quia super omnes creaturas exaltata est. Et est amicta sole, id est Christo, super omnes qui ipsum secundum Apostolicum documentum induunt. Postea sunt Apostolorũ sedilia duodecim, qui digniorem locũ præ cæteris sortientur, & sedem in thronis iudicij, dicente principe: Sedebitis super sedes duodecim iudicãtes duodecim tribus Israël. Et cũ istis respondeant duodecim patres figuratiuæ familiæ, 24. efficiuntur: quia (ut inquit Ioannes) Et in circuitu sedis Agni, uidelicet, erant sedilia, 24. Et supra thronos, uiginti quatuor seniores sedentes circũamicti uestimentis albis, & in capitibus eorum uidi coronas aureas. Qui omnes mutuis uocibus laudabant uiuentem in sæcula sæculorum, atque dicebant: Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & uirtutem: quia tu creasti omnia. Subsequuntur subsellia prophetarum: qui (ut docet Apostolus) locum tenent sublimiorem, post tamen Apostolos, & fundatores primos, & patres præcipuos utriusque familiæ uiginti quatuor toties celebratores. Cum primis uerò quatuor maiores Isaias, Ieremias, Ezechiel, & Daniel, & duodecim minores, & multi, de quibus fit mẽtio in quatuor uoluminibus regũ. Qui ideo dicũtur ab Hebræis libri prophetarum priorum, quia omnes consperfi sunt factis aliquorũ prophetarum, incipiendo à Samuele, post quem Natam, Haia, Elias, Eliseus, Et alij quamplurimi floruere: Inter quos multi absque dubio, quorum nomina & facta scripta non habentur: & quamplurimi, qui dicebantur filij prophetarum. Succedunt deinde Euãgelistæ, quos à secretis delegit eo ordine, quo Paulus nos instruit. Qui figurabantur (ut Gregorio, & plærisque aliis placet) per quatuor animalia plena oculis, senis etiam alis seraphicis communita. Pleni nanque fuerunt oculis diuina luce collustratis, ut describerent euangelia miro modo cum lege consonantia: adeò ut nullus apex, aut iota sit in lege, quod non mirando artificio contineatur in euangelio. Sed de his non est dicendum per singula. Habent quoque senas alas seraphicas: quia semper ignito amore ferebantur in enarranda. Et alas extendebant in sex partes fabricæ illius, ante scilicet & retro, dextrorsum, & sinistrorsum, sursum, & deorsum. De quo inquit Apostolus: Vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis (potissimè cum Euangelistis, qui plenè scripserunt ea, quæ ad sanctitatem, & uitam perfectam pertinent) quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas atque profundum. Longitudo enim est antè & retro

Isaias. Ioannes. Dauid CHRISTVS. Ioannes. Paulus. Grego. Paulus.

latitudo in dextrum & sinistrum extenditur: quæ sunt quatuor extensiones: Postea sublimitas, & profundum, quæ senarium complent. Et hæc extensio est secundum sensum moralem. In sensu uerò naturali, seraphini extendunt alas ad omnes prædictas partes: quia calefactoria eorum uirtus ubique exquiritur in longum, latum, & profundum, sicut & solaris. Nec aliorum sedes commemorantur à Ioanne, quamuis multæ sint in domo æterni Patris, & à Dionysio edoceamur de multis angelorum ordinibus, de quibus suprà explicauimus.

De mercaua, siue tribunali Dei, secundum Hebræos. Con. III.



Xtat quoque in theologia Hebræorum tribunal Dei, quod mercaua dicunt: ut ab Ezechiele, & à diuersis locis scripturæ habemus, sed explicatum à doctoribus, maxime in libro de formatione, qui Abrahæ inscribitur: Ad quod pertinere dicũt Ophaninos,

Abrahã.

seraphinos, angelos ministerij, & animalia sanctitatis. Quæ eo quòd in usu non sint apud Latinos nostros, nulli dubium, uidebũtur extranea ne dicam inepta, quia nihil triuiale penitus sapiunt. Nec tamen hinc desistẽdum puto, quin aliqua scitu digna perstringam, præter ea quæ suprà tetigimus. Ophaninos igitur dicunt angelos esse, qbus curæ est materiã rerũ disponere, ut forma introduci possit. Nec enim materia seipsam disponit, dum nullã uirtutem actiuam habeat: ideo oportet, quòd ab extranea ui disponatur. Seraphinos autẽ dicunt calefactorias uirtutes, à quibus uita, & forma subministratur. Angeli uerò ministerij multigeni sunt, sicut & eis credita ministeria. Sed animalia sanctitatis quatuor ab Ezechiele, & Ioãne concorditer memorantur, leo scilicet, uitulus, uel bos, aquila, & homo. Quæ autem hæc animalia sint (quamuis diuersi diuersa senserint in sensu allegorico & morali, ut Hieronymus in Ezechielem longa serie recitat) nos anagogicum sensum interpretantes antiquos patres prosequemur dicentes, ꝙ hæc quatuor sunt, tanquam reges quadrigenerum animalium. Inter armenta enim & animalia domestica bos est rex: inter feras leo: In uolucribus aquila: Et inter omnia rationalia homo: qui etiam super angelos obtinet principatum, quo etiam ad utrunque sexum. In sexu enim masculeo Christus eos excedit, dicente Paulo: Tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit. In sexu uerò fœmineo illa, quæ dicitur exaltata super omnes choros angelorum: Quibus peculiarius (ut nõnullis sapientibus placet) dictum est, antequam formaretur homo de terra, & de costa eius extraheretur Eua: Dominamini piscibus maris, & cæteris creaturis. Sed ad quid in illo tribunali leo, bos, & aquila? Dico, quòd si omnia ab eo emanant, nonne & omnia suam debent habere in illo imaginem, & ideam & scribi in libro computi summi Dei? Nam sicut in libris supputationum regalium, & bene regentium omnia annotata sunt, & homines, & urbes, & redditus, & quicquid ad regnum pertinet: sic & in libro Dei (ut inquit propheta) omnes scribentur. Et ne contendatur, ꝙ ho-

Hieron.

Paulus.

Dauid

mines tantummodo ibi scribantur, præmisit dicens: Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto: Imperfectum meum uiderunt oculi tui. ubi Hieronymus: Etiam elementa, ex quibus componitur homo, cognoscit Deus antequam formetur, & omnes partes elementares: sed & stellas numerat, omnibus eis nomina uocans: Numerat quoque harenam maris, & pluuiæ guttas, omnium horũ in se habens idolum. Multo magis animalia prophetis aliquando demonstrata cognoscit, & effigiem illorum in aula sua refertissima continet. Et ideo Ioannes Daniel & Ezechiel, qui aliquando ex eadem aula ad nos redeuntes se ibidem conspexisse equos, serpentes, dracones, pardos, leones, uitulos, & bestias uarias retulerunt. Animalia tamen illa regia peculiarius non ab re (ut mihi uideor) habentur tanquam imagines, & ideæ singulares eorum, quæ hîc sunt, sicut & singularium regnorum & principatuum apud Imperatorem habentur insignia. Et cum sint hæc animalia in regno illo, sicut etiam ipsorum sedilia, & eorum omniũ quorum in hoc mundo typum gerunt. Sed cum à prophetis alia non habeamus expressa de partitione illius ciuitatis, & de sedilibus habitantium: nec nos ultrà progredientes in huiusmodi deueniemus ad hospites, per quos melius adhuc illa partitio dignoscetur.

Hieron. Ioan. Daniel Ezechi.

MODVLVS OCTAVVS, HOSPITES.

Quot sint hospites illius ciuitatis. Concentus primus.



Ltra trinum, & unicum principem summum, atque reginam, quot sint hospites in illo hospitio, qui semper ibidem in laudem principis concinant, diffinire est impossibile, dicente Ioanne: Vidi turbã magnam, quam dinumerare nemo poterat. Et de semine Abrahæ pro maiori parte saluando dixit Deus ad ipsum Abraham: Numera stellas, si potes: Sic erit semen tuum, quod uidelicet egredietur de Izahac, qui quidem non secundum carnem (inquit Paulus) de ancilla natus est, sed de libera, secundũ spiritum per repromissionem, quæ sunt per allegoriam dicta. Hic tamen numerus (ut ait Dionysius) facultatem humanæ supputationis transcendens cognitus est illi soli, qui capillos capitis omnes dinumerat. Opinantur nihilominus nonnulli se adinuenisse numerum angelorum, & consequenter eorum qui saluantur: quos totidem esse existimãt, quot angeli. Dicunt enim in quolibet choro, qui nouem sunt, tot esse legiones, quot unitates legio ipsa complectitur quadrando numerum legionis. Legio autẽ cõtinet (ut aiunt) sex millia sexcentos & sexaginta sex; Qui numerus, si quadretur & ducatur in seipsum, reddit 44435556; & sunt quadragĩta quatuor milia miliũ: & quadringẽta & triginta quinq; milia, quingẽti & quinquagĩta sex. Sed collecti ex omnibus nouẽ choris esset, 399920004 qui sunt trecenta & nonagintanouem milia milium, nongenta uiginti milia; & quatuor: sed hæc relinquemus tanquam fundata in mera imaginatione. Alij autem existimant numerum supputasse ex uerbis Danielis, qui ait: Milia milium

Ioannes. DEVS. Paulus. Dionys.

ministrabant ei: & decies centena milia assistebant ei. Et sic erunt in cōputo iā facto duo milia miliū: quis quidā de nostris nouissimis theologis ausit asserere, quòd decies centena milia plura sunt quàm milia milium: Quod ex omnimoda imperitia numerorum, & supputationum procedit. A nemine tandem istorum possumus habere uerum computum angelorum aut beatorum. Nam primi praesupponunt, quod probare debebāt: Et hi, qui innitūtur Danieli, haberent quidē computum iam factum, si declarasset propheta; quòd non sunt plures angeli, q̄ illa duo milia miliū. Hinc prudenter, & doctè inquit Hieronymus: Non ex hoc Danielis dicto numerus ministrorum Dei diffinitus est, sed maiorem multitudinem humanus sermo explicare nequiuit. Ista enim sunt milia, & istae myriades, de quibus, ut in psalmo dicitur: Currus Dei decem milibus multiplex milia laetātium, Dominus in eis. Nobis igitur utrorumque numerus, angelorum & sanctorum relinquitur incognitus: notus autem illi cui pluuiae guttae, & harenae pulujsculi agniti sunt. Trigeneos autem esse hospites, diuinos scilicet, angelicos & humanos non ambigimus. Verum primum loquemur de inferioribus, postea dicemus quid supremi illi in inferioribus concinna suauitate operentur.

David

De hospitibus angelicis. Con. II.

B*Ipartitae dicūtur angelicae mentes, in assistētes, scilicet & ministrātes. Verum astant primò septem spiritus, quibus credita est dispensatio totius regni caelestis, & inferni: quod (ut aiunt) sub orbe lunari est. Hi enim (ut dicunt secretiores theologi) omnia regunt uicissitudine quadam horarum, dierum, & annorum: sicuti de planetis, quibus praesunt, dicitur ab astrologis. Et de his loquitur Ioannes noster, dum ait: Et septem lampades ardentes ante thronū Dei, qui sunt septem Dei spiritus, per quos, tanquam per praecipuos ministros, omnia distribuit: & superiora, quae numero ternario gaudent: & crassiora, quae numero quaternario: & quadrariis elementis componuntur: ex quibus ternario, & quaternario septenarius ille completur. Et quòd praesint septem sphaeris, & consequenter his, quae ab ipsis disponuntur, satis clarè innuit Ioannes, dum sequitur: Vidi in medio throni, & in medio seniorum, & quatuor animalium Agnum stantem habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnē terram: id est uirtute quocunque extensi, ut oculis uideant omnia, & cornibus feriant cuncta ferienda: stant enim in conspectu Dei, ut audiant, & ea pessāt omnia, quae iubet princeps: Mittuntur autem, & uadunt, aut uirtute extenduntur, ut ea, quae sibi credita sunt, mandata exequantur per se, aut per inferiores ministros caelestis militiae eorum regimini designatas: Qui (ut docet Mercurius) statim post mentem, & spiritus numen fabricati sunt. Mens (inquit) Deus utriusque sexus foecunditate plenissimus, uita, & lux cum uerbo suo mentem alteram opificem fabricauit: qui quidem Deus, ignis, atque spiritus numen est. Septem deinceps fabricauit gubernatores, qui circulis mundum sensibilem complectuntur: quorum dispositio fatum*

Theolo.

Ioannes.

Idem.

Mercur.

uocatur. Quòd autem dicit alterammentem opificem, quæ est spiritus sanctus, fabricatam: non ex cemento, & lapidibus intelligitur cōposita: sed à Patre, Verbóque producta. Est quoque ipse spiritus opifex, & artifex: ut in libro sapientiæ legimus: Omnium est enim artifex, omnem habens uirtutem. Post quem spiritum, inter spiritalia dicit fabricatos septem illos gubernatores sphærarum, & rerum dispositores tanquam fidißimos ministros. Et cum hæc inferior Dei familia simulacrum habeat supernæ militiæ, & diuini tribunalis: hinc in figuratiua descriptione utriusque ecclesiæ (triumphātis scilicet & militantis) quæ habetur in libro Hester sacramentorum pleno, septem principes describuntur ministrantes regi Assuero: Qui repudiata Vasti pristina coniuge in uxorem accepit Hester: quam sibi perpetuo fœdere cōiunxit: sicuti Christus repudiata synagoga ecclesiam sibi æterno fœdere desponsauit. In qua à principio septem elegit ecclesias à septem angelis gubernatas: quibus iussu principis scribebat Ioannes. Spiritu quoque sancto dictante, electi fuerunt (ut in actibus Apostolicis legimus) septem diacones, qui præsiderent ministrationi rerum necessariarum. Quæ omnia (docente spiritu sancto ordinata) conueniunt cum his, quæ sunt in superna curia: in qua septem illi præcipui principes astant coram Deo cum multis milibus aliorū: ut docemur ex Danielis oraculo. Nec tamen adeò astant, quin interdum aliquo mittantur: ut de Gabriele legimus misso ad Zachariam, Danielem, & Ioseph custodiendos, ut asserunt Hebræi: sed potißimè ad Mariam cum fœlicißima legatione ac mirando nuntio aduentantis uerbi. Missus quoq; fuit Raphaël ad Thobiam: & Michaël in subsidium Gabrielis, sicut in Daniele legimus. Sic & alij plærique de astātibus mißi sunt tanquam legati de latere principis: sicuti à pontifice Deum in terris referente destinantur Cardinales, qui de more ipsi Romano præsuli aßistunt. Astantes autem ipsi, necnon & ministrantes in plura officia distributi sunt. Diuiduntur enim in illos nouem ordines nec uulgo ignotos. In quibus primo sunt seraphini, qui hauriūt ab illo igne diuino, undè ardeant, & nos inflamment. Sunt Cherubini, suscipientes formas, & ideas, undè ipsorum intellectus multipliciter ornatus nostrū quoque depingat. Astant & throni aptè pro negotio compacti, ut firma sint Dei sedilia, nosque disponāt, ut templum Dei effecti, suscipiamus ipsum Deum, tanquam in hospitia sibi gratissima commigrantem. Cæteri uerò (ut nonnulli docent) mittuntur. Dominationes enim ueluti architecti, præcipiunt, quæ reliqui exequantur. Virtutes opere complent cœlos mouentes, & omnigenum præstantes influxum: quem nihilominus à primo fonte suscipiunt. Potestates arcent ea, quæ ordinem diuinæ distributionis perturbare aliquo modo uidentur. Principatus publica curant, gentes, principes, magistratus, prouincias, & regna. Archangeli uerò dominis, regibus, pontificibus, & quibuscunque regentibus præsident, atque sacris intersunt. Angeli autem singulis hominibus singuli saltem custodes aßistunt. Sunt quoque principes septuaginta duo, de quibus aliâs diximus. Sunt etiam quibus datum est no


Sapien.
Hester.
Ioannes.
Actus.
Daniel

cere terræ & mari: & quibus datum est probare, quanta sit hominum fides in Dominum Deum suum. Nec desunt, quibus incumbat ut nos sedulò curent, defendant, custodiant, ac etiam bella suscipiant, ne unquam offendamus ad lapidem pedem nostrum, nisi quantum diuina iustitia decreuerit, sic fortè flagitiis nostris exigentibus: uel ut probemur quanto animi robore tentantem Dominum sustineamus. Sunt etiam, qui minutißimis herbis, lapillis, & omnibus inferioribus uirtutem subministrent: & tandem, qui omnigenum ministerium in maximam Dei domum conducant: Quorum officia multifaria omnem captum transcendũt humanũ, & multo magis eorũ numerus. Ideo nullus illũ aßignare præsumit, nisi qui ea, quæ decernit, penitus ignorat: Quibus & respondẽt innumeri spiritus immundi tot existentes in cratere inferiori, & immũdo, quot mũdi spiritus sunt in superiori, ut asserunt aliqui se ab oraculis accepisse. Hos itaque im

Sim. Be. *mundos cognoscere desiderans maximus ille Hebræorum theologus Simeon Beniochai asserit, non inepto forsitan ioco, sibi demonstratum in fumibulo quodam*

Euangel. *insidere ducenta milia immundorum spirituum: Et in Euangelio habemus, quòd in uno tantum homine inhabitabat legio: qui expulsi à Saluatore, ac eodem non inuito in porcos se contulere eorum immunditiæ satis similes. Si igitur in fumibulo uno, & in uno homine tot milia concluduntur, quàm innumerabilis sit multitudo reliquorum hinc aliquo modo coniiciant sapientes.*

De hospitibus humanis. Con. III.



Vnt etiam in illa superexcelsa ciuitate humani hospites tam mirabili consonantia distributi, & collecti, ut quæuis ordinata regna inferiora ne umbratilem quidem ipsius referant imaginem. Ibi enim est princeps totius creaturæ rationalis, qui rex regum, Dominus dominantium, & princeps regum terræ meritò dicitur. Ibi ea, quæ filia & uxor æterni regis est, eadem & mater summi principis. Sunt & patres patrum, qui patriarchæ dicuntur: qui patres eorum fuerunt, qui sunt principes in noua Dei

Dauid. *familia, iuxta illud prophetæ: Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos principes super omnem terram: inter quos parentes & filios est mutua, & suauisima quædam consonantia. Sunt & fundamenta utriusque familiæ: prophe-*

Paulus. *tæ qui priscam: & Apostoli, qui recentiorem fundarunt, iuxta illud Apostoli, Superædificati supra fundamenta Apostolorum, & prophetarum. Et hi sunt suauißimo uinculo colligati, atque mirabili concentu sibi inuicem correspondentes: quia Apostoli non alia prædicarunt, quàm quæ prophetæ diuino oraculo edocti prædixerant: Quorum dicta obscura, & obuoluta illi explicauerunt, & in lucem deduxerunt. Intersunt quoque Euangelistæ tanquam à secretis æterni regis in archiuis reponentes principis & ipsius militum gesta: Et hi ex diuersis ordinibus sunt delecti: Matthæus enim Apostolus fuit, & Lucas ex discipulis. Sunt quoque sacerdotes, & reges utriusque testamenti, omnes utique uncti &*

christi Domini: quia diuiniores esse debent quàm cæteri. Intersunt & milites strenuißimi in maxima etiã copia, qui fideles in præstito iuramẽto sanguinem, & uitam pro principe exposuerunt. Adsunt & coniuges, qui suo matrimoniali sacramento repræsentarunt nuptias illas cœlestes, & ineffabiles Christi & ecclesiæ. Inter quos admittuntur & uiduæ, iam sui matrimonij sacramento functæ: omnésque conciunt harmonicos hymnos principi summo, clamantes (inquit Ioannes) uoce magna, & dicentes, Amen, Benedictio, & claritas, & Sapientia, & gratiarum Actio, Honor, Virtus, & Fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum Amen. Quod quidem Elogium loco propemodum exordij opposuit: Idemque perorationi adiecit: ut cõnecteret ea diuina nomina ueri dominij, quæ sub numeris literarum illius dictionis Amen continentur. Quos hymnos gratiarum persoluebant mundatis, & dealbatis stolis in sanguine Agni: Seorsum autem hi, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, uirgines existentes cantat nouũ illud canticum, quod nemo cantare poterat, nisi illa centum quadraginta quatuor milia, qui illibati sequuntur Agnum, quocũque ierit: & sine macula sunt ante thronum Dei. Habet nihilominus unaquæq; ipsorum caterua suas mansiones: quæ ideo multæ sunt in domo æterni Patris. De peculiaribus autem quorumlibet cantionibus suo loco (autore Deo) pertractabimus. Omitto turbam illam magnam: quam sicut nemo (teste Ioanne) dinumerare potest, sic nullus eorundem officia, & mansiones.

Ioannes.

Idem.

De hospitibus diuinis. Con. IIII.



Extant & diuini hospites, à quibus omnis concentus, laus, gloria, esse etiam ac uiuere, & omne bonum: & in quos omnes hymni, & laudes diriguntur. A Patre enim habent, ut sint, qui laudant: A filio mensuras norunt, & artem concinendi, & regulas, quibus moueant cor, manus, linguas, & omnia, in ueras laudes: cũ in ipso sint regulæ omnia dirigentes: A spiritu sancto uerò flatum attrahũt, quo sonoras reddant uoces. Spiritus enim in ea lingua, quæ sancta dicitur, & est propria sacri eloquij, nominantur רוח ruah, quod uentum, & flatum significat. Ipse enim dedit piscatoribus, & omnibus Christi asseclis flatum, uocem, & copiam fandi, Christo id attestante, qui ait: Nõ enim uos estis qui loquimini, sed spiritus Patris uestri, qui loquitur in uobis. Hic enim repleuit puerum citharœdum, & psalmistam fecit: perfudit pastorem ouium, & legiferum statuit: impleuit pastorem armẽtarium sycomoros uellicantem, & prophetam reddidit: impleuit piscatores, & Apostolos, atque concentores effecit: tetigit persecutorem, & doctorem gentiũ constituit: perflauit publicanum, & in Euangelistam promouit. Visitat in dies idiotas, & simplices, & in doctores illuminatißimos euadunt: Idem enim est spiritus diuidens singulis, qui operatur omnia in omnibus. Et si hos peregrinos replens concentores Dei effecit, quid faciet illis, qui iã ciues, & domestici Dei esse

CHRISTVS.

cti sunt, nunquam à loco, & gradu illo recessuri? Nec minus Filius impartitur continuè de sua plenitudine, ut habeant undè crescant: aut saltem perseuerent
Diony. in continuam laudem. Et Pater omnium exuberantissimus fons dat, ut roborentur, moueantur in Deum, & beentur, iuxta illud Dionysii: Gaudent omnes mouente Patre. Sicut igitur omnes beati, quicquid habent, ab illo trisagio suscipiunt, sic in illum tendunt omnes, & aspiciunt tanquam lineæ ad centrum, à quo emanant. Quæ conuersio in idipsum à quo processerunt perfectum diapason reddit.

MODVLVS NONVS, SPONSALITIA.

Quomodo, & quando initiatum fuerit matrimonium inter Deum & animam. Concentus primus.



Aximum quippe est nuptiarum sacramentum, adeo ut perfectâ fabrica, & introducto in eam ipsius antistite, statim celebratæ fuerint nuptiæ: & à Deo indictum matrimonium primis parentibus nostris: Extremam nanque opifex fabricæ manum imponens, homini iam effecto dare decreuit adiutorium, quod staret coram eo: pro quo textus noster habet: Fecit adiutorium simile sibi. Hinc immisso sopore in Adam, accepit unam de costis eius, & formans eam in mulierem, adduxit ad Adam, assignauitque in uxorem: ut & humanũ genus ex applicatione actiui ad passiuum, suum sentiret concinnium: & gauderet fœcunditate tanto celebriori quàm cætera animantia, quanto homo illis melior est. Hanc igitur formatam mulierem de costa uiri suscepit ipse Adam dicens: Os nunc de ossibus meis, & caro de carne mea: Propter quod homo relinquet patrem, & matrem, & adhærebit uxori. Quæ uerba recitans Paulus cum Ephesiis subinfert: Hoc sacramentum magnum est, dico in Christo, & ecclesia: Et sicut scriptura sacra enarrata fabrica, primo de matrimonio pertractat: Eadem pari modo desinet in sacramentum nuptiarum, dicente Ioãne, in fine propemodum celeberrimæ, & postremæ uisionis, dum exultantium referret personam beatorum: Gaudeamus, & exultemus, quia uenerunt nuptiæ agni. Et iterum: Beati qui ad cœnam nuptiarum agni uocati sunt. Illius etiã ciuitatis princeps, & Dominus dum in humanis ageret, regnum cœlorum, & summam totius negotij humani nuptiis comparat. Cum ibi igitur nuptiæ omnium celeberrimæ conducantur, uideamus quis sponsus, quæ sponsa, quo hymenæo, quibus cõuiuiis, quo contractu, quo auspice celebrentur. Sponsus, nulli dubium est, qui per Oseã ait: Desponsabo te mihi in fide, & scies, quia ego Dominus. Qui sponsus clarius exprimitur in Euangelio ab ipsomet, dum ait: Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Filius autem regis summi omnium sæculorum Christus est, & ipse rex: Sceptrum enim iandudum à Patre accepit. Sponsa autem est quælibet anima consentiens huic contractui: Et consequenter tota ec

Margin notes: Paulus. Ioannes. CHRISTVS. Osee. CHRISTVS.

desia, & collectio fidelium est sponsa, non quidem superuacanea & importuna huiusmodi sponso, qui nunquam in his deerit, quæ ad illas nuptias exquiruntur. De plenitudine enim eius (inquit Ioannes) omnes accepimus, omnia scilicet quæ in hoc, & in aliis negotiis opportuna sunt. Si enim pro omnibus Adæ debitũ soluit, si omnibus promeruit gratiam, & gloriam, si omnium nuditatem tegit, si omnes (ipse enim est omnium pater) regenerat, omnes etiam animas desponsare potest: & dare undè concipiant, & pariant fructum bonorum operum, ut inquit Apostolus: Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in uobis: ut abundetis in omne opus bonum, sicut scriptum est: Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in sæculum sæculi. Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit: & augebit incrementa frugum iustitiæ uestræ, ut in omnibus locupletati abundetis. Nullus igitur talem spõsum recuset, quasi non possit supplere tot spõsis: Diues est enim in omnibus his diuitiis, quæ impartitæ non decrescunt: Poténsque est ea uirtute, quæ multis communicata, nõ exinanitur: sicut nec lux, neque uirtus solis multis impertita, & omnia inferiora fœcundans diminuitur. Et quia matrimonium initiatur, contrahitur, ratificatur, & consummatur, primo uidebimus quomodo, & quãdo, initiũ sumpserit. Initiatæ igitur fuere hæ nuptiæ per Spiritum sanctum, quando ipso dictãte, toties nos per prophetas ad hunc contractum Deus inuitat: iuxta illud, quod habetur apertè in Osee: Desponsabo te mihi in sempiternum: desponsabo te mihi in iustitia, & iudicio, in misericordia, & miserationibus: pro quo in Hebræo habetur וברחמים ube rahamim: quod nos interpretari possumus, in benignis amoribus, uel pietatibus. In lege enim seuerus sponsus desponsauit in iudicio, & iustitia: sed in Messiah præbens se benignissimum desponsauit in misericordia, pietate, gratia, & omnibus benedictionibus per illud uerbum rahamim significatis: Et per Ezechielem diuino spiritu afflatum inquit: Et iuraui tibi, & ingressus sum pactum tecum, & facta es mihi in sponsam scilicet per consensum, quem facilè præbet omnis anima, quæ natura ipsa appetit beatitudinem sub his nuptiis conuolutam. Habes igitur quomodo initiatæ fuerint istæ nuptiæ, ad quas inuitauit primo angelos: Verum multos eorum indignos reperit: undè etiam tanquam rebelles, & temerarios iussit expelli. Inuitauit & omnes homines, sed plærique sese ineptiis, uilibusque ac beluinis propemodum rebus immergentes, indigni tanto consortio non iniuria sunt reiecti, dimissique in cœno sordidarum uoluptatum uolutari. Hinc ipsis eiectis ad nuptias alios conuocauit per nomenclatores & nuntios angelicos, propheticos, & Apostolicos: qui omnes solicitii de nostra salute inuitant ad illas nuptias quoscunque repererint in uiarum exitu, seu triuiis ac mundi compitis.

Ioannes. Paulus. Dauid. Osee. Ezech.

Quomodo fuerit contractum. Con. II.



Ontrabitur matrimonium per uerba (ut aiunt) de præsenti uinculo indissolubili inter Christianos : licet iis, qui uiuerent secundum legem, permissum fuerit dare libellum repudij : quod & Mahumetici obseruant. Differt autem matrimonium : quod fit per uerba de præsenti inter coniuges illico annuentes, à sponsalitiis, quæ fiunt per uerba de futuro, & per parentes, aut per internuntios, & quosuis auspices, adhuc impuberibus sponsis: qui adulti multoties rescindunt huiusmodi pactiones: inter Christum autem & animam matrimonium initiatum per prophetas, contrahitur per uerba de præsenti in baptismo: quando baptizandus petit fidem: & omnimodum consensum præstat, per quem contrahitur uerum connubium. Et quia de more dexteram dexteræ complicant: hoc repræsentatur per aquam sensibilem, qua immergitur, accedente uerbo: ex quibus præstatur signum sensibile huius contractus. Interponitur autem uerbum, sicut solet dici in matrimonio carnali, uolo te in meam, & uolo te in meum, ita hîc dicitur: Abrenuntio diabolo, mundo, & pompis eius, ut penitus adhæream sponso meo Christo: Qui huiusmodi connubium etiam iureiurando comprobat, iuxta illud Ezechielis: Et iuraui tibi, & ingressus sum pactum meum tecum, ait Dominus: & facta es mihi in sponsam: sed quando? Audi quid subnectat: Et laui te aqua, & mundaui sanguinem tuum ex te, & unxi te oleo: Quæ omnia in baptismate fiunt. De quo, nulli dubium, loquitur propheta sub typo figuratiuæ sponsæ, quæ & ipsa lauabatur aqua: sed non ea perfecta, qua lauamur nos. Coniungimur autem Christo in baptismate, uinculo, & fœdere indissolubili, quod infringere nulli aliquando licet, neque potest, sine expresso adulterio. Neque uerò ullam aliquãdo repudiauit uxorem, & si à charißima olim coniuge synagoga nimirum ingrata diuortium fecerit: ut in figura habemus de Vasthi, quæ regium contemnens imperium repudij libellum commeruit. Hinc etiam inualuerat consuetudo (aßistente nihilominus lege) ut crebrò dissoluerentur coniugia. Quod nullatenus conceditur Christianis, quibus dictum est à sponso: Ego uobiscum sum usque ad consummationem sæculi, nunquam repudiaturus, licet mille committatis adulteria, non tamen impune: Perseuerãte enim matrimonio indissolubili cum tota ecclesia, pœnam adulterij unaquæq; impudens anima nõ iniuria exoluet, quãdo expelletur separatione perpetua à sponso dicente: Ite maledicti in ignem æternum. Vndè nunquã repudiabitur sponsa hæc uniuersalis, quæ dicitur ecclesia catholica: Verum reiecta aliqua particulari, alia superinducetur, ut plenus sit ille numerus, quo sponsalitius hic cœtus concluditur: In Iob enim prædictum fuerat: Deus conteret plurimos: & stare faciet alios pro eis. Et in Apocalypsi: Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Nec isti repudiãtur à sponso, nisi quatenus ipsi cõtemnũt

Ezechiel

CHRISTVS.

Idem

ad fœlicissimas nuptias uenire, seu ipsas respuentes, siue etiam negligentes his interesse, ut in Euangelio dicitur: Et qui inuitati fuerant, non erant digni. Vndè alij introducuntur, ut impleantur nuptiæ, perseuerante sponso in hac sententia, ut habeat hanc congregationem in sponsam, nullum ipsius congregationis repudians, nisi qui sponte uenire, aut permanere contempserit. Priorem uerò sponsam adeò repudiauit, ut neminem ex illo cœtu ad nuptias admittat, nisi in gremium huius nouæ sponsæ confugiat christianus effectus. Et ut ad sacramentum primorum parentum redeamus, uocatà fuit uxor protoplastis Virago, quia de uiro sumpta erat: & hæc collectio uocatur Christiana, quia de Christo sumpta est. Illa de costa uiri, & hæc de latere Christi: à quo (inquit Augustinus) omnia sacramenta emanarunt, maximè baptismus: qui habuit efficaciam ab illo sanguine, & aqua: aut ab illo, quod importabat ille sanguis, & aqua. Et cum in baptismo formetur ista uxor, meritò dicere possumus, quòd extracta sit de latere Christi dormientis. Et sicut illi duo, & omnes coniugati (teste Euangelio) conueniunt in carnem unam, sic Christus, & eius sponsa uniuersalis, aut particularis conueniunt in spiritum unũ dicente Paulo: Qui adhæret Deo unus spiritus efficitur cum eo. Augusti. Paulus.

Qualiter ratificatum. Con. III.



Firmatur matrimonium carnale, & ratum habetur coram sacerdote: qui testis, & minister existit illius sacramenti: Sic & hæc spiritualis desponsatio ratificatur coram Episcopo, à quo suscipimus sacramentum (ut aiunt) confirmationis: quia confirmatur fœdus, & iusiurandum præstitum in baptismate. Dicitur quoque illud, sacramentum chrismatis: quia ungitur suscipiens particulari unctione diuinitatis. Confirmatur quoque, & ratificatur nuptiale fœdus contractum baptismate, quandocunque suscipimus sacramentum confessionis, aut eucharistiæ: siue quouis alio munere donemur à Christo sponso. Sed ueram confirmationem suscipimus, quando adeò solidamur in gratia Dei, ut in ea sistamus uitæ huius curricula: quamobrẽ nullum nobis in posterum timeatur diuortium. Quam confirmationem appetebat propheta dicens: Et spiritu principali confirma me: uel spiritu uoluntario, liberali, generoso, siue munifico: Id enim נדיב nedib significat, quod traductum habemus principali. Præuidẽs quoque propheta, ea quæ sponsus facturus erat cum sponsa sua ecclesia, deprecatur, & ait: Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis, à templo sancto tuo quod est in Ierusalem, uel hac inferiori, ubi contractum istum celebrauit in cruce, & confirmauit Sancti spiritus infusione: uel in Ierusalem superna, ubi & istæ celeberrimæ, & quæcunque aliæ nuptiæ conficiuntur, dicente Christo: Quos Deus coniunxit homo non separet. Si Deus igitur has coniunctiones & copulas matrimoniales efficit, in cœlo fiunt, ubi ipse habitat. Vndè confirmari petimus (inquit Hieronymus) David. CHRISTVS. Hieron.

quia debiles sumus.

Quomodo consummatum. Con. IIII.



Onsummamus tandem hoc spirituale matrimonium, quando bono opere exequimur, quod promisimus: In qua consummatione intercedit conceptus, & partus. Sed quia haec fieri nequeunt sine sponsa praegnante, ideo inquit Isaias: A facie tua Domine Isaias. *concepimus, sicut mulieres rectè concipiunt à facie maritorum. Sequitur: Et peperimus spiritum: quia totum illud matrimonium secundum spiritum intelligi debet. Salutes autem non fecimus terra: id est nos, qui sumus terra, nihil salutis operamur: quia salus ex Deo est. Et non cadent habitores orbis ultrò, ab ista uidelicet desponsatione, quando fœcundissimos obtulerimus fructus nostri conceptus, & partus: quia tunc dicetur de nobis: Filij tui sicut nouellae o-* Dauid. *liuarum, in circuitu mensae tuae. Quibus fructibus onusti ingredientes illa aeterna tabernacula, & thalamos, quos multiplices diximus praeparatos, non cessabimus à consortio sponsi: quia tunc maior, & perfectior erit coniunctio, atque unio: & haec perpetua, colligante illo sacratissimo hymeneo, qui spiritus, & nexus Dei est, omnes colligans, & uniens, quos perfundit. Tunc erunt* Cantica. *illa uera oscula, de quibus in canticis dicitur: Osculetur me osculo oris sui. Tunc amplexus castissimi, & sanctissimi amoris, de quibus ibidem dicitur: Laeua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me, meliori quippe dextera, & amplexu, quàm hic humanus & carnalis. Tunc sanctitas, &* CHRISTVS. *unio in spiritu uno: Pro qua rogauit sponsus dicens: Pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati in ueritate: Nam uniti mecum, cum sanctificatus sim, & ipsi sanctificātur. Nec pro eis tantum rogo, sed pro eis, qui credituri sunt per uerbum eorum in me: ut omnes unum sint, sicuti tu Pater in me, & ego in te, ita & ipsi in nobis unum sint: in quam exoptatam unionem omnes contendimus.*

MODVLVS DECIMVS. VICTVS.

Quis panis paratus sit in hoc cōuiuio. Cōcētus primus.



EVS cuius perfecta sunt opera, tanquam optimus artifex omnia fabricauit ualde bona: & in ipsorum gradibus perfecta. Hinc & optimus prouisor (ut suprà diximus) cibum, & potum pro utroque homine sustentando praeparauit: ne fortè extraneo communita praesidio ab eodem summo opifice, qui hominem innumeris cumulauit beneficiis, deficeret. Has autem epulas praeparauit multigenas ad tollendum fastidium: Et quod mirum est, prò homine animali unicum praeparauit cibum, panē uidelicet, qui nunquam nauseam afferret: Vnicum quoque poculū

sustentans, uiuificans & lætificans, quod est uinum ex phœbea natura semper conferente, nisi subiectum recipiens sit malè dispositum, aut plus assumatur quã fuerit opportunũ. Pro homine itidem spirituali cibum præparauit sub specie & nomine panis, quo nullum naturæ edulium accommodatius habetur, cui posset comparari, & ab eo denominari. Ideo cœlestem illam ambrosiam, & mana suauissimum modo absconditum, tunc autem patens, cibum utique omni suauitate repletum, panem uocauit dicens: Ego sum Panis uiuus qui de cœlo descendi, si quis manducauerit ex hoc pane, uiuet in æternum. Quàm bellè, & quàm accommodatè est præparatus panis uitæ in sustentaculum, & uitam membrorum Christi: ut uiuant de spiritu, & de uita Christi: ut sequatur illud, quod ait Apostolus: Vnum corpus, & unus panis sumus omnes, qui de uno pane, & de uno calice participamus. Sicut enim ex multis granis unus panis conficitur; sic ex multis membris credentium efficitur unum corpus Christi uiuens totum uita Christi, imò illa uita, quæ est Christus. Ideo dixit: Qui manducat hunc panem uiuet in æternum. Et iterum: Qui manducat me, ipse uiuet propter me. Et sicut nihil melius, nihil facilius, nihilque aptius immutatur in corpus nostrum quã panis: Pari modo, ut immutemur in Christum, datur nobis hic cibus, quem qui manducat non mutat illum in se, sed ipse mutatur in cibum manducatum (inquit enim Augustinus) ut in ipso uiuat. Qui uult ergo uiuere, habet ubi uiuat, & unde uiuat: Credat, accedat, comedat, incorporetur trãsmutatus, & noua uita donatus, ut tandem comedat cibum illum nouum: & bibat uinum nouum: Quæ qui gustauerint, nec corporeæ, nec spirituali morti deinde subiicientur. Et ille est uerus panis uitæ, & uerum mana absconditum, quod nemo scit, nisi qui accipit: undè non ab alio de ipso edoceri potest, nisi ab experientia, & gustu præstito ab authore gratiæ.

CHRISTVS. Paulus. CHRISTVS. August.

Quòd uinum. **Con. II.**



Inum quidem in ultima cœna propinauit nobis admirandum: melius tamen in nostro circunsonanti regno, & in nuptiis cœlestibus promittens, dum ait: Amodo iam non bibam de hoc genimine uitis usque in diem illum, cum illud bibam nouum in regno Patris mei. Cum igitur de illo regno, & de illis nuptiis loquamur, explicandum quoque nobis est, quid sit illud uinum, quod ibi dandum promittitur. Vinum quidem exprimitur ab uua, & de uite nascitur: Nec ab alia uite prouenire potest nisi ab illa, de qua dixit: Ego sum uitis uera. Et præparatur in illis nuptiis cœlestibus, quas figurabant nuptiæ illæ, in quibus cœlestis sponsus supra hominem sese primum ostendens, & supra naturæ ordinem ex aqua fecit illico uinũ, & solo iussu: quod natura facit temporis interuallo, & debitis mediis. Ne igitur nuptiæ illæ, quas consecrandas statuerat in sacramentũ uerarũ

CHRISTVS. Idem.

B. Virgo nuptiarum, mœstæ, & insipidæ absque uino transigerentur, Pientißima Mater imbecillitati, ac egestati humanæ ultro miserescens dixit ad Filium ueram uitem: Vinum non habent, sed cum IESVS non adesset ueris nuptiis, sed a-
CHRISTVS. lienis tanquam aduentitius, ideo inquit: Quid mihi & tibi mulier, cum hæ nuptiæ nostræ non sint? Nondum uenit hora mea, qua uidelicet mihi uero sponso parentur ueræ nuptiæ. Mater autem & has figuratiuas curans, & pro eis solicita authoritate materna, & uoluntatis Filij conscia dixit ministris: Quæcunque dixerit uobis facite. Et dicit Euangelista, neque ipse inscius arcanorum cœlestium: Et erant ibi hydriæ sex positæ. Has hydrias Hieronymus in
Hieron. Ezechielem, & nonnulli alibi interpretantur sex ætates, tanquam uasa capacia aquæ tam supramundanæ quàm inferioris: Quæ aqua si transit per ueram uitem Christum, decoquente supramundano sole conuertitur in bonum uinum, quod figuratiua illa transmutatio designat. Si autem hydriæ plenæ sunt tantummodo aqua inferiori, id est gratiis, quas dicunt gratis datas, feruescente malo calore concupiscentiæ conuertũtur multoties in uinum, de quo cum indi-
Moses. gnatione inquit Moses in Cantico: De uineis Sodomorum uinea eorum, & de suburbanis Gomorræ: Vua eorum uua fellis, & botrus amarißimus. Fel draconum uinum eorum, & uenenum aspidum insanabile. Quo uino illa meretrix magna, id est mundialis concupiscentia potauit omnes gentes: Ideo dicitur uinũ illud peruenisse de uineis Sodomæ, & de suburbanis Gomorræ: Quæ sicut exarserunt in concupiscentiis suis peßimis, sic etiam exarserunt igne diuinæ iustitiæ. Et hæc est uinea amatorum mundi, cuius uua, & botrus est fel amarißimus: quia amarum est dereliquisse Dominum propter concupiscen-
Ierem. tias. Vndè bis plangendum est amarè, ut ait Ieremias in lamentationibus ad populum suum mundi affectibus obuolutum: Luctum unigeniti fac tibi plan-
Ezechie. ctum amarum, Et Ezechias aduertens ad quid eum deduxerat uinum istud, dicebat: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Et bene uocatur uinum hoc mundanum fel draconum, quia propinatum est à dracone, & serpente antiquo in irreparabilem ruinam nostrã undè sequitur: Et uenenum aspidum insanabile, humanis, uidelicet, uiribus, absque auxilio cœlestis redemptoris. Et huic respondet uinum diuinæ sententiæ amarissimum, de
Dauid quo propheta in psalmo: Calix in manu Domini uini meri plenus mixto, aut mixtione: quia ipse Dominus habet imperium, & iudicium, potentiam & iustitiam, ut bonos remuneret, & malos puniat. Et distillauit, uel redundare fecit, pro quo traductio nostra habet inclinauit: Redũdauit, & redundat malitia perpetrantis malum super caput ipsius, sic decernente diuina iustitia. Veruntamen feces eius epotabunt omnes impij terræ: Diuinæ enim iustitiæ uinum boni degustant, feces autem peccatores & impij. Sed reuertamur ad eos, qui bibunt hîc bonũ uinum reficiendi meliori & cœlesti. Vinum igitur quod hîc bibere de-

bemus est duplex, charitatis, uidelicet, & sapientiæ: Non utique illius *sapientiæ superioris, quæ in scriptura sacra dicitur lac, ut alibi declarauimus:* Quod *paucis datur, uinum autem pluribus. Et ad hoc etiam inuitamur in Canticis ubi* Cantica. David.
dicitur: Bibite *amici, & inebriamini.* Et *iterum per prophetam:* Calix *meus inebrians quàm præclarus est:* Quem *calicem propinans, & effundens in die* Pentecostes, *adeò inebriauit discipulos, ut dicerent nonnulli ex iis, qui aderant, eos esse temulentos.* Ebrij *utique erant, & pleni illo uino, quod uerè lætificat cor hominis, quod* Græco *sermone paracletus dicitur, id est consolator.* Quod *uinum aliquantulum degustans* Petrus *in monte* Thabor, *adeò lætus fuit, ut diceret,* Domine *bonum est nos hic esse.* Degustauerat *&* Paulus *qui dicebat:* Cupio *dissolui, & esse cum Christo: ut illud melius & nouum bibam in domo* Patris *eius.* Libauerat *quoque* Stephanus *quàm suaue esset, undè ebrius lapides torrentis, quibus lapidabatur, ipsi dulces fuerunt.* Hauserat *& propheta, qui* David.
debacchando clamat: Gustate *& uidete, quoniam suauis est* Dominus. Gustauerant *Apostoli, & martyres omnes, ut plena ebrietate atque furore & ipsi debacchantes, ad mortem perniciter currerẽt, ut citius degustarent illud melius, ad quod animabantur dulcedine istius inferioris.* Vinum *est etiam sanguis* Agni, CHRISTVS.
qui pro nobis effusus est: Ad *quem bibendum ipsemet* Agnus *omnes inuitat dicens:* Accipite *& bibite ex eo omnes:* Hic *est enim calix sanguinis mei, noui & æterni testamenti, qui pro uobis & pro multis effusus est in remißionem peccatorum:* Hoc *facite in meam commemorationem, & in memoriam uini melioris parati in domo* Patris *æterni.* Ad *quod bibendum ut capaces efficiamini, ecce uerto hoc uinum in sanguinem meum plenum ea uita, quam simul cum sanguine tribuo: ut & uos uiuatis ea uita, qua poßitis illud bibere, quod nemo bibit, nisi qui uiuit cœlesti uita.* Et *hoc est quod dixit:* Ego *dispono, scilicet p paßionẽ meã, & sanguinem meum effusum, uobis regnum, sicut disposuit mihi* Pater: *ut per hanc acerbam paßionem, & transformationem ad alium modum uiuendi, accedam ad illud symposium, in quo bibitur uinum perfectæ beatitudinis emanantis à uerò* Baccho, *& uerò* Sole. Hinc *dixit* Apostolis *petentibus sedere secum:* Idem
Potestis *bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Satis *clarè inferendo, quòd qui uult accedere ad conuiuium illud cœleste, oportet quòd bibat calicem paßionis, abnegando semetipsum, & transformando se per ueræ crucis mortem, ut sequatur* I E S V M *per hanc uiam euntẽ ad cõuiuiũ illud.* Isti *igitur sunt calices, hæc sunt uina nobis hic bibẽda, sapientia, charitas, mortificatio, & trãsformatio sui ipsius in cœlestẽ uitã: ut, poßimus bibere uinum illic apponendũ, & celebrare uera bacchanalia, & ducere uera tripudia, atq; dare & reddere ueros amplexus nuptiales, ubi duo id est omnis beata creatura unietur in spiritum unum cũ* Christo *&* Deo *cui adhæsit: à quo diuelli amplius nullo modo poterit.* Tunc *licebit uera oscula figere, & omnibus deliciis perfrui impune, cum nihil uetitũ sit, nihil prohibitũ in his qui sunt uera, & sanctißima unione cõiuncti: quia ibi nul-*

lum uitium, cui cedat, aut cui subiaceat beatus, qui erit (ut inquit Augustinus) pacatissima uirtute & conditione perfectus.

Quis panis, & quæ caro. Con. III.



Vm de solo pane suprà dixerimus, nunc uidendum est, quomodo panis effectus caro detur nobis in conuiuio cœlestium nuptiarũ, sicut dixit sponsus: Panis quem ego dedero, caro mea est pro sæculi uita. Et quid est quod dicit, panis est caro? Panis enim comeditur, ut transmutetur in carnem, & caro efficiatur. Cum autem iste panis cœlestis non transmutetur, sed transmutet manducantem, comedimus hũc panem ut transmutemur in Christi carnem & corpus, & efficiamur duo in carnem unam, ut dicat de nobis uerus Adam: Os nunc de ossibus meis, & caro de carne mea. Comedimus itaque hunc panem, quo transformemur in corpus & carnem Christi, quando suscipimus eius doctrinam, quæ est panis uitæ & intellectus, & est aqua sapientiæ salutaris: & etiam quando debitè comedimus ipsum corpus Christi, Sed non fit per aliquod illorum uegetatio & transmutatio, nisi adsit ignis ille spiritus sancti & amoris, quo decoquatur cibus antequam accipiamus, ut non consuetudine, uel hypocrisi, uel alia quauis obliqua causa suscipiamus illum sed syncero amore & affectu. Quo etiam igne susceptum cibum decoquamus, & digeramus: Tunc enim uera transformatio efficietur in nobis per ignem amoris, qui (ut academici, Epicurei, sed potissimè Diony. noster docet) trãsmutat amantẽ in amatũ. Caro itaq; præcipuè præparata in cœlestibus nuptiis est caro nostri sponsi, & Agni immaculati immolati pro sæculi uita: Et præter hanc carnem in Euangelio, ubi de ipsis nuptiis cœlestibus pertractatur, fit mentio de aliis quibusdam carnibus à sponso dicente: Tauri mei, & altilia occisa, id est dogmatum magnitudo per tauros (ut sentit Hieronymus) & altitudo doctrinæ Dei per altilia. Sed Hebræi sapientes dicunt, quòd Deus in conuiuio pro iustis parat taurum, auem, & piscem: de quorum primis Christus meminit. Taurus enim est animal nostrum, quod expurgabatur per taurum legalem: Auis est portio illa suprema animæ, quæ uolãdo semper alta petit, per aquilam alibi à Hieronymo interpretata: Piscis autem qui nutritur in aquis spiritus medius, aut rationale nostrum est: quod nutritur & delectatur in aquis sapientiæ, & doctrinarum. Et hæc omnia parantur in illo conuiuio comẽdẽda à sponso, & cõuiuis, sicut ipse ait in Apocalypsi: Cœnabo secum, & ipsi mecum. Cœnare utique nobiscum delectatur, non quòd indigeat bonorum nostrorum, sed ut comedens immutet nos in se, ut unum & idem efficiamur secum ab ipso esi, digesti, & in corpus ipsius uegetati. Pisces autẽ tangit Ezechiel dicens: Plurimæ species erunt pisces eius, sicut pisces maris magni: quia multiplices erunt, non dicam tantummodo species, sed genera horum piscium, id est spirituum & animarum rationabilium: qui spiritus assumentur

Aca. Epi. Diony. CHRISTVS. Hieron. Hebræi. Apocal. Ezechi.

ad illud conuiuium uniendi simul cum sponso: Quos pisces Christus non nominauit in illo conuiuio parato, sed post resurrectionem assumpta natura, & conditione spiritus de ipsis comedere uoluit, distribuens etiam discipulis, ut narrat Ioannes dicens: Accepit Iesus panem, & dabat eis, & piscem similiter. Sed Lucas quoque ait: Et cum manducasset partem piscis asi, & fauum mellis, sumens reliquias dedit eis dicens: Hæc sunt uerba, quæ ego loquutus sum uobis, dum adhuc essem uobiscum. Alius igitur est hic piscis, quem comedit IESVS post resurrectionem, quàm illi qui nascuntur in mari, cum (teste Christo) eius reliquiæ sint uerba, quæ ipse loquutus erat cum eis, dum esset in humanis: Verba enim spiritualia reliquiæ sunt ipsius spiritus, quæ conseruare debemus multo maiori reuerentia quàm sanctorum reliquias, in quibus etiam fuerunt eorum spiritus. Ioannes. Lucas.

De Fructibus huius conuiuij. Con. IIII.

Concentores nostri Ezechiel & Ioannes etiam fructus pro isto cõuiuio præparatos enarrant: inquit enim Ezechiel: In ripis fluuij, qui trãsit per ciuitatem est omne lignum pomiferum: non defluet foliũ ex eo, & non deficiet fructus eius. Per singulos mẽses afferet primitiua, quia aquæ eius de sanctuario egrediuntur. Et erunt fructus eius in cibum, & folia eius ad medicinam. Ioannes autem idem quod Ezechiel personat, sed clarius: quia forsitan & clarius uiderat. Is igitur ait: In medio plateæ eius, & ex utraque parte fluminis lignum uitæ afferens fructus duodecim, & folia ligni ad sanitatem gentium. Magna sunt hîc sacramenta, & grauiora quã nostri imbecilles humeri sustinere ualeant: non nihil tamen (fauente Domino) dicemus. Memorant primo concordes fluuium transeuntem per mediam ciuitatem de quo fortè regius propheta: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Fluuius hic est affluentia omnium bonorum emanans ab illo indeficienti fonte, à quo omne bonum: qui lætificat ciuitatem ipsam Dei, & omnes conciues eius. Lignum autem uitæ est illud, à quo subministratur eis uita promissa & æterna. Qui uerò sint fructus isti, qui singulis mensibus produci dicuntur, O bone deus nisi tu, qui arborem plantasti doceas, nihil temere ausim affirmare. Nec mihi uidentur illi fructus spiritus, quos meminit Paulus: quia ipsi uiatorum sunt, nec apponendi cœlestibus nuptiis. Et si arbor illa est lignum uitæ, qui est filius, aptius dicerentur fructus illi filij quàm spiritus, quamuis & fructus spiritus dici possent: quia spirituales, & eius uirtute producti. Est nihilominus hæc arbor ipse Deus filius, qui in terrea carne plantata omnimodum fructum produxit. Sed de duodecim præcipuis fructibus fit mentio, quia sunt primarij, & producti dicuntur per singulos menses. Et ut intelligatur quid per menses, & dies innuatur (cum in illa successione æterna non habeatur distinctio annorum, dierum, aut mensium) alius exquirendus est sensus, quàm sonet litera: in quo uerificetur menstrualis il-

Ezechiel
Ioannes.
Dauid.

lorum fructuum productio. Diximus Apostolos duodecim præfectos duodenæ familiæ figuratiuæ & ueræ, quæ partitur ad metam duodecim signorum cœlestium: per quorum spatia decurrens sol distinguit duodecim menses. Sunt itaque menses in illis æternis hospitiis secundum partitionē distributionis, & non secundum temporum curricula, descripti per has partitiones inferiores, tanquam causæ per effectus, aut ueræ formæ per picturas. Quia igitur præsidebunt Apostoli duodecim illis familiis, quorum signati, & præcipui distinguntur per duodena milia: hinc numerantur præcipui fructus huius arboris uitæ duodecim, & menstruales: quos primarios & peculiares fructus produxit ipsa arbor uitæ in cibum, & pastores totius familiæ. In cibum quidem & edulium iā principem expositum, simul & nos omnes esse declarauimus. Folia autem data in sanitatem gentium sunt illi, qui in utilitatem aliorum, & non in propriū fructum prædicant, ut aliâs diximus: uel sunt sacramenta data in sanitatem omniū uulneratorum, aut languentium per peccatum originale, aut actuale. Sunt nanque folia quasi tegmenta quædam in typum sacramentorū, quæ expurgant peccata, teguntque nuditatem peccantium. Sed non poterant contegere nuditatem Adæ illa folia ficus, quia non acceperant uirtutem ab arbore uitæ: nec erant huiusce arboris folia. Nam si accepisset Adam de foliis eius, forsitan texisset nuditatem suam. Sed prohibuit Deus dicens, ne fortè accipiat de ligno uitæ, quia non erat adhuc tempus distribuendi fructus eius, aut folia: at ubi uenit plenitudo temporis, distributa sunt folia huius arboris, & dispensata sacramenta in sanitatem omnium languentium: dummodo sint dispositi debita contritione, &

David. *reuersione ad Deum, ut per prophetam inquit: Vt mederer contritis corde. Quod fit semper uirtute illius arboris, quæ est uita, lux, & uerbū, de quo Psal-*

Idem. *mographus ait: Misit uerbum suum, & sanauit eos. Et sub istis fructibus duodecim continentur omnes alij, quicunque sint: sicut super duodecim fundamentis (ut explicauimus) cætera omnia ædificata sunt. Et sicut illa duodecim fundamenta innituntur unico fundamento, qui est Christus IESVS, sic omnes illi fructus emanant ab illa unica arbore uitæ Christo IESV irrigata ab aqua flu-*

CHRISTVS. *ente ab illo sanctuario, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum: & à quo ipsamet arbor uitæ fatetur omnia accepisse dicens: Omnia dedit mihi Pater. Quibus fructibus delectabitur sponsus, delectabitur & Pater summus tanquam in propagine dilectissimi filij. Congratulabuntur etiam ad inuicē omnes fructus illi considerantes se à tanta arbore processisse, & appositos esse in tam celeberrimo conuiuio: ibi etiam (quod mirum est) nedum erunt fercula, uerum etiam conuiuæ, nec aliqua ex comestione fiet diminutio.*

Quæ copia & suauitas ciborum. Con. V.



Ibi nequaquam sufficerent, nisi copiosi: nec boni, nisi suaues. Quæ duo clarè reserat diuus citharœdus (ut sentit Augustinus) dum ait, Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt. Adeo enim saues & abundantes illi cibi sunt, & tanta ingluuie deuorantur: ut non erubescant conuiuæ superabundantes portiones eructare. Quamuis aliqui pro eructabunt interpretentur loquentur: sed melius uertitur eructabunt, cum illud יביעו *iabibu à* נבע *nabab ueniat, quod significat abundauit, & eructauit. Sic enim interpretati sunt septuaginta, quos sequitur Augustinus. Ij igitur cibi suauissimi, & abundantes comedendi sunt in magna copia, postquam eructatio ex abundantia in commendationem edentium à propheta decantatur. Quinimo ad ebrietatem inuitamur à cœlestium nuptiarum sponso dicente in canticis: Bibite, & inebriamini charissimi, cum uobis uidelicet data sit mensura bona, conferta, & superaffluens, ut dicitur in Euangelio, cui titulus est secundum Lucam. Sicut enim crapula ciborum corporalium tanquam sordida damnatur, sic copia, ebrietas, & crapula ciborum spiritualium tanquam decora, & digna laude commendantur. Hinc beati commendantur in illa regione comedentes, & damnatur esuries, sicuti conuiuij illius princeps in Isaia loquitur dicens: Serui mei comedent, & uos esurietis: Ecce serui mei bibent, & uos sitietis: Vos inquā qui egistis malum in oculis meis. Et quando hæc futura sint paulo inferius declarat dicens: Ecce enim ego creo cœlum nouum, & terram nouam, & non erunt in memoria priora, cum erit uita, status, & hospitium nouum, de quo peculiarius subinfert dicens: Ecce ego creo Ierusalen, supernam uidelicet ubi fient istæ nuptiæ in exultatione, stante populo eius ingaudio. Et non audietur ultrà in ea uox fletus, & uox clamoris. Tunc lupus & agnus pascentur simul, quia ex utraque parte (dextera uidelicet undè agnus, & sinistra undè lupus) erunt simul conuiuantes, & tribunal iustitiæ & misericordiæ erit unum, explosis illis, qui citati ad uniuersale iudicium collocabuntur à parte sinistra ex ipsorum flagitiis condemnandi. Qua sentētia lata non egredietur ultrà à tribunali iustitiæ executio in uindictam malorum: undè sequitur: Leo comedet paleam simul cum boue, & non amplius carnes in supplicium rebellantium suo creatori. Serpenti autem penitus eiecto ab illo conuiuio & hospitio relinquetur in cibum puluis, ut dicit propheta: Et serpēti puluis panis eius, sicuti ei ab initio dictum est: Puluerē comedes omnibus diebus uitæ tuæ. Et quia regnabit pax perfecta, & unio cum principe, exultabit cuiuslibet noxij animantis omnis malignitas, & omnis iustitia puniens: & ideo sequitur: Non nocebunt, neque occident in omni monte sancto meo, dicit Dominus: sed gaudentes erunt in conuiuiis & epulis illis æternis.*

David Augusti. Septu. Cantica. Lucas Isaias. David.

MODVLVS VNDECIMVS, INSTRVMENTA.

De primo instrumento qui est cœlorum globus. Concentus primus.



Va harmonia resonent cœlestes orbes, satis iã explicauimus: Sed hoc addamus, quòd concentus illi cœlorum ascendentes resonãt in tota illa cœlesti aula, ubi sunt personatores, eorum intelligentiæ uidelicet eos regentes, quæ astant (ut diximus) semper ante thronum Dei. Et hi tanquã Sirenes (ut Plato ait) insidentes orbibus illis ubique resonare faciũt eorum melos. Sed sonoros in primis eos reddit ille, cui dixit Orpheus: Tu cœlum quasi canoram citharam temperas. Et adeò temperatus est locus ille harmonicis proportionibus, ut multo magis reddat uoces ibi cantantium sonoras, quàm theatra uel scænæ musicis proportionibus fabricatæ, ut spectatores facilius perciperent actorum uoces, seu histrionum: qui pro scæna uel suggestis illis recitabant comœdias, siue quæcunque alia referrẽt: ut sicuti uidebantur ab omnibus, & qui in orchestra, & qui in peripheria hemicycli sedebant, sic audirentur eorum uoces consonantissimæ, reboantibus uasis hinc inde miro artificio ad harmonicas uoces conducendas aptatis. Nam ars non potest naturam superare, imò eam imitatur, & longis passibus. Melior est igitur cœlorum concentus quàm fabricæ, & instrumenta hominum artificio conducta. Sed citra omnẽ ambiguitatem opinandum est inter omnia opificia summi artificis pulchrius & suauius esse illud, in quo residet thronus eius: & sedilia omnium conciuium ipsius: In quo nedum aliqua dissonantia non sentitur, sed omnia consonantissima, omnia læta, omnia festiua, omnia iucunda. Quæ (ut inquit Augustin.) Dauid in huiusmodi canticis eruditus, qui harmoniam musicam nõ uulgari uoluptate, sed fideli amore, & reuerentia dilexerat, mystica rei imagine, atque diuersis sonis rationabilibus, moderatisque concentibus, insinuauit: & compactam unitatem ordinatissimæ ciuitatis supernæ concordi uarietate effigians decantauit multis modulis, uariis concentibus, & secretioribus instrumentorum mysteriis, quàm existimetur à sapientibus mundi. Vndè quamuis aliqui totam pro uirili sua apposuerint industriam, ut psalmum uel hymnum similem Dauidicis odis decantarẽt, longissimo interuallo (salua eorum pace) distant à nostro diuo Citharœdo, qui semper sublimia petit, ad quæ non conscendit nisi subuectus ab eodem Spiritusancto, à quo & ipse efferebatur.

Plato. Orpheus. Augusti.

De secundo instrumento, quod est humana lingua. Con. II.



Ssignato & ordinato loco ad cantum necessaria est lingua, quæ uocem emittat, & illam sonoram, mediantibus eius instrumentis, quæ sunt fauces, palatum, dentes, labia, guttur, pulmo, spiritalis arteria, quam tracheam uocãt: & præ cæteris pectorales lacerti, qui motionis huius ab anima principium obtinent, ut habetur ab Auicena, &

Auicena.

ab aliis, qui de corporis dispositione scribũt. Quæ lingua, etiã corporea, exercebitur in laudem principis, spiritu sancto in Dauide attestante, qui ait: Exultationes Dei in faucibus eorum. Nec enim in faucibus resonat aliqua uox dearticulata & sonora, nisi per motum linguæ: hæc enim corporibus omnibus, quæ surrexerunt, aut resurgent, restituta est, seu restituetur cum omnibus ipsorũ arteriis, & instrumentis multo meliori consonantia, quam quis habuerit, aut haberi possit in hac peregrinatione. Nam sicut omnia, quæ deformia erãt, aut distorta mẽbra & mãca resarcientur, & perficientur, ut quilibet principi summo (sicut ait Apostolus) in uirũ perfectum occurrat. Pari modo etiam quæ prius fuerat uox dissona & absona, aut blæsa lingua, perpolita & quàm consonãtissima restituetur, ut nihil turpe, nihil indecorum, nihil inconcinnum ibi uideatur. Sed quia duo media pro uoce & sono formando à natura tributa uidentur (ut dicunt ij, qui de naturalibus tractant, aër uidelicet & aqua, in quibus elementis fit sonitus, aptius tamen in aëre) uidendum est, quæ aqua, quísue aër sit in regione illa supercœlesti, in quo uox firmari poßit. Quod difficulter diffinietur ab his, qui elementa admittunt tantummodo in inferioribus, quæ sunt sub orbe lunæ. Sed qui fatentur elementa etiam in sublimioribus (ut suprà tactum est) facilius hoc negocium determinabũt. Ibi enim sunt aquæ de quibus sapientißimus philosophus Dauid: Et aquæ, quæ supra cœlos sunt, laudent nomen Domini. Moses hoc idem antè docuerat esse, scilicet aquas supra globum cœlorum diuisas ab eis, quæ sub eo sunt. Et iam diximus etiam cœlorum aliquos esse aqueos, & aliquos aëreos: Si enim cœlum nonum (quod primum mobilè dicunt Astronomi, aliqui autem crystallinum) aqueum est, ordinem elementorum sequentes dicemus superius cœlũ, ubi sunt beatorum sedes, esse aëreum, cum soliditate tamen quadã, ut firma sint beatorum sedilia, & thronus principis, prout exigunt sedentes, & hospites omnes iam glorificati. Nec obstabit soliditas, quin in fluida diaphaneitate sonus resonare poßit ubique. Et quamuis aliqui dicant cœlum illud esse igneum, ideóque dictum empyreum, uti enim ignis est, non tamen adeò igneum est, quin sit etiam aëreum: undè aliј dicunt quod denominetur empyreum magis à splendore igneo, quàm à natura ipsius ignis. Sonus utique ibi resonabit, ut aliqui ex nostris theologis asserunt. Hinc uidendum est qua lingua, uel quo idiomate loquentur. Et pro quanto ratio mihi persuadere potest, si aliquo idiomate utuntur, ipsum est Hebræũ: in quo data est lex, prædicatum euangelium à Christo, conscripti diuini hymni, & data omnia oracula, dempta tantummodo illa reuelatione, quæ Græcè apocalypsis dicitur, Græco sermone tam exarata quàm habita. Tum quia est mysteriosißima lingua in figuris, punctis, accẽtibus, & numeris per illas literas importatis: adeò ut secretiores theologi ex reuolutione literarũ & apicum, & ex supputatione numerorum per literas significatorũ omnia promittant explicare. Tum quia literæ illæ dicuntur scriptæ in sede Dei, quod cœlum est: instar cuius figurarum sunt formatæ literæ ipsæ, quibus prius usus fuit Moses in danda lege,

Dauid. Paulus. Physici Dauid. Moses. Astrono. Theolo. Idem.

ut memini me uidisse, si antiquitati attestanti fides adhibenda est. Tum demum, quia ut hæc fuit prima lingua, emanauitque à cœlo, & fuit ante cõfusionem linguarum exortam in Babylone, ita erit ultima extirpata confusione illa, quæ in punitionem (ut inquit Augustinus) tantæ temeritatis & fastus inflicta est. Pœna enim grauissima est hæc linguarum uarietas, ob quã nõ possit unusquisq; uel contubernali, uel cõmeanti socio suos manifestare conceptus, & necessaria petere: ut melius sit (dicit idem Augustinus) esse cum catulo, uel equo suo, quàm cum socio extranei idiomatis, quia intelliget catulus quæ ille non intelliget. Perstitit igitur hæc lingua uel in Heber (ut opinatur Idẽ Augu.) uel in familia aliqua pia, quæ elationi Nẽbrot non consenserat: qui turrim in cœlũ erigere præsumpsit, ut semotus ab aërea alteratione (ut de Olympo mõte dicitur) possent ablato omni impedimento uacare speculationi, & alios excedere elati supra id, quod natura præstabat. Nec aliquando defuit pia familia tantæ temeritati nõ assentiẽs, ex qua descendit Abraham, qui primo in sacris literis Hebræus dictus est ab עבר habar, quod est trãsire, ut suprà explicauimus. Sicut igitur hæc fuit prima lingua semper perseuerãs inuariata, sic erit ultima etiam in patria, si quis dabitur sermo uocalis: Cuius signũ est, quia intelligentiæ dum hominibus loquuntur sciẽtibus ipsam linguam, utuntur sermone Hebraico. Quãuis nonnulli asserant dæmones, aut sapiẽtes intelligentias singulos singularum gentium cũ quibus habitãt, linguas exercere. Verum (ni fallor) quod diximus probabilius est, cum omnia ferme oracula autentica habita sint illo idiomate. Conuenientissimum igitur est, ut sicut quælibet uictoriosa ciuitas non solum iugum imponit domitis gẽtibus, sed multoties & idioma, sic Imperator illius ciuitatis supernæ, & astãtes principes decernent, ut omnes illuc euecti loquantur lingua, & sermone inde oriundo, & quo solebat uti princeps illius regni, dum inter homines uersaretur. Quod forsitan (ut diximus) erit priusquam illò deueniamus, uel saltem post iudicium futurum per ignem, iuxta id quod in Sophonia propheta dicit Dominus: In igne zeli mei deuorabitur omnis terra. Et tunc reddam populis meis labium electum, ut inuocent nomen Domini, & seruiant ei humero uno.

Augusti. Idem. Idem. Sopho.

De tertio instrumento, quod est corpus nostrum. Con. III.

Corpus humanũ ordinatum esse perfectissima harmonia suprà reserauimus, adeò ut ĩ nullo alio corpore sit melior, & suauior. Quã Augu. dicit esse non solum in his, quæ foris patent suis numeris, & mensuris coaptata, sed etiam in his, ad quæ humanus oculus non pertingit, tanta numerositate & consonantia conducta, ut nullus eam inuenire potuerit, quamuis diligentissima fuerit anatomicorum inuestigatio. De qua Boëtius quoque ait: Viuacitas illa rationis in corpore quadam coaptatione miscetur ueluti grauium, leuiúmque uocum in unã consonantiã tendens concentus. Quam conductam homo melius sentit, quàm intelligat, iuxta illud Zoroastris: Exultat homo ob harmoniam, quam in se sentit. Et quod magis admirandum est, non ha

Augusti. Boëtius.

bet corpus humanum solummodo consonātiam inter membra, & humores ad inuicem, & inter animam atque spiritum regentem: sed inter diuina quoq; & supramundana. Vndè maximo sacramento data sunt tot præcepta affirmatiua in lege Mosaica, quot sunt ossa in humano corpore, ducēta uidelicet & quadraginta octo: & tot negatiua, quot sunt nerui in eodem corpore: qui sunt non sine causa trecenta & sexagintaquinq;, quo numero dies & noctes anni comprehenduntur: quæ simul iuncta excrescunt ad sexcenta & tredecim. Quem numerum iti dem reddunt literæ nominis Dei אלהים si repleantur more cabalistico, & nomen ישו addito uno significante illud, quod resultat ex utroq;: Si enim impleantur literæ componētes nomen אלהים reddunt 296. & literæ nominis ישו dant 316. quæ simul iunctæ faciunt 612. Et illud unum, quod ex eis resultat, perducit numerum ad 613. Quod quidem secūdū doctrinam eorum, qui theologizantur per numeros magno mysterio denotat, quòd plenitudo iudicij contenta sub nomine elohim data est IESV, qui ait: Neque enim Pater iudicat quēquā, postquam uidelicet facta est hæc translatio iudicij, sed omne iudiciū dedit Filio: Qui omnia iudicaturus iterum ait: De omni uerbo ocioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij: multo magis de omni, quod factum fuerit cōtra præcepta tam affirmatiua quàm negatiua, in quibus omnibus cū Deo penitus concordare, & conuenire debemus. A quibus non sumus exēpti, cū omnia illa concludantur in breui, sed mysterioso uerbo euangelico: in quo absorbetur tota perfectio omnium præceptorum dicente Christo: Ab his duobus mandatis, amore uidelicet Dei, & proximi, tota lex dependet, & prophetæ. Quæ qui adimpleuerit, sentiet illud quod in oraculo Ezechielis dicitur: Accesserunt ossa ad ossa, unumquodq; ad iuncturam suam: Ossa utiq; illa de quibus diuus Citharædus canit: Tunc exultabunt ossa humiliata: & iterum: Anima mea exultabit in Domino, & delectabitur super salutari suo, cui uidelicet cōcorditer dixit: Omnia ossa mea dicent: Domine quis similis tibi, qui omnia tam bene cōducendo aptasti, maximè uerò ossa quæ uidebantur hincinde penitus dispersa? Et his coaptatis sequitur Ezechiel dicens: Et uidi: Et ecce super ea nerui & carnes ascenderunt, ut omnia membra & intestina simul consonantissima exultent in Domino. Hinc magnifico quodam sensu inquit Augustinus: quòd omnes nerui & membra corporum suscitatorum resultabunt in laudem principis illius ciuitatis, & tanto meliori concentu, quanto consonantiores fuerint homines cum Deo in obseruandis præceptis, & cærimoniis eius.

CHRISTVS. Idem. Ezechie. Dauid Augusti.

De quarto instrumento scilicet lingua angelica: Con. IIII.



INtersunt etiam illis concentibus angelici spiritus, de quibus quidem dubitaremus, an lingua loquantur & collaudent opificem, nisi Paulus in illo cœlesti gymnasio edoctus, & in cuius pectore Christus resonat, diceret: Si linguis hominū loquar & angelorū.

Paulus.

Habent igitur angeli linguam suam, qua loquuntur & adinuicem, & nobiscum, non quidē per uocalem sonū, sed efficientes nouum cōceptū in his quibus loquuntur, meliorem quàm si per audibilē uocem exprimeretur. Illud autē instrumētū, per quod innotescere facit alteri quæ bulliunt in mente, qualecūque sit, lingua
Plato. Aristo. uocatur: Quæ (ut ait Plato, & consentit Aristol.) data est, ut ipsius auspiciis exprimamus ea, quæ mente concepimus. Illud quoq; minimè prætereundum censeo, q nostra lingua carnea duplicem administramus cibum, corporalē uidelicet
Mar. Va. nobis ipsis, & spiritualem cæteris. De prima administratione inquit Marcus Varro, q lingua dicitur quasi cibū ligans, ipsum enim circūuoluens dentibus conterendum præbet: postea conglobans in uētrem demittit. De secunda manifestū est, qualiter lingua præbemus cæteris pabulū uerbi Dei: Et quod facit homo sensibili uoce, efficit angelus imprimendo conceptum. Vndè sicut Ioānes dictus fuit uox, ita Apostoli & prædicatores in eo, quod manifestant occultū Dei uerbum, dicuntur linguæ: imò & spiritus sanctus qui mouet linguam, & præstat copiā fandi, in linguis igneis apparere uoluit. Quomodo autem angeli sint linguæ, & loquātur, quāuis occultū sit, sicut & ipsi angeli, tamē aliquo modo percipere poterimus, aduertentes quēadmodū unusquisq; loquatur: Si enim procul est, uehementiori clamore indiget: Factus uerò propinquus in audientis aure susurrādo subloquitur: Et si posset cū audiente animo & spiritu copulari, nullo sono, prorsus egeret, sed sermo eius mente conceptus nullo penitus sono audienti illaberetur. Hoc quidē animabus è corpore egressis, angelis, & dæmonibus contingit: hos enim omnes sine strepitu (ut in pluribus) aduersari, nulli dubiū est, & multigena clam nobis inferre bella. Sicut enim aër præsente lumine colores, & formas suscipiens traducit in illa, quæ naturaliter huiusmodi suscipe possunt: Quos colores suscipiendo specula repræsentans susceptas imagines inspicientibus. Sic dæmoniaca corpora (ut quidā asserūt) eas quas recipiunt à phantasia, uel cogitatiua uirtute formas, figuras, atq; cōceptus in ipsum animal nostrū transmittūt, multas nobis illecebras ingerentes, formas subindicantes, suscitantes iam penè sopitas uoluptates, simulacbra paßionū frequenter concitantes uigilantibus, atque dormientibus. Sed hi perturbant animas arte, atq; sophistica fraude: Angeli uerò & meliores mentes eodē modo operantes alia, & hæc quidē meliora sug-
Augusti. gerunt, secūdū eā locutionem (inquit August.) quam sublimiorē Deus habet ad eos per immutabilē operationem, atq; determinationē eius. Et hæc nō habet strepentē sonum atq; trāseuntē, sed uim sempiternò manentē, & tēporaliter operantem, causando in mentibus illis quicquid per eos decernitur obseruādū. Ideo (ut
Idem. ibidem Augustinus ait) cōsulitur ab eis incōmutabilis Veritas tanquam lex æterna, in illa eorū supna curia, cū non sint sibiipsis Veritas, sed creatricis participes ueritatis, ad quam mouētur tanquā ad uitæ fontē. Quibus incōmutabilis illa ueritas loquitur ineffabiliter, ostendēdo tanquā in speculo quæ diiudicat ostēdenda, aut in nostrū beneficiū, aut in regimē rerū nobis creditarū, aut in beatitudi-

nem nobis impartiēdā. Quibus sic reseratis corresp̄odētes mētibus & affectibus canunt, & Deū laudāt suauißima consonantia: Et aliquādo emittūt etiam uocem sensibilē, ut in ascēsione domini memorātur fecisse audiētibus omnibus, qui aderant huiusmodi verba: Viri Galilæi quid statis aspicientes in cœlum, & cætera quæ sequuntur, iuxta illud Dauidici hymni: Ascēdit Deus in iubilo, & dominus in uoce tubæ id est in uoce angelorū manifesta, ut interpretātur Augustinus, & Hieronymus cōcordes. Vocē autē tubæ terribili clāgore emittet archāgelus ille ad cōuocādos omnes ad iudiciū, & tribunal Christi, iuxta illud apostoli: In uoce archangeli, in tuba Dei, idest angelica, cuius flatus & uirtus erit Deus suscitans. Sit itaque uox sensibilis, aut rationalis uirtus concinens, & laudans, erit vtique suauissima. Dauid. Augusti. Hieron. Paulus.

De mentibus angelicis & beatis, quæ & ipsæ instrumenta sunt resonantia. Concen. V.



Ostquam igitur sermo illius patriæ cœlestis potius mente q̄ sono cōducitur, erūt & ipsæ mētes instrumēta quædā reboātia suauiorem cōcētū q̄ ille, qui uocali sono efficitur. Quā cōsonātiā cōiectare possumus ex his, quæ continua cōprobamus experiētia: Quādo enim manifestatis cōceptibus sentitur cōcordia inter colloquentes, cōdelectatio quadam suauitate referta ex illa cōsonantia resurgit: sicut horror, tædium, displicentia, & dolor sentitur ex dissonātia uocū, & animorum præcipuè, adeo ut ab huiusmodi inferni odor præsentiatur. In illo igitur supramundano thalamo, vbi summa esse concordia omnium mentium tam diuinarū, q̄ humanarum, & angelicarū ad inuicem, & omnium cum ipso principe, summa omnino concipietur iucūditas, quā Augustinus opinatur, & asserit beatitudinis causam, q̄ est in cōsonāti adhæretia cū Deo, sicuti miseriæ causa esse dissonātia ab eo. Et hæc esse uera consonātia mētis uidelicet, ad quā omnis cōcētus uocalis, qui fit p instrumēta naturalia, siue ille qui fit p aduētitia, & arte cōfecta defertur, tāquā ad præcipuū instrumētū omniū laudū. Decātāt igitur in primis omniū beatorū mētes opificis laudes sua uoce altisona: quia plura & altiora possumus mente cōtemplari, q̄ ore eloqui: Nec ulla gratior esse principi melodia q̄ concordia mētis, in qua ipse potißimè oblectatur: de qua Augustinus super illud psalmi: Psallite sapienter, inquit: Sapienter psallit, qui mentis illustratione laudat, quia nemo sapienter facit, quod nō bene intelligit: Nec enim elegās laus est, nisi à mente & corde proficiscatur. Hinc ea, quæ à corde non prouenit, à Deo despicitur: ut in Isaia apertißimè loquitur dicens. Populus hic labiis me honorat, cor autē eorū longè est à me. Iccirco diuus cōcentor, ut laudē gratā Deo persolueret, ait: Confitebor tibi domine in toto corde meo. Et deifera uirgo cœlestes cantiones iam instructa per uerbum quod baiulabat in uētre, intonuit: Magnificat anima mea Dominū: & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Animā enim & spiritū cōiungit in laudem principis & Augusti. Augusti. Isaias. Dauid. B. Vir.

LLL

sponsi, nescio qua celebratissima musica, paruifaciēs alias, adinuenta pr ocul-dubio plena & potissima laude in nostro tali concentu.

De flatu præstante sonum omnibus istis instrumentis, qui Spiritus sanctus & uerbum diuinum est. Con. VI.

*X præscriptis quippe instrumentis nullum resonaret, nisi adesset uerbum diuinum, & virtus Spiritus sancti. Nam si virtutem præstat loquendi coram principibus terrenis, nónne magis præstare debet his, qui concinunt laudes corā principe summo? Ha-*
CHRISTVS. *bemus enim à Christo, qui est testis fidelis, in euangelio secundum Matthæum Cum steteritis ante reges & præsides, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini, quia non vos loquimini, sed Spiritus sanctus est, qui loquitur in vobis. Nec consonantiam mentis cū Deo habere possumus, vndè veritas pullulet, & coalescat, nisi præbeat nobis hanc concordiam & ueritatem ille, qui dixit: Ego sum veritas. Hinc de primo rebellante & dissentiente ab illa consonantia dictum est: Ille homicida, vel occisor suiipsius videlicet, ab initio in veritate non stetit. Habita igitur hac consonantia, quæ est ex vera concordia cum Deo per fontem veritatis, amor suauissimus & delectabilis cōsurgit. Hinc sapiens*
Paulus. *ille dicebat: O q̃ bonus & suauis est domine spiritus tuus in omnibus. Et ite-*
Sapien. *rum: Est enim spiritus intelligētiæ sanctus, suauis. Ideo Paulus quādo docet vt exhibeamus nosipsos gratos Deo, inq̃t: In suauitate & Spiritu sācto: Suauitatem enim cum spiritu sancto connectit, quasi hic sine illa haberi non possit. Vbi enim est Spiritus sanctus, ibi suauitas: & vbi suauitas & gaudium verum, ibi Spiritus sanctus: & vbi spiritus sanctus, ibi verbum præuium ad ipsum spiritum, qui ambo uitam, ambo flatum & virtutem præstant: quamuis alter magis intellectum per veritatem, alter magis voluntatem amore perfundat.*

Quid sibi velint illa instrumenta, quæ multa commemorantur in Dauidicis hymnis. Concen. VII.

Dauid. *Ec prætereunda censeo instrumēta illa, quibus Dauid iubet Deo personari in nouissimo psalmo. Inuitat enim nos, vt Deum laudemus in sono tubæ, psalterio, cithara, organo, cymbalis, & aliis instrumentis, quæ apud nos minimè sunt in vsu: vt* השמינית *asseminit,* הגתית *agitit,* נגינות *neginot,* מכתם, *& huiusmodi. Quæ cum ex neruis lignis, metallis, & huiusmodi, putrescibilia, aut corrosiua fierent, aliud prætendere vidētur, q̃ litera sonet. Opinatur hic Augustinus ōnia illa instrumēta referri ad modū depromēdi diuinas laudes, sic dicens: Sancti in omnibus musicis instrumentis laudes diuinas mysticè decātare dicūtur. In tuba enim excellentissimā laudis claritatē ostēdūt. In psalterio & cithara, per cœlestia & terrestria laudāt Deū, q fecit cœlū & terrā: Psalteriū enim à superiori resonat: Cithara ab inferiori. Tympanū fit ex corio exiccato & firmo, vt firmitatem*

laudũ, & laudatorũ designet. Organum, licet dicatur quod per fistulas flantibus follibus sonet, hoc tamen est generale nomen omnium uasorum musicorũ, ut multigenã laudem innuat. Cymbala uerò, quæ tactu sonãt, labia nostra effigiãt: quæ quadam percußione ad inuicem sonum emittunt. Sed Caßiodorus illa instrumentaliter interpretatur dicens: Tuba concrepet Regi: Psalterium *canat* Deo: *Cithara cum reliquis sponso: cum reliquis inquam, quæ per chordarum tensionem sonant. Organum quasi turris diuersis fistulis fabricatum ductori nostro, & uincenti resonet. Omittam, quæ iterũ hîc* Augustinus, *Gregorius, & alij de huiuscemodi instrumentis sentiunt, & producemus ea, quæ nobis omniũ minimis* Sanctus *spiritus suggeßit.* Tuba *(sacra scriptura docente) eam laudem, quã dederũt* Deo *in concionibus suis, & nunc referunt diuini cõcẽtores, ĩnuit:* Ad *quos p* I*saiã dicitur: quasi tuba exalta uocẽ tuã.* P*salteriũ patres illos ueteris testamẽti significat: qui per decalogi obseruationẽ meruerunt inter cõcentores diuinos cõputari, uirtute tamen illius à quo omnis gratia, & meritũ: quia nemo (inquit* Paulus*) iustificatur per legem. Cithara euãgelicos personatores cõprehẽdit iam per omnia cõpita, & uicos mũdi diuulgatos, sicut cithara quæ instrumentũ triuiale est. Et quia Christus promissus fuit in* Mo*saica lege, & exhibitus in euãgelica, ideo* Pater *eũ duplici uocabulo interpellat pluries repetens:* Exurge *gloria mea:* Exurge *psalterium & cithara.* T*ympanũ, qđ corio extento ad ligneã peripheriã cõficitur, illos præsagit: qui corpora sua ieiuniis, abstinẽtiis, & austeritatibus cruci affigunt, uitia & pruritus ui quadã ad ipsam extendentes: de quibus inquit* Paulus: *Qui Christi sunt, carnẽ suam crucifixerunt cũ uitiis & cõcupiscentiis. Chorus (absq; cõtrouersia) indicat omnes, qui mutua charitate cõueniũt reciprocè se amantes: sicut in choro diuinæ laudes alternis de more celebrantur.* Et *cum multa instrumenta prætulisset, tandem excitationem istam ad laudẽ concludit dicens:* כל הנשמה תהלל יה *col anessama thelel iah: quod nostri interpretati sunt,* Omnis *spiritus laudet* Dominũ. *Sed melius dixissent:* Omnis *anima, iam perfecta ui delicet, laudet dominum: anessama enim animam puram, & diuinã significat: prout à* Deo *emanat. Ideo quando tractatur de primæua infusione animæ à* Deo *in hominem dicitur:* Et *insufflauit in faciem eius nismat haiim: qđ nos interpretatum habemus spiraculum uitæ.* Nam *aduertendum est, ꝙ hoc uocabulum anessama non habetur in usu: sed magno mysterio ipso utitur scriptura, quando* Deus *animam infudit homini, & in fine hymnorum, vbi excitatur homo ad reddendam* Deo *perfectam laudem: quam minimè soluit, nisi anima purificata penitus sit, sicut erat quando à principio infusa fuit.* Et *quousque fœditatem corporis sentit, non nismat, aut nessama, quod idem est, dicitur in scriptura sacra* Hebraicè, *sed nephes quod significat animam aliqua animalitate fœdatam.* Ad *primam igitur puritatẽ reuerti debet, si* Deũ *(ut cõueniens est) laudare cupit.* Nec *tãtum expurgata ipsa esse debet, sed expur-*

Au. Gre.

Isaiæ.

Paulus.

Idem.

Genesi.

gasse etiam debuit corpus, quod inhabitauit: ut & ipsum cõueniat in celebres opificis laudes, vt suprà tetigimus. Quod propheta præmiserat dicẽs: Laudate eum in chordis & organo: Organum enim passim dicitur corpus nostrum, per cuius neruos, & venas, & arterias anima operatur, & sentitur, sicut sonus per fistulas organi instrumentalis. Sicut enim mundus (Dorylao Pythagorico teste) est organum Dei: sic corpus est organum animæ, cuius nerui, musculi, ossa, & arteriæ omnes, nunc fistulæ, nunc chordæ dicuntur huius corporei organi: quæ chordæ Hebraicè dicuntur מינים minim, quod propriè interpretantes possemus dicere species, vel genera: Genera videlicet multiplicium arteriarum interiorum, quas omnes diuus citharœdus in laudẽ principis alibi simul cum anima excitat dicens: Benedic anima mea dominum, & omnia quæ intra me sunt, aut omnia interiora mea, nomini sancto eius.

Dauid. Dorilao. Dauid.

MODVLVS DVODECIMVS, EPITHALAMIA.

Quis epithalamia cantet. Concentus Primus.



Xpeditis omnibus musicis instrumentis, restat, ut decantetur epithalamium, quod est sacer hymnus in nuptiis celebratus, quas conciones nemo congruas efficere potest, nisi ductores habeat eos, qui à summo archimusæo, & doctore huius sacramenti instructi sunt. Inter sacra enim volumina quædam epithalamia sunt, & concentiones, quæ ob suam excellentiam cantica canticorum dicuntur, celebrata quidem à Salomone, sed à Spiritu sancto dictata: Nec tamen recepta in sacro canone, neq; inserta numero uigintiquatuor librorum vitæ, nisi castigata & approbata ab Isaia propheta, sicut à fide dignis & celeberrimis authoribus habere potui. Nihil enim apud antiquos Patres pro authẽtico habebatur, nisi emanaret ab officina vatum diuinorum: qui dicta, & sententias omnes ad trutinam arcanorum diuinorum reducerent, & cum eis quantum veritatis continerent sedulò põderarent. Hinc epithalamia ista (& quia à Salomone aliquãdo diuino spiritu repleto ædita, & quia ab Isaia eminentissimo vate cribrata, & approbata) suscipimus tanquam diuina, & ipsa in iis concentibus, quos de rebus diuinis, & gloria cœlesti persoluimus, imitabimur. Verum quia concentus illorum carminum quo ad numeros in traductione nostra seruari nequiit, volui ea quæ cõtinentur in illis hymnis, nostris numeris decãtare. Et primo concinemus epithalamium sponsæ, id est animæ bene sentientis de Deo, & ipsi adhærentis. Secundo epithalamium sponsi in sponsam bene initiatã: & iam ipsi coniunctam. Tertio in connubium, & mutuum amorem, atq; maritales affectus. Sed cum ea quæ sunt hîc decantata tot & tantis inuoluantur ænigmatibus, & metaphoris, vt vix quæ dicantur percipi possint: ideo volui quibusdã notulis aperire vel aliquantisper horum carminum sensa.

Epithalamiū in sponsum.

a *Filiæ dulces Ierusalem, quæ*
Lucidos fontes, & amœna prata
Huc uagæ atq; illuc peragratis, aptæ
Nectere flores,

b *Si meum, quæso, spatiando amicum*
Quæpiam vestrum videat, referre
Sit memor, quantos patiar dolores
Eius amore.

c *Albus est autem meus ille amicus,*
Ac simul sparsus rubeo colore,
Eligi qualis nequeat decem de
Milibus alter.

d *Eius est aurum caput, & comantis*
Vertici palmæ similis capillus,
Nigráq; omnis cæsaries senis iam
Aemula corui.

Aequat & candens oculus columbas,
Quæ solent iuxta fluuios nitentes
Lacteis nixe uolitare pennis
Aëre puro.

f *Talis est eius species genarum*
Areæ quales, vbi sunt odores,
Prima quas pingit, variatque mille
Floribus æstas.

g *Liliis certant niueis labella,*
Et rosas vincunt hilari rubore:
Myrrheum quiddam simul eius oris
Spiritus halat.

h *Sunt manus eius tereti figura,*
Rasiles torno digiti videntur:
Et micant auro pariter decori,
Atque hyacinthis.

i *Leuis est eius simul & relucens*
Venter, & fulgent eboris politi
Laminæ postquam subiere docti
Verbera ferri:

k *Marmor euincunt Pario recisum*
De iugo rectis similes columnis
Tibiæ, quas se super innitentes
Sustinet aurum.

a Filias Ierusalem eius sodales petit, quæ iam pascuntur in amœnis pratis paradisi deliciarum, potatæ fōte illo, qui diuidebatur in quatuor capita ad irrigandā vniuersam terram, & colligunt flores suauissimos affectuum, & fructus bonorū operū.

b Et has adiurans quęrit, vt aliquid indicent de dilecto, sine quo stare ei grauissimum est: quando de more subtrahit se viatori. Nam si continua visitatione sponsus solaretur animam, redderet ipsam beatam adhuc per viam pergentē, quod ei nullatenus competit.

c Indicia quęsiti sponsi sunt, quia candidus perfectissima innocētia in nullo alio reperta: Rubicundus amore, quo vitam & omnia tradidit pro dilecta: Electus ex milibus cubo denarij numeri completi, qui est numerus Deo competens, ad denotandam sublimem perfectionem & diuinitatem ipsius electi sponsi.

d Caput eius comparatur auro inter omnia metalla perfectissimo: Sed capillorum pulchritudo in ordine, æquatur palmæ non ab re, vel cerebro ipsius palmę, ad denotandam virtutē capillorū, quibus euulsis perdit robur, vt de Samsone legimus: nam euulso illo cerebro proculdubio moritur arbor. In colore verò assimilatur coruo qui est (vt sequamur theologiam Hebræorum) inter præcipuas aues à mensura roboris excelsi proueniens, vt non sine causa in 146. psalmo, & euangelio dicatur Deus pascere pullos coruorum inuocantes eum.

e Et quamuis in forti constantia assimiletur coruo multum habenti de robore excelso, oculus tamen intentionis est velut pura columba: quę tanquam prudens & sapiens meritò dicitur residere super fluenta plenissima aquæ sapientiæ salutaris.

f Genæ autem pudoris requisiti in sponsa sunt sicut areolę aromatum consitæ à pigmentariis, ob odorem pudicitiæ & virtutum: rotundę autem ob capacitatem influxuum.

g Labia eius velut rosæ stillantes myrrham primam, aut spōte manantē per quā intelliguntur castigata eloquia procedētia à labiis redo-

l *Totius verò facies decorque*
Corporis, qualis libanus perenni
Qui coma cinctus rutilum cacumen
Iactat in auras.

m *Quærite ergo illum precor ô puellæ,*
Hortulos nanque (vt puto) per virentes
Hunc rosæ florem legit, atque odoras
Demetit herbas.

Epithalamium in sponsam,

a *Pulchra nites, vultusque tibi sic lætus amica est,*
Hierusalem ut palatia:
b *Horridáque es cõtra, quũ frons sua nubila cogit,*
Instructa turba ut martia.
c *Despice io modicũ, atq; oculos auerte parumper,*
Quibus superbus turgeo.
d *Ordine dispositi circum tua tempora crines,*
Quales capellarum greges.
e *Sicut grex ouium niueus cum prodit ab amne,*
Dentes ita emicant tui.
f *Sicque genæ fulgent rubróq; albóq; colore,*
Vt scissa mala punica,
g *Artificisq; manu facti crateris imago est*
Tuus vmbilicus candidus.
h *Et uenter tritico similis, cui spica rosarum*
Flauescit inter germina.
i *Inq; sinu gracili molles hæsere papillæ,*
Quales resident hinnuli.
k *Reginæ decies sex, octogenáq; pellex*
De te loquuntur talia.

lentibus prudentia, & per myrrhã præseruata à colloquiis malis corrumpentibus bonos mores.

h Manus aureæ ex pretiositate bonorum operũ tornatiles & rotundæ, vt in operibus imitetur sphæricum opificem, plenæq; hyacinthis, id est cœlestibus affectibus.

i Venter & intestina perpolita velut ebur sunt cogitationes nitidæ, sed intersecatæ sapphyris influxuũ cœlestiũ, sine quibus non sumus sufficientes aliquid cogitare.

k Pedes affectuum sunt quoq; perpoliti uelut marmor recisum, & sicut colũnæ firmatæ super bases aureas charitatis, quę est radix & fundamentum omnium virtutum.

l Species eius & decor totius corporis assimilatur libano, i. nemori consito arboribus: quia aliquando accipitur pro paradiso deliciarum, quem Deus plantauerat omnigenis arboribus, i. deliciis & gradibus datis creaturis rationabilibus à nobis appetendis, præter arborẽ sciẽtiæ boni & mali.

m Quęrendus est igitur sponsus in hoc hortulo, vbi deliciatur odore rosarũ i. bonorum operũ nostrorum fragrantia ipsorũ etiam fructibus, cum bene placito Patris delibatis: quia eius cibus est, vt facit voluntatem Patris.

a Pulchra dicitur sponsa veluti superna Ierusalem, ad quam tendit cum ipsa symbolum habens: vndè Ierusalem vtranque figurat, & ciuitatem illam supernam, & particularem sponsam vel collectionem omnium sponsarum, quę descendit de cœlo tanquam sponsa ornata viro suo, nec cui accommodatius amicam compararet quicquam habebat.

b Quę sic pulchra, tamen ob pudicitiam & munitionem virtutum, atque charismatum terribilis est hosti, sicut castrorum acies. c Auertere precatur oculos blandientis more, cum nimium superbiat, vt gliscat sponsus in aspectu talis sponsę. d Crines sunt sicut greges caprarum, non autem illorũ hædorum, qui dabantur in sortem Azazel: aut qui collocabuntur in sinistra iudicandi, sed eorum qui positi sunt de Gilahad. i. qui ponuntur corá Domino in cumulum testimonij: Hædus enim bonus, & capilli numerati idem sunt, & eodem vocabulo Hebræo censeri possunt. e Dentes eburnei sunt innocentes, & mundi, velut oues ascendentes de lauacro. f Genæ sunt fragmẽ mali punici pictæ, & ordinatæ.

l Quænam iſta eſt mulier, quæ ſe huc ceu luce ſerena
Aurora ſurgens intulit?
Pulchra velut radios plenis e cornibus effert
Quum luna puro lumine.
m Nunc puto te hortus habet, qa nux ſua brachia pãdẽs
Inducit vmbram frigidam.
n Verum age verte gradum, teq́; huc conferre memẽto
Amplexibus reddens meis.
o Quam decet vt leuibus gradiens pedibus ſola tangis
Ac lene fers veſtigium.

In connubium.

a Ille ille in mea ſe confert vbera:
b Quem mecum parili torret amor & face.
c Admotis labiis tunc ego ſuauium
Vino omni melius iungere geſtiam:
d Arreptumq́; manu protinus in meæ
Deducam thalamum matris, ibi hauriet
e Is quod grana merum punica condiunt.
f Amplexusq́; aderunt illico mutui:
Læua eius capiti ſubiiciet meo
g Se, collumq́; ſuper dextera vinciet.

g Vmbilicus tuus nõdum à matris vtero euulſus eſt: ſicut crater tornatilis capaciſſimus ad ſuſcipiẽda cœleſtia alimenta: ſicut per vmbilicum nutritur infans ſanguine decocto in uenis matris.

h Venter ſimilis tritico, ex quo fit optimus omnium ciborum, adhuc non editur, ſicut pullus nondum ex oui cortice egreſſus: Nutritur enim puer in ventre matris cõceptus Deifico ſemine alimẽto videlicet ſeminis ipſius gratiæ baptiſmalis, quouſque genitus infans incipiat lac cõcupiſcere, & tandem ſolidum cibum: qui cibus nuper cõcepti cùm ſapiat odorem cœleſtis ſeminis, iccirco dicitur roſis vallatus.

l Comparauit vmbilicum crateri, uentrẽ tritico & roſis: ſed ne exiſtimetur aliquod ſecundum carnem, vbera æquat hinnulis ceruorũ excelſorum videlicet, quos præparat Dominus in beneficium noſtrum, vt inde reuelet condenſa & abdita: ſicut prophetis olim qui ſuxerunt illa vbera, contigit.

k Reginæ ſunt ſexaginta numero conducto per denarium completum & ſenarium primo perfectum bona opera denotantes. Concubinæ verò & pellices, id eſt, affectus rerum cœleſtium, expellentes affectus animales conducuntur ex octonario iuſtitiæ, & denario cõpleto in octoginta. Sed iuuencularum, id eſt, ocultorum, & de nouo pullulãtium affectuum nõ eſt numerus: Nam עלמות halamoth vtrunq; ſignificat iuuenculas, ſcilicet & abſconditas.

l Deſcripto corpore per accommodatas metaphoras, anima quoque debitis gradibus procedens effigiatur primo auroræ naturalis luminis: poſtea lunę legis, quæ plena fuit in diebus Dauid & Salomonis: Tandem ſoli doctrinæ & fidei euangelicæ, quæ Chriſto rogante nunquam deficit. Qua perfectione donata anima omnium domina efficitur, atque terribilis, & terrificans hoſtes humani generis, veluti perterrent inimicas acies inſignia præualentium caſtrorum.

m Quæ etiam ſic bene inſtituta deſcendere dicitur in hortum nucum, vt aliqualis caſus deſcribatur, a quo nulla ſponſa eſt penitus libera: quia omnes declinauerunt, & cadit quilibet quamuis iuſtus, præter illum qui peccatum non fecit, ſed aliorum peccata tulit: ideo deſcendere dicitur, non quidem cadens ſed liberans cadentes ab amaritudine, & duritie corticum nucis peccati: quod etiam continet bonum nucleum, dummodo gratia & merito Chriſti deſtruatur illico amarus, & frangatur durus cortex, quia vbi abundauit delictũ, ſuperabundauit & gratia.

n In casu igitur reperiens sponsam ab ipso eam reuocat dicens: Reuertere reuertere sulamitis, id est, pacificata, & meis meritis perfecta, atq; victrix hostiũ cõstituta. Vnde ipsi applaudẽdum est, iuxta id qđ sequitur: Quid videtis in sulamite, nisi choros castrorũ non iam bellantium, sed tripudiantiũ præ lætitia?

Sic autem impliciti nexibus inuicem
b Inter pulchra thori strata cubabimus:
Qui sparsus uariis fragrat odoribus,
*i * Et circum decies sex vigilant uiri:*
Totum qui superant uiribus Israël.
k Mox sensim aduenict luminibus sopor
Diffusus placidè membra per omnia:
l Nec quisquam precor, ô, nos prius excitet.
Incessu crepitans, murmuréue obstrepens:
Quam sponte ipsa oculis se abripiat quies.

o Erecta itaq; & debitis aptata moribus, atq; affectibus, aspicientes omnes & cognoscentes ipsius statum faustum, inducit in tantam admirationem, vt dicant: Quampulchri sunt gressus tuorum affectuum & operum in calciamentis, quibus videlicet defenduntur pedes, ne offendãtur à malo lapide õ filia principis? Sponsa enim dicitur & filia.

a ¶ Affectus veri cõnubij cœlestis omni possibili modo, mysticis exprimuntur sermonibus. Reciprocus primo declaratur amor cum alter pro altero solicitus ostendiur, dum mutuo se in amore suscipiunt, & inter vbera nõ quidem muliebria, sed meliora illa ex quibus propinatur lac, quod qui bibit scit reprobare malum, & eligere bonum.

b Quo lacte pasti ambo communi exardescunt amore: Vbera enim in archetypo sunt fontes fluentes propheticos latices. Sunt etiam legales libri præbentes nobis verum lac sapientiæ,

c Ad quæ vbera sugenda deuenitur p osculum, in quo moriẽs mundo anima soli Deo viuit, contenta lacte illo, quod est omni vino sapientiæ rerum inferiorum longe melius. Verum aliquando etiam vinum sugimus ab eisdem vberibus: de quibus quoque dicitur, erunt vbera tua sicut botri vineæ.

d Dato itaq; osculo & hasto lacte, introducitur ad thalamum matris, non quidem huius inferioris & mortalis, sed potius illius melioris quæ dicitur mater filiorum lætans & gaudens, in prole videlicet fœcundissima ex qua renasci nos oportet, si volumus regnum cœlorum introire de qua inquit Apostolus, Illa quæ sursum est Ierusalem libera est, quæ est mater nostra: In cuius thalamum introducuntur qui susceperunt verum osculum, & bonum illud suxerunt lac.

e Illuc quoq; introducta anima haurit merum, & nectar amoris cõditum cũ succo malorum punicorũ, id est veræ charitatis, vt ab ebrietate lasciuiẽtis & obliqui amoris præseruet.

f Illo itaq; amore calentes coniuges deueniunt ad mutuos, & sanctos complexus, per brachia virtutum & bonorum, quæ in veris amicis solent esse communia.

g In quo amplexu læua, & omnia quæ ad eam pertinent capiti, & rationi supponuntur: sicut aliquando demandatum fuerat: Subter te erit appetitus tuus, qui secũdum sanguinẽ est, & eius naturã sapiens: quod etiam in archetypo à sinistra sumit influxum, Sed dextera amoris, & omnium faustorum & linientium influxuum amplexu gaudet. Quæ duo, timor videlicet & amor vigere solẽt in amantibus, vt hoc incalescat & proficiat, illo verò caueat ne offendat, & inde irascatur condilectus: Subesse autem debet timor amori.

h Quo amore amplexati, connexi, & coniuncti, vterq; iam adepto fine cubare, & quiescere debet super illa pulchra & odorifera strata, ac thoros veri coniugij cœlestis: Quo sponsa conscendens decantat, In pace in idipsum dormiam & requiescam.

i Vt igitur securè quiescatur, cubicula & lectuli illi circundantur à sexaginta fortibus, nõ quibuscunq; sed ex fortissimis Israel, id est militantium Deo in militia illa cœlestis exercitus: Qui deliguntur sexagenario numero conducto ex senario primo perfecto, & denario completo, ad designandam completam perfectionem custodum: Qui omnes tenent gladios, ex illis vtique de quibus dicitur, Inebriatus est gladius meus in cœlo: Suntq; edocti ad bella, & militiam illam qua Michaël præliabatur contra draconem. Vnusquiq; igitur militantium

more habens gladium super femur suum מפחד בלילות mi pacad belelot, id est à timore, aut terrore noctis, vt videlicet defendant à potestatibus, qui in vtraque nocte tenporis, & peccati solent terrere nos: Ab his igitur custodes illi defendunt quiescentes in tabernaculis illis fiduciæ, & securitatis: vt nullo terrore vexentur.

k In qua securitate adeo anima placidè quiescit, in eo à quo osculum accepit, vt in illo sopore conuertatur in idipsum, in quo quiescit, & vnus idem spiritus cum eodem efficiatur.

l Cum igitur in somno illo eleuetur anima, & cōscendat in Deum, ideo adiurantur omnes consodales, ne excitent, neque euigilare faciant sic quiescentem, quousque spiritus, qui eam arripuit, somnum illum protraxerit: id potissime cum spiret quando vult, nec sit in facultate recipientis, sed ipsius spirantis & venientis, ideo consouendus est quousque abierit. Et quia in ipsis amplexibus, & somno pulchrescit sponsa supra id, quod patitur naturalis progressus, & humanum iudicium, in eam aspicientes admirabundi inquiunt: Quæ est ista quæ ascendit de deserto, mundi videlicet huius inferioris, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarii? quæ solent esse in horto voluptatis, in quem iam intrauerat sponsa. His cantilenis potius adumbrare volui diuina mysteria, quæ in canticis canticorum continentur, quàm uel minimum ipsorum argumentum decantare: de diuinis siquidem nuptiis ibi agitur, quibus enarrandis omne humani ingenii acumen hebescit. Hinc igitur diuinarum rerum immensum pelagus intuens, inde verò imbecillitatem virium nostrarum perpendens huiusmodi prouinciam nobis admodum imparem existimaui, nisi temere à Paulina illa sententia recedendum putarim, in quam omnes nostræ potissimum religionis sapientes conueniunt: talia scilicet ac tanta ea esse bona, quæ Deus præparauit diligentibus se, vt ne oculus quidem vnquam ea viderit, nec auris audierit, nec in cor hominis ascenderint, tantum abest, vt quis stylo quamuis erudito ea possit complecti, quæ ad fœlicitatem dignitatemq; huius connubii spectant. Volui nihilominus, ne mysterium penitus esset intactum, has odes ex ipsis canticis canticorum excerpere, vbi Solomon rex ille pacificus diuino afflatus numine, has potius nuptias contraxisse, quàm præsensisse videtur. Breuitati nimirum studui, ne regis secreta passim manifestarem: quia & si difficillimum est, vt dixi, rem huiusmodi pertractare, nonnihil tamen Deo dictante, dicere potuissem, maxime si inter perfectos tantummodo, qui solido cibo vescuntur data esset dicendi facultas: memini quid Origenes de hoc senserit: adeo vt Virgilianum illud non incongruè dici posit.

Per varios casus, per tot discrimina rerum
Tendimus in latium, sedes vbi fata quietas Ostendunt.

Necesse enim habent qui ad Cantica canticorum velint conscendere, singula, quæ in scripturis continentur cantica peragrare. Egredi in primis eos oportet ex Aegypto: egressos mare rubrum pertranqre, vt primum canticum posint canere. Perambulent deinde spiritaliter vastã, & incultam eremum, donec deueniant ad puteum, quem foderunt reges, vt ibidem alterum canticum Domino persoluant. Cum verò illud Mosi celeberrimum canticum assumere proposuerint. Attende cœlum & loquar, Audiat terra verba oris mei, conferant se ad oram illam sanctæ terræ cōterminam, vt in Iordanis ripa huiusmodi canticum modulentur. Cæteris quoq; canticis, quæ in sacris volominibus reperiuntur, concinnè & suauiter decantatis, inde ad altiora conscendant, vt reconditissimum hoc canticum cum sponso canere posint. Id proculdubio animo statuendum est, vt cum monstris sæuissimis congrediantur, eaq; magnanimitate herculea profligent, si augustissimū hebes coniugium promereri voluerint: Quod facile fiet, si summo studio voluptatis illecebras deuitare cōtēdant, debellatisq; perturbationum portentis, omnimodæ mentis quieti insudent, vt spiritali cupidine (quem asserit Origenes) ardentius inflammentur: qui quidem amor, seu Cupido à Deo veniens iis se præcordiis insinuat, quę carnis amore expulso, contemptisq; diuitiis, carne, sanguine & id genus omnibus, imo & ipso cœlo, hęc etenim omnia pertransibunt, huic sancto diuinoq; amori ipsorum mentem, animumq; addixerint, cum nemo posit duobus amoribus posideri, huic igitur amori cedamus, cuius auspiciis connubium illud diuinum celebratur: de quo impræsentiarum vlterius effari non permittitur.

MODVLVS TERTIVSDECIMVS TRIVMPHVS.

Quæ sit iusta pugna. *Concentus Primus.*



Obilis triumphus & gloriosus exquirit primo æquã pugnam, & pulchram victoriam: Et tũc pugna æqua est, quando adest legitima ratio pugnãdi, bello etiam prius indicto: Principis item authoritate interueniente, cuius est decernere bellum, & q iure pugnetur, nõ autem malæ vltionis causa. Si autem imperator noster Christus habuerit iustam causam in bello, quod assumpsit contra hostem humani generis, manifestum est: cum tanquam prædo immanißimus antiquus ille serpens, qui est diabolus, detineret ipsum humanum genus sub durißimo, horridóque iugo seruitutis: Quod quidem dolo, & fraude multiplici subiecerat. Contra hunc igitur Christus pugnans veritate, pietatéque, zelo etiam honoris diuini, & salutis animarum æquißimus fuit in bello. Et ne hostis (licet iniquus) posset habere in aliquo iustam querelam, indictum est ei bellum per antiquos patres prophetasq;, quibus veluti fecialibus hoc fuerat demãdatũ. Inter quos regius propheta Dei solennißimus præco proclamauit dicẽs: Liberauit pauperem à potente, & pauperem, cui non erat adiutor. Imo & ipsemet princeps publicè protestatus est dicens: Nunc princeps huius eiicietur foras, quia secum congressurus sum: & quod plus est, ipse hostis adortus est eum, dum ieiunaret in deserto. Authoritatem verò bellandi habuit à Patre, qui ipsum ad hoc bellũ destinauit iubẽs, vt eius vulneribus debellaret hostem, sicut per Isaiam dixerat: propter peccata populi mei percußi eum, idest tradidi percutiendum, & vulnerandũ: Nam in hoc nouo genere pugnæ victoria reportãda erat vulneribus: In quo quidẽ bello nulla fraus, nullusue dolus intercessit, neq; malus vlciscendi animus: imò pietas liberãdi iniustè oppressos. Pugnauit itaq; ueritate contra mendacem hostẽ: pugnauit zelo contra inuidum: bonitate cõtra maliuolum, & scelestum: mansuetudine contra superbum. Ad quam pugnam sedulò omnes Christi milites, qui eius stipendium in baptismate acceperunt, accingi debent, sicuti fecerat Michaël animarum custos contra eundem hostem, vt narrat Ioannes dicens: Michaël & angeli eius præliabantur cũ dracone: Quam pugnam aggressus fuerat pro Christo principe, & eisdem legibus quibus ipse pugnauit: Ait enim Euangelista, q cum mulier (scilicet virgo deifera) amicta sole, idest diuino lumine, habens lunam, synagogam uidelicet sub pedibus, & coronata duodecim stellis, id est duodenario illo diuino, cœlesti, & apostolico, de quo suprà diximus, visa & ostensa fuit in cœlo parere filiũ suum primo & vnigenitum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea: & qui daturus esset omnibus beatitudinem. Serpens ille antiquus & draco, qui est diabolus, nimia temeritate elatus noluit à Christo nasciturо de virgine suscipere beatitudinem: sed mente intumescens ait: In cœlum conscendam super

Dauid. CHRISTVS. Isaias. Ioannes.

astra Dei, idest super sanctos exaltabo soliũ meum, ponam sedem meam ad aquilonem, quasi stans ex aduerso illius, qui venit ab austro. Et bene ad aquilonem se uertit, undè omne malum panditur, & vndè omnis ruina & casus. Contra quem pro Christo insurrexit Michaël & angeli eius, suscipientes edictum illud à diuo concentore decantato: Et adorent eum omnes angeli eius. Dauid
Qui omnes bellum susceperunt contra dracone͂ pro Christo, & legibus Christi: Pugnauit enim serpens contumacia, isti obedientia: Ille odio, isti amore: Ille inuidia, isti zelo: Ille superbia, isti pietate: Ille propriis uiribus præsumens, isti uirtute diuina suffulti. Hac iustitia, & hoc fauore præualuit Michaël & exercitus eius contra draconem, & satellites ipsius vsque ad eorum omnimodum exterminium, & irreuocabilem eiectionem à regno illo, in quo Christus rex pacificus regnat in pace. Victus igitur draco, & eiectus triplicem contra nos direxit aciem, quæ sunt mundi portenta, cuius draco princeps, & tyrãnus effectus erat. Quas acies Ioannes meminit in epistola, & omnibus iam notæ Ioannes
factæ sunt, concupiscentia uidelicet carnis, cõcupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Et hoc est, quod idem Ioãnes in apocalypsi prosequitur: Et iratus dra Idem.
co abiit facere prælium cum reliquis, qui custodiunt mandata Dei: & habent testimonium IESV Christi. Et paulo post: Datumq; est illi facere bellum cũ sanctis: & uincere, nisi Christus nobis comparasset victoriam, Cuius fauore multoties vincitur à nobis.

De larga victoria habita à Christo pro se, & pro militibus suis. Concentus Secundus.



N hoc bello imperator noster Christus adeo victor fuit, ut nec minimum damnum, aut vulnus potuerit ipsi inferre hostis, hinc lætus depromit: Venit enim princeps mundi huius, & in me CHRISTVS.
non habet quicquam. Cuius uictoriæ laus tota ipsi debet adscribi, qui solus cum hoste pugnauit, sicut in vaticinio Isaiæ dictum fuerat: Isaias.
Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum. Et hac de causa quando Petrus stricto gladio uolebat in hostes exilire, dixit: Pone gladium tuum in uagina, non putas, quòd possem rogare Patrem, & exhiberet mihi plusquam duodecim legiones angelorum? sed nolo, quia solus debeo hanc pugnam intrare. Hinc non sine admiratione audientium; & attentè considerantium in ipso conflictu clamauit ad Patrem: Deus meus, Deus meus ut quid dereliquisti me? solum uidelicet in duello cum acerrimo hoste. Quod arcanorum Dei conscius Paulus intelligens Colossensibus sacramentum explicauit Paulus.
dicens: Cum essetis mortui, & deprædati peccato, conuiuificauit uos CHRISTVS donans omnia delicta, tollens quod erat aduersus nos chirographum decreti contrarium nobis: & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: Expolians principatus & potestates traduxit confidenter, palam triũ-

phans illos in seipso: Nónne hic Paulus sacramentum & ordinem totius belli, & victoriæ Christi de aduersario humani generis exposuit, & explicauit? Ostendit enim, cur pugnauerit, vt eriperet videlicet nos de morte, idest angelo mortis, & de peccato remittens debita, ob quæ eramus obnoxij & serui, delens chirographum, quod feceramus diabolo per manus malè operantes: Et quòd per crucem soluerit debitum ditans nos spoliis principatus, & potestatũ tenebrarum: Et tandem concludit, quòd hanc victoriam, & triumphum reportauit per semetipsum, vndè non immerito gloriosissimus fuit. Sed quãtum ad nos attinet, solus pugnauit, vt soli redimenti deberemus, sicut longa serie

Ambro. differit Ambrosius in libro de patriarchis. Et hanc victoriam non procurauit

Paulus. solummodo pro se, sed pro omnibus nobis, in hoc ostendens magnificentiam suam: Quod apostolus aperto sermone refert dicens: Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per IESVM Christum dominum nostrum, dummodo velimus fideliter militare contra eundem principem mundi & tenebrarum: & cõtra eius malas suasiones & acies: vt multi fecerunt omnia terrena arbitrãtes veluti stercora, vt in aciẽ Ditis irruerẽt, carnẽ & voluptates domãtes, vt Azazelis lenocinia declinarẽt, subiecti obedientiæ legibus, & vilibus mancipati, ne asmodei fastus aut arrogantia adinueniret, vbi vulnus aliquod infligeret. Quæ triplex pugna, in spiritu videlicet sensitiuo homine, & exteriorum circa nos adiacentium oblectatione indicta est, ut in trino prælio deuicta tricipiti bestia ad ternarium illum excelsum, uel aliquo modo meriti deuenire possemus. Ritè quidem Spiritui sancto vnimur, quando proprij spiritus fastu deposito nihil omnino in nobis remanet, quod impedimẽto sit omnimodæ subiectioni & adhæsioni, qua non modo obtemperare, sed vniri cũ spiritu illo ualeamus. Accommodatè quoque ad filium Christum atingit, qui carnem propriam crucifixit cum vitiis, & concupiscentiis carnalibus. Optimè tandem ad pientissimum Patrem deuenimus, quando piè rebus omnibus abiectis, aut erogatis, siue saltem pessundatis, pro viribus religione, pietate, uehementissimóque animi ardore eum prosequimur: tunc ipse, qui uidet in abscondito, reddet nobis. Fouet etiam nos, amplectitur, & nutrit, iuxta illud quod filius attestatur dicens: Scit enim Pater uester celestis, quibus indigetis. Est enim hic excelsus ternarius contra infimum, & teterrimum, illo quidem sacramento, quo omnia sic statuta sunt mala bonis aduersantia: illis reiectis non mediocri gloria ad ista deueniamus.

Triumphi gloria imperatoris & militum. Con. III.



Arta itaq; uictoria, meritò uincenti debebatur triumphus, cum captiuos liberauerit, & non modo ciuitatem unam, aut angustũ dominium, uel regnum imbelle subiugarit, sed totũ genus humanum, & quod fuit in omnibus retroactis temporibus, & quod imposterum erit: imo totum mundum suæ ipsius ditioni summisit, dicẽte Paulo

cum Ephesiis: Pater constituit eum ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatū, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne quod nominatur, nō solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro: & omnia subiecit sub pedibus eius. In quam gloriam intrauit bellando, maximè in passione sua, vt ipsemet testatus est in euangelio, cui titulus est secūdum Lucam dicens: Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. Triūphare itaq; cœpit die, quo captiuos redimens gloriosus surrexit: sed triumphum perfecit, quando solenni apparatu conscendit ad regnū, sicut canit Ecclesia: Datur triūphus gratiæ, scandens tribunal dexteræ. Ascendit enim in currum corporis glorificati, pertractum à quatuor equis albis id est à quatuor dotibus corporis gloriosi: quia graue induit leuitatem, vt facilius & delectabilius conscenderet: & crassum effectum est subtile, vt cœlum sine obstaculo penetraret. Corruptibile autem effectum est incorruptibile, vt in æterna gloria perseueraret. Sed obscurū in lucem conuersum est, sicut in die transfigurationis resplenduit facies eius sicut sol: Luce enim refertum esse debet, si stare uelit ante Patrem luminum, apud quem nulla est obumbratio. Et tandem ex animali surrexit, & ascendit spirituale aperiens viam, & præbens modum, vndè omnes eisdem dotibus cōsurgant: & ad regnum beatum perueniant. Proferebantur quoq; in illo triūpho insignia & arma, quibus debellauerat hostem, crux videlicet claui, & lācea, undè canit Ecclesia: Vexilla regis prodeunt, fulget crucis mysterium. Acclamabant ministri & paranymphi imperatoris cantantes: Regnauit dominus à ligno, itidē'q; in omnibus instrumentis, quibus cruciatus fuit, & quæ ad crucem pertinent. Aderant & captiui debellati, deuincti ad triumphi pompam, ut Ioannes noster perhibet dicens: Vidi angelum habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua: & apprehendit draconem serpētem antiquū, qui est diabolus, & ligauit eum, ut non seducat amplius gentes, sicut videlicet seduxerat ante Christum vi quadam deducens homines ad sui cultum: quanq̄ soluetur modico tempore completis mille annis, spatio uidelicet à Patre determinato: & tunc in antichristo pmittetur potestas faciendi ea, quæ à Christo citrà nemo fecerit, quanq̄ præstigiosa erunt omnia. Sed ad nostra reuertamur. Ligatus itaq; erat hostis cum omnibus suis satellitibus debellatis: Captiui uerò, quos de manibus inimici, & de tartareis locis, confractis portis & seris eripuerat, astabant gaudentes simul cum principe triumphantes, & multi eorū in curribus corporum iam glorificatorum conscenderant, vt euangelista ait: Multa corpora sanctorum surrexerunt cū eo, & introierunt in sanctam ciuitatem, Ierusalem uidelicet infernam, & tādem supercœlestem: & apparuerūt multis in utraq; Ierosolyma. Acclamabant insuper concentores quamplurimi ouātes magno applausu. Et alij admirantes ascensum istum cum tāto triumpho dicebant (ut Lucas narrat) Viri galilæi quid statis aspicientes in cœlum, quo uester contuitus non attingit? Hic IESVS, qui assumptus est à vobis in cœlū,

CHRISTVS.

Ioannes.

Matth.

Lucas.

sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Tunc dabitur vobis plena copia gaudēdi, & triumphandi cum ipso. Qui autem cōcentus, qui soni tubarum, & aliorum instrumentorum fuerint in illo triumpho, diuus Ci-
David. *tharœdus plenus Spiritusancto aliqualiter præcinit dicēs:* Omnes gentes plau*dite manibus, quia omnes redemit, & pro omnibus triumphauit, non autem pro iudaico populo, neq; pro Israël figuratiuo tantummodo.* Iubilate Deo *in uoce exultationis, sicut fiebat tempore Iubilei, quæ erat maxima solennitatū.* Nec *habebat propheta, quid in hoc triūpho excellentius faciendum proponeret:* Quoniam Adonai *id est dominus* I E S V S, *cui illud nomen competere declarauimus, excelsus & exaltatus est factus terribilis, rex tremendus, & venerandus super omnem terram, qui prius steterat ante iudices terræ mansuetus velut agnus, Subiecit populos nobis, cultoribus diuinis videlicet & ducibus christiani exercitus: & gētes, vel multitudinem sub pedibus nostris: quod facere nequiuit* Moses, *& sacerdotes legales, qui solummodo rexerunt Israëliticam familiam, & paucos aduentitios. Elegit nobis id est sortitus est, & diuisit nobis hæreditatem suā, vel elegit nos in hæreditatem sibi: aut deduxit in hæreditatem suam, idest in regnum paratum à constitutione mundi:* Et hoc *in gloriam uel magnificentiam* Iahacob, *quem dilexit: quia omnis iam Israëlitici facti sumus ad vitam æternā electi. Ascenditq;* Deus *homo in iubilo, sono quidem omnium dignißimo, & dominus in voce buccinæ, aut cornu, quod sonabatur tēpore iubilei, &* Hebraicè *dicitur* שופר *sophar. Psallite ergo, & hymnum dicite* I E S V Deo *nostro, psallite regi nostro Christo psallite: Quoniam rex omnis terræ iam effectus est, atque rex regum, &* Dominus *dominantium: quia omnia redemit. Ideo tanto regi psallite sapienter, vel intelligenter, attendentes videlicet ad ea, quæ dicitis, ut non tantum labiis, sed corde & mēte dicatis laudes.* Regnabit *modo* Christus Deus *sup gētes &* Deus *homo*
Isaias. *sedebit sup sedē sanctuarij sui: Quod sāctuariū in archetypo dicitur* תפארת *tipheret, idest gloria, pulchritudo, vel triumphus. Hinc typico mysterio dictum est in Isaia: Sicut eduxisti populum tuum olim de* Aegypto *per manum* Mosi, *ut faceres tibi nomen tipheret, quod nos interpretatum habemus nomen gloriæ, & potest interpretari nomen triumphi: Quod quidem nomen sibi comparauit in uera deductione totius generis humani de* Aegypto, *idest de*
Zachar. *angustia diabolicæ seruitutis, & tartarei carceris per sanguinem suum, ut*
Isaias. Zacharias *vaticinatus est dicens: Tu quoque in sanguine testamenti tui eduxisti uinctos de lacu. Hinc Isaias cum de isto triumpho comparato vaticinari cœpisset, præmisit ea, quæ dicebant angeli admirantes de triumphanti ascēsu* Christi, *nouo triumpho gratiæ acquisito per sanguinem, & mortem (sicut*
Diony. *exponit* Dionysius) *clamabant siquidem: Quare rubrum est indumentum tuū sicut calcantium in torculari? Quibus triumphans respondit dicens: Torcular calcaui solus, & de gentibus non est uir mecum: Calcaui eos (contra quos ui-*

delicet digladiatus sum) in furore meo, & conculcaui eos in ira mea. Et aspersus est sanguis eorum super vestimēta mea, quia scilicet peccãtium sanguinem, & debitum eorum in me suscepi effundens sanguinem meum iu eorum liberationem, quo securius, lætius que omnes triumphare possent.

De triumpho diuersorum ducum post Christi recessum. Con. IIII.



Vamuis victoria de vniuerso mundo sit parta á Christo in suo sanguine, cui laus & gloria ab omnibus debetur: tamen iubente & fauente ipso, alij triumpharunt (maximè duodeni principes apostolici) de duodecim partibus mundi, per uirtutem Spiritus sancti, quo eos repleuerat, Ideo præfecti dicuntur duodenis tribubus, in quibus (vt diximus) concluditur totum humanum genus. Nec exclusus fuit Paulus, qui plus omnibus laborauit: Nam & ipse (vt patet) cum eis triumphauit de multis ciuitatibus, & prouinciis, quas deduxit in ditionem Christi: De Antiochia enim, Seleucia, Rhodo, Pergen, Pamphylia, & Cilicia: Item de Phrygia, Philippis, Macedonibus, & Corinthiis, Thessalonicensibus, Athaeniensibus, & Ephesiis, & de multis insulis Græciæ. De Italia quoque & Hispania, ad quas regiones (vt diximus) portauit nomen Domini IESV ipsi Paulo potißimè decernendus est triumphus. Petro autem de Roma, quæ huius monitis sub imperio Christi militare cœpit: Ioanni de Asia: Thomæ de India: & reliquis de prouinciis ipsis in sortem prædicationis aßignatis. Qua victoria habita, meritò consequi debuerunt triumphum, coronasq; cum imperatore, & collocari tanquam eius assessores supra sedes duodecim, ut præsideant, & iudicent ueras duodecim tribus Israël, de quibus satis suprà dictum est. Hinc de eis decãtat propheta: Principes populorũ congregati sunt cum Deo Abrahã, David. *qui uidit dies nostri imperatoris, & gauisus est. Et dicitur Deus Abrahã, quia eius aduentus primo Abrahæ promissus fuit. Deus quoque Abraham, quia nouus quidem homo effectus, ut mutatum nomen illud mysterium intelligentibus indicat, nouæ familiæ à redemptore regenerandæ Pater constitutus est. Duodeni quoque principes adeo cum Christo nostro Deo uniti sunt, ut de his subinferat propheta: Dij fortes terræ, aut Dij scuta, uel protectores terræ uehementer eleuati sunt: quia exaltati super omnes tribus terræ, & collocati* Idem. *super præcipuas sedes gloriæ. Et de his diuus Citharœdus in alio psalmo concinit dicens: Gladij ancipites in manibus eorũ, ad faciendam uindictã de hostibus deuictis, qui præualuerant cõtra humanum genus, & cõtra omnes nationes. Quam uindictam fecerunt, & faciunt simul cum eo, de quo inquit Ioãnes:* Ioannes. *Quod ex ore eius procedebat gladius ex utraque parte acutus, ideo simul armati facient iudicium conscriptum, & determinatum in mente diuina, ligando hostiles reges in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Hic igitur triumphus datus est præcipuè principibus apostolicis, & consequenter*

omnibus prædicatoribus, qui deduxerunt populos in ditionẽ Christi & Dei, & omnibus his, qui bene rexerunt plebem sibi creditam, aut saltem se ipsos: vndè sequitur: Gloria hæc est omnibus sanctis eius. Et in Apocalypsi inquit imperator: Qui vicerit, faciam eum sedere in throno meo, qui est verus currus CHRISTVS. *triumphi, sicut ego vici, & sedeo in throno Patris mei.*

MODVLVS DECIMVSQVARTVS PRAEMIVM.

Quàm magnum & pretiosum sit pugnantium præmium.
Concentus Primus.



Paulus. *Vb multis metaphoris promissum est præmium legitimè certantibus: Primo enim Deus illud spopõdit sub typo terræ lacte & melle fluentis: Paulus verò id aliquando coronam vocat dicens: Non coronabitur nisi qui legitimè certauerit: Et iterum: Illi quidem, vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Aliquando brauium nuncupat dicens: Omnes quidem currunt, vnus autem accipit brauium:* CHRISTVS. DEVS. *Sic currite, ut comprehendatis. Christus verò nunc denarium diurnum illud præmium nominat: nunc nuptias, nunc lignum uitæ, nunc mana abscõditum. Sed familiarissimo suo Abrahæ Deus clarius explicauit dicens: Ego ero merces tua magna nimis: Quo maius, & pretiosius, aut æquale nec dari, nec excogitari potuit: quia summum est bonum, in quo omnia bona. Quod* CHRISTVS. *tamen idem est, quamuis diuersimodè nominatum: nam ipse Deus Pater à theologis Hebræis corona nominatur: Ipse enim vtique corona est & præmium nostrum, cum sit potissimum obiectum beatitudinis, dicente filio: Hæc est uita æterna, ut cognoscant te Deum Patrem. Et quia filius idem est cum Patre, Sequitur: Et quem misisti filium eius: Qui quidem est uera terra uiuentium nobis promissa, à qua fluxit, & fluit lac diuinæ sapientiæ & mel, idest dulcedo & gustus rerum diuinarum, qui est circa uerum mana: quod nihil aliud est dicere, q̃ cibum quendam admiratiuum. Nam videntes filij Israël cibum illum angelorum, uel fortium missum de cœlo omnem saporem in se habẽtem admirantes dixerunt ad inuicem:* מן הוא *man hu, quod interpretantes dicimus, Quid hoc? Inde dictus est ille cibus man hu, sed nos latinè dicimus mana: illa enim est potius dictio admirantis, quàm nomen cibi. Nam cum cibus ille satis transcendat captum imbecillium, ideo dicitur cibus fortium, quamuis nostra traductio habeat angelorum. Et quia non potest intelligere illum aut gustare nisi expertus, dicit Christus in Apocalypsi: Nemo scit, nisi qui accipit. Dicitur quoque hoc præmium denarius diurnus: Denarius, idest uerum & completum præmium, sicut denarius est numerus completus: Diurnus uerò ex illustratione obiecti, & clara intuitione beatorum. Dicitur etiam brauium, promissum videlicet currentibus in mercedem. Est igitur hoc præ-*

mium (quocunq; uocabulo nominetur) bonum nunquam defectiuum, nec per communicationem minoratum. Nec quia magis vni q̃ alteri communicatur, *locum inuidiæ relinquit minus habenti, cum omnes coniubilent de gloria, bonóque cohæredum.* Nam qui inuenti sunt inuidi, ab illo sodalitio, & communione illius præmij irreuocabiliter expulsi sunt.

Quòd illud præmium sit iucundum, & æternum. Con. II.



E quo præmio, q̃ iucundum sit, loquẽs explicat ille qui comprobauerat dicẽs: Gustate, & videte q̃ suauis est dominus. Sed maiora sperans iterum inquit: Notas mihi fecisti vias vitæ, in resurrectione videlicet: ut inquit Ambrosius. Adimplebis me lætitia, aut iucunditate cum vultu tuo, sicut Petrus allegat in actibus apostolicis, Quæ delectationes erunt in dextera Dei, ubi pietas, misericordia, gratia, & omne iucundum, & amœnũ. Quæ delectatio erit usque in finem, idest æterna, & indefectibilis: Et hæc ex multiplici causa resultat, quia videlicet obiectum est pulchrum uisui, sensui delectabile, gustui dulce, & omnibus potentiis perfectè proportionatum interueniente quoque pacto perpetuæ possessionis. Est enim Deus illud pulchrum, à quo omnia pulchra fiunt: vt bene sentiunt Platonici, simul cum Dionysio, & Hierotheo, qui dicunt: Quod sicut unumquodq; dicitur bonum, quia participat de summo bono: & ens, quia participat de summo ente: Ita est pulchrum participatione primi pulchri, quod nunc dicitur יפית iaphit, nunc הדר hadar, nunc תפארת tipheret: Quamuis differant, si bene vim vocabulorum perpendimus. Iaphit enim pulchritudinem ueram ab intrinseco aduenientem significat. Hadar uerò decorem, & pulchritudinem in effigie, habitu, ornatu, & moribus indicat. Tipheret autem pulchritudinem ipsam, atque maiestatem intrinsecam cum gloria quadam, & triumpho apparẽti resultantem. Vocatur enim iaphit in psalmo quadragesimo quarto, vbi traductum habemus: Speciosus forma præ filiis hominum: In Hebræo enim habetur יפיפית מבני אדם iaph iaphita mibent Adam. Quod traducendo ad uerbum diceremus: Pulcher pulchritudine à, uel præ filiis Adam. Hadar habemus in psalmo nonagesimo quinto, vbi dicitur: Confessio, & pulchritudo in conspectu eius, cum in Hebræo habeatur, הוד והדר לפניו hod ue hadar lepanau: Tipheret etiã habemus ibidem עוז ותפארת במקדשו hoz ue tipheret bemicadso, idest uirtus, & pulchritudo in sanctuario eius: Pro quo nos habemus, sanctimonia & magnificentia in sanctificatione eius: Quæ tria vocabula habemus in plerisque aliis locis. Sed aduertendum est, quòd maiestas illa & pulchritudo, quæ tipheret dicitur, aliquando innuitur per lucem: Vndè habitans in ea ait: Ego sum lux mundi. Aliquando per solem, iuxta illud psalmographi: In sole posuit tabernaculum suum. Abraham enim tetenderat tabernaculum suum ad miridiem, in quo profecerat ualde. Izahac quoque, sed non ibidem nimis ditatus fuit: Quod innuitur in eo quod dicitur:

Dauid. Ambro. Petrus. Platoni. Dionysi. Hieron. Psalmo. Genesis. Ibidem.

Seminauit Izahac in terra illa, & inuenit in ipso anno centuplum, sed habet ueritas Hebraica: Inuenit in anno illo centum hordeos, & benedixit eum Dominus, & magnus factus est uir: & iuit proficiens & crescens donec effe-
Hierony. ctus est magnus ualde. Miratur Hieronymus, quomodo tam magnus potuerit effici per centum hordeos adinuentos. Veritas est, quod profecit in illa influentia aquilonari indicata per שערים scharim, quod & hordeos, & alia multa significat. Iahacob autem fixit tabernaculum suum in medio, ubi est tipheret, idest pulchritudo, & sol supramundanus. De quo tabernaculo, aut tabernaculis dicitur in libro numerorum: Quàm pulchra sunt tentoria Iahacob, & tentoria
Nume. Israël. Idem itaque est dicere, speciosus forma præ filiis hominum: Erat lux uera omnes illuminans: In sole posuit tabernaculum suum: Regnabit in domo Iahacob in æternum: Et multa similia, quæ conueniunt, ut notum est eis, qui sciūt quæ per huiusmodi importantur. Est igitur pulcher Deus, merces, & obiectū nostrum, & consequenter delectabile sensui interiori per diuinitatem: & ex-
CHRISTVS. teriori per humanitatem assumptam: ut ipsemet Christus redemptor, merces
Petrus. Dauid. & quies nostra ait: Ingredietur scilicet ad diuinitatem, & egredietur ad humanitatem, & utrobiq; pascua inueniet. Est etiā gustui dulce & suaue, ut inquit Petrus: Si tamen gustatis, quoniam suauis est Dominus. Et Dauid in psalmo: Suauis est Dominus uniuersis. Est denique proportionatum omnibus potentiis, quamuis infinitum sit omnes potentias excedēs: quia illo excessu minimè corrumpit, sed tantum tribuit, quantum potentia recipientis est capax: Et hæc est uera iucunditas, quæ ex proportione & cōueniētia resultat. Quod gaudium, quæ iucunditas, quæ suauitas, quæ denique plena fœlicitas nihil esset quodammodo, nisi continua cum securitate possidentis. Ideo summus im-
CHRISTVS. perator noster, ut certos nos redderet de hoc gaudio nunquam amittendo, dixit discipulis, & consequenter omnibus: Gaudebit cor uestrum, & gaudium uestrum nemo tollet à uobis.


MODVLVS QVINTVSDECIMVS, IMPERIVM.

De amplo principis imperio. Concentus Primus.

Post triumphum datum est huic triumphatori imperium, cū sit
Paulus. rex regum, & Dominus dominātium. Quod imperium quale sit, Paulus paucis admodū uerbis se expedit dicens: Quem constituit hæredem uniuersorum. Nec ultrà prorogari potest, cū uni-
Isaias. uersa sint ei subiecta. De quo & Isaias, cum sermonem de natiuitate eius faceret, uaticinatus est dicens: Multiplicabitur eius imperium, & pacis eius non erit finis: quia princeps pacis erit. Nec turbetur quispiam si bella multiplicia adhuc sunt in regno inferiori, quod Ecclesia militantiū dicitur: quia nondum
Paulus. positi sunt inimici eius omnes sub scabellum pedum eius, iuxta illud Pauli: Sedet in dextera Dei de cætero expectans, donec ponantur inimici eius scabel-

lum pedum ipsius: Sed *quãdo dabitur tempus, vt destruatur inimica mors, tũc pfecta pace gaudebit in omnibus mẽbris suis. Sequitur propheta: Super soliũ* Dauid, *& super regnum eius sedebit: Bene quidem sedere dicitur in solio* Da- Dauid. Moses.
uid, qui fuit primus rex, & vnicus Deo *gratus ex iis, qui regnauerunt in toto* Israël. *Et fuit de tribu* Iehuda, *quæ regio stẽmate decorata fuit :* Habuit e-
nim vnaquæq; tribuum Israël *sua priuilegia peculiaria, vt* Pater Iahacob, *&* Iahac. Moses.
post cũ Moses *in suis benedictionibus occulto & profundo mysterio innuunt.* Tribui *igitur* Iehuda *regale sceptrum designatum fuisse referat dicens:* Non *auferetur sceptrum de* Iehuda. *Et ideo non credidit* Iahacob *alicui filio fideiubenti pro* Beniamin *deducendo in* Aegyptum, *nisi* Iehuda *tanquam regi, cuius verbum veridicum esse debet. Et quamuis non semper apparuerit regnum in tribu* Iehuda, *fuit tamẽ sẽper regio sceptro in archetypo decorata. Electus enim fuerat* Dauid *in regem super vniuersum* Israëlem, *& vnctus à* Samuele, Dauid
tamen antequam facto adipisceretur regnũ iam decretũ in mente diuina, per plures annos militauit sub Saule: *& ob benemerita, & præclara ipsius gesta populis quidem clarißimus fuit, inuisus verò* Sauli, *& multis insidiis obseruatus: adeo vt liuori cedendum duxerit, mallens allophylis inseruire q̃ inuido regi.* Et *postquam regnare cœpit, per septem annos ad solam eius tribum* Iehu*da adactus regnauit. Quod in exemplar nobis exhibitum est, ne quis contristetur, si regnum promissum statim non adipiscatur. Perdurauit autem hoc regiũ sceptrum in tribu* Iehuda, *aut sub nomine regis, siue ducis vsq; ad* Christum:
Quo *adueniente, minimè ablatum fuit (quamuis dicat oraculũ:* Donec veniat Genesis.
Meßiah) *Sed sub ipso mutatum fuit in melius, cum fuerit* Rex *regum, & pro nobis omnibus acquisiuerit regnum vtique illud uerum, & æternum.* Ideo Pi-
lato interroganti, si esset Rex, *respondit:* Tu *dicis, quia rex sum ego:* Regnum CHRISTVS.
autem meum non est de hoc mũdo, sed supramũdanã radicẽ habẽs in archetypo, à quo descendens traxi mecum regnum, quod mysteriosè innuitur in hoc nomine יהודה Iehuda, *ex cuius stirpe verè regia ego sum. In quo nomine continentur omnes literæ magni nominis quadriliteri, aut tetragrammi interposita litera* ד *dalet, quæ quatuor importat in numero:* Ex *quo innuitur diuinitas & regia maiestas, quæ continetur in* Tetragrammo, *habitu inuenta fuisse in corpore humano quadrario ex quatuor elementis, quibus compositum est.* Cum *igitur* Meßiæ *competat illud sacrum nomen quadriliterum, & fuerit verus homo, facilè intelligimus ipsum etiam verum regem supramundanum, & de vera tribu* Iehuda: *quamuis pro tempore peregrinationis suæ latuerit in quadrario corpore humano.* Nunc *autem regia pompa regnat in solio cœlesti,*
cum qua apparebit in secundo aduentu etiam mortalibus. De *quo ipsemet ait:* Idem.
Cum *venerit filius hominis in sede maiestatis suæ cum angelis suis:* Et *iterum:* Videbunt *omnes filium hominis uenientem in nubibus cœli cum uirtute multa, & maiestate.*

Quàm sit iustum huius principis imperium. Con. II.



Ed cum imperatoriam, aut regiã dignitatem quis duplici iure suscipiat, hæreditario videlicet & iusti belli: Vidẽdũ cẽseo, quomodo Christus imperator noster non tyrannicè, sed vtroq; iure illud sibi vendicet imperiũ: Habuit enim in eo hæreditarium ius cum fuerit filius summi principis, cum quo & omnia, quæ ei subiecit, fabricauerat,
Paulus. *vt dixit arcanorum reserator Paulus: Quem constituit hæredem vniuersorũ, per quẽ fecit & sæcula. Sed hoc parum sibi iustum fuisset, nisi virtute & arte militari (iusto tamen bello) insigne imperium iterum comparasset. Propositum nanque est regnum instar præmij currentium, aut decertantium, his qui in agone huius mortalis vitæ hostem deuicerint. Pro cursu siquidem gymnico est ipsius uitæ curriculũ, quo ad præmiũ, vel pœnã quisq; deuenire potest. Pro certamine verò indictũ est bellũ cõtra vitia, & tartareos hostes, vt suprà explicauimus, In quo prælio vexantur, & anguntur, quicunq; decertãt, iuxta illud*
Idem. *apostolicum: Oportet nos per multas tribulationes introire in regnum Dei. Inde ut uim sibi vnusquisque inferat necesse est, sicuti imperator ipse & rex noster*
CHRISTVS. *protestatur dicens: Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*
Paulus. *Violenti quippe, aut in seipsos castigantes corpus, & in seruitutem redigentes, aut cõtra imperatoris hostes, sicut & apostolus ait: Non coronabitur nisi qui legitimè certauerit. Et qui fortius in hoc bello, & magis strenuè se gesserit, copiosius præmiabitur. Hinc qui excellentiori corona sunt donati, duriores*
CHRISTVS. *sustinuerunt impetus. Testes sunt apostoli, & domestici discipuli Domini iandiu assumpti in assessores principis, quibus ipse dixit: In mundo pressuram*
Paulus. *habebitis: & hanc vtiq; magnam, quam Paulus cõmemorans ait: Sancti verò ludibria & uerbera experti, insuper & vincula, & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt. Circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti: quibus dignus non erat mũdus.*
Simeon. *Testis est & imperatrix, cui dictum est à Simeone propheta: Et tuam ipsius animam pertansibit gladius, adeo vt dicant quidam sapientes, quòd fuerit plusquam martyr. Gladius vtiq; compaßionis, qua simul cum filio pro uirili sua passa est: Gladius diuidens animam inferiorem à spiritu, vt perfectè deifica efficeretur. Testes sunt omnes commilitones imperatoris, quibus ipse ait:*
CHRISTVS. *Qui vult uenire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me uim sibiipsi inferens, & decertans contra hostes lucis & ueritatis, sicut & ego feci. Cũ igitur ipse imperator omnes excedat in præmio & corona, ideo certandum sibi erat supra omnes: quod referans duobus discipulis euntibus in Emaus dixit: Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. Passus est itaq; super omnes, & pro omnibus tanto doloris excessu, vt ei dicat*
Ieremię. *Ieremias: magna est velut mare contritio tua. Et cum pro nobis patiens omnium nostrum debitum soluerit, ideo omnes ipsi tenemur. Nec tantum passus*

est ut pro nobis debitum solueret, sed strenuè dimicans eripuit è manibus inimici totũ humanũ genus. Cũ autẽ redẽptus à captiuitate (vt leges decernũt) teneatur redimenti, ideo diuino spiritu afflatus Zacharias cecinit: Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati seruiamus illi in sanctitate, & iustitia corã ipso omnibus diebus nostris. Et sic sapientia illa diuina, quæ tanquam author omniũ iure in omnibus principatur, ut in ecclesiastico legimus: In omni populo, & in omni gente primatum tenui, sic & in humanitate assumpta decertans, bellans, vincens, & triumphans, iure iusti belli meritò quoque dominaretur. Zacha. Ecclesia.

De regno commilitonum. Con. III.



Eque id credatur esse quia serui dicimur, nos vili seruitute dãnatos, cum seruiamus illi cui seruire regnare est. Hinc imperator declarat nos destinatos ad regnũ, ad quod etiam inuitat dicẽs: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum uobis regnũ à constitutione mundi. Si enim imperator mundi huius præest multis regibus, multò melius imperator cælestis habet cõmilitones reges, quibus loquitur Petrus dicẽs: Vos autẽ genus electũ, regale sacerdotiũ, gẽs sancta, populus acquisitionis. Põderanda profectò ualde est illa coniunctio regni & sacerdotij: quia dicitur regale sacerdotiũ, ad innuendũ, quod quilibet Christianus fulgere debet utroq; regno uidelicet & sacerdotio: vt sit uerus miles illius, q fuit sacerdos in æternum secundum ordinem Melchizedech, qui rex iustus interpretatur. Testatur ergo, q fuit sacerdos regius, sicut & quilibet nostrũ esse debet. Nam ut uerus rex debet dominari omnibus terrenis, & corpori suo, id (prout opus fuerit) redigẽs in seruitutẽ. Tanq autem uerus sacerdos quilibet offerre debet ipsum corpus suum in sacrificium Deo viuenti, sicut docet Paulus dicẽs: Obsecro uos fratres p misericordiã Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiã uiuentem, sanctam, Deo placentem: Cui si addamus tertium, sapientiam videlicet, erit perfectus homo: ut non triuiali doctrina dicitur de Mercurio, qui erat ter maximus, in sapientia, sacerdotio, & regno. Sed multo elegantius noster summus pontifex Christus splenduit sapientia, regno & sacerdotio: Quæ quidem habere debet quilibet christianus, maximè uerò qui ipsius summæ sapientiæ vices gerit: Vndè non ab re infula, seu mitra eius triaria (quæ vulgò regnum) insignitur: quasi sit triplici dyademate coronatus, sapiẽtiæ, regni, & sacerdotij. Nisi enim sit sapiẽs, non potest esse bonus: quia omnis ignorãs malus, vt dicũt Peripatetici. Nec tantum summus pontifex debet præminere doctrina, sed quilibet episcopus, sic dictus ab epi, quod est suprà, & scopos, intendẽs, quasi sit suprà intendens plebi, ut Augustinus interpretatur: vel à scopos, quod est speculatio, vt aliis placet: Vnde intelligatur prælatus in specula positus super gregẽ suum. Sed nec quilibet alius sacerdos sapientia, atque scientia carere debet: quia per Osee cõminatur dominus: Quia tu scientiam repulisti, CHRISTVS. Petrus. Paulus. Mercu. Peripat. August. Osee.

Pax autem rationalis est ordinata cognitio, & omnimoda electionis consensio. Et hæc est illa fœlicissima congregatio duorum vel trium, in qua rex pacis habitare promittit; quando videlicet animal nostrum cum ratione, & ratio cum voluntate, & voluntas cum ratione consentit. Ex qua sequitur uera pax cum Deo, quæ est pura legis & voluntatis Dei manifestatæ obseruatio: & nedum templum Dei fit mens ritè temperata, sed qui sic fuerit cõpositus, de quacunq; re petierit, statim exaudietur: quia nequaq̃ discrepat ab eo, quod Deus statuit. Huic quoque iugum Dei & Christi suaue est, & delectabile. Et in huiusmodi habet locum hymnus, quem cecinerunt angeli in natiuitate principis pacis dicentes: Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis, eis videlicet qui habent voluntatem cum ratione & Deo concordem, hi siquidem digni habentur, vt conscendant ad illam pacem Dei, quæ exuperat omnem sensum: & vt deueniant ad cœlestem, & sublimem ciuitatem illam, in qua (authore Iob) Deus fecit eam concordiam, ut diceretur ciuitas illa visio, & fruitio pacis. Et quia non possunt ad hoc regnum pacis peruenire nisi pacifici, ideo eius princeps iubet ministris suis, vt quocunque applicuerint, deferant & annuntient pacem. Qui & ab eis recedens hanc pacem seruandam iure testamentario reliquit dicens. Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Quod testamẽtum qui obseruare neglexerit, ad hæreditatem pacis nullatenus poterit peruenire: quia dissonans (vel in minimo) ad harmonicum concentum, & canoram suauitatem admitti non debet, nec potest. Sic & qui minimo peccato, vel aliqua in parte voluptati inseruiunt, non possunt deuenire ad regnum, cum sint serui peccati, nec ad pacem illam, quæ à quibusdam sapiẽtibus diffinitur esse trãquilla animi libertas.

Angel. — Iob. — CHRISTVS.

A quo detur pax. Con. II.

SEd cum nullus possit esse liber à peccato sine Deo, ideo nec potest absq; Deo pace frui, & in ea proficere. Hinc orat ecclesia: Da nobis illam, quam mũdus dare non potest, pacem. Trifaria enim sunt mũdi habitacula, superna, inferna, & media. Est supnũ hospitiũ cõsonãtissimè ordinatũ, & plena pace refertũ. Est infimũ, ubi nullus ordo, nulla quies, nulla pax, sed sempiternus horror inhabitat, inquit Iob. Est autem mediũ ex vtraq; permixtum, in quo homo primo collocatur, proposito sibi binio, & ad extrema hospitia cõtinuò inuitatur. Sed ad inferna habitacula facilè curritur, laxis habenis, nullo freno, nullo moderamine, nullo seruato ordine, sed omnibus ꝓ petulantia cõparatis. Facilimus est igitur descẽsus Auerni: quo sine adiutorio labũtur mortales, adeo à seipsis, & ab ordinãte Deo seiuncti, & dissoni, vt nulla unquam pace, nulla tranquillitate potiri amplius valeant. Qui uerò ad superna habitacula tendunt, & ad superas auras: difficile & arduum iter arripiunt, ita, vt sine Dei numine id perfici penitus nequeat, attestãte ueritate infallibili, q̃ ait: Sine me nihil potestis facere. Sicut enĩ instru

Ecclesia.

CHRISTVS mentum indiget modulatore, qui fibras aut fistulas aptet, & consonas reddat, & postea debita sonoritate moduletur: sic quoque nos tanquam instrumenta (& vtinam bona) indigemus modulatore, qui nostros aptet neruos & fistulas: qui proculdubio sunt anima, atque corpus: animal nostrum, & spiritus: superior portio, & inferior: voluntas, & ratio: & tandem omnia cũ ipso Deo concordet. Quis enim corpori disposito animam consonam infundit nisi Deus? Quis illa duo, quæ penitus dissona videntur, corpus videlicet, & animam tãta concordia connectit, vt dissolutiones penitus refugiat? Quis mentem nostrã cum diuina aliquando coaptare poterit, aut sciet? Quis congruo plectro diuinam voluntatem percutit, vt in eum sonum deueniat, ad quem nostra quoq; non frustra accedat? Solus quippe hæc ille efficit, de quo dicit apostolus: Deus est, qui operatur in nobis & uelle, & perficere: Et iterum: Idem verò Deus, Paulus. qui operatur omnia in omnibus. Ab hoc igitur data est pax, & concordia animæ cum corpore: Ab hoc est, vndè animalis homo subiiciatur spiritui: Ab hoc conuenientia mentium humanarum ad inuicem: quia ipse est, qui habitare facit vnanimes in domo: ab eodem est correspondentia mentis nostræ cum diuina. Inde igitur est instrumentorum coaptatio: inde sonora, & cõsona operatio: inde tranquillitas, pax, suauitas, & omne bonum.

Quàm suauis, & concinna sit ista pax. Con III.



A Deo suauis, iucundáque est pax, vt dicant nonnulli sapientes, q̃ in natura nihil sit cogitatum præstantius, nihil dulcius. Quia uera pax est tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, charitatis nexus, reipublicæ solamen, domorum iucũditas: angelis domestica, dæmonibus inimica, Deo super omnia grata, & omnium rerum concordia. Et vbi concordia est, ibi harmonia, ibi suauitas, ibi iucũditas. Hinc canit propheta: Ecce quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres in vDauid num: Fratres uidelicet anima & corpus, quando sunt concordes: vel homines simul, aut homo & angelus eius custos: quia tunc Deus & Christus (cuius nomen in canticis dicitur unguentum, uel oleum effusum) diffunditur in eos, qui sic conueniunt, conspergens omnia odore & fragantia suauissima: vndè sequitur: Sicut vnguentum in capite, scilicet Christo, quod descendit in barbam videlicet Aaron sacerdotis magni: quia per manus sacerdotum plebi administrantur diuina charismata. Descendit igitur hoc vnguentum vsque ad oram vestimenti, illius videlicet quod cõparauit, & intexuit nobis Christus & vnctus noster: ut omnium peccata cooperiret. Hoc igitur uestimentum unguento perfundit, vt etiam omnium uulneribus mederetur. Est quoque hic influxus diuinus super cohabitantes in pace, sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion. Ros quippe est cœlestisu infłxus, imo diuinus, in quo Izahac benedixit filios, vtriq; dicens: In rore cœli erit benedictio tua. A cœlo enim descendit per Hermon indicato, quod anathema mœroris interpretantur: Et descendit hic

ros in monten Sion, ideſt in eos qui poſiti ſunt ſuper ſpecula, & in regimẽ aliorum: Sion enim ſpeculam denotat. Si autem ſecretiores theologos imitari uoluerimus, ros qui Hebraicè [Hebrew] *tal dicitur, per uiam numerorum cognomen importat magni nominis reconditi, à quo fluunt omnia: Et ſic per unguentum indicatur, quòd habeamus influxum nominis, quod propriè eſt unguentum effuſum: & per rorem influxum cognominis: adeo, vt nihil deſit habitantibus ſimul in pace, & unitate. Et explicando clarius propheta ſubinfert: Quoniam illic mandauit dominus benedictionem, & uitam uſque in ſæculum. Sed quid eſt uita, niſi æterna beatitudo? Et quid eſt benedictio, niſi donum, quo ad ipſam beatitudinem perueniatur. Ideo introducendi ad ipſum regnum gloriæ uocãtur benedicti à principe dicente: Venite benedicti Patris mei. Ex pace igitur peruenitur ad benedictionem, & de benedictione ad uitam & regnũ, ex uita uerò ad unionem, de qua (quantum fas eſt, & quantum ualuerit imbecillitas ingenioli noſtri) depromere aliquid conabimur.* Theolo. Dauid

MODVLVS DECIMVSSEPTIMVS VNIO.

De unione beatorum cum Deo. Concentus Vnicus



X *ſacratiſsimis promptuariis paternis* IESVS *Dei filius cum hinc demigraturus maximi erga nos amoris pignus dediſſet, hoc quoque monumentum omnibus ferme humanis ingeniis reconditum tribuit dicẽs: Pater ſancte ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi: ut ſint unum, ſicut & nos: Et iterum: Non pro eis tantum rogo, quos prædicare miſi, ſcilicet apoſtolis: ſed & pro eis qui credituri ſunt per uerbum eorum in me, ut omnes unũ ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, & ipſi in nobis unum ſint. Quibus uerbis nedum noſtram cum Deo futuram unionem explicat, ſed etiam modum innuit, dum ait: Sicut tu pater in me, & ego in te. De qua unione cum uellet pertractare Plotinus reconditiſsimæ doctrinæ Platonis imò ſapientiæ diuinæ à Platone imbibitæ, pro quanto propinauerant prophetæ, eminentiſsimus reſerator inquit: Hoc igitur myſteriorum talium inſtitutio indicat, ut uetet id hominibus nondũ initiatis, expiatisq́; patefacere. Nẽpe uetuit, quod diuinum eſt alteri aperire, niſi duntaxat illi, cui uidere contigerit. Hinc quia Parmenides dixit omnia eſſe unũ ridẽt Peripatetici ipſi uerè ridẽdi, quia diſputant contra omnia, quæ non dixit Parmenides: & quod dixit, intactum, & ſuis pedibus firmum, & inconcuſſum penitus reliquerunt. Arguit Ariſtoteles (inquit Simplicius) contra uerba, non contra ſenſa Parmenidis, qui diuinè loquebatur, & ſupra metas philoſophiæ naturalis: cui addictus erat Ariſtoteles in phyſicis. Omnia enim ab uno proceſſerunt, & ut ſint eadem omnia ex illo uno participare neceſſe eſt. Et ſicut omnia ab uno in multa proceſſerunt, ſic cuncta quæ in illud unum à quo proceſſerant redire tendunt, neceſſe habent, ut exuant multitudinem, quæ ad imaginationem, diſcurſum,* CHRISTVS. Idem. Plotinus Parme. Peripat. Simpli. Ariſtot.

Aristote. sensusq; pertinent, per quos tantummodo procedebat Aristoteles: ideo nec mi-
CHRISTVS. rum, si non peruenit ad unum: Et sicut circa multa (teste infallibili veritate) est turbatio, & distractio animi: ita circa vnũ est collectio, & quies: Ait enim Martha turbaris erga plurima, porrò unum est necessarium: unum uidelicet, in quo omnia collecta habentur, ne quærentibus quietem: & fœlicitatem uagandum sit circa multa. Hinc optimè Augustinus ait: Quid uagaris homuncio
August. circa plurima? Quære vnum bonum, in quo omnia bona, & sufficit. Sed longè aliud est quærere unum, & in illud unum tendere, q̃ effici vnum. Porrò quòd vnum sit necessarium, in quod omnes tendere debeant, cuncti ferè sapientes affirmant. Sed quomodo tendentes in illud unum cum illo idem efficiantur, pauci uel nulli explicauerunt, quod etiam difficile explicatu est: quia id inter ea arcana reconditissima habetur, quæ non licet homini loqui, nisi his tantum, qui ipsam unionem, aut facto, aut saltem contemplatione experti sunt. Est enim (in
Plotinus quit Plotinus aliquid depromens ex officina eorum, qui id comprobarũt) ipse uidens cum eo quod uidetur, non duo, sed unum, tanquam non esset propriè visum aliquid, sed unitum. Est autem ipse unum nullam ad seipsum differentiam habens, neque rursus quantum ad cætera pertinet. Non enim apud eum, qui sic uidet, aliquid mouetur, non ira, non appetitus alicuius inferioris, cum iam ad excelsa profectus sit: Sed nec ratio, neque intelligentia quædam, neque omnino ipsemet, si modo id dictu fas sit. Sed tanquam raptus, siue à Deo penitus occupatus, in tuto quodam secessu, habitúque tranquillo, prorsúsque immobili iam constitutus est. Ab essentia quoq; sua nullo modo declinat, neq; etiam circa seipsum reflectens, quippe cum penitus conquiescat in eo quod uidet, &
Paulus. quasi ipse iam status euaserit: Huc enim Paulus adhuc peregrinus deuenerat (ut opinor) quando dicebat: Viuo ego iam non ego, uiuit uerò in me Christus. Qui & raptus aliquando in Deum, se uidisse attestatur, quæ non licet homini loqui. Melius autem & fœlicius ipse, & alij ad hoc ueniunt, quãdo tam ad cursus metam applicuerint, & firma adhæsione connexi fuerint illi uni, in quod semper tetenderant: de quibus idem Paulus: Qui adhæret Deo, unus spi-
Idem. ritus efficitur cum eo. Dicunt enim theologi nostri, quod beatitudo est in uisio-
Theolo. ne, & fruitione Dei, atq; firma ipsius fœlicitatis tẽtione, nec ultrà progrediũ-
Plotinus tur. Ex euangelio autem, atq; Plotino, & aliis sapiẽtibus habemus, quod etiã deuenitur ad unionem cum Deo uiso, & dilecto. Nam si uidens idem fit cum eo, qui uidetur (ut nuper dixerat Plotinus) melius & efficacius amans cum a-
Idem. Diony. mato fit unum, dicente Dionysio, & sapientibus quamplurimis: quòd amor est uirtus uniens amantem cum amato. Altius aũt conscendentes, sicut speculatiua uirtus, aut contemplatiua exuit multitudinem, si unum cõtẽplari debeat, ita & effectiuæ, & omnes aliæ uires progressiuæ à multis in unum tandem pergunt, sicut ab uno in multa processerunt: qua uia perfectum diapason, & consummata harmonia conducitur. Ad illud utiq; unum peruenire contendũt,

quod (vt docet Plato in Parmenide) est à quo omnia, extra omnia, & in omnibus. & ad quod omnia tēdūt: vt sit primus & nouißimus, principium & finis, sicut sacræ literæ plerisque testantur in locis. Si autem suapte natura omnia tendunt in illud, tandem ad ipsum peruenient, ne frustra appetitus ille insitus sit. Nec inde desistent esse quod sunt, cum meliori vnita, & in melius permutata, suóque iam adepto fine fœlicius viuentia. Hæc est enim (inquit Plotinus) Deorum, & hominum diuinorum, fœliciumque uita inferiores omnino negligere uoluptates, quæ in pluribus consistunt, & fuga solius ad solum: Horum enim cogitatio ad copulam prorsus innititur. Sed quomodo ad id perueniatur cum intactum non prætermittat, & nos aliqualiter percurremus. Ad id enim (inquit) prophetæ cum deuenerint, pleni Dei spiritu docuerunt, qua ratione illud cernatur, sed obscurioribus sermonibus, adeo quòd vix intelligi poßint. Sapiens verò sacerdos (qui ni fallor) præcipuus Christus noster fuit, inuoluta explicans, aditum, & ingressum præbuit dicens: Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur, & egredietur, & vtrobique pascua inueniet. Ad hanc igitur uisionem uiam aperuit, & ducatum præbuit dicens: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt. Cordis quidem munditia exquiritur, vt videamus, & contemplemur illum, cui vniri debemus. Cum ipso autem idem efficimur, quando multitudinem exuimus, per ueram exteriorum suppeditationem, de qua iterum dicit: Beati pauperes spiritu, idest nihil de extriori bus appetētes, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, quod ipse Deus est: Ad quod etiam conducit uera hominis animalis possesio, & dominium: quia tunc pace perfecta fruitur, de qua subinfertur: Beati pacifici, quoniā filij Dei uocabuntur, & erunt, ut Ioannes perhibet dicens: Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui non ex sanguinibus, neque secundum uoluntatem carnis uiuunt. Sed cum ad id deuenerint, ut iam inconcußi nullam illatam sentiant iniuriam, quasi his exterioribus mortui, tunc supra homines euectis, omniáque adeptis, nihil iis unquam appetendum est. Et isti sunt, de quibus in calce illius reconditißimæ doctrinæ bis repetit dicens: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum: Et iterum: Beati eritis, cum maledixerint uobis homines, & dixerint omne malum aduersum nos mentientes propter me: & uirtutis amore tolerabitis, gaudete tunc, & exultate, quoniam merces uestra copiosa est in cœlis. Quæ merces utique est ille, qui dixit: Ego ero merces tua magna nimis: copiosa autem est, quando copiosè sese diffundit, & strictius secum unit amantes in illa æterna beatitudine, & fœlicitate.

Plato. Plotinus. CHRISTVS. Idem. Ioannes. DEVS.

MODVLVS DECIMVSOCTAVVS FOELICITAS.

Quis sit fœlix, & beatus. *Concentus Primus.*

Augusti. Plato. QVis autem censeatur fœlix, atq; beatus, Augustinus diffinit dicens: Beatus est, qui habet quicquid uult. Plato autem in Philebo non multum distat, dum ait: Beatus est, cui nihil deest: Sed in Euthydemo cum Augustino consentit dicens: Fœlicitas est consecutio rerum ad vota. Sed nullus res omnes, quas appetit, poßidet, nisi qui adhæret, & vnitur cum fonte omnium bonorum, à quo ad libitum cuncta haurire poßit. Beatus est igitur, & fœlix, qui est unitus cum Deo, in quo omnia uidet, omnia poßidet, omnibus fruitur meliori sorte, q̃ in genere proprio perspiceret: quamuis non denegetur illorum visio, quæ ab Augustino dicitur uespertina, nec eorum fruitio, quam suprà spuriam declarauimus, dummodo omnia referantur in Deum ea relatione, & consonantia quæ decet. Ex quorum conuenientia magna conspicitur creatoris gloria, quæ uibrat, & splendet in creaturis, quam cõtemplantur oculi bene collustrati, sicut seraphini illi, qui (Isaia referente) decantabant, Sanctus, sanctus, sanctus dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius. Quæ si splendet in creatis, multo fœlicius in ipso creatore, cuius uisio datur his, qui mortui mundo, & sibiipsis, soli Deo viuunt, qui ait: Non videbit me homo, & uiuet. Necesse est igitur, si quis fœlix esse uelit, ut moriatur morte iustorum, aut per omnimodam separationem à corpore & econuerso, sicut beati omnes, quorum animæ ad gloriam illam cœlestem peruenerunt: Aut per corporis transmutationem in meliorem sortem, sicut de Elia legimus translato in curru igneo, iam mutato corpore in naturã spiritus: & sicut Henoc, qui ambulauit cum Deo in anima & corpore, & amplius uisus non est à corporeis oculis: Et sicut multi alij quorum corpora surrexerunt cum Christo, & introierunt in sanctam ciuitatem fœlices simul cum ipso: Vel per demigrationẽ à corpore per tempus, sicuti Paulus in raptu: Moses, qui vidit Dominum facie ad faciem: Isaias, qui vidit Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum: & alij non pauci, quos recensere perlongum foret, ne dicam impoßibile.

(Marginal notes: Augusti. beside "ret: quamuis…"; Isaias. beside "turis, quam…"; DEVS beside "uunt, qui ait…")

In quo consistat fœlicitas. *Con. II.*

QVamuis in primo uolumine multas adduxerimus opiniones illorum, qui diffinire uoluerunt, in quo fœlicitas, & beatitudo cõsistat, hic tamen negotiũ resolutè, & cõclusiuè determinantes dicimus ꝙ non potest esse fœlicitas, nisi in Deo, non autem in aliqua rerum exteriorum, sicut sapienter decernit Aristoteles in politiis dicens: Teste Deo, non est fœlicitas in rebus exterioribus, quia ipse est fœlix, & nulla rerum exteriorum vtitur. Hic corruit Cicero suo concussus ariete, dum ponit beatam vitã in omnium rerum vacatione: quæ in Deo solummodo locanda est.

(Marginal notes: Aristote. beside "rerum exteriorum…"; Cicero. beside "beatam vitã…")

Progressus tamen in Deum fit aliquando per creaturas, dicente Paulo. Inuisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, à creatura mundi intellecta conspiciuntur: Ex quibus iterum ad creata Deum videntes conuersi, gloriam opificis in eis contemplantur, sentientes ex utrisque concentus mirificos resultantes. Quæ cõuersio ad creata nullatenus infausta est: cum non fiat per auersionem à Deo, à quo nunquam discedentes, ipsum continuè in creatis contemplantur. Nunc igitur ipsius Dei oblectantur visione (quæ meridionalis dicitur) nunc creaturas in ipso percipiunt uisione matutina, nunc autem ipsum in creaturis uisione uespertina conspiciunt, ut diffusè & apertè Augustinus super Genesim disserit. Nec minus profundè, & disertè Origenes in secundo uolumine contra Celsum discutit ordine quodam retrogrado: Quem prosequentes, dicimus q̄ homines aliquãdo à corporeis legibus, & sensibus absoluti, siue per extasim, siue per raptum ad locum quendam deducuntur, qui aliquando paradisus deliciarum, aliquando tertium cœlum, aliquando ubera, & pectus archetypi dicitur: ubi quasi in quodam eruditionis loco docentur clarè de iis, quæ prius in imaginibus didicerant. Iudicia enim de consequentibus & futuris discernunt, quæ prius per speculum, & in ænigmate aliqua ex parte conceperant. Vident aliquando sphæras, vel globos cœlorum, vbi cognoscunt & ea, quæ ibi geruntur, & cur ibidem illa disposita sint. Et aliquando ultrà transgreßi IESVM sequuntur, qui cœlum penetrauit dicens: Vbi sum ego, illic & minister meus erit. Ibi enim cognoscunt multas mansiones distinctas, & vnitas, & quæ sedes unicuique parata sit, sicut nouerat Paulus, de quibus dixit: Quorũ nomina scripta sunt in libro vitæ. Tunc etiam ueram conspiciunt rationem astrorum, siue animantia sint, & inde operentur: aut undecunque hauriant uirtutem, vt influant in inferiora. Ibi fœlices intelligunt rerum causas, quas summa Veritas dilectis filiis, & fidis ministris nõ abscondit. Ibi percipiũt non solum quicquid unaquæque stella operetur, & quo loco sita sit, & quare ab alia tanto dirimente spatio separetur, sed etiam quæ intelligentia unicuique syderi præsideat: & à quo loco archetypi suscipiat, vndè in stellas, & per ipsas in inferiora influat. Tunc intelligit in puro iam degens splẽdore, quid sacerdos, quid leuita, & quid ordines eorũ: quique sint ordines iubileorum, septimanarũ, annorũ, festorum, & feriarum, atque omnium sacrificiorum rationes: quæ in purificatione, atque expiatione animarum mysterio penitus reconditißimo ordinata sunt. Quæ insuper lepræ diuersæ, & quæ purgatio earum, & quid seminis profluuium. Cur iterum gibbi, bernioси, manci, torto aut nimis magno, uel simo naso, strabones, aut quacunque turpi macula fœdati arceanrur ab altari. Agnoscunt quoque angelicas mentes, aut intelligentias separatas à summa, & unica mẽte: & quæ uirtutes, & quæ potestates sint bonæ, & quæ malæ: quæ propitiæ, & quæ cõtrariæ. Intuentur etiam quæ sit ratio animarum, & undè unaquæque ueniat: & quæ sit, & eius perfectionis

Paulus.

Orige.

Augusti.

CHRISTVS.

Paulus.

gradus, & gratiæ, atque donorum mensura: quæque diuersitas animalium & ferarum, & cur in tam multas species singula genera diuidantur. Nec occultabitur *qua ratione radicibus quibusdã, uel herbis associẽtur virtutes quædam mirandæ: & aliis econtrario herbis, vel radicibus depellantur. Insuper & de his, quæ accidunt hominibus, quæ non fortuito, vel casu occurrant, sed ratione quadam tam examinata, & tam ardua, ut eam non solum sanctorum, sed fortaßis omnium hominum nec numerus quidem prætereat capillorum: cuiusque prouidentiæ ratione producatur & vsque ad eos passeres, qui asse veneunt, siue spiritualiter, siue secundum literam passeribus intellectis.* Et ne

Sapien. *quispiam hoc existimet falsum, aut impoßibile, adducam etiam ea, quæ ille possessor sapientiæ (vt celebre est in ecclesia) de seipso asserit dicens:* Ipse mihi dedit *eorum quæ sunt scientiã verã, ut sciã dispositiones orbis terrarũ, & uirtutes elementorum, initium, consummationẽ, medietatem vicißitudinẽ tẽporũ, anni cursus, stellarum dispositiones, naturas animalium, iram bestiarum, uim uentorum, cogitationes hominum, differentias uirgultorum, uirtutes radicũ, & quæcunq; sunt abscondita, & improuisa didici:* Omnium enim *artifex do-*

Mercuri. *cuit me sapientia.* Cui *adstipulatur ille sapientißimus* Mercurius Trismegistus, *qui cum suam mentem (de qua loquimur) adeptus fuisset, ait:* Diuino *afflatus spiritu ueritatis compos effectus sum.* Neq; *enim synceram ueritatem habere possumus, nisi mentem adepti fuerimus, aut illustremur luce illa supramundana, uel per excessum mentis uehamur in fontem ueritatis, qui idem est.*

Sapiens. Paulus. Nam *à sensibus aut per inuenta ab hominibus (ut sapientes conueniunt) non est expectãda syncera ueritas.* Ideo *apostolus cum Colossensibus ait:* Videte *ne quis uos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam secundum traditionẽ hominum.* A *supremo igitur fonte ueritatis cum munditia cordis expectanda est uera cognitio.* Hinc *idem* Mercurius *mentem adducit his uerbis ad ipsum*

Mercu. Mens. *locutam.* Adsum *ego mens, idest diuinus splendor intellectum uestrum perlustrans, his qui boni, pij, puri, religiosi, sanctique sunt:* Præsentiáque *mea fert illis opem, adeo ut statim cũcta dignóscant.* Et *filium ad mentem hãc capescẽdam exhortans inquit:* Quicunque Dei *munere fulti sunt, ut menten sunt cõsequuti, ij ô* Tati *secundum operum comparationem pro mortalibus immor-*

Idem. *tales habentur, intelligentia sua cuncta cõplexi, quæ in terra sunt, quæ in mari, & si quid est præterea supra cœlum: atque ideo seipsos erigunt, ut ipsum quoque bonum intueantur, in quo uidelicet omnia uidẽt.* Quod *sanè cum prospiciunt, eam qua hic uescimur uitam, miseriam quandam arbitrantur: despicientes utique cum corpora, tum corporea omnia, ad unum solum feruntur.* Hæc *ô* Tati *est sententia mentis, diuinorum scilicet contemplatio, & intelligentia* Dei, *diuino existente cratere, id est disposita anima, ut suscipere poßit in intellectu splendorem illum, undè mens efficiatur, habens uidelicet intellectum ipsum diuino fulgore perlustratũ.* Quam *quidem illustrationem* Ioãnes

vocat vnctionem dicens: Vnctionem habetis à sancto, & nostis omnia: nec indigetis, ut aliquis uos doceat: quia vnctio eius docet vos de omnibus. Quæ vnctio, aut collustratio, uel mẽs datur (vt dicũt secretiores Theologi) in morte osculi, de qua propheta in psalmo: Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius, Ad quam mortem Christus, & Paulus exerta uoce nos prouocant. Alter siquidem mysticè ait: Nisi granum frumẽti cadens, in terra mortuũ fuerit, ipsum solum manet: Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert, Mori enim necesse est mundo, & homini animali, siquis uelit Deo uiuere, & cernere ea, quæ ad uitam diuinam pertinent attestante ipso Deo, qui ait: Non videbit me homo, & viuet uita videlicet animali: Ideo Paulus: Mortificate membra uestra: & iterũ: Mortui estis, & vita uestra abscondita est cum Christo. Moriens itaque homo sensibus, in excessu quodam & separatione intellectiuæ potentiæ à discursu circa sensibilia, eleuatur in Deum, ubi omnia uidet. Quod adhuc peregrinantes Dei munere adipiscuntur, dummodo effecti, sint mundo corde, ut docet summa Veritas: Ex cuius officina inquit Plotinus: Qui puri sunt, habitantes secum, nihil impedimenti habentes, quo minus unum efficiantur, sed effecti diuini, pulchri, atque Deiformes, tunc ascendunt in mẽtem ubi pulchras omnes species contemplantur, atque cognoscunt illas ideas esse, quæ veras rerum indicant essentias, & quidditates. Ad quod deuenerant prophetæ, Paulus, & ille, qui dixit: Quod audiuimus, & contrectauimus de uerbo uitæ, hæc annuntiamus uobis: Et iterum: Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre. In quo uerbo cum omnia splẽdeant, & ibi habeãt sua exemplaria, consequenter omnia ibi conspiciuntur. Verum hæc uia antiquis domestica, & etiam aliquibus, vel paucissimis nostri temporis cognita, qui cum propheta dicere possunt: Notas mihi fecisti uias uitæ: Vulgò autem penitus est obliterata, addicto vnoquoque concupiscentiæ suæ, aut doctrinæ perceptæ à sensibus, qui ad huiusmodi non pertingunt penitus ab ipsis aliena: hinc ipsis uidetur dura, extranea, & forsitan à ueritate exorbitans & inaccessibilis (ut aiunt) pro statu isto. Iccirco iis satis est expectare tẽpus, quo reformabitur corpus nostrum graue, & conforme fiet corpori claritatis Christi: quod exstimãt euenire tantummodo post resurrectionem, & in statu gloriæ, non attendentes quid sancti perhibeant: & quomodo (vt scriptura autentica testatur) aliqui adhuc peregrini ea uiderint loquentes cum Deo facie ad faciem: vt de Mose, & de Iahacob dicitur, & de aliis per alia uerba. Postquam igitur omnes consentiũt, quod hæc perfecta cognitio dabitur his, qui ad cursus metam studiosè applicuerint, de ipsis etiam aliquid percurremus.

Theolo. Dauid. CHRISTVS. Paulus. DEVS Paulus. CHRISTVS. Plotinus Paulus. Dauid.

Quibus fœlicitas perfecta detur. Con. III.



Paulus. Paulus. Hebræi. ET si in hac uita degentibus aliquando datur introitus ad paradisum deliciarum, ubi uesci possumus omnibus ibidem consitis arboribus, & deliciari in eo, quem Paulus, & alij sapientes Hebræi uocant sæculum futurũ, nihilominus perfecta eius possessio datur his, qui compleuerunt uitæ curriculum. Antè enim uel paucißimi in huiusmodi perfectè initiati cò perueniunt, ut ipse Paulus cũ Hebræis de hac re non mediocriter instructis ait: Perfectorum autem est solidus cibus, eorũ qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni, & mali. Cum istis igitur loquentes interponemus inchoatiuos sermones Christi, qui quidem sunt de operibus pœnitentiæ, baptismate, authoritate absoluendi, resurrectione mortuorum, & huiusmodi: ut feramur ad doctrinam perfectam inter perfectos, & eos qui participes facti sunt Spiritus sancti tantummodi communicandam: iu qua tractatur de cœlesti dono, mana absondito, de meliori Dei uerbo, recondito videlicet, & perfectis communicando, & de uirtutibus sæculi uenturi: Ad quod (Deo auxiliante) cum deuenimus, tunc uidemus etiam peregrini, saltem in parte, ea quæ abscondita sunt: Si uerò soluti à corpore in Deum ferimur, tunc euacuatur quod ex parte est, adepto iam perfecto, in quo plenè beamur: Soluta uerò anima ab hac mole corporea si statim pertingat ad metã & terminũ, quò tandem uentura est, an si adhuc proficiat, uaria est opinio sapiẽtum: Nouitiores enim theologi uel pedibus in priorẽ sententiam deueniunt: Sed Origenes, & cum ipso alij sapientes opinantur, quòd adhuc proficiant beati, ut ille longo sermone differens contra Celsum ait: Cũ ad cœlestia loca peruenerint sancti, tunc amplius & perfectius cognoscent quæ in peregrinatione fecerint. In qua cognitione crescet per singula rationalis natura, non sicut in carne, uel corpore & anima, in qua uita crescebat, sed mẽte & sensu aucta ad perfectam scientiam mens iam initiata perducitur, nequaquam in posterum istis carnalibus sensibus præpedienda, sed intellectualibus incrementis aucta, semper omni ammoto uelamine, & ad purum (ut ita dixerim) facie ad faciem rerum causas conspiciet: vbi ea in primis perfectione potietur, qua in ipsum conscendit, ea deinceps qua permanet: cibos, quibus uescatur, habens theoremata, & intellectus rerum, rationesque causarum: Sicut enim corpora nostra in hac uita ciborum præsidio, dum adhuc in iuuenilibus annis sumus constituti continuò adolescunt, & plenè perficiuntur: sed cum natura congruis lineamentis ea ad suam proceritatem deduxerit, utimur cibis, iam non ut crescamus, sed ut uiuamus, & cõseruemur in uita per escas Ita arbitror & mentem, etiam cum uenerit ad perfectum, uesci tamen, & vti propriis & competentibus cibis in ea mensura, cui neque deesse aliquid debeat, neque abũdare. In omnibus autem cibus hic intelligẽdus est theoria, &

Theolo. Orige. Celsus.

intellectus Dei habens mēsuras proprias, & cōpetētes huic naturæ, quæ facta est & creata: quas mensuras singulos quosque incipientes uidere Deum, & intelligere per puritatem cordis oportet obseruare: Hunc certè profectū (meo iudicio) nobis indicare uoluit Apostolus, ubi postquam de ascensu in altū, & illuc captiuitate deducta à Christo disseruit, & de gradibus distributis in ecclesia, quibus alij facti sunt Apostoli: alij Euāgelistæ, doctores alij, & huiusmodi, subinfert: Donec occurramus omnes in unitate fidei, & agnitione filij Dei in uirū perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, ut iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni uento doctrinæ. Si quis autem asserat nullum esse profectum in patria, quia in uia deuenit unusquisque ad eam, quæ ipsi est destinata mensura, sicuti tenēt communiter doctores ecclesiæ, & nos cum ecclesia, & cū Christo sumus hîc, & ubiq;: Videtur tamē aliquibus (nisi hoc ueritati repugnet) quòd infinito adhærentes semper ab eo hauriant unde crescant, quousq; idem cum ipso fiant, ut suprà innuimus, & tūc perfecta portione, qua crescunt, subsecuta quiescunt in pace in idipsum: Nam (ut inquiunt) si quid obscœnum & immundum deturpat eos, qui uitæ curricula compleuerunt, habent locū in quo expurgentur, antè q̄ deueniant ad lucē illā collustrantē & perficientē, ne offendatur ipse fœdus, & debilis à claritate eius: Ita assuefaciendus est oculus, antequam in eam plenissimam lucem figat intuitum: quia (ut inquit Plotinus) sordibus infectus oculus, nec dum bene purgatus, aut debilis, si in spectaculū lucidissimum intendatur, caligabit protinus: oportet enim uisurum uidendo cognatum, similemque, prius effici quàm ad spectandū adhibeatur: Neque enim oculus unquā uideret solem, nisi factus solaris: neque rursus animus nisi factus pulcher, atque diuinus ipsam pulchritudinem, & Deum intuebitur: neque lucē susciperet nisi factus lucidus & clarus. Hinc Salomon in prouerbiis ait: Semita iustorum sicut lux splendet ualdens, aut proficiens & lucens usq; ad perfectū diem. Hinc de Christo beatissimo dicitur: Puer autem crescebat, & confortabatur plenus sapientia: Et iterum: Et IESVS proficiebat sapientia, ætate, & gratia apud Deum, & homines. Nec dicendum est quòd ille profectus esset secundum apparentiam, quia criminarentur scripturam de falsitate cum ipsa dicat, quòd proficiebat sapientia, non autem apparentia, neq; tātummodo ad contuitū hominū. Nec bene soluit, qui dicit q̄ proficiebat experientia: quia ibidē dicitur, q̄ proficiebat sapientia: Neq; enim aliquādo incongruè loquitur scriptura ipsa, nisi ex translatoris uitio. Proficiebat itaque homo ille etiam cum Deo unitus, sicut & merebatur usque ad eam plenitudinem, ad quā Pater præordinauerat: Crescūt & iusti usque ad perfectū idē, qui est meridies, aut uisio meridionalis, sic dicta ab Augustino, quā do beatus clarè intuetur Deū facie ad faciem sicuti est: in qua uisione est beatitudo infinita, sicut & obiectū uisum est infinitū. Nec habeant pro incōuenienti, qui sic opinantur, q̄ beatorū sit status, & profectus: Status quidē est, ut nullatenus quis eorū cadere possit: Progressus uerò, cū semper

Paulus. CHRISTVS. Plotinus. Salomon. Augusti.

Deo intimiores fiant, quousq; idẽ cũ ipso efficiãtur: ũdè et ãgeli (sicuti Petrus inquit) desiderant in Deum prospicere: Desiderant quippe, quod non adhuc habent, nec frustra desiderant, quia defraudarentur à desiderio suo, & dolerent, quod est contra rationem beatitudinis. Obtinere uidẽtur igitur aliquando, quod non habent, quamuis beati sint: Vel si asseritur (ut communiter sentiunt theologi) quòd beati statim introducti ad uisionem illam reperiantur in termino iam præfixo, ut non ulterius progrediantur, aut intimiores fiant Deo, cum illuc intro ducti iam perfectè beati sint. Sed quomodocunque sit, fœlicitas perfecta datur his, qui iam deuenerunt ad extremam metam sui progressus, & ad plenam men suram pro eorum capacitate, ut amplius capere nequeant. Et hoc est, quod dicitur: Petite & accipietis, ut gaudium uestrum plenum sit.

Theolo. — CHRISTVS.

MODVLVS NONVS. OMNE BONVM.

Quid sit bonũ, quod dicitur summũ, & uerũ bonũ. Cõcentus unicus.



CVM nulla possit fieri disputatio de eo, quod non subest sensibus, aut cõpositis rationibus, quia simplicissimum est, ideo de ipso sermo faciendus est simplex, sóloque diuino lumine edoctus, sicuti ueri sapiẽtes nos instruunt: Nã Trismegistus illo quidẽ lumine perfusus ait: Deus ipsum bonum est, nec aliud quicquam præter bonum: reliqua om nia ab ipsa boni natura secreta sunt: Corpus quidem & anima cum determinata sint locum habent nullum, quo bonum capiant, quia tam amplum est bonum quàm existentia rerum omniũ corporaliũ, & incorporalium, sensibilium, & intelligibilium, & ipsum, quod est super omne existens. Caue igitur, ne quando dixeris aliud quicquã bonum: Prophanus enim foret error, iuxta illud quod summus doctor ait: Nemo bonus, nisi solus Deus. Nec dicendum est Deum aliud quidem esse quàm solum bonum, quia in eandem impietatem incideres. Et quia bonum non ab omnibus intelligitur, idcirco Deus, qui ipsum bonum est, non cognoscitur ab omnibus: uerum propter ignorantiam, tum deos, tum homines bonũ nominant: Ideo Christus redarguens illum, qui ei dixerat, magister bone, inquit: Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi unus Deus; absolutè uidelicet, & propriè: p participationem autẽ aliquis potest esse bonus, sicut idẽ doctor sciens se quam optimè participare de bonitate illa quo ad humanitatem, alibi dixit: Ego sum pastor bonus. Siquidem palàm fassus est, q omnia dederat sibi Pater: undè in eo, q homo, non erat bonus à seipso, quod tantummodo Dei est, de quo inquit propheta: Cõfitemini Domino, quoniam bonus: Secundum quã bonitatem nullus (inquit Mercurius) potest esse bonus, neque fieri. Quisquis igitur honoratur ex bonitate, id fiat in eo, quod à Deo accepit. Hinc Paulus omnibus clamat dicens: Quid habes, quod non accepisti? Cum igitur omnia accipiant à Deo, & nihil dent, & ipse exhibeat omnia, & capiat nihil ideo ipse solus bonus: nam bo

Trisme. — CHRISTVS. — Idem. — Idem. — Mercur. — Paulus.

nus porrigit uniuersa, nec quicquam accipit: homo autē & omnia simul cum eo cuncta accipiunt, dant autem nihil: ideo nihil horum potest dici bonum. Christus igitur in eo, quod omnia acceperat à Patre noluit uocari bonus: in eo autē quod dedit, boni est functus officio. Est igitur Deus omne bonum, & summum bonū, nihil accipiens, quia nullo bonorū nostrorum indiget, omnibus autem dat, ut bona sint, sicut canit Diuus citharœdus dicens: Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Et hæc est uera humilitas, & uera cognitio sui, intelligere se esse purum nihil, & omnia accepisse à Deo, & hinc esse quod sunt, cū tantum sit, quantum Deus sese in ipsum diffundit. Et qui magis de Deo participat, melior est, cum Deus sit ipsum bonū: & pulchrior est, cum Deus sit ipsum pulchrū. Hæc enim est (ut Dionysius, & academici docent) uera pulchritudo, participare, scilicet de summo pulchro: & uera bonitas, participare de summo bono, sicuti est uerum ens, pro quanto participat de eo quod est à se; & summū ens, ut tritißimū habetur in omnibus scholis: Nam (ut idē Diony. ait) eo q̄ Deus est substantiale bonū, ad omnia existentia extendit bonitatē suam, sicut sol per suū esse illuminat omnia, quæ lumen eius participare possunt. Bonū igitur summū per ipsam essentiam suā omnibus existentibus mensura quadam, & proportione mirabili immittit totius bonitatis radios. Non secus de pulchro paulò inferius ait: Ipsum etenim pulcherrimū, & supra pulchrum semper, & ex omni parte existēs omniū pulchrorū est causa. Ex hoc itaque pulchro his quæ sunt omnibus prouenit, ut sint pro modo suo pulchra singula: Efficitq; pulchrū istud rerū omniū congruentias, & amicitias, ac societates pulchróq; isti tāquā effectiuæ causæ, & fini omniū cuncta cōtingūt: Pulchri enim gratia omnia sunt. Est quoq; exēplar, & meta, ad quā diffiniūtur omnia. Et idem pulchrū est & bonū, quod cūcta desiderant, & quo omnia cognata sunt, quia nihil est in substātiis rerum: quod pulchri & boni non sit aliquatenus particeps. Et cum sit primarius & immensus fons, à quo cuncta suscipere appetunt, ideo omnia (ut inquit magnus Theodorus apud Proculum) orant præter ipsum primum, quia omnia indigent: Et dum cognoscunt, quod ab illo suscipere debent ea, quibus indigent, ipsum rogant. Hinc summus doctor Christus docuit, ut orationem dirigeremus in Patrem, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum, dum ait: Cum oraueritis, dicite: Pater noster, qui es in cœlis. Et semper nobis orandum est, quousque compleatur mensura donorum, quæ nobis parata sunt, & quousque gaudium nostrum plenum fuerit. Nam tunc nihil restat quod impetrare poßimus, uerum pro aliis, ut adipiscantur, quod iam nos adepti sumus, ex charitate preces effunduntur. Et ideo (teste Ioanne) Sancti orant, & ipsemet filius Dei: Si quis, inquit, peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, IESVM Christū iustū, qui est propitiator pro nostris, & pro totius mūdi peccatis, Cui adstipulatur Paulus dicēs: Introiuit IESVS in ipsum cœlū, ut appareat uultui Dei pro nobis, & tāquā uerus mediator tantū omnia reducat in ipsum summum bonum,

Daui. Diony. Academ. Diony. Ide. Theo. CHRISTVS. Ioannes. Paulus.

quantum ab ipso recesserunt, & idem fiant cum eo per ueram unionem, sicuti erant in exemplari, & in archetypo boni.

MODVLVS VIGESIMVS SILENTIVM.

De pausa, quiete, & silentio, ad quod deuenitur adepto iam bono, in quod tendimus.



VM *igitur deuenerimus ad primum & summum, quiescendū est, nec ultrà progrediendum, cum nihil ultra summum dari poßit. Et hoc quod inquit* Ieremias: *Sedebit solitarius & tacebit, quia eleuauit se super se. Quibus uerbis declaratur quies in eo quod dicit,* Sedebit: *expoliatio à multitudine, quia dicit,* Solitarius, *silentium, dum ait: tacebit*, & *transformatio in* Deum *in eo quod concludit: Et eleuabit se supra se: Nam supra hominem nihil est, nisi* Deus. *In cōsonantiam canit propheta dicens: In pace in idipsum dormiam & requiescam. Quo dicto sileat, quia iam deuenit ad locum, ubi silentium est, eo quod illic unusquisque intimus effectus sit, & intimus cum summo, adeò ut omnium exteriorum oblitus, atque ab omnibus illis seiunctus, nullum habeat cum quo loqui poßit conuersans solummodo cum illo, apud quem sermo non exquiritur, cum omnia intueatur: necnon quia ea prospiciat, & his oblectetur, quæ si uellet etiam exprimere nequiret. Hinc igitur silendum est, nisi quatenus ex mandato principis aliquid inferioribus pro capacitate recipientium ad ipsorum utilitatem manifestat: ut de angelis inquit* Dionysius, *q̄ sint enūciatiui diuini silentij, sicut clara lumina interpretatiua eius, quod est in abditis: Quod diuinum silentium, aut illud quod silendū est, bonitas quippe est illa, & pulchritudo, & lux adeò eminens, ut uerbis manifestari non possit, sed percipiatur in ipso eodem lumine non manifestato nisi oculis bene collustratis:* Ideo *inquit* Psalmographus: *In lumine tuo uidebimus lumen. In quo lumine uidentur arcana*, & *abdita* Dei, *quæ (teste* Paulo*) non licet homini loqui:* Ideo *de huiusmodi nulli magis patet dicendi campus quàm ignaris: Nam si illa percipere nequit nisi raptus in exceßu mentis, aut transformatus in eandem imaginem, quæ est filius* Dei, *quomodo ea, quæso, explicabunt non eleuati, aut minimè transformati? Silendum est itaque etiam his, qui ea uiderunt per exceßum mentis: Nam cum* Ieremias *(ut nuper diximus) ageret de solitario, & eleuato in* Deum, *subintulit iuxta ueritatem* Hebraicam: *Sedebit, quia onus super seipsum. Onus enim magnum impositum est supra humeros eorum, quibus credita sunt arcana principis, ut uidelicet sint fideles, & sileant. Hinc* Isaias *cū uideret in exceßu mentis ea, quæ tempore* Meßiæ *uentura erant, nequiens continere, quæ bulliebant in mente, dixit: Cum glorificatus fuerit* Dominus, *per* Meßiam *uidelicet, exultabunt de mari, scilicet superexcelso, à quo ueniet, sicut per alium prophetam dicitur: In mari uiæ tuæ, & semitæ tuæ in aquis multis, & ue*

stigia tua non cognoscentur, naturali uidelicet lumine: Ideò sequitur Isaias: Sed Isaias:
in luminibus, uel splendoribus (pro quo nos habemus in doctrinis) glorificabunt
Dominum: Nam in insulis maris nomen Domini Israël: à finibus uel ab alis ter
ræ laudes audiuimus, futuras uidelicet tibi iusto: pro quo nos habemus, gloriam
iusti. Septuaginta autem illud, tibi, interpretãtur speciem: sed propriè iucundũ,
& præcipuum significat: & sensus est: Præcipua laus, & iucunditas erit iusto,
id est Messiæh, qui solus iustus inter mortales inuentus est. Verùm cum nimis
apertè sibi uisus fuerit loqui, statim subintulit: Secretũ meum mihi, secretũ meũ
mihi: Veh mihi, quia uidelicet tam apertè loquutus sum. Postea ad aliud sermo-
nem suum diuertit. Istud quodque silentio Psalmographus innuit dicens: Abscõ Psalm.
di in corde meo eloquia tua, ut non peccem tibi: quod abscondere, silere est: Sed
q̃ sit alienum ab officio boni uiri propalare diuina arcana Mercurius ad Ascle- Mercur.
pium declarat, dũ ait: Irreligiosæ mentis est tractatũ tota numinis maiestate ple
nissimum multorũ conscientiæ publicare, quia uilesc... nimis in imbecillibus ani
mis profunda eloquia, & mysteria Dei: ideo dixi... mnus doctor: Nolite san CHRISTVS.
ctum dare canibus, & nolite margaritas exponere ... palando ui-
delicet indignis, & incapacibus Dei pretiosissima arcana. Adde quod aliquan-
do ob reuerentiam (ut Mercurius ait) præstat silentium facundam prægnationẽ
ueritatis, ut suo loco tanto efficacius, & sublimius loquatur, qui conseruauerit
arcana illa cum reuerentia, quanto magis fidelis seruus fuerit in occultãdo. Gra
ti quoque magis reperiuntur silentio laudantes ineffabilẽ quàm indignè aliquid
proferentes, fallacia ueræ laudi contraria maculati. Anima itaque clausis sensi
bus, qui coloribus, odoribus, saporibus, sonis, & pruritibus oblectantur, clausó-
que rationis discursu, cuius pabulum & esca est ueritas, & cognitio rerum infe
riorum, & collecta tota in mentis apice, cuius pabulum & supramundanum lu-
men, silet aliis: & illi soli qui summum & unicum bonum est uacans loquitur, &
laudes persoluit: Nos etiam (quoad pandere fas est) hymnum Deo optimo ma-
ximo persoluamus.

Hymnus soluendus in silentio soli Deo pura, & eleuata mente.



Ibi Domine sancte, & uniuersorum supreme rex debetur laus, quam nemo soluere potest, cum immensus sis, æternus, & ineffabilis: Vndè si non dignas, tamen quantum fas mihi est, & quantum uires suppetunt, imò quantum tu in me loquens iusseris, reddã. Tu nullo termino clausus, nulla ratione circunscriptus, & nulli peruius, omnia in te continens, & omnium causa existens, & si in omnibus existens ab omnibus tamen adeò semotus es, ut de te nec fari, nec cogitare possit humana men... quantum tua lux eam perfuderit, Tu quidem uniuersorum pater, lux ... inaccessibilis, fons profundus, occultus creator, quem nemo nouit, nisi fi... cui uoluerit filius reuelare, Tu sapientiæ fons ex quo omnia, & uerbu...

num omnia portans, habitatio occulta in rebus, esse, uita, fundamentum, & principium rerum omnium & terminus; Tu sanctus, benedictus, ipse Deus altus, sigillum, forma, spiritus, nexus, & uita mundi: Magnus tu, & laudabilis ualde, & magnitudini tuæ non est finis: Tu enim ea immensa bonitate qua fabricasti, eadem & conseruas omnia, & tuo brachio cuncta protegis: Tuque oriens unde omne lumen rutilat, & omne bonum exoritur: Tu potens es, & quis resistit tibi? Tu scrutas renes, & corda iusto ac sanctissimo iudicio reddis unicuiq; secundum opera sua nil multum permittens: Tua est pulchritudo, ueritas, & uita, metrum, & mensura rerum, speculum splendens, in quo omnia clarescunt: & lux pulcherrima, qua omnia pulchrescunt: Munificus, & pius in omnibus, tardæ iræ, & amplæ misericordiæ. Tibi quod fuit, quod est, & quod futurum est iden[illegible] sunt. In te enim est uita præsens, & seculum futurum, in quo & omne tēp[illegible] & omnis terminus concluditur, quia omniū finis es: Tu uerus Deus sine motu a[illegible]dens ad tuam sublim[illegible]atem, & descendens ad nos, & ad infima quæque tanqu[illegible] basis omnia sustem[illegible] & omnium decor existis: Tu Deus uiuus, uita mūdi, author s[illegible] sapientiæ, ueritas, & sigillum mundi, fons animarum & formarum, omniū p[illegible], & cunctorum uinculum: Tu uniuersorum rex, princeps mundi, iustitia, & regula eius, Deus electorum, & custos eorum, atque oculus omnia uidens, habitatio, & hospes in nobis sanctissimus transferens te in animas sanctas, ut eas in tuam imaginē transformans reducas ad id, unde uenerūt, & omnia tecum facere possint. Et qui sapiens est, hæc intelligat, quia hoc est manna absconditum, quod nemo scit, nisi qui accipit: unde de huiusmodi fari minimè licet: Non enim hæc ex auditu uocali percipiuntur, sed lumine illo æterno, quo illa concipiuntur eloquia, quæ in corde occultanda sunt, ne ueluti infidi & indigni laudatores peccemus coram regem, cuius sacramentum abscondere bonum est: quod neque propalare possumus, quia ineffabile est: Ideo cū uerba non suppetant, silentio laudandus est, corde mundo, & feruido: quia in silentio, & spe erit fortitudo nostra, inquit oraculum: cum quo maximè congruit illud Ieremiæ: Bonum est præstolari cum silentio, quousque facie ad faciem uidentes eum sicuti e[illegible] soluatur uera nostra lingua in debitas laudes, sicuti iterum scriptum est: Qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te. Amen.

FINIS.

